
UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00181312 0

SANCTI

THOMAE AQUINATIS

ORDINIS PRAEDICATORUM

OPERA OMNIA

SANCTI

THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

OPERA OMNIA

IUSSU IMPENSAQUE

LEONIS XIII P. M.

EDITA

TOMUS DUODECIMUS

TERTIA PARS SUMMAE THEOLOGIAE

A QUAESTIONE LX AD QUAESTIONEM XC

AD CODICES MANUSCRIPTOS VATICANOS EXACTA

CUM COMMENTARIIS

THOMAE DE VIO CAIETANI ORDINIS PRAEDICATORUM

S. R. E. CARDINALIS

ET SUPPLEMENTO EIUSDEM TERTIAE PARTIS

CURA ET STUDIO

FRATRUM EIUSDEM ORDINIS



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MCMVI

PRAEFATIO

LTERAM portionem Quaestionum Tertiae Partis introducturis aliqua pauca nobis tractare libet, maxime in confirmationem eorum quae circa necessitudinem codicum inter se in superiori Volumine praefati sumus. Ibi diximus textum traditionis in maiori et antiquiori parte codicum multis locis unanimiter contaminatum esse lectionibus erroneis, quas, ob testium concordiam, statim autographo tribuere propterea iam non deceat, quod certo et evidenter ad multiplex genus erratae transcriptionis pertinere cognoscantur, ideoque exemplaris male lecti vel intellecti existentiam praesupponant. Concors ergo testimonium referri debere ad aliquam primam transcriptionem, in qua textus autographi aliquibus locis detrimentum passus sit, et quae deinceps meliorem traditionis partem vitiaverit. Nec hic sistere diximus influxum illius primi apographi. Nullum enim codicem inveniri e cuius textu errores eius omnino disparuerint, et totam fere lectionum varietatem, quam traditio subministret, a deliberata errorum correctione natam esse et crevisse. Ex hoc autem legitime concludendum esse quod tota traditio autographi ab una eius transcriptione incoeperit. Ista ergo, et quaedam alia anterius discussa, hic pluribus locis adductis Lectori persuadere intendimus. Commodi gratia ex praecedenti Praefatione numeros citabimus, ad quos dicenda reportari debent. Textum primi apographi, quem scilicet omnes fere codices veteres attestantur, nomine « textus antiqui » distinguimus a textu autographi.

Ad n°s 3. et 8. — Quaestio LX, huius Voluminis prima, de earum numero est, quarum textus cum omnibus antiquis codicibus collatus est. Hac ergo Quaestione utimur ut specimine omnium, et incipimus a sex locis, ex quibus clare et indubie pateat, primo, lectionem antiqui textus erroneam esse; secundo, quid legerit autographum; tertio, variantes principium sumpsisse ab errore textus antiqui.

Art. 1. corp. γ; AUTOGRAPHUM: « Omnia quae habent ordinem ad aliquid unum, licet diversimode, ab illo nominari *possunt* ».

TEXTUS ANTIQUUS: *possint*; Varians: *possit.*

Clarum est ni fallor scriptorem primi apographi ideo pro *possunt* vidisse et scripsisse *possint*, quia mente illud ad *licet* trahebat; sic sensum et structuram orationis corrupit, quod contextum conferenti patebit. Lectio falsa *possit* in quatuor codicibus obtinet; vera lectio *possunt* in editionibus et in paucis eisque recentibus codicibus reapparet, ita ut tota ferme traditio manuscripta vitiata sit vel per errorem originalem *possint* vel ab errata correctione *possit.*

Art. 3. arg. 1. α; AUTOGRAPHUM: « Ne quis vos seducat *per philosophiam* et inanem fallaciam ».

TEXTUS ANTIQUUS: *per prophetiam.*

Non est dubium quin textus antiquus erraverit per dittographiam: *p pphiam* scripto pro *p phiam* autographi. Error in nulla editione et in paucis codicibus extra fideles primi apographi testes superest; obvenit tamen in EF et G, qui textum antiquum multoties corrigere attentant, et in codice Patavino tralucet sub falsa correctione *per inanem prophetiam et fallaciam.* Erroris dittographiae et oppositi vitii haplographiae in textu antiquo infra plures casus citabimus.

Art. 4. arg. 2. β; AUTOGRAPHUM: « Spiritus est Deus, et *eos qui adorant eum* in spiritu et veritate adorare oportet ».

TEXTUS ANTIQUUS: *eum qui adorant eum (adorant, eum)*
Variantes: *eum qui adorat eum*
omnes qui adorant eum
eum qui adorant ... eum adorare oportet.

Lectionem autographi (in quo *eos* fortasse scriptum erat ·*e*·, sicut verba sacrae Scripturae per solas initiales litteras scribi solebant) invenimus in tribus tantum codicibus: F, Patavino et Vatic. 746, et in editione *a*; ceterae editiones saec. XV. *adorat* cum H et Oxoniensi.

Art. 6. corp. β; AUTOGRAPHUM: « Possunt considerari sacramenta ex parte hominis... qui componitur ex anima et corpore: cui proportionatur sacramentalis medicina, *quae per rem visibilem corpus tangit,* et per verbum ab anima creditur ».

TEXTUS ANTIQUUS: *quae partem visibilem corpus tangit*
Variantes: *quae per partem visibilem corpus tangit*
quae partem visibilem, scilicet corpus tangit
quae partem visibilem corporis tangit
quae per rem visibilem, scilicet corpus, tangit.

Scriptor primi apographi vidit *t* ubi autographum *r* habebat: *ptem* pro *p rem*. Cum autographo legunt Oxoniensis, Brixiensis et EGH, et editiones praeter *a*; ceterorum qui a textu antiquo discedere solent, nullus rem acu tetigit.

Ibid. ad. 3. ι; Autographum: « Utebantur in veteri lege aliquibus verbis... tam sacerdotes qui erant sacramentorum illorum ministri... quam etiam illi *qui illis sacramentis imbuebantur* ».

Textus antiquus: *qui solis sacris induebantur*
Variantes: *qui solis sacris imbuebantur*
qui illis sacris imbuebantur
qui solum sacris imbuebantur
qui sacramentis imbuebantur
qui solis sacris utebantur
qui illis sacris utebantur
qui illis sacramentis utebantur.

Hoc loco lectio quam autographo tribuimus a tota traditione abest; ideo nos in textu adoptavimus variantem ultimam ex G, Oxoniensi, Brixiensi, Ambrosiano et editionibus excepta *a*; nunc autem omnibus consideratis *imbuebantur* adoptasse mallemus, quia errori *induebantur* vicinius videtur et S. Thomae non ignotum est: *sacramentis imbuimur* dicit in QQ. DD. *De Veritate* qu. xxvii. art. 3. ad 6, et *sacramentis imbuti* in Supplemento qu. lxxi. art. 5 (infra 154 a 40). Utra autem lectio autographi fuisse credatur, certum est scriptorem primi apographi errasse, nec minus constat variantes apud errorem originalem caput habere.

Art. 8. corp. η; Autographum: « Unde Didymus... Si quis ita *baptizare conetur* ut unum de praedictis nominibus praetermittat... sine perfectione baptizat.

Textus antiquus: *baptizare curetur*
Variantes: *baptizare curet*
baptizare curaverit
baptizare curatur
baptizetur
baptizetur curetur
baptizaretur
baptizare creditur.

Lectio autographi in duobus codicibus reassumpta est. Error primae transcriptionis perseverat in H et Oxoniensi et erat prima manu in Patavino.

Duobus insuper locis eiusdem Quaestionis error transcriptionis consistit in verborum ordine perverso; quis ordo in autographo fuerit nescio:

Art. 6. ad 1. η; Textus antiquus: « in sacramentis rebus *verba* visibilibus adduntur ».

Variantes: *verba* ante *rebus*, post *visibilibus*. Error penetravit in E, et primam manum Patavini.

Art. 7. ad 3. ε; Textus antiquus: « Ille qui profert verba *corrupte* sacramentalia ».

Variantes: *corrupte* ante *profert*, post *sacramentalia*, denique *corrupta*, quod certe falsum est et tamen praeterquam in GH*bc* invenitur in Oxoniensi et Brixiensi.

In eadem Quaestione aliae erroneae lectiones a prima autographi transcriptione in tota paene traditione permanserunt: art. 1. δ *sacrum* pro *sacramentum*; art. 2. δ *ea* (quod referret *Quaedam*) pro *eam* (nempe sanctitatem Christi); art. 5. δ et η *determinate* pro *determinare*; ibid. θ *sanctificandum* pro *significandum*; art. 6. ε *principatus* pro *principatum*; art. 8. β *virtutem* pro *veritatem*, ζ θ *virtus* pro *veritas* (medio corp. art., tertia linea ante θ, omnes praeter *b* legunt bene *veritatem*).

Sequentes errores in multis codicibus, etiam ex coetu eorum qui textui antiquo fideles esse solent, verae lectioni locum cesserunt: art. 3. γ *et rememoratio* pro *rememorativum*; art. 5. μ *consulendum* pro *colendum*; art. 6. ad 3. (notavimus infra in Elencho Errorum pag. viii) *quod* pro *quod sicut*; art. 7. arg. 3. *corpus* pro *corruptio*; art. 8. corp. *unum* pro *utrum*.

Omnium maxime e traditione disparuit crassus error art. 2. ad 2. *adventus testium* codicum ABC, pro *ad vetus testamentum*; I legit *adūnt*ᵒ in fine lineae et *ptestm̄* in principio sequentis, idest *adventus ptestamentum*, sed *p* expungitur. Tota ni fallor cetera traditio legit cum autographo, et tamen ob antiquitatem testimonii, quam signatura « ABC » habitualiter secum fert, libenter credimus errorem ita signatum iam apud distractum scriptorem primi apographi incoepisse. Quod in textu I, correctionis amantissimi, inverosimilis error ille perdurat, non est hic unicus locus ubi I nativitatem suam ex patre codicum ABC certis documentis prodidit. Idem vero phaenomenon, praesentiam dico aliquorum errorum antiqui textus, in omnibus mediis et recentibus codicibus observavimus.

Sicut in hac Quaestione oratio S. Thomae falsis ideoque ab eo alienis locutionibus interrumpitur, quae multam crisin provocarunt, ita in omnibus Quaestionibus Tertiae Partis, immo in singulis Articulis, peregrinae dictiones et melius dicendi tentamina obveniunt. Et sicut in hac Quaestione pro erroribus antiqui textus vera autographi verba, vel quae ibi fuisse saltem videntur, fere semper ex aliquo codice, saepe etiam ex multis codicibus haurire licuit, nullus tamen codex, nulla codicum combinatio erroribus veras lectiones constanter opponebat, ita per totum opus lectiones autographi erroribus obiiciendae in nulla parte traditionis fixam sedem habent. Tandem, sicut in hac Quaestione ab aliquo errore antiqui textus nullus codex purus est, ita alibi omnes sua quisque vice antiqua vulnera ostendunt. Traditio igitur Tertiae Partis non ex sobole duarum vel plurium transcriptionum autographi, sed ex una transcriptione immediata, et ex huius correctionibus inaequaliter applicatis et propagatis, tota consurgit.

Ad nᵐ 9. – Sequentes lectiones antiqui textus per dittographiam erroneas esse, facile credo sibi persuadebunt qui verba in scriptura codicum imaginatione rescribere possunt:

lxviii. 3. α *papa propter* pro *papa*; ibid. 5. β *glossa gratia* pro *gratia*; ibid. 12. δ *ante n*ativitatem pro *a n*ativitate (*an̄ n–* pro *a n–*); lxxv. 7. κ *enim re*completur pro ·*n*· completur; lxxvi. 4. δ sol*a autem* pro sol*a*; lxxvii. 4. α *post host*ias pro *host*ias; lxxx. 5. α ibid*em est* pro ibid*ē*; lxxxii. 5. ε *ideo non* pro *non*; lxxxiii. 3. ρ *de de*dicatione pro *de*dicatione; ibid. 6. η alteri*us con*secrationem pro alteri *con*secrationem (ϙ bis pro semel); lxxxiv. introd. (Quarto utrum) *in ipso* pro *impositio* (*in ip̄o* pro *inpō*); ibid. 5. arg. 2. *per poenitentiam* pro *per misericordiam* (*p* p̄niam pro *p* m̄iam); lxxxviii. 1. γ *nec non* pro *non*.

A contrario vitio sive ab haplographia laesae videntur sequentes:

lxiv. 5. α *enim* pro *enim novae* (·*n*·*no*·); ibid. arg. 2., et alibi saepe, *I*o(annis) pro *I. I*; lxix. 3. β *in*nata pro *et in*nata; lxxi. 1. β *potest* pro *potest puer*; lxxiv. 4. ζ Registr*o* pro Registr*o ro*(mana; cf. lxxx. 8. ζ *sero* pro *secundum romanos*); lxxv. 4. arg. 2. init. *m*ateria pro *in m*ateria; lxxxii. 5. ad 2 *papa* mittit pro *papa prae*mittit.

Ad nᵐ 10. — Casus scriptoris post errorem se corrigentis obtinet qu. lxxxiv. art. 1. corp. γ: « (in confessione) peccator poenitens per ea quae agit et dicit *circa poenitentem* significat cor suum a peccato recessisse; similiter etiam sacerdos per ea quae agit et dicit circa poenitentem significat opus Dei remittentis peccatum ». Quasi scriptori assistas clarum tibi est quid ei accidat: scripto *per ea quae agit et dicit* primo loco, omittit homoteleuton *significat... per ea quae agit et dicit,* pergit transcribendo verba *circa poenitentem,* et statim advertit se aliqua verba praeteriisse; resumit ea, sed verba redundantia *circa poenitentem* punctis delere obliviscitur.

Ad nᵒˢ 11. et 12. — A sequentibus lectionibus textus antiqui deduci posse videtur, quod scriptor primi apographi interdum se ipse correxerit, aut correctus sit.

lxxxii. 1. ad 1. γ: « in potestate tradita sacerdoti in sua *consecratione vel ordinatione* ». Ita et nos; sed suspicamur legendum esse *ordinatione* solum, cum codice I, quia *vel ordinatione* hoc loco prae se fert speciem correctionis,

ac si pro *ordinatione* prius inconsiderate scriptum esset *consecratione.* Sed huic loco non insistimus: quatuor lectiones nunc citandae indubium est quin errores sint et maneant, etiam si nostrae speculationes circa earum nativitatem non probabiles alicui videantur.

LXXIV. 7. γ: « Ad tertium dicendum *quod* admixtio aquae ad vinum non est de necessitate sacramenti; non *enim* refert quantum ad necessitatem sacramenti quaecumque aqua admisceatur vino, sive naturalis sive artificialis ». Particula *enim* ad rem non est: requireretur potius *ergo*; nulla vero hoc loco opus est, si legatur *quod quia... non refert.* Copula *enim* intrusa est, sed qui intrudit non erravit in hoc quod credidit S. Thomam orationem suam semper particulis ligare et continere.

LXXIX. 4. corp. γ: « Nutrimentum autem cibi necessarium est corpori ad restaurandum id quod quotidie deperditur *ex caloris naturalis concupiscentia.* Spiritualiter autem quotidie in nobis aliquid deperditur ex calore concupiscentiae per peccata venialia ». Lectio non bona est: nusquam S. Thomas calori physico imponit concupiscentiam, quae semper ad rem moralem pertinet. Credimus scriptorem primi apographi omisisse homoteleuton *Spiritualiter ... ex calore* et se correxisse postquam scripserat *concupiscentiae,* ita ut resultaret lectio « ... deperditur *ex calore concupiscentiae* Spiritualiter autem » etc.; quod deinceps falsa correctione mutatum fuerit in *ex caloris naturalis concupiscentia.*

LXXXIV. 4. arg. 3. α. Obiiciens studet probare sacerdotem in confessione poenitenti absolvendo manus imponere debere; argumentum huius in textu antiquo sic audit: « Verba sacerdotis in hoc sacramento non sunt maioris efficaciae quam in aliis sacramentis. *Non enim* sufficiunt verba ministri nisi aliquem actum exerceret; sicut in baptismo simul cum hoc quod dicit sacerdos Ego te baptizo, requiritur corporalis ablutio. Ergo » etc. Supposito quod inter *sacramentis* et *Non* scriptor primi apographi omiserit homoteleuton *Sed in aliis sacramentis* vel simile, absurdum istud *enim* malae correctioni attribuatur. Hic iam quartus locus est ubi copula *enim* correctionis gratia male adhibetur: cf. locum penultimum et II. 2. η, XVI. 1. θ.

Ibid. 10. corp. η: « Caritas semel habita propter libertatem arbitrii potest amitti *et per consequens peccatum et per consequens post* veram poenitentiam potest aliquis peccare mortaliter ». Videas quam spontanee ad verba *Caritas ... potest amitti* apud scriptorem nasci potuerit idea « per peccatum », quam pronus ergo fuerit pro *post* scribere *peccatum.* Quo dato, erronea lectio constitui videtur falsa transcriptione eiusque abundanti simul ac insufficienti correctione: scripto et non expuncto *et per consequens peccatum,* rescribitur *et per consequens post.*

Ad n[m] 35. — Character horum quatuor errorum minus clare expressus est, quam ut cui speciei proprie appertineant manifestum esset. Adsunt et aliae lectiones in textu antiquo certe erroneae, quae qua via erroneae factae sint nec a se nec contextu adhibito ostendunt. Inde earum correctio dubia fit et insecura, etiam praeter et super incertitudinem quam omnis coniectura secum fert. Si inter codices superstites aliqui inventi essent qui a patre codicum antiqui textus non dependerent, sed ex alia transcriptione autographi pervenirent, statim et illico pro erroribus antiqui textus authenticae lectiones praesto fuissent, sicut vice versa errores illius secundi transcriptoris (nam omnis scriptor errat, et ille secundus autographi interpretator peius forte errasset quam noster) per bonas lectiones textus antiqui facilem correctionem habuissent. Sed traditio non suppeditat alium testem ocularem autographi praeter scriptorem primi exemplaris textus antiqui. Non mirum si correctionem tentanti interdum aqua haereat. Duo exempla diversa citamus:

LX. 7. ad 3. κ. « Quod autem dictum est de differentia corruptionis circa principium vel finem dictionis (agitur de corruptione formae sacramentorum) rationem habet: quia apud nos variatio dictionis ex parte principii mutat significationem, variatio autem ex fine dictionis ut plurimum *mutat significationem,* quae tamen apud graecos variatur etiam secundum principium dictionis in declinatione verborum ». Haec falsa lectio textus antiqui (qui hoc loco etiam testimonio codicum F et H gaudet; E et vetus Cordubensis lacunam habent) tribus modis correcta invenitur. Primo, *non mutat significationem* (ita editio *a* et omnes editiones post saec. XVI), bene hucusque; sed statim quaestio oritur, quo sensu declinatio verborum apud graecos significationem mutare dicatur: per declinationem vel coniugationem τύπτω τέτυφα, *caedo cecidi,* significatio apud latinos eodem modo quo apud graecos mutata et non mutata esse videtur. Alia correctio: *mutat consignificationem* (ita GI, Oxoniensis Patavinus Brixiensis Ambrosianus et editiones saec. XVI), inspirata fuit et valorem habet a loco Commentarii in IV. Sent., quem margine citamus, ubi dicitur: « ex parte finis mutatio variat consignificationem, non autem significationem, ut grammatici dicunt, sed mutatio ex parte principii variat significationem ». Manet tamen nobis dubium quare S. Thomas scripsisset « *ut plurimum* mutat consignificationem », et quare, dum de mutatione consignificationis in declinatione verborum expresse sermonem instituit, graecorum tantum reduplicationem respiciat, et eam omnino taceat quam latini norunt in verbis usus frequentissimi. Haec tamen lectio re denuo considerata probabilior nobis apparet. Melius tamen fuisset nobis, testimonio alterius testis autographi frui potuisse. – Editiones saec. XV legunt: *non mutat consignificationem;* antiqui vulneris cicatrix est.

Aliud exemplum praebet differens lectio formae baptismi apud graecos, cuius primum verbum est (et ut videtur semper fuit) Βαπτίζεται, *Baptizatur,* modo indicativo. Tribus locis citatur: LX. 8. S. C. δ, LXVI. 5. ad 1. ι, LXVII. 6. corp. δ. Secundum textum antiquum S. Thomas primo et tertio loco scripsisset *Baptizatur,* medio vero *Baptizetur.* Contextus ansam non dat qua verum autographi verbum teneremus; in traditione extra codices antiqui textus invenimus tribus locis *Baptizatur* in GI, *Baptizetur* autem in editionibus a saeculo XVI, ceteroquin omnes quae fieri possent combinationes. (Secundo loco *Baptizatur* habent EFHIpG et *bc,* sed primo loco *Baptizetur* FH*bc*; ita et E a correctore coaevo; prima manu lacunam). Latini scriptores ante et post S. Thomam (Halensis, Albertus, Estius, Toletus) vulgo dicunt actum baptismi apud graecos non significari modo indicativo, sed « sub alio modo, scilicet subiunctivo vel optativo, ad significandum quod actus interior expectatur ab extra », ut ipse dicit Comm. in IV. Sent. dist. III. art. 2. qu[la] 2. ad 1. Fidenter tamen crederemus S. Thomam postea rem melius doctum fuisse, si scriptor primi apographi tribus locis scripsisset *Baptizatur*; sed quia fluctuat, testimonium eius pro neutra lectione sat fidum evadit, et quia insuper, ut iam diximus, auxilio contextus destituimur, nullo criterio scimus utra lectio sit genuina, ideoque nos textum antiquum adoptavimus immutatum.

Ad n[m] 36. — Pro textus antiqui erroribus lectionem veram vel sufficienter bonam fere ubique ex libris nostris mutuari potuimus. Cum nullo codice aut editione legimus his locis: LX. 1. η; LXIV. 6. δ; LXVI. 5. δ, ν; 11. δ (*quod ex baptismo* legimus pro *quod baptizato* antiqui textus; praepositio *ex* omissa fuerit per haplographiam: ductus signi *quod* et verbi *ex* similes sunt); LXIX. 1. γ (*originalis* pro *originalium*); LXXIII. 4. δ; LXXIV. 1. α; LXXV. 1. ι; LXXVI. 2. κ; 6. ζ (*sacrosanctum* pro *sacramentum*); LXXVII. 5. δ (*et* pro *vel*); LXXX. 3. ε; LXXXIII. 4. μ (locus reconstructu difficilis, quamvis sensus evidens est); 6. θ; LXXXIV. 6. β; LXXXVI. 1. δ; LXXXVIII. 1. γ, κ (*induit* pro *inducit* totus locus notabilis); LXXXIX. 2. μ.

Ad n[m] 39. — Circa verba ex S. Scriptura adducta in his ultimis Quaestionibus Tertiae Partis idem observavimus quod in prioribus, idest observavimus ad citationem alicuius loci S. Scripturae interdum alterius loci verba dari. Exempli gratia: LXX. 2. arg. 4 et LXXII. 10. ad 3: « In Christo Iesu non est masculus neque femina, ut dicitur Col. III »;

haec autem pertinent alibi, nempe Gal. III (v. 28), ideoque credi posset scriptor primi apographi erronee scripsisse *Col.* pro *Gal.* Tamen conferenti verba Col. III (v. 11.): « ubi non est gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus », lectionem *Col.* authenticam esse patet, et ipsum S. Thomam pro textu quem citatio indicat parallelum scripsisse. Idem saepius obtinet: LXXIV. 5. corp. citatur « Luc. XXII » (v. 18) pro textu Matth. XXVI (v. 29); LXXVI. 2. ad 2. « Exodi XII » (v. 46) pro Ioan. XIX (v. 36); LXXVIII. 3. ad 3. « Exodi XXIV » (vv. 7. 8) pro Hebr. IX (vv. 19. 20). Notabilis est citatio « Matth. XXVI », quae non semel intelligendum est quasi « in institutione Sacramenti »; cf. LXXIII. 5. arg. 3 (α), ubi cum ista citatione allegantur verba Lucae « Hoc facite in meam commemorationem ».

Ad n^{m} 40. — Difficile crederemus non S. Thomam ipsum sed scriptorem primi apographi LXXV. 1. arg. 4 (ζ) *centurio* scripsisse pro *regulus.* Contextus sine ullo dubio indicat regulum, Ioan. IV. 46 seqq., qui « quaerebat corporalem Christi praesentiam », non centurionem, qui eam non quaerebat: « dic tantum verbo ». Modo non absimili S. Augustinus In Ioan. tract. CXIII (Migne 35. 1935) Barnabam pro Sila inducit: « quod (cantare et psallere) Paulus et *Barnabas* etiam in vinculis durissimis facere potuerunt »; cf. Act. XVI. 19–25. Nos legimus *regulus,* intentioni S. Thomae magis quam fortuitae scripturae obedientes.

Postquam Tertiae Partis traditionem sat integre ad examen vocavimus, laetantes confitemur doctrinam sancti Auctoris sub lectionum varietate illibatam conservatam esse. Examini variantium a parte materialis originis eo abundantius tempus dedicare potuimus, quo rarius de mente S. Thomae dubitandum et deliberandum erat. Qui autem fieri potuit, ut autographum Tertiae Partis (et Secundae Secundae, et fortasse omnium Partium Summae) per tramitem unius solius immediatae transcriptionis in publicum ederetur? Ad hoc explicandum conducent forte quaedam considerationes, in Praefatione Supplementi quod huic Volumini iungimus, circa methodum publicandi et multiplicandi libros, qua aetas S. Thomae utebatur.

ELENCHUS ERRORUM ANTIQUI TEXTUS TACITE CORRECTORUM

QUAESTIO LX.

art. 2. ad 2. init. quaedam *ad vetus testamentum* pertinentia – *adventus testium* ABpC, *adventus ptestm̄* (*p* expungitur) I.
art. 4. corp. ult. *Caelestis* Hier. – *Eccl.* ACDEGHI*bc.*
art. 6. ad 2. ante med. Quae perfectius *est* in verbis – om. ABCD.
ad 3. init. *sicut* Augustinus – om. ABCDEG*a.*
art. 7. Praeterea, *corruptio* – *corpus* ABCDF.
art. 8. corp. a princ. oportet considerare *utrum* per talem – *unum* ABCD.

QUAESTIO LXI.

art. 1. corp. med. animus applicari non *posset* – *possit* ABCD.
art. 3. arg. 1. fin. non *praecedit* causam – *impedit* ABD; abrasa pC.
ad 3. ult. *esse* ante et post *sacramenti eiusdem* habent ACDpG. altero loco solo H et editiones, ibi *esse* hic *et* F.
art. 4. ad 1. fin. signa *in* spiritualia – *etiam in* ABCDpG et *a, et* H; totum om. I.

QUAESTIO LXII.

art. 1. corp. init. per aliquem modum *gratiam causare* – *gratiae causari* ABC.
ult. Unde et *Tit. III* – *Tim.* ABCDpGH et *a.*
ad 1. fin. inquantum *ordinantur* – *ordinatur* ABC*a*; *inquantum... sacrum* om. GH.
art. 3. arg. 1. fin. esse *autem* in loco – om. ABCDHpG et *a b* (E deficit).
ad 2. non *ut* eodem modo – post *modo* BD, utroque loco AC (E deficit).
art. 4. arg. 2. med. neque *enim* est inter – *etiam* omnes praeter PI (E deficit).
art. 5. corp. fin. copulatur per *susceptionem* sacramentorum – *successionem* ABC*a.*
art. 6. Praeterea, sanctificatio *non fit nisi* – *non fit* ABpC, *fit* D.
arg. 3. princ. *Idem* salutiferae – *Idemque* ABCDE*a.*
ad 3. princ. Quidam *enim* – *autem* ABCDE*a.*

QUAESTIO LXIII.

art. 1. arg. 1. dicitur enim *II ad Tim. II* – *II ad Cor. IIII b, II ad Cor. III* ceteri praeter P et praeter I qui *ad Cor. XV* legit. Scriptor codicis I regulariter, ideoque intentionaliter, numeros epistolarum Apost. Ioan., librorum Reg. Paralip., etc. omittit.
S. C. pignus *Spiritus* in cordibus – *speciem* ACpB, *spem* D.
art. 2. corp. fin. quod est *quiddam* fluens – *quidam* ABCEpG.
art. 3. arg. 1. Nolite *contristare* Spiritum – *contristari* ABCFGH*bc*; pE om. *non... sacramentalis.*
corp. princ. *charactere* insignitur – *character* ABC.
charactere insigniuntur – *characterem* ABC.
art. 5. arg. 3. med. Cultus autem exterior ad *quem* – *quam* ABCDE.
ad 3. ult. qui *vicerunt* – *vincerunt* ABCDEH*b.*
art. 6. corp. princ. Non autem omnia sacramenta *ordinantur* – *ordinant* ABCD.
ante med. Pertinet autem aliquod *sacramentum* – *sacrificium* BCEFpD et *a.*

QUAESTIO LXIV.

art. 1. arg. 1. fin. Ergo videtur *quod* non solus – *quod etiam* ABCD.
ad 2. ult. sed impetrat *operandum* – *et* (*etiam* B) *operandum* ABCD, *ad operandum* ed. *a*; I legit *sed operatur impetrandum.*
art. 2. arg. 2. *Illiciuntur* daemones – *Alliciuntur* BCD*a.*
art. 3. corp. post princ. passio Christi quae competit *ei* – *eis* ACpBE.
art. 4. arg. 2. princ. Prorsus *maius* hoc – *magis* ABCEGHI*bc.*
corp. princ. creaturae potuit *communicari* – *communicare* ABCEHpG et *b.*
art. 5. arg. 2. secundum illud *I* Ioan. IV – om. ABCDEHIpF et *a.*
ad 2. med. *dummodo* sit coniunctum – *dum non* ACpBG, *dum tamen* sB.
art. 6. ad 1. fin. ut congruat suo *ministerio* – *ministro* ABCDHpG et *a.*
art. 8. S. C. sunt *casualia* – *carnalia* ABCD.

QUAESTIO LXV.

art. 1. ad 3. ante med. Actiones autem sunt *purgatio, illuminatio* – *illuminatio et* (*et* om. *a*) *purgatio* BCE*a.*

QUAESTIO LXVI.

art. 1. corp. a princ. Quidam *ergo* existimaverunt – *autem* BCE*a, vero* I.
post med. fluens in *hominem* – *homine* ABCDEF.
fin. character baptismalis *qui* est res – *quae* BCEI*a.*
art. 3. arg. 1. fin. praesertim *cum* Ioannes – *est cum* ABC.
art. 4. Praeterea, *lixivium* – *lexivium* omnes praeter P*a.* Mox *lexivio* et *lexivium* et in Solutione *lexivio* omnes praeter PI*a.* Ad 2. tamen *lexatorum* soli CG.
art. 5. corp. med. Est *autem* eius duplex – *enim* omnes praeter PI.
art. 6. arg. 3. princ. *Bulgarorum* – *vulgarorum* ABCEGHI, *fulgarorum* D, *fulganorum* ed. *a, bulgatorum b, vulgatorum c.* Qu. LXVII. 5. (δ) *Vulgarorum* GHI.
art. 7. arg. 3. init. corporis *posset* fieri – *possit* ABCDE, *potest* ed. *a.*
art. 8. S. C. princ. *Reprehensibile* – *Reprehensibilem* ABCH.

QUAESTIO LXVII.

art. 1. arg. 2. init. *Eccl.* Hier. – *Cael.* omnes praeter P.
S. C. in Decretis *lxxxxiij d.* – *lxxxix d. iij* omnes praeter Pc.
corp. post med. et aliorum *assistere* et ministrare – *existere* ABCDF.
art. 4. ad 1. fin. *sed* tamen – *si* ABCE; *sed... baptizare* om. D.
ad 3. med. extra *casum* necessitatis – *causam* ABCDE.
art. 5. corp. post med. baptizare *potest.* Ut sic duo – *possit* ABCD.
et postea *baptizaretur* ab eodem – *baptizetur* ABCE

art. 7. corp. med. curam populi *occupati* – *occupanti* ABCpDE.
art. 8. arg. 2. ult. Decretis xxx. qu. I. *cap.* Pervenit – om. omnes. *et* Dictum est – *ut* ABCDFH*abc* (E deficit).
S. C. ult. quos *visi estis* – *ubi estis* ABCIpD, *venistis* ed. *a*. (E deficit).
ad 1. init. *ubi* immineret – *nisi* BCHpG, ita potius AD. (E deficit).

Quaestio lxviii.

art. 2. ad 2. ante med. baptismi et in *martyrio* – *m̃rio* A, *matrimonio* CpB.
dicitur quod in *martyrio* – *matrimonio* ACpB.
art. 3. ad 3. post med. illud *I* Ioan. – om. ABCDEI*b*.
art. 9. corp. ult. *Ecclesiasticae* Hier. – *Cael.* omnes praeter P*a*.
art. 11. arg. 1. fin. *Quod* quidem fit – *quam* ACpB.
corp. ante med. ad filium in ventre *existentem* – *existente* ABCDEHpG.

Quaestio lxix.

art. 6. S. C. ante med. ad *illos* etiam pertinet – *alios* ABC, *hoc* F.
post med. per *gloriam* Patris – *gratiam* ABCDF*a*.
corp. med. non *pervenirent* ad vitam – *pervenerunt* ABCDHpG et *b*.
art. 7. Ad tertium dicendum quod *baptizatus* – *baptismus* ABCpD.
art. 8. corp. fin. *Non hoc* praestatur – *Nisi hoc* ABCD, *Hoc non* F, *si non* pG, *hec* H.
art. 9. S. C. dicitur *Sap. I.* – *quod sapientia idest* ABC*a*.

Quaestio lxx.

art. 4. ad 2. med. coeperant *adunari* ad cultum – *adiuvari* ABCF.
ad 3. med. Videtur *tamen* quod nulli – *enim* ABCDFHpG et *abc*, *etiam* E.

Quaestio lxxi.

art. 2. corp. princ. Diabolus *autem* hostis est – om. ABCDEF.
post med. praecludit *expulso* viam ne redire possit – *expulsio* ACHpBD, *expulsio (ne redire) b*, *expulsioê (redire) c*.
ad 3. ante med. *quae* sunt ab interiori – *qui* ABCD.
art. 3. S. C. quae *decepit* hominem – *decipit* omnes.
corp. ante fin. ad *percipienda* salutis mysteria – *percipiendam* ABCHpI et *b*, *percipiendum* E.
art. 4. ad 1. super immundos *ministri habent* – *ministrabunt* ACDpB et *a*.
ad 2. ult. *sed sicut* in his – *sicut* ABCD.

Quaestio lxxii.

art. 1. arg. 2. princ. dicit *I* Cor. – om. ABCDEF.
ad 1. princ. Quidam *enim* – *ar.* (idest *Aristoteles*) ABCpD. Cf. infra qu. lxxxix. art. 3. corp. med.
art. 2. ad 1. med. *quod* significat balsamum – *quid* ABCD.
art. 3. S. C. med. *cum* tradunt Paraclitum – *cura* ApBCD.
art. 4. arg. 1. med. Usus *enim* sacramentorum – om. ABCD.
art. 7. arg. 3. ult. non exhibetur nisi *baptizato* – *in baptizato* ABCD.

Quaestio lxxiii.

art. 1. ad 2. med. cum Spiritus Sanctus *susceperit* – *suscepit* ABCD*a*.
art. 5. corp. ante med. necesse erat ut *die* coenae – *dies* ABCDEFI.

Quaestio lxxiv.

art. 1. corp. princ. *Artotyritae* – *artoclinite* AEHI, (*arriani* expuncto) *artoclinite* B, *artocluute* CG, *artodonite* D, *arodomite* F, *artoclivite* ed. *a*, *arcodivite b*, *arcodinite c*.
terrae et *ovium* – *ôim* (idest *omnium*) ABC, *ôi* vel *di* pE.
Pepuziani – *percutiani* D, *pecuciá* E, *petutivû* F, *pethuciani* ed. *a*, *pecuciani* ceteri.
art. 2. ad 1. init. *materia* accipit determinatam – *materiam* ABC.
art. 3. arg. 1. med. consonum dominicae *passioni* – *passionis* ABC pGH; *Sed... passioni* om. D.
ad 4. med. quod *declarat* aliqualis – *declinat* ABC*a*. Cf. qu. lxxvii. art. 8. corp. med.
art. 5. ad 2. de vino *acescenti* – *acrescenti* CE, *accrescenti* A.
art. 6. corp. med. in passione sua *profluxisse* legitur – *profluisse* ABCpD.
art. 7. S. C. med. potest *simplicitati* eius – *simplici* ABCD.
art. 8. ad 2. excluderetur *significatio* – *signo* ACDpB.

Quaestio lxxv.

art. 1. S. C. init. *in VIII de Trin.* – *in libro de Trin. VIII* ABCDEFGH*bc*, *in libro VIII de Trin.* ed. *a*.
corp. a princ. Hebr. x. *Umbram* – *Umbra* ABCDE.
fin. *Berengarius* – *Belangarius* ABCF, *Beringarius* D, *Bêlegarius* pG, *Bêlégarius* sG, *Bellêgarius* H, *Bellãgarius* I, *Brelegarius b*, *Belengarius c*. – Qu. lxxvii. art. 7. arg. 3. *Belangarrii* A, *Belangarii* B, *Relangarii* I, *Belengarii* CEFGpD et *bc*, *Bellengarii* H. – Ibid. ad 3. *Belangarii* ABCEIpD, *Berangarii* sD, *Belengarii* FsG et *bc*, *Bellengarii* HsG. (*Berengarius* et utroque loco *Berengarii* P*a*).
art. 2. ad 2. Et *ideo* in sacramentis – *ideo sicut* ACpB.
art. 3. corp. a princ. in *quam* corpora mixta resolvi – *qua* omnes praeter PsG.
ante med. elementa in *quae* resoluta est – *qua* ABCDEFHpG et *b*.
ad 1. fin. ex quo *generatus est* ignis – *generatur est* CD, *generatur* BF.
art. 4. arg. 2. princ. incipit esse *in* materia – om. CDFGpAB; *de novo... convertitur* om. I.
art. 6. arg. 2. med. potentia vitam *habentis* – *habens* ABCD.
art. 7. corp. fin. non suscipit *magis* neque minus – *maius* ABC.
ad. 1. init. quaelibet duo *instantia* sit – *instantanea* ABCEpD.

Quaestio lxxvi.

(art. 1. ad 1. ante med. Unde in *Symbolo* Ephesino – ita omnes; an pro *Synodo?*).
art. 3. ad 1. ult. in *quot* partes dividitur – *quod* ABCDpE, vel forte sic orthographice, sicut scribuntur *relinquid, inquid veluđ*; cf. etiam qu. lxix. art. 8. γ.
art. 4. corp. ante med. Ex vi *enim* sacramenti – *autem* ABCDE*a*.
art. 8. corp. init. apparitio *qua* quandoque – *quae* ABD.
fin. ad *ostendendum* per hanc miraculosam – *ostendendam* ABCDEF.

Quaestio lxxvii.

art. 1. corp. fin. per quem *conservabatur* in esse – *conservabantur* ABCE.
sicut per *propriam* causam – *primam* ABCDEFHpG et *abc*.
art. 2. corp. post med. individuationis *principium* omnibus formis – *primum* ABC.
paulo inf. *iam* nec ipsa forma sic existens – *nam* ABCDpE.
art. 3. arg. 1. in VII *Metaphys.* – *Physic.* omnes.
art. 4. corp. med. Alio modo *poterant* corrumpi – *poterat* ABCDEFI.
art. 5. corp. princ. manifeste aliquid sensibile *eis* succedit – *ei* ABC DEHIpG.
art. 6. ad 1. post med. accipit *panem* secundo modo – *corpus panem* ABHpG.
art. 8. ad 1. princ. appositum *videntur* afficere – *videtur* ABCDEHpG et *b*.

Quaestio lxxviii.

art. 1. S. C. princ. nam *per* reliqua omnia – om. ABCDI*a*.
art. 3. arg. 7. med. et calicem *bibetis* – *biberitis* ABEF*a*, *bi.* D.
ad 1. init. Hic *est* calix – om. ACsB, *a* pB.
ad 3. med. sanguis testamenti *quod* mandavit – *quem* ABCDEGH*abc*.
art. 6. S. C. fin. *Ergo* verba – *haec* AC, *ergo haec* ed. *a*.
ad 1. med. et sanguis *ex* reali – *et ex* ABCD.

Quaestio lxxix.

art. 4. arg. 2. quod dicitur *I Ioan. I.* – *I Ioan.* ABCDEFGH*bc*, *Ioan. I.* I*a*.
art. 5. corp. versus fin. magis attenditur *affectus* – *effectus* ACDpBE.

Quaestio lxxx.

art. 1. ad 3. fin. adhibetur *sacramentalis* manducatio – *spiritualis* ABCDEFGH*bc*.
art. 6. S. C. non *prohibeat* – *prohibebat* omnes.
art. 7. arg. 2. ante med. liberorum *gratia utitur ille* profecto – *utitur ille* ADE, *utitur illo* CpB et *a*.
art. 8. ad 3. princ. apud *aliquos* observatam – *alios* ABCDE*a*.
art. 9. arg. 2. *energumini* – *ergumini* ABCD, *exguriû* E, *enûgimini* F, spat. vac. H, *emergumini* ed. *a*, *energimini b*. In Solutione *ergumini* ABCD, *argñi* E, *enûgumini* F. Supra tamen, qu. lxxi. art. 2. arg. 1. et ad 1. nullus non bene scripserat.
art. 10. ad 1. post med. Unde *Dominus* Luc. xi docet – *Dominus dicit* ABCD, *Dionysius dicit* E.
ad 2. fin. per modum cibi *qui* – *quae* ABCDE.

Quaestio lxxxi.

art. 1. S. C. *Heldibiam* – *iespiam* ABCDEF, *selbiam* vid. pG, *leibiam* sG, *lelsbiam* H, *gespiam* ed. *a*, *lestiam b*, *Lesbiam* Pc.
art. 2. S. C. *utrinque* immanius – *utrique* ABCDEpG et *bc*, *utique* F, *utroque* ed. *a*, *utriusque* H.
adiens – *audiens* ABCDEF*a*, *adiciês* (idest *adiiciens*) I.
ad 1. med. Iudas se separavit *non* autem – *ideo* ABCDE*a*, *nam* F.
ibid. fin. vinum in *regno* Dei bibit – *regnum* ABCDE.
art. 4. corp. fin. *conspui* – *et spui* ABC, *et spm̃* pD, *et conspui* sD, *et sôpni* E.

QUAESTIO LXXXII.

art. 1. ad 4. post med. aliorum quae *consecrantur* – *consecratur* ABCDEpF.
art. 2. S. C. *concelebrant* – *celebrant* ABDEpC. (In corp. art. *celebrant* EpI).
art. 5. S. C. minus *perficitur* sacerdote – *perficiatur* ABCEpD.
ad 2. init. Gelasius Papa *praemittit* – *mittit* ACDE, *omittit* pB.
art. 10. corp. princ. celebrare *pro* populo – om. omnes.

QUAESTIO LXXXIII.

art. 1. corp. princ. *Simplicianum* – *Simplicem* E, *Simplicium* ceteri.
ibid. fin. libro vitae *agni* – *et agni* ABCDE*a*, *agnus* pF.
art. 3. arg. 7. init. pretiosius est *inter* materias – *in* ABCE, *in (materia)* ed. *a*.
arg. 8. ante med. *mysteriorum* Dei – *ministrorum* A, *ministeriorum* BCDEFGI.
si *circa* dispensationem – *contra* ABCDEGH*abc*.
ad 1. princ. illud *I* Tim. – om. ABCDEI*a*.
med. fundanda *ideo* passio – *et ideo* ABCEpF et *a*.
ad 2. princ. *quam* Ecclesia consecuta est – *qua* ABCDE*a*.
post med. in locis ab *episcopo* consecratis – *episcopis* ACDEF GH*abc*.
ad 6. post med. quia *scilicet* lignum porosum est–*si* ABCDE, om. *a*.
art. 5. ad 3. parum post med. *Secundam* pro liberatione a morte – *Secunda* ABCDEGHI.
paulo inf. *Sanctificas vivificas* benedicis – *Sanctificans vivificans* ABCE.
ad 5. ult. *non* dispergatur – *ut non* ABCDE; vel est repetitio praecedentis *ut*.
ad 8. ult. significat *ceteros* – *tertios* ABCDEF*a*, *t'nos* I.
ad 9. ante med. participes *passionum* Christi – *passionem* ABCE, *passionis* DF*a*.
art. 6. ad 2. ult. incoeptam *desereret* – *deseret* ABCDEF.

QUAESTIO LXXXIV.

Introd. Quarto utrum *impositio* manus – *in ipso* ABDI.
Septimo de *institutione* eius – *instructione* ABC, *ministratione* E.
art. 1. corp. princ. quod *sancte* accipiendum est – *sane* ABCEFsG et *a*, *a sane* D.
art. 2. ad 3. ante med. principaliter *autem* quia ad deletionem – *enim* ABCDEFGH*abc*.
art. 3. corp. princ. Unde oportet quod *ea* – *per ea* ABCDE*a*.
ibid. fin. et *funibus* peccatorum suorum – *finibus* ADEpB.
art. 4. corp. ante med. sacramento confirmationis in *quo* – *quibus* ABCE; *confirmationis... in sacramento* om. D.
art. 5. arg. 1. med. unde metitur *pax* – *pars* ABCDEGH*bc*.
arg. 2. princ. Per *misericordiam* et fidem – *poenitentiam* ACDEFpB.
art. 6. corp. princ. baptismus *qui* est spiritualis generatio – *quae* ABC.
art. 7. arg. 1. princ. Ea *enim* quae sunt – Om. ABCDE.
ad 3. *incarcerationem* – *incarnationem* primo loco BDpACEG et *bc*, altero loco ABDEpCG et *bc*; in H ex margine rescisso remanent – *natõʒ* et *íc*.
art. 8. S. C. Si *vero* poenitentia – *ergo* ABCEF*a*; D om. haec tria verba.
art. 9. Praeterea *II* ad Cor. – om. ABCDEI, *I* FGH*abc*.
corp. post med. nunquam *aliquid* contrarium faciat – *aliud* ABCpG, om. F.
ad 2. ante med. nisi ex parte *obiecti* puta cum – *subiecti* ABCDEF.
ad 3. med. eius *superfluitas* est vitiosa – *superflui* ABCDE.
art. 10. arg. 3. princ. *sanationes* – *sanationem* omnes praeter P.
ibid. ult. *veniam* largiatur – *venia* ABCE*a*.
corp. post med. In quo quidem *errabant* – *errabat* ABCDE.
ad 5. ante med. Statutum est *autem* hominibus – *enim* ABCDEF.

QUAESTIO LXXXV.

art. 1. S. C. princ. *quia* legislator – *quod* ACDEHIpBG et *a*.
art. 2. arg. 2. princ. habitus *distinguuntur* per actus – *distinguitur* ABCDEFI.
ad 1. post med. Si *ergo* in actu poenitentis – *vero* ABCDEGH*abc*.
art. 3. arg. 2. Luctum *unigeniti* – *unigenitum* ABCDEH.
ad 4. fin. Et secundum hoc *ad* iustitiam – *et ad* ABC.
art. 5. corp. princ. cooperantibus per *aliquos* actus – *alios* ABCDE.
paulo inf. Thren. *ult.* – *IIII* omnes praeter P.
art. 6. corp. ult. dictum est circa *ordinem* sacramentorum – *orationem* ABCpEG.

QUAESTIO LXXXVI.

art. 1. arg. 1. init. Dicit *enim* Apostolus – om. ABCDE.
art. 2. princ. cum *post* agnitionem – *primo* ABD.
post med. humilitatem *subire* non possit – *subvenire* ABsC et *a*; cf. solutionem.
ad 3. ante med. quae penitus *irremissibilis est* – *irremissibile* AC, *est irremissibile* BDF; E legit *quae penitẽs remissibile.*
art. 3. arg. 1. med. quod *exponens* – *exponit* AB*a*. Pro sequens *dicit*, *dixit* ABCDE, *dicens* ed. *a*.
arg. 5. med. et *sit ei offensus* – *sit ei fessus* ABDpC, *odiat* ed. *a*.
art. 4. arg. 1. med. ideo *enim* est aliquis – *non* AIpBsC.
S. C. fin. quod fuit in *poenam* – *poena* ABCDEF*a*.
ad 2. ult. *secundum* ex gratia et – *sed secundum* ABCDE.
art. 5. corp. med. cum hanc *contingat* esse – *contingit* ABCDEF.

QUAESTIO LXXXVII.

art. 3. corp. med. novae legis in quibus *confertur* – *offertur* ABCE.
ad 3. med. quia *sic* qui esset – *sicut* ABCDpE.

QUAESTIO LXXXVIII.

art. 1. arg. 2. med. *extinctam* credebamus – *extincta* ABCE.
arg. 4. init. per gratiam *teguntur* – *reguntur* ABCIpE.
corp. a princ. *Unde* manifestum est – *Ergo unde* CpE (et veteres Escorialis et Cordubensis).
art. 2. S. C. fin. specialiter *peccata* dimissa – *propter peccata* ACpE.
ad 3. ult. praestatur totaliter *indigno* – *indigne* ACDEpB.
art. 4. arg. 1. *ut* patet per Philosophum – *quia ut* ABCE.

QUAESTIO LXXXIX.

art. 2. arg. 1. med. *devient* et exorbitent – *derivent* ACF, *dirivent* BE.
Deus *faciat* eis – *faciet* ABCDE.
corp. ante med. recipere *magis* et minus – *maius* ABCEFGH*b*.
art. 3. arg. 2. med. apud *Nicaeam* – *Nicenam* vel *Vicenam* omnes praeter P.
excludunt – *excluduntur* ABCDEF*a*.
corp. med. *At contra* hi qui – *ar.* (idest *Aristoteles*) *contra* ABCDE, *Et contra c, argumentum contrarium* ed. *a*. Cf. supra qu. LXXII, art. 1. ad 1.
emendantur – *emundantur* ABCDE*c*, *·n· dantur* I.
post med. Quod si irrepserit *deiiciatur* – *detineatur* ABCDEGH*a*.
ad 2. fin. *ut* credo – *nec* ACDpBE.
art. 4. Respondeo dicendum quod res *viva* – *mira* ABpCE.
art. 5. corp. fin. inquantum per *eam* remittuntur peccata – *ea* ABCDE.
art. 6. corp. fin. comparationem *ad principium* a quo – *a principio* ABCDE*a*.
iterum *eadem* numero – *eandem* ABCEpF.

QUAESTIO XC.

art. 3. ad 1. ult. in his tribus *perficitur* – *perficiuntur* ABCE*a*.
ad 2. init. pars integralis *potest* continere totum – *non potest* ABCI.
ad 3. princ. Sed *quaedam* habent ordinem – *quae* ABCDEF.
fin. ordinem virtutis *et* temporis – om. BC.

ERRATA IN TEXTU ET IN NOTIS CORRIGE

In Qu. LX. quatuor locis aliter quam legimus legisse mallemus: art. 1. corp. princ. pro *denominari* quod PI soli habent, *nominari*; art. 8. corp. (θ) *sacramenti* in textum ponendum est; porro, ut iam diximus, art. 6. ad 3. (ι) *imbuebantur* pro *utebantur* et art. 7. ad 3. (x) *mutat consignificationem* pro *non mutat significationem*.

In notis corrigenda sunt (praesertim ob mutationes modo dictas):
LX. 1. δ PIsG – PFIsG.

6. notam ι lege: *qui illis sacramentis imbuebantur.* – *qui solis sacris induebantur* ABCpE et *a*, *sacris induebantur* D, *qui solum sacramentis imbuebantur* F, *qui solis sacris imbuebantur* I, *qui solis sacris utebantur* sE, *qui illis sacris utebantur* pH, *qui illis sacramentis utebantur* GsH et editiones.

7. notam x lege: *mutat consignificationem.* – PGI; *non mutat consignificationem bc*, *non mutat significationem* ed. *a*, *mutat significationem* ceteri.

8. notam θ lege: *sacramenti.* – Om. Pc (sic, non PI).
LXVI. 5. ι DFHsG – EFHpG
LXVIII. 5. β *gloria* tribus locis – *gratia.*
LXXXIX. 3. ε tertia. – tertia,
5. δ P, – P;

CITATIONES IN TRACTATU DE SACRAMENTIS

In praecedentis voluminis Praefatione diximus, S. Thomam, quando Glossam in Psalmos et in Epistolas Paulinas citat, Petri Lombardi Commentario in Psalmos, eiusque Collectaneis in D. Pauli Epistolas uti. Ad confirmandum quae ibi scripsimus, inspicere iuvat citationes nostras in tractatu de Sacramentis; inter alias, qu. LXIX, art. 3, in corp. et ad 1; ibid., art. 4, ad 2; qu. LXXX, art. 5, arg. 1.

Quandoque etiam ex Gratiano D. Thomas citationes excerpit. Exempla quaedam subiicimus.

Qu. LXIX, art. 5, arg. *Sed contra:* « Augustinus dicit, in libro *de Baptismo Parvulorum: ad hoc valet baptismus ut baptizati Christo incorporentur* ». Augustinus sic habet: *Ad hanc* (sc. Christi dispensationem) *pertinet baptismus..... ut incorporentur illi membra eius.* Canon *Ad hoc baptismus* (143), *de Consecr.* dist. II: *Ad hoc baptismus valet ut baptizati Christo incorporentur.*

Qu. LXXII, art. 3, in corp.: « Unde Chrysostomus dicit, quod *nunquam aquae baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu Dominici corporis sanctificatae fuissent* ». Habetur can. (10) *Nunquam aquae, de Consecr.* dist. IV, ubi Chrysostomo adscribitur. Est autem Chromatii *in Matth.* cap. III, vers. 15.

Qu. LXXX, art. 3, arg. 1: « Dicit enim Augustinus, in lib. *de Remedio Poenitentiae: Ut quid paras dentem et ventrem? Crede, et manducasti: credere enim in eum, hoc est panem vivum manducare* ». Ad verbum invenitur in can. (47) *Ut quid paras, de Consecr.* dist. II, sub titulo *Augustinus de Remedio Poenitentiae.* Prima pars, sc. *Ut quid paras..... manducasti*, est ex tract. XXV *in Ioan. Evang.:* altera ex tract. XXVI desumitur.

Editione Piana, Romae 1570, *Sententiarum* Lombardi in hoc sicut in praecedenti volumine usi sumus. *Decreti Gratiani* editionem Friedberg, Lipsiae 1889, adhibuimus; Alexandri Halensis autem illam quae Venetiis prodiit, an. 1575.

Reliquum est ut declaremus quae de citationibus quibusdam D. Thomae et Caietani observanda censuimus.

Qu. LXII, art. 1, in corp.: « Quidam tamen dicunt quod (sacramenta) non sunt causa gratiae aliquid operando, sed quia Deus, sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur ».

In margine notavimus: Cf. Guillelm. Paris., *de Sacram. Baptism.*, cap. 1 (non cap. III, ut erronee indicavimus), ubi sic dicit: « *Si quis autem quaesierit utrum sanctificatio ex aqua fit* (in baptismo), *sciendum quod non, sed ex solo Deo datore, qui invocatus ad hoc, adest et assistit, et operatur intus ad similitudinem et proportionem eius quod aqua habet operari exterius.... Et si ego ministerium adhibeam, illud est quod solum facio* ». Durandus, IV *Sent.*, dist. I, qu. IV, opinionem a S. Thomâ relatam *antiquam* nominat.

Ibid., ad 1: « Sicut communiter dicitur, (sacramenta Novae Legis) efficiunt quod figurant ».

Magister, IV *Sent.*, dist. IV, cap. I, loquitur de *illo verbo Augustini, Sacramenta in solis electis efficiunt quod figurant.* In Augustino tamen hoc non invenimus. Petrus Pictaviensis, V *Sent.*, dist. XIII: *In solis electis sacramenta efficiunt quod figurant, ut dicit auctoritas.* Halensis, *Summae* p. IV, qu. V, memb. 3, art. 5, § 3: *In Glossa multoties invenitur quod sacramenta illud efficiunt quod figurant.*

Ibid., art. 6, ad 3: « Alii dixerunt, quod per circumcisionem conferebatur gratia quantum ad effectus remotivos culpae, sed non quantum ad effectus positivos ». Est opinio Gulielmi Autissiodorensis, *Summ.* lib. IV, *de Circumcisione*, art. 2. Cf. not. seq.

Ibid., « Alii dicunt, quod circumcisio conferebat gratiam etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita aeterna, non tamen quantum ad hoc quod est reprimere concupiscentiam impellentem ad peccandum: quod et aliquando mihi visum est ». Fuit opinio Alexandri Halensis, *Summae* p. IV, memb. 7, art. 4, § 2;

cui assentit S. Bonaventura, IV *Sent.*, dist. I, p. II, art. 2, qu. 3; necnon B. Petrus Tarant., IV *Sent.*, dist. I, qu. III, art. 4. In margine per errorem indicavimus Gulielmum Autissiodorensem. Cf. not. praeced.

Qu. LXIII, art. 2, arg. 3: « A quibusdam character sic definitur: *Character est signum sanctum communionis fidei et sanctae ordinationis datum a hierarcha* ».

Halensis, *Summae* p. IV, qu. VIII, memb. I, art. I, § I, data eadem definitione excepto *accedenti* ante *datum*, ipsam Dionysio, *de Ecclesiastica Hierarchia*, adscribit. B. Petrus Tarant. dicit, quod *ex verbis Dionysii accipitur, lib. de Eccles. Hier.*, et ponit, *traditum a hierarcha accedenti.*

B. Albertus, IV *Sent.*, dist. VI, art. 4, *Dicunt autem quidam*, inquit, *B. Dionysium in Eccles. Hier. ita definire.... tamen in nulla Dionysii translatione invenitur haec definitio nec per verba nec per sensum:* et allata veteri Dionysii translatione loci quem allegant, dicit: *non sumo eam* (definitionem) *ut a Sancto, sed a Doctoribus approbatam.*

D. Thomas, IV *Sent.*, dist. IV, qu. I, art. 2, dicit, quod *illa definitio nusquam invenitur a Dionysio posita, sed potest accipi ex verbis eius supra* (art. praeced.) *inductis, et acciperetur adhuc convenientius si sic diceretur: Character est signum communionis potestatis divinorum et sacrae ordinationis fidelium, datum a divina beatitudine.* Locus Dionysii unde trahitur definitio, est Cap. II, part. III, § 4, *Eccles. Hierarchiae.*

Qu. LXV, art. 3, Comment. Caiet. num. II: « Usus autem postponendi (Eucharistiae sumptioni) extremam unctionem aliunde sumitur: de quo infra ». Nec in Commentariis sequentibus super Tertiam Partem, nec in quaestionibus quas ad commentaria complendum scripsit, de hoc usu tractat Caietanus.

Qu. LXVII, art. 7, arg. *Sed cont.:* « Dionysius dicit II cap. *Eccl. Hier.* » In margine pro part. II, § 7, legendum part. I, § 7.

Qu. LXXII, art. 6, ad I: « Virtus divina non est alligata sacramentis ». Ex Magistro, IV *Sent.*, dist. I, cap. *Sunt autem.*

Qu. LXXIII, art. 3, ad I: « Unde sicut ipse (Augustinus) dicit in Epistola *ad Bonifacium, Nulli est aliquatenus ambigendum* » etc. Non est Augustini, etsi ipsius nomine habeatur, *de Consecr.* dist. II, can. 36, dist. IV, can. 131, immo et a Mag. IV *Sent.*, dist. IX, et Auctore Comment. sub nomine Bedae, I *ad Cor.*, cap. X, vers. 16.

Qu. LXXIV, art. 4 in corp.: « Dicit enim B. Gregorius in Registro: *Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem. Sed ceterae Ecclesiae offerunt fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut et fermentum miscetur farinae* ». Idem, paucis immutatis, *Cat. Aur. in Matth.*, cap. XXVI, *g*, et Op. *Cont. Error. Graec.* Part. II, cap. XXII (Ed. Uccelli, Romae 1880). Praeter auctorem tractatus Contra Errores Graecorum, in margine citatum, id sub Gregorii Dialogi nomine habet Iosephus Methonensis Episcopus in sua *Expositione pro Sancta et Œcumenica Synodo Florentina*, cap. II, *de Azymo et Fermentato*, § VIII. Cf. De Rubeis, *Dissert. Critic.* XXXII, cap. V, num. V.

Qu. LXXV, art. 6 in corp.: « Quidam posuerunt quod, facta consecratione, non solum remanent accidentia panis, sed etiam forma substantialis eius ». De hac opinione tractat Alexander Halensis, *Summae*, p. IV, qu. X, memb. 5, art. 3, § 2: item, S. Bonaventura, IV *Sent.*, dist. XI, p. I, qu. 2; neuter tamen auctorem designat.

Qu. LXXVI, art. 3, arg. *Sed cont.:* « Augustinus dicit in quodam Sermone: *Singuli accipiunt Christum Dominum: et in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se praebet in singulis* ».

Haec Magister, IV *Sent.*, dist. XII, cap. *Sed quia*, Hieronymo attribuit. Can. *Singuli autem* (77), dist. II *de Consecr.*, eidem *in Serm. Dominicae V post Theophaniam.* Algerus, *De Sacram. Corp. et Sang. Dom.* lib. I, cap. XV, dicit: *Item Ambrosius, Dominica V post Epiphaniam:* « *Singuli accipiunt* etc. » Guitmundus, *De Verit. Corp. et Sang. Domini*, lib. I, citat praefationem in ritu Ambrosiano, *quae*, ut dicit, *per totum Latinum orbem inter Epiphaniam et Septuagesimam, in quadam die Dominica habetur.* Haec praefatio in *Sacramentario* S. Gregorii Magni invenitur pro Dom. V post Epiphaniam. Halensis, *Summae* p. IV, qu. X, memb. 7, art. 3, § 5, verba allata Damasceno adiudicat.

Ibid., in corp.: « Manifestum est quod Christus totus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente, et non solum cum frangitur, sicut quidam dicunt, ponentes exemplum de imagine quae apparet in speculo, quae una apparet in speculo integro, infracto autem speculo apparent singulae in singulis partibus ».

Guillelmus Autissiodorensis opinionem hic reiectam, exemplumque imaginis in speculo propugnat, *Summae* lib. IV, tract. *de Sacram. Eucharist.*, cap. *de Fractione Formae.* Ante ipsum alios idem sensisse scimus ex Innoc. III, qui *de S. Altaris Mysterio* lib. IV, cap. VIII, eos refellit.

S. Thomas, IV *Sent.*, dist. X, art. 3, quª 3: *Et ponunt exemplum de speculo,* inquit, *quia Augustinus dicit* etc.; ubi editores Piani in margine notant: *In quodam sermone de Verbis Evangelii.* Halensis, *Summae* p. IV, qu. X, memb. 7, art. 3, § 5, scribit: *Quidam dicentes, ut Augustinus dicit, quod sicut fracto speculo* etc. Et infra: *iuxta exemplum quod Augustinus ponit, ut dicunt.* Nec in *Serm. de Verb. Evang.*, nec alibi in Augustino hoc invenimus.

Qu LXXVII, art. I, in corp.: « Manifestum est etiam quod huiusmodi accidentia non sunt in substantia corporis et sanguinis Christi sicut in subiecto ».

Abaelardus, *Epitom. Theol. Christian.*, cap. XXIX: *De specie quoque illa,* inquit, *panis et vini, dubitatur cuius sit. Ad quod sane respondendum, quod ipsum corpus, propter horrorem assumendi, eas in se formas recipiat.* In margine per errorem scripsimus: *Cf. Mag., IV Sent., dist. XII, cap. Sed quia corpus.*

Ibid.: « Dicunt autem quidam quod (accidentia) sunt, sicut in subiecto, in aere circumstante »

Aliquos sic sensisse testatur Mag., IV *Sent.*, dist. XII, cap. *Sed quia corpus.* S. Bernardus, *Capitula haeresum Petri Abelardi,* cap. IX, improperat ipsi dixisse quod *verisimilius est quod sint in aere.* Guillelmus Abb. S. Theodorici, *Disput. advers. Abaelard., ad Gaufridum,* cap. IX: *Dicit etiam Magister Petrus* (sc. Abaelardus) *de sacramento Altaris...... accidentia prioris substantiae remanere in aere.*

Abaelardus, *Epitom. Theol. Christian.*, cap. XXIX: *Si enim nolumus dicere quod illius corporis* (sc. Christi) *sit haec forma* (sc. species sacramentalis), *possumus satis dicere quod in aere sit illa forma ad occultationem propter praedictam causam carnis et sanguinis reservata.*

Vide Gietl, *Die Sentenzen Rolands,* pag. 234, in not., ubi alios indicat accidentia in aere esse posse dicentes.

Ibid., art. 5, in corp.: « Et ideo alii dixerunt quod redit substantia panis et vini in ipsa corruptione specierum ».

Praeter adnotatos in margine, quosdam antiquos hanc sententiam tenuisse constat ex Rolando. Cf. Gietl. *Die Sentenzen Rolands,* pag. 235.

Ibid., art. 8, ad 4: « Quidam posuerunt, quod quantumcumque parva fiat extranei liquoris permixtio, substantia sanguinis Christi desinit esse sub toto ».

Halensis, *Summae* p. IV, qu. X, memb. 7, art. 2, § 3: *Potest dici sine praeiudicio melioris sententiae..... quod quocumque humido apposito et diviso secundum partes speciei continentis, non est ibi sacramentum.*

Qu. LXXVIII, art. I, ad I, opiniones varias circa modum quo Christus consecravit videre est apud Innoc. III, *De S. Altaris Mysterio,* lib. IV, cap. VI.

Ibid., art. 5, in corp.: « Et ideo alii dixerunt quod haec dictio *hoc* in hac locutione facit demonstrationem, non ad sensum, sed ad intellectum, ut sit sensus, *Hoc est corpus meum,* idest, *Significatum per hoc est corpus meum* ».

Halensis, *Summae* p. IV, qu. X, memb. 4, art. 2, § 3, dicit hanc orationem, *Hoc est corpus meum,* esse significativam et operativam: significativam ex prima sui institutione, operativam ex formae sacramentalis institutione. *Ratione ergo,* inquit, *qua est significativa* HOC *demonstrat signatum per signum; ratione qua est operativa insinuatur aliquid in aliud convertendum. Unde cum dicitur,* HOC EST CORPUS MEUM, *hic est intelligibilis demonstratio signati per signum convertendum in signatum.* — Vide B. Albertum, IV *Sent.*, dist. VIII, art. 6.

Ibid., art. 6, in corp.: « Quidam antiqui doctores dixerunt quod hae duae formae, scilicet consecrationis panis et vini, se invicem expectant in agendo; ita scilicet quod prima non perficit suum effectum antequam secunda proferatur ».

Innoc. III, lib. IV *de S. Altaris Mysterio,* cap. XXII, de hac opinione tractat, nihil determinando, nec eius defensores nominando. B. Albertus, IV *Sent.,* dist. VIII, art. 9, docet formas illas divisim explere effectus suos, et unam non exspectare aliam.

Qu. LXXX, art. 3, in corp.: « Circa hoc quidam antiqui erraverunt, dicentes quod corpus Christi nec etiam a peccatoribus sacramentaliter sumitur ». Contra hos invehit Guitmundus, *de Corp. et Sang. Christi verit. in Eucharistia,* lib. III.

Ibid., art. 5, arg. 2: « Hieronymus dicit in quadam epistola: 'Quid tibi cum feminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Dic, sacerdos; dic, clerice, qualiter cum eisdem labiis Filium Dei oscularis, quibus osculatus es filiam meretricis. O Iuda, osculo Filium hominis tradis!' ».

Prima pars, sc. *Quid tibi.... fabularis,* est ex Hieronymo, epist. XLII, *ad Oceanum.* Totum sub nomine Hieronymi invenies apud S. Thomam, IV *Sent.,* dist. IX, art. 3, qª 5, arg. 2: et apud Halensem, *Summae* p. IV, qu. XI, memb. 2, art. 2, § 2, quaest. conseq. ult. Thomas Hibernicus, *Flores Doctorum,* Lugduni 1678, ut ex *Bernardo in epistola: Quid tibi cum feminis qui ad altare cum Domino familiaris es? Qualiter eisdem labiis oscularis in altari Filium Virginis, quibus oscularis in lupanari filiam meretricis?* Innoc. III, *Serm. de Temp.* XII, etsi non ad verbum, sententialiter tamen idem habet: *Quidam,* inquit, *nocte filiam Veneris agitant in cubili; mane Filium Virginis offerunt in altari. Nocte Venerem amplexantur; mane Virginem venerantur.*

Ibid., art. 12, Comment. Caiet., qu. I, num. II: « Nestorius et Pelagius cum sequacibus adstruxerunt universaliter servandam communionem sub utraque specie, diversa tamen ratione moti etc. ». B. Ioannes de Ragusio Ord. Praed., in oratione habita in Concilio Basileensi (Mansi, XXIX, 768, 769), eadem dixerat de Nestorio et Pelagio.

Qu. LXXXI, art. 2, in fine corp.: « Et ideo dicendum est, quod Iudas cum aliis discipulis corpus Domini et sanguinem suscepit: ut dicit Dionysius, in lib. *Eccles. Hierarchiae* ».

En verba Dionysii huc spectantia, secundum antiquam Scoti Erigenae translationem: *Iuxta quod et symbolorum ipse conditor partitur sanctissime, non sancte ei et unimode sacra concaenantem, docens facile simul et deiformiter quomodo ipsa iuxta habitum vera in divina assumptio ad similitudinem eorum communionem ipsis advenientibus donat.* Cf. B. Albert. *Comment. in Dionys. de Eccles. Hierarch.,* cap. III, § 8, qui eodem sensu quo D. Thomas haec Dionysii verba interpretatur.

Qu. LXXXII, art. 10, in corp.: « Quidam dixerunt quod sacerdos potest omnino licite a consecratione abstinere, nisi teneatur, ex cura sibi commissa, celebrare pro populo, et sacramenta praebere ».

Alexander Halensis, *Summae* p. IV, qu. XI, memb. 2, art. 4, § 1, *de Cessatione ab actu manducandi:* « *Existimo,* inquit, *quod si quis sacerdos non habens curam animarum, nec officium, nec beneficium, propter quod haberet necesse celebrare, et ob reverentiam sacramenti et timorem suae indignitatis cessaret semper, nisi iniungeretur sibi contrarium a superiore, quod non peccaret mortaliter* ». S. Bonaventura, IV *Sent.,* dist. XII, p. II, art. 2, qu. I, ad 5: « *Dicendum, quod officium sacerdotale non imponitur, ut homo necessario exequatur, sed pro loco et tempore, ut sibi videbitur expedire; et ideo, si conscientia dictat, quod sit abstinendum ob sui indignitatem et reverentiam sacramenti, non peccat* ».

Qu. LXXXIII, art. 2, ad 2: « Quidam dicunt, quod per immissionem particulae corporis (Christi) in vinum, convertatur vinum in sanguinem ».

In margine indicavimus: *De Divin. Offic.* part. IX, cap. XVIII. — inter Opp. Alcuini. Addendum, quod S. Bernardus, Ep. LXIX, *ad Guidonem Abbat.,* dicit: *Deinde, quod comperta, sero licet, negligentia, vinum fudisti in calicem super hostiae sacratae particulam, laudamus, nec sub tanto articulo melius fieri potuisse putamus, arbitrantes liquorem, etsi non ex consecratione propria atque solemni in Sanguinem Christi mutatum, sacrum tamen fuisse ex contactu Coporis sacri.*

Qu. LXXXIV, post art. 2, Comment. Caiet. num. III. In margine, pro *de Verb. Dom.* legendum: *de Verb. Apost.*

Qu. LXXXVII, art. 1, Comment. Caiet., num. II: « iuxta illud Ezech., *In quacumque hora ingemuerit peccator* etc. ».

Nonnisi sententialiter in Ezechiele habetur; sc. cap. XXXIII, vers. 12: *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua:* Cf. vers. 14, 15 et cap. XVIII, vers. 21. Isaiae cap. XXX, vers. 15, versio Latina LXX Interp. (Cf. S. Hieron. *in Isaiam*): *Cum reversus ingemueris* (al. *cum reversus fueris et ingemueris*), *salvus eris.*

In libro *de Vera et falsa Poenit.*, inter Opp. Aug., cap. XVII, legimus: *Credo quod ille* (al. *quidem illi*), *qui dixit:* « *Quacumque hora peccator ingemuerit et conversus fuerit, vita vivet* ». Hugo a S. Vict., *Summ. Sentent.*, tr. VI, cap. XI, dicit: « *Iuxta quod alibi dictum:* '*Quoties ingemuerit homo, omnium iniquitatum eius non recordabor*' ». Item, *de Sacram.* lib. II, p. XIV, cap. V: *Ego Scripturam audio dicentem:* « *Quia in quacumque hora ingemuerit* » etc. Item, ibid., cap. VIII: *prophetico illo testimonio probare volunt quod dicitur:* « *Quacumque hora ingemuerit* » etc. Cf. Mag., IV *Sent.*, dist. XVII, cap. *Hic oritur;* Gratian., dist. XX, can. *Sciendum est;* item, Append. ad can. *Facilius*, *de Poenit.*, dist. I; item, can. *Nullus expectet, de Poenit.*, dist. VII. Rolandus (Gietl, *Die Sentenzen Rolands*, p. 243) inducit *Dominum dicentem per prophetam:* '*In quacumque hora peccator conversus fuerit et ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor*', *et alibi:* '*peccator, quacumque hora conversus fuerit, vita vivet et* non *morietur*'. Guillelmus Autissiod., *Summ.* lib. IV, tr. *de Poenit.*, cap. *Utrum de omni peccato iteranda sit poenitentia: Dicit Dominus per Ezechielem:* « *Quacumque hora ingemuerit peccator* » etc. Halensis quoque, *Summae* p. IV, qu. XX, memb. 3, art. 2: *In Ezechiele habetur,* inquit, « *Quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit* ». Unde quod a Caietano exhibetur, conflatum videtur ex Isaia et Ezechiele.

Qu. LXXXVIII, art. 1, arg. 2. In margine, pro can. *Quemcumque*, legendum: can. *Revertar.*

Ibid., in corp.: « In quaestionem vertitur, utrum macula et reatus poenae aeternae, secundum quod causabantur ex actibus peccatorum prius dimissorum, redeant per peccatum mortale sequens. Quibusdam igitur visum est, quod simpliciter hoc modo redeant ».

Hugo de S. Victore, *de Sacrament.* lib. II, p. XIV, cap. 9 in fine, dicit: *Quando venit culpa, secuta est poena: quando correcta est culpa, subtracta est poena. Quando reversa est culpa, reversa est et poena. Unum contra unum, et duo contra duo; nec duo contra unum.* Attamen in *Summa Sentent.*, tract. VI, cap. XIII, aliter sensisse videtur. Dicit enim: *Alii, quibus magis videtur consentiendum, dicunt quod pro illis peccatis, pro quibus Deo per poenitentiam satisfecit* (peccator), *non sit amplius puniendus, etiam si postea vel similia vel graviora committat..... sed pro ingratitudine.*

Qu. XC, art. 3, in corp.: « Quidam dixerunt haec tria (sc. contritionem, confessionem et satisfactionem) esse partes subiectivas poenitentiae ».

Guillelmus Autissiod. *Summae* lib. IV, *de Sacram. Poenit.*, cap. II, dicit: *Poenitentia duobus modis potest sumi: uno modo, secundum quod poenitentia est punitio pro peccatis; et hoc modo contritio, confessio et satisfactio sunt partes subiectivae poenitentiae: alio modo, secundum quod poenitentia est sufficiens punitio pro peccatis; sufficiens, dico, secundum omne forum; et sic contritio, confessio et satisfactio sunt partes integrales poenitentiae.*

COMMENTARIA CARDINALIS CAIETANI

De his sufficienter dictum est in Praefatione superioris voluminis a pag. XLII: ubi etiam legi possunt ea quae spectant ad quaestiones quas Tertiae Parti a sancto Thomae incompletae relictae idem Cardinalis adiunxit. Illas iuxta primam editionem anni 1523, post Quaestionem XC exhibemus. Addidimus per modum Appendicis, Septimam Quaestionem ex ipsius opusculo Vigintiseptem Quaestionum, ad quam se refert in Quaestionibus de Contritione, Quaesit. III (pag. 344).

Iuvat hic repetere Pianae editionis Monitum ad Pium Lectorem. « Curavimus itaque ut quam emendatissime imprimerentur omnia amotis etiam, ex eisdem commentariis, atque expunctis omnibus locis, iuxta nostri ordinis sanctiones, qui post decreta Tridentinae Synodi, lectorem poterant detinere dubium, vel suspensum; quos videlicet, vel ipsemet Commentator vivens emendaverat, et si viveret, emendasset: vel, uti diximus, falsariorum et impiorum perfidia temeraverat. Et quibusdam aliis de mandato Sanctissimi D. N. D. Pii divina Providentia Papae Quinti sublatis ». Sicut in dicta praefatione scripsimus, Piani editores non indicant ea quae sustulerunt. Quae omissa invenimus asterisco notavimus, et eorum elenchum subiungimus. Qu. LX, art. 7, n. III, l. 12-17, *Et audeo... chrismatis;* Qu. LXIII, art. 1, n. II, l. 1 - col. 2, l. 1, *duo... Secundum est;* Qu. LXVI, art. 6, integri numeri IV-X; Qu. LXVIII, art. 2, et art. 11, integrum Commentum; Qu. LXXIV, art. 3, n. III, col. 2, *Quocirca ... conflatum unius ponitur speciei;* Qu. LXXV, art. 1, n. II, l. 15-37, *Dico ... Eucharistia;* Qu. LXXVIII, art. 1, integri numeri I-V; Qu. LXXX, art. 4, integrum Commentum; ibid. art. 12, *quaest.* 1, n. VI, l. 29-33, *Et hinc ... habendam;* n. VII, l. 27-41, *In cuius ... sacramentalibus sed; ut ex ... sacramentalem sed; non ut ... sanguinis sed;* col. 2, l. 11, *solum modo;* l. 14, 15, *et non ... manducatione;* n. VIII, l. 5–p. 248, l. 23, *Et quod ... sectis aut opinionibus; quaest.* 2, n. VI, l. 28-30, *ita ... bibentis;* Qu. LXXXI, art. 2, integer numerus IV; ibid. art. 10, l. 1, 2, PD legunt, *scito hanc esse difficultatem an,* et integrum numerum II omittunt.

VARIAE LECTIONES COMMENTARIORUM CARDINALIS CAIETANI

A *editio Veneta 1523;* B *editio Bononiensis 1528;* P *editio Piana, Romae 1570;* D *Patavina 1698.*

QUAESTIO LX.

ART. 1, num. I, lin. 3, *reliqua* P.
» » l. 6, *huius* om. P.
ART. 2, col. 2, l. 3, *hominis* P.
ART. 5, n. II, fin., *substantiale* PD.
ART. 6, n. II, pag. 10, l. 6, *significandum* PD.
ART. 7, n. III, l. 12–17, *Et audeo ... chrismatis* om. PD; et statim pro *tamen* leg. *enim.*
» » l. 5 a fin. col., *Io vi absolvo* PD.
» » l. 3 » *perfecte* P.
» n. VI, l. antepenult., pro *in corrupte, incorrupte* P.
ART. 8, n. I, l. 9, *qui est* PD.

QUAESTIO LXI.

ART. 2, n. IV, l. 11, *indiguisset* PD.

QUAESTIO LXII.

ART. 1, n. I, l. 7 a fin., pro *creatur, creator* PD.
» n. III, l. ult., pro *praepositione, propositione* PD.
» n. V, l. 1, *primum* P.
» n. VII, l. penult. col., *vel* hab. PABD.
» n. IX, l. ult., *movendam* PD.
ART. 2, n. I, l. penult., *gratiae sacramentalis* P, *gratia sacramentalis* D.
» n. II, l. 18 a fin., pro *nunc nunc, nunc* PD.
» » l. 11 a fin., *diversorum* AB; statim *rationis* D.
ART. 4, n. III, l. 2, pro *nunc nunc, nunc* PD.
» n. IV, l. penult., pro *varia, vana* PABD.
ART. 5, l. 14, *probetur* PD.

QUAESTIO LXIII.

ART. 1, n. II, l. 1 sqq., *duo* usque ad *Secundum est* om. PD.
» » l. 11 a fin., *est militia* PD.
ART. 2, n. I, l. 7, *in* om. PD.
» n. VI, l. ult., *in eandem personam* PD.
» n. VIII, l. penult., *sunt* PD.
» n. IX, l. 8 a fin., *geometricae* PD.
» n. XI, l. 5, *indifferenter* PD.
ART. 4, n. III, l. 4 a fin., pro *det, de* P.
ART. 4, n. V, l. 15, pro *secundam* (AD), *secundum* PB.
» n. VIII, l. 7 a fin., pro *apposita, opposita* PD.
ART. 5, n. I, l. 5, pro *hic, sic* PD.
ART. 6, n. I, l. 1, PD add. *est* post *clarus*, et om. post *una.* – l. 9, pro *cultum*, *occultum* A.

QUAESTIO LXIV.

ART. 1, n. IV, l. 5, *arctetur* PD.
ART. 3, l. 1, *una est* PD.
ART. 6, n. III, l. penult., pro *audentis, audientis* PD.
» n. VI, l. antepen., pro *qua, quia* PD.
» n. VIII, l. 6, *proprie* P.
» n. XI, l. penult., pro *minister, ministret* P.
ART. 8, n. I, l. 1, *clarus est* PD.
» n. III, l. 3, pro *qui, quae* PD.
» » l. 12, *Homo* om. PD.
» » l. 6 a fin. art., *est* om. PD.
ART. 9, n. I, l. 1, *clarus est... una est* PD.
ART. 10, n. I, l. 2, pro *cum, in* PABD.
» n. II, col. 2, l. 2, *propter* om. PABD.
» » » l. 6, B om. *aliquos baptizaret,* A habet in margine.

QUAESTIO LXVI.

ART. 2, l. 5 a fin., pro *tunc, nunc* PD.
ART. 5, n. II, l. ult., post *te* PD add. *etc.*
» n. III, l. 7, *ut* om. PABD.
» » l. 17, pro *uti, ut* PD.
» n. VI, l. 5 a fin. col., primum *et* om. PD.
« » p. 70, l. 1, *Paracleti* P.
ART. 6, n. II, l. 4, pro *vocaliter, totaliter* PD.
» n. III, l. 3, *relata* (om. *etiam*) *a* P, *relatas a* D; *in* om. PD.
» n. IV–X: hos numeros integros omittunt. PD. – Num. V. l. 2, pro *Quod* (B), *Quia* A; num. VIII, col. 2, l. 1, pro *primum* (A), *premium* B.
ART. 8, n. I, l. 1, *clarus est* PD.

QUAESTIO LXVII.

ART. 1, n. I, l. 1, *clarus est* PD.

Art. 1, n. i, l. 11 a fin. n., *ignorantis se bene* Pabd; an corrigendum per *credentis*, an vero per *male?*
Art. 5, n. ii, l. penult. col., pro *ut*, *et* P.
Art. 6, n. i, l. 7, *primam* P.
» n. ii, l. 11, *ministri* hab. Pabd.
» n. viii, l. 12, pro *ministeriis*, *misteriis* b.
» n. ix, col. 2, l. 10, pro *in aqua*, *in qua* P.
» n. x, l. 11 a fin., *necessitatis* Pabd.
» n. xi, l. 7, *debite* P.
» » p. 88, l. 7, *integratur* P.
» n. xiv, l. 18, *secundum* P; et lin. 20, *allatam*.
» n. xv, l. 6 a fin. col., *tertium* Pd.
» n. xvi, l. 1, *proprie* Pd.
» n. xviii, l. 2, pro *philosophicam*, *physicam* Pd (*ph'cam* ab).
» n. xix, l. 5, *pluralem* Pd.
» n. xx, l. 32, *utraque* P.
» » l. 7 a fin., *baptizando* Pbd.

Quaestio lxviii.

Art. 2, integrum Comment. om. Pd. – Num. 1, l. 9 a fin., *Abrae* b.
Art. 3, l. 4, pro *negotio* (Pd), *negatio* ab.
» col. 2, l. 3, pro *qu. 4*, *qu. 1* Pabd.
Art. 6, l. 2, *confitente* P.
Art. 7, n. i, l. 2, *responsione* P.
» » l. 9, *qu. 11* Pabd; *tenet* P. – Lin. 6 a fin., *qu. 11* Pabd.
» n. ix, l. 7, pro *secundum ea* (b), *secundum se* Pad.
Art. 11, integrum Comment. om. Pd. – Lin. penult. pro *incuria*, *iniuria* ab.

Quaestio lxix.

Art. 7, l. 7, *aperitionem* P.
Art. 8, l. 1, pro *argumento*, *art.* P, *ar.* d; pro *quarto*, *tertio* Pabd.
Art. 10, n. iii, l. 8 a fin. num., *essentia* P.
» n. iv, l. 8 a fin. col., *forma* Pd.
» » l. antepen., *mentes* a, b?

Quaestio lxxii.

Art. 2, l. 7, *Extra* om. P, ab in marg. habent.
» l. 7 a fin., *procedenti* Pd.
Art. 3, n. iv, l. 7, pro *superaddita*, *supra dicta* P.
Art. 11, n. i, l. 1, *articulo* P (*ar.* abd).
» n. ii, l. 3, *in* om. Pd.

Quaestio lxxiii.

Art. 2, l. 5, *vel* om. b; an legendum *velut?*

Quaestio lxxiv.

Art. 3, n. iii, *nullam cogentem inveniuntur* Pd.
» » col. 2, *Quocirca... conflatum unius ponitur speciei* (ad fin. num.) om. Pd. – Lin. 14 a fin. pag. 148, *et multo* b.
» n. v, l. 1, *proposito modo* Pad.
» » l. 8, pro primo *aquae*, *aqua* P.
» » l. 16, ante *ex* Pd add. *et*.

Quaestio lxxv.

Art. 1, n. ii, l. 15, *Dico*... l. 37, *Eucharistia* om. Pd.
» n. iii, l. antepen., *latissimae* Pd.
» n. iv, l. 4, *siquidem* Pbd.
» n. vii, l. ult., *consectationem* P.
» n. viii, l. 3, *praesentia* P.
» » l. 9, *fundarem* Pd.
» n. ix, l. 12, pro *quid*, *quod* Pd.
» n. xi, col. 2, l. 5, *dupliciter* Pd.
» » » l. 11, *a* ante *doctoribus* ponit P.
» n. xii, l. 15, *neutram* P.

Art. 2, n. i, l. 7, pro *adducuntur*, *afferuntur* Pd; post quod P repetit: *In corpore recitat opinionem affirmativam et reprobat eam quatuor rationibus*.
» n. ii, l. 6, *et* om. Pd.
» n. vii, l. 10 a fin. col., *ad* ante *praeteritam* om. Pd.
» n. viii, l. 9 a fin., *substantiam* Pabd.
» n. ix, l. 10 a fin., *molestis* P.
» n. xi, col. 2, l. 1, *esse de eis* Pd.
» n. xiii, l. 9 a fin., *corpus* Pd.
» n. xv, l. 6 a fin., *sequeretur* Pd.
Art. 3, n. ii, col. 2, l. 8, *ordinatam* P.
» n. v, l. 7, 8, *consecrationem* om. Pd, ab in marg. habent.
» » l. 15, pro *hoc*, *haec* Pd.
» » l. 19, pro *viam*, *vim* Pabd.
Art. 4, n. iv, l. 3, forte scribendum *Physicis*.
» n. vii, l. 7, *exprimendum* P.
» n. viii, l. 9, *actor* Pabd.
» n. ix, col. 2, l. 26, *disparatas* Pabd.
» » » l. 28, pro *subit*, *subdit* Pd.
» » » l. 11 a fin., *altera* P.
» n. xii, l. 4, *quod* ante *conversio* addit P et post *hoc* omittit.
» n. xiv, l. 5, pro *nodi*, *modi* P; lin. seq. om. *secundum in*; et post pauca om. *a* ante *Durando*.
» » l. 13 a fin., *creatura* P.
» n. xvi, p. 172, l. 4, *eum* Pd.
» » l. penult. col., pro *et*, *est* Pd.
» » col. 2, l. 9 a fin., *materiarum* Pd.
Art. 6. Hoc Comment. Pabd articulo quinto subiungunt.
» n. iv, l. 2, *in vii qu.* Pabd.

Quaestio lxxvi.

Art. 1, n. v, l. 19, *absolutae* P.
Art. 2, n. ii, l. 5 a fin., pro *scilicet*, *sed* Pd.
» n. iv, l. 3, pro *intrinseca* (Pd), *extrinseca* ab. (Scotus bis *non intrinseca*).
» n. v, l. 17, pro *ubicalis*, *localis* Pd.
» » l. 7 a fin., pro *solus*, *solius* Pd.
» n. vi, l. 5, pro *sacramentalem*, *supernaturalem* Pabd.
» n. vii, l. 3, pro *lib.*, *51* P.
» n. viii, l. 9, 12, *signata* Pd.
Art. 3, n. vi, col. 2, l. 2, pro *argumentum*, *arguens* Pd.
Art. 6, n. vi, col. 2, l. 2, *volitam* Pabd.
» » » l. 4 a fin., *dormitet* P.
» n. vii, l. 4, pro *quando*, *quoniam* (*qm̃*) Pad.
Art. 7, n. vii, l. 35, *ipsum* Pd.
» n. ix, col. 2, l. 2, *perfectionis* P.
» n. x, l. antepen., *intellectum* P.
Art. 8, l. 1, *vera* P; l. 7 a fin., *extensivae* Pd.

Quaestio lxxvii.

Art. 1, n. ii, l. 6 a fin., pro *passionem*, *positionem* Pd.
» n. iii, l. 14 a fin., pro *vice materiae*, *vicemateria* ab.
» n. iv, l. 15 a fin., *sicut* om. Pd.
Art. 5, n. i, l. 2, pro *responsione*, *ratione* Pd.
» » l. 5, *per* ante *conversionem* om. Pd.
» n. ii, col. 2, l. 4, pro *in quantum*, *inquantum* Pd.
» n. v, l. 4, pro *sit*, *fit* P.

Quaestio lxxviii.

Art. 1, n. i–v om. Pd. – Num. ii, l. 7, *possint* b; et l. 4 a fin., om. *beati*.
» n. ii bis, l. 18-20., *loquens... Christi* om. P (hab. abd).
Art. 4, n. i, l. 1, pro *virtute*, *veritate* Pabd.
» n. ii, l. 6, *Hoc esse* Pad (*Hoc est* b).

Art. 5, n. iii, l. 5, pro *sit*, *fit* Pd.
» n. v, l. 4 a fin., pro *ideo*, *in Deo* Pabd.

Quaestio lxxix.

Art. 1, n. ii, l. 6 a fin., *deligente* Pb (*diligente* ad).
» n. iii, l. 13 a fin. col., *si* om. Pd.
» » l. 4 a fin. num., *Tum* om. Pd.
» n. iv, l. 11 a fin., *requirere* Pbd.
» n. ix, l. 7, 8, *rationabiter* P, *rationabiliter* d.
» » p. 221, col. 2, lin. ult., *gratiae* P.
Art. 5, n. i, l. 4, pro *fit*, *sit* Pd.

Quaestio lxxx.

Art. 4, integrum Comment. om. Pd. – Num. i, l. 6, *contritum* ab.
Art. 5, n. ii, l. 10, pro *maius*, *magis* P.
Art. 6, n. i, *non* om. Pabd.
» n. v, l. 3, *ordinarent* Pd. – Lin. 4, *particulariter* Pd, *participare* b.
Art. 11, n. i, l. penult., *ex iis* Pd.
Art. 12, Quaest. i, n. i, l. 5, *enim* om. Pd.
» » n. iv, l. 32, pro *insensibiliter*, *sensibiliter* P.
» » » l. 38, pro *infantibus*, *in factibus* P.
» » n. v, l. 17, *quid* P.
» » » l. 9 a fin. col., *et* om. P.
» » n. vi, l. 7, *Evangelico* Pd.
» » » l. 24, *hoc* Pbd; l. 27, *infantum* a.
» » » l. 29–33, *Et hinc... habendam* om. Pd.
» » » l. 20 a fin. col., *subdit* Pd.
» » n. vii, l. 27–29, Pd om. *In cuius... sacramentalibus sed*, et post *materiales* inserunt *enim*; l. 35, 36, eaedem om. *ut ex... sacramentalem sed*; et l. 39–41, om. *non ut... sanguinis sed.*
» » » col. 2, l. 11, P om. *solummodo*, quod abd habent; l. 13, *morte* Pd; l. 14, 15, *et non... manducatione* om. Pd.
» » » » l. 19, pro *Christum*, *ipsum* Pd.
» » » » l. 12 a fin. num., *et* om. Pd, et pro *alia* hab. *alias*.
» » n. viii, l. 2, *primum* P.
» » » l. 5, usque ad pag. 248, l. 23, *Et quod... sectis aut opinionibus* om. Pd. – Lin. 10 a fin. pag. 247, ad verbum *aut*, margo ab *vel an*; l. penult. pag. 247, pro *habetur*, *dicitur* a*(dr)*.
» » n. xii, col. 2, l. 3, *memoria* Pabd.
» » » » l. 10, *servandam* Pd; quae l. 12 om. *a*; et l. 14 *pateat* legunt.
» » » » l. 21 a fin. col., *factum* Pd.
» Quaest. ii, n. ii, l. 24, *laetificandam* Pd.
» » n. vi, l. 28–30, *ita... bibentis* om. P.
» » » l. 10 a fin., pro *sacri*, *sacramenti* Pd.
» » n. vii, l. 1, pro *et*, *ut* Pd.
» » n. viii, l. 7, tertium *nec* om. P.
» » » l. 8 a fin., *hoc* om. P.
» » n. xv, l. 6 a fin. col., pro *qui*, *quia* Pd.
» » » l. penult. col., pro *subiunctum*, *subiectum* Pd.
» » » p. 253, l. 18, *conferendi* om. Pd, ab in marg. habent.
» » » » l. 29, *approbationes* a.
» Quaest. iii, n. 1, l. 10, pro *prosecutionis* (abd), *persecutionis* P.

Art. 12, quaest. iii, n. ii, l. antepen., post *communionem* marg. ab addit *hanc*.
» » n. iii, col. 2, l. 5, *communicarunt* Pd.
» » n. v, l. 6, pro *quo*, *qui* Pd.

Quaestio lxxxii.

Art. 2, n. iv, integrum num. om. Pd. – Lin. ult., *sive defendendo* om. b.
Art. 6, n. i, l. 6, pro *innuitur*, *invenitur* Pd.
Art. 9, l. 1, post *disputationes*. P add. *et*; d Comment. omittit.
Art. 10, l. 1, 2. Pd leg.: *scito hanc esse difficultatem, an*, et om. integrum num. ii.

Quaestio lxxxiii.

Art. 3, n. iii, col. 2, l. 6, *et* om. Pd; l. 8, *aqua* P.

Quaestio lxxxiv.

Art. 2, n. iii, l. 6, pro *fit*, *sit* b.
» » l. 16, *utrique* ab.
» n. iv, l. 1, *doctor* a.
Art. 3, n. iii, p. 291, l. 9, pro *quoniam*, *qui* Pd.

Quaestio lxxxv.

Art. 2, n. i, l. 1, ante *secundi* P addit *huius*.
» n. iv, col. 2, l. 9, *inferior* a.
» » l. 11 a fin., pro *revelationis*, *relationis* Pd.
» n. vi, l. ult., pro *commutativa*, *communicativa* P.
Art. 3, n. i, l. ult., pro *per*, *propter* Pd.
Art. 6, n. iv, l. 3, post *nunquam*, Pd add. *tamen*.

Quaestio lxxxvi.

Art. 2, n. iii, l. 12, pro *sit*, *fit* b. – Lin. 14, pro *qu. cxiii, c. 13* P, *q. 13* d (ab *art.* 2 in marg. habent).
Art. 4, l. 9, *in ordinationem* P.
Art. 6, n. i, l. 6, *virt9* P; et n. ii, l. 3, *passiva*; d Comment. omittit.

Quaestio lxxxvii.

Art. 1, n. v, l. 4, *ivisset* Pd.
» n. vii, l. 14, pro *hinc*, *hic* Pd.
» » l. 4 a fin. col., pro *obiicitur*, *dicitur* Pd.
Art. 2, n. ii, l. 5, pro *Tum*, *tunc* P.
Art. 4, n. ii, l. 10 a fin., ante *peccatum* Pd add. *et*.

Quaestio xc.

Art. 1, n. ii, l. antepen., *est* om. P.

Quaestiones de contritione.

Loca ubi textus editionis a (an. 1523) *relictus fuit*

Quaesit. i, n. ii, col. 2, l. 4, pro *LXXXV, 84* a.
» n. iii, p. 342, l. 34, *distinguat* a.
» n. v, p. 343, l. 7 a fin. num., *directionem* a.
Quaesit. iv, n. v, l. 39, ad vocem *hoc*, *Alias hoc enim* a.

Quaestiones de confessione.

Quaesit. ii, n. vii, l. 9, *poenitentialem* a.
Quaesit. iii, n. vii, l. 20, *numerum... circumstantiam* a.
Quaesit. v, n. iii, l. 22, 23, *offendisset... doleret... intenderet* a.

Quaestiones de suscipientibus indulgentias.

Quaesit. i, n. vii, l. 16, ad vocem *excedat*, *Alias extendat* margo a.

Appendix.

(Ex ed. Lugd. 1541)

Num. vi, l. 14 a fin. col., *in* correximus in *sine*; et num. viii, l. 4 a fin., *in poenitentia* in *impoenitentia*.

Siglorum interpretatio.

A . . .	Cod. Par. Nat. fonds Latin 15800.
B . . .	» Vat. 748.
C . . .	» » 750.
D . . .	» » 10157.
E . . .	» » Ottob. 207.
F . . .	» » 747.
G . . .	» » 749.
H . . .	» Neapol. Nat. VII. B. 7.
I . . .	» » » » » 15.
P . . .	Ed. Piana.
a . . .	» princeps.
b . . .	» Tarvisii anni 1476.
c . . .	» s. l. anni 1478.
prima . . .	ABCD*a*.
tertia . . .	PGHI*bc*.
editiones . .	P*bc*.
ceteri . . .	sigla omnium codicum, manuum et editionum ex deductione omnium in nota praecedentium siglorum remanentia repraesentant.


Edd. Comment. Card. Caiet.

P . . .	Editio Piana. 1570.
A . . .	» Venet. 1523.
B . . .	» Bonon. 1528.
D . . .	» Patav. 1698.

TERTIA PARS
SUMMAE THEOLOGIAE
SANCTI THOMAE AQUINATIS
A QUAESTIONE LX

CUM COMMENTARIIS

CARDINALIS CAIETANI



TERTIA PARS

SUMMAE THEOLOGIAE

ANGELICI DOCTORIS

SANCTI THOMAE AQUINATIS

ORDINIS PRAEDICATORUM

CUM COMMENTARIIS

THOMAE DE VIO CAIETANI

EIUSDEM ORDINIS

S. R. E. CARDINALIS

QUAESTIO SEXAGESIMA

QUID SIT SACRAMENTUM

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

Post considerationem eorum quae pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiae sacramentis, quae ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent *. Et prima consideratio erit de sacramentis in communi; secunda de unoquoque sacramentorum in speciali *.

* Cf. Prolog.

* Qu. LXVI.

Circa primum quinque consideranda sunt: primo, quid sit sacramentum; secundo, de necessitate sacramentorum *; tertio, de effectibus sacramentorum *; quarto, de causa eorum **; quinto, de numero *.

* Qu. LXI.

* Qu. LXII.

** Qu. LXIV.

* Qu. LXV.

Circa primum quaeruntur octo.

Primo: utrum sacramentum sit in genere signi.

Secundo: utrum omne signum rei sacrae sit sacramentum.

Tertio: utrum sacramentum sit signum unius rei tantum, vel plurium.

Quarto: utrum sacramentum sit signum quod est res sensibilis.

Quinto: utrum ad sacramentum requiratur determinata res sensibilis.

Sexto: utrum ad sacramentum requiratur significatio quae est per verba.

Septimo: utrum requirantur determinata verba.

Octavo: utrum illis verbis possit aliquid addi vel subtrahi.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM SACRAMENTUM SIT IN GENERE SIGNI

IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. I, qu^a^ I; art. 4, qu^a^ I, ad I; dist. III, qu. I, art. I, ad 3.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod sacramentum non sit in genere signi. Videtur enim sacramentum dici a *sacrando:* sicut medicamentum a *medicando.* Sed hoc magis videtur pertinere ad rationem causae quam ad rationem signi. Ergo sacramentum magis est in genere causae quam in genere signi.

2. Praeterea, sacramentum videtur occultum aliquid [α] significare: secundum illud *Tob.* XII *: *Sacramentum regis abscondere bonum est;* et *Ephes.* III *: *Quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo.* Sed id quod est absconditum, videtur esse contra rationem signi: nam *signum est quod, praeter* [β] *speciem quam sensibus ingerit, facit aliquid aliud in cognitionem*

* Vers. 7.

* Vers. 9.

α) *occultum aliquid.* – *aliquid occultum* P.

β) *praeter.* – *per* HpG et *bc; Alias per* margo P.

venire, ut patet per Augustinum, in II *de Doct. Christ.* * Ergo videtur quod sacramentum non sit in genere signi.

* Cap. 1.

3. Praeterea, iuramentum quandoque sacramentum nominatur: dicitur enim in Decretis, XXII caus., qu. v *: *Parvuli qui sine aetate rationabili sunt, non cogantur iurare: et qui semel periuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum,* idest ad iuramentum, *accedat.* Sed iuramentum non pertinet ad rationem signi. Ergo videtur quod sacramentum non sit in genere signi.

* Can. *Parvuli qui sine.*

Sed contra est quod Augustinus dicit, in X *de Civ. Dei* *: *Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, idest sacrum signum, est.*

* Cap. v.

Respondeo dicendum quod omnia quae habent ordinem ad unum aliquid, licet diversimode, ab illo denominari possunt [γ]: sicut a sanitate quae est in animali, denominatur sanum non solum animal, quod est sanitatis subiectum, sed dicitur medicina sana inquantum est sanitatis effectiva, diaeta vero inquantum est conservativa eiusdem, et urina inquantum est significativa ipsius. Sic igitur *sacramentum* potest aliquid dici vel quia in se habet aliquam sanctitatem occultam, et secundum hoc sacramentum idem est quod *sacrum secretum:* vel quia habet aliquem ordinem ad hanc sanctitatem, vel causae vel signi vel secundum quamcumque aliam habitudinem. Specialiter autem nunc loquimur de sacramentis secundum quod important habitudinem signi. Et secundum hoc sacramentum ponitur in genere signi.

Ad primum ergo dicendum quod, quia medicina se habet ut causa effectiva sanitatis, inde est quod omnia denominata a medicina dicuntur per ordinem ad unum primum agens: et per hoc, medicamentum importat causalitatem quandam. Sed sanctitas, a qua denominatur sacramentum [δ], non significatur per modum causae efficientis, sed magis per modum causae formalis vel finalis. Et ideo non oportet quod sacramentum semper importet causalitatem.

Ad secundum dicendum quod ratio illa procedit secundum quod sacramentum idem est quod *sacrum secretum.* Dicitur autem non solum Dei secretum, sed etiam regis, esse sacrum et sacramentum [ε]. Quia secundum antiquos sancta vel sacrosancta dicebantur quaecumque violari non licebat *: sicut etiam muri civitatis **, et personae in dignitatibus constitutae. Et ideo illa secreta, sive divina sive humana, quae non licet violari quibuslibet publicando, dicuntur sacra vel sacramenta.

* Cf. Dig. I, viii, *de Divis. Rerum et Qualit.*, I. ** Ibid., I, 8.

Ad tertium dicendum quod etiam [ζ] iuramentum habet quandam habitudinem ad res sacras: inquantum scilicet est quaedam contestatio facta per aliquod sacrum. Et secundum hoc dicitur esse sacramentum [η]: non eadem ratione qua nunc loquimur de sacramentis; non tamen aequivoce sumpto nomine sacramenti, sed analogice, scilicet secundum diversam habitudinem ad aliquid unum, quod est res sacra.

γ) *possunt.* – IpC *a* et editiones; *possint* ABGsC, *possit* DEFH.
δ) *sacramentum.* – PIsG; *sacrum.*
ε) *sacrum et sacramentum.* – *sacrum et sacratum* F, *secretum et sacrum* G, *sacramentum* H, *sacrum* ed. *a, et sacramentum b.*
ζ) *etiam.* – Om. DGH*bc*.
η) *esse sacramentum.* – *esse iuramentum sacramentum* E, *iuramentum* pG, *iuramentum sacramentum* H, *iuramentum est sacramentum* I, *iuramentum esse sacramentum* sG et editiones, *esse iuramentum* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

Post considerationem etc. Hic incipit secunda pars principalis huius Libri *, distincta in partes octo: primam, de sacramentis in communi; et reliquas septem secundum singula septem sacramenta. Prima igitur haec pars, durans usque ad quaestionem sexagesimamsextam, inchoat a sacramenti genere, in primo articulo huius quaestionis sexagesimae, ut clare titulus monstrat. Ita quod in titulo huius articuli *sacramenti* nomen sumitur secundum eam significationem qua praedicatur de septem Ecclesiae sacramentis. Et est intentio inquirendi an, secundum illam significationem, sit in genere signi: quamvis absque additione aliqua quaestio proponatur, et propterea argumenta absolute de sacramento arguant.

* Cf. Comment. Caiet. in Prolog

II. In corpore articuli una est conclusio: *Sacramentum de quo est sermo, est in genere signi.* Probatur. Nunc loquimur de sacramentis secundum quod important habitudinem signi. Ergo.

Antecedens manifestatur ex hoc quod *sacramenti* nomen est multiplex, et dicitur tam habens, quam causa, quam signum, et respectu sanctitatis occultae. Et rursus hoc manifestatur ex communi regula: quia omnia habentia ordinem ad unum, possunt diversimode ab illo nominari, ut patet in *sanitate* et *sanis.*

Haec satis clara sunt ex communibus regulis nominum multiplicium ad unum, vel in uno, vel ab uno, quae abusive vocantur analoga. Unde etiam Auctor, in calce responsionis ad tertium, hanc abusionem corrigendo, cum dixisset, *sed analogice,* statim declaravit quid intendit, subdens: *scilicet secundum diversam habitudinem ad unum,* etc.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM OMNE SIGNUM REI SACRAE SIT SACRAMENTUM

IV *Sent.*, dist. 1, qu. 1, art. 1, qu^a^ 1.



Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non omne signum rei sacrae sit sacramentum. Omnes enim creaturae sensibiles sunt signa rerum sacrarum: secundum illud *Rom.* 1 *: *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.* Nec tamen omnes res sensibiles possunt dici sacramenta. Non ergo omne signum rei sacrae est sacramentum.

* Vers. 20.

2. Praeterea, omnia quae in veteri lege fiebant, Christum figurabant, qui est *Sanctus San-*

* Dan. cap. IX, vers. 24. ** Vers. 11. * Vers. 17.

ctorum *: secundum illud I *Cor.* X **: *Omnia in figura contingebant illis;* et *Coloss.* II *: *Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Nec tamen omnia gesta Patrum veteris Testamenti, vel etiam omnes caeremoniae legis, sunt sacramenta, sed quaedam specialiter: sicut in Secunda Parte * habitum est. Ergo videtur quod non omne signum sacrae rei sit sacramentum.

* Iª IIªᵉ, qu. CI, art. 4.

3. Praeterea, etiam in novo Testamento multa geruntur in signum alicuius rei sacrae, quae tamen non dicuntur sacramenta: sicut aspersio aquae benedictae, consecratio altaris, et consimilia [α]. Non ergo omne signum rei sacrae est sacramentum.

Sed contra est quod definitio convertitur cum definito. Sed quidam * definiunt sacramentum per hoc quod est *sacrae rei signum:* et hoc etiam videtur ex [β] auctoritate Augustini supra * inducta. Ergo videtur quod omne signum rei sacrae sit sacramentum.

* Cf. Lanfranc., *de Corp. et Sang. Dom.,* cap. XII; Hug. a S. V., *de Sacr.* lib. I, p. IX, cap. II; Mag. IV *Sent.,* dist. I, cap. *Sacramentum.*

* Art. 1, arg. *Sed cont.*

Respondeo dicendum quod signa dantur [γ] hominibus, quorum est per nota ad ignota pervenire. Et ideo proprie dicitur sacramentum quod est signum alicuius rei sacrae ad homines pertinentis: ut scilicet proprie dicatur sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est *signum rei sacrae inquantum est sanctificans homines.*

Ad primum ergo dicendum quod creaturae sensibiles significant aliquid sacrum, scilicet sapientiam et bonitatem divinam, inquantum sunt in seipsis sacra: non autem inquantum nos per ea sanctificamur. Et ideo non possunt dici sacramenta secundum quod nunc loquimur de sacramentis.

Ad secundum dicendum quod quaedam ad vetus Testamentum pertinentia significabant sanctitatem Christi secundum quod in se sanctus est. Quaedam vero significabant sanctitatem eius inquantum per eam [δ] nos sanctificamur: sicut immolatio agni paschalis significabat immolationem Christi, qua sanctificati sumus. Et talia dicuntur proprie veteris legis sacramenta.

Ad tertium dicendum quod res denominantur [ε] a fine * et complemento. Dispositio autem non est finis, sed perfectio. Et ideo ea quae significant dispositionem ad sanctitatem, non dicuntur sacramenta, de quibus procedit obiectio; sed solum ea quae significant perfectionem sanctitatis humanae.

* Aristot. *de Anima* lib. II. cap. IV, n. 15. – S. Th. lect. IX.

α) *consimilia.* – *similia* tertia praeter I.
β) *ex.* – Om. tertia praeter P.
γ) *dantur.* – *proprie dantur* PIsG.
δ) *eam.* – EsG; *ea.*
ε) *denominantur.* – *denominatur* tertia praeter H.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore Auctor accommodat definitionem hanc, scilicet, *signum rei sacrae,* ad hoc ut sit convertibilis cum sacramento: ut quod ex proprietate significationis non habet, ex accommodatione intelligatur habere. Hinc enim duas subintelligi vult conditiones rei sacrae: scilicet, *sanctificantis homines.* Quod non aliunde deducitur quam ex hoc quod signum proprie datur homini, cuius est per notum ad ignotum discurrere.

Et scito duo. Primum, quod Auctor non solum pro reverentia sic definientium sacramentum, sed etiam pro firmando usu Ecclesiae, quo sacramentum dicimus non cuiusque rei sacrae signum, sed homines sanctificantis, descriptionem hanc in definitionem erexit.

Secundum est quod ly *sanctificantis* intelligitur in actu exercito, hoc est quod est signum rei sacrae ut actualiter exercet sanctificationem hominis: quia ad hoc adhibetur ut signum, ut sanctificetur homo per illius significatum.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SACRAMENTUM SIT SIGNUM UNIUS REI TANTUM

IV *Sent.,* dist. 1, qu. 1, art. 1, quª 1, ad 4.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod sacramentum non sit signum nisi unius rei. Id enim quo multa significantur, est signum ambiguum, et per consequens fallendi occasio: sicut patet de nominibus aequivocis. Sed omnis fallacia debet removeri a Christiana religione: secundum illud *Coloss.* II *: *Videte ne quis vos seducat per philosophiam* [α] *et inanem fallaciam.* Ergo videtur quod sacramentum non sit signum plurium rerum.

* Vers. 8.

2. Praeterea, sicut dictum est *, sacramentum significat rem sacram inquantum est humanae sanctificationis causa. Sed una sola est causa sanctificationis humanae, scilicet sanguis Christi: secundum illud *Heb.* ult. *: *Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Ergo videtur quod sacramentum non significet plura.

* Art. 2.

* Vers. 12.

3. Praeterea, dictum est * quod sacramentum proprie significat ipsum finem sanctificationis. Sed finis sanctificationis est vita aeterna: secundum illud *Rom.* VI *: *Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam aeternam.* Ergo videtur quod sacramenta non significent [β] nisi unam rem, scilicet vitam aeternam.

* Art. 2, ad 3.

* Vers. 22.

Sed contra est quod in sacramento Altaris

α) *philosophiam.* – *a* et tertia praeter pG; *prophetiam.*
β) *sacramenta non significent.* – *sacramentum non significet* H et editiones.

est duplex res significata, scilicet corpus Christi verum et mysticum: ut Augustinus dicit, in libro *Sententiarum Prosperi* *.

* Cf. can. *Hoc est quod dicimus*, *de Consecr.*, dist. II; Lanfranc. *de Corp. et Sang. Dom.*, cap. XIV.

* Art. praeced.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, sacramentum proprie dicitur quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem. In qua tria possunt considerari: videlicet ipsa causa sanctificationis nostrae, quae est passio Christi; et forma nostrae sanctificationis, quae consistit in gratia et virtutibus; et ultimus finis nostrae sanctificationis, qui est vita aeterna. Et haec omnia per sacramenta significantur. Unde sacramentum est et signum rememorativum γ eius quod praecessit, scilicet passionis Christi; et demonstrativum eius quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiae; et prognosticum, δ idest praenuntiativum, futurae gloriae *.

* Cf. Halens. *Sum. Theol.* p. IV, qu. I, memb. I.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod tunc est signum ambiguum, praebens occasionem fallendi, quando significat multa quorum unum non ordinatur ad aliud. Sed quando significat multa secundum quod ex eis quodam ordine efficitur unum, tunc non est signum ambiguum, sed certum: sicut hoc nomen *homo* significat animam et corpus prout ex eis constituitur humana natura. Et hoc modo sacramentum significat tria praedicta secundum quod quodam ordine sunt unum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod sacramentum, in hoc quod significat rem sanctificantem, oportet quod significet effectum, qui intelligitur in ipsa causa ε sanctificante prout est causa sanctificans.

AD TERTIUM DICENDUM quod sufficit ad rationem sacramenti quod significet perfectionem quae est forma: nec oportet quod solum significet perfectionem quae est finis.

γ) *et signum rememorativum.* – PH; *et* (om. Ibc) *signum et rememorativum* GIbc, *et signum et rememoratio* ceteri.

δ) *prognosticum.* – P; *praenosticum* HpG et *ab*, *pronosticum* ceteri.

ε) *ipsa causa.* – *ipso* E. – *causa* ante *sanctificans* om. PI.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore una conclusio, cum uno corollario. Conclusio: *Sacramentum est signum trium rerum.* Declaratur. Sacramentum est signum nostrae sanctificationis, in qua considerantur tria. Et haec per sacramenta significantur. Ergo.

Corollarium est: *Sacramentum est signum rememorativum, demonstrativum, et prognosticum.* Declaratur ex tribus praemissis.

Adverte hic quod Auctor gratia materiae absque probatione procedit, declarando quae absque controversia acceptantur de sacramentis in communi.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM SACRAMENTUM SEMPER SIT ALIQUA RES SENSIBILIS

Infra, qu. LXI, art. 1; IV *Sent.*, dist. 1, qu. 1, art. 2, qu[a] 1; art. 3; dist. XIV, qu. 1, art. 1, qu[a] 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LVI; *In Ioan.*, cap. III, lect. 1.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramentum non semper sit aliqua res sensibilis. Quia secundum Philosophum, in libro *Priorum* *, omnis effectus suae causae signum est. Sed sicut sunt quidam effectus sensibiles, ita etiam sunt quidam effectus intelligibiles: sicut scientia est effectus demonstrationis. Ergo non omne signum est sensibile. Sufficit autem ad rationem sacramenti quod sit signum alicuius rei sacrae inquantum homo per eam sanctificatur, ut supra * dictum est. Non ergo requiritur ad sacramentum quod sit aliqua res sensibilis.

* Cf. lib. II, cap. XXIX, n. 1.

* Art. 2.

2. PRAETEREA, sacramenta pertinent ad regnum Dei et cultum Dei α. Sed res sensibiles non videntur pertinere ad cultum Dei: dicitur enim Ioan. IV *: *Spiritus est Deus: et eos* β *qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet;* et *Rom.* XIV *: *Non est regnum Dei esca et potus.* Ergo res sensibiles non requiruntur ad sacramenta.

* Vers. 24.

* Vers. 17.

3. PRAETEREA, Augustinus dicit, in libro *de Lib. Arbit.* *, quod *res sensibiles sunt minima bona, sine quibus homo recte vivere potest.* Sed sacramenta sunt de necessitate salutis humanae, ut infra * patebit: et ita sine eis homo recte vivere non potest. Non ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

* Lib. II, cap. XIX.

* Qu. LXI, art. 1.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, *super Ioan.* *: *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.* Et loquitur ibi de elemento sensibili, quod est aqua. Ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

* Tract. LXXX.

RESPONDEO DICENDUM quod divina sapientia unicuique rei providet secundum suum modum: et propter hoc dicitur, *Sap.* VIII *, quod *suaviter disponit omnia.* Unde et Matth. XXV * dicitur quod *dividit* γ *unicuique secundum propriam virtutem.* Est autem homini connaturale ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium. Signum autem est per quod aliquis devenit in cognitionem alterius. Unde, cum res sacrae quae per sacramenta significantur, sint quaedam spiritualia et intelligibilia bona quibus homo sanctificatur, consequens est ut per aliquas res sensibiles si-

* Vers. 1.

* Vers. 15.

α) *ad regnum Dei et cultum Dei.* – *ad regnum Dei* B, *ad cultum Dei* G, *ad regnum vel cultum Dei* Hbc, *ad cultum et* (*vel* P) *regnum Dei* PI.

β) *eos.* – PF*a*; *omnes* I, *eum* ceteri; pro *adorant*, *adorat* Hbc.

γ) *dividit.* – *dedit* E et tertia.

gnificatio sacramenti impleatur: sicut etiam per similitudinem sensibilium rerum in divina Scriptura res spirituales nobis describuntur. Et inde est quod ad sacramenta requiruntur res sensibiles: ut etiam Dionysius probat, in 1 cap. *Caelestis Hierarchiae*.

Ad primum ergo dicendum quod unumquodque praecipue denominatur et definitur secundum illud quod convenit ei primo et per se: non autem per [δ] id quod convenit ei per aliud *. Effectus autem sensibilis per se habet quod ducat in cognitionem alterius, quasi primo et per se homini innotescens: quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet [ε]. Effectus autem intelligibiles non habent quod possint ducere in cognitionem alterius nisi inquantum sunt per aliud manifestati, idest per aliqua sensibilia. Et inde est quod primo et principaliter dicuntur signa quae sensibus offeruntur: sicut Augustinus dicit, in II *de Doct. Christ.* *, quod [ζ] *signum est quod, praeter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire.* Effectus autem intelligibiles non habent rationem signi nisi secundum quod sunt manifestati per aliqua signa. Et per hunc etiam modum quaedam quae non sunt sensibilia, dicuntur quodammodo sacramenta, inquantum sunt significata per aliqua sensibilia: de quibus infra * agetur.

Ad secundum dicendum, quod res sensibiles, prout in sua natura considerantur, non pertinent ad cultum vel regnum Dei: sed solum secundum quod sunt signa spiritualium rerum, in quibus regnum Dei consistit.

Ad tertium dicendum quod Augustinus ibi loquitur de rebus sensibilibus secundum quod in sua natura considerantur [η]: non autem secundum quod assumuntur ad significandum spiritualia, quae sunt maxima bona.

* Cf. Aristot. *Metaphys.* lib. VI, cap. IV, n. 7. - S. Th. lib. VII, lect. III.

* Cap. I.

* Qu. LXIII, art. 1, ad 2; art. 3, ad 2; qu. LXXIII, art. 6; qu. LXXXIV, art. 1, ad 3. - Cf. *Supplement.*, qu. XXX, art. 3, ad 3; qu. XLII, art. 1, ad 5.

δ) *per.* – *secundum* P; *primo... ei* om. I.
ε) *initium habet.* – *suū habet* H, *oritur* editiones.
ζ) *quod.* – Om. *c*, *ubi dicit quod* P.
η) *in sua natura considerantur.* – *sunt in sua natura* PH (pG ut videtur) et *c*, (*considerantur* super ras., *in* marg.) *sua natura* sG.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. *Res sensibiles:* puta aqua, oleum, vinum, panis.

In corpore una conclusio: *Ad sacramenta requiruntur res sensibiles.* Probatur dupliciter. Primo, ratione. Res sacrae quae per sacramenta significantur, sunt quaedam bona intelligibilia quibus homo sanctificatur. Ergo per aliquas res sensibiles significatio sacramenti implenda est. Ergo ad sacramenta requiruntur res sensibiles.

Prima consequentia probatur ratione: ex parte quidem nostri, quia modus naturalis cognitionis humanae est ut per sensibilia ad intelligibilia deveniat, signum autem est per quod in alterius cognitionem devenimus; ex parte vero Dei, quia secundum modum nostrum Deus providet nobis. Quod in littera tripliciter manifestatur. Consequens est igitur quod significatio talis signi a Deo homini dati, scilicet sacramenti, per sensibilia impleatur. – Et similitudine: quia spiritualia in sacra Scriptura per sensibiles similitudines innotescunt.

Secundo, probatur conclusio auctoritate Dionysii.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM REQUIRANTUR DETERMINATAE RES AD SACRAMENTA

Infra, qu. LXIV, art. 2, ad 2.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod non requirantur determinatae res ad sacramenta. Res enim sensibiles requiruntur [α] in sacramentis ad significandum, ut dictum est *. Sed nihil prohibet diversis rebus sensibilibus idem significari: sicut in sacra Scriptura Deus aliquando metaphorice significatur per lapidem *, quandoque per leonem **, quandoque per solem *, aut aliquid [β] huiusmodi. Ergo videtur quod diversae res possint congruere eidem sacramento. Non ergo determinatae res in sacramentis requiruntur.

2. Praeterea, magis necessaria est salus animae quam salus corporis. Sed in medicinis corporalibus, quae ad salutem corporis ordinantur, potest una res pro alia poni in eius defectu. Ergo multo magis in sacramentis, quae sunt medicinae spirituales ad salutem animae ordinatae, poterit una res assumi pro alia quando illa defuerit.

3. Praeterea, non est conveniens ut hominum [γ] salus arctetur per legem divinam: et praecipue per legem Christi, qui venit omnes salvare. Sed in statu legis naturae non requirebantur in sacramentis aliquae res determinatae, sed ex voto assumebantur: ut patet *Gen.* XXVIII *, ubi se Iacob vovit Deo decimas et hostias pacificas oblaturum. Ergo videtur quod non debuit arctari homo, et praecipue in nova lege, ad alicuius rei determinatae usum in sacramentis.

Sed contra est quod Dominus dicit, Ioan. III *: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Respondeo dicendum quod in usu sacramentorum duo possunt considerari, scilicet cultus divinus, et sanctificatio hominis: quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, secundum autem e converso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non

* Art. 4.

* II *Reg.* cap. XXII, vers. 2; Zachar. cap. III, vers. 9; I *ad Cor.* cap. X, vers. 4; *Apoc.* cap. IV, vers. 3. ** Isai. cap. XXXI, vers. 4; *Apoc.* cap. V, vers. 5. * Isai. cap. LX, vers. 19, 20; Malach. cap. IV, vers. 2.

* Vers. 20 sqq.

* Vers. 5.

α) *requiruntur.* – *assumuntur* PI.
β) *aliquid.* – *aliud* addunt PI.
γ) *hominum.* – *homini* FH, *hominis* editiones.

autem pertinet ad aliquem determinare [δ] quod est in potestate alterius, sed solum illud quod est in sua potestate. Quia igitur sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res quibus sanctificetur, sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo [ε] in sacramentis novae legis, quibus homines sanctificantur, secundum illud I *Cor.* VI *, *Abluti estis, sanctificati estis,* oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.

* Vers. 11.

Ad primum ergo dicendum quod, si idem possit [ζ] per diversa signa significari, determinare [η] tamen quo signo sit utendum ad significandum [θ], pertinet ad significantem. Deus autem est qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramentis, et per verba similitudinaria in Scripturis. Et ideo, sicut iudicio Spiritus Sancti determinatum est quibus similitudinibus in certis Scripturae locis res spirituales significentur, ita etiam debet esse divina institutione determinatum quae res ad significandum assumantur in hoc vel in illo sacramento.

Ad secundum dicendum quod res sensibiles habent naturaliter sibi inditas virtutes conferentes ad corporalem salutem: et ideo non refert, si duae earum eandem virtutem habeant, qua quis utatur. Sed ad sanctificationem non ordinantur ex aliqua virtute [ι] naturaliter indita, sed solum ex institutione divina. Et ideo oportuit divinitus determinari quibus rebus sensibilibus sit in sacramentis utendum.

Ad tertium dicendum quod, sicut Augustinus dicit, XIX *contra Faust.* *, diversa sacramenta diversis temporibus congruunt: sicut [κ] etiam diversis verbis significantur diversa tempora, scilicet praesens, praeteritum et futurum. Et ideo, sicut in statu legis naturae homines, nulla lege exterius data, solo [λ] interiori instinctu movebantur ad Deum colendum [μ], ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur. Postmodum vero necesse fuit etiam exterius legem dari: tum propter obscurationem legis naturae ex peccatis hominum; tum etiam ad expressiorem significationem gratiae Christi, per quam humanum genus sanctificatur. Et ideo etiam [ν] necesse fuit res determinari quibus homines uterentur in sacramentis. Nec propter hoc arctatur via salutis: quia res quarum usus est necessarius in sacramentis, vel communiter habentur, vel parvo studio adhibito haberi possunt.

* Cap. xvi.

δ) *determinare.* – P; *determinate.*
ε) *Et ideo.* – PEHc; *Unde* D, om. G, *Ideo b, Et* ceteri; ante *oportet* sG et *a* addunt *ergo.*
ζ) *si idem possit.* – *etsi idem possit* I, *etsi idem potest* P.
η) *determinare.* – PEIsH et *a; determinate.*
θ) *significandum.* – PD*ac; sanctificandum;* margo P *als' sanctificandum.* Pro *significantem, sanctificantem* Ic, quo expuncto *significantem* I.
ι) *virtute.* – *sibi* addunt Pc.
κ) *sicut.* – *sic* PD. – Pro *diversis, in diversis* BC.
λ) *solo.* – *sed solo* tertia praeter I.
μ) *colendum.* – HsG et editiones; *consulendum* ABCDE*a; movebantur... instinctu* om. FIpG.
ν) *etiam.* – Om. GH*bc.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una est conclusio responsiva quaesito: *In sacramentis novae legis oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.* Probatur. Non pertinet ad aliquem determinare quod in alterius, sed quod est in sua potestate. Sed sanctificatio est in potestate Dei, non hominis. Ergo non pertinet ad hominem instituere sanctificativa hominis. Sed sacramenta sunt sanctificativa hominis. Ergo.

Ultimo subsumpta propositio et probatur auctoritate Apostoli. Et declaratur, distinguendo duo quae in sacramentorum usu inveniuntur, scilicet cultus divinus et sanctificatio hominis; et declarando horum differentiam, quia primum est hominis ad Deum, secundum est e contra Dei ad hominem.

II. Ubi videre potes quod Auctor duo haec consideravit in sacramentis, ut, quia ex primo poterat ratio determinandi res ad hominem spectare, cuius est colere Deum hoc vel illo modo; ex secundo necessitatem monstraret divinae institutionis, cuius est sanctificare hominem per haec vel illa signa, et sine his et illis, ut placet. Et quia nullum sacramentum est quod non sanctificet hominem, ideo omnia oportet a Deo determinata esse quoad sibi substantialia.

III. In responsione ad primum, adverte quam praesumptuosa, iniuriosa ac sacrilega sit eorum solertia qui proprias aut poetarum similitudines tanquam spiritualium simulacra interpretantur, scribunt aut praedicant. Usurpant enim officium Spiritus Sancti, cuius iudicio res aliquae institutae sunt in figuram aliorum, dicente Apostolo *: *Omnia in figuram contingebant illis.* Vilificantque sacram Scripturam, dum ex tali fictione occasionem dant credendi quod similiter humano spiritu sunt in figuram ea quae sunt in sacris Litteris, quemadmodum haec quae audiunt humani dexteritate ingenii coaptata. Et sic multum auctoritatis detrahitur sacrae Scripturae figuris.

* I *ad Cor.*, cap. x, vers. 11.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM IN SIGNIFICATIONE SACRAMENTORUM REQUIRANTUR VERBA

IV *Sent.*, dist. 1, qu. 1, art. 3; dist. XIII, qu. 1, art. 2, qu[a] 6, ad 2; *De Verit.*, qu. XXVII, art. 4, ad 10.



Ad sextum sic proceditur. Videtur quod in significatione sacramentorum non requirantur verba. Dicit enim Augustinus, *contra Faustum,* libro XIX *: *Quid sunt aliud quaeque corporalia sacramenta nisi quasi quaedam verba visibilia?* Et sic videtur quod addere verba rebus sensibilibus in sacramentis sit addere verba verbis. Sed hoc est superfluum. Non ergo requiruntur verba cum rebus sensibilibus in sacramentis.

* Cap. xvi.

2. Praeterea, sacramentum est aliquid unum. Ex his autem quae sunt diversorum generum, non videtur posse aliquid unum fieri. Cum igitur res sensibiles et verba sint diversorum generum, quia res sensibiles sunt a natura, verba autem a ratione; videtur quod in sacramentis non requirantur verba cum rebus sensibilibus.

3. Praeterea, sacramenta novae legis succedunt [α] sacramentis veteris legis: quia, *illis ablatis, ista sunt instituta,* ut Augustinus dicit, XIX *contra Faustum* * [* Cap. XIII.]. Sed in sacramentis veteris legis non requirebatur aliqua forma verborum. Ergo nec in sacramentis novae legis.

Sed contra est quod Apostolus dicit, *Ephes.* v * [* Vers. 25, 26.]: *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae.* Et Augustinus dicit, *super Ioan.* * [* Tract. LXXX.]: *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.*

Respondeo dicendum quod sacramenta, sicut dictum est * [* Art. 2, 3.], adhibentur ad hominum sanctificationem sicut quaedam signa. Tripliciter ergo considerari possunt: et quolibet modo congruit eis quod verba rebus sensibilibus adiungantur. Primo enim possunt considerari ex parte causae sanctificantis, quae est Verbum incarnatum: cui sacramentum quodammodo conformatur in hoc quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio incarnationis carni sensibili est Verbum Dei unitum.

Secundo possunt considerari sacramenta ex parte hominis qui sanctificatur, qui componitur ex anima et corpore: cui proportionatur sacramentalis medicina, quae per rem [β] visibilem corpus tangit, et per verbum ab anima creditur. Unde Augustinus dicit * [* In Ioan. Evang., tract. LXXX.], super illud Ioan. xv ** [** Vers. 3.], *Iam vos mundi estis propter sermonem* etc.: *Unde ista est tanta virtus aquae ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?*

Tertio potest [γ] considerari ex parte ipsius significationis sacramentalis. Dicit autem [δ] Augustinus, in II *de Doct. Christ.* * [* Cap. III.], quod *verba inter homines obtinuerunt principatum* [ε] *significandi:* quia verba diversimode formari possunt ad significandos diversos conceptus mentis, et propter hoc per verba magis distincte possumus exprimere quod mente concipimus. Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest et ablutionem propter suam humiditatem, et refrigerium propter suam frigiditatem: sed cum dicitur, *Ego te baptizo* [ζ], manifestatur quod aqua utimur in baptismo ad significandam emundationem spiritualem.

Ad primum ergo dicendum quod res visibiles sacramentorum dicuntur verba per similitudinem quandam, inquantum scilicet participant quandam vim significandi, quae principaliter est in ipsis verbis, ut dictum est * [* In corpore.]. Et ideo non est superflua ingeminatio verborum cum in sacramentis rebus visibilibus verba [η] adduntur: quia unum eorum determinatur per aliud, ut dictum est * [* Ibid.].

Ad secundum dicendum quod, quamvis verba et aliae res sensibiles sint in diverso genere quantum pertinet ad naturam rei, conveniunt tamen ratione significandi. Quae perfectius est in verbis quam in aliis rebus. Et ideo ex verbis et rebus fit quodammodo unum in sacramentis sicut ex forma et materia: inquantum scilicet per verba perficitur significatio rerum, ut dictum est * [* In corpore.]. – Sub rebus autem comprehenduntur etiam ipsi actus sensibiles, puta ablutio et unctio [θ] et alia huiusmodi: quia in his est eadem ratio significandi et in rebus.

Ad tertium dicendum quod, sicut Augustinus dicit, *contra Faustum* * [* Lib. XIX, cap. XVI.], alia debent esse sacramenta rei praesentis, et alia rei futurae. Sacramenta autem veteris legis praenuntia erant Christi venturi. Et ideo non ita expresse significabant Christum sicut sacramenta novae legis, quae ab ipso Christo effluunt, et quandam similitudinem ipsius in se habent, ut dictum est * [* In corpore.]. – Utebantur tamen in veteri lege aliquibus verbis in his quae ad cultum Dei pertinent, tam sacerdotes, qui erant sacramentorum illorum ministri, secundum illud *Num.* vi * [* Vers. 23, 24.], *Sic benedicetis filiis Israel: et dicetis eis, Benedicat tibi Dominus,* etc.; quam etiam illi qui illis sacramentis utebantur [ι], secundum illud *Deut.* xxvi * [* Vers. 3.]: *Profiteor hodie* [κ] *coram Domino Deo tuo,* etc.

α) *succedunt. – succederunt b, successerunt* Pc.
β) *per rem.* – E et tertia praeter I; *per partem* D, *partem* ceteri; pro *corpus, scilicet corpus* F.
γ) *potest. – possunt* P.
δ) *autem. – enim* EFGH*abc*, om. AI.
ε) *principatum.* – Pl*a*; *principaliter* F, *principatus* ceteri.
ζ) *te baptizo. – baptizo te* B*bc*, *baptizo* GH.
η) *verba.* – *a* et tertia; ante *rebus* ponit F, post *rebus* ceteri.
θ) *et unctio. – unctio* B, *inunctio* Plc.
ι) *qui illis sacramentis utebantur.* – GsH et editiones; *qui solis sacris induebantur* ABCpE et *a*, *sacris induebantur* D, *qui solis sacris utebantur* sE, *qui solum sacramentis imbuebantur* F, *qui solis sacris imbuebantur* I, *qui illis sacris utebantur* pH.
κ) *hodie.* – Om. tertia praeter I.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Sacramenta tripliciter considerantur: et quolibet modo congruunt eis verba.* Probatur quoad primam partem: quia sacramenta adhibentur ut signa quaedam ad hominum sanctificationem. – Quoad secundam, singillatim declarando singula membra cum suis rationibus: ut clare et ordinate patet in littera.

Adverte quod prima pars conclusionis ex assumpto facile deducitur. Nam quia sacramenta ad sanctificationem adhibentur, oportet primam eorum considerationem secundum sanctificationis causam fieri. Et quia ad sanctificandos homines sunt, secunda eorum consideratio ex parte hominis est. Et quia ut signa adhibentur, consequens est ut tertia eorum consideratio secundum significationem fiat.

II. In responsione ad secundum, perspice quod in sacramentis res et verba coeunt in unum signum: quia constituunt unum sacramentum, quod non nisi signum unum est. Unde, proprie loquendo, ablutio in aqua in baptismo non est unum signum, et verba sunt aliud si-

gnum, ut tanquam ex duobus partialibus signis fiat unum totale signum: sed ipsa applicatio aquae, quae indeterminata est ad significandam spiritualem ablutionem, vel spiritualem claritatem aut simplicitatem, aut aliquid huiusmodi, ex coniunctione ad verba abluentis determinatur ad significandam spiritualem ablutionem. Ita quod non sunt duae relationes signi in aqua et verbis: sed una tantum relatio signi est in hoc composito ex rebus et verbis, ut sunt determinabile et determinatio in ratione significandi unum spiritualem effectum. Sunt enim haec, ut in littera subtiliter traditur et declaratur in tertia ratione in corpore articuli, velut materia et forma in genere signi: non quod relatio talis signi sit composita ex materia et forma; sed quia relatio talis signi non adest nisi composito ex talibus determinabili et determinante, quae sunt velut materia et forma.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM REQUIRANTUR DETERMINATA VERBA IN SACRAMENTIS

AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non requirantur determinata verba in sacramentis. Ut enim Philosophus dicit *, *voces non sunt eaedem apud omnes.* Sed salus, quae per sacramentum quaeritur, est eadem apud omnes. Ergo non requiruntur aliqua determinata verba in sacramentis.

* *Peri Herm.*, cap. 1, n. 3. - S. Th. lib. I, lect. II.

2. PRAETEREA, verba requiruntur in sacramentis inquantum sunt principaliter significativa, sicut supra* dictum est. Sed contingit per diversa verba idem significari. Ergo non requiruntur determinata verba in sacramentis.

* Art. 6.

3. PRAETEREA, corruptio cuiuslibet rei variat eius speciem. Sed quidam corrupte verba proferunt, nec tamen propter hoc impediri creditur sacramentorum effectus: alioquin illiterati et balbi qui sacramenta conferunt, frequenter defectum in sacramentis inducerent. Ergo videtur quod non requirantur in sacramentis determinata verba.

SED CONTRA EST quod Dominus determinata verba protulit in consecratione sacramenti Eucharistiae, dicens, Matth. XXVI *: *Hoc est corpus meum.* Similiter etiam mandavit discipulis ut sub determinata forma verborum baptizarent, dicens, Matth. ult. *: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

* Vers. 26.

* Vers. 19.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, in sacramentis verba se habent per modum formae, res autem sensibiles per modum materiae. In omnibus autem compositis ex materia et forma principium determinationis est ex parte formae, quae est quodammodo finis et terminus materiae. Et ideo principalius requiritur ad esse rei determinata forma quam determinata materia: materia enim determinata quaeritur [α] ut sit proportionata determinatae formae. Cum igitur in sacramentis requirantur determinatae res sensibiles, quae se habent in sacramentis sicut materia, multo magis requiritur in eis determinata forma verborum.

* Art. 6, ad 2.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, *super Ioan.* *, verbum operatur in sacramentis, *non quia dicitur*, idest, non secundum exteriorem sonum vocis: *sed quia creditur*, secundum [β] sensum verborum qui fide tenetur. Et hic quidem sensus est idem apud omnes, licet non eaedem voces [γ] quantum ad sonum. Et ideo, cuiuscumque linguae verbis proferatur [δ] talis sensus, perficitur sacramentum.

* Tract. LXXX.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, licet in qualibet lingua contingat diversis vocibus idem significari, semper tamen aliqua illarum vocum est qua principalius et communius homines illius linguae utuntur ad hoc significandum. Et talis vox assumi debet in significatione sacramenti. Sicut etiam inter res sensibiles illa assumitur ad significationem sacramenti cuius usus est communior ad actum per quem sacramenti effectus significatur: sicut aqua communius utuntur homines ad ablutionem corporalem, per quam spiritualis ablutio significatur; et ideo aqua assumitur ut materia in baptismo.

AD TERTIUM DICENDUM quod ille qui corrupte [ε] profert verba sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur intendere facere quod facit Ecclesia: et ita non videtur perfici sacramentum. Si autem hoc [ζ] faciat ex errore vel lapsu linguae, si sit tanta corruptio quae omnino auferat sensum locutionis, non videtur perfici sacramentum. Et hoc praecipue contingit quando fit corruptio ex parte principii dictionis: puta si, loco eius quod est *in nomine Patris*, dicat, *in nomine matris*. – Si vero non totaliter auferatur sensus locutionis per huiusmodi corruptelam, nihilominus perficitur sacramentum. Et hoc praecipue contingit quando fit corruptio ex parte finis: puta si aliquis dicat *patrias* [η] *et filias*. Quamvis enim huiusmodi [θ] verba corrupte prolata nihil significent ex virtute impositionis, accipiuntur tamen ut significantia ex accommodatione usus. Et ideo, licet mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus.

Quod autem dictum est de differentia corruptionis circa principium vel finem dictionis, rationem habet quia apud nos variatio dictionis ex parte principii mutat significationem, variatio

α) *quaeritur.* – *requiritur* editiones et *a*.
β) *secundum.* – *idest secundum* PIsG.
γ) *eaedem voces.* – *sint eaedem voces* I, *eaedem voces sint* editiones. – *quantum ad sonum* om. GH.
δ) *verbis proferatur.* – PDIsH et *a*; *verbum proferatur* ABCEF, *verbis proferantur* G, *verbis proferuntur* pH et *bc*; pro *perficitur*, *perficit* FGH*abc*.
ε) *corrupte.* – PI; post *verba* ponunt ABCD, post *sacramentalia* EF*a*, *corrupta* post *verba* GH*bc*.
ζ) *hoc.* – Om. GH*bc*.
η) *patrias.* – *in nomine patrias* P.
θ) *huiusmodi.* – Om. GH*bc*.

ι autem ex fine [ι] dictionis ut plurimum non mutat significationem [κ]. κ Quae tamen apud Graecos variatur etiam secundum principium dictionis in declinatione [λ] λ verborum.

Magis tamen videtur attendenda quantitas corruptionis ex parte dictionis [μ]. μ Quia ex utraque parte potest esse tam parva quod non aufert sensum verborum: et tam magna, quod aufert [ν]. ν Sed unum horum facilius accidit ex parte principii, aliud ex parte finis *. (* Cf. IV *Sent.*, dist. III, art. 2, qa 2, ad 6.)

ι) *fine.* – *parte finis* Plc. E om. *variatio... significationem.*
κ) *non mutat significationem.* – Ed. *a*; *non mutat consignificationem bc*, *mutat consignificationem* PGI, *mutat significationem* ceteri (Pro E cf. ι).
λ) *in declinatione.* – *et declinationis* H, *in declinationibus* cetera tertia.
μ) *ex parte dictionis.* – Om. PI. – Pro *Quia*, *Quae* GHbc, *Quod* I.
ν) *aufert.* – *sensum verborum* addit F.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat. – In corpore una conclusio: *In sacramentis requiritur determinata forma verborum.* Probatur. In sacramentis requiruntur determinatae res sensibiles, quae se habent ut materia. Ergo multo magis requiritur determinatio verborum, quae se habet ut forma.

Antecedens quoad primam partem patet ex articulo quinto. Quoad secundam, ex sexto: et hic repetitur. – Consequentia probatur. Quia principalius requiritur ad esse rei determinata forma quam determinata materia. Probatur: quia in omnibus compositis ex materia et forma principium determinationis est ex parte formae, quia est finis et terminus materiae; et materia determinata requiritur ut sit proportionata determinatae formae.

II. In responsione ad secundum, adverte quod doctrina praesentis litterae, scilicet quod in qualibet lingua vox illa qua principalius et communius homines illius linguae utuntur ad illum actum significandum, assumi debet in sacramentis, vera est quantum est ex parte debiti usus verborum: quoniam ad tantum mysterium non nisi principalia communioraque assumenda sunt verba. Cum hac tamen doctrina stat quod oppositum fiat vel ex accommodatione usus *, vel quia sacramenti forma non urget ad hoc *. (* Cf. num. seq. * Cf. num. IV.)

III. Quantum autem valeat contra communitatem et proprietatem linguae accommodatio usus, testatur forma baptismi apud Latinos, dum dicitur: *Ego te baptizo*, etc. *Baptizare* enim latina lingua neque principaliter neque communiter significat *abluere*, ut patet: in tantum quod, si quis diceret alteri, *Baptiza hoc sudariolum*, aut non, aut vix intelligeretur. Et procul dubio dicere deberemus: *Ego te abluo in nomine Patris*, etc. Quia tamen accommodavit Ecclesiae latinae usus vocabulum hoc ad significandum actum abluendi qui in sacramento fit, illo utendum est. Unde etiam mulieres in vulgari baptizantes dicunt: *Io te baptizo*. Et audeo dicere minoris curae fuisse introducere haec verba ad Latinos: quoniam hinc fit ut non percipiat populus, sed nec sacerdos aut levita, quid importat *baptizare*. Quod optime intelligerent omnes si diceretur: *Ego te abluo*, aut *lavo*. Et simile accidit in sacramento confirmationis in verbo *chrismatis* *. (* *Et audeo... chrismatis* om. P; et statim pro *tamen* legit *enim*.) Providentia tamen divina hinc Ecclesiam suam doctam esse voluit quod, quocumque verbo accommodato ab usu ad significandum illud utamur, etiam si alterius sit idiomatis, sacramentum perficitur: ita quod nec mixtio idiomatum in eadem numero forma sacramenti tollit perfectionem sacramenti.

Habes quoque hinc quod, quia usus accommodatione personas dignas alloquimur in numero plurali, dicendo uni, *Vos*, etc.; ita quod, si diceretur illi, *Tu*, videretur inferri sibi iniuria: ideo, si quis in forma sacramenti poenitentiae, absolvendo episcopum vel principem, honoris consueti gratia dicat, *Absolvo vos a peccatis vestris*, etc., perfectum est sacramentum *: (* Cf. qu. LXXII, art. 6, Comment. ad 4tam obiect. Petri de Palude cont. conclus.) non minus quam si in vulgari dixisset, *Io ve absolvo dalli vostri peccati*. Quia perfecta est significatio orationis ad illam personam solam ex accommodatione usus, non minus quam perfectae sint omnes similes orationes, puta, *Do vobis hoc munus*, *Venite vos ad prandium mecum*, et similia.

Et eadem ratione perfecta essent sacramenta si persona recipiens sacramentum exprimeretur in nomine honorabili abstracto: puta si quis diceret, *Ego absolvo dominationem vestram a peccatis suis.* Pro regula enim generali habendum est quod, quando oratio habet perfectam significationem ex accommodatione usus in ceteris locutionibus, sufficit ad sacramenti perfectionem similis oratio applicata ad materiam sacramenti. Et ratio est quia operatio spiritualis in sacramentis sequitur significationem perfectam orationis sacramentalis: ac per hoc, ubi oratio habet suam significationem perfectam, sacramentum perficitur. Constat autem quod oratio quae in qualibet materia communiter habet suam significationem perfectam, non perdit perfectionem suae significationis ex hoc quod applicatur ad materiam sacramentalem. Igitur, sicut sufficit oratio illa perfecta in aliis, ita et in sacramentis.

IV. Quia autem sacramenti forma non urget ad principaliter et communiter consueta verba, si quis ex huiusmodi libertate uteretur aliis verbis, puta dicendo, *Ego te abluo in nomine Patris*, etc., aut, in sacramento Eucharistiae, *Istud est*, etc.: perfecta essent sacramenta. Non enim de necessitate sacramenti sunt illae voces quibus communiter Ecclesia utitur: sed illae vel aliae loco illarum idem significantes quod illae. Sic enim intelligendum est determinatam exigi formam verborum ad sacramenta.

Sed sunt voces illae quibus Ecclesia utitur, de necessitate praecepti Ecclesiae. Ideo peccaret quisquis advertenter uteretur aliis vocibus ab illis quibus Ecclesia sua consuevit uti in sacramentis. Unde haec non diximus ut liceat cuique mutare voces in sacramentis: sed ut, si acciderit, noverint non esse iteranda sacramenta propter huiusmodi mutationes.

V. Et confirmatur quod dicimus ex forma consecrationis sanguinis Christi qua utitur Ecclesia latina. Dicit enim, *Hic est calix sanguinis:* ubi aut metaphorice sumitur *calix;* aut ponitur continens pro contento. Ac per hoc ex vi verborum, sectando propriam significationem, non significatur conversio vini in sanguinem, sed in calicem: quod est ridiculum. Attestatur enim per hoc Spiritus Sanctus quod sufficiunt ad sacramentorum perfectionem verba vel ex proprietate, vel accommodatione usus significantia veritatem sacramenti, quaecumque sint illa: nec esse de necessitate sacramenti communiora in aliqua lingua verba.

VI. In responsione ad tertium, adverte quod, ut patet *de Consecr.*, dist. IV, cap. *Retulerunt*, Zacharias Papa determinavit fuisse baptizatum illum qui ob ignorantiam baptizantis baptizatus est *in nomine Patria et Filia et Spiritua Sancta*. Ubi vides quod corruptio fuit tanta quod variata est significatio nominum: nam *patria* non patrem, sed locum nativitatis significat. Sed licet *patria* absolute aliud significet quam *Pater*, ut tamen est pars corrupte prolata huius orationis, *Ego te baptizo in nomine Patria et Filia* etc., significasse *patrem* iudicatum est: et sic oratio tota non mutavit significationem. Et hoc valde notandum est pro casibus occurrentibus in corrupte prolatis verbis circa alia sacramenta, vel ex festinatione, vel ex balbutiente lingua, vel aliquo alio accidente.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM ALIQUID LICEAT ADDERE VERBIS IN QUIBUS CONSISTIT FORMA SACRAMENTORUM

IV *Sent.*, dist. III, art. 2, quis 2, 3, 4.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod nihil liceat addere verbis in quibus consistit forma sacramentorum. Non enim minoris sunt necessitatis huiusmodi verba sacramentalia quam verba sacrae Scripturae. Sed verbis sacrae Scripturae nihil licet addere vel minuere: dicitur enim *Deut.* IV *: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ab eo;* et *Apoc.* ult. *: *Contestor omni audienti verba prophetiae libri huius: Si quis apposuerit ad haec, apponet super eum Deus plagas scriptas in libro isto; et si quis diminuerit, auferet Deus partem eius de libro vitae.* Ergo videtur quod neque in formis sacramentorum liceat aliquid addere vel minuere.

(* Vers. 2. — * Vers. 18, 19.)

2. PRAETEREA, verba se habent in sacramentis per modum formae, ut dictum est *. Sed in formis quaelibet additio vel subtractio variat speciem, sicut et in numeris: ut dicitur in VIII *Metaphys.* * Ergo videtur quod, si aliquid addatur vel subtrahatur a forma sacramenti, non erit idem sacramentum.

(* Art. 6, ad 2; art. 7. — * S. Th. lect. III. - Did. lib. VII, cap. III, n. 8.)

3. PRAETEREA, sicut ad formam sacramenti [α] determinatus numerus dictionum requiritur, ita etiam requiritur determinatus ordo verborum, et etiam orationis continuitas. Si ergo additio vel subtractio non aufert sacramenti veritatem [β], videtur quod pari ratione nec transpositio verborum, aut etiam interpolatio pronuntiationis.

SED CONTRA EST quod in formis sacramentorum quaedam apponuntur a quibusdam quae ab aliis non ponuntur [γ]: sicut Latini baptizant sub hac forma, *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* Graeci autem sub ista, *Baptizatur* [δ] * *servus Christi N. in nomine Patris,* etc. Et tamen utrique verum conferunt [ε] sacramentum. Ergo in formis sacramentorum licet aliquid addere vel minuere.

(* Cf. Goar, *Ritual. Graec.*, *In Offic. S. Baptismat.*)

RESPONDEO DICENDUM quod circa omnes istas mutationes quae possunt in formis sacramentorum contingere, duo videntur esse consideranda. Unum quidem ex parte eius qui profert verba, cuius intentio requiritur ad sacramentum, ut infra * dicetur. Et ideo, si intendat per huiusmodi additionem vel diminutionem alium ritum inducere qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici sacramentum: quia non videtur quod intendat facere id quod facit Ecclesia.

(* Qu. LXIV, art. 8.)

Aliud autem est considerandum ex parte significationis verborum. Cum enim verba operentur in sacramentis quantum ad sensum quem faciunt, ut supra * dictum est, oportet considerare utrum per talem mutationem tollatur debitus sensus verborum: quia sic [ζ] manifestum est quod tollitur veritas sacramenti. Manifestum est autem quod, si diminuatur aliquid eorum quae sunt de substantia formae sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum: et ideo non perficitur sacramentum. Unde Didymus dicit, in libro *de Spiritu Sancto* *: *Si quis ita baptizare conetur* [η] *ut unum de praedictis nominibus praetermittat,* scilicet Patris et Filii et Spiritus Sancti, *sine perfectione baptizabit.* – Si autem subtrahatur aliquid quod non sit de substantia formae, talis diminutio non tollit debitum sensum verborum, et per consequens nec sacramenti perfectionem. Sicut in forma Eucharistiae, quae est, *Hoc est enim corpus meum,* ly *enim* sublatum non tollit debitum sensum verborum, et ideo non impedit perfectionem sacramenti: quamvis possit contingere quod ille qui praetermittit, peccet ex negligentia vel contemptu.

(* Art. 7, ad 1. — * Lib. II. - Inter Opp. Hieron.)

Circa additionem etiam contingit aliquid apponi quod est corruptivum debiti sensus: puta si aliquis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris maioris et Filii minoris,* sicut Ariani baptizabant. Et ideo talis additio tollit veritatem sacramenti. – Si vero sit talis additio quae non auferat debitum sensum [θ], non tollitur sacramenti veritas. Nec refert utrum talis additio fiat in principio, medio vel fine. Ut, si aliquis dicat, *Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, et Filii eius unigeniti, et Spiritus Sancti Paracleti,* erit verum baptisma. Et similiter, si quis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et beata Virgo te adiuvet,* erit verum baptisma.

Forte autem si diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et Beatae Virginis Mariae,* non esset baptismus: quia dicitur I *Cor.* I *: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* – Sed hoc verum est si sic intelligatur in nomine Beatae Virginis baptizari sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus consecratur: talis enim sensus esset contrarius verae fidei, et per consequens tolleret veritatem sacramenti. Si vero sic intelligatur quod [ι] additur, *et in nomine Beatae Virginis,*

(* Vers. 13.)

α) *sacramenti.* – Om. HpG et *bc*.
β) *veritatem.* – P; *virtutem.* Cf. ζ, θ.
γ) *ponuntur.* – *apponuntur* P.
δ) *Baptizatur.* – *Baptizentur* pH, *Baptizetur* FsEH et editiones; *Graeci... etc.* om. pE; cf. qu. LXVI art. 5. ι et LXVII art. 6. δ.
ε) *utrique verum conferunt.* – PEFI; *utrique verum confertur* BG*c*, *utrisque verum confertur* C, *utrique confertur* D, *uterque verum confert* Ha, *uterque verum confertur* A*b*.
ζ) *sic.* – *si sic* sG. – Pro *veritas, virtus* omnes praeter P, sed I om. *quia... verborum.*
η) *baptizare conetur.* – PE; *baptizare curetur* ABCHpG, *baptizetur* F, *baptizetur curetur* D, *baptizare curaverit* sG, *baptizare curatur* I, *baptizaretur* ed. *a*, *baptizare creditur* *bc*.
θ) *sensum.* – PI; *sensum sacramenti.* – Pro *veritas, virtus* omnes praeter P.
ι) *sic intelligatur quod.* – *intelligatur quod illud quod* GH*bc*, *intelligatur quod* I. – *non quasi nomen Beatae Virginis* om. GHI; pro *operetur, non operetur* GH; pro *baptismo, baptismum* G.

non quasi nomen Beatae Virginis aliquid operetur in baptismo, sed ut eius intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio sacramenti.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod verbis ϰ sacrae Scripturae non licet aliquid apponere quantum ad sensum: sed quantum ad expositionem sacrae Scripturae, multa verba eis a doctoribus apponuntur. Non tamen licet etiam verba sacrae Scripturae apponere ita quod dicantur esse de integritate sacrae Scripturae: quia hoc esset vitium falsitatis. Et similiter si quis diceret aliquid esse de necessitate formae quod non est.

AD SECUNDUM DICENDUM quod verba pertinent ad formam sacramenti ratione sensus significati. Et ideo, quaecumque fiat additio vel subtractio vocum λ quae non addat aliquid aut subtrahat debito sensui, non tollitur species sacramenti.

AD TERTIUM DICENDUM quod, si sit tanta interruptio verborum quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus sacramenti, et per consequens veritas eius. Non autem tollitur quando est parva interruptio proferentis μ, quae intentionem et intellectum non aufert.

Et idem etiam dicendum est de transpositione verborum. Quia, si tollit sensum locutionis, non perficitur sacramentum: sicut patet de negatione praeposita vel postposita signo. Si autem sit talis transpositio quae sensum locutionis non variat, non tollitur veritas sacramenti: secundum quod Philosophus dicit * quod ν *nomina et verba transposita idem significant.*

* *Peri Herm.*, cap. x, n. 13. - Contin. Comm. S. Th. lib. II, lect. IV.

ϰ) *verbis.* – *verbum* E, *verba* IpH, *ad verba* editiones.
λ) *vocum.* – *verborum* tertia praeter I.
μ) *proferentis.* – Post *intentionem* ponunt PIsG. Post *intellectum* I et editiones addunt *verborum.*
ν) *secundum... dicit quod.* – *quia secundum... dicit* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore tria fiunt: primo, ponuntur duae communissimae regulae circa huiusmodi varietates; secundo, descenditur specialiter ad diminutionem et additionem; tertio, movetur quaedam difficultas circa additionem, et solvitur. Prima regula se tenet ex parte intentionis ministrantis sacramentum. – Secunda vero se tenet ex parte significationis verborum. Quod intellige, non secundum se, sed in ordine ad totam orationem: oportet enim mutari sensum ipsius orationis, quae est forma sacramenti, ad hoc ut sacramentum sit nullum, ut praedictum est *. – De diminutione autem aut additione in speciali in singulis sacramentis, sermo erit in propriis locis. Hic in communi est sermo.

* Art. 7, Comment. num. III.

II. Ubi nota, pro solutione difficultatis motae, quod additio ad formam, ultra duos modos qui in littera ponuntur, scilicet vel tanquam aliquid intrinsecum ad formam vel tanquam extrinsecum, tertius invenitur omnino per accidens, quando scilicet interponitur aliquod verbum, non ut sit aliquid intrinsecum vel adiacens formae, sed impertinens omnino interpositio ad aliud propositum dicitur verbum: ut si inter baptizandum, postquam dixit, *Ego te baptizo*, dicat alicui, *Recede hinc*, seu aliquid eiusmodi, et prosequatur, *in nomine Patris et Filii*, etc. Hoc enim non est proprie addere ad verba formae: sed interponere verba interrumpendo formam. Potest siquidem interruptio de qua in responsione ad tertium est sermo, dupliciter fieri: vel sine interpositione verborum, vel cum interpositione verborum.

Utraque autem interruptio non debet esse tanta quod, iuxta communem morem hominum, continuitas solvatur orationis. Si enim, postquam minister dixit, *Ego te baptizo*, iret pransum, et postea subderet, *in nomine Patris et Filii*, etc.: sive interim tacuisset sive non, soluta esset orationis unitas.



QUAESTIO SEXAGESIMAPRIMA

DE NECESSITATE SACRAMENTORUM

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LX, Introd.

Deinde considerandum est de necessitate sacramentorum *.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum sacramenta sint necessaria ad salutem humanam.

Secundo: utrum fuerint necessaria in statu ante peccatum.

Tertio: utrum fuerint necessaria in statu post peccatum ante Christum.

Quarto: utrum fuerint necessaria post Christi adventum.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM SACRAMENTA FUERINT NECESSARIA AD HUMANAM SALUTEM

IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 2, qu^a^ 1; III *Cont. Gent.*, cap. CXIX; IV, cap. LV, LVI.

* Vers. 8. — * Qu. LX, art. 6.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod sacramenta non fuerint [α] necessaria ad humanam salutem. Dicit enim Apostolus, I *ad Tim.* IV *: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est.* Sed usus sacramentorum pertinet ad corporalem exercitationem: eo quod sacramenta perficiuntur in significatione sensibilium rerum et verborum, ut dictum est *. Ergo sacramenta non sunt necessaria ad humanam salutem.

* Vers. 9.

2. Praeterea, II *Cor.* XII *, Apostolo dicitur: *Sufficit tibi gratia mea.* Non autem sufficeret si sacramenta essent necessaria ad salutem. Non sunt ergo sacramenta saluti humanae necessaria.

* Vers. 10.

3. Praeterea, posita causa sufficienti, nihil aliud videtur esse necessarium ad effectum. Sed passio Christi est sufficiens causa nostrae salutis: dicit enim Apostolus, *ad Rom.* V *: *Si, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis, reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* Non ergo requiruntur sacramenta ad salutem humanam.

* Cap. XI.

Sed contra est quod Augustinus dicit, XIX *contra Faust.* *: *In nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Sed necessarium est ad humanam salutem homines adunari in unum verae religionis nomen. Ergo sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem.

Respondeo dicendum quod sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem triplici ratione. Quarum prima sumenda est ex conditione humanae naturae, cuius proprium est ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad divinam providentiam ut unicuique rei provideat secundum modum suae conditionis. Et ideo convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus et sensibilibus signis, quae sacramenta dicuntur.

Secunda ratio sumenda est ex statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi ubi patitur morbum. Et ideo conveniens fuit ut Deus per quaedam corporalia signa hominibus [β] spiritualem medicinam adhiberet: nam, si spiritualia nuda ei proponerentur, eius animus applicari non posset, corporalibus deditus.

Tertia ratio sumenda est ex studio actionis humanae, quae praecipue circa corporalia versatur. Ne igitur esset homini durum si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceretur [γ], ad evitanda superstitiosa exercitia, quae consistunt in cultu daemonum, vel qualitercumque noxia, quae consistunt in actibus peccatorum.

Sic igitur per sacramentorum institutionem homo convenienter suae naturae eruditur per sensibilia; humiliatur, se corporalibus subiectum recognoscens [δ], dum sibi per corporalia subvenitur; praeservatur etiam a noxiis corporalibus [ε] per salubria exercitia sacramentorum.

Ad primum ergo dicendum quod corporalis exercitatio, inquantum est corporalis, non multum utilis est. Sed exercitatio per usum sacramentorum non est pure corporalis, sed quodammodo est spiritualis: scilicet per significationem et causalitatem.

α) *fuerint.* – *sint* PI.
β) *hominibus.* – *homini* P.
γ) *exerceretur.* – GHI; *(proposita sunt eis b...) exercentur bc, exerceatur* P, *exercetur* ceteri.
δ) *recognoscens.* – *cognoscens* tertia praeter I.
ε) *corporalibus.* – Om. H, *actionibus corporalibus* I, *actionibus* editiones.

ζ Ad secundum ζ dicendum quod gratia Dei est sufficiens causa humanae salutis. Sed Deus dat hominibus gratiam secundum modum eis convenientem. Et ideo necessaria sunt hominibus sacramenta ad gratiam consequendam *. [* D. 982.]

Ad tertium dicendum quod passio Christi est causa sufficiens humanae salutis. Nec propter hoc sequitur quod sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem: quia operantur in virtute passionis Christi, et passio Christi quodammodo applicatur hominibus per sacramenta, secundum illud Apostoli η, *Rom.* vi *: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* [* Vers. 3.] η

ζ) *Ad secundum.* – Ordinem solutionum *Ad secundum* et *Ad tertium* invertunt omnes praeter P.

η) *Apostoli.* – Om. Ha et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem.* Et probatur tripliciter.

Ubi nota duo. Primum, quod non est hic sermo de necessario ad humanam salutem sine quo non potuisset homo salvari: sed de necessario sine quo non convenienter humana salus fuisset. In cuius signum, Auctor, tam in prima quam secunda ratione, convenientiam infert sacramentorum.

Secundo, nota differentiam inter Auctorem et Magistrum Sententiarum, in i distinctione * Quarti, circa has tres rationes, ex eruditione, humiliatione et exercitatione. Nam altius tractantur ab Auctore, ut patet conferendo. [* Cap. *Triplici autem.*]

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM ANTE PECCATUM FUERINT HOMINI NECESSARIA SACRAMENTA

II *Sent.*, dist. xxiii, qu. ii, art. 1, ad 1; IV, dist. i, qu. i, art. 2, qu^a 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod ante α peccatum fuerint homini necessaria sacramenta. Quia, sicut dictum est *, sacramenta sunt necessaria homini ad gratiam consequendam. [* Art. 1, ad 2.] Sed etiam in statu innocentiae homo indigebat gratia: sicut in Prima Parte * habitum est. [* Qu. xcv, art. 4, ad 1. - Cf. I^am II^ae, qu. cix, art. 2; qu. cxiv, art. 2.] Ergo etiam in statu illo erant necessaria sacramenta.

2. Praeterea, sacramenta sunt convenientia β homini secundum conditionem humanae naturae, sicut dictum est *. [* Art. 1.] Sed eadem est natura hominis ante peccatum et post peccatum. Ergo videtur quod ante peccatum homo indiguerit sacramentis.

3. Praeterea, matrimonium est quoddam sacramentum: secundum illud *Ephes.* v *: [* Vers. 32.] *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et Ecclesia.* Sed matrimonium fuit institutum ante peccatum, ut dicitur *Gen.* ii *. [* Vers. 22 sqq. - Cf. Matth. cap. xix, vers. 4 sqq.; Marc. cap. x, vers. 6 sqq.] Ergo sacramenta erant necessaria homini ante peccatum.

Sed contra est quod medicina non est necessaria nisi aegroto: secundum illud Matth. ix *: [* Vers. 12. - Cf. Marc. cap. ii, vers. 17; Luc. cap. v, vers. 31.] *Non est opus sanis medicus.* Sed sacramenta sunt quaedam spirituales medicinae, quae adhibentur contra vulnera peccati. Ergo non fuerunt necessaria ante peccatum.

Respondeo dicendum quod in statu innocentiae γ sacramenta necessaria non fuerunt. Cuius ratio accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur, et nullo modo dependebant ab eis: sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animae vires, et ipsi animae corpus. Contra hunc autem ordinem esset si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale *: quod fit in sacramentis. [* D. 9, 1107.] Et ideo in statu innocentiae homo sacramentis non indigebat, non solum inquantum sacramenta ordinantur in remedium peccati, sed etiam inquantum ordinantur ad animae perfectionem *. [* D. 740.]

Ad primum ergo dicendum quod homo in statu innocentiae gratia indigebat *: [* D. 74.] non tamen ut consequeretur gratiam per aliqua sensibilia signa, sed spiritualiter et invisibiliter.

Ad secundum dicendum quod eadem est natura hominis ante peccatum et post peccatum, non tamen est idem naturae status. Nam post peccatum anima, etiam quantum ad superiorem partem, indiget accipere aliquid a corporalibus rebus ad sui perfectionem: quod in illo statu homini necesse non erat.

Ad tertium dicendum quod matrimonium fuit institutum in statu innocentiae, non secundum quod est sacramentum, sed secundum quod est in officium naturae. Ex consequenti tamen aliquid significàbat futurum circa Christum et Ecclesiam: sicut et omnia alia in figura Christi praecesserunt *. [* Cf. I *ad Cor.*, cap. x, vers. 11.]

α) *ante.* – *etiam ante* tertia.
β) *convenientia.* – *necessaria* tertia praeter I.

γ) *innocentiae.* – *ante peccatum* addit P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *In statu innocentiae homo sacramentis non indigebat, nec pro remedio peccati, nec pro perfectione animae.* Probatur. In statu illo superiora inferioribus dominabantur, et nullo modo dependebant ab eis. Sed contra hunc ordinem esset si anima a corporalibus sacramentis perficeretur, sive

quoad scientiam sive quoad gratiam. Ergo. – Maior declaratur. Quia sicut mens sub Deo, ita etc.

II. Circa hanc doctrinam, simul cum ea quae exprimitur in responsione ad secundum, dubium occurrit, an haec dicta, scilicet quod in statu innocentiae superiora nullo modo dependebant ab inferioribus, et similiter quod anima quantum ad superiorem partem non indiguisset accipere aliquid a corporalibus rebus ad sui perfectionem, intelligenda sint de ipso statu innocentiae communi primo homini et filiis qui fuissent innocentes: an de primo homine solum, qui solus fuit ante peccatum. Et est ratio dubii quia in statu innocentiae filii Adae acquisivissent scientiam ex sensibilibus, ut Auctor dicit in Prima Parte, qu. CI *: ac per hoc, superiora aliquo modo dependebant ab inferioribus, et superior pars animae indigebat ad sui perfectionem accipere a corporalibus rebus. Cuius oppositum hic dicitur. Et propterea haec verba non pertinent ad statum innocentiae communem patri et filiis.

* Art. 1.

Sed nec de ipso Adam verificantur. Quia animae primi hominis competebat modus intelligendi per conversionem ad phantasmata: ut Auctor dixit in Prima Parte, qu. XCIV, art. 2. Intellectio enim per conversionem ad phantasmata dependet a phantasmatibus. Ac per hoc, superiora dependebant aliquo modo ab inferioribus. Cuius oppositum hic dicitur.

III. Ad hoc dicitur quod praesens doctrina intelligenda est de statu innocentiae ut fuit in Adam. Tum quia in ipso solo fuit sine dependentia superiorum ab inferioribus quoad scientiam. – Tum quia Auctor non quaerit absolute de statu innocentiae, sed *de homine ante peccatum*: ut per ly *ante peccatum* determinet quod de homine secundum tempus illud quo fuit antequam peccaret quaerit, et non simpliciter de homine si perseverasset cum posteritate in innocentia.

Ad obiectionem autem in oppositum dicitur quod intellectio Adae, quia ex speciebus non acquisitis ex sensibus, sed infusis a Deo procedebat, non dependebat a phantasmatibus: sed utebatur phantasmatibus ut inferioribus, sicut anima utebatur corpore subdito.

IV. Et si quaeratur quid respondendum secundum Auctoris doctrinam sit quaerenti an filii innocentes indiguissent sacramentis: dicitur quod non fuissent eis necessaria sacramenta. Quia principalis perfectio hominis per sacramenta est per gratiam. Homines autem fuissent geniti cum gratia: ut in Prima Parte, qu. C, art. 1, Auctor dixit. Non indiguissent igitur ex conditione sui status sacramentis perfectivis hominis quantum ad gratiam. Et quia gratiam comitantur dona intellectus perfectiva, consequens est ut nec quoad perfectionem scientiae de supernaturalibus indiguissent sacramentis. Eodem enim modo divina sapientia providet de principali et accessorio: ut patet ex opposito nostro statu, in quo perfectionem scientiae supernaturalis ex sacramentis accipimus, quia per illa tantum gratiam a Deo habemus.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM POST PECCATUM, ANTE CHRISTUM, SACRAMENTA DEBUERINT ESSE

IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 2, qu[is] 3, 4.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod post peccatum, ante Christum, sacramenta non debuerunt esse. Dictum est enim * quod per sacramenta passio Christi hominibus applicatur: et sic passio Christi comparatur ad sacramenta sicut causa ad effectum. Sed effectus non praecedit causam. Ergo sacramenta non debuerunt esse ante Christi adventum.

* Art. 1, ad 3.

2. PRAETEREA, sacramenta debent esse convenientia statui humani generis: ut patet per Augustinum, XIX *contra Faustum* *. Sed status humani generis non fuit mutatus post peccatum usque ad reparationem factam per Christum. Ergo nec sacramenta debuerunt immutari, ut, praeter sacramenta legis naturae, alia statuerentur in lege Moysi.

* Cap. XVI, XVII.

3. PRAETEREA, quanto magis est aliquid propinquum perfecto, tanto magis debet ei assimilari. Sed perfectio salutis [α] humanae per Christum facta est, cui propinquiora fuerunt sacramenta veteris legis quam ea quae fuerunt ante legem. Ergo debuerunt esse similiora sacramentis Christi. Cuius tamen contrarium apparet, ex eo quod sacerdotium Christi praedicitur esse futurum *secundum ordinem Melchisedech, et non secundum ordinem Aaron*, ut habetur *Heb.* VII *. Non ergo convenienter fuerunt disposita ante Christum sacramenta.

α

* Vers. 11. - Cf. Ps. CIX, vers. 4.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, XIX *contra Faust.* *, quod *prima sacramenta, quae celebrabantur et observabantur ex lege, praenuntia erant Christi venturi.* Sed necessarium erat ad humanam salutem ut adventus Christi praenuntiaretur. Ergo necessarium erat ante Christum sacramenta quaedam disponi.

* Cap. XIII.

RESPONDEO DICENDUM quod sacramenta necessaria sunt ad humanam salutem inquantum sunt quaedam sensibilia signa invisibilium rerum quibus homo sanctificatur. Nullus autem sanctificari potest post peccatum nisi per Christum, *quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae, ut sit ipse iustus* [β] *et iustificans eum qui ex fide est Iesu Christi* *. Et ideo oportebat ante Christi adventum esse quaedam signa visibilia quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu. Et huiusmodi signa sacramenta dicuntur. Et sic patet quod ante Christi adventum necesse fuit quaedam sacramenta institui.

β

* *Ad Rom.*, cap. III, vers. 25, 26.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod passio Christi est causa finalis veterum sacramentorum: quae scilicet ad ipsam significandam sunt instituta. Causa autem finalis non praecedit tempore, sed solum in intentione agentis. Et ideo non est inconveniens aliqua sacramenta ante Christi passionem fuisse.

AD SECUNDUM DICENDUM quod status humani generis post peccatum et ante Christum dupliciter potest considerari. Uno modo, secundum fidei

α) *salutis.* – EF et tertia praeter pG; *legis salutis.*

β) *iustus.* – PG; *Christus iustus* Hbc, *Christus* ceteri, nisi forte *tpc* I.

rationem. Et sic semper unus et idem permansit: quia scilicet iustificabantur homines per fidem futuri Christi adventus.

Alio modo potest considerari secundum intensionem et remissionem peccati, et expressae cognitionis de Christo. Nam per incrementa temporum et peccatum coepit in homine magis dominari, in tantum quod, ratione hominis per peccatum obtenebrata, non sufficerent homini ad recte vivendum praecepta legis naturae, sed necesse fuit determinari praecepta in lege scripta; et cum his quaedam fidei sacramenta. Oportebat etiam ut per incrementa temporum magis explicaretur cognitio fidei: quia, ut Gregorius dicit *, *per incrementa temporum crevit divinae cognitionis augmentum.* Et ideo etiam necesse fuit quod in veteri lege etiam γ quaedam sacramenta fidei quam habebant de Christo venturo, determinarentur; quae quidem comparantur ad sacramenta quae fuerunt ante legem sicut determinatum ad indeterminatum; quia scilicet ante legem non fuit determinate praefixum homini quibus sacramentis uteretur, sicut fuit per legem. Quod erat necessarium et propter obtenebrationem legis naturalis; et ut esset determinatior fidei significatio δ.

* Homil. XVI, al. lib. II, homil. IV, *in Ezechiel.*

Ad tertium dicendum quod sacramentum Melchisedech, quod fuit ante legem, magis assimilatur sacramento novae legis in materia: inquantum scilicet *obtulit panem et vinum,* ut habetur *Gen.* XIV *, sicut etiam sacrificium novi Testamenti oblatione panis et vini perficitur. Sacramenta tamen legis Mosaicae magis assimilantur rei significatae per sacramentum, scilicet passioni Christi: ut patet de agno paschali et aliis huiusmodi. Et hoc ideo ne, propter continuitatem temporis, si permaneret eadem sacramentorum species, videretur esse sacramenti eiusdem continuatio.

* Vers. 18.

γ) *etiam.* – Om. PFI.
δ) *determinatior fidei significatio.* – PsE; *determinatior fidei signo* pE, *determinatio fidei* GHb, *determinatio fidei signo* (*sig*o AD, *signatio* FI) ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Ante Christi adventum, post peccatum, necesse fuit quaedam sacramenta institui.* Probatur. Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem ut signa sensibilia invisibilium rerum quibus homo post peccatum sanctificatur. Ergo ante Christi adventum, post peccatum, oportuit esse quaedam sensibilia signa quibus fidem suam de Christo futuro homo protestaretur. Ergo oportuit tunc esse sacramenta quaedam.

Prima consequentia probatur. Quia nullus post peccatum sanctificatur nisi per Christum, etc. – Secunda consequentia probatur. Quia huiusmodi signa dicuntur esse sacramenta.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM POST CHRISTUM DEBUERINT ESSE ALIQUA SACRAMENTA

IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 2, qu^a 5; dist. II, qu. I, art. 4, qu^a 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LVII.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod post Christum non debuerint esse aliqua sacramenta. Veniente enim veritate, debet cessare figura. Sed *gratia et veritas per Iesum Christum facta est,* ut dicitur Ioan. I *. Cum igitur sacramenta sint veritatis signa sive figurae, videtur quod post Christi passionem sacramenta esse non debuerint.

* Vers. 17.

2. Praeterea, sacramenta in quibusdam elementis consistunt, ut ex supra * dictis patet. Sed Apostolus dicit, *Galat.* IV *, quod, *cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes:* nunc autem, *temporis plenitudine veniente,* iam non sumus parvuli. Ergo videtur quod non debeamus Deo servire sub elementis huius mundi, corporalibus sacramentis utendo.

* Qu. LX, art. 4.
* Vers. 3, 4, 7.

3. Praeterea, *apud Deum non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio,* ut dicitur Iac. I *. Sed hoc videtur ad quandam mutationem divinae voluntatis pertinere, quod alia sacramenta nunc exhibeat hominibus ad sanctificationem tempore gratiae, et alia ante Christum. Ergo videtur quod post Christum non debuerunt institui alia sacramenta.

* Vers. 17.

Sed contra est quod Augustinus dicit, *contra Faust.* XIX *, quod sacramenta veteris legis *sunt ablata, quia impleta: et alia sunt instituta virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.*

* Cap. XIII.

Respondeo dicendum quod, sicut antiqui Patres salvati sunt per fidem Christi venturi, ita et nos salvamur per fidem Christi iam nati et passi. Sunt autem sacramenta quaedam signa protestantia fidem qua homo iustificatur. Oportet autem aliis signis significari futura, praeterita seu praesentia: ut enim Augustinus dicit, XIX *contra Faust.* *, *eadem res aliter annuntiatur facienda, aliter facta: sicut ipsa verba « passurus » et « passus » non similiter sonant.* Et ideo oportet quaedam alia sacramenta in nova lege esse, quibus significentur ea quae praecesserunt in Christo, praeter sacramenta veteris legis, quibus praenuntiabantur futura.

* Cap. XVI.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Dionysius dicit, in V cap. *Eccl. Hier.*, status novae legis medius est inter statum veteris legis, cuius figurae implentur in nova lege; et inter statum gloriae, in qua omnis nude et perfecte manifestabitur veritas. Et ideo tunc nulla erunt sacramenta. Nunc autem, quandiu *per speculum in aenigmate cognoscimus,* ut dicitur I *Cor.* XIII *, oportet nos per aliqua sensibilia signa in spiri-

* Vers. 12.

tualia devenire. Quod pertinet ad rationem sacramentorum.

Ad secundum dicendum quod sacramenta veteris legis Apostolus * vocat *egena et infirma elementa,* quia gratiam nec continebant, nec causabant. Et ideo utentes illis sacramentis dicit Apostolus *sub elementis mundi* Deo servisse: quia scilicet nihil erant aliud quam elementa huius mundi. Nostra autem sacramenta gratiam continent et causant. Et ideo non est de eis similis ratio.

* Loc. cit. in arg., vers. 9.

Ad tertium dicendum quod, sicut paterfamilias non ex hoc habere monstratur mutabilem voluntatem quod diversa praecepta familiae suae proponit pro temporum varietate, non eadem praecipiens hieme et aestate; ita non ostenditur aliqua mutatio esse circa Deum ex hoc quod alia sacramenta instituit post Christi adventum, et alia tempore legis; quia illa fuerunt congrua gratiae praefigurandae, haec autem sunt congrua gratiae praesentialiter demonstrandae.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Oportet in nova lege esse quaedam alia sacramenta.* Probatur. Sacramenta sunt signa protestantia fidem qua homo iustificatur. Ergo oportet esse alia sacramenta quibus praeterita credita significentur.

Consequentia, quoad id quod supponit, scilicet diversitatem significabilium, probatur: quia antiqui salvabantur per fidem Christi nascituri, nos per fidem Christi nati. Et quoad ipsa signa probatur: quia aliis signis oportet significari praeterita et futura. Probatur hoc auctoritate Augustini: et ex ipsis verbis praeteriti et futuri temporis.



QUAESTIO SEXAGESIMASECUNDA

DE EFFECTU PRINCIPALI SACRAMENTORUM, QUI EST GRATIA

IN SEX ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LX, Introd.
α
* Qu. LXIII.

DEINDE considerandum est de effectu Sacramentorum *. Et primo, de effectu eius [α] principali, qui est gratia; secundo de effectu secundario, qui est character *.

Circa primum quaeruntur sex.

Primo: utrum sacramenta novae legis sint causa gratiae.

Secundo: utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum.

Tertio: utrum sacramenta contineant gratiam.

Quarto: utrum sit in eis aliqua virtus ad causandum gratiam.

Quinto: utrum talis virtus in sacramentis derivetur a passione Christi.

Sexto: utrum sacramenta veteris legis gratiam causarent.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM SACRAMENTA SINT CAUSA GRATIAE

Infra, art. 6; Iª IIªᵉ, qu. CXII, art. 1, ad 2; IV *Sent.*, dist. 1, qu. 1, art. 4, quª 1; dist. XVIII, qu. 1, art. 3, quª 1, ad 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LVII; *De Verit.*, qu. XXVII, art. 4; *Quodl.* XII, qu. X; *De Eccles. Sacram.*; *Ad Galat.*, cap. II, lect. IV.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramenta non sint causa gratiae. Non enim idem videtur esse signum et causa: eo quod ratio signi videtur magis effectui competere. Sed sacramentum est signum gratiae. Non igitur est causa eius.

2. PRAETEREA, nullum corporale agere potest in rem spiritualem: eo quod *agens est honorabilius patiente*, ut Augustinus dicit, XII *super Gen. ad litt.* * Sed subiectum gratiae est mens hominis, quae est res spiritualis. Non ergo sacramenta possunt gratiam causare.

* Cap. XVI. - Cf. Aristot. *de Anim.* lib. III, cap. V, n. 2; s. Th. lect. X.

3. PRAETEREA, illud quod est proprium Dei, non debet alicui creaturae attribui. Sed causare gratiam est proprium Dei: secundum illud Psalmi *: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Cum ergo sacramenta consistant in quibusdam verbis et rebus creatis, non videtur quod possint gratiam causare.

* Ps. LXXXIII, vers. 12.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, *super Ioan.* *, quod aqua baptismalis *corpus tangit et cor abluit.* Sed cor non abluitur nisi per gratiam. Ergo causat gratiam: et pari ratione alia Ecclesiae sacramenta.

* Tract. LXXX.

RESPONDEO DICENDUM quod necesse est dicere sacramenta novae legis per aliquem modum gratiam causare. Manifestum est enim quod per sacramenta novae legis homo Christo incorporatur: sicut de baptismo dicit Apostolus, *Galat.* III *: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Non autem efficitur homo membrum Christi nisi per gratiam.

* Vers. 27.

Quidam * tamen dicunt quod non sunt causa gratiae aliquid operando: sed quia Deus, sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur. Et ponunt exemplum de illo qui, afferens denarium plumbeum, accipit centum libras ex regis ordinatione: non quod denarius ille aliquid operetur ad habendum praedictae pecuniae quantitatem; sed hoc operatur sola voluntas regis. Unde et Bernardus dicit, in quodam sermone *in Cena Domini* *: *Sicut investitur canonicus per librum, abbas per baculum, episcopus per anulum, sic divisiones gratiarum diversae sunt traditae sacramentis.*

* Cf. Gulielm. Paris. *de Sacram. Baptism.* cap. III.

* Al. *de Baptismo* etc., n. 2.

Sed si quis recte consideret, iste modus non transcendit rationem signi. Nam denarius plumbeus non est nisi quoddam signum regiae ordinationis de hoc quod pecunia recipiatur ab isto. Similiter liber est quoddam signum quo designatur traditio canonicatus. Secundum hoc igitur sacramenta novae legis nihil plus essent quam signa gratiae: cum tamen ex multis Sanctorum auctoritatibus habeatur quod sacramenta novae legis non solum significant, sed causant gratiam.

Et ideo aliter dicendum: quod duplex est causa agens, principalis et instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suae formae, cui assimilatur effectus: sicut ignis suo calore calefacit. Et hoc modo non potest causare gratiam nisi Deus *: quia gratia nihil est aliud quam quaedam participata similitudo divinae naturae, secundum illud II *Pet.* I *: *Magna nobis et pretiosa promissa donavit, ut divinae simus consortes naturae.* – Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti: sicut lectus non assimilatur securi, sed arti quae est in mente artificis. Et hoc modo sacramenta

* D. 680.
* Vers. 4.

α) *eius.* – Om. ADEa, *eorum* P.

β novae legis gratiam causant: adhibentur enim [β] ex divina ordinatione ad gratiam in eis causandam. Unde Augustinus dicit, XIX *contra Faust.* * [* Cap. xvi.]: *Haec omnia,* scilicet sacramentalia, *fiunt et transeunt: virtus tamen,* scilicet Dei, *quae per ista operatur, iugiter manet.* Hoc autem proprie dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur. Unde et *Tit.* III * [* Vers. 5.] dicitur: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.*

Ad primum ergo dicendum quod causa principalis non proprie potest dici signum effectus, licet occulti, etiam si ipsa sit sensibilis et manifesta. Sed causa instrumentalis, si sit manifesta, potest dici signum effectus occulti: eo quod non solum est causa, sed quodammodo effectus, inquantum movetur a principali agente. Et secundum hoc, sacramenta novae legis simul sunt γ causa [γ] et signa. Et inde est quod, sicut communiter dicitur, *efficiunt quod figurant.* Ex quo etiam patet quod habent perfecte rationem sacramenti: inquantum ordinantur ad aliquid sacrum non solum per modum signi, sed etiam per modum causae.

Ad secundum dicendum quod instrumentum habet duas actiones: unam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriam, quae competit sibi secundum propriam formam; sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum inquantum est instrumentum artis. Non autem perficit actionem instrumentalem nisi exercendo actionem propriam; scindendo enim facit lectum. Et similiter sacramenta corporalia per propriam operationem quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute divina [δ] circa animam: sicut aqua baptismi, abluendo corpus secundum propriam virtutem, abluit animam inquantum est instrumentum virtutis divinae; nam ex anima et corpore unum fit. Et hoc est quod Augustinus dicit * [* Loc. cit. in arg. *Sed cont.*], quod *corpus tangit et cor abluit.* δ

Ad tertium dicendum quod ratio illa procedit de eo quod est causa gratiae per modum principalis agentis: hoc enim est proprium Dei, ut dictum est * [* In corpore.].

β) *enim.* – *hominibus* addit E, idem P post *ordinatione.*
γ) *causa.* – *causae* tertia et *a.*
δ) *divina.* – DEI et editiones; ante *virtute* ponit F, om. ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo nota terminos. Non enim quaeritur, *an sacramenta dicantur causa:* sed, *an sint causa.* Et hoc ideo quia non satisfit quaestioni vocando causam id quod vera non est causa.

De gratia autem in praesenti titulo sermo est indistincte. Reservatur enim sequenti articulo quae sit illa gratia quae per sacramenta confertur. Unde non spectat ad praesentem quaestionem discutere in speciali de gratia quae causatur. – Rursus, si principium non articuli huius, sed introductae quaestionis huius, perspexeris, ubi haec quaestio sexagesimasecunda a quaestione sexagesimatertia distinguitur, dicendo, *Et primo, de effectu eius principali, qui est gratia; secundo, de effectu secundario, qui est character:* videbis quod sub gratiae nomine hoc in loco non comprehenditur character, cum distinguatur contra characterem; sed communiter sumitur, prout a Sanctis dicitur quod *sacramenta conferunt gratiam.*

Et hoc manda memoriae: et reminiscere, cum postea * [* In hoc art. et art. 4.] dicetur sacramenta causare instrumentaliter gratiam, ut non recurras ad characterem, volens fugere quod baptismus non causet gratiam gratum facientem, quia creatur, et creatura non potest etiam instrumentaliter creare. Hic enim, de effectu principali sacramentorum, qui est gratia distincta contra characterem, tractando, quaeritur an sacramentum sit causa gratiae: et in sequenti articulo quid addat haec gratia supra gratiam gratum facientem discutitur.

II. In corpore articuli tria fiunt: primo, ponitur id in quo oportet omnes convenire; secundo, recitatur quorundam opinio; tertio, respondetur quaesito secundum propriam opinionem. Quoad primum, conclusio est: *Necesse est dicere sacramenta novae legis aliquo modo causare gratiam.* Probatur. Per sacramenta homo Christo incorporatur. Ergo acquirit gratiam. – Antecedens est Apostoli. – Consequentia patet: quia non fit homo membrum Christi nisi per gratiam.

Quoad secundum, primo ponitur opinio quod sacramenta causant non operando ad gratiam, sed quia Deus assistit; cum exemplis, et auctoritate Bernardi. – Secundo, exponitur quid importet haec opinio, scilicet quod non ponit sacramenta supra genera signorum: et declaratur exemplis. – Tertio, improbatur haec opinio auctoritate Sanctorum addentium signo causam.

Quoad tertium, ponitur primo distinctio bimembris de causa agente: scilicet principali, et instrumentali. – Secundo, ponitur causae principalis conditio, qua distinguitur ab instrumentali, scilicet: Principalis causa est quae agit virtute suae formae, cui assimilatur effectus. Et iuxta hoc membrum ponitur una conclusio: *Solus Deus est causa principalis gratiae.* Probatur. Solus Deus est cuius est participata similitudo gratia. Ergo solus Deus est gratiae causa principalis. Antecedens est Petri Apostoli. Consequentia patet ex conditione causae principalis. – Tertio, ponitur conditio causae instrumentalis. Et iuxta hoc membrum ponitur alia conclusio, scilicet: *Sacramenta sunt causae agentes instrumentaliter ad gratiam.* Probatur. Causa instrumentalis est quae non agit virtute suae formae, sed per solum motum quo ab agente principali movetur. Sed sacramenta Deus adhibet ut per ea causet gratiam. Ergo sunt causae instrumentales. Maior patet ex signo, quia effectus non assimilatur instrumento: et ex exemplo de lectulo respectu serrae et artis. Minor probatur auctoritate Augustini, et Apostoli, et modi loquendi: quia hoc vocatur instrumentum per quod principale agens operari dicitur.

III. Hoc in loco advertendum est quod Scotus, in IV *Sent.,* dist. I, qu. IV et V, etsi videatur tertiam ponere opinionem, secundum tamen rem positio sua incidit in opinionem praerecitatam ac improbatam in littera: solis enim verbis ab illa differt * [* Cf. num. v.]. Ponit enim tria in sacramento. Primo, effectum quem sensibile signum habet a Deo: puta quod adhibetur ex institutione divina tale ut a nobis suscipiatur ut sacramentum. Secundum, quod est necessitas necessitate infallibilitatis respectu effectus significati per sacramentum. Tertium, quod habet rationem dispositionis: pro quanto suscipiens sacramentum ex ipsa susceptione disponitur ad suscipiendum effectum significatum per sacramentum, a Deo immediate causante illum. Ex quorum trium concursu infert quod sacramentum, licet non sit secundum rem causa gratiae, potest tamen appellari causa instrumentalis gratiae: ut sic salventur auctoritates Sanctorum.

Declarat autem hoc, scilicet quod sine vera causalitate possit dici causa instrumentalis. Tum quia meritum dicitur causa praemii: et tamen non efficit illud. – Tum quia motus dicitur causa termini: et tamen non efficit illum. – Tum quia vere dicimus quod per motum acquiritur terminus, et per meritum acquiritur praemium: et tamen neutrum est causa vere instrumentalis. Et hoc directe militat contra rationem litterae sumptam ex modo loquendi cum illa praepositione *per*.

IV. Arguit praeterea contra conclusionem principalem huius litterae, scilicet, *Sacramentum est vere causa instrumentaliter agens ad gratiam* *. Et argumentum suum est ex parte effectus. Aut sacramentum attingit instrumentaliter agendo ipsam gratiam gratum facientem, aut aliquam dispositionem praeviam. Non potest dici primum: quia gratia creatur, et nulla creatura potest etiam instrumentaliter creare.

* Cf. num. vi.

Nec potest dici secundum. Tum quia dispositio illa, cum sit forma supernaturalis, est aeque creabilis sicut gratia. – Tum quia subiectum est aeque in potentia obedientiali ad illam dispositionem. – Tum quia dispositio illa producitur in instanti: sacramenta autem non possunt agere in instanti. Et si ponatur produci in tempore, Deum agere in tempore inconvenit.

Arguit praeterea contra idem descendendo specialiter ad sacramentum Eucharistiae. Quia transubstantiatio fit sola infinita virtute: non minus quam creatio. Nec potest fingi in pane dispositio necessitans ad transubstantiationem: quoniam dispositio necessitans est in eodem instanti cum termino.

Praeterea, in aliis sacramentis oporteret assignare quae sit ista dispositio quae instrumentaliter causatur a sacramentis.

Demum arguit quod superflue ponitur ista causalitas in sacramentis *. Quia sine ipsa, ex assistentia divina Ecclesiae revelata in operationibus sacramentalibus, omnia salvantur ad sacramenta et eorum effectus requisita.

* Cf. num. vii.

V. Ad primo obiecta Scoti * breviter respondendo, dicitur quod, cum ipse non salvet sacramentum causam esse, sed causam dici; et in veritate non nisi signum infallibile praeceptum suscipi ponatur ad effectum sacramenti: non satisfit auctoritatibus Sanctorum dicentibus sacramentum esse signum et causam efficientem signatum, ut patet in IV *Sententiarum* *.

* Num. iii.

* Dist. i, cap. *Sacramentum*. - Cf. s. Th. ibid. qu. i, art. 4, quª 1.

Cum ergo obiicitur primo quod sacramentum habet rationem dispositionis, respondetur quod non esset dispositio nisi ratione obedientiae qua praeceptum suscipitur signum. Et propterea falsum est quod ipsum sacramentum, seu illius susceptio, secundum se esset dispositio in esse reali, nisi ponatur realiter causa.

Ad secundum vero, de merito *, dicitur quod, licet meritum sit causa ut ratio qua operanti est debitum praemium, et propterea dicitur causa praemii, constat tamen meritum non efficere praemium: quoniam aliunde est mereri, et aliunde praemiare. Et propterea non obstat hoc proposito, ubi de causa efficiente secundum rem est quaestio.

* Num. iii, *Declarat.*

Ad tertium, de motu, dicitur quod, quia motus potest sumi active vel passive vel absolute; et per motionem activam procul dubio effective fit terminus; per motum autem simpliciter vel passive non effective, sed tanquam per viam acquiritur terminus: ideo argumentum non obstat propositioni qua utitur Auctor in hoc proposito, scilicet: *Illud proprie dicitur instrumentum, per quod agens effective operatur.*

Et per hoc patet responsio ad ultimum, contra rationem de modo loquendi. Quoniam non sumit argumentum Auctor ex ly *per* absolute, sed applicato ad id per quod efficiens operatur.

VI. Ad argumenta secundo loco inducta, contra conclusionem principalem *, dicitur quod sacramentum instrumentaliter attingit gratiam sacramentalem; et non oportet recurrere ad dispositionem praeviam ad gratiam. Quidquid enim, secundum aliorum opinionem ut probabiliorem, dixerit Auctor in IV *Sent.* *, hoc in loco, secundum propriam sententiam, longe altius sensit, expresse ponens gratiam gratum facientem, qua scilicet homo fit membrum Christi, et qua sumus divinae naturae consortes, a Deo principaliter et a sacramento instrumentaliter effici. – Et confirmatur clare hanc esse suam intentionem ex titulo quaestionis, ubi distinguit hanc quaestionem a sequenti per hoc quod nunc quaeritur de sacramenti effectu principali, qui est gratia, tunc autem quaeretur de effectu secundario, qui est character, de quo et ornatu simile dicitur esse iudicium in IV *Sent.* *, quoad praesentem quaestionem. – Et confirmatur hoc idem ex sequenti articulo huius quaestionis, ubi gratia sacramentalis non ponitur dispositio, sed, ut patebit *, nullum habituale donum addit supra gratiam gratum facientem.

* Num. iv.

* Dist. i, qu. i, art. 4, quª 1; dist. xviii, qu. i, art. 3, quª 1, ad 1.

* Dist. i, qu. i, art. 4, quª 1.

* Comment. num. ii.

Ad obiectionem autem quod nulla creatura potest etiam instrumentaliter creare, respondetur hoc concedendo: sed negando quod gratia proprie creetur. Quod patet ex eo quod, cum desinit esse, non annihilatur: nam, si crearetur, quia creatio est ex nihilo, cum desineret conservari, oporteret quod eius desitio esset annihilatio. Deum autem credimus nunquam aliquid annihilare.

Et licet hoc sufficiat argumento, pro reverentia tamen communis dicti, sane intelligendi, de creatione gratiae, distinguere potes quod causatio gratiae dupliciter sumi potest. Vel quatenus est mutatio animae de non-grata in gratam Deo: et sic attingitur instrumentaliter a sacramento. Vel quatenus creatio ibi aliquo modo immiscetur: et sic fit gratia immediate a Deo. Probatur autem convenienter sic dici, quia Christus, caput Ecclesiae ut homo (alioquin non esset eiusdem naturae cum membris), influit vitam, procul dubio gratiae gratum facientis, membris suis. Constat autem humanitatem Christi infra latitudinem contineri creaturarum. Non inconvenit ergo Deum per humanitatem Christi ut instrumentum coniunctum, et per sacramentum ut instrumentum separatum, gratiam gratum facientem in homine causare: ut clare habes hic in responsione ad tertium bene perspecta ac collata cum argumento et corpore articuli, ad quod se remittit.

Et per hoc patet responsio ad obiecta reliqua contra dispositiones praevias causabiles per sacramenta in speciali. De singulorum enim propriis effectibus in tractatu singulorum patere poterit. Nunc enim sat est proposito de effectu qui est gratia sacramentalis, tractare: quam diximus, et manifestabimus, non oportere esse dispositionem aliquam praeviam ad gratiam. Quare falsum est sacramentum non posse causare in instanti. Quoniam in termino temporis prolationis verborum sacramentum causare effectum suum potest. – Nec etiam inconvenit Deum, voluntarie utendo motu creaturae, agere in tempore: cum nullus adeo desipiat qui neget Deum posse localiter movere, quod est agere in tempore.

VII. Ad demum obiecta quod superflue ponitur ista causalitas in sacramentis *, respondetur quod non superflue, sed necessario ponitur. Tum necessitate reverentiae ad auctoritates Sanctorum: quas ipsemet Scotus volens salvare, glossat: « *causa* », *idest* « *signum infallibile* »; ubi patet manifestus error in glossando. – Tum necessitate dignitatis sacramentorum novae legis. Longe enim digniora sunt si locantur in genere causae, quam si infra latitudinem signorum concludantur, ut sacramenta veteris legis. Fateri enim oportet sacramenta novae legis digniora esse sacramentis veteris legis: et excedere vetera in hoc quod nova *efficiunt quod figurant,* vetera autem non, ut patet in IV *Sent.*, dist. 1 *.

* Num. iv, *Demum.*

* Cap. *Iam videre.* - Cf. ibid. s. Th. qu. i, art. 4, quª 1.

A glossante autem Scoto, aut quocumque altero, in extraneum sensum, quaerendum est quibus verbis, aut quibus articulis, aut quo sermone, Sancti, aut quicumque alii, debuissent aut potuissent explicare hoc, scilicet quod sacramenta sint causa effectiva gratiae, si non explicatur per ista, *Efficiunt quod figurant,* et rursus per ista, *Ita ut imaginem gerat et causa existat:* quae omnia explicantur in Quarto *Sententiarum* *. Doceant nos, quaeso, quibus vocabulis explicandum fuerat: et sic cognoscant se vel non sequi doctrinam Sanctorum in hac parte, collectam a Magistro Sententiarum.

* Dist. i, cap. *Sacramentum;* dist. iv, cap. *Hic dicendum est.*

Et scito quod hodie minus libera apparet opinio haec. Quoniam in concilio Florentino, sub Eugenio IV *, legimus differentiam inter sacramenta veteris et novae legis in hoc quod illa non causabant gratiam, ista vero continent gratiam et conferunt eam. Haec ibi.

* In Decret. pro Armen.

VIII. In responsione ad secundum, adverte Scotum, ubi supra *, nec exempla praeterire. Unde contra exemplum de efficientia instrumentorum artificum arguit, probando serram non esse effectivam causam instrumentalem. Tum quia nec figura, nec quantitas, nec motus localis est forma activa. – Tum quia, sicut albedo expellit ab eodem nigredinem non effective sed formaliter, ita corpus expellit corpus ab eodem loco non effective, sed quasi formaliter.

* Num. III.

IX. Ad haec facile est et respondere, et monstrare inopinabilem hanc Scoti novam phantasiam esse falsam. Cum enim movens proximum et motum oporteat esse simul; et constet ligni partes, quae secando moventur localiter, non esse simul cum artifice (non enim oportet se tangi artificem et lignum quod secatur): consequens est quod movens proximum partes illas oportet quod sit serra, quae est corpus movens motum. – Et confirmatur auctoritate Aristotelis, II *de Anima* *, ponentis nautam movere navem et manu et temone, altera ut instrumento coniuncto, altero ut instrumento separato. Constat autem effective esse huiusmodi movere.

* Cap. IV, n. 16. - S. Th. lect. IX.

Ad primam ergo obiectionem dicitur quod, licet motus localis absolute non sit forma activa aut actio, movere tamen localiter est agere, ut patet. Et sic, sicut artifex movendo serram agit, ita serra, movendo partes ligni, agit.

Ad secundam dicitur quod aliud est loqui de modo quo corpus expellit corpus ab eodem loco, et aliud est loqui de modo quo corpus movens motum expellit aliud corpus a suo loco: sicut aliud est loqui quomodo calor expellit frigus, et aliud quomodo corpus calefaciens calefactum expellit frigus. Ad propositum siquidem quaestionis huius non spectat primum, sed secundum: quoniam instrumentum artificis est movens motum. Ex quo patet quod exemplum Auctoris deservit proposito, dum sacramentum ponitur instrumentum divinae misericordiae motum a Deo ad movendum animam in sanctitatem sui.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM GRATIA SACRAMENTALIS ADDAT ALIQUID SUPRA GRATIAM VIRTUTUM ET DONORUM

Infra, qu. LXXII, art. 7, ad 3; II *Sent.*, dist. XXVI, art. 6, ad 5; IV, dist. I, qu. I, art. 4, quª 5; dist. VII, qu. II, art. 2, quª 3; *De Verit.*, qu. XXVII, art. 5, ad 12.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod gratia sacramentalis non addat aliquid supra gratiam virtutum et donorum. Per gratiam enim virtutum et donorum perficitur anima sufficienter et quantum ad essentiam animae, et quantum ad eius potentias: ut patet ex his quae in Secunda Parte * dicta sunt. Sed gratia ordinatur ad animae perfectionem. Ergo gratia sacramentalis non potest aliquid addere super gratiam virtutum et donorum.

* Iª IIae, qu. CX, art. 3, 4.

2. PRAETEREA, defectus animae ex peccatis causantur. Sed omnia peccata sufficienter excluduntur per gratiam virtutum et donorum: quia nullum est peccatum quod non contrarietur alicui virtuti. Gratia ergo sacramentalis, cum ordinetur ad defectus animae tollendos, non potest aliquid addere super gratiam virtutum et donorum.

3. PRAETEREA, omnis additio vel subtractio in formis variat speciem, ut dicitur in VIII *Metaphys.* * Si igitur gratia sacramentalis addat aliquid super gratiam virtutum et donorum, sequitur quod aequivoce dicatur gratia. Et sic nihil certum ostenditur [α] ex hoc quod sacramenta dicuntur gratiam causare.

* S. Th. lect. III. - Did. lib. VII, cap. III, n. 8.

SED CONTRA EST quod, si gratia sacramentalis non addit aliquid super gratiam donorum et virtutum, frustra sacramenta habentibus et dona et virtutes conferrentur. In operibus autem Dei nihil est frustra *. Ergo videtur quod gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum.

* Arist. *de Cael. et Mund.* lib. I, cap. IV, n. 8. - S. Th. lect. VIII.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte * dictum est, gratia, secundum se considerata, perficit essentiam animae, inquantum participat quandam similitudinem divini esse. Et sicut ab essentia animae fluunt eius potentiae, ita a gratia fluunt quaedam perfectiones ad potentias animae, quae dicuntur virtutes et dona, quibus potentiae perficiuntur in ordine ad suos actus. Ordinantur autem sacramenta ad quosdam speciales effectus necessarios in vita Christiana: sicut baptismus ordinatur ad quandam spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis et fit membrum Christi; qui quidem effectus est aliquid speciale praeter actus potentiarum animae. Et eadem ratio est in aliis sacramentis. Sicut igitur virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam quandam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum *, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, et super virtutes et dona, quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Et per hunc modum gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum et donorum.

* Iª IIae, qu. CX, art. 3, 4.

* D. 677.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod gratia virtutum et donorum sufficienter perficit essentiam et potentias animae quantum ad generalem ordinationem actuum [β]. Sed quantum ad quosdam effectus speciales qui requiruntur in Christiana vita, requiritur sacramentalis gratia.

AD SECUNDUM DICENDUM quod per virtutes et dona sufficienter excluduntur vitia et peccata quantum ad praesens et futurum: inquantum scilicet impeditur homo per virtutes et dona a peccando. Sed quantum ad praeterita peccata, quae transeunt actu et permanent reatu [γ], adhibetur homini remedium specialiter per sacramenta.

AD TERTIUM DICENDUM quod ratio sacramenta-

α) *ostenditur.* – *nobis ostenditur* PIc.
β) *actuum.* – *animae* addunt I et editiones.

γ) *reatu... instrumento ex* (art. 4. ad 3). – Om. E; antiquus corrector reliqua secundi articuli super marginem superiorem scripsit et e regione *reatu* notat *hic deficiunt due qoes.*

lis gratiae se habet ad gratiam communiter dictam sicut ratio speciei ad genus. Unde, sicut non aequivoce dicitur *animal* communiter dictum et pro homine sumptum, ita non aequivoce dicitur gratia communiter sumpta et gratia sacramentalis.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo per ***gratiam virtutum et donorum*** intellige habitus gratiae gratum facientis, et virtutum tam theologalium quam moralium, et donorum Spiritus Sancti.

In corpore unica est conclusio: ***Gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum et donorum.*** Et probatur conclusio haec ex diversitate effectuum: quia scilicet alius est effectus gratiae sacramentalis, et alius est effectus gratiae virtutum et donorum. Et quia in conclusione et titulo non de sola distinctione, sed de distinctione per modum addentis fit mentio, ideo probatio utrumque includit, scilicet distinctionem et additionem, assumens non solum effectus gratiae virtutum et donorum ex una parte et effectus gratiae sacramentalis ex altera parte, sed etiam proportionem virtutum et donorum ad gratiam, ac per hoc implicite proportionem gratiae sacramentalis, seu ipsius effectus, ad gratiam.

Est ergo probatio ista. Gratia absolute perficit essentiam animae; et, sicut ab essentia fluunt potentiae, ita a gratia fluunt perfectiones potentiarum, dona scilicet et virtutes. Sacramenta autem ordinantur ad quosdam speciales effectus necessarios in vita Christiana, praeter actus potentiarum animae. Ergo, sicut virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam perfectionem ordinatam ad actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam et virtutes et dona quoddam divinum auxilium ad consequendum finem. Ergo gratia sacramentalis addit super gratiam donorum et virtutum.

Antecedens quoad primam partem declaratur. Gratia est similitudo divini esse: – seu, Quia anima, inquantum participat quandam similitudinem divini esse, perficitur a gratia. Quantum vero ad secundam partem, declaratur quoad hoc, quod potentiae perficiuntur per dona et virtutes in ordine ad actus ipsarum potentiarum. Quoad tertiam vero partem, declaratur ex effectu baptismali, qui est spiritualis regeneratio non qualitercumque, sed ita ut homo moriatur vitiis, membrumque Christi fiat. – Ubi scito quod effectus baptismi proprius non est gratia gratum faciens absolute: sed sic renasci secundum gratiam in membrum Christi ac si ipse passus fuisset patiente Christo; et hoc importat remissionem omnis culpae et omnis poenae. Constat enim hoc effectum quendam esse necessarium in vita Christiana, ultra bonam dispositionem actuum potentiarum animae. Et quod dicitur de baptismo, idem intelligi vult Auctor de effectibus aliorum sacramentorum. Quod si praeveniendo intelligere cupis, vide inferius articulum primum quaestionis sexagesimaequintae: ibi enim invenies proprium cuiusque sacramenti effectum, tam quoad bonum datum quam quoad defectum expulsum.

Consequentia autem ut consona rationi relinquitur. Quoniam utraeque, scilicet perfectiones potentiarum et gratiae sacramentales, de genere spiritualium sunt, et dependentium a gratia, et necessariorum in vita Christiana, etc.

II. Circa hanc doctrinam, adverte dupliciter posse intelligi gratiam sacramentalem addere super gratiam donorum et virtutum. Primo, ut addat donum aliquod habituale. Et hic sensus licet forte multis placeat, et ab Auctore sumptus credatur, quia ponit differentiam specificam inter gratias sacramentales et gratiam donorum et virtutum, tam hic in responsione ad ultimum, quam in Quaestionibus *de Veritate,* qu. XXVII, art. 5, ad 12: mihi tamen, etiamsi alibi, hoc est in libris *Sententiarum* * aut *Quaestionibus Disputatis* *, Auctor expressisset oppositum, aliter sentiendum videtur ex hoc loco. Et est secundus sensus, ut gratia sacramentalis addat supra gratiam donorum et virtutum, non habituale aliquod donum, sed actuale divinum auxilium extensivum gratiae virtutum et donorum ad effectum proprium sacramenti.

* II *Sent.*, dist. XXVI, art. 6, ad 5; IV, dist. I, qu. I, art. 4, qu[a] 5; dist. VII, qu. II, art. 2, qu[a] 3. – * Loc. cit.

Moveor autem ad hoc, quoniam in Prima Secundae * Auctor, dividendo gratiam, distinxit contra habituale donum gratiae, gratuitum divinum auxilium. Ac per hoc, sub genere gratiae communiter dictae locavit duo genera seu species gratiarum, scilicet gratiam habitualis doni, et gratiam divini auxilii. Et propterea, cùm hoc in loco expresse dicat gratiam sacramentalem addere divinum auxilium, non est ad aliud genus gratiae e regione positum, scilicet donum habituale, divertendum: sed, planum litterae sensum sectando, sentiendum est quod gratia sacramentalis distinguitur specie a gratia virtutum et donorum, non sicut habitus ab habitu, sed sicut gratuitum divinum auxilium a gratuito habituali dono; et per hoc, esse speciem gratiae communiter dictae, ut in responsione ad tertium dicitur; et dividi in plures species, iuxta specificam pluralitatem effectuum, ut inferius qu. LXXII, art. 7, ad 3, dicitur.

* Qu. CIX, art. 10 sqq.; qu. CX, art. 2.

Et confirmatur hoc ex nunc nunc allegato loco, ubi Auctor gratiam in sacramento confirmationis collatam, ad hic dicta se referens: – non dicit diversam esse gratiam gratum facientem et sacramentalem baptismi et confirmationis: sed dicit gratiam utrobique collatam habere aliquid commune, et aliquid proprium; et quoad commune, quod est gratia gratum faciens, esse unius speciei; si vero consideretur quoad propria superaddita, sic diversarum sunt rationum collata in baptismo et confirmatione. Ex hoc enim quod ad diversum modum considerandi gratiam se resolvit, insinuat non esse ibi diversos habitus: sed, ut diximus, esse unum habitum relatum seu extensum ex novo divino auxilio per sacramentum exhibito, ad diversos secundum speciem effectus.

Et confirmatur hic sensus. Quia hoc sufficit ad salvandum et dignitatem sacramentorum in causando, et gratias sacramentales, et effectus earum: nec multiplicantur tot habitus in anima.

III. In responsionibus ad primum et secundum, si vis in speciali videre differentiam utriusque effectus, scilicet perfectionis ad quam ordinatur sacramentum, et de qua tractatur in responsione ad primum; et similiter defectus contra quem ordinatur sacramentum, de quo in responsione ad secundum tractatur: lege dictum articulum primum quaestionis sexagesimaequintae inferius.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SACRAMENTA NOVAE LEGIS CONTINEANT GRATIAM

Part. I, qu. XLIII, art. 6, ad 4; I *Sent.*, dist. XV, qu. V, art. 1, qu[a] 1, ad 2; IV, dist. I, qu. I, art. 4, qu[a] 4; *De Verit.*, qu. XXVII, art. 7.



AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramenta novae legis non contineant gratiam. Contentum enim videtur esse in continente. Sed gratia non est in sacramento: neque sicut in subiecto, quia subiectum gratiae non est corpus sed spiritus; neque sicut in vase, quia *vas est locus mobilis,* ut dicitur in IV *Physic.* *, esse autem in loco non con-

* Cap. IV, n. 12. – S. Th. lect. VI.

venit accidenti. Ergo videtur quod sacramenta novae legis non contineant gratiam.

2. Praeterea, sacramenta ordinantur ad hoc quod homines per ea gratiam consequantur. Sed gratia, cum sit accidens, non potest transire de subiecto in subiectum. Ergo pro nihilo esset gratia in sacramentis.

3. Praeterea, spirituale non continetur a corporali, etiam si in eo sit: non enim anima continetur a corpore, sed potius continet corpus. Ergo videtur quod gratia, cum sit quoddam spirituale, non contineatur in sacramento corporali.

* De Sacram. lib. I, part. ix, cap. 2. Sed contra est quod Hugo de Sancto Victore dicit *, quod *sacramentum ex sanctificatione invisibilem gratiam continet.*

Respondeo dicendum quod multipliciter dicitur aliquid esse in alio: inter quos duplici modo gratia est in sacramentis. Uno modo, sicut in
α signis [α]: nam sacramentum est signum gratiae.
– Alio modo, sicut in causa. Nam, sicut dictum
* Art. 1. est *, sacramentum novae legis est instrumentalis gratiae causa. Unde gratia est in sacramento novae legis, non quidem secundum similitudinem speciei, sicut effectus est in causa univoca; neque etiam secundum aliquam formam propriam et permanentem proportionatam ad talem effectum, sicut sunt effectus in causis non univocis, puta res generatae in sole; sed secundum quandam instrumentalem virtutem, quae est fluens et [β] incompleta in esse naturae, ut infra * dicetur. β * Art. 4.

Ad primum ergo dicendum quod gratia non dicitur esse in sacramento sicut in subiecto; neque sicut in vase prout vas est locus quidam: sed prout vas dicitur instrumentum alicuius operis faciendi, secundum quod dicitur Ezech. ix *: * Vers. 1. *Unusquisque vas interfectionis habet in manu sua.*

Ad secundum dicendum quod, quamvis accidens non transeat a subiecto in subiectum, transit tamen a causa per instrumentum aliqualiter in subiectum: non ut eodem modo sit in eis, sed in unoquoque secundum propriam rationem.

Ad tertium dicendum quod spirituale existens perfecte in aliquo, continet ipsum, et non continetur ab eo. Sed gratia est in sacramento secundum esse fluens et incompletum. Et ideo non inconvenienter sacramentum dicitur gratiam continere.

α) *signis.* – *signo* PI.

β) *et.* – PsH; om. Cf. ad 3. et qu. lxiii art. 2. corp. fin.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus accipiendus est ut sonat. – In corpore sunt duae conclusiones. Altera est: ***Gratia est in sacramentis sicut in signis.*** Et probatur. Quia sacramentum est signum gratiae.

Altera est: ***Gratia est in sacramentis sicut in causa, non univoca nec aequivoca, sed instrumentali.*** Et probatur quoad secundam partem: quia non est secundum similitudinem speciei, sicut homo genitus erat in homine generante. Quoad tertiam vero: quia non est secundum aliquam formam propriam et permanentem proportionatam ad talem effectum, sicut res generatae sunt in sole. Quoad quartam demum partem: quia est secundum quandam virtutem fluentem et incompletam in ipsa natura.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM IN SACRAMENTIS SIT ALIQUA VIRTUS GRATIAE CAUSATIVA

Infra, qu. lxxviii, art. 4; IV *Sent.*, dist. i, qu. i, art. 4, qª 2; dist. viii, qu. ii, art. 3; *De Verit.*, qu. xxvii, art. 4, ad 4; *Quodl.* XII, qu. x.



Ad quartum sic proceditur. Videtur quod in sacramentis non sit aliqua virtus gratiae causativa. Virtus enim gratiae causativa est virtus spiritualis. Sed in cor-
α pore non potest esse [α] virtus spiritualis: neque ita quod sit propria ei, quia virtus fluit ab essentia rei, et ita non potest eam transcendere; neque ita quod recipiat eam ab alio, quia quod recipitur ab aliquo, est in eo per modum reci-
β pientis. Ergo in sacramentis [β] non potest esse aliqua virtus gratiae causativa.

2. Praeterea, omne quod est, reducitur ad aliquod genus entis, et ad aliquem gradum boni. Sed non est dare in quo genere entis sit talis virtus: ut patet discurrenti per singula. Nec etiam potest reduci ad aliquem gradum bonorum: neque enim est inter minima bona, quia sacramenta sunt de necessitate salutis; neque etiam inter media bona, cuiusmodi sunt potentiae animae, quae sunt quaedam potentiae naturales; neque [γ] inter γ
maxima bona, quia nec est gratia nec virtus mentis. Ergo videtur quod in sacramentis nulla sit virtus gratiae causativa.

3. Praeterea, si talis virtus est in sacramentis, non causatur in eis nisi per creationem a Deo. Sed inconveniens videtur quod tam nobilis creatura statim esse desinat sacramento perfecto. Ergo videtur quod nulla virtus sit in sacramentis ad gratiam causandam.

4. Praeterea, idem non potest esse in diversis. Sed ad sacramenta concurrunt diversa, scilicet verba et res: unius autem sacramenti non
potest [δ] esse nisi una virtus. Ergo videtur quod δ
in sacramentis nulla sit virtus.

α) *potest esse.* – *est* editiones; *Sed... spiritualis* om. I.
β) *sacramentis.* – *sacramento* CFGHI.

γ) *neque.* – *neque etiam* PFI. – *quia* PFIsG et c; *quae.*
δ) *potest.* – Tertia praeter G; *habet.*

* Tract. LXXX.
* Mag. IV *Sent.*, dist. III, cap. *Si vero.*

Sed contra est quod Augustinus dicit, *super Ioan.* *: *Quae*[ε] *tanta vis aquae ut corpus tangat et cor abluat?* Et Beda * dicit quod *Dominus tactu suae mundissimae carnis vim regenerativam contulit aquis.*

* Cf. art. 1.
* Ibid.

Respondeo dicendum quod illi qui ponunt quod sacramenta non causant gratiam nisi per quandam concomitantiam *, ponunt quod in sacramento non sit aliqua virtus quae operetur ad sacramenti effectum: est tamen virtus divina sacramento co-assistens[ζ], quae sacramentalem effectum operatur. Sed ponendo quod sacramentum est instrumentalis causa gratiae, necesse est simul ponere quod in sacramento sit quaedam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum. Et haec quidem virtus proportionatur instrumento. Unde comparatur ad virtutem absolutam et perfectam alicuius rei sicut comparatur instrumentum ad agens principale. Instrumentum enim, ut dictum est *, non operatur nisi inquantum est motum a principali agente, quod per se operatur. Et ideo virtus principalis agentis habet permanens et completum esse in natura: virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex uno in aliud, et incompletum; sicut et motus est actus imperfectus ab agente in patiens.

Ad primum ergo dicendum quod virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis et completae, sicut ratio probat. Nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentalem[η]: inquantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum; sicut etiam in ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, inquantum procedit a conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis, inquantum ordinantur a Deo ad effectum spiritualem.

Ad secundum dicendum quod, sicut motus, eo quod est actus imperfectus, non proprie est in aliquo genere, sed reducitur ad genus actus perfecti, sicut alteratio ad qualitatem: ita virtus instrumentalis non est, proprie loquendo, in aliquo genere, sed reducitur ad genus et speciem virtutis perfectae.

* D. 683.
* S. Maxim. Taurin. Serm. XII, al. *de Bapt. Christi* Serm. II. - Cf. *Caten. Aur. in Matth.*, cap. III, f.

Ad tertium dicendum quod, sicut virtus instrumentalis acquiritur instrumento ex hoc ipso quod movetur ab agente principali, ita et sacramentum consequitur spiritualem virtutem ex benedictione Christi et applicatione ministri ad usum sacramenti *. Unde Augustinus dicit, in quodam sermone *de Epiphania* *: *Nec mirum quod*[θ] *aquam, hoc est substantiam corporalem, ad purificandam animam dicimus pervenire. Pervenit plane, et penetrat conscientiae universa latibula. Quamvis enim ipsa sit subtilis et tenuis, benedictione tamen Christi subtilior, occultas vitae causas ad secreta mentis subtili rore pertransit.*

Ad quartum dicendum quod, sicut eadem vis principalis agentis instrumentaliter invenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine unum; ita etiam eadem vis sacramentalis invenitur in verbis et rebus, prout ex verbis et rebus perficitur unum sacramentum.

ε) *Quae.* – *Quod* BFG, *Unde* P.
ζ) *co-assistens.* – *consistens* AD, *assistens* HpG et editiones.
η) *instrumentalem.* – Om. pG, *et instrumentalem* H, *instrumentaliter* PI.
θ) *quod.* – EF*a* et tertia praeter I; *quam.* – Ante *subtilior* PEFIsG addunt *facta.* Pro *occultas*, *occultans* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat sumendus est, de virtute causativa effective.

In corpore referuntur duae viae. Altera ponentium sacramenta non causare gratiam nisi concomitanter. Et secundum hanc respondetur quaestioni negative: quia sola virtus divina assistens est quae causat gratiam.

Altera, quam sequitur Auctor, ponentium quod sacramentum est instrumentalis causa gratiae. Et secundum hanc respondetur quaesito, dicendo duo. Primo. *Necesse est simul ponere quod in sacramento sit quaedam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum.* – Secundo, qualis est ista virtus. Et dicitur: *Haec virtus proportionatur instrumento.* Et probatur. Virtus haec se habet ad alicuius rei perfectionem et virtutem absolute, sicut instrumentum se habet ad agens principale. Sed instrumentum non operatur nisi inquantum est motum a principali agente: principale autem agens operatur per se. Et propterea virtus principalis habet completum et permanens esse in natura: virtus autem instrumentalis incompletum et transiens. Ergo virtus haec proportionatur instrumento. Et probatur hoc ultimum: quia motus est actus imperfectus ab agente in patiens.

II. Adverte hic maximam hoc in loco difficultatem inveniri, eo quod uno sensu intellecta communiter videntur, tam a sequacibus quam ab adversariis, verba Auctoris, cum tamen dupliciter possint intelligi. Primo, ut sit sensus quod in sacramentis novae legis est aliqua virtus superaddita, non solum propriae operationi sensibilis elementi, sed etiam superaddita motui quo movetur a principali agente; et haec virtus est quaedam qualitas habens esse fluens per modum motus; et est spiritualis; immo est ipsa gratia secundum esse fluens et incompletum, ut in calce praecedentis articuli hoc ultimum Auctor expressit. Et hic est sensus communis, contra quem Scotus, ubi supra *, et Durandus ** et Aureolus *** arguunt.

* Art. 1, Comment. num. III.
** IV *Sent.*, dist. I, qu. IV.
*** IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. I.

III. Sed quoniam hic sensus non est intentus ab Auctore, nec verus, ut nunc nunc conabor ostendere; ideo, argumentationibus istorum omissis, ad secundum venio sensum: ut scilicet virtus ista nihil aliud sit quam motus quo instrumentum a principali agente movetur ad proprium principalis agentis effectum inducendum. Moveor autem ad hoc ex communibus, et ex propriis. Apertissime enim Auctor, in hac littera ex communibus omni instrumentali causae procedit, dicens: *Sed ponendo quod sacramentum est instrumentalis causa gratiae, necesse est simul ponere quod in sacramento sit quaedam virtus*, etc. Ubi patet quod secundum eum simile est iudicium de sacramento et de aliis causis instrumentalibus, quantum ad virtutem instrumentalem per modum transeuntis, etc. Sed de causa instrumentali expressit Auctor, in primo huius quaestionis articulo, haec verba: *Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum quo movetur a principali agente.* Ubi dictio exclusiva manifestat quod ab instrumento excludit Auctor omnem agendi

rationem superadditam motui quo movetur a principali agente.

Et hoc ipsum, in speciali de sacramentis loquendo, in calce responsionis ad primum huius articuli replicat, dicens: *Et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis, inquantum ordinantur a Deo ad effectum spiritualem.* Ubi vides vim spiritualem consistere in hoc quod sacramenta ordinantur a Deo ad effectum spiritualem.

* Qu. LXVI, art. 1; IV *Sent.*, dist. III, art. 5, qu^a 2.

Et confirmatur hic sensus ex eo quod, secundum Auctorem *, sacramentum baptismi virtutem hanc inchoative accepit in sui institutione, scilicet quando Christus est baptizatus. Tunc enim aqua sanctificata est, accipiendo inchoative vim regenerativam. Sed constat nihil tunc aquam accepisse nisi habilitatem ut sit materia baptismi: factum est enim tunc ut non oleum, non vinum, etc., sed aqua idonea esset ad regenerandum. Et si his adiungas quod vis quaelibet eiusdem rationis est in sui inchoatione et perfectione, opinaberis quod vis regenerativa quae, in aqua inchoative posita, contenta est sola idoneitate, in ablutione sacramentali consummate posita, contenta est solo usu quo Deus actualiter ablutione illa utitur ad regenerandum. Usus siquidem, seu motus ille quo Deus movet illam, seu utitur actione nostra sensibili, sacramentum constituit in esse effectivo gratiae sacramentalis: quia est quo est movens motum a principali agente. Et est vis spiritualis: quia est *quo* respectu effectus spiritualis. Et est ipsa gratia secundum esse incompletum et transiens: quia est mediatio et motio quaedam ad gratiam. – Et multa alia possent hic dici: nisi diffuse de hac virtute instrumentali scripsissem superius in articulo secundo * quaestionis tertiaedecimae.

* Comm. num. v sqq.

Et confirmantur haec omnia, quia sic absque multiplicatione entium salvantur causalitates effectivae instrumentorum, et dicta Auctoris. Ait enim, in responsione ad primum, quod *in ipsa voce sensibili est vis quaedam spiritualis ad excitandum intellectum hominis, inquantum procedit a conceptione mentis.* Nihil est enim in voce sensibili inquantum procedit a mente, praeter significationem, nisi usus quo mens illa utitur significativa voce ad excitandam mentem auditoris. Et propterea non movetur Graecus a Latino, quia significativa vox qua loquens utitur, non pervenit ad intellectum Graeci. *Et hoc* subdit *modo* Auctor, *vis spiritualis est in sacramentis.*

IV. Nec te moveat quod Auctor iungit motui instrumenti virtutem seu vim, ex ipsa adiunctione insinuans differentiam inter instrumenti motum, et virtutem de qua est quaestio. Quoniam sermo Auctoris est formalis tam de virtute quam de motu. Quod ut melius intelligas, distingue motum quo potest instrumentum moveri, in motum simplicem, et motum virtuosum. Est siquidem instrumenti simplex motus ille ad quem ex parte moventis sufficit potentia motiva; ex parte vero termini, naturalis effectus instrumenti. Motus autem *virtuosus* est ille qui ex parte moventis, ultra potentiam motivam, exigit artem, seu aliquid proportionale arti; ex parte vero termini, ducit ad effectum principalis agentis, puta artis, seu alicuius proportionaliter se habentis sicut ars se habet ad instrumenta sua. Exemplum utriusque motus perspice in cithara: cuius fides si moveantur a non-musico, sonabunt tantum; si vero moveantur a musico, efficient non solum sonum, sed sonum musicum, qui est effectus proprius artis musicae. Ubi patet quod simplex motus fidium citharae non ducit nisi ad naturalem effectum percussionis illarum: motus vero qui ab arte procedit, ad effectum artis ducit, utpote vim artis in se habens; et propterea motus virtuosus appellatur.

Tria ergo cum hic considerentur, scilicet motus, et vis seu virtus, et motus virtuosus; ratione diversitatis quae est inter motum et vim seu virtutem, dispares valde conditiones assignantur utriusque, puta quod vis seu virtus est de genere qualitatis (reductive tamen), quod habet esse intentionale, quod est spiritualis, etc., quae non conveniunt motui; ratione vero coincidentiae seu identitatis motus et virtutis in tertio, hoc est in motu virtuoso instrumenti, ut dictum est, quod instrumentum agit per solum motum quo movetur a principali agente. Ratione autem solius formalis distinctionis inventae inter motum et virtutem in motu virtuoso instrumenti, apponitur motui instrumenti vis seu virtus: et non ad denotandum quod sint duae res; sed quod haec duo coeuntia in instrumento, inveniuntur constituentia illius motum virtuosum. Et hic est quem sacramentalia signa a Deo sortiuntur, cum sacramenta conferuntur. Nam si quis aliquem ablueret aqua, etc., non animo faciendi quod facit Ecclesia, tunc sacramentalia signa et verba moverentur simplici motu tantum, utpote a solo homine, et nihil aliud efficerent nisi corporalem ablutionem. Cum vero quis hominem abluit servatis servandis iuxta institutionem Christi, moventur tunc sacramentalia signa motu virtuoso, utpote a Iesu Christo *(ipse est* enim *qui baptizat *),* et *corpus tangendo abluunt cor,* ut Augustinus dicit *.

* Ioan. cap. I, vers. 33. - Aug. *In Ioan. Evang.* tract. VI.
* Cf. arg. *Sed cont.*

Ex quibus omnibus habere potes, diligens Lector, unde et quomodo varia seu dissona, ut apparet, dicta de instrumentorum motu et virtute, sane intelligere potes.

V. In responsione ad ultimum, perspice quam bene definita sit vis sacramentalis, et universaliter instrumentalis. Nam sicut diversa instrumenta nihil aliud habent ab arte una nisi suos motus virtuosos ad effectum artis; et omnes illi motus, quia sunt motus partiales, sunt unus motus totalis, ac per hoc una vis principalis agentis inventa instrumentaliter in diversis instrumentis: ita in ministro, verbis et elemento sunt passivi motus virtuosi partiales multi, nam et ministri operatione, puta ablutione, et verbis et aqua utitur Christus movendo singula ut agens principale; et sicut ex omnibus non consurgit nisi unum numero sacramentum, ita ex omnibus partialibus motibus virtuosis, hoc est passive et active sumptis, non constat nisi una numero vis sacramentalis; quemadmodum omnes motus singulorum trahentium navem non sunt nisi unus numero tractus, una numero totalis actio, unam inferens passionem unumque effectum. Nec oportet laborare ad inveniendum quomodo ex diversis formis intentionalibus fit una forma simplex aut composita vel per aggregationem, ut contra tenentes huiusmodi virtutes intentionales arguitur.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM SACRAMENTA NOVAE LEGIS HABEANT VIRTUTEM EX PASSIONE CHRISTI

Infra, qu. LXIV, art. 2, ad 2; IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 4, qu^a 3.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramenta novae legis non habeant virtutem ex passione Christi. Virtus enim sacramentorum est ad gratiam causandam in anima, per quam spiritualiter vivit. Sed, sicut Augustinus dicit, *super Ioan.* *: *Verbum prout erat in principio apud Deum, vivificat animas: secundum autem quod est caro factum, vivificat corpora.* Cum igitur passio Christi pertineat ad Verbum secundum quod est caro factum, videtur quod non possit causare virtutem sacramentorum.

* Tract. XIX, n. 15, 16.

2. PRAETEREA, virtus sacramentorum videtur ex fide dependere: quia, sicut Augustinus dicit, *super Ioan.* *, verbum Dei perficit sacramentum, *non quia dicitur, sed quia creditur.* Sed fides no-

* Tract. LXXX.

stra non solum respicit passionem Christi, sed etiam alia mysteria humanitatis ipsius, et principalius etiam divinitatem eius. Ergo videtur quod sacramenta non habeant specialiter virtutem a passione Christi.

3. PRAETEREA, sacramenta ordinantur ad hominum iustificationem: secundum illud I *Cor.* VI *: *Abluti estis, et iustificati estis.* Sed iustificatio attribuitur resurrectioni: secundum illud *Rom.* IV *: *Resurrexit propter iustificationem nostram.* Ergo videtur quod sacramenta magis habeant virtutem a resurrectione Christi quam ab eius passione.

* Vers. 11.
* Vers. 25.

SED CONTRA EST quod, super illud *Rom.* V *, *In similitudinem praevaricationis Adae* etc., dicit Glossa *: *Ex latere Christi dormientis* [α] *fluxerunt sacramenta, per quae salvata est Ecclesia.* Sic ergo videntur sacramenta virtutem habere ex passione Christi.

* Vers. 14.
* Ord. et Lomb. α

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, sacramentum operatur ad gratiam causandam per modum instrumenti. Est autem duplex instrumentum: unum quidem separatum, ut baculus; aliud autem coniunctum, ut manus. Per instrumentum autem coniunctum movetur instrumentum separatum: sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiae est ipse Deus *, ad quem comparatur humanitas Christi sicut instrumentum coniunctum, sacramentum autem sicut instrumentum separatum. Et ideo oportet quod virtus salutifera derivetur a divinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta.

* Art. 1.
* D. 680.

Gratia autem sacramentalis ad duo praecipue ordinari videtur: videlicet ad tollendos defectus praeteritorum peccatorum, inquantum transeunt actu et remanent reatu; et iterum ad perficiendum animam in his quae pertinent ad cultum Dei secundum religionem Christianae vitae. Manifestum est autem ex his quae supra * dicta sunt, quod Christus liberavit nos a peccatis nostris praecipue per suam passionem, non solum efficienter et meritorie, sed etiam satisfactorie. Similiter etiam per suam passionem initiavit ritum Christianae religionis, *offerens seipsum oblationem et hostiam Deo,* ut dicitur *Ephes.* V *. Unde manifestum est quod sacramenta Ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum *. In cuius signum, de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt aqua et sanguis *, quorum unum pertinet ad baptismum, aliud ad Eucharistiam, quae sunt potissima sacramenta.

* Qu. XLVIII, art. 1, 2, 6; qu. XLIX, art. 1, 3.
* Vers. 2.
* D. 982.
* Ioan. cap. XIX, vers. 34; I Ioan. cap. V, vers. 6.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Verbum prout erat in principio apud Deum, vivificat animas sicut agens principale: caro tamen eius, et mysteria in ea perpetrata, operantur instrumentaliter ad animae vitam. Ad vitam autem corporis non solum instrumentaliter, sed etiam per quandam exemplaritatem, ut supra * dictum est.

* Qu. LVI, art. 1, ad 3.

AD SECUNDUM DICENDUM quod *per fidem Christus habitat in nobis,* ut dicitur *Ephes.* III *. Et ideo virtus Christi copulatur nobis per fidem. Virtus autem remissiva peccatorum speciali quodam modo pertinet ad passionem ipsius. Et ideo per fidem passionis eius specialiter homines liberantur a peccatis: secundum illud *Rom.* III *: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius.* Et ideo virtus sacramentorum, quae ordinatur ad tollendum peccata, praecipue est ex fide passionis Christi.

* Vers. 17.
* Vers. 25.

AD TERTIUM DICENDUM quod iustificatio attribuitur resurrectioni ratione termini ad quem, qui est novitas vitae per gratiam. Attribuitur tamen passioni ratione termini a quo, scilicet quantum ad dimissionem culpae.

α) *dormientis.* – *in cruce* addunt Fl et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat. – In corpore una conclusio: *Sacramenta Ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi.* Probatur tripliciter. Primo, ex communibus: quia humanitas Christi est instrumentum coniunctum deitatis, sacramentum autem instrumentum separatum. Et formatur ratio. Agens principale per coniunctum instrumentum movet separatum. Sed Deus est agens principale gratiae; et humanitas Christi instrumentum coniunctum; et sacramentum instrumentum separatum. Ergo.

Et quia haec ratio non concludit de passione Christi, sed de humanitate Christi, in qua Christus mysteria multa consummavit, puta nativitatem, praedicationem, passionem, resurrectionem, ascensionem, etc.: ideo secunda subiungitur ratio, per quam probatur specialiter quod a passione Christi virtus sit sacramentorum. Et procedit ratio ex effectu proprio gratiae sacramentalis: quia scilicet uterque talis proprius effectus appropriatur passioni Christi. Et formatur ratio. Tam liberatio a peccatis nostris, quam initium ritus Christianae religionis, est praecipue a passione Christi. Sed utrumque fit praecipue per gratiam sacramentalem. Ergo gratia sacramentalis: – seu, quod in idem redit, Ergo virtus sacramentalis gratiae est a passione Christi. – Maior declaratur ex dictis. Quoad primam partem quidem: quia Christus liberavit nos per passionem a peccatis, non solum efficienter et meritorie, quod convenit aliis eius mysteriis, sed etiam satisfactorie, quod appropriatur passioni. Quoad secundam vero: quia per passionem, offerendo seipsum, initiavit ritum Christianae religionis. – Minor autem clara ex hoc tractatu.

Tertio, probatur conclusio ex signo fluxus sanguinis et aquae de latere Christi, per quod praecipua sacramenta monstrantur quod copulantia sunt nobis virtutem passionis Christi.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM SACRAMENTA VETERIS LEGIS GRATIAM CAUSARENT

Infra, qu. LXXII, art. 5, ad 3; I[a] II[ae], qu. CIII, art. 2; IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 5, qu[a] 1; dist. XVIII, art. 3, qu[a] 1, ad 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LVII; *De Verit.*, qu. XXVII, art. 3, ad 20; qu. XXVIII, art. 2, ad 12; *De Eccles. Sacram.*; *Ad Galat.*, cap. II, lect. IV.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramenta veteris legis gratiam causarent. Quia, sicut dictum est *, sacramenta novae legis habent efficaciam ex fide passionis Christi. Sed fides passionis Christi fuit in veteri lege, sicut et in nova: *habemus enim eundem Spiritum fidei*, ut habetur II *Cor.* IV *. Sicut ergo sacramenta novae legis conferunt gratiam, ita etiam sacramenta veteris legis gratiam conferebant.

* Art. 5, ad 2.
* Vers. 13.

2. PRAETEREA, sanctificatio non fit nisi per gratiam. Sed per sacramenta veteris legis homines sanctificabantur: dicitur enim *Levit.* VIII *: *Cumque sanctificasset eos*, Moyses scilicet [α] Aaron et filios eius, *in vestitu suo*, etc. Ergo videtur quod sacramenta veteris legis gratiam conferebant.

* Vers. 31.

3. PRAETEREA, Beda dicit, in homilia *Circumcisionis* *: *Idem salutiferae curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat quod baptismus agere revelatae tempore gratiae consuevit.* Sed baptismus nunc confert gratiam. Ergo circumcisio gratiam conferebat. Et pari ratione alia sacramenta legalia: quia sicut baptismus est ianua sacramentorum novae legis, ita circumcisio erat ianua sacramentorum veteris legis; propter quod Apostolus dicit, *Galat.* V *: *Testificor omni circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae.*

* Homil. X.
* Vers. 3.

SED CONTRA EST quod dicitur *Galat.* IV *: *Convertimini iterum ad infirma et egena elementa?* Glossa *: *idest ad legem, quae dicitur infirma, quia perfecte non iustificat.* Sed gratia perfecte iustificat. Ergo sacramenta veteris legis gratiam non conferebant.

* Vers. 9.
* Ord. et Lomb.

RESPONDEO DICENDUM quod non potest dici quod sacramenta veteris legis conferrent gratiam iustificantem per seipsa, idest propria virtute: quia sic non fuisset necessaria passio Christi, secundum illud *Galat.* II *: *Si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est.*

* Vers. 21.

Sed nec potest dici quod ex passione Christi virtutem haberent conferendi gratiam iustificandi. Sicut enim ex praedictis * patet, virtus passionis Christi copulatur nobis per fidem et sacramenta *, differenter tamen: nam continuatio quae est per fidem, fit per actum animae; continuatio autem quae est per sacramenta, fit per usum exteriorum rerum. Nihil autem prohibet id quod est posterius tempore, antequam sit, movere, secundum quod praecedit in actu animae: sicut finis, qui est posterior tempore, movet agentem secundum quod est apprehensus et desideratus ab ipso. Sed illud quod nondum est in rerum natura, non movet secundum usum exteriorum rerum. Unde causa efficiens non potest esse posterior in esse, ordine durationis, sicut causa finalis *. Sic igitur manifestum est quod a passione Christi, quae est causa humanae iustificationis, convenienter [β] derivatur virtus iustificativa ad sacramenta novae legis, non autem ad sacramenta veteris legis.

* Art. praeced. – Cf. qu. XLVIII, art. 6, ad 2; qu. XLIX, art. 1, ad 4, 5.
* D. 982.
* D. 322.

Et tamen per fidem passionis Christi iustificabantur antiqui Patres, sicut et nos. Sacramenta autem veteris legis erant quaedam illius fidei protestationes, inquantum significabant passionem Christi et effectus eius. Sic ergo patet quod sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem: sed solum significabant fidem, per quam iustificabantur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod antiqui Patres habebant fidem de passione Christi futura, quae, secundum quod erat in apprehensione animae, poterat iustificare. Sed nos habemus fidem de passione Christi praecedenti, quae potest iustificare etiam secundum realem usum sacramentalium rerum, ut dictum est *.

* In corpore.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illa sanctificatio erat figuralis: per hoc enim sanctificari dicebantur quod applicabantur cultui divino secundum ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandum passionem Christi.

AD TERTIUM DICENDUM quod de circumcisione multiplex fuit opinio. Quidam * enim dixerunt quod per circumcisionem non conferebatur gratia, sed solum auferebatur peccatum. – Sed hoc non potest esse: quia homo non iustificatur a peccato nisi per gratiam, secundum illud *Rom.* III *: *Iustificati gratis per gratiam ipsius.*

* Mag. IV *Sent.*, dist. I, cap. *Ideo autem.*; Gloss. Ord. et Lomb. in *Rom.* cap. IV, vers. 11.
* Vers. 24.

Et ideo alii dixerunt quod per circumcisionem conferebatur gratia quantum ad effectus remotivos culpae, sed non quantum ad effectus positivos [γ]. – Sed hoc etiam videtur esse falsum *. Quia per circumcisionem dabatur pueris facultas perveniendi ad gloriam, quae est ultimus effectus positivus gratiae. Et praeterea, secundum ordinem causae formalis, priores sunt naturaliter effectus positivi quam privativi, licet secundum ordinem causae materialis sit e converso: forma enim non excludit privationem nisi informando subiectum.

* D. 342.

Et ideo alii * dicunt quod circumcisio conferebat gratiam etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita aeterna: non tamen quantum ad hoc quod est reprimere concupiscentiam impellentem ad peccandum. Quod aliquando [δ] mihi visum est *. – Sed diligen-

* Autissiod. *Sum. Aur.* lib. IV, cap. *de Circumc.*, art. 2.
* IV *Sent.*, dist. I, qu. II, art. 4, qu[la] 3.

α) *eos, Moyses scilicet.* – *Moyses* P; *scilicet... eius* om. I.
β) *convenienter.* – *consequenter* Hbc et margo P per *Alias.*
γ) *positivos.* – *gratiae* addunt editiones.
δ) *aliquando.* – *et aliquando* PI.

tius consideranti apparet hoc etiam non esse verum: quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae et mereri vitam aeternam *. * D. 684.

Et ideo melius dicendum videtur quod circumcisio erat signum [ε] fidei iustificantis: unde Apostolus dicit, *Rom.* IV *, quod *Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum iustitiae fidei.* Et ideo in circumcisione conferebatur gratia * inquantum erat signum passionis Christi futurae *, ut infra ** patebit [ζ].

* Vers. 11. * D. 804. * D. 343. ** Qu. LXX, art. 4.

ε) *circumcisio erat signum. – circumcisio sicut et alia sacramenta veteris legis erat solum* (*solum* om. E) *signum* ElsG et editiones (et codices Ambrosianus et Brixiensis; cf. ζ).

ζ) *Et ideo in circumcisione... patebit. – Et ideo non habet in se virtutem nec conferendi gratiam nec auferendi peccatum, sed hoc fiebat per virtutem passionis Christi quam* (*quod* Brix.) *circumcisio designabat* codices Ambr. et Brix. Cf. Vol. XI Praef. nos 16 et 27.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore sunt duae conclusiones negativae. Prima est: *Sacramenta veteris legis non conferebant gratiam virtute propria.* Probatur auctoritate Apostoli.

Altera est: *Sacramenta veteris legis non conferebant gratiam virtute in eis habita a passione Christi.* Probatur ex communi differentia coniunctionis alicuius causae ad causandum vel per usum exteriorum rerum, vel per actum animae: quia prima est causae effectivae, ac per hoc prioris secundum esse; secunda autem est causae finalis, ac per hoc potest esse posterioris secundum esse. Sub hac enim differentia communi subsumitur in speciali differentia inter passionem Christi coniungi per sacramenta, vel per fidem: ita quod per sacramenta coniunctio continetur sub coniunctione per usum exteriorum rerum; et coniunctio per fidem continetur sub coniunctione per actum animae. Et sub hoc procedendo descenditur, et quod passio Christi est prior secundum esse sacramentis nostris et posterior sacramentis veteris legis, ac per hoc nostris quidem sacramentis passio Christi coniungi potest ut causa activa operans per illa, priscis autem non potest coniungi ut causa activa operans per illa, quod est intentum conclusionis: et quod passio Christi ut finalis causa coniungitur per fidem tam nobis quam antiquis. Et propterea utrique salvamur per fidem passionis Christi: sed non utrique per sacramenta virtuosa ex passione Christi. Non tamen superstitiosus erat usus illorum sacramentorum: quia adhibebantur, etsi non ut virtuosa, tamen ut signa fidei virtuosae.

Sta igitur, Lector, in formali differentia inter coniunctionem per fidem seu actum animae ut sic, et per sacramenta seu usum exteriorum rerum ut sic: et videbis differentiam in littera subtiliter positam inferre sacramenta nostra esse virtuosa, et antiqua non. Et memento, Novitie, quod de coniunctione causali, seu causae ut sic, est sermo: ut non fallaris ab importunitate digredientium ad ea quae sunt per accidens.



QUAESTIO SEXAGESIMATERTIA

DE ALIO EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST CHARACTER

IN SEX ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de alio effectu sacramentorum, qui est character * [* Cf. qu. LXII, Introd.]. Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: utrum ex sacramentis causetur character aliquis in anima.

Secundo: quid sit ille character.

Tertio: cuius sit character.

Quarto: in quo sit sicut in subiecto.

Quinto: utrum insit indelebiliter.

Sexto: utrum omnia sacramenta imprimant characterem.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM SACRAMENTUM IMPRIMAT ALIQUEM CHARACTEREM IN ANIMA

IV *Sent.*, dist. IV, qu. I, art. 1; art. 4, qu^a 1, ad 1; *De Eccles. Sacram.*

Ad primum sic proceditur. Videtur quod sacramentum non imprimat aliquem characterem in anima. *Character* enim significare videtur quoddam signum distinctivum. Sed distinctio membrorum Christi ab aliis fit per aeternam praedestinationem, quae non ponit aliquid in praedestinato, sed solum in Deo praedestinante, ut in Prima Parte * [* Qu. XXIII, art. 2.] habitum est: dicitur enim II *ad Tim.* II * [* Vers. 19.]: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Novit Dominus qui sunt eius.* Ergo sacramenta non imprimunt characterem in anima.

2. Praeterea, character signum est distinctivum. Signum autem, ut Augustinus dicit, in II *de Doct. Christ.* * [* Cap. 1.], est *quod, praeter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire.* Nihil autem est in anima quod aliquam speciem sensibus ingerat. Ergo videtur quod in anima non imprimatur aliquis character per sacramenta.

3. Praeterea, sicut per sacramenta novae legis distinguitur fidelis ab infideli, ita etiam per sacramenta veteris legis. Sed sacramenta veteris legis non imprimebant aliquem characterem [α]: unde et dicuntur *iustitiae carnis,* secundum Apostolum, *ad Heb.* IX * [* Vers. 10.]. Ergo videtur quod nec sacramenta novae legis.

Sed contra est quod Apostolus dicit, II *Cor.* I * [* Vers. 21, 22.]: *Qui unxit nos, Deus est: et qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Sed nihil aliud importat character quam quandam signationem [β]. Ergo videtur quod Deus per sacramenta nobis suum characterem imprimat.

Respondeo dicendum quod, sicut ex praedictis * [* Qu. LXII, art. 5.] patet, sacramenta novae legis ad duo ordinantur: videlicet ad remedium contra peccata; et ad perficiendum animam in his quae pertinent ad cultum Dei secundum ritum Christianae vitae. Quicumque autem ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud [γ] consignari: sicut milites qui adscribebantur ad militiam antiquitus solebant aliquibus characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo, cum homines per sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est quod per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniantur [δ]. Unde Augustinus dicit, in II *contra Parmenianum* * [* Cap. XIII.]: *Si militiae characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit, et ad clementiam Imperatoris confugerit, ac, prece fusa et venia impetrata, militare iam coeperit: nunquid, homine liberato atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus haerent [ε] sacramenta Christiana quam corporalis haec nota?*

Ad primum ergo dicendum quod fideles Christi ad praemium quidem futurae gloriae deputantur signaculo praedestinationis divinae. Sed ad actus convenientes praesenti [ζ] Ecclesiae deputantur quodam spirituali signaculo eis insignito, quod character nuncupatur.

Ad secundum dicendum quod character animae impressus habet rationem signi inquantum per sensibile sacramentum imprimitur: per hoc enim scitur aliquis [η] baptismali charactere insignitus, quod est ablutus aqua sensibili. Nihilominus tamen character, vel signaculum, dici potest per quandam similitudinem omne quod figurat [θ] alicui, vel distinguit ab alio, etiam si non sit sensibile: sicut Christus dicitur *figura* vel *chara-*

α) *characterem.* – *in anima* addunt EIsG et editiones.

β) *signationem.* – P (ADEF?); *significationem* BC*abc* (et ADEF?), *consignationem* GI, *figam* H.

γ) *illud.* – sE *a* et tertia; *aliud.* – Pro *consignari, deputari et consignari (consignificari b)* GH*bc*.

δ) *insigniantur.* – *insignantur* CDEHpB et *bc*, *insignentur* pGsB, *signentur* sG.

ε) *haerent.* – PsE; *habent;* cf. art. 5 α. et qu. LXVI. art. 9. η. – *quam* PsG; *an.*

ζ) *praesenti.* – *praesentis* BC*a*. Pro *deputantur, deputatur* ACpB. Pro *quod, qui* tertia.

η) *aliquis.* – *esse* addunt PI.

θ) *figurat.* – *configurat* PFG*b*, *consignatur* H.

* Vers. 3. * Qu. LXII, art. 6.

cter paternae substantiae, secundum Apostolum, *Heb.* I *.

Ad tertium dicendum quod, sicut supra * dictum est, sacramenta veteris legis non habebant in se spiritualem virtutem ad aliquem spiritualem effectum operantem. Et ideo in illis sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character, sed sufficiebat ibi corporalis circumcisio, quam Apostolus *signaculum* nominat, *Rom.* IV *.

* Vers. 11.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat, de sacramento indefinite, non universaliter, aut particulariter explicite. Quaeretur enim explicite de particulari in articulo sexto.

In corpore una conclusio: *Fideles per sacramenta aliquo spirituali charactere insigniuntur.* Probatur. Quicumque ad aliquod certum deputatur, consuevit consignari. Sed homines per sacramenta deputantur ad spirituale aliquod spectans ad Dei cultum. Ergo fideles per sacramenta aliquo spirituali charactere insigniuntur. – Probatur maior exemplo militum. – Minor vero: quia sacramenta ad duo ordinantur, hoc est, ad remedium contra peccatum, et ad perficiendum hominem in his quae ad cultum divinum sunt.

Et confirmatur tota ratio, cum conclusione, auctoritate Augustini, unde Auctor sumpsit.

II. Adverte hic duo. Primum, quod sacramenta imprimere characterem ex sacra Scriptura non habetur, sed ex Ecclesiae auctoritate, et non multum antiqua: ut patet ex sacris canonibus et priscis quaestionibus Patrum de reiteratione baptismi; quae locum non habuissent si Ecclesia iam determinasset imprimi in anima characterem per baptismum; quod Innocentius III, Extra, *de Bapt.*, cap. *Maiores causas* *, determinavit.

* *Maiores Ecclesiae causas.*

Secundum est * quod Auctor persuasibilem hanc veritatem ecclesiasticam reddere studuit ex ratione proportionalis similitudinis inter homines deputatos ab homine ad militiam corporalem, et deputatos a Deo ad cultum Christianae religionis, quae utique *militia* * est illius qui est *Dominus fortis et potens in praelio* *, ad debellandas *aereas potestates* *, *vincendumque mundum* **, sectatus Augustini vestigia. Rationabile siquidem est ut homines, qui a *principibus mundi huius* consueverunt ad corporalia corporali nota insigniri, cum a Deo ad perennem spiritualem cultum secundum animam deputantur, spirituali signo signentur in anima. Sic enim divinam providentiam disponere homines suaviter * invenitur: ut scilicet proportionaliter insigniantur secundum animam a Deo, sicut secundum corpus consueverunt a principe humano.

* *duo... Secundum est* om. P.
* II *Cor.* cap. X, vers. 3, 4.
* Ps. XXIII, vers. 8.
* *Ad Ephes.* cap. II, vers. 2.
** I Ioan. cap. V, vers. 4.
* *Sap.* cap. VIII, vers. 1.

III. In responsione ad secundum, vide, Novitie, quod iuxta primam ibidem responsionem, character non secundum se, sed secundum suam causam, hoc est, non solitarie sumptus, sed ut ex sua causa sensibili, quae est sacramentum, habet rationem signi. Et quia haec responsio multis non facit satis, apposita est ab Auctore altera responsio de ipso charactere in seipso. Ita quod prima de charactere causaliter; secunda de eodem formaliter est.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHARACTER SIT SPIRITUALIS POTESTAS

IV *Sent.*, dist. IV, qu. I, art. 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod character non sit spiritualis potestas. *Character* enim idem videtur esse quod *figura*: unde *ad Heb.* I *, ubi dicitur, *figura substantiae eius*, in graeco habetur loco *figurae « character »*. Sed figura est in quarta specie qualitatis *: et ita differt a potestate, quae est in secunda specie qualitatis *. Character ergo non est spiritualis potestas.

* Vers. 3.
* Aristot. *Categ.* cap. VI, n. 14.
* Ibid., n. 7.

2. Praeterea, Dionysius dicit, II cap. *Eccles. Hier.* *, quod *divina beatitudo accedentem* ad beatitudinem [α] *in sui participationem recipit, et proprio lumine, quasi quodam signo, ipsi tradit suam participationem.* Et sic videtur quod character sit quoddam lumen. Sed lumen pertinet magis [β] ad tertiam speciem qualitatis. Non ergo character est potestas, quae videtur ad secundam speciem qualitatis pertinere.

* Part. III, § 4.

3. Praeterea, a quibusdam character sic definitur: *Character est signum sanctum communionis fidei et sanctae ordinationis, datum a hierarcha.* Signum autem est in genere relationis, non autem in genere potestatis. Non ergo character est spiritualis potestas.

4. Praeterea, potestas habet rationem causae et principii: ut patet in V *Metaphys.* * Sed *signum*, quod ponitur in definitione characteris *, magis pertinet ad rationem effectus. Character ergo non est spiritualis potestas.

* S. Th. lect. XIV.- Did. lib. IV, cap. XII.
* Cf. arg. praec.

Sed contra, Philosophus dicit, in II *Ethic.* *: *Tria sunt in anima: potentia, habitus et passio.* Sed character non est passio: quia passio cito transit, character autem indelebilis est, ut infra * dicetur. Similiter etiam non est habitus. Quia nullus habitus est qui se possit ad bene et male habere *. Character autem ad utrumque se habet: utuntur enim eo quidam bene, alii vero male. Quod in habitibus non contingit: nam habitu virtutis *nullus utitur male* *, habitu malitiae nullus bene [γ]. Ergo relinquitur quod character sit potentia.

* Cap. V, n. 2. - S. Th. lect. V.
* Art. 5.
* Cf. Aristot. loc. prox. cit., n. 2.
* Aug. *de Lib. Arbit.* lib. II, cap. XIX.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, sacramenta novae legis characterem imprimunt inquantum per ea deputamur [δ] ad cultum Dei secundum ritum Christianae religionis. Unde Dionysius, in II cap. *Eccles. Hier.* *, cum dixisset quod Deus *quodam signo tradit sui participationem accedenti* [ε], subiungit: *perficiens eum divinum*

* Art. 1.
* Loc. cit.

α) *beatitudinem.* – *habitudinem* G; (*accedenti, idest ad vitam spiritualem* Auctor dicit l. c. ante Articulum).
β) *pertinet magis.* – *potius pertinet* GH, *videtur magis (... qualitatis pertinere)* I, *videtur pertinere* post *qualitatis* editiones. – Pro *Non ergo... pertinere, Ergo non est spiritualis potestas* b, om. HIpG.
γ) *bene.* – *utitur bene* BCa.
δ) *deputamur.* – *deputantur* I, *deputantur homines* editiones.
ε) *accedenti.* – *ad baptismum* addunt EI et editiones.

et communicatorem divinorum. Divinus autem cultus consistit vel in recipiendo ζ aliqua divina, vel in tradendo aliis. Ad utrumque autem horum requiritur quaedam potentia: nam ad tradendum aliquid aliis, requiritur potentia activa; ad recipiendum autem requiritur potentia passiva. Et ideo character importat quandam potentiam spiritualem ordinatam ad ea quae sunt divini cultus.

Sciendum tamen quod haec spiritualis potentia est instrumentalis: sicut supra * dictum est de virtute quae est in sacramentis. Habere enim sacramenti characterem competit ministris Dei: minister autem habet se per modum instrumenti, ut Philosophus dicit, in I *Polit.* * Et ideo, sicut virtus quae est in sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam fluens et incompletum; ita etiam character non proprie est in genere vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.

* Qu. LXII, art. 4.

* Cap. II, n. 4. — S. Th. lect. II.

Ad primum ergo dicendum quod figuratio η est quaedam terminatio quantitatis *. Unde, proprie loquendo, non est nisi in rebus corporeis: in spiritualibus autem dicitur metaphorice. Non autem ponitur aliquid in genere vel specie nisi per id quod de eo proprie praedicatur. Et ideo character non potest esse in quarta specie qualitatis: licet hoc quidam posuerint.

* Cf. Euclid. *Element.* lib. I, definit. XIV.

Ad secundum dicendum quod in tertia specie qualitatis non sunt nisi sensibiles passiones, vel sensibiles qualitates. Character autem non est lumen sensibile. Et ita non est in tertia specie qualitatis, ut quidam * dixerunt.

* Cf. Autissiod. *Sum.* lib. IV, *de Baptism.* *Christi*, cap. *Quid sit Baptismus.*

Ad tertium dicendum quod relatio quae importatur in nomine signi, oportet quod super aliquid fundetur. Non autem relatio huius signi quod est character, potest θ fundari immediate super essentiam animae: quia sic conveniret omni animae naturaliter. Et ideo oportet aliquid poni in anima super quod fundetur talis relatio. Et hoc est essentia characteris. Unde non oportebit quod sit in genere relationis, sicut quidam posuerunt ι.

Ad quartum dicendum quod character habet rationem signi per comparationem ad sacramentum sensibile a quo imprimitur. Sed secundum se consideratus, habet rationem principii, per modum iam dictum *.

* In corpore.

ζ) *recipiendo.* – FsE *a* et tertia; *retinendo* ABCpE, *reconcido* D; cf. art. 3. corp. med.
η) *figuratio.* – *figura* F et tertia praeter H.
θ) *Non autem relatio... potest.* – *Ideo autem relatio* (*Relatio autem* P)... *non potest* editiones.
ι) *Unde non... posuerunt.* – Om. HpG et *bc*.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus de quidditate characteris manifeste quaerit: in quo scilicet genere sit, an potestatis, an relationis, etc.

In corpore sunt tres conclusiones *. Prima est: *Character sacramentalis est spiritualis potestas ad ea quae sunt divini cultus.* Probatur. Character imprimitur a sacramentis inquantum per illa homo deputatur ad ea quae sunt Christiani cultus, consistentis in recipiendo aliqua vel in tradendo aliis. Ergo character sacramentalis est quaedam spiritualis potestas ad ea quae sunt divini cultus.

* Cf. num. IV.

Antecedens quoad primam partem probatur auctoritate Dionysii in illis verbis: *perficiens eum divinum et communicatorem divinorum.* – Consequentia vero probatur, quia ad utrumque horum requiritur potentia aliqua, ad recipiendum quidem passiva, ad tradendum vero activa.

II. Circa deductionem conclusionis huius dubium occurrit. Nam invalida apparet consequentia: *Character sacramentalis est deputativus hominis ad cultum consistentem in recipiendo et tradendo: ergo est potentia.* Tum quia similis consequentia nihil valet: *Character militaris est deputativus hominis ad militiam consistentem in percutiendo: et ad percutiendum requiritur potentia percussiva. Ergo character militaris est potentia ad percutiendum.*

Et si instetur quod non est simile: quia potentia percussiva praesupponitur, utpote naturalis; potentia autem ad cultum non est naturalis, sed superaddita: – haec, inquam, instantia nihil obstat argumento. Quia ad militarem percussionem, ultra naturalium virium potentiam, requiritur potentia militaris: sicut ad sanandum requiritur in medico potentia medicativa. Stat ergo obiectio.

Et elevatur instantia ad universalem rationem. Unde, scilicet, licet a communissimis inferre determinate speciale: hoc est, a deputatione ad cultum Christianae religionis, ad potentiam respectu eiusdem cultus descendere? Deputatio siquidem ad cultum multipliciter fieri potest, scilicet signo, professione, officio, scientia, voluntate, potentia: ut patet inductive in militia et aliis cultibus et artibus. Unde inferre characterem esse potentiam quia est deputativus hominis ad cultum Christianae religionis, fallacia Consequentis videtur.

III. Ad hoc dicitur quod Auctor procedit ex determinatis in praecedenti articulo. Et propterea non procedit ex hoc solo quod character est deputativus ad cultum, etc.: sed ex hoc quod character sacramentalis est spiritualis perfectio animae ad cultum divinum secundum ritum Christianum. Ita quod non ex quacumque deputatione, sed ex tali deputativo, scilicet ut perfectivo animae ad talem cultum impresso a Deo, procedit littera: ut ipsamet littera *de seipsa testimonium perhibet*, auctoritatem afferens Dionysii hoc testantem. Ex huiusmodi autem assumpto concludi licuit intentum, si perspicaciter intuiti fuerimus cultum Christianae religionis formaliter, ut Auctor contemplatus est. Ex hoc enim quod character est perfectivus animae ad cultum Christianae religionis, et cultus Christianae religionis formaliter consistit in recipere vel dare, formaliter sequitur: Ergo character perficit animam ad recipiendum vel dandum. Sed constat liquido quod proprium et per se primo perfectivum ad recipere seu dare est posse recipere aut dare. Ergo character est spiritualis potentia qua homo secundum animam potest recipere vel tradere ea quae sunt Christianae religioni propria.

Et confirmatur haec ratio. Quia potentia sola est qua subtracta actus nullus redditur apud Deum: et similiter qua posita actus efficax est, quantumcumque ab homine prohibitus. Nam, subtracta caritate aut scientia aut fide, si potentia remanet, actus non est nullus: sed e contra, sola potentia deficiente, alia non sunt efficacia. Sic autem constat esse in proposito: quod, subtracto charactere, vane omnia recipiuntur; et similiter, subtracto charactere ordinis, vane omnia traduntur quae propria ordinis sunt. Est ergo character in genere potentiae.

Ad instantiam autem de militari charactere, patet responsio: quia non spectat ad animam.

Ad obiectionem autem universalem patet etiam responsio: quod falsum assumit, scilicet litteram ex sola deputatione procedere; cum procedat ex tali deputatione, scilicet ut perfectivo hominis spiritualiter secundum animam ad cultum spiritualem consistentem in recipere et tradere. Manifestum quippe est quod, formaliter proce-

dendo, optime, absque sophismatis aliqua specie, illatio tenet.

IV. Secunda conclusio est: *Haec spiritualis potentia est instrumentalis.* Declaratur a simili: sicut virtus quae est in sacramentis. – Et probatur ex subiecto. Quia est potentia ministri: ergo instrumenti. Antecedens probatur: quia character convenit ministris Christi ut sic. Consequentia probatur: quia minister, ut sic, habet rationem instrumenti.

Tertia conclusio est: *Character non est per se in genere: sed reductive in secunda specie qualitatis.* Prima pars probatur a simili: scilicet ex virtute in sacramentis; adiuncta ratione communi, quia est quiddam fluens et incompletum. – Secunda vero pars relinquitur ut evidens.

V. Occurrunt autem hic multa dubia. Primum * est de genere generalissimo sub quo ponitur character. Quod circa tertiam conclusionem versatur. (* Cf. num. seq.)

Secundum *, de specie. Et spectat ad eandem conclusionem. (* Cf. num. ix.)

Tertium * est circa responsionem ad tertium: quantum valeat ratio litterae, *Si relatio characteris fundaretur immediate super essentia animae, conveniret naturaliter omni animae.* (* Cf. num. vii, *Minus tamen.*)

Quartum * est, quantum valeat ratio litterae probans quod character non est habitus, quia omnis habitus est bonus vel malus: ut habes in littera, argumento ad oppositum. (* Cf. num. ix, *Tenendo.*)

Propter connexionem tamen materiae, tractabitur tertium dubium simul cum primo, et secundum simul cum quarto.

VI. Circa primum dubium, in quo genere sit character sacramentalis, scito primo, quod Durandus, in IV *Sent.*, dist. iv, qu. 1, putavit characterem esse relationem rationis, per quam aliquis ex institutione divina deputatur ad sacras operationes, sicut nummus sortitur rationem pretii. Et eius ratio est quia ea quae sunt fidei, clarificanda sunt, et non obscuriora reddenda. Per characterem autem, si ponitur relatio rationis, omnia clara sunt: si vero ponitur res realis, obscuriora introducuntur.

Sed positio haec seipsam levem monstrat, dum ex communibus tantum et extraneis procedit. Eiusque falsitas patet ex auctoritate Ecclesiae, Extra, *de Bapt. et eius effectu*, in cap. *Maiores,* in fine, ubi dicitur quod sacramentalis operatio imprimit characterem: certum est enim quod relatio rationis non imprimitur. – Et confirmatur ex Concilio Florentino *, sub Eugenio IV, ubi dicitur: *Tria sacramenta characterem, idest spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile: unde in eadem persona non reiterantur.* Haec ibi. (* Decret. pro Armen.)

VII. Scito secundo, quod Scotus, in Quarto, dist. vi, qu. 10, ad utramque partem disputat: concludens utrumque posse probabiliter sustineri, et quod character sacramentalis sit res absoluta in genere qualitatis, et quod sit relatio extrinsecus adveniens. Et hanc ultimam opinionem ipse tenet.

Minus tamen probabilis monstratur ista via discutiendo tertium dubium *. Ubi scito consequentiam factam in littera destrui ex Scotica opinione, distinguente de relatione vel intrinsece adveniente, vel extrinsece. Et vocat relationem intrinsecus advenientem illam quae consequitur fundamentum posito termino: illam autem quae, positis fundamento et termino, non necessario ponitur, vocat relationem extrinsecus advenientem. Exemplum primi: ut duplum, simile, aequale. Exemplum secundi: ut relatio agentis ad patiens, relatio locati ad locum, et huiusmodi. Ad primum genus dicit non esse motum, sed ad secundum: ac per hoc, posse a Deo de novo imprimi in animam relationem characteris absque aliquo absoluto novo fundante illam. Et propterea non sequitur: *Si relatio characteris poneretur immediate in anima, conveniret naturaliter omni animae.* (* Num. v.)

VIII. Tu autem patienter sustineto pertranseuntem me de respectibus his in communi: quia theologiam practicam tracto, non metaphysicam. Nec videtur digrediendum hoc in loco, quidquid sit de respectibus istis extrinsecis: qui forte non sunt intelligibiles. Quoniam omnis respectus, formaliter sumptus, ***hoc ipsum quod est, est ad aliud se habere*** *. Et si est ad aliud se habere, est in genere ***ad aliquid,*** quod est quartum praedicamentum *. Et rursus, si est ad aliud se habere, necesse est ut consequatur fundamentum ex sola nova positione alterius: alioquin non esset ad aliud. Et propterea, si est ***ad aliud se habere,*** ad illud non est motus: ut ex hac ratione probatur V *Physicorum* * ab Aristotele. (* Aristot. *Categ.* cap. v, n. 2. – * Ibid. cap. ii, n. 6. – IV *Metaphys.*, cap. vii, n. 4; s. Th. lib. V, lect. ix. – * Cap. ii, n. 1. – S. Th. lect. iii.)

Et super hoc, scilicet super ipsa relatione formaliter inquantum relatio est, fundavit Auctor hic rationem suam. Relatio enim formaliter sumpta, quia ***hoc ipsum quod est, est ad aliud,*** si realis est, nascitur cum fundamento, non simpliciter in actu, sed sic quod ex sola appositione termini fit actu: similitudo enim nascitur cum albo sic quod, posito co-albo, statim similitudo in primo albo consurgit; et sic de aliis. Ac per hoc, si relatio characteris immediate fundaretur in anima, nasceretur simul cum anima, sic quod, posito illius termino, statim in anima consurgeret relatio characteris. Et si sic connasceretur cum anima, clare patet quod naturaliter conveniret omni animae.

Quocirca, aut character non est in genere ***ad aliquid*** nisi aequivoce. Et tunc, si est respectus, quaeratur illius genus. Nec erit facile fingere aliud genus: cum ponatur res spiritualis, et non sit formaliter passio. – Aut, si est in genere ***ad aliquid,*** definitio posita ab Aristotele non est communis suo generi: et exclusio motus ab ***ad aliquid,*** cum illius ratione, V *Physic.*, non est universalis de ipso genere ***ad aliquid,*** sed particularis, hoc est de aliqua specie relationis, scilicet intrinsecae. Quoniam Aristoteles, probando ad relationem non esse motum, attulit relationem quae secundum Scotum vocatur extrinsecus adveniens, scilicet dextri et sinistri. Nam relatio dextri inter me et columnam non sequitur fundamentum posito termino, loquendo ut Scotus loquitur. Nam, posito animali habente dextrum, et posita columna, non sequitur relatio dextri inter ipsa: potest enim columna poni neutra. Et accidit huiusmodi phantasia quia non consideratur fundamentum ut fundamentum, et terminus ut terminus, sed remote. Verbi gratia, relatio agentis ad patiens non habet pro extremis ignem et aquam, sed ignem calefacientem et aquam patientem a calefaciente: et sic de aliis. Unde, non remote sed propinque sumendo fundamentum et terminum, hoc est secundum eas dispositiones secundum quas hoc fundat et illud terminat, nulla est relatio realis quae non consurgat in fundamento, posito termino. Sed haec pertranseundo sint dicta pro claritate litterae, quae de relatione loquitur formaliter, sicut et Philosophus V *Physicorum*.

IX. Circa secundum dubium *, scito Scotum, in Quarto, dist. vi, qu. 10, disputare ad omnem partem. Et, tenendo quod character est essentialiter respectus, sustinet ipsum habere rationem potentiae et activae et passivae, pro quanto Deus ordinavit assistendo agere habenti talem respectum, puta sacerdoti, et similiter imprimere in patiens habens talem respectum, puta characterem baptismi: ita quod respectus reddit baptizatum capacem passionis a Deo sic statuente; et similiter operationem sacerdotis efficacem. Et concurrunt hi respectus tanquam dispositiones in ordine ad agens voluntarium. (* Num. v.)

Tenendo autem quod character est forma absoluta, sustinet et quod potest poni in prima specie qualitatis: et quod potest poni in secunda. Respondetque ad rationem litterae, quae in quarto dubio * proposita est, primo, quod non oportet omnem habitum esse bonum vel malum, sed potest aliquis habitus esse indifferens. Quod probat dupliciter. Tum quia ex actibus indifferentibus frequentatis causatur habitus indifferens. Tum quia frequentans considerationem alicuius conclusionis geometriae, habet habitum indifferentem. – Secundo, quia character potest poni habitus supernaturalis bonus remote: ita quod non proxime seu sufficienter potest esse principium actus boni, sed remote; sicut fides, spes, caritas infusa, non est sufficiens principium boni actus, sed inclinat ad bonum actum concurrentibus aliis requisitis. Multo autem remotius character potest disponere ad bonum actum. (* Num. v.)

X. Ad horum clariorem notitiam, advertendum est quod,

nisi formaliter consideremus, locemusque res in suis generibus, vagari multipliciter continget. Quocirca, cum character sacramentalis sit formaliter potentia: est enim baptismalis character quo per se primo homo potest recipere sacramenta reliqua, ut patet; et similiter character ordinis quo primo minister Ecclesiae, puta sacerdos, potest conficere Eucharistiam, etc., – et sit supernaturale accidens impressum animae, consequens est ut sub illo genere accidentium formaliter locetur quod potentias activas vel passivas continet, quod constat solum qualitatis genus esse, et unam illius speciem, secundam scilicet. Nec obstat quod non sit naturalis potentia. Quoniam, sicut sub habitus specie continentur non solum naturales, sed supernaturales habitus, ita sub potentiae accidentalis specie continentur non solum naturales, sed supernaturales potentiae. Et in hoc debet quiescere intellectus bene dispositus.

XI. Ad distractionem autem Scoticam trahentem relationem ad rationem potentiae *, patet responsio ex hoc ipso quod distractio abusiva rerum ac rationum formalium est.

* Num. IX, *Tenendo.*

Ad id vero quod primo dicit de habitu indifferente, dicendum est quod nullus est actus humanus singularis indifferens moraliter. Quia fit vel quando, ubi, sicut, propter, etc., debet, et sic est bonus moraliter: vel non quando, aut ubi, aut sicut, aut propter, aut etc., debet, et sic est malus moraliter. Nec est inter ista duo medium in actu exercito: quia distinguuntur penes affirmationem et negationem. Ac per hoc, nullus potest esse habitus indifferens ex hoc capite.

Ad id vero quod de consideratione frequenti conclusionis geometricae subditur, dicitur quod, si consideratio est scientifica, generatur habitus bonus, scilicet scientiae, quae est virtus, ac per hoc boni tantum, puta veri. Si vero consideratio est non scientifica, generabitur habitus opinativus: qui etiam non est indifferens, sed declinat ad bonum vel malum prout declinat ad verum vel falsum.

Et quia character est forma supernaturalis a Deo pro munere impressa; ac per hoc, si esset habitus, non posset poni indifferens: ideo Scotus ad ultimam responsionem confugit. Quae falsum in primis affert, dum caritatem, fidem ac spem infusam a sufficientibus proximisque principiis elicitivis bonorum actuum aufert. Est enim infusa caritas et sufficientissimum et proximum elicitivum principium dilectionis Dei super omnia. Sed quod iste puer baptizatus non actu diligat, provenit ex conditione ipsius habentis caritatem, quia scilicet habet organa impedientia, etc.; et non ex insufficientia aut elongatione habitus. Et simile est de dormiente aut ebrio: non enim ex parte habitus infusi aut acquisiti provenit quod dormiens aut ebrius non considerat geometricas demonstrationes, aut non credit seu sperat; sed ex impedimento habentis habitum.

Male deinde locat characterem in specie, dum ex his ad quae remote se habet, locat ipsum. Debet siquidem iudicari res secundum ea quae sibi proxime conveniunt, et non secundum remota. Ac per hoc, non debet character poni sub specie habitus boni, quia valde remote disponit ad actum bonum.

XII. Sed haec accidunt Scoto quia difficile est operire falsum. Quocirca videto *omnia consonare vero* *, et absque difficultate ulla characterem poni, non habitum, sed potentiam, quae ex propria ratione indifferens est ad bonum et malum: character enim est potentia qua potest quis dare vel recipere, et non est quo potest bene vel male dare vel recipere: – ut sic perspicias divinam sapientiam, *disponentem omnia suaviter* *, donando nobis supernaturales potentias, dare eas suaviter, hoc est, servata conditione potentiarum: ut scilicet sint quibus possumus, et non quibus bene vel male possumus.

* Cf. Arist. *Ethic.* lib. I, cap. VIII, n. 1. - S. Th. lect. XII.

* *Sap.* cap. VIII, vers. 1.

XIII. Argumenta Petri Aureoli, apud Capreolum, in IV dist. Quarti, contra hoc quod character sit potentia, quia ad specialia descendunt de potestate effectiva transubstantiationis in Eucharistia, etc., omittenda censui: quoniam suo loco quaelibet servanda est quaestio.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHARACTER SACRAMENTALIS SIT CHARACTER CHRISTI

IV *Sent.*, dist. IV, qu. 1, art. 2; art. 3, qu^a 5; art. 4, qu^a 4.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod character sacramentalis non sit character Christi. Dicitur enim *Ephes.* IV *: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis.* Sed consignatio importatur in ratione characteris. Ergo character sacramentalis magis debet attribui Spiritui Sancto quam Christo.

* Vers. 30.

2. PRAETEREA, character habet rationem signi. Est autem signum gratiae quae per sacramentum confertur. Gratia autem infunditur animae a tota Trinitate: unde dicitur in Psalmo *: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Ergo videtur quod character sacramentalis non debeat specialiter attribui Christo.

* Ps. LXXXIII, vers. 12.

3. PRAETEREA, ad hoc aliquis characterem accipit ut eo a ceteris distinguatur. Sed distinctio sanctorum ab aliis fit per caritatem, quae *sola distinguit inter filios Regni et filios perditionis,* ut Augustinus dicit, XV *de Trin.* *: unde et ipsi perditionis filii *characterem bestiae* habere dicuntur, ut patet *Apoc.* XIII *. Caritas autem non attribuitur Christo, sed magis Spiritui Sancto, secundum illud *Rom.* V *, *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;* vel etiam Patri, secundum illud II *Cor.* ult. *, *Gratia Domini nostri Iesu Christi et caritas Dei.* Ergo videtur quod character sacramentalis non sit attribuendus Christo.

* Cap. XVIII.

* Vers. 16, 17.

* Vers. 5.

* Vers. 13.

SED CONTRA EST quod quidam * sic definiunt characterem: *Character est distinctio a charactere aeterno impressa animae rationali, secundum imaginem consignans trinitatem creatam Trinitati creanti et recreanti* [α], *et distinguens a non configuratis, secundum statum fidei.* Sed character aeternus est ipse Christus: secundum illud *Heb.* I *: *Qui cum sit splendor gloriae et figura,* vel character, *substantiae eius.* Ergo videtur quod character proprie sit attribuendus Christo.

* Definitio Magistrorum. - Cf. B. Albert. M., IV *Sent.*, dist. VI, C, art. 4.

* Vers. 3.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut ex supra * dictis patet, character proprie est signaculum quoddam quo aliquid insignitur ut ordinandum [β] in aliquem finem: sicut charactere insignitur denarius ad usum commutationum, et milites cha-

* Art. 1.

α) *et recreanti.* – PFIsG et *c;* om.

β) *ordinandum.* – *ordinatum* Pc.

ractere insigniuntur quasi ad militiam deputati. Homo autem fidelis ad duo deputatur. Primo quidem, et principaliter, ad fruitionem gloriae. Et ad hoc insigniuntur [γ] signaculo gratiae: secundum illud Ezech. IX *: *Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium;* et *Apoc.* VII *: *Nolite nocere terrae et mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.*

* Vers. 4.
* Vers. 3.

Secundo autem deputatur quisque fidelis ad recipiendum vel tradendum aliis ea quae pertinent ad cultum Dei. Et ad hoc proprie deputatur character sacramentalis. Totus autem ritus Christianae religionis derivatur a sacerdotio Christi. Et ideo manifestum est quod character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quaedam participationes sacerdotii Christi, ab ipso Christo derivatae.

Ad primum ergo dicendum quod Apostolus ibi loquitur de configuratione [δ] secundum quam aliquis deputatur ad futuram gloriam, quae fit per gratiam. Quae Spiritui Sancto attribuitur, inquantum ex amore procedit quod Deus nobis aliquid gratis largiatur, quod ad rationem gratiae pertinet: Spiritus autem Sanctus amor est. Unde et I ad *Cor.* XII * dicitur: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.*

* Vers. 4.

Ad secundum dicendum quod character sacramentalis est res respectu sacramenti exterioris: et est sacramentum respectu ultimi effectus. Et ideo dupliciter potest aliquid characteri attribui. Uno modo, secundum rationem sacramenti. Et hoc modo est signum invisibilis gratiae, quae in sacramento confertur. – Alio modo, secundum characteris rationem [ε]. Et hoc modo signum est configurativum alicui principali, apud quem residet auctoritas eius ad quod aliquis deputatur: sicut milites, qui deputantur ad pugnam, insigniuntur signo ducis, quo quodammodo ei configurantur. Et hoc modo illi qui deputantur ad cultum Christianum, cuius auctor est Christus, characterem accipiunt quo Christo configurantur. Unde proprie est character Christi.

Ad tertium dicendum quod charactere distinguitur aliquis [ζ] ab alio per comparationem ad aliquem finem in quem ordinatur qui characterem accipit: sicut dictum est * de charactere militari, quo in ordine ad pugnam distinguitur miles regis a milite hostis. Et similiter character fidelium est quo distinguuntur fideles [η] Christi a servis diaboli, vel in ordine ad vitam aeternam, vel in ordine ad cultum praesentis Ecclesiae. Quorum primum fit per caritatem et gratiam, ut obiectio procedit: secundum autem fit per characterem sacramentalem. Unde et *character bestiae* intelligi potest, per oppositum, vel obstinata malitia, qua aliqui deputantur ad poenam aeternam; vel professio illiciti cultus.

* Art. 1.

γ) *insigniuntur.* – *insignitur* FsD et editiones, *homines insigniuntur* sG.
δ) *configuratione.* – *configuratione vel consignatione* F, *consignatione* GHbc.
ε) *charateris rationem.* – *propriam characteris rationem* EI, *propriam rationem characteris* cetera tertia.
ζ) *aliquis.* – Tertia praeter 1; *aliquid.*
η) *distinguuntur fideles.* – FsB et tertia; *distinguitur fides* ACDpB, *distinguitur fideles* E, *distinguitur miles* ed. *a.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus de Christo loquitur ut est Verbum incarnatum, ut distinguitur a Patre et Spiritu Sancto ac ipsa Trinitate. Denotat autem obliquus casus auctoritatem in ipso Christo. Ita quod sensus est: An character sacramentalis sit character Christo ut principi configurans seu consignans characterem ipsum suscipientes: sicut character Romanus consignat milites Caesari, et Gallicus regi Francorum, etc.

In corpore tria sunt: primo, distinguitur character fidelium in duo genera; secundo, respondetur quaesito *; tertio, ponitur unum corollarium *.

* Cf. num. III.
* Cf. num. IV.

II. Quoad primum, distinguitur character fidelium in characterem ad caelestem beatitudinem, et characterem ad militantis Ecclesiae cultum. Ille est caritas, seu gratia: hic est sacramentalis, de quo est sermo. Communio istorum ex communi ratione characteris declaratur. Diversitas autem ex diversitate finium ac actuum manifestatur in littera. Praelibavit autem Auctor distinctionem hanc ut clara fieret doctrina sacrae Scripturae quae in argumentis discutitur: et ne novitium ambiguum relinqueret aut suspensum.

III. Quoad secundum, conclusio responsiva quaesito est: *Character sacramentalis est character Christi.* Probatur. Character sacramentalis est ad recipiendum et dandum ea quae sunt cultus Christiani. Ergo est specialiter character Christi. – Probatur consequentia. Quia totus ritus Christianae religionis derivatur a Christi sacerdotio, cui configurantur fideles.

Nota hic quam formalis sit doctrina Auctoris, dum, de cultu Christianae religionis tractans, in Christum caput, non secundum quamcumque illius conditionem, sed secundum sacerdotium, reducit characterem Christiani cultus. Sacerdotis enim est principatus cuiusque religionis, tam verae quam falsae.

IV. Quoad tertium, corollarium est: *Characteres sacramentales sunt participationes quaedam sacerdotii Christi.* Ex eo enim quod character sacramentalis est Christi sacerdotis character, consequens est ut sit quaedam diminuta imitatio ordinata ad actus spectantes ad Christi sacerdotium: quod est esse participationem sacerdotii Christi. Baptismali siquidem charactere a Christi sacerdotio habet homo formaliter et esse membrum Christianae religionis, et esse capacem reliquorum sacramentorum a Christi sacerdotio derivatorum. Et simile proportionaliter est de aliorum sacramentorum characteribus.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHARACTER SIT IN POTENTIIS ANIMAE SICUT IN SUBIECTO

IV *Sent.*, dist. IV, qu. 1, art. 3, qu[a] 1.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod character non sit in potentiis animae sicut in subiecto. Character enim dicitur esse dispositio ad gratiam. Sed gratia est in essentia animae sicut in subiecto, ut in Secunda Parte * dictum est. Ergo videtur quod character sit in essentia animae, non autem in potentiis.

* Ia IIae, qu. CX, art. 4.

2. PRAETEREA, potentia animae non videtur esse subiectum alicuius nisi habitus vel dispositionis. Sed character, ut supra * dictum est, non est habitus vel dispositio, sed magis potentia: cuius subiectum non est nisi essentia animae. Ergo videtur quod character non sit sicut in subiecto in potentia animae, sed magis in essentia ipsius.

* Art. 2.

3. PRAETEREA, potentiae animae rationalis distinguuntur per cognitivas et appetitivas. Sed non potest dici quod character sit tantum in potentia cognoscitiva [α], nec etiam tantum in potentia appetitiva: quia non ordinatur neque ad cognoscendum tantum, neque ad appetendum. Similiter etiam non potest dici quod sit in utraque: quia idem accidens non potest esse in diversis subiectis. Ergo videtur quod character non sit in potentia animae sicut in subiecto, sed magis in essentia.

SED CONTRA EST quod, sicut in praemissa * definitione characteris continetur, character [β] imprimitur animae rationali *secundum imaginem*. Sed imago Trinitatis in anima attenditur secundum potentias. Ergo character in potentiis animae existit.

* Arg. 3, arg. *Sed cont.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, character est quoddam signaculum quo anima insignitur ad suscipiendum vel aliis tradendum ea quae sunt divini cultus. Divinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem proprie ordinantur potentiae animae, sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est sicut in subiecto in essentia animae, sed in eius potentia.

* Art. 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod subiectum alicui accidenti attribuitur secundum rationem eius ad quod propinque disponit: non autem secundum rationem eius ad quod disponit remote vel indirecte. Character autem directe quidem et propinque disponit animam ad ea quae sunt divini cultus exequenda: et quia haec idonee [γ] non fiunt sine auxilio gratiae, quia, ut dicitur Ioan. IV *, *eos qui adorant Deum, in spiritu et veritate adorare oportet,* ex consequenti divina largitas recipientibus characterem gratiam largitur, per quam digne impleant ea ad quae deputantur. Et ideo characteri magis est attribuendum subiectum secundum rationem actuum ad divinum cultum pertinentium, quam secundum rationem gratiae.

* Vers. 24.

AD SECUNDUM DICENDUM quod essentia animae est subiectum potentiae naturalis, quae ex principiis essentiae procedit. Talis autem potentia non est character: sed est quaedam spiritualis potentia ab extrinseco adveniens. Unde, sicut essentia animae, per quam est naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, qua anima spiritualiter vivit; ita potentia naturalis animae perficitur per spiritualem potentiam, quae est character. Habitus enim et dispositio pertinent ad potentiam animae, eo quod ordinantur ad actus, quorum potentiae sunt principia. Et eadem ratione omne quod ad actum ordinatur, est potentiae tribuendum.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut dictum est *, character ordinatur ad ea quae sunt divini cultus. Qui quidem est quaedam fidei protestatio per exteriora signa. Et ideo oportet quod character sit in cognitiva potentia animae, in qua est fides.

* In corpore.

α) *cognoscitiva.* – *cognitiva* Pa, *ςg[i]tiva* Gl. – *appetitiva* om. A.
β) *character.* – F et tertia praeter I; *sic character* E, *character sic* ceteri.
γ) *idonee.* – F et tertia; *(et quia hoc homines) idonei* E, *idonea* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore una conclusio: *Character est subiective in potentia animae.* Probatur. Character est signaculum quo anima insignitur ad recipiendum vel tradendum ea quae sunt cultus Christiani. Ergo ordinatur ad actus. Ergo est in potentia animae.

Prima consequentia, quae non nisi implicite in littera habetur, probatur ex eo quod cultus divinus in actibus consistit. – Secunda autem: quia potentia animae ordinatur ad operari, sicut essentia ad esse.

II. In responsione ad primum, adverte distinctionem in littera positam de eo ad quod disponit character, scilicet vel propinque vel remote: et quod proxime disponit ad actus Christianae religionis, remote autem disponit ad gratiam. Et hoc probatur in littera, quia ad hoc disponit ex consequenti. Et tu potes addere, quia disponere ad gratiam est communis conditio sibi et multis aliis, multa enim alia disponunt ad gratiam, ut patet; et non est de numero propriorum sibi.

Et haec si retinueris, videbis vanum esse laborem Scoti, in ult. qu. dist. VI Quarti *Sent.*, procedentis ex eo quod dispositio ad formam nunquam est in posteriori naturaliter susceptivo. Hoc enim falsum esse constat de dispositione, non proxime, sed remote. Potest enim res quae non nisi remote et ex consequenti est dispositio ad gratiam, quae in essentia animae ponenda est, poni in quacumque potentia animae: immo etiam in membris exterioribus. Huiusmodi enim dispositiones, ut in littera dicitur, non vindicant sibi subiectum ex eo ad quod remote disponunt, sed ex eo ad quod proxime disponunt.

III. Cave hic ne dicta de charactere intelligas dicta de

sacramentis characterem imprimentibus, et *incidas in foveam,* putans quod sacramenta huiusmodi conferant gratiam ex consequenti, sintque principaliter causae characterum et ex consequenti gratiae, quia character, ut in littera dicitur, non proxime, sed ex consequenti dispositio est ad gratiam. Recolito superius * habitae doctrinae, quod scilicet gratia est *principalis* sacramentorum effectus, et character est effectus *secundarius:* et perspice non licere attribuere sacramento conditionem characteris. Cum hoc enim quod character est remote et ex consequenti dispositio ad gratiam, stat quod gratia sit principalis effectus sacramenti. Tunc enim gratia non esset principalis effectus sacramenti, si solum daretur per sacramentum ut sequela ad characterem. Quae phantasia procul sit a te. Baptismus namque est principaliter *lavacrum regenerationis* * in filios Dei, in membra Christi: et secundario impressivus characteris. Et confert gratiam ex primo principaliter: et praeter hoc habet unde conferat gratiam ex consequenti, scilicet propter characterem. Ita quod character naturali ordine est effectus gratiae per quam aliquis fit Christianus formatus: prius enim natura est esse, quod spectat ad gratiam, quam posse, quod est characteris. Et cum hoc, est dispositio ex consequenti ad gratiam: pro quanto ad posse donatum a Deo, comitatur antecedenter vel consequenter largitio bene posse.

* Qu. LXII, Introd. - Cf. Comment.

* *Ad Tit.,* cap. III, vers. 5.

Et bene nota quod character non ponitur dispositio ad gratiam absolute: sed character secundum rationem suae causae, scilicet divinae largitatis, ponitur dispositio ad gratiam. Divinae siquidem largitatis ratio habet ut cui dat posse, det bene posse. Hac enim ratione character ponitur dispositio ad gratiam, ut patet in hac littera.

Et cum haec servaveris, Durandi obiectiones, in Quarto, dist. IV, qu. 1, spernes.

IV. In responsione ad tertium, dubium ex Scoto occurrit, in praedicta * ultima quaestione, ponente characterem in voluntate. Tum quia est dispositio ad gratiam, quae est in voluntate, quia gratia est idem quod caritas. Tum quia, si character est signum vel fundamentum obligationis animae ad Deum, rationabile est quod ponatur in illa potentia cuius primo est obligare, vel esse rationem obligandi. Talis autem est voluntas, quia praecise per actum eius aliquis se obligat principaliter: reliqua enim concurrentia ad obligationem non sunt nisi quaedam praeambula aut signa.

* Num. II.

V. Ad hoc dicitur quod Auctor et inferius in sequenti articulo, in responsione ad secundum, probat characterem non esse in voluntate: quia character est vis instrumentalis, ac per hoc consistit in moveri ab alio; voluntatis vero est movere seipsam ad operandum; dissonat igitur conditio characteris a conditione voluntatis. Et hic probat characterem esse in intellectu: quia actus ad quos proxime disponit, scilicet recipere vel tradere ea quae sunt Christiani cultus, sunt quaedam fidei protestationes.

Unde ad primam Scoti obiectionem non oportet aliter respondere: quia iam dictum est * quod characteri non assignatur subiectum ex eo quod est dispositio ad gratiam, quia remote ad eam disponit.

* Ibid.

Ad secundam autem dicitur primo, quod conditionalis assumpta est falsa: quia non est necessaria. Quia cum veritate antecedentis stat quod character sit in illa potentia cuius sunt primo actus operationes ad quas character obligat: et non in potentia quae est primo obligativa.

Dicitur secundo, quod antecedens potest dupliciter intelligi: quod character sit obligativus vel proxime, vel ex consequenti. Et quod character per se et proxime non est quid obligativum, sed professivum Christiani cultus et fidei: et propter huiusmodi professionem obligat, quod est ex consequenti obligare. Character enim in anima monstrat animam Christianae religionis, ac per hoc obligatam Christo, et non e contra: sicut character militaris monstrat militem Romanum, et ideo obligatum Caesari. Argumentum autem utitur antecedente in primo sensu. In quo etiam, ut prima testatur responsio, falsam constituit conditionalem.

VI. Circa eandem responsionem dubium aliud occurrit, de ratione assignata in littera, scilicet: Quia divinus cultus est quaedam fidei protestatio per exteriora signa, ideo character est in intellectu, in quo est fides. Si enim characteri assignandum est subiectum ex cultu divino, ad quem proxime disponit, consequens est ut subiectum eius sit illudmet quod est subiectum proprii et proximi principii ipsius cultus, magis quam illud quod est subiectum principii communis et remoti eiusdem cultus. Sed proprium proximumque cultus Dei principium est religionis virtus, quae est in voluntate. Ergo character, qui potentia est ad recipiendum vel tradendum ea quae sunt cultus, est in voluntate: et non in intellectu, in quo est fides, quae remotum est principium cultus, quia mediante religione; et commune, quia fides operatur mediate ea quae sunt multarum virtutum, puta spei, caritatis, religionis, etc.

VII. Ad hoc dicitur quod characterem convenire in subiecto cum fide magis quam cum religione, ex duobus sumi potest. Primo, ex eo quod tam fides quam character inter principia religionis computatur. Universa namque religio filia est fidei, et quaedam fidei protestatio: ex religione namque profitetur quilibet fidem suam. Character quoque, cum potentia sit activa vel passiva actuum religionis, principii rationem habet.

Secundo, ex eo quod tam fides quam character respicit divinum cultum secundum id quod est: religio autem respicit divinum cultum secundum rationem boni. Est enim religio virtus moralis, cuius est *reddere hominem bonum et eius opus bonum efficere* *. Fide enim et charactere homo potest in actus religionis: religione autem homo bene se habet ad illos. Et hinc fit ut character respiciat Christianum cultum ut professio quaedam fidei est, et non ut bene vel male fit. Et propterea ad fidei subiectum accedit, et non spectat ad subiectum religionis.

* Aristot. *Ethic.* lib. II, cap. VI, n. 3. - S. Th. lect. VI.

Ad obiectionem autem in oppositum, dicitur quod propositio illa: *Si characteri debetur subiectum ratione cultus, debet potius poni in subiecto principii proximi ipsius cultus, quam principii remoti eiusdem,* vera forte est *ceteris paribus.* Sed hic non sunt cetera paria: quia cultus respicitur a principio proximo prout bene vel male fit, a qua ratione longe est character; a principio vero remoto respicitur secundum id quod est, in qua ratione convenit character cum fide, quae est principium remotum et commune. Et propterea non sequitur characterem esse in voluntate, in qua est religio: sed concluditur oppositum, scilicet esse in intellectu, in quo est fides.

VIII. Circa eandem responsionem dubium ex Durando, in IV *Sent.,* dist. IV, qu. 1, occurrit de subiecto characteris, quod sit potentia executiva. Quia virtus perficiens, non ad cognoscendum nec ad appetendum, sed ad exequendum, debet poni, non in intellectu nec in voluntate, sed in potentia executiva. Character autem est huiusmodi, ut patet. Ergo.

Ad hoc dicitur quod characterem esse in alia potentia quam intellectus vel voluntatis, est impossibile: quia quaelibet alia potentia est in composito, character autem est in anima intellectiva. Quod ex eo patet, quod est perpetuus, remanens in anima separata. In cuius signum, si baptizatus aut ordinatus resurgeret, non rebaptizaretur aut reordinaretur.

Ad obiectionem autem dicitur quod, licet maior sit vera de virtute seu habitu, non tamen est vera de potentia. Character autem non est virtus aut habitus, sed potentia. Licet enim habitus in parte intellectiva sit ad cognoscendum vel appetendum, potentia tamen apposita ad neutrum esse potest, immo debet: quoniam intellectus ipse sufficit pro potentia ad intelligendum, et voluntas pro potentia ad appetendum. Quocirca, cum character sit potentia in parte superiori animae ad recipiendum vel tradendum cultum protestantem fidem, rationabiliter ponitur in subiecto fidei, ut in littera dicitur.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM CHARACTER INSIT ANIMAE INDELEBILITER

Infra, qu. LXVI, art. 9; qu. LXXXII, art. 8; IV *Sent.*, dist. IV, qu. I, art. 3, qu^a^ 4; *Ad Rom.*, cap. VII, lect. I.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod character non insit animae indelebiliter. Quanto enim aliquod accidens est perfectius, tanto firmius inhaeret. Sed gratia est perfectior quam character: quia character ordinatur ad gratiam sicut ad ulteriorem finem. Gratia autem amittitur per peccatum. Ergo multo magis character.

2. PRAETEREA, per characterem aliquis deputatur divino cultui, sicut dictum est *. Sed aliqui a cultu divino transeunt ad contrarium cultum per apostasiam a fide. Ergo videtur quod tales amittant characterem sacramentalem.

* Articulis praecedd.

3. PRAETEREA, cessante fine, cessare debet et id quod est ad finem, alioquin frustra remaneret: sicut post resurrectionem non erit matrimonium *, quia cessabit generatio, ad quam matrimonium ordinatur. Cultus autem exterior, ad quem character ordinatur, non remanebit in patria, in qua nihil agetur in figura, sed totum in nuda veritate. Ergo character sacramentalis non remanet in perpetuum in anima. Et ita non inest indelebiliter.

* Matth. cap. XXII, vers. 30.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in II *contra Parmenianum* *: *Non minus haerent* [α] *sacramenta Christiana quam corporalis nota* militiae. Sed character militaris non repetitur, sed *agnitus approbatur,* in eo qui veniam meretur ab imperatore post culpam. Ergo nec character sacramentalis deleri potest.

* Cap. XIII.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, character sacramentalis est quaedam participatio sacerdotii Christi in fidelibus eius: ut scilicet, sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotii potestatem, ita fideles eius ei configurentur [β] in hoc quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum et eorum quae pertinent ad divinum cultum. Et propter hoc etiam Christo non competit habere characterem: sed potestas sacerdotii eius comparatur ad characterem [γ] sicut id quod est plenum et perfectum ad aliquam sui participationem. Sacerdotium autem Christi est aeternum: secundum illud Psalmi *: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Et inde est quod omnis sanctificatio quae fit per sacerdotium eius, est [δ] perpetua, re consecrata manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis: nam ecclesiae vel altaris manet consecratio semper, nisi destruatur. Cum igitur anima sit subiectum characteris secundum intellectivam partem, in qua est fides, ut dictum est *; manifestum est quod, sicut intellectus perpetuus est et incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima.

* Art. 3. — * Ps. CIX, vers. 4. — * Art. 4, ad 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod aliter est in anima gratia, et aliter character. Nam gratia est in anima sicut quaedam forma habens esse completum in ea: character autem est in anima sicut quaedam virtus instrumentalis, ut supra * dictum est. Forma autem completa est in subiecto secundum conditionem subiecti. Et quia anima est mutabilis secundum liberum arbitrium quandiu est in statu viae, consequens est quod insit [ε] animae mutabiliter. Sed virtus instrumentalis magis attenditur secundum conditionem principalis agentis. Et ideo character indelebiliter inest animae, non propter sui perfectionem, sed propter perfectionem sacerdotii Christi, a quo derivatur character sicut quaedam instrumentalis virtus.

* Art. 2.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut ibidem * Augustinus dicit, *nec ipsos apostatas videmus* [ζ] *carere baptismate, quibus per poenitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo amitti non potuisse iudicatur.* Et huius ratio est quia character est virtus instrumentalis, ut dictum est *: ratio autem instrumenti consistit in hoc quod ab alio moveatur, non autem in hoc quod ipsum se moveat, quod pertinet ad voluntatem. Et ideo, quantumcumque voluntas moveatur in contrarium, character non removetur, propter immobilitatem principalis moventis.

* Loc. cit. in arg. *Sed cont.* - Cf. *de Baptism. cont. Donatist.* lib. I, cap. I. — * Ad 1.

AD TERTIUM DICENDUM quod, quamvis post hanc vitam non remaneat exterior cultus, remanet tamen finis illius cultus. Et ideo post hanc vitam remanet character, et in bonis ad eorum gloriam, et in malis ad eorum ignominiam: sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, et in his qui vicerunt ad gloriam, et in his qui sunt victi ad poenam.

α) *haerent.* – P; *habent;* cf. art. 1 ε.
β) *configurentur.* – P; *configurantur.*
γ) *characterem.* – PI; addunt *sacerdotium* ABCD, *sacerdotum* E, *sacerdotii* FGH*abc*.
δ) *eius, est.* – PFGI*ac; est* D, *eius quae est* H*b*, *est eius* ceteri.
ε) *insit.* – *gratia insit* PG.
ζ) *videmus.* – PFI; *vidimus.* Post *quibus* P addit *utique.* Pro *potuisse, posse* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN titulo, adverte quod ly *indelebiliter* potest dupliciter accipi. Vel per negationem omnis potentiae, etiam logicae, ad deletionem. Et sic esset sensus: An character insit indelebiliter, ita quod implicet contradictionem ipsum deleri. Et hic sensus procul est ab intento: potest enim a Deo deleri, desinendo conservare ipsum. – Vel per negationem propriae seu proximae naturalis potentiae ad deletionem. Et hic sensus est intentus. Non enim quaerimus quid possit Deus facere: sed quid suapte natura conveniat characteri.

II. In corpore est una conclusio: *Character indelebiliter manet in anima.* Probatur. Omnis sanctificatio quae fit per sacerdotium Christi, est perpetua, re consecrata manente. Sed character sacramentalis est quaedam participatio

sacerdotii Christi aeterni in eius fidelibus secundum animae partem incorruptibilem. Ergo character indelebiliter manet in anima.

Maior et probatur, et declaratur. Probatur quidem, quia sacerdotium Christi est aeternum: ut patet auctoritate Scripturae. – Declaratur vero, ex eo quod res inanimatae consecratae a ministris sacerdotii Christi, retinent consecrationem quandiu sunt: ut patet in ecclesiis, calicibus, etc.

Minor vero, quoad primam partem, declaratur ex duobus. Primo, ex proportionalitate Christi secundum plenam sacerdotii potestatem, et fidelium eius secundum aliquam potestatem respectu sacramentorum et cultus, etc. Secundo, ex hoc quod Christo non convenit habere characterem. – Quoad secundam autem partem, scilicet *aeterni*, non oportet aliter probari. – Quoad tertiam vero, probatur ex eo quod anima est subiectum characteris secundum intellectum.

III. Adverte hic quod in minori propositione apposuimus ly *aeterni*, propterea quia character habet rationem vis instrumentalis. Constat enim quod, nisi principale agens sit aeternum, impossibile est ponere instrumentalem eius virtutem perpetuam.

Adverte secundo ly *re consecrata manente*. Quoniam inde apparet responsio ad Scotum, in IV *Sent.*, dist. VI, qu. 9, obiicientem ex indelebilitate characteris negationem virtutis supernaturalis in sacramentis: quia virtus illa nunquam posset corrumpi, eodem modo quo characterem indelebilem Thomas ponit. – Respondemus siquidem quod virtus in sacramentis existens manet quandiu sacramentum manet, sicut et character durat quandiu anima durat. Durante siquidem sacramento, durat et virtus illa. Et sicut, si cessaret esse anima, desineret et eius character, ita, cessante sacramento, cessat virtus in illo. Et quoniam constat sacramenta omnia paululum durare, utpote habentia verba pro formis, ideo mirum non est si spirituales virtutes eorum crebro esse desinunt.

IV. In responsione ad primum, adverte rationem Auctoris ex philosophia non solum principia, sed testimonium ad sensum habere. Videmus enim motum caelestem durationem ex parte motus sortiri. Tantique fit huiusmodi rerum, quarum esse consistit in fieri, duratio ex parte agentis, ut negantes conservari permanentes res manu Creatoris, concedant huiusmodi res imperfectas posse perpetuari ab agente perpetuo, ut Averroes, in XII *Metaphys.* *, testatur. * Text. Com. XLI.

Et habes in hac littera aliam rationem radicalem huius differentiae inter formam habentem esse completum, et formam quae est vis instrumentalis: quia scilicet illa, quasi fixa in subiecto, sequitur conditionem subiecti; ista vero, quasi defluxus quidam agentis, illius sequitur conditionem.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM PER OMNIA SACRAMENTA NOVAE LEGIS IMPRIMATUR CHARACTER

IV *Sent.*, dist. IV, qu. 1, art. 4, quis 2, 3; dist. VII, qu. II, art. 1, qua 1; dist. XXIII, qu. 1, art. 2, qua 3; *De Eccles. Sacram.*; *Ad Heb.*, cap. XI, lect. VII.



AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per omnia sacramenta novae legis imprimatur character. Per omnia enim sacramenta novae legis fit aliquis particeps sacerdotii Christi. Sed character sacramentalis nihil est aliud quam participatio sacerdotii Christi, ut dictum est *. Ergo videtur quod per omnia sacramenta novae legis imprimatur character. * Art. 3, 5.

2. PRAETEREA, character se habet ad animam in qua est, sicut consecratio ad res consecratas. Sed per quodlibet sacramentum novae legis homo recipit gratiam sanctificantem, ut supra * dictum est. Ergo videtur quod per quodlibet sacramentum novae legis imprimatur character. * Qu. LXII, art. 1.

3. PRAETEREA, character est res et sacramentum. Sed in quolibet sacramento novae legis est aliquid quod est res tantum, et aliquid quod est sacramentum tantum, et aliquid quod est res et sacramentum. Ergo per quodlibet sacramentum novae legis imprimitur character.

SED CONTRA EST quod sacramenta in quibus imprimitur character, non reiterantur, eo quod character est indelebilis, ut dictum est *. Quaedam autem sacramenta iterantur: sicut patet de poenitentia et matrimonio. Ergo non omnia sacramenta imprimunt characterem. * Art. 5.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, sacramenta novae legis ad duo ordinantur: scilicet in remedium peccati, et ad cultum divinum. Est autem omnibus sacramentis commune quod per ea exhibetur aliquod remedium contra peccatum, per hoc quod gratiam conferunt. Non autem omnia sacramenta ordinantur directe ad divinum cultum: sicut patet de poenitentia, per quam homo liberatur a peccato, non autem per hoc sacramentum exhibetur homini aliquid de novo pertinens ad divinum cultum, sed restituitur in statum pristinum. * Qu. LXII, art. 1, 5.

Pertinet autem aliquod sacramentum ad divinum cultum tripliciter: uno modo, per modum ipsius actionis; alio modo, per modum agentis; tertio modo, per modum recipientis. Per modum quidem ipsius actionis pertinet ad divinum cultum Eucharistia, in qua principaliter divinus cultus consistit, inquantum est Ecclesiae sacrificium. Et per hoc idem sacramentum non imprimitur homini character: quia per hoc sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud ulterius agendum vel recipiendum in sacramentis, cum potius sit *finis et consummatio omnium sacramentorum*, ut Dionysius dicit, III cap. *Eccles. Hier*. Continet tamen in seipso α Christum, in quo non est character, sed tota sacerdotii plenitudo. α

Sed ad agentes in sacramentis pertinet sacramentum ordinis: quia per hoc sacramentum deputantur homines ad sacramenta aliis tradenda. Sed ad recipientes pertinet sacramentum baptismi, per quod β homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiae sacramenta: unde baptismus dicitur esse *ianua sacramentorum* γ. Ad idem etiam ordinatur quodammodo confirmatio: ut infra * suo loco dicetur. Et ideo per haec tria β γ * Cf. qu. LXV, art. 3.

α) *in seipso.* – *in se ipsum* PGI.
β) *per quod.* – *per quem* GI, *per hoc quod* Hbc, *quia per ipsum* P.
γ) *sacramentorum.* – *omnium sacramentorum* Pc.

sacramenta character imprimitur, scilicet baptismum, confirmationem et ordinem.

Ad primum ergo dicendum quod per omnia sacramenta fit homo particeps sacerdotii Christi, utpote percipiens aliquem effectum eius: non tamen per omnia sacramenta aliquis deputatur ad agendum aliquid vel recipiendum quod pertineat ad cultum sacerdotii Christi. Quod quidem exigitur ad hoc quod sacramentum characterem imprimat.

Ad secundum dicendum quod per omnia sacramenta sanctificatur homo, propter hoc [δ] quod sanctitas importat munditiam a peccato, quod fit per gratiam. Sed specialiter per quaedam sacramenta, quae characterem imprimunt, homo sanctificatur quadam consecratione, utpote deputatus ad divinum cultum: sicut etiam res inanimatae sanctificari dicuntur inquantum divino cultui deputantur.

Ad tertium dicendum quod, licet character sit res et sacramentum, non tamen oportet id [ε] quod est res et sacramentum, esse characterem. Quid autem sit res et sacramentum in aliis sacramentis, infra * dicetur.

* Qu. LXXIII, art. 1, ad 3; qu. LXXXIV, art. 1, ad 3; *Suppl.* qu. XXX, art. 3, ad 3; qu. XLII, art. 1, ad 5.

δ) *propter hoc.* – *secundum* tertia. – Pro *quod fit, quae fit* P.

ε) *id.* – *esse id* I, *quod id c, omne id* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una est conclusio: *Per tria sacramenta tantum imprimitur character.* Haec conclusio, quoad exponentem negativam, implicite ponitur in littera. Et secundum se totam in littera implicite probatur, praesupponendo supra * dicta de charactere, scilicet quod est potentia ad recipiendum vel tradendum ea quae sunt divini cultus. Ex hoc enim supposito principio procedit Auctor, quasi subsumendo quaedam sacramenta non spectare directe ad novum cultum divinum, aut non ordinare ad recipiendum vel tradendum; ac per hoc, in his non imprimi characterem. Unde distinguit in primis Auctor duos sacramentorum fines: scilicet remedium peccati, et divinum cultum. Et in primo omnia dicit convenire: in secundo autem non, quod probat de sacramento poenitentiae. Subdistinguit deinde in tria membra sacramenta ordinata ad secundum finem: et, excluso uno eorum, scilicet Eucharistiae, concludit reliqua duo genera imprimere characterem. Et clare patet processus in littera.

* Art. 2.

II. Adverte hic quod circa Eucharistiae sacramentum possunt duo considerari: scilicet ipsum sacramentum, quod nihil aliud est quam actio sacramentalis consistens in consecratione materiae; et potest considerari usus sacramenti, quo Eucharistia percipitur a nobis. Et de primo quidem, an imprimat characterem, sub quaestione cadere non potest: quia actio illa nihil ponit in animabus nostris, sed ad materiam exteriorem terminatur. De secundo autem Auctor loquitur, reddens rationem quare non imprimit nobis characterem: et cum hoc, magnificans ipsum, quod continet Christum, in quo est fons omnium characterum.



QUAESTIO SEXAGESIMAQUARTA

DE CAUSIS SACRAMENTORUM

IN DECEM ARTICULOS DIVISA

α * Cf. qu. LX, Introd.

DEINDE considerandum est de causis [α] sacramentorum *, sive per auctoritatem sive per ministerium.

Et circa hoc quaeruntur decem.

Primo: utrum solus Deus interius operetur in sacramentis.

Secundo: utrum institutio sacramentorum sit solum a Deo.

Tertio: de potestate quam Christus habuit in sacramentis.

Quarto: utrum illam potestatem potuerit aliis communicare.

Quinto: utrum potestas ministerii in sacramentis conveniat malis.

Sexto: utrum mali peccent dispensando sacramenta.

Septimo: utrum angeli possint esse ministri sacramentorum.

Octavo: utrum intentio ministri requiratur in sacramentis.

Nono: utrum requiratur ibi recta fides; ita scilicet quod infidelis non possit tradere sacramentum.

Decimo: utrum requiratur ibi recta intentio.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM SOLUS DEUS, VEL ETIAM MINISTER, INTERIUS OPERETUR AD EFFECTUM SACRAMENTI

Supra, qu. LXII, art. 1; IV *Sent.*, dist. 1, qu. 1, art. 4, qu[a] 1.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non solus Deus, sed etiam minister, interius operetur ad effectum sacramenti. Interior enim effectus sacramenti est ut homo purgetur a peccatis, et illuminetur per gratiam. Sed ad ministros Ecclesiae pertinet *purgare, illuminare* et *perficere:* ut patet per Dionysium, in V cap. *Coel. Hier.* * Ergo videtur quod non solus Deus, sed etiam ministri Ecclesiae operentur [β] ad sacramenti effectum.

* Part. 1, § 3.

2. PRAETEREA, in collatione sacramentorum quaedam orationum suffragia proponuntur. Sed orationes iustorum sunt magis apud Deum exaudibiles quam quorumcumque: secundum illud Ioan. IX *: *Si quis Dei cultor est, et voluntatem Dei facit, hunc Deus exaudit.* Ergo videtur quod maiorem effectum sacramenti consequitur ille qui recipit illum [γ] a bono ministro. Sic ergo minister operatur aliquid ad interiorem effectum, et non solus Deus.

* Vers. 31.

3. PRAETEREA, dignior est homo quam res inanimata. Sed res inanimata aliquid operatur ad effectum interiorem: nam *aqua corpus tangit et cor abluit,* ut Augustinus dicit, *super Ioan.* * Ergo homo aliquid operatur ad interiorem effectum sacramenti, et non solus Deus.

* Tract. LXXX.

SED CONTRA EST quod dicitur *Rom.* VIII *: *Deus qui iustificat.* Cum igitur interior effectus omnium sacramentorum sit iustificatio, videtur quod solus Deus operetur interiorem effectum sacramenti.

* Vers. 33.

RESPONDEO DICENDUM quod operari aliquem effectum contingit dupliciter: uno modo, per modum principalis agentis; alio modo, per modum instrumenti. Primo igitur modo solus Deus operatur interiorem effectum sacramenti. Tum quia solus Deus illabitur animae *, in qua sacramenti effectus consistit [δ]. Non autem potest aliquid [ε] immediate operari ubi non est. – Tum quia gratia, quae est interior sacramenti effectus, est a solo Deo *, ut in Secunda Parte ** habitum est. Character etiam, qui est interior quorundam sacramentorum effectus, est virtus instrumentalis, quae manat a principali agente, quod est Deus.

* Cf. *de Eccles. Dogm.* cap. L, al. LXXXIII. – Inter Opp. Aug.

* D. 680.
** I[a] II[ae], qu. CXII, art. 1.

Secundo autem modo homo potest operari ad interiorem effectum sacramenti, inquantum operatur per modum ministri [ζ]. Nam eadem ratio est ministri et instrumenti *: utriusque enim actio exterius adhibetur, sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, quod est Deus.

* Aristot. *Polit.* lib. I, cap. II, n. 4. – S. Th. lect. II.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod purgatio, secundum quod attribuitur ministris Ecclesiae, non est a peccato: sed dicuntur diaconi purgare, inquantum vel immundos eiiciunt a coetu fidelium, vel eos sacris admonitionibus disponunt ad sacramentorum receptionem. Similiter etiam sacerdotes illuminare dicuntur sacrum populum, non quidem gratiam infundendo, sed sacramenta gratiae tradendo: ut patet per Dionysium ibidem *.

* § 3, 6.

AD SECUNDUM DICENDUM quod orationes quae di-

α) *causis.* – *causa* tertia.
β) *operentur.* – *interius operentur* PI.
γ) *illum.* – *ipsum* P.
δ) *consistit.* – *existit* PGHI; *consistit... sacramenti effectus* om. A.
ε) *aliquid.* – *aliquis aliquid* B, om. *bc; Non... operari* om. P errore typographorum.
ζ) *ministri.* – *ministerii* BCDEGHI*b*. Cf. art. 2. β.

cuntur in sacramentorum collatione, proponuntur Deo non ex parte singularis personae, sed ex parte totius Ecclesiae: cuius preces sunt apud Deum exaudibiles, secundum illud Matth. XVIII *: *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque* η *petierint, fiet eis a Patre meo.* Nihil tamen prohibet quin devotio viri iusti ad hoc aliquid operetur.

* Vers. 19.

Illud tamen quod est sacramenti effectus, non impetratur oratione Ecclesiae vel ministri, sed ex merito passionis Christi, cuius virtus operatur in sacramentis, ut dictum est *. Unde effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum. Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum per devotionem ministri: nec tamen minister operatur illud, sed impetrat operandum a Deo.

* Qu. LXII, art. 5.

Ad tertium dicendum quod res inanimatae non operantur θ ad interiorem effectum nisi instrumentaliter, ut dictum est *. Et similiter homines non operantur ad sacramentorum effectum nisi per modum ministerii, ut dictum est *.

* In corpore.
* Ibid.

η) *quamcunque.* – *quacumque* BCEa. Pro *fiet eis, fiat eis* ABCa, *fiet illis* PG.

θ) *operantur.* – *aliquid* addunt editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore una ponitur distinctio bimembris, cum duabus conclusionibus singulis iuxta singula membra. Distinctio est. Operari effectum contingit vel per modum principalis agentis; vel per modum instrumenti.

Prima conclusio est: *Solus Deus primo modo operatur effectum interiorem sacramenti.* Et probatur dupliciter: ut patet clare in littera.

Secunda vero conclusio est: *Homo potest operari ad interiorem effectum sacramenti secundo modo.* Et probatur. Quia minister habet rationem instrumenti, etc.

II. Adverte hic quod, cum in littera dicitur, *Solus Deus est causa gratiae,* intelligas de causa principali: quoniam de illa est sermo in prima conclusione, pro qua hoc dicitur. Et superius * determinatum est sacramenta causare instrumentaliter gratiam. Et hic in secunda conclusione dicitur hominem ministerialiter causare interiorem effectum sacramenti eadem ratione qua sacramentum est causa gratiae: quoniam ministro utitur Deus, sicut et sacramentali locutione, ut instrumento ad causandum interiorem effectum sacramenti. Immo una eademque vis instrumentalis perfecta est in sacramento et ministro, sicut in verbis et rebus: ea ratione, quia minister nonnisi ut necessario requisitus ad perfectionem sacramenti concurrit; omnibus autem requisitis ad perfectionem sacramenti utitur principale agens, quod est Deus, ut partialibus concurrentibus ad perficiendum sacramentum unum. Quod est uti eis ut partialibus concurrentibus ad perfectionem instrumenti unius. In uno vero instrumento, quotcumque requirat partialia, una eademque perfecta virtus instrumentalis ponenda est.

* Qu. LXII, art. 1.

III. In responsione ad secundum, dubium occurrit, an gratiae intensior gradus comprehendatur sub annexis quae per devotionem ministri impetrari possunt recipienti sacramentum. Et est ratio dubii quia, si comprehenditur sub annexis, sequitur praecedentia verba litterae, scilicet, *Effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum,* esse falsa. Quoniam, si ex devotione ministri intensior gratia daretur baptizato vel absoluto, constat quod melior effectus daretur per meliorem ministrum: cum gratia ipsa sit effectus sacramenti.

In oppositum autem est quod nulla ratio apparet quare alia dona Dei possunt habere rationem annexi impetrabilis per devotionem ministri, et maioritas gratiae non possit habere rationem annexi huiusmodi. Potest enim devotus minister hoc, sicut et alia, a divinae misericordiae largitate impetrare.

IV. Ad hoc dicitur quod, cum minister sacramenti non sit deterioris conditionis ministrando sacramentum quam si non ministraret; et similiter recipiens non fit ex receptione deterioris conditionis; nec divina largitas ex hoc quod impendit sacramentum, arctatur: consequens est ut possit minister impetrare maiorem gratiam recipienti sacramentum quam sit illa quae regulariter per sacramentum datur, aut quae illi seclusa ministri devotione daretur; sicut posset eandem maiorem gratiam extra ministerium sacramenti impetrare. Ac per hoc, maioritas gratiae potest habere rationem annexi impetrabilis ex ministri devotione.

Nec propterea sequitur quod maior, seu melior effectus sacramenti detur per meliorem ministrum. Quoniam maioritas illa impetrata non haberet rationem effectus sacramenti, sed rationem annexi effectui sacramenti: et esset effectus a solo Deo concomitanter ad sacramentum, impetratus ex devotione ministri.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM SACRAMENTA SINT SOLUM EX INSTITUTIONE DIVINA

Iª IIªᵉ, qu. CVIII, art. 2; IV *Sent.*, dist. II, qu. I, art. 4, quª 4; dist. VII, qu. I, art. 1, quª 1, ad 1; dist. XIII, qu. I, art. 2, quª 6, ad 1, 3; dist. XVII, qu. III, art. 1, quª 5; *In Ioan.*, cap. I, lect. XIV.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod sacramenta non sint solum ex institutione divina. Ea enim quae sunt divinitus instituta, traduntur nobis in sacra Scriptura. Sed quaedam aguntur in sacramentis de quibus nulla fit mentio in sacra Scriptura: puta de chrismate quo homines confirmantur, et de oleo quo sacerdotes inunguntur, et de multis aliis, tam verbis quam factis, quibus utimur in sacramentis. Non ergo sacramenta sunt solum ex institutione divina.

2. Praeterea, sacramenta sunt quaedam signa. Res autem sensibiles naturaliter quaedam significant. Nec potest dici quod Deus quibusdam significationibus delectetur, et non aliis: quia ipse omnia quae fecit approbat *. Hoc autem proprium videtur esse daemonum, ut quibusdam signis ad aliquid alliciantur: dicit enim Augustinus, XXI *de Civ. Dei* *: *Illiciuntur daemones per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectabilibus pro sua diversitate diversis, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis.* Non ergo vi-

* *Gen.* cap. 1, vers. 31.
* Cap. VI.

detur quod sacramenta indigeant esse ex institutione divina.

3. PRAETEREA, Apostoli vicem Dei gesserunt in terris: unde Apostolus dicit, II *Cor.* II *: *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*, idest, ac si ipse Christus donasset. Sic ergo videtur quod Apostoli, et eorum successores, possint nova sacramenta instituere.

* Vers. 10.

SED CONTRA EST quod ille instituit aliquid qui dat ei robur et virtutem: sicut patet de institutoribus legum. Sed virtus sacramenti est a solo Deo, ut ex dictis * patet. Ergo solus Deus potest instituere sacramentum.

* Art. praeced.; qu. LXII, art. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut ex supra * dictis patet, sacramenta instrumentaliter operantur ad spirituales effectus. Instrumentum autem habet virtutem a principali agente. Agens autem respectu sacramenti est duplex: scilicet instituens sacramentum; et utens sacramento instituto, applicando scilicet [α] ipsum ad inducendum effectum. Virtus autem sacramenti non potest esse ab eo qui utitur sacramento: quia non operatur nisi per modum ministerii [β]. Unde relinquitur quod virtus sacramenti sit ab eo qui instituit sacramentum. Cum igitur virtus sacramenti sit a solo Deo, consequens est quod solus Deus sit sacramentorum institutor.

* Ibid.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illa quae aguntur in sacramentis per homines instituta, non sunt de necessitate sacramenti: sed ad quandam solemnitatem, quae adhibetur sacramentis ad excitandam devotionem et reverentiam in his qui sacramenta suscipiunt. Ea vero quae sunt de necessitate sacramenti, sunt ab ipso Christo instituta, qui est Deus et homo. Et licet non omnia sint tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione: sicut Apostolus dicit [γ], I *Cor.* XI *: *Cetera cum venero disponam.*

* Vers. 34.

AD SECUNDUM DICENDUM quod res sensibiles aptitudinem quandam habent ad significandum spirituales effectus ex sui natura: sed ista aptitudo determinatur ad specialem significationem ex institutione divina. Et hoc est quod Hugo de Sancto Victore dicit *, quod *sacramentum ex institutione significat*. Praeelegit tamen Deus quasdam res aliis ad significationes sacramentales, non quia ad eas contrahatur eius affectus [δ], sed ut sit convenientior significatio.

* De Sacram. lib. I, part. IX, cap. 2.

AD TERTIUM DICENDUM quod Apostoli, et eorum successores, sunt vicarii Dei quantum ad regimen Ecclesiae institutae [ε] per fidem et fidei sacramenta. Unde, sicut non licet eis constituere aliam ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta: sed per *sacramenta quae de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt*, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi *.

* Gloss. Lomb. super *Rom.* cap. V, vers. 14.

α) *scilicet.* – *videlicet* BC*a*.
β) *ministerii.* – *ministri* F*a*. Cf. art. 1. ζ.
γ) *dicit.* – DFsG*a* et editiones; om.
δ) *affectus.* – *effectus* PEl*a*; *Alias affectus* margo P.
ε) *institutae.* – *vel constitutae* C et margo B, *constitutae* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. – In corpore una conclusio: *Solus Deus est sacramentorum institutor.* Probatur. Virtus sacramenti est ab institutore sacramenti. Sed virtus sacramenti est a solo Deo. Ergo solus Deus est sacramentorum institutor.

Maior probatur. Instrumentum habet virtutem a principali agente. Sacramentum est instrumentum ad spirituales effectus: et principale agens respectu sacramenti non est utens tantum sacramento, sed instituens ipsum. Ergo virtus sacramenti est ab instituente ipso. Processus totus est clarus. – Et secunda pars minoris istius prosyllogismi declaratur in littera, distinguendo duplex agens respectu sacramenti; et ex exclusione unius membri, scilicet agentis per modum utentis, infertur reliquum, scilicet agens instituendo, esse agens principale; ac per hoc, a quo est virtus sacramenti.

II. Nota hic quod haec ratio directe et formaliter, licet non aestimetur a negantibus virtutes in sacramentis: – aequivalenter tamen haec ratio omnes convincit confitentes sacramenta conferre gratiam, sive per virtutem in eis, sive per divinam assistentiam solam. Quoniam par est ratio de virtute instrumenti, si ponatur vis aliqua in eo, et si ponatur absque huiusmodi vi efficax: quia efficacia instrumenti ad huiusmodi spiritualem effectum non nisi a Deo, non nisi ab instituente signum illud, esse potest. Quandoquidem a ministro utente solum, constat esse non posse: quia minister tantum est, ut in littera dicitur.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, HABUERIT POTESTATEM OPERANDI INTERIOREM EFFECTUM SACRAMENTORUM

IV *Sent.*, dist. V, qu. I, art. 1; *In Ioan.*, cap. I, lect. XIV; I *ad Cor.*, cap. I, lect. II.



AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus, secundum quod homo, habuit potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum. Dicit enim Ioannes Baptista, ut habetur Ioan. I *: *Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Sed baptizare in Spiritu Sancto est interius gratiam Spiritus Sancti conferre. Spiritus autem Sanctus [α]

* Vers. 33.

α) *Spiritus autem Sanctus.* – *Spiritus Sanctus autem* editiones.

descendit super Christum inquantum homo, non inquantum Deus: quia sic ipse dat Spiritum Sanctum. Ergo videtur quod Christus, secundum quod homo, habuit potestatem interiorem effectum sacramentorum causandi.

* Vers. 6.

2. Praeterea, Matth. ix * Dominus dicit: *Sciatis quod Filius hominis habet in terra potestatem dimittendi peccata.* Sed remissio peccatorum est interior effectus sacramenti. Ergo videtur quod Christus, secundum quod homo, interiorem effectum sacramentorum operatur.

3. Praeterea, institutio sacramentorum pertinet ad eum qui tanquam principale agens operatur ad interiorem sacramenti effectum. Manifestum est autem quod Christus sacramenta instituit. Ergo ipse est qui interius operatur sacramentorum effectum.

4. Praeterea, nullus potest sine sacramento effectum sacramenti conferre, nisi propria virtute sacramenti effectum operetur. Sed Christus sine sacramento contulit sacramenti effectum: ut patet in Magdalena, cui dixit, *Dimittuntur tibi peccata* *. Ergo videtur quod Christus, secundum quod homo, operetur interiorem sacramenti effectum.

* Luc. cap. vii, vers. 48.

5. Praeterea, illud in cuius virtute sacramentum operatur, est principale agens ad interiorem effectum. Sed sacramenta habent virtutem ex passione Christi et invocatione nominis eius: secundum illud I *Cor.* i *: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? Aut in nomine Pauli baptizati estis?* Ergo Christus, inquantum homo, operatur interiorem sacramenti effectum.

* Vers. 13.

Sed contra est quod Augustinus dicit *: *In sacramentis divina virtus secretius operatur salutem.* Divina autem virtus est Christi secundum quod est Deus, non autem secundum quod est homo. Ergo Christus non operatur interiorem sacramenti effectum secundum quod est homo, sed secundum quod est Deus.

* Isidor. *Etymol.* lib. VI, cap. xix. - Cf. can. *Multi saecular.*, Caus. I, qu. i.

Respondeo dicendum quod interiorem sacramentorum effectum operatur Christus et secundum quod est Deus, et secundum quod est homo: aliter tamen et aliter. Nam secundum quod est Deus, operatur in sacramentis per auctoritatem. Secundum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie, et efficienter, sed instrumentaliter [β]. Dictum est * enim quod passio Christi, quae competit ei secundum humanam naturam, causa est nostrae iustificationis et meritorie, et effective, non quidem per modum principalis agentis, sive per auctoritatem, sed per modum instrumenti, inquantum humanitas est instrumentum divinitatis eius, ut supra * dictum est.

[β] * Qu. xlviii, art. 1, 6; qu. xlix, art. 1.

* Qu. xiii, art. 2, 3; qu. xix, art. 1.

Sed tamen, quia est instrumentum coniunctum divinitati in persona, habet quandam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui [γ] sunt ministri Ecclesiae et ipsa sacramenta, ut ex supra * dictis patet. Et ideo, sicut Christus, inquantum Deus, habet potestatem *auctoritatis* in sacramentis, ita, inquantum homo, habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem *excellentiae.* Quae quidem consistit in quatuor. Primo quidem, in hoc quod meritum et virtus passionis eius operatur in sacramentis, ut supra * dictum est. – Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem, secundum illud *Rom.* iii *, *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius*, quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur: ideo, secundo, ad potestatem excellentiae quam Christus habet in sacramentis, pertinet quod in eius nomine sacramenta sanctificantur. – Et quia ex institutione [δ] sacramenta virtutem obtinent, inde est quod, tertio, ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ipse, qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere sacramenta. – Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius e converso, quarto, ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ipse potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre.

[γ] * Art. 1.

* Qu. lxii, art. 5.

* Vers. 25.

[δ]

Et per hoc patet responsio ad obiecta: utraque enim pars obiectionum [ε] vera est, ut dictum est *, secundum aliquid.

[ε] * In corpore.

β) *sed instrumentaliter.* – *et instrumentaliter* ed. *a*, om. HpG et *bc*.
γ) *qui.* – *quae* sG et *b*. – Pro *et ipsa sacramenta*, *et super ipsa sacramenta* D, *ipsa sacramenta* pE, *et super sacramenta* sE, om. H et editiones.
δ) *institutione.* – *institutione eius* F, *eius institutione* editiones.
ε) *obiectionum.* – *obiectorum bc*, om. G. – *secundum aliquid* ante *vera* ponit P; *utraque... aliquid* om. l.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore est una conclusio, habens tres partes: *Christus, inquantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis: inquantum vero homo, habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem excellentiae, consistentem in quatuor.* Conclusio haec, quia de potestate loquitur, de qua quaesitum est in titulo; et potentia per actum cognoscitur: ideo ab operatione in littera manifestatur.

Et quoad primam quidem partem, quia Deus auctoritative operatur.

Quoad secundam vero, quia Christus, secundum quod homo, operatur in sacramentis meritorie et efficienter. Quod probatur: quia passio Christi est causa iustificationis nostrae meritorie et effective. Et hoc ultimum declaratur: quod non effective principaliter, sed per modum instrumenti; non cuiuscumque, sed coniuncti divinitati in persona, et propterea principalitatem et causalitatem obtinentis respectu extrinsecorum, puta ministrorum Ecclesiae et sacramentorum.

Tertia autem pars conclusionis probatur manifestando illa quatuor, quae sunt meritum, nomen, institutio, et independentia; et probando singula propriis rationibus, excepto primo, quod tractatum fuit in quinto articulo quaestionis sexagesimaesecundae.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS POTESTATEM SUAM QUAM HABUIT IN SACRAMENTIS, POTUERIT MINISTRIS COMMUNICARE

IV *Sent.*, dist. v, qu. I, art. 2; art. 3, qu[a] 1, 2; *De Verit.*, qu. xxvii, art. 3, ad 17; *In Ioan.*, cap. I, lect. xiv; I *ad Cor.*, cap. I, lect. II.



AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus potestatem suam quam habuit in sacramentis, non potuerit ministris communicare. Ut enim argumentatur Augustinus, *contra Maximinum* *, *si potuit et non voluit, invidus fuit.* Sed invidia longe fuit a Christo, in quo fuit summa plenitudo caritatis. Ergo, cum Christus non communicaverit suam potestatem ministris, videtur quod non potuerit communicare.

* Lib. II, al. lib. III, cap. VII.

2. PRAETEREA, super illud Ioan. XIV *, *Maiora horum faciet,* dicit Augustinus *: *Prorsus maius hoc esse dixerim,* scilicet ut ex impio iustus fiat, *quam creare caelum et terram.* Sed Christus non potuit communicare suis discipulis [α] quod crearent caelum et terram. Ergo neque quod iustificent [β] impium. Cum igitur iustificatio impii fiat per potestatem Christi quam habet in sacramentis, videtur quod potestatem suam quam habet in sacramentis, non potuerit ministris communicare.

* Vers. 12.
* In Ioan. Evang. tract. LXXII.

3. PRAETEREA, Christo inquantum est caput Ecclesiae, competit ut ab ipso gratia derivetur ad alios: secundum illud Ioan. I *: *De plenitudine eius omnes accepimus.* Sed hoc non fuit aliis communicabile: quia sic Ecclesia esset monstruosa, multa capita habens. Ergo videtur quod Christus suam potestatem non potuerit ministris [γ] communicare.

* Vers. 16.

SED CONTRA EST quod, super illud Ioan. I *, *Ego nesciebam eum,* dicit Augustinus * quod [δ] *non noverat potestatem baptismi ipsum Dominum habiturum et sibi retenturum.* Hoc autem non ignorasset Ioannes si talis potestas communicabilis non esset. Potuit ergo potestatem suam Christus ministris communicare.

* Vers. 31.
* In Ioan. Evang. tract. V, n. 9.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, Christus in sacramentis habuit duplicem potestatem. Unam *auctoritatis,* quae competit ei secundum quod Deus. Et talis potestas nulli creaturae potuit communicari: sicut nec divina essentia.

* Art. 3.

Aliam potestatem habuit *excellentiae*, quae competit ei secundum quod homo. Et talem potestatem potuit ministris communicare: dando scilicet eis tantam gratiae plenitudinem ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus; ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur sacramenta; et ut ipsi possent sacramenta instituere; et sine ritu [ε] sacramentorum effectum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum coniunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere: sicut manus baculo.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus non ex invidia praetermisit potestatem excellentiae ministris communicare, sed propter fidelium utilitatem: ne in homine spem ponerent, et [ζ] essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur; sicut apud illos qui dicebant, *Ego sum Pauli, Ego autem Apollo, Ego vero Cephae,* ut dicitur I *Cor.* I *.

* Vers. 12.

AD SECUNDUM DICENDUM quod obiectio illa procedit de potestate auctoritatis, quae convenit Christo secundum quod est Deus. – Licet et potestas excellentiae possit auctoritas nominari per comparationem ad alios ministros. Unde super illud I *Cor.* I *, *Divisus est Christus?* dicit Glossa * quod *potuit eis dare auctoritatem baptismi, quibus contulit ministerium.*

* Vers. 13.
* Lomb.

AD TERTIUM DICENDUM quod ad hoc inconveniens evitandum, ne scilicet multa capita in Ecclesia essent, Christus noluit potestatem suae excellentiae ministris communicare. Si tamen communicasset, ipse esset caput principaliter, alii vero secundario.

α) *discipulis.* – *Alias ministris* margo P; *Sed Christus... terram* om. *b.*
β) *iustificent.* – *iustificarent* editiones.
γ) *ministris.* – Om. GH*bc.*
δ) *quod.* – *qui* I. Cf. art. 5. γ.
ε) *sine ritu.* – Om. *bc.* Post *effectum* PI addunt *sacramentorum.*
ζ) *et.* – *ne bc, et ne* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ex dictis in praecedentibus articulis clarus est.

In corpore una distinctio bimembris de duplici potestate, auctoritatis scilicet et excellentiae, est, cum duabus conclusionibus. Quarum prima est negativa, scilicet: *Christus potestatem auctoritatis nulli potuit communicare.* Probatur. Quia est incommunicabilis, ut divina essentia.

Secunda est: *Christus potestatem excellentiae potuit communicare.* Declaratur et probatur. Declaratur quidem, numerando singula in quibus consistit potestas excellentiae. – Probatur autem: quia instrumentum coniunctum, quanto virtuosius est, tanto plus potest imprimere in instrumentum separatum. Quod manifestatur in manu et baculo.

II. Adverte hic primo, quod Auctor hoc in loco solvit quaestionem motam a Magistro Sententiarum in quinta distinctione Quarti *, et ab eodem minus solutam meliorique iudicio reservatam.

* Cap. *Hic quaeritur.*

Adverte secundo, Auctorem formaliter de Christo habente potestatem excellentiae loqui. Et propterea non ex potestate divina, sed ex potestate instrumenti coniuncti, potentiam communicandi probavit.

Adverte tertio, Auctorem expresse hic dicere quod Christus potuit communicare homini puro ut sacramentorum effectum conferret solo imperio. Habes enim hinc quod potestas conferendi gratiam communicabilis est homini: principalis enim et communis sacramentorum effectus est gratia, ut superius * patet. Et idem apparet hic in responsione ad tertium, si recte conferatur cum argumento.

* Qu. LXII, Introd. – Cf. Comment.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM PER MALOS MINISTROS SACRAMENTA CONFERRI POSSINT

Infra, art. 9; IV *Sent.*, dist. v, qu. ii, art. 2, qua 1, 2; dist. vii, qu. iii, art. 1, qua 1, ad 2; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxvii; *Ad Heb.*, cap. vii, lect. ii.



AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per malos ministros sacramenta conferri non possint. Sacramenta enim novae [α] legis ordinantur ad emundationem culpae et collationem gratiae. Sed mali, cum sint immundi, non possunt alios a peccato mundare: secundum illud *Eccli.* xxxiv *: *Ab immundo quis mundabitur?* Et etiam, cum gratiam non habeant, non videtur quod gratiam conferre possint: quia *nullus dat quod non habet* *. Non ergo videtur quod per malos sacramenta conferri possint.

α

* Vers. 4.

* Cypr. Martyr. Epist. LXXIII, *ad Iubaian.* (al. *Ianuar.*) *et cett. Episc. Numid., de Baptizand. Haeret.* - Cf. Caus. I, qu. i, can. *Ventum;* qu. vii, can. *Daibertum.*

2. PRAETEREA, tota virtus sacramentorum derivatur a Christo, ut dictum est *. Sed mali sunt praecisi a Christo: quia non habent caritatem, per quam membra capiti uniuntur, secundum illud I Ioan. iv *: *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Ergo videtur quod per malos sacramenta conferri non possint.

* Art. 3; qu. lx, Introd.; qu. lxii, art. 5.

* Vers. 16.

3. PRAETEREA, si desit aliquid horum quae debitum est esse in sacramentis, non perficitur sacramentum: sicut si desit debita forma vel materia [β]. Sed debitus minister sacramenti est ille qui caret macula peccati: secundum illud *Levit.* xxi *: *Homo de semine tuo per familias qui habuit maculam, non offeret panes Deo tuo, nec accedet ad ministerium eius.* Ergo videtur quod, si minister sit malus, nihil efficiatur in sacramento.

β

* Vers. 17, 18.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit *, super illud Ioan. i *, *Super quem videris Spiritum* [γ] etc., quod *non noverat Ioannes potestatem baptismi ipsum Dominum habiturum et sibi retenturum, sed ministerium plane transiturum in bonos et malos. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus?*

* *In Ioan. Evang.* tract. V, n. 9, 11.

* Vers. 33.

γ

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, ministri Ecclesiae instrumentaliter operantur in sacramentis, eo quod quodammodo eadem est ratio ministri et instrumenti. Sicut autem supra * dictum est, instrumentum non agit secundum propriam formam [δ], sed secundum virtutem eius a quo movetur. Et ideo accidit instrumento, inquantum est instrumentum, qualemcumque formam vel virtutem habeat, praeter id quod exigitur ad rationem instrumenti: sicut quod corpus medici, quod est instrumentum animae habentis artem, sit sanum vel infirmum; et sicut quod fistula per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea. Unde ministri Ecclesiae possunt sacramenta conferre etiam si sint mali.

* Art. 1.

* Qu. lxii, art. 1, 4.

δ

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ministri Ecclesiae neque a peccatis mundant homines ad sacramenta accedentes, neque gratiam conferunt, sua virtute: sed hoc facit Christus sua potestate per eos sicut per quaedam instrumenta. Et ideo effectus consequitur in suscipientibus sacramenta non secundum similitudinem ministrorum, sed secundum configurationem ad Christum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod per caritatem membra Christi uniuntur suo capiti ut ab eo vitam recipiant: quia, ut dicitur I Ioan. iii *, *qui non diligit, manet in morte.* Potest autem aliquis operari per instrumentum carens vita, et a se separatum quantum ad corporis unionem, dummodo sit coniunctum per quandam motionem: aliter enim operatur artifex per manum, et aliter per securim. Sic igitur Christus operatur in sacramentis et per malos [ε], tanquam per instrumenta carentia vita; et per bonos, tanquam per membra viventia.

* Vers. 14.

ε

AD TERTIUM DICENDUM quod aliquid est debitum esse in sacramento dupliciter. Uno modo, sicut existens de necessitate sacramenti. Quod quidem si desit, non perficitur sacramentum: sicut si desit debita forma vel debita materia. – Alio modo est aliquid debitum esse in sacramento secundum quandam decentiam. Et hoc modo debitum est ut ministri sacramentorum sint boni.

α) *novae.* – PF; om.
β) *materia.* – *debita materia* PI.
γ) *Spiritum.* – *Sanctum* addunt BCEF*a*. Pro *quod non, Quem non* F, *Quid non* tertia. Cf. art. 4. S. C.
δ) *formam.* – *aut virtutem* addunt I et editiones.
ε) *malos.* – *bonos* ACpB; *et per malos... carentia vita* post *viventia* ponunt PFI.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore una est conclusio: *Ministri Ecclesiae possunt sacramenta conferre etiam si sint mali.* Probatur. Ministri Ecclesiae instrumentaliter operantur in sacramentis. Ergo possunt sacramenta conferre etiam si sint mali.

Antecedens probatur ex eo quod eadem est ratio ministri et instrumenti. – Consequentia vero probatur ex eo quod instrumentum non propria virtute, sed virtute principalis agentis operatur. Quod probatur ab effectu: quia hinc est quod instrumento accidit omnis forma praeter id quod exigitur ad instrumenti rationem. Quod duplici exemplo in littera manifestatur.

II. Circa hanc consequentiam, seu rationem, dubium occurrit: quoniam implicite petit principium. Oportet enim ad integrandum processum hunc, subsumere quod bonitas vel malitia ministri est accidens, et non exactum ad rationem instrumenti ministrantis sacramenta. Hoc autem supponere perinde est ac si supponeretur conclusio. Eiusdem enim rationis est quod bonitas vel malitia accidat instrumento seu ministro sacramentorum, et quod cum malitia possit minister conferre sacramentum: quoniam accidentia, sive adsint sive absint, non variant potestatem.

III. Ad hoc dicitur quod studium Auctoris fuit ad reddendum rationem conclusionis, potius quam ad ipsam con-

clusionem. *Omnis* enim *quaestio est medii,* ut dicitur in II *Poster.* *: et praecipue quando conclusionis veritas habetur pro evidente, ut est in proposito. Et propterea in littera neglexit Auctor subsumere de bonitate vel malitia, et ascendit ad universalem rationem instrumenti: ut, hac habita summaria notitia, propter quid mali ministri possunt conferre sacramenta, haberetur.

* Cap. II, n. 5. - S. Th. lect. I.

Et est in promptu consequentiae ratio ad praesentem materiam. Quoniam bonitas vel malitia moralis hac ratione ad ministrum sacramentorum necessaria creditur, si necessaria esset quia *nemo dat quod non habet.* Quae ratio in littera in primo argumento affertur: et dicitur fuisse Cypriani Martyris. Ex hoc enim quod minister instrumentaliter operatur; et instrumentum non propria, sed principalis agentis virtute efficit: consequens est manifeste quod ad efficacem collationem sacramenti non exigitur in ministro bonitas, qua sacramentum efficax conferat. Idem est enim malitiam ministri impedire sacramenti effectum, et ministrum agere propria virtute, quae per malitiam tolleretur.

Nulla est ergo petitio principii: sed claritas materiae breviorem effecit processum litterae; in qua Auctor, quia ratio ipsa a sacris Doctoribus posita fuerat, ut patet in v dist. IV *Sent.,* vacavit probationi ipsius rationis, scilicet universali rationi instrumenti, ut antiquae traditionis ratio habeatur.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM MALI MINISTRANTES SACRAMENTA PECCENT

IV *Sent.,* dist. v, qu. II, art. 2, qu^a 4; dist. XXIV, qu. I, art. 3, qu^a 5.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod mali ministrantes sacramenta non peccent. Sicut enim ministratur Deo in sacramentis, ita per opera caritatis: unde dicitur *Heb.* ult. *: *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Sed mali non peccant si ministrent Deo in operibus caritatis: quinimmo hoc est consulendum [α], secundum illud Dan. IV *: *Consilium meum regi placeat: peccata tua eleemosynis redime.* Ergo videtur quod mali non peccent in sacramentis ministrando.

* Vers. 16. — * Vers. 24.

2. PRAETEREA, quicumque communicat alicui in peccato, etiam ipse est reus peccati: secundum illud *Rom.* I *: *Dignus est morte non solum qui peccatum agit, sed etiam qui consentit* [β] *facientibus.* Sed si mali ministri peccent sacramenta ministrando, illi qui ab eis sacramenta recipiunt, eis in peccato communicant. Ergo etiam ipsi peccarent. Quod videtur inconveniens.

* Vers. 32.

3. PRAETEREA, nullus videtur esse perplexus: quia sic homo cogeretur desperare, quasi non posset [γ] peccatum evadere. Sed si mali peccarent sacramenta tradendo, essent perplexi: quia etiam quandoque peccarent si sacramenta non traderent, puta cum eis ex officio incumbit necessitas; dicitur enim I *Cor.* IX *: *Vae mihi est* [δ] *si non evangelizavero: necessitas enim mihi incumbit.* Quandoque etiam propter periculum: sicut si puer, in periculo mortis existens, offeratur alicui peccatori baptizandus [ε]. Ergo videtur quod mali non peccent sacramenta ministrando.

* Vers. 16.

SED CONTRA EST quod Dionysius dicit, I cap. *Eccles. Hier.* *, quod *malis non est fas neque tangere symbola,* idest sacramentalia signa. Et in Epistola *ad Demophilum* * dicit: *Talis,* scilicet peccator, *audax videtur sacerdotalibus manum imponens* [ζ]; *et non timet neque verecundatur, divina praeter dignitatem exequens, et Deum putans ignorare quod ipse in seipso cognovit; et decipere existimat falso nomine Patrem ab ipso appellatum; et audet immundas infamias, non dicam orationes, super divina signa Christiformiter enuntiare.*

* § 5. — * Epist. VIII, § 2.

RESPONDEO DICENDUM quod aliquis in agendo peccat ex hoc quod operatur *non secundum quod oportet:* ut patet per Philosophum, in libro *Ethicorum* *. Dictum est autem ** conveniens esse ut sacramentorum ministri sint iusti: quia ministri debent Domino conformari, secundum illud *Levit.* XIX *: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum;* et *Eccli.* X *: *Secundum iudicem populi, sic et ministri eius.* Et ideo non est dubium quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiae in dispensatione sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem sanctorum [η], quantum est ex parte ipsius hominis peccatoris, licet sancta secundum seipsa incontaminabilia sint: consequens est quod tale peccatum ex genere suo est mortale *.

* Lib. II, cap. III, n. 5; cap. VI, n. 10, II. - S. Th. lect. III, VI. — ** Art. 5, ad 3. — * Vers. 2. - Cf. I Petr., cap. I, vers. 16. — * Vers. 2. — * D. 892.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod opera caritatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, sed ipsa pertinent ad iustitiae sanctitatem [θ] sicut quaedam iustitiae partes. Et ideo homo qui se exhibet Deo ministrum in operibus caritatis, si sit iustus, amplius sanctificabitur [ι]: si vero sit peccator, per hoc ad sanctitatem disponitur. Sed sacramenta in seipsis sanctificationem quandam habent per mysticam consecrationem. Et ideo praeexigitur in ministro sanctitas iustitiae, ut congruat suo ministerio. Et ideo incongrue agit et peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accedat.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ille qui ad sacramenta accedit, suscipit quidem sacramentum a ministro Ecclesiae, non inquantum est talis persona, sed inquantum est Ecclesiae minister. Et

α) *consulendum.* – *eis consulendum* PI. – Pro *regi, tibi* P.
β) *Dignus est... peccatum agit... consentit.* – *Digni sunt... peccata faciunt... consentiunt* PI; *peccata* etiam *bc.*
γ) *posset.* – *potens* PI.
δ) *est.* – Om. PEF, *et* ceteri.
ε) *baptizandus.* – DF*a* et tertia; *baptizandum.*
ζ) *imponens.* – *apponens* PI. Pro *dignitatem, divinitatem* P.
η) *sanctorum.* – *sacramentorum* PDFsI, vel *sanctorum sacramentorum* sI. – Pro *quantum, quod neque videlicet bc.* – *hominis* om. H et editiones. – Pro *sancta, sacramenta* PsI, vel *sacramenta sancta* sI.
θ) *sed ipsa... sanctitatem.* – Om. GH, *nisi* editiones; margo P per *Al.* ut nos.
ι) *sanctificabitur.* – *sanctificatur* PI.

ideo, quandiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato eius, sed communicat Ecclesiae, quae eum tanquam ministrum exhibet. Si vero ab Ecclesia non toleretur, puta cum degradatur vel excommunicatur vel suspenditur, peccat qui ab eo accipit sacramentum, quia communicat peccato ipsius.

AD TERTIUM DICENDUM quod ille qui est in peccato mortali, non est perplexus simpliciter, si ex officio ei incumbat sacramenta dispensare: quia potest poenitere de peccato et licite ministrare. Non est autem inconveniens quod sit perplexus supposito quodam, scilicet quod velit remanere in peccato.

In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando in casu in quo etiam posset laicus dispensare ϰ. Sic enim patet quod non exhibet se ministrum Ecclesiae, sed subvenit λ necessitatem patienti. Secus autem est in aliis sacramentis, quae non sunt tantae necessitatis sicut baptismus *, ut infra ** patebit.

* D. 267.
** Qu. LXV, art. 3, 4; qu. LXVII, art. 3.

ϰ) *dispensare.* – *baptizare* FI et editiones.

λ) *exhibet... subvenit.* – *exhiberet... subveniret* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat sumendus est. – In corpore duae conclusiones sunt. Prima est: *Mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiae in dispensatione sacramentorum, peccant.* – Secunda est quod *hoc peccatum est ex suo genere mortale.*

Prima probatur. Quicumque operatur non secundum quod oportet, peccat in operando. Sed minister malus sacramenti operatur non secundum quod oportet. – Probatur. Quia ministri sacramentorum debent esse iusti: quia ministri debent conformari Domino, ut testantur auctoritates Scripturae.

Secunda vero conclusio probatur. Quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum *. Quae particula declaratur: quod intelligitur non ex parte ipsorum sacramentorum, quoniam ipsa sunt incontaminabilia; sed ex parte ipsius peccatoris sacrilegium committentis.

* Cf. not. η.

II. Circa fundamentum huius processus, dubium occurrit, ex eo quod bonitas requiritur ad ministrum sacramentorum secundum quandam decentiam et convenientiam: ut in praecedenti articulo, ad tertium, et hic dicitur. Non est autem rationabile quod negatio conditionis requisitae secundum decentiam constituat peccatum mortale: cum videamus conditiones requisitas ad bene esse actuum moralium, nec etiam veniale constituere peccatum.

Et hoc etiam testatur maxima ex morali philosophia adducta in littera de circumstantiis actionum humanarum. Non enim dicit peccatum esse si quis operatur non secundum quod melius, aut quando melius, aut sicut melius, etc.: sed, non secundum quod oportet, aut quando oportet, aut sicut oportet, etc. Nam ly *oportet* necessitatem denotat: ut per hoc intelligamus peccatum tunc intervenire quando necessariae conditiones omittuntur; et non si conditiones ad bene esse omittantur, aut earum contrariae immisceantur.

Et si dicatur quod bonitas non est conditio ad bene esse ministri sacramenti, sed est conditio debita, ut in praecedenti articulo * littera explicavit; debitum autem extra necessaria non est; et propterea cuiuscumque debiti omissio peccatum constituit: – adhuc militat ratio quod non sit peccatum mortale. Quoniam debitum actui humano non secundum necessitatem, sed secundum quandam decentiam, etsi possit sua absentia constituere peccatum, non tamen tantae vis est ut possit constituere peccatum mortale: ea ratione, quia sola indecentia non habet rationem peccati mortalis.

* Ad 3.

Nec obstat quod indecentia huiusmodi ad irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum spectat. Tum quia non quodlibet spectans ad haec est peccatum mortale: ut patet de multis irreverentiis erga Deum et sacramenta quas negamus esse peccata mortalia, ut patet de comedentibus in ecclesia, aut iocosum aliquid dicentibus audiendo missam, et huiusmodi. – Tum quia huiusmodi indecentia non nisi reductive ad irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum spectat: directe enim ipsius hominis malam dispositionem ponere videtur. Est enim dispositio quaedam ipsius operantis magis quam operationis: videturque magis peccatum constituere praesumptionis quam sacrilegii.

III. Ad hoc dicitur quod actio sacramentalis potest sumi dupliciter. Vel secundum rationem operis operati. Et sic non exigit bonitatem vel malitiam ministri nisi secundum quandam decentiam. Et propterea, sive bonus sive malus sit minister, sacramentum verum et efficax est. – Vel secundum rationem operis operantis. Et sic exigit necessario bonitatem in ministro ad hoc ut recta sit. Et ratio assignata est in littera: et magis assignabitur cogens ratio in littera in responsione ad primum. Oportet enim actionem sacramentalem, si non solum in se recta esse debet, sed etiam secundum quod exit a ministro, ut sit consona secundum rectam rationem et Deo, cuius est minister, et sacramentis, quae ministrat. Et ex parte quidem conformitatis ad Deum, posita est ratio in hoc corpore articuli. Ex parte vero conformitatis ad sacramenta, ponitur ratio in responsione ad primum. – Et hinc patet ruere primam obiectionem.

Ad ea vero quae obiiciuntur directe contra rationem peccati mortalis in hoc actu, dicitur quod debitum secundum decentiam ad opus operatum est debitum secundum necessitatem ad opus operantis ministri. Et propterea non est mirum si eius absentia peccatum mortale constituat.

Et cum adhuc obiicitur ex eo quod non quaelibet irreverentia sacramentorum est mortalis, respondetur hoc verum esse propter imperfectionem aliquorum actuum irreverentialium: in quolibet namque genere mortalis peccati imperfectio actus excusat a mortali. Ministrare autem sacramenta indigne non est actus imperfectus in genere sacrilegii. Nec, ut ultima infert obiectio, reductive tantum ad sacrilegium spectat: sed directe ad contaminationem sacramentorum pertinet. Possunt enim sacramenta, secundum se incontaminabilia, dupliciter contaminari: scilicet vel ut egrediuntur a ministro; vel ut applicantur ad aliquid. Et hoc secundo modo sacrilegium est uti sacramento ad alium finem, ut sortilegi faciunt. Primo autem modo sacrilegus est malus minister, a quo exit sacramentalis actio indigne. Quantum enim est ex parte ipsius ministri mali, maculatur actio illa: quoniam tractatur ut profana, seu non sancta. Haec enim est ratio in hac littera assignata.

Quam si vis plenius intelligere, perspice vigorem eius ex auctoritate Apostoli dicentis * de Eucharistia: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.* Ubi rationem peccati mortalis assignavit ex hoc quod manducans non diiudicat corpus Domini: hoc est, non discernit corpus Domini ab aliis cibis, sed sumit ipsum ut cibum profanum, quoniam sumit ipsum indispositus ad illum, utpote indigne. Idem enim accidit in malo ministro. Nam ministrans indigne sacramentum non diiudicat sacramentum, dum non discernit illud, ut a se egreditur, a profanis, sed se habet ad sacramentalem actionem ut profanam, dum indigne illam exercet. Hoc enim est contaminare sacramenta ex parte ipsius ministrantis seu recipientis. Et praesumptio ministri mali non est qualiscumque, sed sacrilega praesumptio: sicut

* I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 29.

et praesumptio audentis indigne recipere sacramenta sacrilega est.

IV. Circa utramque conclusionem, adverte diligenter et caute conditiones in eis appositas in littera. Quarum prima est quod ministrans exhibeat se ministrum Dei et Ecclesiae; secunda est quod ministret sacramentum; tertia est quod tale peccatum est mortale non quomodolibet, sed ex suo genere. Docet enim per haec Auctor requiri ad hoc quod huiusmodi peccatum sit mortale, duo: primo, quod exhibeat se ministrum; secundo, quod tale ministerium sit actio sacramentalis. Ita quod, si alterum horum defuerit, non habes hinc mortale peccatum in ministeriis sacris. Docet rursus quod, si aliqua administratio sacramenti a malo ministro exercitata imperfectionem actus compatitur, non erit peccatum mortale: licet mali ministri administratio sacramentalis habeat ex suo genere peccatum mortale.

Adverte secundo quod, duabus existentibus rationibus peccati in huiusmodi ministerio, scilicet ex parte difformitatis ministri ad Deum, cuius est minister, et ex parte contaminationis sacramentorum quae administrantur; Auctor in hoc corpore articuli ex prima ratione probavit ministerium mali ministri esse peccatum; ex secunda autem ratione probavit illud esse peccatum mortale. Tantam autem differentiam inter has rationes insinuavit quod secunda usus est in responsione ad primum ut causa propria: primam autem rationem non tanti fecit. De utraque autem diffusior erit sermo, et ambarum efficaciae magis patebunt.

V. In responsione ad primum, adverte et percipe Auctorem uti regula illa Posterioristica, *Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis* *, dum ex hoc quod sacramenta sunt opera consecrationis sanctificata, infert in ministro praeexigi sanctitatem iustitiae; et ex hoc quod opera caritatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, infert in Dei ministro respectu eorum non exigi sanctitatem iustitiae. Manifeste enim ex hoc significat hanc esse propriam causam mortalis peccati vel non mortalis peccati in administrationibus sacris: quoniam regula illa in solis propriis causis tenet. Ita quod, cum quaestio aliqua de peccato mortali in operationibus sacris contingit ex parte malitiae ministri, intuendum est an illa operatio ad quam quis malus exhibet se ministrum, sit aliqua consecratione sanctificata, quales sunt omnes actus sacrorum ordinum: an non sit consecrata. Et si est de numero consecratarum, concluditur hinc mortale peccatum in malo ministro. Et si non est de numero consecratarum, excusatur hinc minister malus a mortali peccato. Et est semper sermo de ministro malo malitia peccati mortalis in se existentis.

* Aristot. *Analyt. Poster.* lib. I, cap. XIII, n. 8. - S. Th. lect. XXIV.

Hanc doctrinam quia diffuse tractavi in *Quolibetis* *, ne eadem repetantur, modo pertranseo, unum tantum adiiciens: quod videtur mihi modo actum praedicandi esse de numero actuum consecratorum, quia est actus ad quem minister consecratur; nam eius minister ex officio est episcopus primo, et secundario sacerdos. Nec obstat actum istum ex institutione Ecclesiae appropriatum esse sacro ordini: quoniam institutio Ecclesiae vel divina ad differentiam originis spectat, et non ad differentiam formalem. Extrahere siquidem hominem ab ecclesia sacrilegium formaliter est, licet ex institutione Ecclesiae actus iste substratus sit sacrilegio. Et similiter comedere semel in die, ut fit in quadragesima, abstinentia formaliter est, quamvis ex Ecclesiae statuto sub abstinentiae specie positum sit. Et similiter in proposito, licet praedicatio ex auctoritate Ecclesiae facta sit actus ordinis, sub specie tamen actuum ordinis formaliter comprehenditur. Ac per hoc, inter opera consecrata computanda est, ea ratione, quia ad ipsam, sicut et ad alios actus ordinis, consecrari oportet ministrum. Et propterea, secundum doctrinam hinc habitam, minister malus praedicans mortaliter peccat, sicut qui indigne administrat alios actus sacrorum ordinum.

* Opusc. Caiet. tom. II, Tract. X. - Ed. Lugdun. 1562.

VI. In responsione ad secundum, adverte quod non loquitur littera de inducente indignum ministrum ad sacramenti exhibitionem: sed de accipiente sacramentum ab indigno ministro. Quod ideo dixerim, quia alia quaestio est, an liceat accipere sacramentum ab indigno ministro: et alia quaestio est, an liceat inducere ad administrationem sacramenti ministrum indignum. Prima quaestio hic solvitur: de secunda nihil dicitur. Sed facile solvi potest secunda, dicendo quod, licet nunquam liceat inducere hominem ad peccandum, uti tamen licet iniquitate alterius. Et propterea in duobus casibus licet inducere indignum ministrum ad exhibitionem sacramenti. Primus est, si minister tenetur ad huiusmodi exhibitionem: quia nemo peccat petendo actum sibi debitum a suo debitore. Et hac ratione excusantur qui a suo curato tenente concubinam sacramenta petunt. – Secundus est articulus necessitatis ex parte petentis, cum dispositione praeparationis ex parte ministri: hoc est, quod minister sit paratus ministrare sacramentum, et homo egeat illo. Eadem siquidem ratione qua licitum est indigenti petere mutuum ab usurario, licitum quoque est indigenti petere sacramentum ab indigno parato ad ministrandum.

VII. In eadem responsione, circa acceptionem sacramenti a ministro excommunicato, etc., nota primo, quod haec doctrina intelligitur, cessante extrema necessitate baptismi. Excipit enim ipse Auctor, in IV *Sent.*, dist. V *, casum necessitatis, quo scilicet *posset quis a Iudaeo vel pagano baptismum recipere.*

* Qu. II, art. 2, qu^a 5.

Secundo, quod hodie, ex indulto Concilii Constantiensis sub Martino V, licitum est ab excommunicatis ministris recipere sacramenta, nisi in duobus casibus: hoc est, si nominatim denuntiatus fuerit excommunicatus aut suspensus, etc.; vel si propter iniectionem manus violentae in clericum notorie constiterit in excommunicationem incidisse; ut refert Dominus Antoninus, archiepiscopus Florentinus, in suae Summae parte tertia, tit. XXVI, cap. III *.

* Tit. XXV, cap. II, § 2.

VIII. In responsione ad tertium, circa illud, *In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando,* etc., dubium primo occurrit, propter relatas a Durando rationes ad oppositum, in IV *Sent.*, dist. V, art. 2. Et prima est contra excusationem ex articulo necessitatis. Quia casus evitabilis solo voluntatis propriae arbitrio non constituit articulum necessitatis. Sed sic est in proposito: quia indignus minister potest statim conteri, si vult, et transire de malo in bonum. Ac per hoc, non est casus necessitans ministrum cum indignitate ad baptizandum. – Secunda vero ratio contra excusationem ex persona non-ministri tendit. Quia quicumque baptizat, sive vetula sive paganus, baptizat ut minister principalis agentis, qui est Christus: est enim minister de necessitate sacramenti baptismi, sicut et forma et materia. Falsum est ergo quod baptizans in necessitate non exhibeat se ministrum Ecclesiae. Ac per hoc, non inde excusatur si indignus baptizat.

Dubium secundo est *, an Auctor in littera intendat excusare sacerdotem indignum in articulo necessitatis baptizantem, tam si baptizet cum solemnitate quam si sine solemnitate: vel intendat solum excusare baptizantem sine solemnitate. Et est ratio dubii, quia in littera hac nulla fit mentio de solemnitate: et consequenter videtur excusari utroque modo baptizans, dummodo baptizet ut subveniat necessitatem patienti in casu in quo laicus posset; sic enim in littera dicitur. – In oppositum autem est quod ab Auctore dicitur in IV *Sent.* *, de baptizante cum solemnitate.

* Cf. num. X.

* Dist. V, qu. II, art. 2, qu^a 4.

Dubium tertio occurrit *, quo pacto potest stare doctrina haec cum superius * dictis, scilicet: Ministratio sacramenti est ex suo genere peccatum mortale, si minister sit indignus. Nam si sic est, sive ministrans illud ministret ex officio, sive ex casu necessitatis, sive quavis alia ratione, semper sequitur quod actum exercet qui ex suo genere est peccatum mortale, puta contaminare sacramenta quantum ex ipso est. Constat enim quod in ceteris actibus qui de suo genere sunt peccata mortalia, variata conditio agentis non excusat a mortali: ut patet de adulterio, furto, et aliis. Aut igitur hoc non est mortale ex genere: aut quilibet indigne ministrans peccat mortaliter.

* Cf. num. XI.

* In corp. art.

IX. Ad evidentiam horum, sciendum est quod praesentis doctrinae sensus est: In articulo necessitatis quo laico licet baptizare, si sacerdos baptizet, procul dubio sine sole-

mnitate, non peccat, quamvis in peccato mortali sit. Et ratio assignatur, quia tunc non gerit personam ministri ex officio, quem probatum est oportere esse iustum: sed gerit personam ministerialiter subvenientis necessitatem patienti.

Unde ad rationem primam in primo dubio allatam, dicitur quod necessitas excusans malum ministrum non est necessitas impossibilis contritionis, ut argumentum intelligit, quoniam in instanti potest quis contritionem habere de infinitis peccatis: sed est necessitas cogens hominem baptizaturum ad exhibendum se non ut ministrum ex officio. Ex hoc namque quod minister ibi concurrit non ut minister ex officio, necessitate hoc exigente, a peccato excusatur.

Et per hoc patet solutio secundae rationis. Distinctum siquidem est de ministro vel ex officio, vel ex articulo necessitatis. Et licet quicumque baptizet sit minister Christi et Ecclesiae altero modo, non tamen semper est minister ex officio: de quo solo probatum est quod oportet esse iustum.

* Num. viii, *Dubium secundo.*

X. Et per hoc patet solutio secundi dubii *. Nam si articulus necessitatis pateretur ministrum cum solemnitate baptizare, non essemus in casu in quo laicus posset baptizare. Et rursus, si cum solemnitate baptizaret, manifeste constat quod exhiberet se ut ministrum ex officio. Ex utroque ergo capite, hoc est, ex casu in quo laicus posset baptizare, et ex hoc quod dicitur quod non exhiberet se ut ministrum ex officio, manifeste patet quod Auctor non intendit excusare huiusmodi sacerdotem nisi in casu in quo cogitur sine solemnitate baptizare.

* Ibid., *Dubium tertio.*

XI. Ad tertium dubium * dicitur quod, quia baptizans in articulo necessitatis deficit a perfecta ratione ministerii, quoniam non ministrat ex officio, ideo operatio sua imperfectum quid est in genere administrationis sacramentorum, non ex parte obiecti, hoc est sacramenti, sed ex parte agentis, hoc est ministri. Non enim exit operatio tunc a ministro ex officio, sed a nudum ministerium praebente. Ex huiusmodi autem imperfectione actus excusatur a mortali: quoniam administratio exiens ab indigno habet rationem mortalis pro quanto exit ab agente, et non aliter, ut in littera patet. Ex hoc enim fit ut, quia administratio huiusmodi non exit ab agente proprio, hoc est, ministro ex officio, non exeat etiam cum culpa mortali. Et propterea dicendum est quod administratio sacramenti ***ab indigno ministro ex officio*** est mortale ex suo genere, si ex claritate verborum excludendae sunt obiectiones. Si tamen absolute dicatur quod indigni administratio est peccatum mortale ex suo genere, verum dicitur: quoniam subintelligitur, ***a proprio ministro.***

Nec obstat obiectio de adulterio et huiusmodi. Quoniam conditio agentis in hoc sacrilegio concurrit ut pars integrativa rationis formalis peccati mortalis ex suo genere: ita quod, sicut ad rationem furti non sufficit quod sit acceptio rei alienae, sed oportet quod sit invito domino; ita ad tale sacrilegium non sufficit quod sit administratio ab homine malo, sed exigitur quod sit etiam a ministro ex officio ut sic. Et ratio est assignata in littera *: quia sanctis ministeriis non nisi sanctus convenit minister; qui, per se loquendo, non est nisi minister ex officio.

* In corp. et ad 1.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM ANGELI POSSENT SACRAMENTA MINISTRARE

IV *Sent.*, dist. v, qu. ii, art. 3; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxiv.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod angeli possent α sacramenta ministrare. Quidquid enim potest minister inferior, potest et superior, sicut quidquid potest diaconus, potest et sacerdos: sed non convertitur. Sed angeli sunt superiores ministri in ordine hierarchico quam etiam quicumque homines: ut patet per Dionysium, in libro *Cael. Hier.* * Ergo, cum homines possint ministrare in sacramentis, videtur quod multo magis angeli.

* Cap. ix, § 2.

2. Praeterea, homines sancti assimilantur angelis in caelo, ut dicitur Matth. xxii *. Sed aliqui sancti in caelo existentes possunt β ministrare in sacramentis: quia character sacramentalis est indelebilis, ut dictum est *. Ergo videtur quod etiam angeli in sacris possint ministrare.

* Vers. 30. - Cf. Luc. cap. xx, vers. 36.

* Qu. lxiii, art. 5.

3. Praeterea, sicut supra * dictum est, diabolus est caput malorum, et mali sunt membra eius. Sed per malos possunt dispensari γ sacramenta. Ergo videtur quod etiam per daemones.

* Qu. viii, art. 7.

Sed contra est quod dicitur *Heb.* v *: *Omnis pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum.* Sed angeli boni vel mali non sunt ex hominibus. Ergo ipsi non constituuntur ministri in his quae sunt ad Deum, idest in sacramentis.

* Vers. 1.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, tota virtus sacramentorum a passione Christi derivatur, quae est Christi secundum quod homo. Cui in natura conformantur homines, non autem angeli: sed potius secundum passionem dicitur *modico ab angelis minoratus*, ut patet *Heb.* ii *. Et ideo ad homines pertinet dispensare sacramenta et in eis ministrare, non autem ad angelos.

* Art. 3; qu. lxii, art. 5.

* Vers. 9.

Sciendum tamen quod, sicut Deus virtutem suam non alligavit sacramentis quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre, ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiae ministris, quin etiam angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis. Et quia boni angeli sunt nuntii veritatis, si aliquod sacramentale ministerium a bonis angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia deberet constare hoc fieri voluntate divina: sicut quaedam templa dicuntur angelico ministerio consecrata *. Si vero daemones, qui sunt *spiritus mendacii* *, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum.

* Vide Bolland. *Act. SS.*, die xxix Sept., Apparit. S. Michael., auct. anonym., § xix, n. 7.

* III *Reg.*, cap. xxii, vers. 22, 23; II *Paralip.*, cap. xviii, vers. 21, 22; Ioan. cap. viii, vers. 44.

Ad primum ergo dicendum quod illud quod faciunt homines inferiori modo, scilicet per sacramenta sensibilia, quae sunt proportionata naturae ipsorum, faciunt angeli, tanquam superiores ministri, superiori modo, scilicet invisibiliter *purgando, illuminando* et *perficiendo* *.

* Dionys. *de Eccles. Hier.*, cap. v, part. 1.

α) *possent.* – *possint* P.
β) *possunt.* – *possent* PFI.
γ) *dispensari.* – *ministrari* H et editiones.

Ad secundum dicendum quod sancti qui sunt in caelo, sunt similes angelis quantum ad participationem gloriae: non autem quantum ad conditionem naturae. Et per consequens neque quantum ad sacramenta.

Ad tertium dicendum quod mali homines non habent quod possint ministrare in sacramentis ex hoc quod per malitiam sunt membra diaboli. Et ideo non sequitur quod diabolus, qui est eorum caput, magis hoc possit.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo est sermo de angelis quoad naturam, sive boni sive mali sint. Et rursus est sermo de potestate ordinaria; hoc est: An, secundum communem cursum ordinis instituti a Deo, angeli possint ministrare sacramenta.

In corpore articuli quatuor fiunt. Primo, respondetur quaesito; deinde, ad bonitatem doctrinae, tractatur de potestate delegabili ipsis angelis, ubi tria dicuntur, ut patebit.

Quoad primum, conclusio est: *Angeli non possunt ministrare sacramenta.* Probatur. Tota virtus sacramentorum derivatur a Christo patiente. Ergo ad homines, et non ad angelos pertinet ministrare sacramenta. – Consequentia probatur ex duobus. Primo, ex dissimilitudine naturae: quia scilicet Christo homines, non angeli, assimilantur in natura *. Secundo, quia Christus patiens, inquantum patiens, fuit minor angelis: minister autem non debet esse maior principali agente, ut contingeret in proposito, si sancti angeli essent ordinarie ministri Christi patientis.

* Cf. *Ad Heb.*, cap. II, vers. 16.

Secunda conclusio est quod *potest conferri angelis quod administrent sacramenta.* Probatur. Quia Deus non alligavit virtutem suam ministris Ecclesiae, sicut nec sacramentis.

Tertia conclusio est de exercitio administrationis sacramentorum a bonis angelis: *Si administrarent sancti angeli sacramentum aliquod, deberet haberi pro vero sacramento.* Probatur. Quia sancti angeli sunt nuntii veritatis.

Quarta est: *Si daemones aliquid huiusmodi facerent, habendum esset pro falso:* quia sunt *spiritus mendacii.*

II. Adverte hoc in loco quod circa primam conclusionem Scotus, in IV *Sent.*, dist. VI, qu. I, opinatur oppositum, tenens quod omne suppositum intellectualis naturae potest sacramentum aliquod conferre, saltem baptisma. Et ratio sua est, quia potest abluere aqua hominem proferendo verba debita, et habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia: haec enim tria requiruntur et sufficiunt ad ministrum. Et haec omnia potest angelus in assumpto corpore exercere.

Rationabilior autem Auctoris positio ex allatis in littera invenitur. Fundata enim est super auctoritate Apostoli, *ad Heb.* V, ubi pontificem omnem hominem declarat. Unde magnum argumentum assumitur ad propositum: quod, si maximum ministerium Ecclesiae soli homini convenit, ita quod angelis denegatur, quale est pontificatus, multo magis minima ministeria Ecclesiae angelis denegantur. – Fundatur et super ratione qua ministri debent assimilari principali agenti.

Ratio autem Scoti deficit in hoc manifeste, quod aequivoce utitur *locutione.* Locutio enim requisita ad ministrum sacramenti, est actus vitalis loquentis. Locutio autem angeli in corpore assumpto est motus corporis non viventis, ut patet. – Potest quoque dici quod deficit in alio: scilicet quod applicatio sacramenti debet fieri per instrumentum coniunctum primo, et mediante illo per instrumentum separatum; quod hic non haberet locum. – Et quamvis hoc non multum urgeat, primus tamen defectus cogit. Et quia primus defectus invenitur in omni supposito rationali extra humanam speciem, ideo oportet hominem esse qui ministret sacramenta.

Et sic patet quod minor Scoti est falsa, univoce sumendo rationem verborum. Aut maior est falsa, si prolationem verborum sumat quovis modo. Praeter principalem defectum prius dictum: scilicet quod oportet baptizantem esse Christi ministrum; ac per hoc, Christo homine non maiorem, sed conformem in natura.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM INTENTIO MINISTRI REQUIRATUR AD PERFECTIONEM SACRAMENTI

Supra, qu. LX, art. 8; IV *Sent.*, dist. VI, qu. I, art. 2, qu^a 1; dist. VII, qu. III, art. 1, qu^a 1, ad 3; dist. VIII, qu. II, art. 4, qu^a 3, ad 1; dist. XXX, qu. I, art. 3, ad 3.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod intentio ministri non requiratur ad perfectionem sacramenti. Minister enim in sacramento instrumentaliter operatur. Sed actio non perficitur secundum intentionem instrumenti, sed secundum intentionem principalis agentis. Ergo intentio ministri non requiritur ad perfectionem sacramenti.

2. Praeterea, non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti, non posset homini ad sacramentum accedenti esse notum quod sacramentum suscepisset. Et ita non posset habere certitudinem salutis: praecipue cum quaedam sacramenta sint de necessitate salutis, ut infra * dicetur.

* Qu. LXV, art. 4.

3. Praeterea, intentio hominis non potest esse ad id circa quod non est attentus α. Sed aliquando illi qui in sacramentis ministrant, non attendunt ad ea quae dicunt vel faciunt, alia cogitantes. Ergo, secundum hoc, non perficitur β sacramentum, propter intentionis defectum.

Sed contra est quod ea quae sunt praeter intentionem, sunt casualia. Quod non est dicendum de operatione sacramentorum. Ergo sacramenta requirunt intentionem ministri.

Respondeo dicendum quod, quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero quae in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi: sicut ablutio aquae, quae fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem, et ad sanitatem γ corporalem, et ad ludum, et ad multa alia huiusmodi. Et ideo oportet

α) *attentus.* – PI; *intentio* Hbc, *intentus* ceteri. Pro *attendunt, intendunt* ed. *a.*
β) *perficitur.* – *perficeretur* PEI.
γ) *sanitatem.* – PFGHI; *sanctitatem.* Pro *corporalem, mentalem* E, *spiritualem* ed. *a.* (Praecedens *corporalem* om. G).

quod determinetur ad unum, idest ad sacramentalem effectum, per intentionem abluentis. Et haec intentio exprimitur per verba quae in sacramentis dicuntur: puta cum dicit, *Ego te baptizo in nomine Patris,* etc.

Ad primum ergo dicendum quod instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus: sed loco intentionis est motus quo movetur a principali agente. Sed instrumentum animatum, sicut est minister, non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum, inquantum sua voluntate movet membra ad operandum. Et ideo requiritur eius intentio, qua se subiiciat principali agenti: ut scilicet intendat facere quod facit Christus et Ecclesia.

Ad secundum dicendum quod circa hoc est duplex opinio. Quidam * enim dicunt quod requiritur mentalis intentio in ministro: quae si desit, non perficitur sacramentum. Sed hunc defectum in pueris, qui non habent intentionem accedendi ad sacramentum, supplet Christus, qui interius baptizat. In adultis autem, quia intendunt sacramenta suscipere, supplet illum defectum fides et devotio.

* Halens. *Sum. Theol.* p. IV, qu. viii, memb. iii, § 1, in respp. ad obiect.

Sed hoc satis posset dici quantum ad ultimum effectum, qui est iustificatio a peccatis: sed quantum ad effectum qui est *res et sacramentum,* scilicet quantum ad characterem, non videtur quod per devotionem accedentis possit suppleri; quia character nunquam imprimitur nisi per sacramentum.

Et ideo alii * melius dicunt quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cuius est minister; in verbis autem quae proferuntur [δ], exprimitur intentio Ecclesiae; quae sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri et [ε] recipientis sacramentum.

* Cf. *Die Sentenzen Rolands, de Sacram. Baptism.,* p. 206. - Freiburg, 1891.

Ad tertium dicendum quod, licet ille qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen habitualem [ζ], quae sufficit ad perfectionem sacramenti: puta si, cum sacerdos accedit [η] ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia. Unde, si postea in ipso exercitio actus cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur sacramentum. Quamvis studiose curare debeat sacramenti minister ut etiam actualem intentionem adhibeat. Sed hoc non totaliter est positum in hominis potestate: quia praeter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare; secundum illud Psalmi *: *Cor meum dereliquit me.*

* Ps. xxxix, vers. 13.

δ) *proferuntur.* – *profert* Pl.
ε) *et.* – *vel* P.
ζ) *habitualem.* – *virtualem* I, *intentionem habitualem* cetera tertia. *Al's actualem* margo P.
η) *si, cum sacerdos accedit.* – *cum sacerdos accedit* (*accedat* H, *accedens* P) tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio: *Intentio ministri exigitur ad perfectionem sacramenti.* Probatur. Quando aliquid se habet ad multa, oportet quod determinetur ad unum, ut illud fiat. Sed ea quae aguntur in sacramentis, se habent ad multa, nisi per intentionem ministri determinentur ad unum. Ergo, etc. Processus totus clare patet in littera. – Et confirmatur. Quia verba sacramentalia exprimunt ministri intentionem.

II. In responsione ad secundum, nota primo, Novitie, pro claritate litterae, Auctorem, referendo primam opinionem, narrare ipsam primo quoad hoc, quod requiritur mentalis intentio, ita quod, si desit, non perficitur sacramentum; secundo, quoad hoc, quod, stante casu quo huiusmodi imperfectio sacramenti accideret, sive adultus sive puer esset qui sacramentum sic defectuosum susciperet, supplementum aliunde sortiretur, et puer quidem a Christo, adultus autem ex propria fide et devotione. Postea reprehendit Auctor hanc opinionem: quia non potest salvare supplementum characteris.

Adverte secundo, quod altera opinio ibidem subiuncta et approbata, non est intelligenda ut verba sonant: puta quod non requiritur in ministro intentio propria mentalis, sed sufficit intentio Ecclesiae per verba expressa, quidquid intendat ipse minister interius. Hic enim sensus contradicit expresse doctrinae Auctoris, in ultimo huius quaestionis articulo, dicentis quod, *si minister non intendat sacramentum conferre, talis perversitas tollit veritatem sacramenti;* et inferius, in qu. lxviii, art. 7, ad 2, dicentis: *Si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus.* Sed sensus huius litterae ex proposito ad quod loquitur Auctor, sumendus est. Advertendum est enim quod haec omnia dicuntur hic pro solutione difficultatis motae in argumento, scilicet: Si mentalis intentio ministri exigeretur, nullus esset certus se esse vere baptizatum. Ad hanc enim certitudinem nostram de susceptis sacramentis intelligendum est sufficere intentionem Ecclesiae per verba ministri expressam, nisi per ministrum aut suscipientem contrarium exprimatur. Ita quod non intendit Auctor quod haec sufficiant ad perfectionem sacramenti simpliciter: sed ad perfectionem eius secundum humanam certitudinem. Per hoc enim evitatur inconveniens quod quilibet incertus posset dici de susceptis sacramentis.

III. In responsione ad tertium, adverte quod Auctor, communicans, ut puto, in vocabulis communi illius temporis usui, qui intentionem quidem sed non actualem *habitualem* vocabat, dixit hic *intentionem habitualem:* et statim subiunxit sensum intentum: *puta, cum sacerdos accedit* *, etc.

* Cf. not. η.

Et haec propterea dixerim, ut scias non latuisse Auctorem differentiam inter habere aliquid in actu, vel in habitu, vel in virtute: et quod intentio requisita ad sacramenta, non sufficit quod sit secundum habitum, sed oportet quod sit secundum virtutem. Quod ut melius intelligas, accipe exemplum. Homo habens habitum iustitiae tunc actualiter intendit iustum, quando actualiter attendit ad ius reddendum; tunc vero habitualiter intendit iustum, cum retinet habitum iustitiae, etiam si dormiat; tunc autem virtualiter intendit iustum, dum vacat quidem reddendo iuri, puta quia sedet ad tribunal ut faciat sicut consuevit, seu iudicis officium, et nihil de iure cogitat, sed mens eius evagatur ad impertinentia. Ita quod, etiam si non haberet habitum iustitiae, ex solo hoc quod accedit ad iudicis officium faciendum in omnibus quae exercet iudiciis, quantumcumque evagetur, semper intendit iustum virtualiter: ea ratione, quia semper perseverat vis primae intentionis, qua primo proposuit facere iudicis officium. Et huiusmodi intentio non irrationabiliter vocatur habitualis, quia per modum habitus perseverat: nam et dormiente et distracto homine, perseverat.

Et haec est quae sufficere dicitur ad sacramenta. Et

vere sic est. Sufficit enim ad confectionem Eucharistiae quod sacerdos vadat ad altare ut dicat missam, etiam si per totam missam evagetur mens eius.

Adverte secundo, documentum Auctoris, scilicet quod studiose debet minister operam dare ut etiam actualiter intendat, etc., non esse intelligendum in actu signato, sed in actu exercito. Non enim studendum est ut habeamus hoc in mente actualiter, *Ego intendo conficere:* sed studendum est ut actualiter mens nostra ad ea quae sunt consecrationis, attendat; puta ad prolationem distinctam formae, ad reverentem contrectationem materiae, ad futuram tunc ineffabilem praesentiam divinae gratiae in sacramento, vel etiam ipsius Christi quoad Eucharistiam. Hoc est enim consecrare cum actuali intentione in actu exercito.

ARTICULUS NONUS

UTRUM FIDES MINISTRI SIT DE NECESSITATE SACRAMENTI

IV *Sent.*, dist. VI, qu. I, art. 3, qu^a 2, 3.

AD NONUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod fides ministri sit de necessitate sacramenti. Sicut enim dictum est *, intentio ministri est necessaria ad sacramenti perfectionem. Sed *fides intentionem dirigit:* ut Augustinus dicit, *contra Iulianum* *. Ergo, si desit vera fides in ministro, non perficitur sacramentum.

* Art. praeced.

* *In Psalm. XXXI* Enarr. II, n. 4. - Cf. *Cont. Iulian.* lib. IV, cap. III.

2. PRAETEREA, si minister Ecclesiae veram fidem non habeat, videtur esse haereticus. Sed haeretici, ut videtur, non possunt sacramenta conferre. Dicit enim Cyprianus, in Epistola *contra Haereticos* *: *Omnia quaecumque faciunt haeretici, carnalia sunt et inania et falsa: ita ut nihil eorum quae illi gesserint, a nobis debeat probari.* Et Leo Papa * dicit, in Epistola *ad Leonem Augustum* *: *Manifestum est per crudelissimam et insanissimam vesaniam* [α] *in Alexandrina sede omnium caelestium sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, et paricidalibus manibus impiorum omnia sese subtraxere mysteria.* Ergo vera fides ministri est de necessitate sacramenti.

* Ep. LXXIII, *ad Iubaian.* (al. *Ianuar.*) *et ceteros Episc. Numid., de Baptizand. Haeret.*
* Primus.
* Ep. CLVI, al. CXXV, cap. v.
α

3. PRAETEREA, illi qui non habent veram fidem, videntur esse per excommunicationem ab Ecclesia separati: dicitur enim in secunda Canonica Ioannis *: *Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave dixeritis ei;* et *Tit.* III *: *Haereticum hominem, post primam et secundam correctionem, devita.* Sed excommunicatus non videtur conferre posse Ecclesiae sacramentum: cum sit ab Ecclesia separatus, ad cuius ministerium pertinet sacramentorum dispensatio. Ergo videtur quod vera fides ministri sit de necessitate sacramenti.

* Vers. 10.
* Vers. 10.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, *contra Petilianum Donatistam* *: *Mementote sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quod illa vel non sint, vel minus sancta sint.*

* Al. *Contra litteras Petilian.* lib. II, cap. XLVII.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, quia minister in sacramentis instrumentaliter operatur, non agit in virtute propria, sed in virtute Christi. Sicut autem pertinet ad propriam virtutem hominis caritas, ita et fides. Unde, sicut non requiritur ad perfectionem sacramenti quod minister sit in caritate, sed possunt etiam peccatores sacramenta conferre, ut supra * dictum est; ita non requiritur [β] fides eius, sed infidelis potest verum sacramentum praebere, dummodo cetera adsint quae sunt de necessitate sacramenti.

* Art. 5.
* Ibid.
β

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod potest contingere quod aliquis patiatur defectum fidei circa aliquid aliud [γ], et non circa veritatem sacramenti quod exhibet: puta si aliquis credat iuramentum esse in omni casu illicitum, et tamen credat baptismum efficaciam habere ad salutem. Et sic talis infidelitas non impedit intentionem conferendi sacramentum.

γ

Si vero patiatur fidei defectum circa ipsum sacramentum quod exhibet, licet credat per id quod agitur exterius nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat quod Ecclesia Catholica intendit per huiusmodi quae exterius aguntur, sacramentum praebere. Unde, non obstante infidelitate, potest intendere facere id quod facit Ecclesia, licet existimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad sacramentum: quia, sicut supra * dictum est, minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, ex cuius fide suppletur id quod deest fidei ministro [δ].

* Art. 8, ad 2.
δ

AD SECUNDUM DICENDUM quod haereticorum quidam in collatione sacramentorum formam Ecclesiae non servant. Et tales neque sacramentum conferunt, neque rem sacramenti. – Quidam vero servant Ecclesiae formam. Et tales conferunt quidem sacramentum, sed non conferunt rem sacramenti. Et hoc dico, si sunt manifeste ab Ecclesia praecisi. Quia ex hoc ipso quod aliquis accipit sacramenta ab eis, peccat: et per hoc impeditur ne effectum sacramenti consequatur. Unde Augustinus * dicit, in libro *de Fide ad Petrum* *: *Firmissime tene, et nullatenus dubites, extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, baptismo cumulari perniciem.* Et per hunc modum dicit Leo Papa *in sede Alexandrina sacramentorum lumen esse extinctum:* scilicet, quantum ad rem sacramenti, non autem quantum ad ipsum sacramentum.

* Fulgentius.
* Cap. XXXVI, al. Reg. XXXIII.-Inter Opp. Aug.

Cyprianus autem nec [ε] sacramentum conferre haereticos credebat: sed in hoc eius sententia

ε

α) *vesaniam.* – F et tertia; *vestram animam.* – *defecit* P*b*; *deficit.* – *subtraxere* PI; *subtrahere.* – *mysteria* F et editiones; *ministeria.*

β) *requiritur.* – *ad perfectionem sacramenti* addunt H et editiones.

γ) *aliud.* – Om. P.

δ) *fidei ministro.* – *ministro* B, *fidei ministri* PFI*a*, *fidei in ministro c.*

ε) *nec.* – *nullo modo* editiones. – *conferre* GH; *conferre posse* I et editiones, *afferre* ceteri.

* De Unic. Baptism., cont. Petilian., cap. XIII.

non tenetur. Unde Augustinus dicit *: *Martyrem Cyprianum, qui apud haereticos vel schismaticos datum baptismum nolebat cognoscere, tanta merita, usque ad triumphum martyrii, secuta sunt, ut caritatis* [ζ] *qua excellebat luce obumbratio illa fugaretur, et, si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur.*

AD TERTIUM DICENDUM quod potestas ministrandi sacramenta pertinet ad spiritualem characterem, qui indelebilis est, ut ex supra * dictis patet. Et ideo per hoc quod aliquis ab Ecclesia suspenditur vel excommunicatur, vel etiam degradatur, non amittit potestatem conferendi sacramentum, sed licentiam utendi hac potestate. Et ideo sacramentum quidem confert, sed tamen peccat conferendo. Et similiter ille qui ab eo accipit sacramentum: et [η] sic non percipit rem sacramenti, nisi forte per ignorantiam excusetur.

* Qu. LXIII, art. 3.

ζ) *caritatis.* – PEFI; *caritas.* Pro *luce, lucis* BD*a*, *luc̄* C, *vite* GH*b*. – *fugaretur* PFGsC; *figuraretur.*

η) *et.* – *etiam* ABC. – *sic* om. D.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore una conclusio, cum uno corollario. Conclusio est: *Ad perfectionem sacramenti non exigitur fides ministri.* Probatur. Minister in sacramentis operatur non propria, sed Christi virtute. Ergo, sicut non requiritur ad perfectionem sacramenti ministri caritas, ita nec eius fides. – Consequentia probatur. Quia fides pertinet ad perfectionem ministri, sicut et caritas. Quam non requiri probatur ex eo quod mali homines possunt ministrare sacramenta.

Corollarium est: *Infidelis potest esse minister sacramenti.*

II. In responsionibus argumentorum, memento eorum quae diximus in articulo sexto * de suscipientibus sacramenta ab indignis, quando peccant. Et iuxta illa intellige quae hic dicuntur, addendo quod praecisi manifeste ab Ecclesia, si in articulo necessitatis sacramentum baptismi conferrent, non peccarent: immo tenentur in tali casu baptismum conferre, absque solemnitate tamen. Nec propterea sacerdotes efficerentur irregulares: ratione superius dicta, quia non ministri ex officio personam agerent, sed ministerialiter subvenientis necessitatem patienti.

* Comm. num. VI, VII.

III. In responsione ad secundum, adverte incidenter quod purgatio Cypriani Martyris, de qua Augustinus loquitur, non nisi venialis peccati fuit. Tum quia cum caritate stabat error ille: ut Augustini verba sonant. Tum quia tempore illo non erat per Ecclesiam determinata efficacia sacramentorum per ministros extra Ecclesiam.

ARTICULUS DECIMUS

UTRUM INTENTIO RECTA MINISTRI REQUIRATUR AD PERFECTIONEM SACRAMENTI

Infra, qu. LXXIV, art. 2, ad 2; IV *Sent.*, dist. VI, qu. I, art. 2, qu[a] 2; Expos. litt.; dist. XI, qu. II, art. 1, qu[a] 3, ad 1; dist. XXX, qu. I, art. 3, ad 3.

AD DECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti. Intentio enim ministri debet conformari intentioni Ecclesiae, ut ex dictis * patet. Sed intentio Ecclesiae semper est recta. Ergo de necessitate ad sacramenti perfectionem requiritur intentio recta ministri.

* Art. 8, ad 1.

2. PRAETEREA, perversa intentio deterior esse videtur quam intentio iocosa. Sed intentio iocosa tollit sacramentum: puta si aliquis non serio, sed ludo aliquem baptizaret. Ergo multo magis perversa intentio aufert sacramentum: puta si aliquis aliquem baptizaret ut postmodum eum occideret.

3. PRAETEREA, perversa intentio facit totum opus vitiosum: secundum illud Luc. XI *: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Sed sacramenta Christi non possunt inquinari per malos homines: sicut Augustinus dicit, *contra Petilianum* *. Ergo videtur quod, si sit perversa intentio ministri, non sit ibi verum sacramentum.

* Vers. 34; Matth. cap. VI, vers. 23.

* Al. *Cont. Litteras Petilian.*, lib. II, capp. XXXIX, XLIV, XLVII. - Cf. *Contra Parmenian.* lib. II, cap. XIII.

SED CONTRA EST quod perversa intentio pertinet ad malitiam ministri. Sed malitia ministri non tollit sacramentum. Ergo nec perversa intentio.

RESPONDEO DICENDUM quod intentio ministri potest perverti dupliciter. Uno modo, respectu ipsius sacramenti: puta cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed delusorie [α] aliquid agere. Et talis perversitas tollit veritatem sacramenti: praecipue quando suam intentionem exterius manifestat.

Alio modo potest perverti intentio ministri quantum ad id quod sequitur sacramentum: puta si sacerdos intendat aliquam feminam baptizare ut abutatur ea; vel si intendat conficere corpus Christi ut eo ad veneficia utatur. Et quia prius non dependet a posteriori, inde est quod talis intentionis perversitas veritatem sacramenti non tollit: sed ipse minister ex tali intentione graviter peccat.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Ecclesiae intentio recta est et quantum ad sacramenti perfectionem, et quantum ad sacramenti usum: sed prima rectitudo perficit sacramentum, secunda operatur ad meritum. Et ideo minister qui conformat intentionem suam Ecclesiae quantum ad primam rectitudinem, non autem quantum ad secundam, perficit quidem sacramentum, sed non est sibi ad meritum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod intentio ludicra

α) *delusorie.* – *derisorie* editiones.

vel iocosa excludit primam rectitudinem intentionis, per quam perficitur sacramentum. Et ideo non est similis ratio.

AD TERTIUM DICENDUM quod perversa intentio pervertit opus intendentis, non autem opus alterius. Et ideo ex perversa intentione ministri pervertitur id quod agit in sacramentis inquantum est opus eius: non inquantum est opus Christi, cuius est minister. Et est simile si minister alicuius hominis prava intentione deferret [β] pauperibus eleemosynam, quam dominus recta intentione mandaret. β

β) *deferret.* – PHI; *deferat* G, *deferet bc, differret dare* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani]

TITULUS clarus. – In corpore articuli est distinctio bimembris, cum singulis conclusionibus. Distinctio est. Intentio ministri potest perverti dupliciter: vel respectu sacramenti; vel respectu alicuius alterius.

Prima conclusio, iuxta primum membrum, est: *Perversa intentio respectu sacramenti tollit veritatem sacramenti.* Hanc conclusionem Auctor non probat in littera, sed ut manifestam relinquit ex praemissis *: scilicet quod intentio ministri requiritur ad sacramentum. Huiusmodi enim perversitas tollit intentionem ministri. * Art. VIII.

Secunda conclusio, iuxta secundum membrum, est: *Perversa intentio ministri circa consequentia non tollit veritatem sacramenti.* Probatur. Quia prius non dependet a posteriori.

II. In responsione ad secundum, adverte quod intentio ludicra seu iocosa in collatione sacramenti potest inveniri dupliciter: vel relata ad ipsum sacramentum; vel relata ad finem aut motivum [propter] quod administret sacramentum. Exemplum primi: si quis, non intendendo facere quod facit Ecclesia, sed facere actum exteriorem similem actui quem facit Ecclesia, vel derisorie vel delectationis socialis gratia, aliquos baptizaret. Huiusmodi enim iocosa intentio tollit veritatem sacramenti: quia tollit intentionem ministri. Et de tali loquitur Auctor in littera.

Exemplum secundi. Si quis, socialis delectationis gratia, aliquos baptizaret, intendens tamen facere quod facit Ecclesia; sicut e contra si quis, delectationis gratia, permitteret se baptizari. Huiusmodi enim intentio iocosa non tollit veritatem sacramenti: sicut nec si fuisset intentio avara, puta si propter pecuniam conferret aut susciperet quis baptisma. Et ratio est quia iocositas talis non tollit intentionem ministri respectu sacramenti.



QUAESTIO SEXAGESIMAQUINTA

DE NUMERO SACRAMENTORUM

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LX, Introd.

DEINDE considerandum est de numero sacramentorum *.
Et circa hoc quaeruntur quatuor.
Primo: utrum sint septem sacramenta.
Secundo: de ordine eorum ad invicem.
Tertio: de comparatione eorum.
Quarto: utrum omnia sint de necessitate salutis.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM DEBEANT ESSE SEPTEM SACRAMENTA

IV *Sent.*, dist. II, qu. 1, art. 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LVIII; *De Eccles. Sacram.*

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non debeant esse septem sacramenta. Sacramenta enim efficaciam habent ex virtute divina, et ex virtute passionis Christi *. Sed una est virtus divina, et una est Christi passio: *una enim oblatione consummavit sanctificatos in sempiternum,* ut dicitur *Heb.* X *. Ergo non debuit esse nisi unum sacramentum.

* Cf. qu. LXII, art. 5; qu. LXIV, art. 2.
* Vers. 14.

2. PRAETEREA, sacramentum ordinatur contra defectum peccati. Hic autem est duplex: scilicet poena et culpa *. Ergo sufficeret esse duo sacramenta.

* Cf. Iam IIae, qu. LXXXVI, art. 1; qu. LXXXVII, art. 1.

3. PRAETEREA, sacramenta pertinent ad actiones ecclesiasticae hierarchiae: ut patet per Dionysium *. Sed, sicut ipse dicit **, tres sunt actiones hierarchicae α: *purgatio, illuminatio* et *perfectio.* Ergo non debent esse nisi tria sacramenta.

* *Eccl. Hier.*, cap. V.
** Ibid., part. I.

4. PRAETEREA, Augustinus dicit, XIX *contra Faustum* *: Sacramenta novae legis sunt *numero pauciora* quam sacramenta veteris legis. Sed in veteri lege non erat aliquod sacramentum quod responderet confirmationi et extremae unctioni. Ergo neque debent β numerari inter sacramenta novae legis.

* Cap. XIII.

5. PRAETEREA, luxuria non est gravius inter cetera peccata: ut patet ex his quae in Secunda Parte * dicta sunt. Sed contra alia peccata non instituitur aliquod sacramentum. Ergo neque contra luxuriam debuit institui sacramentum matrimonii.

* Ia IIae, qu. LXXIV, art. 5; IIa IIae, qu. CLIV, art. 3.

SED CONTRA, videtur quod sint plura sacramenta. Sacramenta enim dicuntur quaedam γ *sacra signa* *. Sed multae aliae sanctificationes δ fiunt in Ecclesia secundum sensibilia signa: sicut aqua benedicta, consecratio altaris, et alia huiusmodi. Ergo sunt plura sacramenta quam septem.

* Cf. qu. LX, art. 1.

2. PRAETEREA, Hugo de Sancto Victore dicit * quod sacramenta veteris legis fuerunt oblationes, decimae et sacrificia. Sed sacrificium Ecclesiae est unum sacramentum, quod dicitur Eucharistia. Ergo etiam oblationes et decimae debent dici sacramenta.

* *De Sacram.* lib. I, part. XI, cap. 2; part. XII, cap. 4.

3. PRAETEREA, tria sunt genera peccatorum: originale, mortale et veniale. Sed contra originale peccatum ordinatur baptismus; contra mortale autem poenitentia. Ergo deberet ε esse aliud, praeter septem, quod ordinetur contra veniale.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, ordinantur ζ sacramenta Ecclesiae ad duo: scilicet, ad perficiendum hominem in his quae pertinent ad cultum Dei secundum religionem Christianae vitae; et etiam in remedium contra defectum peccati. Utroque autem modo convenienter ponuntur septem sacramenta.

* Qu. LXII, art. 5; qu. LXIII, art. 1.

Vita enim spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem: sicut et cetera corporalia similitudinem η quandam spiritualium habent. In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur: uno modo, quantum ad personam propriam; alio modo, per respectum ad totam communitatem societatis in qua vivit, quia homo naturaliter est animal sociale. Respectu autem sui ipsius perficitur homo in vita corporali dupliciter: uno modo, per se, acquirendo scilicet aliquam vitae perfectionem; alio modo, per accidens, scilicet removendo impedimenta vitae, puta aegritudines, vel aliquid huiusmodi. Per se autem perficitur corporalis vita tripliciter. Primo quidem, per generationem, per quam homo incipit esse et vivere. Et loco huius in spirituali vita est *baptismus,* qui est spiritualis regeneratio: secundum illud *ad Tit.* III *: *Per lavacrum regenerationis,* etc. – Secundo, per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem et virtutem. Et loco huius in spirituali vita est *confirmatio,* in qua datur Spiritus Sanctus ad robur.

* Vers. 5.

α) *hierarchicae.* – P; *hierarchiae.* Ante *purgatio* tertia addit *scilicet.*
β) *debent.* – *haec debent* PFGI.
γ) *quaedam.* – *quasi quaedam* H et editiones.
δ) *sanctificationes.* – PI; *significationes.*
ε) *deberet.* – *deberet etiam* BCE, *etiam deberet* ed. *a.*
ζ) *ordinantur.* – Post *sacramenta* ponunt G*b*, post *Ecclesiae* PH*ac*, post *duo* I.
η) *similitudinem.* – *conformitatem* tertia praeter I.

(* Vers. 49.) Unde dicitur discipulis iam baptizatis, Luc. ult. *: *Sedete in civitate quousque induamini virtute ex alto.* – Tertio, per nutritionem, qua conservatur in homine vita et virtus. Et loco huius in spi- (* Vers. 54.) rituali vita est *Eucharistia.* Unde dicitur Ioan. vi *: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Et hoc quidem sufficeret homini si haberet et corporaliter et spiritualiter impassibilem vitam: sed quia homo incurrit interdum et corporalem infirmitatem et spiritualem, scilicet peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate [θ]. Quae quidem est duplex. Una quidem est sanatio, quae sanitatem restituit. Et loco huius in spirituali vita est *poenitentia:* se- (* Ps. xl, vers. 5.) cundum illud Psalmi *: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* – Alia autem est restitutio valetudinis pristinae per convenientem diaetam et exercitium. Et loco huius in spirituali vita est *extrema unctio,* quae removet peccatorum reliquias, et hominem paratum reddit ad finalem gloriam [ι]. (* Vers. 15.) Unde dicitur Iac. v *: *Et si in peccatis sit, dimittetur ei.*

Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter. Uno modo, per hoc quod accipit potestatem regendi multitudinem, et exercendi actus publicos. Et loco huius in spirituali vita est sacramentum *ordinis:* secundum (* Vers. 27.) illud *Heb.* vii *, quod sacerdotes hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro populo. – Secundo, quantum ad naturalem propagationem. Quod fit per *matrimonium,* tam in corporali quam in spirituali vita: eo quod est non solum sacramentum, sed naturae officium.

Ex his etiam patet sacramentorum numerus secundum quod ordinantur contra defectum peccati. Nam baptismus ordinatur contra carentiam vitae spiritualis; confirmatio contra infirmitatem animi quae [κ] in nuper natis invenitur; Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum; poenitentia contra actuale peccatum post baptismum commissum; extrema unctio contra reliquias peccatorum, quae scilicet non sunt sufficienter per poenitentiam sublatae, aut ex negligentia aut ex ignorantia; ordo contra dissolutionem multitudinis; matrimonium in remedium contra concupiscentiam personalem, et contra defectum multitudinis qui per mortem accidit.

(* Halens., *Sum. Theol.* part. IV, qu. viii, memb. 7, art. 2.) Quidam * vero accipiunt numerum sacramentorum per quandam adaptationem ad virtutes, et ad defectus culparum et poenalitatum: dicentes quod fidei respondet baptismus, et ordinatur contra culpam originalem; spei extrema unctio, et ordinatur contra culpam venialem; caritati Eucharistia, et ordinatur contra poenalitatem malitiae; prudentiae ordo, et ordinatur contra ignorantiam; iustitiae poenitentia, et ordinatur contra peccatum mortale; temperantiae matrimonium, et ordinatur contra concupiscentiam; fortitudini confirmatio, et ordinatur contra infirmitatem.

Ad primum ergo dicendum quod idem agens principale utitur diversis instrumentis ad diversos effectus, secundum congruentiam operum. Et similiter virtus divina et passio Christi operatur [λ] in nobis per diversa sacramenta quasi per diversa instrumenta.

Ad secundum dicendum quod culpa et poena diversitatem habent et secundum speciem, inquantum sunt diversae species culparum et poenarum; et secundum diversos hominum status et habitudines. Et secundum hoc oportuit multiplicari sacramenta, ut ex dictis * patet. (* In corpore.)

Ad tertium dicendum quod in actionibus hierarchicis considerantur et agentes, et recipientes, et actiones. Agentes autem sunt ministri Ecclesiae. Ad quos pertinet ordinis sacramentum. – Recipientes autem sunt illi qui ad sacramenta accedunt. Qui producuntur per matrimonium. – Actiones autem sunt *purgatio, illuminatio* et *perfectio.* Sed sola purgatio non potest esse sacramentum novae legis, quod gratiam confert: sed pertinet ad quaedam sacramentalia, quae sunt catechismus et exorcismus. Purgatio autem et illuminatio simul, secundum Dionysium *, per- (* Loc. cit. part. I, § 3.) tinet [μ] ad baptismum: et, propter recidivum, secundario pertinet ad poenitentiam et extremam unctionem. Perfectio autem, quantum ad virtutem quidem, quae est quasi perfectio formalis, pertinet ad confirmationem: quantum autem ad consecutionem finis, pertinet ad Eucharistiam.

Ad quartum dicendum quod in sacramento confirmationis datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur; in extrema autem unctione praeparatur homo ut recipiat immediate gloriam; quorum neutrum competit veteri testamento. Et ideo nihil potuit his sacramentis in veteri lege respondere. – Nihilominus tamen sacramenta veteris legis fuerunt plura numero, propter diversitatem sacrificiorum et caeremoniarum.

Ad quintum dicendum quod contra concupiscentiam venereorum oportuit specialiter remedium adhiberi per aliquod sacramentum: primo quidem, quia per huiusmodi concupiscentiam non solum vitiatur persona, sed etiam natura; secundo, propter vehementiam eius, qua [ν] rationem absorbet.

Ad sextum * dicendum quod aqua benedicta et aliae consecrationes non dicuntur sacramenta, quia non perducunt ad sacramenti effectum, qui est gratiae consecutio. Sed sunt dispositiones quaedam ad sacramenta: vel removendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias daemonum, et contra peccata venialia; vel idoneitatem quandam faciendo ad sacramenti perceptionem [ξ], sicut consecratur altare et vasa propter reverentiam Eucharistiae. (* Arg. 1 *Sed contr.*)

θ) *ab infirmitate.* – EsF et tertia; *ad infirmitatem.*

ι) *gloriam.* – *habendam* addunt BCEa. – Pro *dimittetur, dimittentur* PEFIa, *dimittuntur* GHbc.

κ) *quae.* – PFIc; *(animae) quae* ed. *a, qui* ceteri.

λ) *operatur.* – *operantur* G et editiones.

μ) *pertinet.* – *pertinent* Pa. Altero loco *pertinent* P.

ν) *qua.* – *quae* H et editiones.

ξ) *perceptionem.* – *perfectionem* Ea, *perfectionem et perceptionem* H et editiones.

* Arg. 2 *Sed contr.*

Ad septimum * dicendum quod oblationes et decimae erant, tam in lege naturae quam in lege Moysi, ordinatae non solum in subsidium ministrorum et pauperum, sed etiam in figuram: et ideo erant sacramenta. Nunc autem non remanserunt inquantum sunt figuralia: et ideo non sunt sacramenta.

* Arg. 3 *Sed contr.*

Ad octavum * dicendum quod ad deletionem venialis peccati non requiritur infusio gratiae. Unde, cum in quolibet sacramento novae legis gratia infundatur, nullum sacramentum novae legis instituitur directe contra veniale; quod tollitur per quaedam sacramentalia, puta per aquam benedictam, et alia huiusmodi. – Quidam * tamen dicunt extremam unctionem contra veniale peccatum ordinari. Sed de hoc suo loco dicetur *.

* Cf. corp. art., fin.
* Cf. *Supplem.*, qu. xxx, art. 1.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore una conclusio: *Convenienter ponuntur sacramenta Ecclesiae septem.* Manifestatur haec conclusio dupliciter: primo, secundum propriam doctrinam; secundo, iuxta aliorum traditionem.

Quoad primum, distinguit duos fines sacramentorum: unus est perfectio hominis in his quae Christiani sunt cultus; alter est remedium peccatorum. Et probat sic conclusionem. Sacramenta Ecclesiae ad utrumque dictum finem convenienter ponuntur in numero septenario. Ergo, etc. – Antecedens manifestatur, primo, respectu primi finis, discusso progressu, numerando septem perfectiones opportunas cultui Christiano, quae sunt vita, robur, conservatio, curatio, restitutio, potestas, et propagatio; et assignando singulorum rationem; ut in littera clare patet. – Deinde declaratur antecedens respectu secundi finis, assignando septem defectus: qui clare patent in littera.

Quoad secundum, clare apparet recitata positio, absque alia expositione.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM SACRAMENTA CONVENIENTER ORDINENTUR SECUNDUM MODUM PRAEDICTUM

IV *Sent.*, dist. II, qu. I, art. 3.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter sacramenta ordinentur secundum modum praedictum *. Ut enim Apostolus dicit, I *Cor.* xv *, *prius est quod est animale, deinde quod spirituale.* Sed per matrimonium generatur homo prima generatione, quae est animalis: per baptismum autem regeneratur homo secunda generatione, quae est spiritualis. Ergo matrimonium debet praecedere baptismum.

* Cf. art. praeced.
* Vers. 46.

2. Praeterea, per sacramentum ordinis aliquis accipit potestatem agendi actiones sacramentales. Sed agens est prior sua actione. Ergo ordo debet praecedere baptismum et alia sacramenta.

3. Praeterea, Eucharistia est spirituale nutrimentum: confirmatio autem comparatur augmento. Nutrimentum autem est causa augmenti: et per consequens prius [α]. Ergo Eucharistia est prior confirmatione.

4. Praeterea, poenitentia praeparat hominem ad Eucharistiam. Sed dispositio praecedit perfectionem. Ergo poenitentia debet praecedere Eucharistiam.

5. Praeterea, quod est propinquius fini ultimo, est posterius. Sed extrema unctio, inter omnia sacramenta, propinquior est ultimo fini beatitudinis. Ergo debet habere ultimum locum inter sacramenta.

In contrarium est quod communiter ordinantur ab omnibus sacramenta * sicut dictum [β] est.

* D. 574.

Respondeo dicendum quod ratio ordinis sacramentorum apparet ex his quae supra * dicta sunt. Nam sicut unum est prius quam multitudo, ita sacramenta quae ordinantur ad perfectionem unius personae, naturaliter praecedunt ea quae ordinantur ad perfectionem [γ] multitudinis. Et ideo ultimo inter sacramenta ponuntur ordo et matrimonium, quae ordinantur ad multitudinis perfectionem: matrimonium tamen post ordinem, eo quod minus participat de ratione spiritualis vitae, ad quam ordinantur sacramenta.

* Art. praeced.

Inter ea vero quae ordinantur ad perfectionem unius personae, naturaliter sunt priora illa quae per se ordinantur ad perfectionem spiritualis vitae, quam illa quae ordinantur per accidens, scilicet ad removendum nocivum accidens [δ] superveniens: cuiusmodi sunt poenitentia et extrema unctio. Posterior tamen est naturaliter extrema unctio, quae conservat sanationem quam poenitentia inchoat [ε].

Inter alia vero tria, manifestum [ζ] est quod baptismus, qui est spiritualis regeneratio, est primum [η]; et deinde confirmatio, quae ordinatur ad formalem perfectionem virtutis; et postmodum Eucharistia, quae ordinatur ad perfectionem [θ] finis.

Ad primum ergo dicendum quod matrimonium, secundum quod ordinatur ad animalem vitam, est naturae officium. Sed secundum quod habet aliquid spiritualitatis, est sacramentum. Et quia minimum habet de spiritualitate, ultimo ponitur inter sacramenta.

Ad secundum dicendum quod, ad hoc quod aliquid sit agens, praesupponitur quod sit in se perfectum. Et ideo priora sunt sacramenta qui-

α) *prius.* – Om. H, *primus b, prius eo* PIc.
β) *dictum.* – *prius dictum* Pc.
γ) *unius personae... perfectionem.* – FsE et tertia; om.
δ) *nocivum accidens.* – *accidens nocivum* PI; *scilicet... accidens* om. H.
ε) *inchoat.* – *quae inchoat* E et editiones.
ζ) *manifestum.* – PIb; *notandum.*
η) *primum.* – *primus* I, *p9* H, *prius* editiones.
θ) *perfectionem.* – *Alias, consecutionem* margo P.

bus aliquis in seipso perficitur, quam sacramentum ordinis, in quo [ι] aliquis constituitur perfector aliorum.

Ad tertium dicendum quod nutrimentum et praecedit augmentum, sicut causa eius; et subsequitur augmentum, sicut conservans hominem in perfecta quantitate et virtute. Et ideo potest Eucharistia praemitti confirmationi, ut Dionysius facit, in libro *Eccl. Hier.* *: et potest postponi, sicut Magister facit, in IV *Sententiarum* *.

* Cap. iii, iv.

* Dist. ii, cap. i; dist. viii, cap. i.

Ad quartum dicendum quod ratio illa recte procederet si poenitentia ex necessitate requireretur ut praeparatoria ad Eucharistiam. Sed hoc non est verum: nam si aliquis esset sine peccato mortali, non indigeret poenitentia ad sumptionem Eucharistiae. Et sic patet quod per accidens poenitentia praeparat ad Eucharistiam, scilicet, supposito peccato. Unde dicitur II *Paral.* ult. *: *Tu, Domine iustorum, non posuisti poenitentiam iustis.*

* In *Orat. Manassae.*

Ad quintum dicendum quod extrema unctio, propter rationem inductam, est ultimum inter sacramenta quae ordinantur ad perfectionem unius personae.

ι) *in quo.* – *in* pH, *cum* sH, *quo* cetera tertia. – *perfector* PsG et *a*; *perfc̄or* BEFpG, *perfectior* ACI, *perfectorum* D, *perfectio* Hbc.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo, intellige per ordinem *secundum modum praedictum* ordinem quo numerata sunt sacramenta in praecedenti articulo, videlicet: baptisma, confirmatio, Eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo, et matrimonium. Quaeritur enim an sic convenienter ordinentur.

In corpore prima conclusio est: *Inter sacramenta ultimo ponuntur ordo et matrimonium: matrimonium tamen post ordinem.* Probatur conclusio quoad primam partem. Quia, sicut unum est prius multitudine, ita sacramenta quae ordinantur ad perfectionem unius personae, sunt naturaliter priora his quae ordinantur ad perfectionem multitudinis. Sed reliqua sacramenta sunt unius personae: haec autem duo respiciunt multitudinem. Ergo. – Quoad secundam autem partem probatur: quia matrimonium minus participat de spirituali vita quam ordo.

Secunda conclusio est: *Poenitentia et extrema unctio posteriora sunt baptismo, confirmatione et Eucharistia: posterior tamen est extrema unctio poenitentia.* Probatur haec conclusio quoad primam partem. Quia priora sunt quae per se ordinantur ad spiritualem perfectionem unius, quam illa quae ordinantur per accidens. Sed, etc. – Quoad secundam autem partem: quia prior naturaliter est inchoatio sanationis, quae fit per poenitentiam, consummatione illius, quam facit extrema unctio.

Tertia conclusio est: *Inter tria prima sacramenta, baptismus primum, confirmatio secundum, Eucharistia tertium obtinet locum.* Probatur. Quia prius est spiritualis generatio; deinde formale robur; demum consecutio finis.

II. In responsione ad quartum, dubium occurrit, an iustus, idest sine peccato mortali existens, teneatur semel in anno confiteri. Et est ratio dubii, quia hinc apparet quod non: cum dicitur quod talis non indigeret poenitentia ad sacramentum Eucharistiae. – In oppositum autem est, quia praeceptum Ecclesiae * est ad *omnes utriusque sexus in annis discretionis constitutos.*

* Cap. *Omnis utriusque, de Poenit. et Remiss.*

Ad hoc est dicendum quod homo sine peccato mortali existens non tenetur ad confitendum semel in anno: quia non comprehenditur sub his quos praeceptum illud Ecclesiae adstringit. Quoniam praeceptum Ecclesiae de confessione semel in anno non est nisi determinatio praecepti divini de confessione: ita quod Deus praecepit confessionem, Ecclesia autem determinat praeceptum illud ad tale tempus, ad toties, etc., puta semel in anno, etc. Sed praeceptum divinum non obligat ad confessionem hominem sine mortali peccato. Ergo determinatio illius praecepti per Ecclesiam non obligat talem hominem.

Et stat vis rationis in hoc, quod nullus comprehenditur sub praecepto Ecclesiae qui non comprehenditur sub praecepto divino. Quod per se notum est esse verissimum: ex eo quod praeceptum Ecclesiae se habet ad divinum praeceptum ut contractio et limitatio quaedam. Quod autem divinum praeceptum de confessione obliget solos homines in peccato mortali, probatur et ex hac littera, fulta auctoritate sacrae Scripturae. Et ex calce praecedentis articuli, ubi dictum est nullum sacramentum directe ordinari contra peccatum veniale: et, quidquid sit de extrema unctione, constat hoc verum esse de sacramento poenitentiae. Et ex communi theologorum doctrina, inter conditiones confessionis ponente quod sit integra: quod non nisi de mortalibus intelligi potest.

Et confirmatur. Quia canon ipse expresse dicit quod quilibet confiteatur *peccata sua omnia:* quod est impossibile intelligi nisi de mortalibus. Ipsa ergo verba canonis testantur quod ad solos existentes in peccato mortali diriguntur.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SACRAMENTUM EUCHARISTIAE SIT POTISSIMUM INTER SACRAMENTA

IV *Sent.*, dist. vii, qu. i, art. 1, qu[a] 3; dist. viii, qu. 1, art. 1, qu[a] 1; *De Verit.*, qu. xxvii, art. 4.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod sacramentum Eucharistiae non sit potissimum inter sacramenta. Bonum enim commune potius est quam bonum unius, ut dicitur I *Ethic.* * Sed matrimonium ordinatur ad bonum commune speciei humanae per viam generationis: sacramentum autem Eucharistiae ordinatur ad bonum proprium sumentis. Ergo non est potissimum sacramentorum.

* Cap. ii, n. 8. - S. Th. lect. ii.

2. Praeterea, digniora sacramenta esse videntur quae per maiorem ministrum conferuntur. Sed sacramentum confirmationis et sacramentum ordinis non conferuntur nisi per episcopum, qui est maior minister quam simplex minister, qui est [α] sacerdos, per quem confertur Eucharistiae sacramentum. Ergo illa sacramenta sunt potiora.

3. Praeterea, sacramenta tanto sunt potiora

α) *minister, qui est.* – Om. PI.

quanto maiorem virtutem habent. Sed quaedam sacramenta imprimunt characterem, scilicet baptismus, confirmatio et ordo: quod non facit Eucharistia. Ergo illa sacramenta sunt potiora.

4. Praeterea, illud videtur esse potius ex quo alia dependent et non e converso. Sed ex baptismo dependet Eucharistia: non enim potest aliquis Eucharistiam accipere nisi fuerit baptizatus. Ergo baptismus est potior Eucharistia.

Sed contra est quod Dionysius dicit, iii cap. *Eccles. Hier.* * (* Part. I.), quod *non contingit aliquem perfici perfectione hierarchica nisi per divinissimam Eucharistiam.* Ergo hoc sacramentum potissimum et perfectivum β est omnium aliorum.

Respondeo dicendum quod, simpliciter loquendo, sacramentum Eucharistiae est potissimum inter alia sacramenta. Quod quidem tripliciter apparet. Primo quidem, ex eo quod in eo continetur γ ipse Christus substantialiter: in aliis autem sacramentis continetur quaedam virtus instrumentalis participata a Christo, ut ex supra * (* Qu. lxii, art. 4, ad 3; art. 5.) dictis patet. Semper autem quod est per essentiam, potius est eo quod est per participationem * (* Aristot. *Physic.* lib. VIII, cap. v, n. 7. - S. Th. lect. ix.).

Secundo hoc apparet ex ordine sacramentorum ad invicem: nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum sicut ad finem. Manifestum est enim quod sacramentum ordinis ordinatur ad Eucharistiae consecrationem. Sacramentum vero baptismi ordinatur ad Eucharistiae receptionem. In quo etiam perficitur aliquis per confirmationem, ut non δ vereatur se subtrahere a tali sacramento. Per poenitentiam etiam et extremam unctionem praeparatur homo ad digne sumendum corpus Christi. Matrimonium autem saltem sua significatione attingit hoc sacramentum, inquantum significat coniunctionem Christi et Ecclesiae, cuius unitas per sacramentum Eucharistiae figuratur: unde et Apostolus dicit, *Ephes.* v * (* Vers. 32.): *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia.*

Tertio hoc apparet ex ritu sacramentorum. Nam fere omnia sacramenta in Eucharistia consummantur, ut dicit Dionysius, iii cap. *Eccles. Hier.* * (* Part. I.): sicut patet quod ordinati communicant, et etiam baptizati si sint adulti.

Aliorum autem sacramentorum comparatio ad invicem potest esse multipliciter ε. Nam in via necessitatis, baptismus est potissimum sacramentorum; in via autem perfectionis, sacramentum ordinis; medio autem modo se habet sacramentum confirmationis. Sacramentum vero poenitentiae et extremae unctionis sunt inferioris gradus a praedictis sacramentis: quia, sicut dictum est * (* Art. 2.), ordinantur ad vitam Christianam non per se, sed quasi per accidens, scilicet in remedium supervenientis defectus. Inter quae ζ tamen extrema unctio comparatur ad poenitentiam sicut confirmatio ad baptismum: ita scilicet quod poenitentia est maioris necessitatis, sed extrema unctio est maioris perfectionis.

Ad primum ergo dicendum quod matrimonium ordinatur ad bonum commune corporaliter. Sed bonum commune spirituale totius Ecclesiae continetur substantialiter in ipso Eucharistiae sacramento.

Ad secundum dicendum quod per ordinem et confirmationem deputantur fideles Christi ad aliqua specialia officia: quod pertinet η ad officium principis. Et ideo tradere huiusmodi sacramenta pertinet ad solum episcopum, qui est quasi princeps in Ecclesia. Per sacramentum vero Eucharistiae non deputatur homo ad aliquod officium: sed magis hoc sacramentum est finis omnium offciorum, ut dictum est * (* In corpore.).

Ad tertium dicendum quod character sacramentalis, sicut supra * (* Qu. lxiii, art. 3.) dictum est, quaedam participatio est sacerdotii Christi. Unde sacramentum quod ipsum Christum coniungit homini, est dignius sacramento quod imprimit Christi characterem.

Ad quartum dicendum quod ratio illa procedit ex parte necessitatis. Sic enim baptismus, cum sit maximae necessitatis, est potissimum sacramentorum. Sicut ordo et confirmatio habent quandam excellentiam ratione ministerii; et matrimonium ratione significationis. Nihil enim prohibet aliquid esse secundum quid dignius, quod tamen non est dignius simpliciter.

β) *et perfectivum.* – *et perfectissimum* BDFGH*abc*, *et perfcm̄* E, om. P. – *aliorum* om. G.
γ) *in eo continetur.* – *continetur in sacramentis: nam in sacramento Eucharistiae continetur* PIsG.
δ) *ut non.* – EI*a* et editiones; *et ne* sF, *et non* ceteri.
ε) *multipliciter.* – *multiplex* P*c*.
ζ) *Inter quae.* – *quae* P*a*.
η) *quod pertinet.* – *quae pertinet* FH, *quae pertinent* I et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore duo fiunt. Primo, respondetur quaesito una conclusione: *Sacramentum Eucharistiae est potissimum inter omnia sacramenta.* Probatur tripliciter, ut patet in littera.

Secundo, comparantur reliqua sacramenta inter se. Et multa dicuntur satis clare.

II. Dubium tamen unum restat in hac littera circa id quod dicitur, quod extrema unctio praeparat ad Eucharistiam. Oppositum enim apparet ex eo quod extrema unctio datur post viaticum.

Ad hoc dicitur quod Auctor loquitur de effectu extremae unctionis secundum se. Cum sit enim sanatio quaedam, secundum se ordinatur ad perfectam cum Christo coniunctionem animae, quae per Eucharistiam fit. Usus autem postponendi extremam unctionem aliunde sumitur: de quo infra.

III. In responsione ad secundum, dubium quoque occurrit, quomodo fideles per confirmationem deputentur ad speciale officium spectans ad officium principis * (* Cf. not. η.): cum dictum sit * (* Art. I.) confirmationem conferre robur, quod constat non esse officium spectans ad principem.

Ad hoc dicitur quod, quia confirmatio datur in robur confitendi fidem Christi crucifixi, qui est *gentibus stultitia et Iudaeis scandalum* * (* I *ad Cor.*, cap. I, vers. 23.), confirmatio est velut constitutio militis: nam militares actus *pugilum fidei* in robusta confessione consistunt. Unde, quia officium militare est officium spectans ad principem, eius est enim condere milites atque ipsos ducere; ideo in littera dicitur quod confirmatio est in officium spectans ad principem.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM OMNIA SACRAMENTA SINT DE NECESSITATE SALUTIS

IV *Sent.*, dist. VII, qu. I, art. 1, qu^a 2; dist. VIII, qu. I, art. 2, qu^a 1; dist. XXIII, qu. 1, art. 1, qu^a 3, ad 1; *De Eccles. Sacram.*

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod omnia sacramenta sunt de necessitate salutis. Id enim quod non est necessarium, videtur esse superfluum. Sed nullum sacramentum est superfluum: quia *Deus nihil facit frustra* *. Ergo omnia sacramenta sunt de necessitate salutis.

(* Aristot. *de Caelo et Mundo*, lib. I, cap. IV, n. 8. - S. Th. lect. VIII.)

2. PRAETEREA, sicut de baptismo dicitur *, *Nisi quis renatus* [α] *fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei,* ita de Eucharistia dicitur, Ioan. VI *: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo, sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita et Eucharistia.

(* Ioan. cap. III, vers. 5. — α — * Vers. 54.)

3. PRAETEREA, sine sacramento baptismi potest aliquis salvus fieri, dummodo non contemptus religionis, sed necessitas sacramentum excludat, ut infra * dicetur. Sed in quolibet sacramento contemptus religionis impedit hominis salutem. Ergo, pari ratione, omnia sacramenta sunt de necessitate salutis.

(* Qu. LXVIII, art. 2.)

SED CONTRA EST quod pueri salvantur per solum baptismum, sine aliis sacramentis *.

(* Cf. qu. LXVIII, art. 2, ad 2; art. 3, 9. - D. 269.)

RESPONDEO DICENDUM quod necessarium respectu finis, de quo nunc loquimur, dicitur aliquid dupliciter. Uno modo, sine quo non potest esse [β] finis: sicut cibus est necessarius vitae humanae. Et hoc est simpliciter necessarium ad finem. – Alio modo dicitur esse necessarium id sine quo non habetur finis ita convenienter: sicut equus necessarius est ad iter. Hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem.

Primo igitur modo necessitatis sunt tria sacramenta necessaria. Duo quidem personae singulari: baptismus quidem simpliciter et absolute; poenitentia autem, supposito peccato mortali post baptismum. Sacramentum autem ordinis est necessarium Ecclesiae: quia, *ubi non est gubernator, populus corruet,* ut dicitur *Proverb.* XI *.

(* Vers. 14.)

Sed secundo modo sunt necessaria alia sacramenta. Nam confirmatio perficit baptismum quodammodo; extrema unctio poenitentiam; matrimonium vero Ecclesiae multitudinem per propagationem conservat.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ad hoc quod aliquid non sit superfluum, sufficit necessarium [γ] primo vel secundo modo. Et sic sunt necessaria sacramenta [δ], ut dictum est *.

(* In corpore.)

AD SECUNDUM DICENDUM quod illud verbum Domini est intelligendum de spirituali manducatione, et non de sola sacramentali: ut Augustinus exponit, *super Ioannem* *.

(* Tract. XXVI, XXVII.)

AD TERTIUM DICENDUM quod, licet omnium sacramentorum contemptus sit saluti contrarius, non tamen est contemptus sacramenti ex hoc quod aliquis non curat accipere sacramentum quod non est de necessitate salutis. Alioquin qui [ε] non accipiunt ordinem, et qui non contrahunt matrimonium, contemnerent huiusmodi sacramenta.

α) *renatus.* – EF*a* et tertia; *regeneratus.*
β) *esse.* – *haberi* P.
γ) *necessarium.* – *quod sit necessarium* P.
δ) *sacramenta.* – *omnia sacramenta* PIsG et *c.*
ε) *qui.* – *omnes qui* E et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore ponitur una distinctio bimembris de necessario ad finem, cum singulis conclusionibus. Distinctio est. Necessarium ad finem est vel simpliciter; vel ut commodius.

Prima conclusio est: *Primo modo necessitatis, tria sacramenta sunt necessaria ad salutem: scilicet baptismus absolute, poenitentia supposito peccato mortali post baptismum, et ordo respectu Ecclesiae.*

Secunda conclusio est: *Reliqua sacramenta sunt necessaria secundo modo.*

II. Adverte hic quod, cum ordo ponitur necessarius simpliciter ad salutem Ecclesiae, est sermo de Ecclesia simpliciter et absolute: et non de parte aliqua Ecclesiae, quae ecclesiae nomen et rationem non nisi defective haberet; puta de collegio monialium, aut monachorum seu eremitarum sine clericis. Haec enim sui defectum manifestant eo ipso quod sine sacramentorum ministro sunt.

QUAESTIO SEXAGESIMASEXTA

DE SACRAMENTO BAPTISMI

IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LX, Introd.
* Qu. LXXII.
* Qu. LXXIII.
** Qu. LXXXIV.
* Supplem. qu. XXIX.
** Ibid. qu. XXXIV.
* Ibid. qu. XLI.

DEINDE considerandum est de singulis sacramentis in speciali *. Et primo, de baptismo; secundo, de confirmatione *; tertio, de Eucharistia *; quarto, de poenitentia **; quinto, de extrema unctione *; sexto, de ordine **; septimo, de matrimonio *.

α
* Qu. LXX.

Circa primum occurrit duplex consideratio: prima, de ipso baptismo; secunda, de praeparatoriis baptismi [α] *.

* Qu. LXVII.
* Qu. LXVIII.
** Qu. LXIX.

Circa primum quatuor consideranda occurrunt: primo, de his quae pertinent ad sacramentum baptismi; secundo, de ministro huius sacramenti *; tertio, de recipientibus hoc sacramentum *; quarto, de effectu huius sacramenti **. Circa primum quaeruntur duodecim.

β

Primo: quid sit baptismus, utrum [β] sit ablutio.
Secundo: de institutione huius sacramenti.
Tertio: utrum aqua sit propria materia huius sacramenti.
Quarto: utrum requiratur aqua simplex.
Quinto: utrum haec sit conveniens forma huius sacramenti: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*
Sexto: utrum sub hac forma possit aliquis baptizari: *Ego te baptizo in nomine Christi.*
Septimo: utrum immersio sit de necessitate baptismi.
Octavo: utrum requiratur trina immersio.
Nono: utrum baptismus possit iterari.
Decimo: de ritu baptismi.
Undecimo: de distinctione baptismatum.
Duodecimo: de comparatione baptismatum.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM BAPTISMUS SIT IPSA ABLUTIO

IV *Sent.*, dist. III, art. 1; Expos. litt.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod baptismus non sit ipsa ablutio. Ablutio enim corporalis transit. Baptismus autem permanet. Ergo baptismus non est ipsa ablutio: sed potius *regeneratio et sigillum et custodia et illuminatio,* ut Damascenus dicit, in IV libro *.

* *De Fide Orth.* lib. IV, cap. IX.
* *De Sacram.* lib. II, part. VI, cap. 2.

2. PRAETEREA, Hugo de sancto Victore dicit * quod *baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei.* Aqua autem non est ipsa ablutio, sed ablutio est quidam usus aquae [γ].

γ
δ
* Tract. LXXX, n. 3.
ε

3. PRAETEREA, Augustinus dicit [δ], *super Ioan.* *: *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum.* Elementum autem est ipsa aqua [ε]. Ergo baptismus est ipsa aqua, non autem ablutio.

* Vers. 30.
ζ

SED CONTRA EST quod dicitur *Eccli.* XXXIV *: *Qui baptizatur a mortuo et iterum tangit mortuum, quid proficit lotio [ζ] eius?* Videtur ergo quod baptismus sit ipsa ablutio, sive lotio.

η
θ

RESPONDEO DICENDUM quod in sacramento baptismi est tria considerare: aliquid scilicet quod est *sacramentum tantum;* aliquid autem quod est *res et sacramentum;* aliquid autem [η] quod est *res tantum.* Sacramentum autem [θ] tantum est aliquid visibile exterius existens, quod scilicet est signum interioris effectus: hoc enim pertinet ad rationem sacramenti. Exterius autem suppositum sensui est et ipsa aqua, et usus eius, qui est ablutio. Quidam ergo existimaverunt quod ipsa aqua sit sacramentum. Quod quidem sonare videntur verba Hugonis *de Sancto Victore.* Nam ipse in communi definitione sacramenti * dicit quod est *materiale elementum:* et in definitione baptismi * dicit quod est *aqua.*

* *De Sacram.* lib. I, part. IX, cap. 2.
* Loc. cit. in arg. 2.
ι

Sed hoc non est [ι] verum. Cum enim sacramenta novae legis sanctificationem quandam operentur, ibi perficitur sacramentum ubi perficitur sanctificatio. In aqua autem non perficitur sanctificatio: sed est ibi quaedam sanctificationis virtus instrumentalis, non permanens, sed fluens in hominem, qui est verae sanctificationis subiectum. Et ideo sacramentum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquae ad hominem, quae est ablutio. Et ideo Magister, in III dist. IV *Sent.* *, dicit quod *baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma praescripta verborum.*

* Cap. *Post haec.*

Res autem et sacramentum est character baptismalis: qui est res significata per exteriorem ablutionem, et est signum sacramentale interioris iustificationis. Quae est res tantum huius sacramenti: scilicet, significata et non significans.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod id quod est sa-

α) *baptismi.* – *ad baptismum* Pa.
β) *utrum.* – *scilicet* addunt PI. Pro *ablutio, absolutio bc.*
γ) *aquae.* – *ergo etc.* addit P.
δ) *dicit.* – Tertia; post *Ioan.* ponit *a*, om. ceteri.
ε) *aqua.* – *in sacramento baptismi* addunt PI.
ζ) *lotio.* – *lavatio* tertia praeter sH, *locutio* DpF. – Pro *sive lotio, sive lavatio* PGI, *sive locutio* pE, om. D*bc*. pH om. *baptismus... lotio.*
η) *aliquid autem.* – *aliquid* BCE, *et aliud* F, *aliquid vero* tertia praeter I.
θ) *autem.* – Om. D et editiones.
ι) *est.* – *videtur esse* PI.

cramentum ϰ et res, scilicet character, et id quod est res tantum, scilicet interior iustificatio, permanent: sed character permanet indelebiliter, ut supra * dictum est; iustificatio autem permanet, sed amissibiliter. Damascenus ergo baptismum definivit, non quantum ad id quod exterius agitur, quod est sacramentum tantum: sed quantum ad id quod est interius. Unde posuit duo pertinentia ad characterem, scilicet *sigillum* et *custodiam:* inquantum ipse character, qui sigillum dicitur, quantum est de se, custodit animam in bono. Duo etiam ponit pertinentia ad ultimam rem sacramenti: scilicet *regenerationem,* quae ad hoc pertinet quod per baptismum homo inchoat novam vitam iustitiae; et *illuminationem,* quae pertinet specialiter ad fidem, per quam homo spiritualem vitam accipit, secundum illud Habacuc II *: *Iustus autem ex fide vivit;* baptismus autem est quaedam fidei protestatio. Unde dicitur *fidei sacramentum* *.

* Qu. LXIII, art. 5.

* Vers. 4; *ad Rom.* cap. I, vers. 17; *ad Heb.* cap. x, vers. 38.

* Cf. Ambros. *de Spir. Sanct.* lib. I, cap. III. n. 42; Aug. Ep. XCVIII, al. XXIII, *ad Bonifac.*

Et similiter Dionysius baptismum definivit per ordinem ad alia λ sacramenta, dicens, II cap. *Eccles. Hier.*, quod est *quoddam principium sanctissimorum mandatorum sacrae actionis, ad eorum susceptivam opportunitatem formans nostros animales habitus.* Et iterum in ordine ad caelestem gloriam, quae est universalis μ finis sacramentorum, cum subdit: *ad supercaelestis quietis anagogen nostrum iter faciens.* Et iterum quantum ad principium spiritualis vitae, per hoc quod subdit: *sacrae et divinissimae nostrae regenerationis traditio.*

Ad secundum dicendum quod, sicut dictum est *, opinionem Hugonis de Sancto Victore in hac parte sequi non oportet. – Potest tamen verificari ut baptismus dicatur aqua esse, quia aqua est materiale baptismi principium. Et sic erit praedicatio per causam.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod, accedente verbo ad elementum fit sacramentum, non quidem in ipso elemento, sed in homine, cui adhibetur elementum per usum ablutionis. Et hoc etiam significat ipsum verbum quod accedit ad elementum, cum dicitur: *Ego te baptizo,* etc.

ϰ) *sacramentum. – tantum in baptismo, transit; permanet autem et id quod est sacramentum* addunt Pl, omittentes *pertinent* post *iustificatio.*

λ) *alia.* – Tertia; *illa.*

μ) *universalis. – ultimus* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat sumendus est. – In corpore duo sunt: primo, distinguuntur tria considerabilia in baptismo; deinde singula singillatim manifestantur, aperiendo eorum quodlibet. – Et primum quidem clare patet in littera.

De secundo autem, duo ultima, scilicet *res et sacramentum* et *res tantum,* in calce corporis articuli patent.

Primum vero, scilicet *sacramentum tantum,* habet aliquid manifestum, scilicet quod est exterius quoddam sensibile signum interioris effectus. Quod etiam probatur, quia haec est ratio sacramenti. – Habet autem aliquid ambiguum: an scilicet hoc exterius sensibile sit ipsa aqua, an ablutio. Et est ratio dubii, quia ambo haec sensibilia inveniuntur materialiter concurrere et necessario exigi ad baptismum: nam neque aqua sine ablutione, neque ablutio sine aqua ad baptismum sufficeret ex parte materiae. Et propterea refert Auctor, primo, opinionem quae videtur Hugonis, quod est aqua. Et reprehendit ipsam tali ratione. Ubi perficitur sanctificatio, ibi perficitur sacramentum. Sed in aqua non perficitur sanctificatio. Ergo in aqua non perficitur sacramentum. Maior probatur: quia sacramenta novae legis sanctificationem operantur. – Deinde approbat opinionem Magistri Sententiarum: scilicet quod baptismus est ablutio. Quam sic probat. In aqua baptismali est quaedam sanctificationis virtus instrumentalis, non permanens, sed fluens in hominem, qui est verae sanctificationis subiectum. Ergo sacramentum perficitur in applicatione aquae ad hominem. Quae est ablutio.

II. Circa hanc partem dubium occurrit de vigore ac veritate huius processus seu rationis. Quia, si maior illa est vera, scilicet, *Ibi perficitur sacramentum ubi perficitur sanctificatio,* et propterea infertur, *In aqua non perficitur sacramentum quia in illa non perficitur sanctificatio* (non enim aqua per baptismum sanctificatur), eadem ratione potest inferri quod ablutio non est sacramentum, quia in ea non perficitur sanctificatio. Ablutio enim non sanctificatur per baptismum; sed homo qui abluitur.

Ad hoc dicitur quod maior quidem est vera: sed diversa ratio subsumptorum, scilicet aquae et ablutionis, facit ut recte inferatur aquam non esse sacramentum, et non teneat illatio de ablutione. Aqua enim et ablutio differunt in hoc, quod aqua est res permanens, ablutio vero est res successiva. Et quia *unumquodque est in aliquo secundum modum recipientis* *, ideo consequenter differunt in modo sanctificationis. Nam, si in aqua perficeretur sanctificatio, sequeretur quod aqua esset sancta: quia est in se quoddam permanens, ac per hoc pro seipsa sanctificaretur. Si vero ponitur quod in ablutione perficitur sanctificatio, non sequitur quod ipsa ablutio fiat ex huiusmodi sanctificatione sancta: quia ablutio non est sui ipsius, sed abluti; nec est in seipsa, sed in abluto. Ac per hoc, non ea ratione sanctificationem sortitur ut sui ipsius sit, sed ut abluti sit: hoc est, ut ablutus sanctificetur per ipsam deferentem sanctificationem in ablutum. Et, ut uno verbo dicatur, quia ablutio importat terminum qui abluitur, perfici sanctificationem in ablutione intelligitur secundum suum terminum, seu in incluso termino. Quod de aqua non potest intelligi: quia significat rem permanentem, et non rem transeuntem in alium, sicut est ablutio. Unde et in littera probatur ablutionem, et non aquam esse sacramentum, quia virtus instrumentalis ibi existens est quaedam sanctitas fluens in hominem qui baptizatur: fluens autem non est aqua, sed ablutio.

* Cf. lib. *de Causis*, prop. XII.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM BAPTISMUS FUERIT INSTITUTUS POST CHRISTI PASSIONEM

Infra, qu. LXXIII, art. 5, ad 4; IV *Sent.*, dist. III, art. 5, qu^a 2, 3.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod baptismus fuerit institutus post Christi passionem. Causa enim praecedit effectum. Sed passio Christi operatur in sacramentis novae legis. Ergo passio Christi praecedit institutionem sacramentorum novae legis. Et praecipue institutionem baptismi: cum Apostolus
* Vers. 3. dicat, *Rom.* VI *: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus,* etc.

2. PRAETEREA, sacramenta novae legis efficaciam habent ex mandato Christi. Sed Christus mandatum baptizandi dedit discipulis post passionem et resurrectionem suam, dicens: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris,* etc.,
* Vers. 19. ut habetur Matth. ult. *. Ergo videtur quod post passionem Christi baptismus fuerit institutus.

3. PRAETEREA, baptismus est sacramentum ne-
* Qu. LXV, art. 4. cessitatis, ut supra * dictum est: et ita videtur quod ex quo baptismus institutus fuit, homines obligarentur ad baptismum. Sed ante passionem Christi homines non obligabantur ad baptismum: quia adhuc circumcisio suam virtutem habebat, in cuius loco successit baptismus. Ergo videtur quod baptismus non fuerit institutus ante passionem Christi.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in quo-
* In App. Serm. CXXXV, al. *de Temp.* XXXVI. α dam Sermone *Epiphaniae* *: *Ex quo Christus in aquis immergitur* [α], *ex eo omnium peccata abluit aqua.* Sed hoc fuit ante Christi passionem. Ergo baptismus ante Christi passionem fuit institutus.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est
* Qu. LXII, art. 1. supra *, sacramenta ex sui institutione habent quod conferant gratiam. Unde tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit vir-
* D. 683. tutem producendi suum effectum *. Hanc autem virtutem accepit baptismus quando Christus est baptizatus. Unde tunc vere baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum sacramentum.

Sed necessitas utendi hoc sacramento indicta fuit hominibus post passionem et resurrectionem. Tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta, quibus succedit baptismus et alia sacramenta novae legis. – Tum etiam quia per baptismum configuratur homo passioni et resurrectioni Christi, inquantum moritur peccato et incipit novam iustitiae vitam. Et ideo oportuit Christum pati prius et resurgere quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti et resurrectioni eius.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod etiam ante passionem Christi baptismus habebat efficaciam a Christi passione, inquantum eam praefigurabat: aliter tamen quam sacramenta veteris legis. Nam illa erant figurae tantum: baptismus autem ab ipso Christo virtutem habebat iustificandi, per cuius virtutem etiam ipsa passio salutifera fuit.

AD SECUNDUM DICENDUM quod homines non debebant multiplicibus figuris arctari [β] per Chri- β
stum, qui venerat sua veritate figuras impletas auferre. Et ideo ante passionem suam baptismum institutum non posuit sub praecepto: sed voluit ad eius exercitium homines assuefieri; et praecipue in populo Iudaeorum, apud quem omnia facta figuralia erant, ut Augustinus dicit, *contra Faustum* *. Post passionem vero et resurrectio- * Lib. IV, cap. II.
nem, non solum Iudaeis, sed etiam gentilibus suo [γ] praecepto necessitatem baptismi imposuit, γ
dicens: *Euntes, docete omnes gentes.*

AD TERTIUM DICENDUM quod sacramenta non sunt obligatoria nisi quando sub praecepto ponuntur. Quod quidem non fuit ante passionem, ut dictum est *. Quod enim Dominus ante passionem Ni- * In corp. et ad 2.
codemo dixit, Ioan. III *, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei,* magis videtur ad futurum respicere quam ad praesens tempus. * Vers. 5.

α) *in aquis immergitur.* – *in aquas mergitur* I, *in aqua mergitur* cetera tertia, *in aquis mergitur* ed. *a.*

β) *arctari.* – *aggravari* I; *Al. aggravari* margo P. – *veritate* editiones; *necessitate* H, *virtute* ceteri.

γ) *suo.* – *sub* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. – In corpore ponitur una distinctio bimembris. Institutio baptismi potest intelligi quoad duo: vel quoad ipsum sacramentum; vel quoad obligationem accipiendi ipsum sacramentum.

Et ponuntur singulae conclusiones iuxta singula membra. Prima conclusio est: *Baptismus institutus est, quoad ipsum sacramentum, quando Christus est baptizatus.* Probatur. Quia tunc habuit vim regenerativam.

Secunda conclusio est: *Baptismus institutus fuit, quoad necessitatem utendi illo, post Christi passionem et resurrectionem.* Probatur dupliciter, ut clare patet in littera.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM AQUA SIT PROPRIA MATERIA BAPTISMI

Infra, qu. LXVII, art. 3; qu. LXXIV, art. 1; IV *Sent.*, dist. III, art. 3, qu^a 1; Expos. litt.; dist. V, qu. II, art. 1, qu^a 1, 3; dist. XVII, qu. III, art. 4, qu^a 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LIX; *Quodl.* I, qu. VI, art. 1; *In Ioan.*, cap. III, lect. 1.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod aqua non sit propria materia baptismi. Baptismus enim, secundum Dionysium * et Damascenum *, habet vim illuminativam. Sed illuminatio maxime competit igni. Ergo baptismus magis debet fieri in igne quam in aqua: praesertim cum Ioannes Baptista, praenuntians Christi baptismum, dicat *: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni* [α].

* *Eccl. Hier.* cap. V, part. I, § 3. - Cf. cap. II, part. III. * *De Fide Orth.* lib. IV, cap. IX. * Matth. cap. III, vers. 11.

2. PRAETEREA, in baptismo significatur ablutio peccatorum. Sed multa alia sunt ablutiva quam aqua: sicut vinum et oleum et alia huiusmodi. Ergo etiam in his potest fieri baptismus. Non ergo aqua est propria materia baptismi.

3. PRAETEREA, sacramenta Ecclesiae fluxerunt de latere Christi pendentis in cruce, ut supra * dictum est. Sed inde fluxit non solum aqua, sed etiam sanguis. Ergo videtur quod etiam in sanguine possit fieri baptismus. Quod [β] etiam magis videtur convenire cum effectu [γ] baptismi: quia dicitur *Apoc.* I *: *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.*

* Qu. LXII, art. 5, arg. *Sed cont.* * Vers. 5.

4. PRAETEREA, sicut Augustinus et Beda * dicunt, *Christus tactu suae mundissimae carnis vim regenerativam et purgativam contulit aquis.* Sed non omnis aqua continuatur cum aqua Iordanis, quam Christus tetigit sua carne. Ergo videtur quod non in omni aqua possit fieri baptismus. Et ita aqua, inquantum huiusmodi, non est propria materia baptismi.

* Mag. IV *Sent.*, dist. III, cap. *Si vero.* - Cf. Bed. *Expos. in Luc.* lib. I, ad cap. III, vers. 21.

5. PRAETEREA, si aqua secundum se esset propria baptismi materia, non oporteret aliquid aliud fieri circa aquam, ad hoc quod in ea baptismus fieret. Sed in solemni baptismo aqua in qua debet celebrari baptismus, exorcizatur et benedicitur. Ergo videtur quod aqua secundum se non sit propria materia baptismi.

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Ioan. III *: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

* Vers. 5.

RESPONDEO DICENDUM quod ex institutione divina aqua est propria materia baptismi. Et hoc convenienter. Primo quidem, quantum ad ipsam rationem baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam: quod maxime congruit aquae. Unde et semina, ex quibus generantur omnia viventia, scilicet plantae et animalia, humida sunt, et ad aquam pertinent. Propter quod quidam philosophi posuerunt aquam omnium rerum principium *.

* Thales. - Cf. Arist. *Metaphys.* lib. I, cap. III, n. 4, 5; s. Th. lect. IV.

Secundo, quantum ad effectus baptismi, quibus competunt aquae proprietates. Quae sua humiditate lavat: ex quo conveniens est ad significandum et causandum ablutionem peccatorum. Sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris: et ex hoc competit ad mitigandum concupiscentiam fomitis. Sua diaphanitate est luminis susceptiva: unde competit baptismo inquantum est *fidei sacramentum* *.

* Cf. art. 1, ad 1.

Tertio, quia convenit ad repraesentandum mysteria Christi, quibus iustificamur. Ut enim dicit Chrysostomus *, super illud *Ioan.* **, *Nisi quis renatus fuerit* etc.: *Sicut in quodam sepulcro, in aqua, submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur, et deinde novus rursus ascendit.*

* Homil. XXV, al. XXIV, *in Ioan.* ** Cap. III, vers. 5.

Quarto, quia ratione suae communitatis et abundantiae est conveniens materia necessitati huius sacramenti: potest enim ubique de facili haberi.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illuminatio pertinet ad ignem active. Ille autem qui baptizatur, non efficitur illuminans, sed illuminatus per fidem, quae est *ex auditu*, ut dicitur *Rom.* X *. Et ideo magis competit aqua baptismo quam ignis.

* Vers 17.

Quod autem dicitur, *Baptizabit vos in Spiritu Sancto et igni:* potest per ignem, ut Hieronymus dicit *, intelligi Spiritus Sanctus, qui super discipulos in igneis linguis apparuit, ut dicitur *Act.* II *. – Vel per ignem potest intelligi tribulatio, ut Chrysostomus dicit, *super Matth.* *: quia tribulatio peccata purgat, et concupiscentiam diminuit. – Vel quia, ut Hilarius dicit, *super Matth.* *, *baptizatis in Spiritu Sancto reliquum est consummari* [δ] *igne iudicii.*

* *Comment. in Matth.* lib. II. * Vers. 3. * *Op. Imperf. in Matth.* homil. III. - Inter Opp. Chrys. * Comment. cap. II, n. 4.

AD SECUNDUM DICENDUM quod vinum et oleum communiter non [ε] sumuntur ad usum ablutionis, sicut aqua. Nec etiam ita perfecte abluunt [ζ]: quia ex illorum ablutione remanet aliqua infectio quantum ad odorem, quod non contingit de aqua. Illa etiam non ita communiter et abundanter habentur sicut aqua.

AD TERTIUM DICENDUM quod ex latere Christi fluxit aqua ad abluendum, sanguis autem ad redimendum *. Et ideo sanguis competit sacramento Eucharistiae: aqua autem sacramento baptismi. Qui tamen habet vim ablutivam ex virtute sanguinis Christi.

* Cf. Ambros. *Expos. in Luc.* lib. X, n. 135.

AD QUARTUM DICENDUM quod virtus Christi derivata est ad omnem aquam, non propter continuitatem loci, sed propter similitudinem speciei: ut [η] dicit Augustinus, in quodam Sermone *Epi-*

α) *igni.* – PIsG; *in igne* DF, *igne* ceteri; in Solutione *igne* Dabc.
β) *Quod.* – *Qui* PFI.
γ) *effectu.* – *causa et effectu* tertia.
δ) *consummari.* – EF et tertia praeter H; *consumi.*
ε) *communiter non.* – *non communiter* PBI, *non* F. – Pro *sumuntur*, *assumitur* I, *assumuntur* P.
ζ) *abluunt.* – FIsG et editiones; *abluit.*
η) *ut.* – *unde* EG et editiones.

* In Append. Opp. Aug. Serm. CXXXV, al. *de Temp.* XXXVI.

phaniae *: *Quae de Salvatoris baptismate benedictio fluxit, tanquam fluvius spiritalis, omnium gurgitum tractus, universorum fontium venas implevit.*

Ad quintum dicendum quod illa benedictio quae adhibetur aquae, non est de necessitate baptismi, sed pertinet ad quandam solemnitatem, per quam excitatur devotio fidelium, et impeditur astutia daemonis, ne impediat baptismi effectum.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore una conclusio: *Aqua est propria materia baptismi.* Quae conclusio absolute probatur ex institutione divina. Quoad congruentiam vero, probatur in littera quadrupliciter. In qua omnia clara sunt.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM AD BAPTISMUM REQUIRATUR AQUA SIMPLEX

IV *Sent.*, dist. III, art. 3, qu^a 2, 3.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod ad baptismum non requiratur aqua simplex. Aqua enim quae apud nos est, non est aqua pura: quod praecipue apparet de aqua maris, in qua plurimum admiscetur de terrestri, ut patet per Philosophum, in libro *Meteorol.* * Et tamen in tali aqua potest fieri baptismus. Ergo non requiritur aqua simplex et pura ad baptismum.

* Lib. II, cap. III, n. 24 sqq.; s. Th. lect. VI. – Cf. *de Animal. Generat.* lib. III, cap. XI.

2. Praeterea, in solemni celebratione baptismi aquae infunditur chrisma. Sed hoc videtur impedire puritatem et simplicitatem aquae. Ergo aqua pura et simplex non requiritur ad baptismum.

3. Praeterea, aqua fluens de latere Christi pendentis in cruce fuit significativa [α] baptismi, ut dictum est *. Sed aqua illa non videtur fuisse aqua pura: eo quod in corpore mixto, cuiusmodi fuit corpus Christi, non sunt elementa in actu. Ergo videtur quod non requiratur aqua pura vel simplex ad baptismum.

* Art. 3, ad 3.

4. Praeterea, lixivium non videtur esse aqua pura: habet enim contrarias proprietates aquae, scilicet calefaciendi et desiccandi. Et tamen in lixivio videtur posse fieri baptismus: sicut et in aquis balneorum, quae transeunt per venas sulphureas, sicut et lixivium colatur per cineres. Ergo videtur quod aqua simplex non requiratur ad baptismum.

5. Praeterea, aqua rosacea generatur [β] per sublimationem a rosis: sicut etiam aquae alchimicae generantur per sublimationem ab aliquibus corporibus. Sed in his aquis, ut videtur, potest fieri baptismus: sicut et in aquis pluvialibus, quae per sublimationem vaporum generantur. Cum igitur huiusmodi aquae non sint purae et simplices, videtur quod aqua pura et simplex non requiratur ad baptismum.

Sed contra est quod propria materia baptismi est aqua, ut dictum est *. Sed speciem aquae non habet nisi aqua simplex. Ergo aqua pura et simplex ex necessitate requiritur ad baptismum.

* Art. 3.

Respondeo dicendum quod aqua suam puritatem et simplicitatem potest amittere dupliciter: uno modo, per mixtionem alterius corporis; alio modo, per alterationem. Utrumque autem horum contingit fieri dupliciter: scilicet per artem, et per naturam. Ars autem deficit ab operatione naturae: quia natura dat formam substantialem, quod ars facere non potest, sed omnes formae artificiales sunt accidentales; nisi forte apponendo proprium agens ad propriam materiam, sicut ignem combustibili *, per quem modum a quibusdam quaedam animalia per putrefactionem generantur.

* D. 240.

Quaecumque igitur transmutatio circa aquam facta est per artem, sive commiscendo sive alterando, non trasmutatur species aquae. Unde in tali aqua potest fieri baptismus: nisi forte aqua admisceatur per artem in tam parva quantitate alicui corpori quod compositum magis sit aliud quam aqua; sicut lutum magis est terra quam aqua, et vinum lymphatum magis est vinum quam aqua.

Sed transmutatio quae fit a natura, quandoque quidem speciem aquae solvit: et hoc fit quando aqua efficitur [γ] per naturam de substantia alicuius corporis mixti; sicut aqua conversa in liquorem uvae est vinum, unde non habet speciem aquae. Aliquando autem fit per naturam transmutatio aquae sine solutione speciei: et hoc tam per alterationem, sicut patet de aqua calefacta a sole; quam etiam per mixtionem, sicut patet de aqua fluminis turbida ex permixtione terrestrium partium. Sic igitur dicendum est quod in qualibet aqua, qualitercumque transmutata, dummodo non solvatur species aquae, potest fieri baptismus. Si autem solvatur species aquae, non potest fieri baptismus.

Ad primum ergo dicendum quod transmutatio facta in aqua maris, et in aliis aquis quae penes nos sunt [δ], non est tanta quae solvat speciem aquae. Et ideo in huiusmodi aquis potest fieri baptismus.

α) *significativa.* – *firmativa* F, *signum* editiones.

β) *generatur.* – Om. EH, *fit* editiones. – Pro *sublimationen, subtiliationem* tertia praeter I.

γ) *efficitur.* – Fa et tertia praeter H; *conficitur* D, *fit* H, *perficitur* ceteri.

δ) *penes nos sunt.* – FsG et editiones (cf. in argumento *quae apud nos est*); *sunt species aquae* ed. *a*, *species sunt* ceteri. – Pro *quae solvat, quod solvat* tertia et *a*.

Ad secundum dicendum quod admixtio chrismatis non solvit speciem aquae. Sicut nec etiam aqua decoctionis carnium, aut aliorum huiusmodi: nisi forte sit facta tanta resolutio corporum lixatorum in aqua quod liquor plus habeat de aliena substantia quam de aqua; quod [ε] ex spissitudine perspici potest. Si tamen ex liquore sic inspissato exprimatur aqua subtilis, potest in ea fieri baptismus: sicut et in aqua quae exprimitur ex luto, licet in luto baptismus fieri non possit.

Ad tertium dicendum quod aqua fluens de latere Christi pendentis in cruce non fuit humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt *. In tali enim humore non posset fieri baptismus: sicut nec in sanguine animalis, aut in vino, aut in quocumque liquore alicuius plantae. Fuit autem aqua pura * miraculose egrediens a corpore mortuo, sicut et sanguis, ad comprobandam veritatem Dominici corporis, contra Manichaeorum errorem: ut scilicet per aquam, quae est unum quatuor elementorum, ostenderetur corpus Christi vere fuisse compositum ex quatuor elementis; per sanguinem vero ostenderetur esse compositum ex quatuor humoribus.

*Cf. cap. *In quadam, de Celebr. Miss.*

* D. 235.

Ad quartum dicendum quod in lixivio, et in aquis sulphureorum balneorum, potest fieri baptismus: quia tales aquae non incorporantur per artem vel naturam aliquibus corporibus mixtis, sed solum alterationem quandam recipiunt ex hoc quod transeunt per aliqua corpora.

Ad quintum dicendum quod aqua rosacea est liquor rosae resolutus. Unde in ea non potest fieri baptismus. Et, eadem ratione, nec in aquis alchimicis: sicut in [ζ] vino. Nec est eadem ratio de aquis pluvialibus, quae generantur ex maiori parte ex subtiliatione [η] vaporum resolutorum ex aquis, minimum autem ibi est de liquoribus corporum mixtorum: qui tamen per huiusmodi sublimationem, virtute naturae, quae est fortior arte, resolvuntur in veram aquam, quod ars facere non potest. Unde aqua pluvialis nullam proprietatem retinet alicuius corporis mixti: quod de aquis rosaceis et de aquis alchimicis dici non potest.

ε) *quod.* – Tertia; *quae.*
ζ) *in.* – *nec in* PE.
η) *subtiliatione.* – *sublimatione* F et tertia praeter I.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo *simplex* sumitur ut distinguitur contra admixtum, compositum, et quomodolibet adiunctum.

In corpore tria fiunt. Primo, distinguuntur modi quibus aqua amittere potest simplicitatem; secundo, respondetur quaesito de aqua transmutata per artem; et tertio, respondetur quaesito de aqua transmutata per naturam. Et clare patent omnia in littera.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM HAEC SIT CONVENIENS FORMA BAPTISMI: *EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI*

Supra, qu. lx, art. 8; infra, qu. lxxxiv, art. 3; IV *Sent.*, dist. iii, art. 2, qu[a] 1, 2; I *ad Cor.*, cap. i, lect. ii.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod haec non sit conveniens forma baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Actus enim magis debet attribui principali agenti quam ministro. Sed in sacramento minister agit ut instrumentum, ut supra * dictum est: principale autem agens in baptismo est Christus, secundum illud Ioan. i *: *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, hic est qui baptizat.* Inconvenienter ergo minister dicit, *Ego te baptizo:* praesertim quia in hoc quod dicitur *baptizo,* intelligitur *ego,* et sic videtur superflue apponi.

* Qu. lxiv, art. i.

* Vers. 33.

2. Praeterea, non oportet quod ille qui aliquem actum exercet, de actu exercito faciat mentionem: sicut ille qui docet, non oportet quod dicat, *Ego vos doceo.* Dominus autem simul tradidit praeceptum baptizandi et docendi, dicens [α] *: *Euntes, docete omnes gentes,* etc. Ergo non oportet quod in forma baptismi fiat mentio de actu baptismi.

* Matth. cap. xxviii, vers. 19.

3. Praeterea, ille qui baptizatur, quandoque non intelligit verba: puta si sit surdus aut puer. Frustra autem ad talem sermo dirigitur: secundum illud *Eccli.* *: *Ubi non est auditus, non effundas sermonem.* Ergo inconvenienter dicitur, *Ego te baptizo,* sermone directo ad eum qui baptizatur.

* Cap. xxxii, vers. 6.

4. Praeterea, contingit simul plures baptizari a [β] pluribus: sicut Apostoli baptizaverunt una die tria millia, et alia die quinque millia, ut dicitur *Act.* ii * et iv **. Non ergo debet forma baptismi determinari in singulari numero, ut dicatur, *Ego te baptizo:* sed potest dici, *Nos vos baptizamus.*

* Vers. 41.
** Vers. 4.

5. Praeterea, baptismus virtutem habet a passione Christi. Sed per formam baptismus sanctificatur. Ergo videtur quod in forma baptismi debeat fieri mentio de passione Christi.

6. Praeterea, nomen designat proprietatem rei *. Sed tres sunt proprietates personales divinarum personarum, ut in Prima Parte * dictum est. Non ergo debet dici, *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* sed, *in nominibus.*

*Cf. Aristot. *Metaphys.* lib. III, cap. vii, n. 9; s. Th. lib. IV, lect. xvi. – Vide supra, qu. xxxvii, art. 2.
* Qu. xxxii, art. 3.

7. Praeterea, persona Patris non solum significatur nomine Patris, sed etiam nomine *Innascibilis* et *Genitoris;* Filius etiam significatur

α) *dicens.* – Addunt *Matth. ult.* PIsG, *Marci ult. bc.*
β) *a.* – *et a* PI.

nomine *Verbi* et *Imaginis* et *Geniti;* Spiritus etiam Sanctus potest significari nomine *Doni* et *Amoris,* et nomine [γ] *Procedentis.* Ergo videtur quod etiam his nominibus utendo perficitur baptismus.

Sed contra est quod Dominus dicit, Matth. ult. *: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

* Vers. 19.

Respondeo dicendum quod baptismus per suam formam consecratur: secundum illud *Ephes.* v *: *Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae;* et Augustinus dicit, in libro *de Unico Baptismo* *, quod *baptismus verbis evangelicis consecratur.* Et ideo oportet quod in forma baptismi exprimatur causa baptismi. Est autem eius duplex causa: una quidem principalis, a qua virtutem habet, quae est sancta Trinitas; alia autem est instrumentalis, scilicet minister, qui tradit exterius sacramentum. Et ideo debet in forma baptismi de utraque fieri mentio [δ]. Minister autem tangitur cum dicitur, *Ego te baptizo:* causa autem principalis, cum dicitur [ε], *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Unde haec est conveniens forma baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

* Vers. 26.

* Al. *de Baptism. cont. Donatist.,* lib. IV, cap. xv. - Cf. lib. VI, cap. xxv.

Ad primum ergo dicendum quod actio attribuitur instrumento sicut immediate agenti: attribuitur autem [ζ] principali agenti sicut in cuius virtute instrumentum agit. Et ideo in forma baptismi convenienter significatur minister ut exercens actum baptismi, per hoc quod dicitur, *Ego te baptizo:* et [η] ipse Dominus baptizandi actum attribuit ministris, dicens *, *Baptizantes eos,* etc. Causa autem principalis significatur ut in cuius virtute sacramentum agitur, per hoc quod dicitur, *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti:* non enim Christus baptizat sine Patre et Spiritu Sancto.

* Vid. arg. *Sed cont.*

Graeci autem non attribuunt actum baptismi ministris, ad evitandum antiquorum errorem, qui virtutem baptismi baptistis [θ] attribuebant, dicentes, *Ego sum Pauli, et ego Cephae* *. Et ideo dicunt: *Baptizetur* [ι] *servus Christi talis in nomine Patris,* etc. * Et quia exprimitur actus exercitus per ministrum cum invocatione Trinitatis, verum perficitur sacramentum.

* I *ad Cor.,* cap. I, vers. 12.

* Cf. qu. lx, art. 8, arg. *Sed cont.*

Quod autem additur *Ego* in forma nostra, non est de substantia formae, sed ponitur ad maiorem expressionem intentionis.

Ad secundum dicendum quod, quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet quod determinetur in verbis formae ad quid fiat. Quod quidem non fit per hoc quod dicitur, *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti:* quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur *Coloss.* iii *. Et ideo, si non exprimatur actus baptismi, vel per modum nostrum vel per modum Graecorum, non perficitur sacramentum: secundum illam decretalem Alexandri III *: *Si quis puerum ter in aquam merserit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen, et non dixerit, Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen, non est puer baptizatus.*

* Vers. 17.

* Cap. *Si quis, de Baptism. et eius effect.*

Ad tertium dicendum quod verba quae proferuntur in formis sacramentorum, non pronuntiantur solum causa significandi, sed etiam causa efficiendi, inquantum habent efficaciam ab illo Verbo *per quod facta sunt omnia* *. Et ideo convenienter diriguntur non solum ad homines [κ], sed etiam ad creaturas insensibiles: ut cum dicitur, *Exorcizo te, creatura salis* *.

* Ioan. cap. I, vers. 3.

* Vide Missal. Rom. in Bened. Aquae.

Ad quartum dicendum quod plures simul non possunt unum baptizare: quia actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab unoquoque agatur. Et sic, si convenirent duo quorum unus esset mutus, qui non posset proferre verba, et alius carens manibus, qui non posset exercere actum, non possent ambo simul baptizare, uno dicente verba et alio exercente actum.

Possunt autem, si necessitas exigit, plures simul baptizari: quia nullus eorum recipiet [λ] nisi unum baptismum. Sed tunc oportebit dicere, *Ego baptizo vos.* Nec erit mutatio formae: quia *vos* nihil aliud est quam *te et te.* – Quod autem dicitur *nos,* non est idem [μ] quod *ego et ego,* sed, *ego et tu* *: et sic iam mutaretur forma.

* Priscian. *de Octo Partib. Orat.* lib. XII, cap. *De Personis.* - Cf. Halens. *Summ. Theol.* part. IV, qu. viii, memb. vi, art. 7.

Similiter autem mutaretur forma [ν] si diceretur, *Ego baptizo me.* Et ideo nullus potest baptizare seipsum. Propter quod etiam Christus a Ioanne voluit baptizari: ut dicitur Extra, *de Baptismo et eius effectu,* cap. *Debitum.*

Ad quintum dicendum quod passio Christi, etsi sit principalis causa respectu ministri, est tamen causa instrumentalis respectu sanctae Trinitatis. Et ideo potius commemoratur Trinitas quam passio Christi.

Ad sextum dicendum quod, etsi sint tria nomina personalia trium Personarum, est tamen unum nomen essentiale. Virtus autem divina, quae operatur in baptismo, ad essentiam pertinet. Et ideo dicitur *in nomine,* et non *in nominibus.*

Ad septimum dicendum quod, sicut aqua sumitur ad baptismum quia eius usus est communior ad abluendum, ita ad significandum tres Personas in forma baptismi assumuntur illa nomina quibus communius consueverunt nominari Personae in illa lingua. Nec in aliis nominibus perficitur sacramentum.

γ) *Amoris, et nomine.* – Ea; *Amoris nomine* ABCDH, *nomine Amoris* I, *Amoris* FsG et editiones; *Doni... nomine* om. pG.

δ) *debet... mentio.* – *oportet... mentionem* Fa et tertia; *oportet... mentio* ceteri.

ε) *cum dicitur.* – F et tertia praeter pG; om. – *Unde haec... Spiritus Sancti* om. E.

ζ) *autem.* – *et bc, autem huiusmodi actio* P.

η) *et.* – *sicut et* ElsG et editiones.

θ) *baptistis.* – *baptizatis* HpB vel *baptismatis* H, *baptizantis* F, om. G, *baptizanti* ed. *a*, *baptizantibus* editiones.

ι) *Baptizetur.* – *Baptizatur* DFHsG et *bc*, *Baptitur* (idest *Baptizatur*) I; cf. qq. lx. art. 8. δ, et lxviii. art. 6. δ.

κ) *homines.* – Addunt *non intelligentes* PElsG, *intelligentes bc.*

λ) *recipiet.* – *recipiat* H, *recipit bc, reciperet* P.

μ) *idem.* – *dicere* addit P.

ν) *Similiter autem mutaretur forma.* – Om. ABCH*b*, *ut* D, *sicut* ed. *a*, *Similiter autem* (*etiam* I) *mutaretur* PEFI*c*, *Similiter* (*etiam* addit sG) *immutaretur* G. – *si diceretur* om. FpG.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Haec est conveniens forma baptismi: Ego te baptizo, etc.* Probatur. Baptismus per suam formam consecratur. Ergo oportet quod in forma baptismi exprimatur illius causa. Ergo oportet in forma baptismi de duplici, scilicet principali et instrumentali causa, fieri mentionem. Ergo haec est conveniens forma: *Ego te baptizo, etc.*

Antecedens probatur auctoritatibus Apostoli et Augustini, praesupponendo supra * dicta, scilicet quod verba sint formae sacramentorum. – Prima consequentia non aliter probatur in littera: ea forte ratione, quia consecratio per formam, hoc est verba, manifeste dependet a causa efficaciam sanctificativam dante verbis. – Secunda vero consequentia probatur. Quia baptismus duplicem habet causam. Et nota quod haec consequentia, cum sua probatione, quoad causam instrumentalem non nisi de congruo tenet: quoniam efficacia verborum non est a ministro, sed a sancta Trinitate, quae est causa principalis. Unde et Graeci in forma baptismi non exprimunt causam instrumentalem, hoc est ministrum.

* Qu. lx, art. 6, ad 2.

II. In responsione ad quartum, tractanda esset quaestio de pluralitate baptizantium, nisi ad sextum articulum sequentis quaestionis reservaretur, ubi ex proposito Auctor articulum hunc movebit. Hic enim incidenter tractatur, propter illa verba formae, *Ego te.*

III. In responsione ad septimum, dubium magnum occurrit circa ultima verba, *Nec in aliis nominibus perficitur sacramentum,* an vera sint ut sonant *. Et est ratio dubii, quoniam superius, in articulo septimo quaestionis sexagesimae, diximus oppositum; et Auctormet dixit * quod, *licet verba corrupte prolata nihil significent ex virtute impositionis, accipiuntur tamen* [*ut*] *significantia ex accommodatione usus,* et ideo non tollitur veritas sacramenti.

* Cf. num. viii.
* In resp. ad 3.

Ad hoc dicitur quod, licet haec verba Auctoris sonent non esse verum baptisma si dicatur, *Ego te baptizo in nomine Genitoris et Geniti et Procedentis ab utroque,* et hoc idem sentiant Scotus et Durandus, in iii dist. IV *Sent.**: quia tamen hoc ex sacrae Scripturae auctoritate dependet, et durum videtur, ideo rationes eorum discutiendae sunt.

* Scot. qu. ii; Durand. qu. ii, n. 5.

Maxima igitur ratio eorum est, quia Christus sic instituit, Matth. ult. *: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Ex hoc enim infertur uti in qualibet lingua nominibus significantibus *Patrem, Filium* et *Spiritum Sanctum.* Et notanter dicitur, *significantibus:* et non, *connotantibus,* aut, *implicite insinuantibus.* Et ratio specialis horum nominum assignatur, quia significant ipsas Personas divinas: alia vero nomina significant proprietates aut actus aliquos earum. – Reliqua vero omnia, quia ut probabilia videntur afferre, omittimus, ubi necessaria perscrutamur.

* Vers. 19.

IV. Ad evidentiam difficultatis huius, sciendum est quod propositio illa maxima, *Mutatio nominum quoad significatum tollit veritatem sacramenti,* potest, quantum ad propositum spectat, intelligi dupliciter: vel quoad significatum ex vi nominis; vel quoad significatum ex accommodatione usus. Et si primo modo fiat mutatio, potest fieri vel quoad significatum formale; vel quoad significatum materiale; vel quoad utrumque. Verbi gratia, *pater* puram paternitatem significat formaliter, ut docet Aristoteles *; materialiter vero significat subiectum habens paternitatem (quod tamen secundum Avicennam * principaliter dicitur significari *patris* nomine); et, comprehendendo utrumque, *pater* significat *habentem paternitatem.* Unde, si loco *patris* ponatur *genitor,* erit mutatio quoad formale significatum, quia *genitor* significat actum generandi, *pater* autem relationem: sed non erit mutatio quoad significatum materiale, quia unus atque idem est generans et pater. Si vero loco *patris* poneretur *paternitas,* non mutaretur significatum formale, sed abstraheretur a materiali. Si autem loco *patris* poneretur *mater,* esset mutatio quoad utrumque significatum.

* *Metaphys.* lib. IV, cap. vii, n. 4; s. Th. lib. V, lect. ix. – Cf. Averr. V *Metaphys.*, text. xiv.
* Cf. Averr. loc. cit. (cont. Avicenn.).

Dicitur itaque, secundum dictorum opinionem doctorum, quod mutatio nominum quoad significatum ex vi nominis, sive formale tantum, sive materiale tantum, sive utrumque, tollit veritatem baptismi.

V. Ego autem, considerans priscorum Patrum dicta, ab his dissentio, motus ea ratione, quod identitas nominum quoad significatum secundo modo accipienda est in proposito: ut scilicet tunc solum sit variatio nominum quoad significatum, quando variatur significatum ad quod ex accommodatione usus in forma sacramenti applicantur. Exempli causa: cum dicitur in forma baptismi, « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti », *Pater* ex accommodatione usus applicatur ad significandum primam Personam Trinitatis, et similiter *Filius* ad significandum Personam quae secunda est in Trinitate, et simile est de nomine *Spiritus Sancti.* Nam, ex vi nominum, nec omnia simul significant illas tres Personas divinas, nec aliquod eorum significat aliquam Personam divinam: quodlibet enim eorum, ex vi nominis, commune est multis, ut de se patet. Ex hoc itaque et in hoc pendet tota quaestio: penes quid attendatur unitas vel diversitas significati per nomen sacramentale. Attendentes enim ad communem rationem eiusdem vel diversae significationis nominum, oportet consequenter dicere diversum esse significatum quando formale seu principale significatum ex vi nominis est diversum. Perspicientes vero ad specialem usum nominum sacramentalium, consequenter dicimus tunc solum variari significatum, quando non significatur illud ad quod ex accommodatione usus significandum applicatum est. Et propterea, si loco *Patris* ponatur *Genitor,* et loco *Filii* ponatur *Genitus,* quia eaedem Personae significantur, non variatur significatio: quantumcumque sub alia et alia ratione significentur Personae per haec et illa nomina.

VI. Probatur autem sic debere accipi in proposito idem vel diversum significatum, primo, auctoritate Sedis Apostolicae, *de Consecr.*, dist. iv, cap. *A quodam,* ubi Nicolaus Papa *, reddens rationem quare baptismus praeceptus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, valet in nomine Christi, dicit, quia unum et idem est procul dubio significatum. Ex quo loco manifeste patet identitatem significati per formam baptismi non attendi secundum communem nominum significationem, sed secundum id ad quod significandum accommodata sunt nomina. Ad hoc enim aspiciendo, idem significatur per *Christum* implicite, quod per *Patrem et Filium et Spiritum Sanctum* explicite.

* Primus.

Secundo, auctoritate Ambrosii, in I lib. *de Spiritu Sancto,* cap. iii, ubi, de forma baptismi loquens, loco *Filii* ponit *Christum,* loco *Patris* ponit *a quo unctus est Christus,* et loco *Spiritus Sancti* ponit *quo unctus est Christus.* Ex qua doctrina clare habes quod sufficit Personas divinas significare, secundum Ambrosium, ex actione, puta unctione. Multo ergo magis sufficiet significare illas ex generatione.

Tertio, ex auctoritate generalis Concilii Florentini sub Eugenio IV *, ubi institutionem Domini de forma baptismi interpretati sunt patres *invocationem Trinitatis:* et non limitaverunt se ad invocationem Trinitatis per haec praecise nomina, *Pater et Filius et Spiritus Sanctus.* Legimus enim ibi sic de forma baptismi: *Si exprimitur actus qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctae Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum.*

* Decret. pro Armen.

Quarto, ex communi Ecclesiae confessione. Fatemur enim omnes sanctam Trinitatem nos invocare, laudare, confiteri, etiam in iudicio, non solum dictis nominibus utendo, sed etiam utendo aequipollentibus, puta *Genitore, Omnipotente, Genitoque ab ipso,* et *Procedente ab utroque, Dono,* aut similibus.

Quinto, ex acceptatis casibus. Nam si quis diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris et Iesu Christi et Spiritus Sancti,* procul dubio, omnium sapientum iudicio, perfectum esset sacramentum, ita quod non esset locus reiterationi: et tamen constat quod variatur significatum ex vi nominis. Similiter, si quis diceret, *in nomine Patris et Filii et Spi-*

ritus Paracliti, procul dubio, eorundem iudicio, verum esset baptisma: et tamen constat variari ex vi nominis significatum.

Unde Salvator, instituens formam baptismi, *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, non est intelligendus arctasse virtutem formae ad formalia significata ex vi nominum per haec nomina: sed ad significata illa ad quae significanda haec nomina accommodata sunt.

* Num. III, *Maxima*.

VII. Ad rationem autem allatam in oppositum *, quia *Pater* significat Personam, *Genitor* vero actum notionalem: facile respondetur satisfaciendo, primo, falsum esse quod *Pater* ex vi nominis significet Personam plus quam *Genitor*. Quoniam *Pater* significat puram paternitatem in concreto; et similiter *Genitor* puram generationem active in concreto; concretum autem utrobique est persona Patris, de Trinitate loquendo, quae realiter et formaliter ex parte rei identificatur et relationi paternitatis et generationi activae.

Dicitur secundo, quod manifeste constat *Spiritus Sancti* nomen nec proprietatem personalem, nec actum notionalem, nec Personam ex vi nominis significare: ut patet ex eo quod tam *spiritus* quam *sanctus*, quam totum coniunctum, ex vi nominis dicitur de essentia divina; *Spiritus* enim *est Deus*, etc. *

* Ioan. cap. IV, vers. 24.

VIII. Auctoris ergo verba *, ut ad litteram redeamus, quantum ex ratione litterae apparet, intelligenda sunt quoad perfectionem praecepti, et non quoad perfectionem sacramenti absolute: ut sit sensus quod in solis nominibus quae sunt in communiori usu, perficere tenemur sacramenta; ita quod in aliis sacramentum est imperfectum, non per defectum alicuius necessarii ad sacramentum, sed necessarii ad praeceptum sacramenti. Hoc enim insinuat ratio litterae de communiori usu: communior enim et minus communis usus non variat significationem nominis, ut de se patet.

* Cf. num. III, init.

Si quis autem putat intelligenda haec verba ut sonant, dicat ut sibi placet.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM IN NOMINE CHRISTI POSSIT DARI BAPTISMUS

IV *Sent.*, dist. III, art. 2, qu^a 2, ad 3; Expos. litt.; *In Matth.*, cap. XXVIII; I *ad Cor.*, cap. I, lect. II.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod in nomine Christi possit dari baptismus. Sicut enim *una est fides*, et *unum* [α] *baptisma*, ut dicitur *Ephes.* IV *. Sed *Act.* VIII * dicitur quod *in nomine Iesu Christi baptizabantur viri et mulieres*. Ergo etiam nunc potest dari baptismus in nomine Christi.

* Vers. 5.
* Vers. 12.

2. Praeterea, Ambrosius dicit *: *Si Christum dicas, et Patrem, a quo unctus est, et ipsum qui unctus est, Filium, et Spiritum, quo unctus est, designasti.* Sed in nomine Trinitatis potest fieri baptismus. Ergo et in nomine Christi.

* *De Spir. Sanct.* lib. I, cap. III, n. 44.

3. Praeterea, Nicolaus Papa *, *ad consulta Bulgarorum* respondens *, dicit: *Qui in nomine sanctae Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt, unum quippe idemque est, ut sanctus ait Ambrosius, rebaptizari non debent.* Rebaptizarentur autem si in hac forma baptizati sacramentum baptismi non reciperent. Ergo potest consecrari [β] baptismus in nomine Christi sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Christi.*

* Primus.
* Can. *A quodam*, *de Consecr.*, dist. IV.

Sed contra est quod Pelagius Papa * scribit Gaudentio [γ] Episcopo *: *Si hi qui in locis Dilectionis tuae vicinis commorari dicuntur, se solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cuiusquam dubitationis ambiguo, eos ad fidem Catholicam venientes in sanctae Trinitatis nomine baptizabis.* – Didymus etiam dicit, in libro *de Spiritu Sancto* *: *Licet quis possit existere mentis alienae qui ita baptizaret* [δ] *ut unum de praedictis nominibus*, scilicet trium Personarum, *praetermittat, sine perfectione baptizabit.*

* Secundus.
* Can. *Si revera*, *de Consecr.*, dist. IV.
* Lib. II, - Inter Opp. Hieron.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, sacramenta habent efficaciam ab institutione Christi. Et ideo, si praetermittatur aliquid eorum quae Christus instituit circa aliquod sacramentum, efficacia caret: nisi ex speciali dispensatione eius, qui virtutem suam sacramentis non alligavit. Christus autem instituit sacramentum baptismi dari cum invocatione Trinitatis *. Et ideo quidquid desit ad invocationem plenam Trinitatis, tollit integritatem baptismi.

* Qu. LXIV, art. 3.
* Matth. cap. XXVIII, vers. 19.

Nec obstat quod in nomine unius Personae intelligitur alia, sicut in nomine Patris intelligitur Filius; aut quod ille qui nominat unam solam Personam, potest habere rectam fidem de tribus. Quia ad sacramentum, sicut [ε] requiritur materia sensibilis, ita et forma sensibilis. Unde non sufficit intellectus vel fides Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimatur. Unde et in baptismo Christi, ubi fuit origo sanctificationis nostri baptismi, affuit Trinitas sensibilibus [ζ]: scilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in columba *.

* Matth. cap. III, vers. 16, 17; Marc. cap. I, vers. 10, 11; Luc. cap. III, vers. 21, 22.

Ad primum ergo dicendum quod ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant: ut nomen Christi, quod erat odiosum Iudaeis et gentibus *, honorabile redderetur, per hoc quod ad eius invocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptismo.

* I *ad Cor.*, cap. I, vers. 23.

Ad secundum dicendum quod Ambrosius assignat rationem quare convenienter talis dispensatio fieri potuit in primitiva Ecclesia: quia scilicet in nomine Christi tota Trinitas intelligitur; et ideo servabatur ad minus integritate intelligibili forma quam Christus tradidit in Evangelio.

Ad tertium dicendum quod Nicolaus Papa dictum suum confirmat ex duobus praemissis. Et ideo eius responsio patet ex primis duabus solutionibus.

α) *et unum.* – *ita et unum* CGH, *ita enim est unum* I, *ita et unus est (baptismus)* bc, *ita est unum* P.
β) *consecrari.* – *conferri* PF.
γ) *Gaudentio.* – Tertia praeter pG; *Gaudentino.* Cf. art. 8. α.
δ) *baptizaret.* – *baptizarent* ABC, *baptizare conetur* P. Cf. qu. LX, art. 8, η.
ε) *ad sacramentum, sicut.* – *sicut ad sacramentum* H et editiones.
ζ) *sensibilibus.* – (*in* P) *sensibilibus signis* EFa et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore unica est conclusio: *Quidquid deest ad invocationem plenam Trinitatis, tollit integritatem baptismi.* Probatur. Sacramentum habet efficaciam ab institutione Christi. Ergo, si praetermittatur aliquid eorum quae Christus instituit circa sacramentum, tollitur efficacia eius. Ergo, si praetermittatur plena invocatio Trinitatis in baptismo, tollitur integritas baptismi. – Et probatur haec ultima consequentia. Quia Christus instituit baptismum *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

II. Deinde excludit Auctor responsionem dicentem quod sufficit invocare Trinitatem implicite: vel quia in invocatione unius Personae includitur alia; vel quia recta fide interiori invocantur omnes Personae, quamvis vocaliter non explicentur omnes. Contra hanc responsionem arguit Auctor, quia sacramentum, sicut constat ex materia sensibili, ita debet constare ex forma sensibili. Ac per hoc, nec intellectus cointelligens in una Persona aliam, nec fides recta de omnibus Personis, supplet defectum formae sensibilis. – Et confirmatur ex baptismo Christi. Quoniam ibi tres Personae in forma sensibili apparuerunt.

III. Adverte hic haec Auctoris verba directe excludere responsiones sumptas ex III cap. lib. I Ambrosii de *Spiritu Sancto* *, relatas etiam a Magistro Sententiarum, in III dist. Quarti.

* Cf. arg. 2, 3.

Adverte secundo, tractari hic duas quaestiones tanquam unam. Altera siquidem quaestio est, an baptismus in quo omittitur invocatio alicuius personae Trinitatis, sit verus: altera vero quaestio est, an baptismus celebratus in nomine Christi sit verus. Et Magister siquidem Sententiarum separatim eas tractat: Auctor vero coniunctim, ut hic patet. Ille non idem de utraque quaestione iudicium habet. Iste idem sentit de utraque, eadem ratione: puta quia Christus nomen unius Personae est. Et propterea non directe in littera respondit quaesito, puta, *Baptismus in nomine Christi non potest dari:* sed universalem negativam pro responsione dedit, scilicet: *Non potest baptismus dari omisso quocumque ad plenam invocationem Trinitatis requisito.*

IV *. Circa has quaestiones dubia adhuc sententia pendere videtur, si rationem sequimur. Si autem auctoritati innitimur, altera pro determinata ab Ecclesia habetur, altera autem tanquam dubia tenetur. Quaestio siquidem illa, an omissio alicuius nominis trium Personarum tollat veritatem baptismi, determinata invenitur a Zacharia Papa, *de Consecr.*, dist. IV, cap. *In Synodo,* pro parte affirmativa, scilicet quod omissio talis tollit veritatem baptismi. Quamvis forte glossari posset a defensoribus doctrinae quam videtur insinuare Ambrosius, propter rationem subiunctam ibidem ab ipso Papa.

* P om. integros numeros IV-X.

Altera autem quaestio, de baptismo in nomine Christi an valeat, determinata invenitur a Nicolao Papa, in cap. *A quodam, de Consecr.*, dist. IV, pro parte affirmativa, scilicet quod valet. Verum, non obstante hac determinatione, doctores multi tenent partem negativam: de quorum numero sunt Auctor, Durandus *, et Petrus de Palude **. Multi autem dubiam quaestionem relinquunt: de quorum numero sunt Scotus * et Richardus **.

* IV *Sent.*, dist. III, qu. I, n. 8, 9.
** IV *Sent.*, dist. III, qu. I, art. 2.
* IV *Sent.*, dist. III, qu. II.
** IV *Sent.*, dist. III, art. 2, qu. 3, ad 10.

V. Videtur autem non inconveniens fore si fundamenta partium discutiantur *, ut veritas elucescat. Quod enim baptismus in nomine Christi non valeat, probatur primo *, ratione in littera posita: scilicet, quia forma debet esse sensibilis.

* Cf. num. VIII.
* Cl. num. VII.

Probatur deinde. Prima professio fidei debet esse integra, sicut actu interiori, ita actu exteriori. Et haec ratio sumpta videtur ex Zacharia Papa, ubi supra *.

* Num. praeced.

Probatur demum auctoritatibus. Quarum prima est Pelagii Papae, *de Consecr.*, dist. IV, cap. *Si revera,* dicentis ut habes in littera *. – Altera est eiusdem Pelagii, in eadem distinctione, in cap. *Multi,* dicentis: *Multi sunt qui in nomine solummodo Christi se asserunt baptizare. Evangelicum vero praeceptum, ipso Deo et Domino Salvatore nostro Iesu Christo dicente et tradente, nos admonet in nomine Trinitatis baptisma unicuique tribuere.* – Tertia demum est omnium dicentium nomen unius Personae tantum non sufficere ad baptisma. *Christus* enim Filii tantum personam significat.

* Arg. *Sed contra.*

VI. Apparet autem nec auctoritates nec rationes has convincere intellectum. Institutio siquidem Christi, *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* non intelligitur quoad has voces, sed quoad significata illarum. Et cum dupliciter possit earum significatum inveniri, scilicet implicite vel explicite; et Christus neutrum refutaverit modum: satis institutio eius salvatur si omnes Personae divinae invocantur per nomen seu nomina implicite vel explicite.

Et si respondeatur quod Christus determinavit formam baptismi ad unum modum, scilicet ad explicite divinas Personas significantia nomina, dicendo *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* quoniam haec illas Personas explicite significant: – responsio haec falsum dicit. Quoniam manifeste constat quod nec *pater* significat divinum Patrem, sed patrem absolute; nec *filius* significat divinum Filium, sed filium absolute. Unde, nisi ad implicitum significatum recurratur, forma ipsa instituta a Christo non significat ex vi nominum divinas Personas.

Propter quod potest hinc sumi confirmatio propositi, assumendo quod, iuxta Salvatoris institutionem, forma baptismi significat Personas divinas implicite et in confuso et in potentia: sicut *animal* significat hominem in confuso, implicite et in potentia. Ergo non minus salvatur integra baptismi forma si per unum quam per multa nomina significentur implicite divinae Personae: per accidens enim est unitas vel pluralitas vocum. Quod ex eo patet quod, si unum nomen significaret explicite omnes divinas Personas, omnes faterentur illud sufficere ad formam baptismi. Ex quo enim Salvator non alligavit formam baptismi ad determinatas voces, sed ad determinata significata per voces; et modum significandi implicite sufficere docuit exprimendo nomina quae non nisi implicite divinas significant Personas: satis nobis persuasum esse debet non exigi ad formam baptismi quod divinae Personae explicite significentur.

At si quis dixerit nomina haec, scilicet, *Pater* et *Filius* et *Spiritus Sanctus,* ex vi nominum non nisi implicite significare divinas Personas, ut arguendo dictum est; ex accommodatione tamen Christiani usus explicite et actu significant divinas Personas: – advertat diligenter sic dicens Christum Dominum instituisse baptismi formam sub dictis nominibus ante huiusmodi Christiani usus accommodationem; et perspiciat hinc quod, stando in auctoritate formae institutae a Christo, prout ab ipso instituta est, Personae divinae non significantur per formam baptismi nisi implicite et in potentia et in confuso. Quod est intentum.

Apparet enim Salvatorem reliquisse applicationem horum nominum ad divinas Personas fidei et intentioni Ecclesiae: quae in quolibet ministro salvatur, dum intendit dicere et facere quod credit et facit Ecclesia. Par autem ratio est de intentione et fide Ecclesiae, si per aequipollentia nomina, aut per aequipollens nomen divinae Personae implicite significentur: ut accidit in proposito in hoc nomine *Christus;* significat enim implicite totam Trinitatem, ut Ambrosius declaravit *.

* *De Spiritu Sancto* lib. I, cap. III, n. 44.; cf. arg. 2.

VII. Ad rationem autem primam *, sumptam ex littera, dicitur concedendo formam baptismi debere esse sensibilem: nec a sensibilitate formae declinare baptismum in nomine Christi; nam ly *Christus* sensibilis vox est. Sed ex sensibilitate formae non sequitur debere esse tot voces distinctas quot sunt Personae divinae, aut tot explicitas significationes. Integritas enim sensibilis formae non plus exigit quam quod sensibili voce significentur tres Personae divinae. Utrum autem implicite vel explicite, hoc magis spectare videtur ad intellectum quam ad sensum. Quod ex eo patet quod distinctio inter definitionem et definitum ad intellectum spectat; et constat differre ea penes impli-

* Num. V.

cite vel explicite idem significare. Unde, sicut loco definitionis licet ponere definitum, et e contra, absque mutatione significati, ita loco nominum explicite significantium divinas Personas, licet ponere nomen implicite significans easdem.

Ad secundam vero rationem, sumptam ex Zacharia, dicitur concedendo congruum quidem esse ut in prima professione fidei explicite fiat Trinitatis professio intus et extra: sed nulla apparet ratio cogens ad huiusmodi explicitam professionem vocalem. Quod ex eo cognosci potest quod, si in prima professione fidei exigeretur vocalis professio principaliter creditorum explicite, exigeretur quoque, ultra professionem Trinitatis, professio incarnationis: quoniam Christianus non est qui mysterium incarnationis non profitetur; nec hoc est de secundario, sed de principalissimis creditis. Quamobrem ex huiusmodi protestationibus seu professionibus non trahitur necessarium argumentum. Et propterea verba Zachariae Papae de non confitente integre Trinitatem, intelligenda sunt absolute, hoc est, implicite vel explicite, quoad voces: ut ex eo patet quod *vacuum a divina gratia* talem dicit.

Ad auctoritatem autem Pelagii dicitur quod non est contra baptismum in nomine Christi, sed contra baptismum *in nomine Domini.* Aliud enim est baptizare in nomine Christi, et aliud baptizare in nomine Domini. Nam in nomine Christi significantur omnes Personae divinae: in nomine autem Domini nequaquam.

Ad secundam eiusdem auctoritatem dicitur, ut etiam Glossa ibidem notat, quod Pelagius irritavit baptismum *in nomine Domini* *, et non irritavit baptismum *in nomine Christi* *: quamvis baptismum *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* illi praetulerit, evangelica auctoritate.

* Gloss. ad can. *Si revera.*
* Gloss. ad can. *Multi sunt.*

Ad auctoritates demum contra omittentes unius Personae nomen, respondetur quod non est eadem ratio de nomine Christi: quoniam in Christi nomine omnes Personae importantur, nullaque omittitur.

Haec dixerim pro discussione opinionis dicentis baptismum in nomine Christi dati verum non esse.

VIII. Nunc oppositae opinionis fundamenta discutiamus. Fundatur itaque opinio haec in primis super gestis Apostolorum: quoniam ipsi baptizabant *in nomine Iesu Christi,* ut patet in *Actibus Apostolorum* *.

* Cap. VIII, vers. 12; cap. X, vers. 48; cap. XIX, vers. 5.

Deinde super usu alicuius partis Ecclesiae. Multi enim tempore Pelagii Papae baptizabant in nomine Christi, ut patet in allegato capitulo *: et tamen non fuit irritatus talis baptismus, sicut baptismus *in nomine Domini.* Ita quod bene hic est notandum quod Pelagius, scribens ad Gaudentium Episcopum, meminit duorum baptismatum, scilicet *in nomine Domini* *, et *in nomine Christi* **: et primum irritum dicit, secundum non. Nec ex incuria hoc processit. Quoniam tam cautus Pontifex fuit circa hoc ut primum irritaverit etiam incertus de facto: secundum autem affirmat fieri a multis, et propterea illum irritare magis debuit, si verus non fuisset.

* Can. *Multi;* cf. num. v.
* Can. *Si revera.*
** Can. *Multi.*

Tertio, auctoritate Nicolai Papae, hoc expresse docentis in prius allegato * capitulo.

* Num. IV.

Quarto, super auctoritate beati Ambrosii, in loco allegato *.

* Num. VI, fin.

Nec obstat glossa quae datur ad *Actus Apostolorum,* de speciali dispensatione Spiritus Sancti *. Quoniam glossa haec nec ex sacra Scriptura nec ab Apostolica Sede auctoritatem habet. Immo contra determinationem factam a Nicolao Papa tendit, dum Nicolaus baptizatos tempore suo in nomine Christi vere baptizatos iudicavit, auctoritate usus Apostolorum et beati Ambrosii. Cum enim Nicolaus I fuerit plus quam octingentis annis post Christum, dispensatio facta Apostolis iam cessasset: et Pontifex proinde errasset. Intellexit ergo sanctus Pontifex Apostolos non ex dispensatione, sed ex auctoritate ordinaria baptizasse in nomine Christi. Unde et rationem assignat ex identitate significati per Christi nomen et per formam evangelicam. – Quam eandem rationem quia sanctus praedixit Ambrosius, manifeste excluduntur Glossae quae dantur ad Ambrosium. Nam Ambrosius absolute loquitur, ut patet intuenti capitulum illud.

* In litt., ad 1.

IX. Concludendo igitur, et, cum Magistro Sententiarum *, Apostolica gesta, auctoritatemque Ambrosii ac Apostolicae Sedis, cum usu praedicto multorum, praeferendo posterioribus doctoribus, qui contra torrentem sui temporis non ausi sunt se opponere: dicimus quod baptismus in nomine Christi si fiat, verus est baptismus. Suffragaturque ad hoc superius * deducta ratio de sufficientia implicitae significationis.

* IV *Sent.,* dist. III.
* Num. VI.

Et confirmaretur hoc, credo, nova auctoritate Sedis Apostolicae, si casus accideret. Quoniam praedecessorum suorum vestigiis inhaerendo Romanus Pontifex iudicaret de ecclesiasticis sacramentis. Et eo amplius quod Nicolaus I magnae exstitit sanctitatis.

X. Et quoniam ratio de implicita significatione ad similia ducit, ideo nullam ego video ambiguitatis rationem si quis aliquem baptizaret in hac forma, videlicet, *Ego te baptizo in nomine sanctae Trinitatis.* Perfectum enim esset baptisma, non minus quam in nomine Christi: significatque implicite omnes divinas Personas, quamvis earum numerum solummodo explicet; numerus enim ibi est idem quod res numeratae.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM IMMERSIO IN AQUA SIT DE NECESSITATE BAPTISMI

IV *Sent.,* dist. III, art. 4, qu[a] 1.

AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod immersio in aqua sit de necessitate baptismi. Ut enim dicitur *Ephes.* IV *, *una fides, unum baptisma.* Sed apud multos communis modus baptizandi est per immersionem. Ergo videtur quod non possit esse baptismus sine immersione.

* Vers. 5.

2. PRAETEREA, Apostolus dicit, *Rom.* VI *: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte.* Sed hoc fit per immersionem: dicit enim Chrysostomus *, super illud Ioan. III *, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto,* etc.: *Sicut in quodam sepulcro, in aqua, submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur, deinde novus rursus ascendit.* Ergo videtur quod immersio sit de necessitate baptismi.

* Vers. 3, 4.
* Homil. XXV, aliter XXIV, *in Ioan.*
* Vers. 5.

3. PRAETEREA, si sine immersione totius corporis posset fieri baptismus, sequeretur quod pari ratione sufficeret quamlibet partem aqua perfundi. Sed hoc videtur inconveniens: quia originale peccatum, contra quod praecipue datur baptismus, non est in una tantum corporis parte. Ergo videtur quod requiratur immersio ad baptismum, et non sufficiat sola aspersio.

SED CONTRA EST quod *Heb.* X * dicitur: *Accedamus ad eum* [α] *vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia* [β] *mala, et abluti corpus aqua munda.*

* Vers. 22.

α) *ad eum.* – *ad eum cum* EIsG, *ad cum b*, *cum* PHc.

β) *a conscientia.* – Ed. *a* et tertia praeter I; *conscientia.*

RESPONDEO DICENDUM quod aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum ablutionis corporalis, per quam significatur interior ablutio peccatorum. Ablutio autem fieri potest per aquam non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis vel effusionis. Et ideo, quamvis tutius sit baptizare per modum immersionis, quia hoc habet communior usus; potest tamen fieri baptismus per modum aspersionis; vel etiam per modum effusionis, secundum illud Ezech. XXXVI *, *Effundam super vos aquam mundam*, sicut et beatus Laurentius legitur baptizasse *. Et hoc praecipue propter necessitatem. Vel quia est magna multitudo baptizandorum: sicut patet *Act.* II * et IV **, ubi dicitur quod crediderunt una die tria millia, et alia quinque millia. Quandoque autem potest imminere necessitas propter paucitatem aquae; vel propter debilitatem ministri, qui non potest sustentare baptizandum; vel propter debilitatem baptizandi, cui posset imminere periculum mortis ex immersione. Et ideo dicendum est quod immersio non est de necessitate baptismi.

* Vers. 25.

* Hom. XCI inter Opp. Bedae.

* Vers. 41.
** Vers. 4.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ea quae sunt per accidens, non variant substantiam rei. Per se autem requiritur ad baptismum corporalis ablutio per aquam: unde et baptismus *lavacrum* nominatur, secundum illud *Ephes.* V *: *Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae*. Sed quod fiat ablutio hoc vel illo modo, accidit baptismo. Et ideo talis diversitas non tollit unitatem baptismi.

* Vers. 26.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in immersione expressius repraesentatur figura sepulturae Christi: et ideo hic modus baptizandi est communior et laudabilior. Sed in aliis modis baptizandi repraesentatur aliquo modo, licet non ita expresse: nam, quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars eius, aquae supponitur, sicut corpus Christi fuit positum sub terra.

AD TERTIUM DICENDUM quod principalis pars corporis, praecipue quantum ad exteriora membra, est caput, in quo vigent omnes sensus et interiores et exteriores. Et ideo, si totum corpus aqua non possit perfundi, propter aquae paucitatem vel propter aliquam aliam causam, oportet caput perfundere, in quo manifestatur principium animalis vitae.

Et licet per membra quae generationi deserviunt peccatum originale traducatur, non tamen sunt membra illa potius aspergenda quam caput, quia per baptismum non tollitur transmissio originalis in prolem per actum generationis, sed liberatur anima a macula et reatu peccati quod incurrit. Et ideo debet praecipue lavari illa pars corporis in qua manifestantur opera animae.

In veteri tamen lege remedium contra originale peccatum institutum erat in membro generationis: quia adhuc ille per quem originale erat amovendum, nasciturus erat ex semine Abrahae, cuius fidem circumcisio significabat, ut dicitur *Rom.* IV *.

* Vers. 11.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo sumitur *immersio* ut distinguitur contra *aspersionem* et *effusionem*.

In corpore una conclusio est: *Immersio non est de necessitate baptismi*. Probatur. Ablutio corporis fieri potest per aquam non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis vel effusionis. Ergo immersio non est de necessitate baptismi. – Probatur consequentia. Quia in baptismo assumitur aqua ad abluendum corpus. Quod probatur: quia significat sic ablutionem interiorem a peccatis. – Processum, cum multis auctoritatibus et adiunctis ad bonitatem doctrinae, quia satis patet in littera, pertranseo.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM TRINA IMMERSIO SIT DE NECESSITATE BAPTISMI

IV *Sent.*, dist. III, art. 4, qu^a 2, 3; dist. XXIII, qu. I, art. 1, qu^a 2.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod trina immersio sit de necessitate baptismi. Dicit enim Augustinus, in quodam sermone *de Symbolo ad Baptizatos* *: *Recte tertio mersi estis: quia accepistis baptismum in nomine Trinitatis. Recte tertio mersi estis: quia accepistis baptismum in nomine Iesu Christi, qui tertia die resurrexit a mortuis. Illa enim tertio repetita immersio typum Dominicae exprimit sepulturae, per quam Christo consepulti estis in baptismo.* Sed utrumque videtur ad necessitatem baptismi pertinere: scilicet et quod significetur in baptismo trinitas Personarum; et quod fiat configuratio ad sepulturam Christi. Ergo videtur quod trina immersio sit de necessitate baptismi.

* Al. *ad Neophyt. de Myster. Bapt.* serm. III (inter Opp. Aug.). – Cf. can. *Postquam vos credere, de Consecr.*, dist. IV.

2. PRAETEREA, sacramenta ex mandato Christi efficaciam habent. Sed trina immersio est ex mandato Christi: scripsit [α] enim Pelagius * Papa Gaudentio Episcopo *: *Evangelicum praeceptum, ipso Domino Deo et Salvatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam* [β] *immersione, sanctum baptismum unicuique tribuere*. Ergo, sicut baptizare in nomine Trinitatis est de necessitate baptismi, ita baptizare trina immersione videtur esse de necessitate baptismi.

α * Secundus.
* Can. *Multi sunt, de Consecr.*, dist. IV.
β

3. PRAETEREA, si trina immersio non sit de ne-

α) *scripsit.* – *scribit* PI. – *Gaudentio* tertia praeter G; *Gaudentino*. Cf. art. 6. γ.

β) *etiam.* – *et* D, *autem* EI, om. H*a* et editiones. – *tribuere* om. AB.

cessitate baptismi, ergo ad primam immersionem aliquis γ baptismi consequitur sacramentum. Si vero δ addatur secunda et tertia, videtur quod secundo vel tertio baptizetur: quod est inconveniens. Non ergo una immersio sufficit ad sacramentum baptismi, sed trina videtur esse de necessitate ipsius.

* Magnus. ε * Regist. lib. I, Epist. XLIII, al. XLI.

Sed contra est quod Gregorius * scribit ε Leandro Episcopo *: *Reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate vel tertio vel semel immergere: quoniam et in tribus immersionibus Personarum trinitas, et una potest divinitatis singularitas designari.*

* Art. 7, ad 1.

Respondeo dicendum quod, sicut prius * dictum est, ad baptismum per se requiritur ablutio aquae, quae est de necessitate sacramenti: modus autem ablutionis per accidens se habet ad sacramentum. Et ideo, sicut ex praedicta * auctoritate Gregorii patet, quantum est de se, utrumque licite fieri potest, scilicet et semel et ter immergere: quia unica immersione significatur unitas mortis Christi, et unitas deitatis; per trinam autem immersionem significatur triduum sepulturae Christi, et etiam trinitas Personarum.

* Arg. *Sed cont.*

Sed diversis ex causis, secundum ordinationem Ecclesiae, quandoque institutus est unus modus, quandoque alius. Quia enim a principio nascentis Ecclesiae quidam de Trinitate male sentiebant, Christum purum hominem aestimantes, nec dici Filium Dei et Deum nisi per meritum eius, quod praecipue fuit in morte, ideo non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in commemorationem mortis Christi, et una immersione. Quod reprobatum fuit in primitiva Ecclesia. Unde in *Canonibus Apostolorum* * legitur: *Si quis presbyter aut episcopus non trinam immersionem unius ministerii, sed semel mergat in baptismate, quod dari a quibusdam dicitur in morte Domini, deponatur: non enim nobis dixit Dominus, « In morte mea baptizate », sed, « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».*

* Can. XLIX. - Cf. can. *Si quis presb. aut episc., de Consecr.*, dist. IV.

Postmodum vero inolevit quorundam schismaticorum et haereticorum error homines rebaptizantium ζ: sicut de Donatistis Augustinus narrat, *super Ioan.* * Et ideo, in detestationem erroris eorum, fuit statutum in Concilio Toletano * quod fieret una sola immersio, ubi sic legitur: *Propter vitandum schismatis scandalum, vel haeretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi immersionem.*

* *De Haeres.*, cap. LXIX.

* Quarto. - Cf. can. *Propter vitand., de Consecr.*, dist. IV.

Sed, cessante tali causa, communiter observatur in baptismo trina immersio. Et ideo graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiae non observans. Nihilominus tamen esset baptismus.

Ad primum ergo dicendum quod Trinitas est sicut agens principale in baptismo. Similitudo autem agentis pervenit ad effectum secundum formam, et non secundum materiam. Et ideo significatio Trinitatis fit in baptismo per verba formae. Nec est de necessitate quod significetur Trinitas per usum materiae: sed hoc fit ad maiorem expressionem.

Similiter etiam mors Christi figuratur sufficienter in unica immersione. Triduum autem sepulturae non est de necessitate nostrae salutis: quia etiam si una die fuisset sepultus vel mortuus, suffecisset ad perficiendam nostram redemptionem; sed triduum illud ordinatur ad manifestandam veritatem mortis, ut supra * dictum est.

* Qu. LIII, art. 2.

Et ideo patet quod trina immersio nec ex parte Trinitatis, nec ex parte passionis Christi, est de necessitate sacramenti.

Ad secundum dicendum quod Pelagius Papa intelligit trinam immersionem esse ex mandato Christi in suo simili: in hoc scilicet quod Christus praecepit baptizari *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* *. Non tamen est similis ratio de forma et de usu materiae, ut dictum est *.

* Matth. cap. XXVIII, vers. 19. * Ad 1.

Ad tertium dicendum quod, sicut supra * dictum est, intentio requiritur ad baptismum. Et ideo ex intentione ministri Ecclesiae, qui intendit unum baptismum dare trina immersione, efficitur unum baptisma. Unde Hieronymus dicit, *super Epistolam ad Philipp.* *: *Licet ter baptizetur,* idest immergatur, *propter mysterium Trinitatis, tamen unum baptisma reputatur.*

* Qu. LXIV, art. 8.

* Super Epist. *ad Ephes.*, cap. IV, vers. 5, 6. - Cf. can. *Eodem modo, de Consecr.*, dist. IV.

Si vero intenderet ad unamquamque immersionem unum baptisma dare, ad singulas immersiones repetens verba formae, peccaret, quantum in se est, pluries baptizans.

γ) *aliquis.* – PEFI; om. – *baptismi* om. *a.*
δ) *vero.* – *ergo* Pl. – Pro *et tertia, vel tertia* editiones.
ε) *scribit.* – *scripsit* FH, *dicit scribens* editiones.
ζ) *rebaptizantium.* – PGsB; *baptizantium.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore articuli duo fiunt: primo, respondet quaesito quantum ad necessitatem sacramenti; secundo, respondet quaesito quantum ad necessitatem mandati ecclesiastici.

Quoad primum, unica conclusio est: *Utrumque licite fieri potest: scilicet et semel, et ter immergere.* Probatur tripliciter. Primo, ratione. Ad baptismum per se requiritur ablutio; per accidens autem modus ablutionis. Ergo. – Secundo, auctoritate Gregorii. – Tertio, ex significatione tam unicae quam trinae immersionis.

Quoad secundum, variata ponitur et mutata Ecclesiae institutio diversis temporibus diversis ex causis. Et tandem infert gravius peccare qui nunc non servant trinam immersionem.

Ubi scito quod, licet hodie qui baptizantur in fontibus immergantur, et forte ter; hi tamen qui baptizantur in domibus, per modum effusionis baptizantur. Et propterea nullum peccatum committere videntur quia ter non immergunt: cum nec semel immergant absque peccato.

II. In responsione ad tertium, dubium occurrit, an, trina immersione intenta a ministro, si aliqua omittatur, sit verus baptismus. Et est ratio dubii, quoniam, si trina immersio intendatur, baptismus non perficitur in prima immersione: ut Auctor explicat in art. 4 III dist. IV *Sent.* * – Huius autem oppositum videtur ex eo quod huiusmodi intentio ministri non addit necessitatem novae immersionis post primam.

* Qu^a 3, ad 3.

Ad hoc dicitur quod, quia intentio ministri fundatur super ritu Ecclesiae, eadem est intentio ministri intendentis exercere trinam immersionem, et Ecclesiae instituentis

illam. Constat autem quod Ecclesia instituit trinam immersionem, non ut substantiale sacramenti, sed ut caeremoniale eiusdem: quoniam non nisi ad significandum vel trinitatem Personarum, vel triduum sepulturae, illam instituit. Intentio ergo ministri ad trinam immersionem fertur, non ut ad rem necessariam sacramento, sed ut ad caeremoniam eiusdem. Omissio autem caeremoniae non tollit veritatem baptismi. Et propterea, si ex incuria aut casu alio minister, intendens trinam immersionem, perficiat proferre verba formae ante secundam aut tertiam immersionem, baptismus perfectus est: et quae non est facta immersio durantibus verbis, superflue post verba adderetur, quoniam non esset amplius baptismi pars.

III. Ad obiectionem autem inductam dicitur quod intelliguntur verba Auctoris de unica immersione sub ratione partis. In casu autem nostro, scilicet quo verba praevenirent secundam immersionem, unica immersio, ex ipsa separatione ab aliis immersionibus, haberet rationem totius. Quod ut melius intelligas, adverte ablutionem esse quoddam totum successivum, et integrari ex partibus successivis et continuis: successivis quidem omnibus; continuis vero quandoque omnibus, quandoque quibusdam. Nam quaelibet ablutio per immersionem in tempore fit, et per partes successivas ac continuas immersiones: et rursus quaelibet trium immersionum inter se discretarum pars est unius ablutionis, quam baptismum vocamus. Quo fit ut, quia totum successivum ex qualibet sui parte infertur: est enim dies quaecumque hora diei sit; et similiter movetur aliquis in quacumque motus parte inveniatur, – ex quacumque immersione, immo ex quacumque immersionis parte sufficiente ad abluendum, ablutio infertur, ac per hoc, baptismus, si in totius rationem transeat. Habent enim unius immersionis partes, et singulae immersiones, partium rationem dum in suo toto sumuntur: et sola separatio ab aliis partibus illi vel illis rationem totius largitur, ut accidit in divisione continui permanentis. Ministro ergo intendente trinam immersionem, quandiu immersiones, seu earum partes, habent rationem partium baptismi ex parte materiae, hoc est ablutionis, non perficitur baptismus. Sed si pars aliqua sortiretur rationem totius ex hoc quod in ea finiretur prolatio formae, undecumque hoc accidat, ablutio baptismalis perfecta est. Peccat tamen minister praeveniens secundam aut tertiam immersionem prolatione verborum integra, tanquam omittens aliquam immersionem.

ARTICULUS NONUS

UTRUM BAPTISMUS POSSIT ITERARI

Supra, qu. XLIX, art. 3, ad 2; infra, qu. LXXX, art. 10, ad 1; qu. LXXXIV, art. 10, ad 1, 5; IV *Sent.*, dist. II, qu. I, art. 2, ad 2; dist. VI, qu. II, art. 1, qu^a^ 1; dist. XII, qu. III, art. 1, qu^a^ 1, ad 2; dist. XIV, qu. I, art. 4, qu^a^ 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LIX LXXI; *In Ioan.*, cap. III, lect. 1; *Ad Ephes.*, cap. IV, lect. II; *Ad Heb.*, cap. VI, lect. I.

AD NONUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod baptismus possit iterari. Baptismus enim videtur institutus ad ablutionem peccatorum. Sed peccata iterantur. Ergo multo magis baptismus debet iterari: quia misericordia Christi transcendit hominis culpam.

2. PRAETEREA, Ioannes Baptista praecipue fuit a Christo commendatus: cum de eo dictum sit, Matth. XI *: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Sed baptizati a Ioanne iterum rebaptizantur [α]: ut habetur *Act.* XIX *, ubi dicitur quod Paulus baptizavit eos qui erant baptizati baptismo Ioannis. Ergo multo fortius illi qui sunt baptizati ab haereticis vel peccatoribus, sunt rebaptizandi.

[* Vers. 11.] [* Vers. 1-7.]

3. PRAETEREA, in Nicaeno Concilio * statutum est, *si quis confugeret* [β] *ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis et Cataphrygis, baptizari eos debere.* Videtur autem esse eadem ratio de haereticis aliis. Ergo baptizati ab haereticis debent esse rebaptizati [γ].

[* Primo: can. XIX. – Cf. can. *Si quis confugerit*, Caus. I, qu. I.]

4. PRAETEREA, baptismus est necessarius ad salutem. Sed de quibusdam baptizatis aliquando dubitatur an sint baptizati. Ergo videtur quod debeant iterum rebaptizari [δ].

5. PRAETEREA, Eucharistia est perfectius sacramentum quam baptismus, ut supra * dictum est. Sed sacramentum Eucharistiae iteratur. Ergo multo magis baptismus potest iterari.

[* Qu. LXV, art. 3.]

SED CONTRA EST quod dicitur *Ephes.* IV *: *Una fides, unum baptisma.*

[* Vers. 5.]

RESPONDEO DICENDUM quod baptismus iterari non potest. Primo quidem, quia baptismus est quaedam spiritualis regeneratio: prout scilicet aliquis moritur veteri vitae, et incipit novam vitam agere. Unde dicitur Ioan. III *: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest videre* [ε] *regnum Dei.* Unius autem non est nisi una generatio [ζ]. Et ideo non potest baptismus iterari: sicut nec carnalis generatio. Unde Augustinus dicit *, super illud Ioan. III **, *Nunquid potest in ventrem matris suae iterato introire et renasci: Sic tu,* inquit, *intellige nativitatem spiritus, quo modo intellexit Nicodemus nativitatem carnis. Quo modo enim uterus non potest repeti, sic nec baptismus.*

[* Vers. 5.] [* *In Ioan. Evang.*, tract. XI, n. 6. ** Vers. 4.]

Secundo, quia *in morte Christi baptizamur* *, per quam morimur peccato et resurgimus in novitatem vitae. Christus autem *semel tantum mortuus est* *. Et ideo nec baptismus iterari debet. Propter quod, *Heb.* VI *, contra quosdam rebaptizari volentes dicitur: *Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei:* ubi Glossa * dicit: *Una Christi mors unum baptisma consecravit.*

[* *Ad Rom.*, cap. VI, vers. 3.] [* Ibid., vers. 10.] [* Vers. 6.] [* Ord. et Lomb.]

Tertio, quia baptismus imprimit characterem, qui est indelebilis, et cum quadam consecratione datur. Unde, sicut aliae consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec baptismus. Et hoc est quod Augustinus dicit, in II *contra Epistolam Parmeniani* *, quod *character militaris non repetitur;* et quod *non minus haeret* [η] *sacramentum Christi quam corporalis haec nota, cum videamus*

[* Cap. XIII.]

α) *rebaptizantur.* – *baptizantur* H, *baptizabantur* F et cetera tertia; cf. qu. XXXVIII art. 6. α.

β) *confugeret.* – *confugerit* I et editiones, *confugerat* ed. *a.* Pro *baptizari, rebaptizari* PIc. – Addunt *omnino* post *eos* PIsG, post *debere bc.*

γ) *esse rebaptizati.* – *rebaptizari* tertia et *a.*

δ) *rebaptizari.* – *baptizari* Fa et tertia praeter G.

ε) *videre.* – *introire in* PF.

ζ) *generatio.* – *regeneratio* PE.

η) *haeret.* – P; *habet*; cf. qu. LXIII, art. 1, ε.

nec apostatas carere baptismate, quibus utique per poenitentiam redeuntibus non restituitur.

Quarto, quia baptismus principaliter datur contra originale peccatum. Et ideo, sicut originale peccatum non iteratur, ita etiam nec baptismus iteratur: quia, ut dicitur *Rom.* v *, *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.*

* Vers. 18.

Ad primum ergo dicendum quod baptismus operatur in virtute passionis Christi, sicut supra * dictum est. Et ideo, sicut peccata sequentia virtutem passionis Christi non auferunt, ita etiam non auferunt baptismum, ut necesse sit ipsum iterari: sed, poenitentia superveniente, tollitur peccatum, quod impediebat effectum baptismi.

* Art. 2, ad 1. - Cf. qu. lxii, art. 5.

Ad secundum dicendum quod, sicut Augustinus dicit *, super illud Ioan. i **, *Sed ego nesciebam eum: Ecce, post Ioannem baptizatum est, post homicidam non est baptizatum: quia Ioannes dedit baptismum suum, homicida dedit baptismum Christi; quia sacramentum tam sanctum est ut nec homicida ministrante polluatur.*

* *In Ioan. Evang.*, tract. V, n. 19.
** Vers. 33.

Ad tertium dicendum quod Pauliani et Cataphrygae non baptizabant in nomine Trinitatis. Unde Gregorius * dicit, scribens Quirico [θ] Episcopo *: *Hi haeretici qui in Trinitatis nomine minime baptizantur* [ι], *sicut sunt Bonosiani et Cataphrygae,* qui scilicet idem sentiebant cum Paulianis, *quia et isti Christum Deum non credunt,* existimantes scilicet ipsum esse purum hominem, *et isti,* scilicet Cataphrygae, *Spiritum Sanctum perverso sensu esse purum* [x] *hominem, Montanum* scilicet, *credunt: – qui cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia baptisma non fuit quod, in errore positi, sanctae Trinitatis nomine minime perceperunt.* Sed, sicut in *Regulis Ecclesiasticis* * dicitur: *Si qui apud illos haereticos baptizati sunt qui in sanctae Trinitatis confessione baptizant, et veniunt ad Catholicam fidem, recipiantur ut baptizati.*

* Magnus.
* *Regist.* lib. XI, Epist. lxvii, al. lxi. - Cf. can. *Hi vero haeret.*, *de Consecr.*, dist. IV.
* *De Ecclesiast. Dogmat.*, cap. xxii, al. lii. - Inter Opp. Aug.

Ad quartum dicendum quod, sicut dicit Decretalis Alexandri III *: *De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur his verbis praemissis,* « *Si baptizatus es, non te rebaptizo* [λ]: *sed si non baptizatus es, ego te baptizo, etc.* * » *Non enim videtur iterari quod nescitur esse factum.*

* Cap. *De quibus, de Baptism. et eius effect.*
* D. 265, 583.

Ad quintum dicendum quod utrumque sacramentum, scilicet baptismi et Eucharistiae, est repraesentativum Dominicae mortis et passionis: aliter tamen et aliter. Nam in baptismo commemoratur mors Christi inquantum homo Christo commoritur ut in novam vitam regeneretur [μ]. Sed in sacramento Eucharistiae commemoratur mors Christi inquantum ipse Christus passus exhibetur nobis quasi paschale convivium: secundum illud I *Cor.* [ν] v *: *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur.* Et quia homo semel nascitur, multoties autem cibatur, semel tantum datur baptismus, multoties autem Eucharistia.

* Vers. 7, 8.

θ) *Quirico.* – *Quidino* codices, *Guidino* ed. *a*, *Quidmo bc*, *Quirino* P; *Alias Quidino seu Quirito* margo P; cf. qu. lxviii, art. 8. β.
ι) *baptizantur.* – *baptizabant* tertia praeter l. – *qui* tertia; *quasi.*
x) *purum.* – *parvum* l pro *pravum.* – Pro *qui... baptizantur, tales... baptizentur* P. – *quod* PlsG; *quia.* – Pro *nomine, nomen bc.*
λ) *non te rebaptizo.* – (*ego* editiones) *non te baptizo* EI et editiones, *ego te non baptizo* ed. *a*. Pro *sed si non, sed si nondum* PCGI, *si nondum* Hac; *sed... baptizo* om. *b*.
μ) *ut... regeneretur.* – *et... regeneratur* editiones, om. pG.
ν) *I Cor.* – Pa; *II Cor.* F, *Ephes.* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo tam huius quam trium sequentium articulorum, et similiter in omnibus his quae in illis continentur, nihil aliud scribendum occurrit, nisi quod Scotus, in IV *Sent.*, dist. vi *, duas rationes in littera noni articuli, scilicet secundam et tertiam, arguit. Secundam quidem, *quia in morte Christi baptizati sumus,* dicit non concludere: quia poenitentia virtutem quoque habet a passione Christi, et tamen est iterabilis. – Tertiam vero, *quia imprimit characterem indelebilem,* dicit probare per immanifestius: quoniam a principio institutionis baptismi manifestum fuit quod non licuit iterare ipsum; et character erat occultus.

* Qu. vii.

II. Ad primum horum dicitur quod vis rationis consistit in repraesentatione, quia scilicet in baptismo repraesentatur mors Christi: et non in efficacia virtutis a passione Christi, ut arguens refert. Unde argumentum nihil obstat. Quoniam poenitentia non assimilat hominem Christo mortuo, sed baptismus, consepeliens Christo mortuo hominem qui baptizatur.

Ad secundum dicitur quod, si Auctor reprehendendus est, oportet quoque reprehendere Synodum Florentinam, sub Eugenio IV *, dicentem: *Tria sunt, baptismus, confirmatio et ordo, quae characterem, idest spirituale signum, imprimunt in anima indelebile: unde in eadem persona non reiterantur.* Licet ergo ex posterius manifestis rationem reddere eorum quae prius tempore nota fuerint. De multis enim conclusionibus notis apud priscos, posteriores adinvenerunt *propter quid.*

* Decret. pro Armen.

ARTICULUS DECIMUS

UTRUM SIT CONVENIENS RITUS QUO ECCLESIA UTITUR IN BAPTIZANDO

IV *Sent.*, dist. vi, qu. ii, art. 1, qa 2, 3.

Ad decimum sic proceditur. Videtur quod non sit conveniens ritus quo Ecclesia utitur in baptizando. Ut enim dicit Chrysostomus *, *nunquam aquae baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu Dominici corporis sanctificatae fuissent.* Hoc autem factum fuit in baptismo Christi, qui celebratur in festo Epiphaniae. Ergo magis deberet celebrari solemnis baptismus in festo Epiphaniae quam in vigilia Paschae et in vigilia Pentecostes.

* Chromatius, *In Matth.*, cap. iii, vers. 15. - Cf. can. *Nunquam aquae, de Consecr.*, dist. IV.

2. Praeterea, ad idem sacramentum non videtur pertinere diversarum materierum [α] usus. Sed ab baptismum pertinet ablutio aquae. Inconvenienter igitur ille qui baptizatur bis inungitur oleo sancto, primum in pectore, deinde inter scapulas, tertio, chrismate in vertice.

3. Praeterea, *in Christo Iesu non est masculus neque femina, barbarus et Scytha* * [* *Ad Galat.*, cap. III, vers. 28; *ad Coloss.*, cap. III, vers. 11.]: et eadem ratione nec aliquae aliae huiusmodi differentiae. Multo igitur minus diversitas vestium aliquid operatur in fide Christi. Inconvenienter ergo baptizatis traditur candida vestis.

4. Praeterea, sine huiusmodi observantiis potest baptismus celebrari. Haec igitur quae dicta sunt, videntur esse superflua: et ita inconvenienter ab Ecclesia instituta esse in ritu baptismi.

Sed contra est quod Ecclesia regitur Spiritu Sancto, qui nihil inordinatum operatur.

Respondeo dicendum quod in sacramento baptismi aliquid agitur quod est de necessitate sacramenti, et aliquid est quod ad quandam solemnitatem sacramenti pertinet. De necessitate quidem sacramenti est et forma, quae designat principalem causam sacramenti; et minister, qui est causa instrumentalis; et usus materiae, scilicet ablutio in aqua, quae designat principalem sacramenti effectum. Cetera vero omnia quae in ritu baptizandi observat Ecclesia, magis pertinent ad quandam solemnitatem sacramenti.

Quae quidem adhibentur sacramento propter tria. Primo quidem, ad excitandam devotionem fidelium, et reverentiam ad sacramentum. Si enim simpliciter fieret ablutio in aqua, absque solemnitate, de facili ab aliquibus aestimaretur quasi quaedam communis ablutio.

Secundo, ad fidelium instructionem. Simplices enim, qui litteris non erudiuntur, oportet erudire per aliqua sensibilia signa, puta per picturas, et aliqua huiusmodi. Et per hunc modum per ea quae in sacramentis aguntur, vel instruuntur, vel sollicitantur ad quaerendum de his quae per huiusmodi sensibilia signa significantur. Et ideo, quia, praeter principalem sacramenti effectum, oportet quaedam alia scire circa baptismum, conveniens fuit ut etiam quibusdam exterioribus signis repraesentarentur.

Tertio, quia per orationes et benedictiones et alia huiusmodi cohibetur vis daemonis ab impedimento sacramentalis effectus.

Ad primum ergo dicendum quod Christus in Epiphania baptizatus est baptismo Ioannis, ut supra * [* Qu. XXXIX, art. 2.] dictum est: quo quidem baptismo non baptizantur fideles, sed potius baptismo Christi. Qui quidem habet efficaciam ex passione Christi, secundum illud *Rom.* VI * [* Vers. 3.], *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus;* et ex Spiritu Sancto, secundum illud Ioan. III * [* Vers. 5.], *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto.* Et ideo solemnis baptismus agitur in Ecclesia et in vigilia Paschae, quando fit commemoratio Dominicae sepulturae, et resurrectionis eiusdem; propter quod et Dominus post resurrectionem praeceptum de baptismo discipulis dedit, ut habetur Matth. ult. * [* Vers. 19.]: – et in vigilia Pentecostes, quando incipit celebrari solemnitas Spiritus Sancti; unde et Apostoli leguntur ipso die Pentecostes, quo Spiritum Sanctum receperant, tria millia [β] baptizasse * [* *Act.* cap. II, vers. 41.].

Ad secundum dicendum quod usus aquae adhibetur in baptismo quasi pertinens ad substantiam sacramenti: sed usus olei vel chrismatis adhibetur ad quandam solemnitatem. Nam primo, baptizandus inungitur oleo sancto et in pectore et in scapulis, *quasi athleta Dei*, ut Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* * [* Lib. I, cap. II.]: sicut pugiles inungi consueverunt. – Vel, sicut Innocentius * [* Tertius.] dicit, in quadam Decretali *de sacra Unctione* * [* Cap. *Quum venisset.*], *baptizandus in pectore inungitur, ut Spiritus Sancti donum recipiat* [γ], *errorem abiiciat et ignorantiam, et fidem rectam suscipiat, quia iustus ex fide vivit; inter scapulas autem inungitur, ut Spiritus Sancti gratiam induat, exuat* [δ] *negligentiam et torporem, et bonam operationem exerceat; ut per fidei sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, et fortitudo laborum in scapulis.*

Post baptismum vero, ut Rabanus dicit * [* *De Cleric. Instit.* lib. I, cap. XXVIII.], *statim signatur in cerebro a presbytero cum sacro chrismate, sequente simul et oratione, ut Christi regni particeps fiat, et a Christo Christianus possit vocari.* – Vel, sicut Ambrosius dicit * [* *De Sacram.* lib. III, cap. I. - Cf. can. *Accepisti myst.*, *de Consecr.*, dist. IV.], unguentum super caput effunditur, quia *sapientis sensus in capite* [ε] *eius* * [* *Eccle.* cap. II, vers. 14.]: *ut* scilicet ** [** Innoc. III, cap. cit. - Cf. I Pet. cap. III, vers. 1.] *sit paratus omni petenti de fide reddere rationem.*

Ad tertium dicendum quod vestis illa candida traditur baptizato, non quidem ea ratione quod non liceat ei aliis vestibus uti: sed in signum gloriosae [ζ] resurrectionis, ad quam homines per baptismum regenerantur; et ad designandam puritatem vitae, quam debent post baptismum observare, secundum illud *Rom.* VI * [* Vers. 4.]: *In novitate vitae ambulemus.*

Ad quartum dicendum quod ea quae pertinent ad solemnitatem sacramenti, etsi non sint de necessitate sacramenti, non tamen sunt superflua, quia sunt ad bene esse sacramenti, ut supra * [* In corpore.] dictum est.

α) *materierum.* – *materiarum* PEF.
β) *millia.* – *hominum* addunt I et editiones.
γ) *Spiritus Sancti donum recipiat.* – *per Spiritus Sancti donum* PI.
δ) *inungitur... exuat.* – *inungitur* (*inunguntur* P) *ut per Spiritus Sancti gratiam exuat* (*excutiant* P) PI. Post *exerceat* P addit *quia fides sine operibus mortua est.*
ε) *in capite.* – PI; *sunt caput* D, *super caput* ceteri. – *omni petenti* ClsFG *a* et editiones; *omnipoitenti* H, *omnipotenti* ceteri.
ζ) *gloriosae.* – *gloriae* PI; *Alias gloriosae* margo P.

ARTICULUS UNDECIMUS

UTRUM CONVENIENTER DESCRIBANTUR TRIA BAPTISMATA, SCILICET AQUAE, SANGUINIS ET FLAMINIS

IV *Sent.*, dist. IV, qu. III, art. 3, qu^a 1, 2, 3; *Quodl.* VI, qu. III, art. 1; *In Ioan.*, cap. III, lect. 1.

AD UNDECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod inconvenienter describantur tria baptismata, scilicet *aquae*, *sanguinis* et *flaminis*, scilicet Spiritus Sancti. Quia Apostolus dicit, *Ephes.* IV * [* Vers. 5.]: *Una fides, unum baptisma.* Sed non est nisi una fides. Ergo non debent tria baptismata esse [α].

2. PRAETEREA, baptismus est quoddam sacramentum, ut ex supra * [* Qu. LXV, art. 1.] dictis patet. Sed solum baptismus aquae est sacramentum. Ergo non debent poni alii duo baptismi [β].

3. PRAETEREA, Damascenus, in IV libro * [* *De Fide Orth.*, lib. IV, cap. IX.], determinat plura alia genera baptismatum. Non ergo solum debent poni tria baptismata.

SED CONTRA EST quod, super illud *Heb.* VI * [* Vers. 2.], *baptismatum doctrinae*, dicit Glossa * [* Lomb. et Ord.]: *Pluraliter dicit: quia est baptismus aquae, poenitentiae, et sanguinis.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * [* Art. 2, ad 1; art. 9, ad 1; qu. LXII, art. 5.] dictum est, baptismus aquae efficaciam habet a passione Christi, cui aliquis configuratur per baptismum; et ulterius, sicut a prima causa, a Spiritu Sancto. Licet autem effectus dependeat a prima causa, causa tamen superexcedit effectum, nec dependet ab effectu. Et ideo, praeter baptismum aquae, potest aliquis consequi sacramenti effectum ex passione Christi, inquantum quis ei conformatur pro Christo patiendo. Unde dicitur *Apoc.* VII * [* Vers. 14.]: *Hi sunt qui venerunt ex tribulatione magna, et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni.*

Eadem etiam ratione aliquis per virtutem Spiritus Sancti consequitur effectum baptismi, non solum sine baptismo aquae, sed etiam sine baptismo sanguinis: inquantum scilicet alicuius cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum et diligendum Deum, et poenitendum de peccatis; unde etiam dicitur *baptismus poenitentiae.* Et de hoc dicitur Isaiae IV * [* Vers. 4.]: *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Ierusalem laverit de medio eius, in spiritu iudicii et spiritu ardoris.*

Sic igitur utrumque aliorum baptismatum nominatur baptismus, inquantum supplet vicem baptismi [γ]. Unde dicit Augustinus, in IV libro *de Unico Baptismo Parvulorum* * [* *De Baptism. cont. Donatist.*, lib. IV, cap. XXII. - Cf. can. *Baptismi vicem*, *de Consecr.*, dist. IV.]: *Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est, « Hodie mecum eris in paradiso », beatus Cyprianus non leve documentum assumit. Quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi id* [δ] *quod ex baptismo deerat posse supplere: sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod alia duo baptismata includuntur in baptismo aquae, qui efficaciam habet et ex passione Christi et ex Spiritu Sancto. Et ideo per hoc non tollitur unitas baptismatis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut supra * [* Qu. LX, art. 1.] dictum est, sacramentum habet rationem signi. Alia vero duo conveniunt cum baptismo aquae, non quidem quantum ad rationem signi, sed quantum ad effectum baptismatis. Et ideo non sunt sacramenta.

AD TERTIUM DICENDUM quod Damascenus ponit quaedam baptismata figuralia. Sicut *diluvium*, quod fuit signum nostri baptismi quantum ad salvationem fidelium in Ecclesia, sicut *tunc paucae animae salvae factae sunt in arca*, ut dicitur I Petr. III * [* Vers. 20.]. – Ponit etiam *transitum maris Rubri:* qui significat nostrum baptisma quantum ad liberationem a servitute peccati; unde Apostolus dicit, I *Cor.* X * [* Vers. 2.], quod *omnes baptizati sunt in nube et in mari.* – Ponit etiam *ablutiones diversas quae fiebant in veteri lege*, praefigurantes nostrum baptisma quantum ad purgationem peccatorum. – Ponit etiam *baptismum Ioannis*, qui fuit praeparatorius ad nostrum baptisma.

α) *esse.* – Ante *tria* ponunt FHpG et *abc, poni* ante *tria* PIsG.
β) *alii duo baptismi.* – *alia duo baptismata* PF.
γ) *baptismi.* – *aquae* addunt IsG et editiones.
δ) *id.* – FI et editiones; *illud* EG, *idem* ceteri. Pro *ex baptismo*, *bap*^o I, *baptismo* P, *baptizato* ceteri. Pro *conversionemque, conversationemque* BC, *conversationem (corde)* FpG, *confessionemque* P.

ARTICULUS DUODECIMUS

UTRUM BAPTISMUS SANGUINIS SIT POTISSIMUS INTER TRIA BAPTISMATA

IV *Sent.*, dist. IV, qu. III, art. 3, qu^a 4; *Ad Heb.*, cap. VI, lect. 1.

AD DUODECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod baptismus sanguinis non sit potissimus inter tria baptismata [α]. Baptismus enim aquae imprimit characterem. Quod quidem baptismus sanguinis non facit. Ergo baptismus sanguinis non est potior quam baptismus aquae.

2. PRAETEREA, baptismus sanguinis non valet

α) *baptismata.* – *baptismata praedicta* CE, *praedicta baptismata* Ha et editiones.

sine baptismo flaminis, qui est per caritatem: dicitur enim I *Cor.* XIII *: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Sed baptismus flaminis valet sine baptismo sanguinis: non enim soli martyres salvantur. Ergo baptismus sanguinis non est potissimus.

* Vers. 3.

3. Praeterea, sicut baptismus aquae habet efficaciam a passione Christi, cui, secundum praedicta *, respondet baptismus sanguinis, ita passio Christi efficaciam habet a Spiritu Sancto: secundum illud *Heb.* IX *: *Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum obtulit semetipsum pro nobis, emundabit* [β] *conscientias nostras ab operibus mortuis,* etc. Ergo baptismus flaminis potior est quam baptismus sanguinis. Non ergo baptismus sanguinis est potissimus.

* Art. praeced.
* Vers. 14.

Sed contra est quod Augustinus, *ad Fortunatum* *, loquens de comparatione baptismatum, dicit: *Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote: martyr coram persecutore. Ille post confessionem suam* [γ] *aspergitur aqua: hic sanguine. Ille per impositionem manus pontificis recipit Spiritum Sanctum: hic templum efficitur Spiritus Sancti.*

* *De Eccles. Dogmat.*, cap. XLI, al. LXXIV. - Inter Opp. Aug.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, effusio sanguinis pro Christo, et operatio interior Spiritus Sancti, dicuntur baptismata inquantum efficiunt effectum baptismi aquae. Baptismus autem aquae efficaciam habet a passione Christi et a Spiritu Sancto, ut dictum est *. Quae quidem duae causae operantur in quolibet horum trium baptismatum: excellentissime autem in baptismo sanguinis. Nam passio Christi operatur quidem in baptismo aquae per quandam figuralem repraesentationem; in baptismo autem flaminis vel poenitentiae per quandam affectionem; sed in baptismo sanguinis per imitationem operis. Similiter etiam virtus Spiritus Sancti operatur in baptismo aquae per quandam virtutem latentem; in baptismo autem poenitentiae per cordis commotionem; sed in baptismo sanguinis per potissimum dilectionis et affectionis fervorem, secundum illud Ioan. XV *: *Maiorem hac* [δ] *dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

* Art. praeced.
* Ibid.
* Vers. 13.

Ad primum ergo dicendum quod character est res et sacramentum *. Non autem dicimus quod baptismus sanguinis praeeminentiam habeat secundum rationem sacramenti: sed quantum ad sacramenti effectum.

* Art. 1.

Ad secundum dicendum quod effusio sanguinis non habet rationem baptismi si sit sine caritate. Ex quo patet quod baptismus sanguinis includit baptismum flaminis, et non e converso. Unde ex hoc [ε] probatur perfectior.

Ad tertium dicendum quod baptismus sanguinis praeeminentiam habet non solum ex parte passionis Christi, sed etiam ex parte Spiritus Sancti, ut dictum est *.

* In corpore.

β) *emundabit.* – PFI; *emundavit bc, et emundavit* ceteri.
γ) *confessionem suam.* – CEG*a*; *professionem* I, *confessionem* P, *professionem suam* ceteri.
δ) *hac.* – Om. 1; pro *ut, quam ut* PI.
ε) *hoc.* – *hoc ipso* 1 et editiones.



QUAESTIO SEXAGESIMASEPTIMA

DE MINISTRIS PER QUOS TRADITUR BAPTISMI SACRAMENTUM

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LXVI, Introd.

DEINDE considerandum est de ministris per quos traditur sacramentum baptismi *.

Et circa hoc quaeruntur octo.

Primo: utrum ad diaconum pertineat baptizare.

Secundo: utrum pertineat ad presbyterum, vel solum ad episcopum.

Tertio: utrum laicus possit sacramentum baptismi conferre.

Quarto: utrum hoc possit facere mulier.

Quinto: utrum non baptizatus possit baptizare.

Sexto: utrum plures possint simul baptizare unum et eundem.

Septimo: utrum necesse sit esse aliquem qui baptizatum de sacro fonte recipiat.

Octavo: utrum suscipiens aliquem de sacro fonte obligetur ad eius instructionem.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM AD OFFICIUM DIACONI PERTINEAT BAPTIZARE

IV *Sent.*, dist. V, qu. II, art. 1, qu[a] 2.

α
* Vers. 19.
* Can. *Perlectis*, dist. XXV.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ad officium diaconi pertineat baptizare. Simul enim iniungitur a Domino officium praedicandi [α] et baptizandi: secundum illud Matth. ult. *: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc. Sed ad officium diaconi pertinet evangelizare *. Ergo videtur quod etiam ad officium diaconi pertineat baptizare.

* Part. I, § 6, 7.
* Vers. 26.
β

2. PRAETEREA, secundum Dionysium, V cap. *Eccl. Hier.* *, *purgare* pertinet ad officium diaconi. Sed purgatio a peccatis maxime fit per baptismum: secundum illud *Ephes.* V *: *Mundans eam lavacro aquae* [β] *in verbo vitae.* Ergo videtur quod baptizare pertineat ad diaconem.

* Homil. XCI inter Opp. Bedae.

3. PRAETEREA, de beato Laurentio legitur * quod, cum ipse esset diaconus, plurimos baptizabat. Ergo videtur quod ad diacones pertinet baptizare.

* Primus.
* Can. *Diaconos propriam.*

SED CONTRA EST quod Gelasius * Papa dicit, et habetur in Decretis, XCIII dist. *: *Diacones propriam constituimus observare mensuram.* Et infra: *Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi, praedictis ordinibus longius constitutis, necessitas extrema compellat.*

* § 1.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut caelestium ordinum proprietates et eorum officia ex eorum nominibus accipiuntur, ut dicit Dionysius, VII cap. *Cael. Hier.* *; ita etiam ex nominibus ecclesiasticorum ordinum accipi potest quid ad unumquemque pertineat ordinem. Dicuntur autem *diacones* quasi *ministri:* quia videlicet ad diacones non pertinet aliquod sacramentum principaliter et quasi ex proprio officio praebere, sed ministerium adhibere aliis maioribus in sacramentorum exhibitione. Et sic ad diaconem non pertinet quasi ex proprio officio tradere sacramentum baptismi: sed in collatione huius sacramenti et aliorum assistere et ministrare maioribus. Unde Isidorus dicit *: *Ad diaconum pertinet assistere et ministrare sacerdotibus* [γ] *in omnibus quae aguntur in sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in chrismate, in patena et calice.*

* Epist. *ad Ludifred.* - Cf. can. *Perlectis*, dist. XXV.
γ

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ad diaconum pertinet recitare evangelium in ecclesia, et praedicare ipsum per modum catechizantis [δ]: unde et Dionysius dicit * quod diaconi habent officium super immundos, inter quos ponit catechumenos *. Sed docere, id est exponere evangelium, pertinet proprie ad episcopum, cuius actus est *perficere*, secundum Dionysium, V cap. *Eccl. Hier.* *; perficere autem idem est quod docere. Unde non sequitur quod ad diacones pertineat officium baptizandi.

δ
* *Eccl. Hier.* cap. V, part. I, § 6.
* Ibid., cap. III, part. III, § 6.
* Part. I, § 6, 7.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Dionysius dicit, II cap. *Eccl. Hier.* *, baptismus non solum habet vim *purgativam*, sed etiam *illuminativam* virtutem. Et ideo excedit officium diaconi, ad quem pertinet solum purgare: scilicet vel repellendo immundos, vel disponendo eos ad sacramenti susceptionem.

* Cap. V, part. I, § 3.

AD TERTIUM DICENDUM quod, quia baptismus est sacramentum necessitatis, permittitur diaconibus, necessitate urgente in absentia maiorum, baptizare: sicut patet ex auctoritate Gelasii super * inducta. Et hoc modo beatus Laurentius, diaconus existens, baptizavit.

* Arg. *Sed cont.*

α) *praedicandi.* – *Evangelium* addunt PIsG.
β) *aquae.* – EIsGH *a* et editiones; om.
γ) *sacerdotibus.* – PH et post *assistere* IsG; *Unde... ministrare* (vel potius homoteleuton ceterorum *Unde... ministrare maioribus*) om. EpG, *maioribus sacerdotibus* ceteri.
δ) *per modum catechizantis.* – PIsGH; *per modum catechizandis* pH, *postmodum catechizandis* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus est clarus. – In corpore omnia clara sunt. Dubium tamen unum restat, quo pacto verum sit diaconis non convenire praedicandi et baptizandi officium: cum in diaconorum ordinatione expresse dicatur: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare.* Ex quo loco habetur argumentum et contra rationem Auctoris, et contra conclusionem. Contra rationem quidem, quia, dum hic exponitur ministerium diaconi respicere altare, apparet diaconos non nisi ut ministros se habere ad altare: sed respectu aliorum actuum, puta praedicandi et baptizandi, non potest inferri quod ministerialiter tantum deserviant. – Contra conclusionem autem, quia expresse attribuitur sibi et baptizare et praedicare.

II. Ad hoc dicitur quod utrumque verum est diversimode intelligendo. Nam ad diaconos spectat et baptizare et praedicare *ex impositione*: hoc est, si ab episcopo seu presbytero sibi imponatur; ut Pelagius * dicit, *de Consecr.*, dist. IV, cap. *Diacones* *. Non spectat autem ad diaconos praedicare aut baptizare ex officio: ut in cap. *Constat, de Consecr.*, dist. IV, dicitur.

* Gelasius.
* Cf. cap. *Constat* in fin.; et Can. *Diaconos propriam*, dist. XCIII.

Ratio quoque litterae solida consistit, fundata super officio diaconi absolute. Ex quo enim officium eius est ministrare, infertur rationabiliter quod, si actibus superiorum se immiscet, non nisi ministerialiter ad eos se habet. Et propterea recte infertur non competere sibi ex officio praedicare aut baptizare. Cum quo tamen stat, ut dictum est, quod utrumque potest ei competere ex impositione: hoc enim ostendit ministrum ipsum esse officialium eorum qui ex officio haec possunt.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM BAPTIZARE PERTINEAT AD OFFICIUM PRESBYTERORUM, VEL SOLUM EPISCOPORUM

Infra, art. 3, ad 1, 2; IV *Sent.*, dist. XVII, qu. III, art. 3, qu^a 2; dist. XXIV, qu. II, art. 2, ad 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod baptizare non pertineat ad officium presbyterorum, sed solum episcoporum. Quia, sicut dictum est *, sub eodem praecepto iniungitur, Matth. ult. *, officium docendi et baptizandi [α]. Sed docere, quod est *perficere*, pertinet ad officium episcopi: ut patet per Dionysium, V * et VI ** cap. *Eccl. Hier.* Ergo et baptizare pertinet tantum ad officium episcopi.

* Art. praeced., arg. 1; qu. LXVI, art. 5, arg. 2. * Vers. 19. α
* Part. 1, § 6, 7. ** Part. 1, § 3.

2. Praeterea, per baptismum annumeratur aliquis populo Christiano: quod quidem videtur ad officium solius principis pertinere. Sed principatum in Ecclesia tenent episcopi, ut dicitur in Glossa * Luc. X **: qui etiam [β] tenent locum Apostolorum, de quibus dicitur in Psalmo *: *Constitues eos principes super omnem terram.* Ergo videtur quod baptizare pertineat solum ad officium episcopi.

* Ord. Bedae. ** Vers. 1. β
* Ps. XLIV, vers. 17.

3. Praeterea, Isidorus dicit * quod *ad episcopum pertinet basilicarum consecratio, unctio altaris, et confectio chrismatis: ipse ordines ecclesiasticos distribuit, et sacras virgines benedicit.* Sed his omnibus maius est sacramentum baptismi. Ergo videtur quod multo magis ad officium solius episcopi pertinet baptizare.

* Epist. *ad Ludifred.* - Cf. can. *Perlectis*, dist. XXV.

Sed contra est quod Isidorus dicit, in libro *de Officiis* *: *Constat baptisma solis sacerdotibus esse traditum.*

* Lib. II, cap. XXV, n. 9.

Respondeo dicendum quod sacerdotes ad hoc consecrantur ut sacramentum Corporis Christi conficiant, sicut supra * dictum est. Illud autem est sacramentum ecclesiasticae unitatis: secundum illud Apostoli, I *Cor.* X *: *Unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et de uno calice participamus* *. Per baptismum autem aliquis fit particeps ecclesiasticae [γ] unitatis: unde et accipit ius accedendi ad mensam Domini. Et ideo, sicut ad sacerdotem pertinet consecrare Eucharistiam, ad quod principaliter ordinatur sacerdotium, ita ad proprium officium sacerdotis pertinet baptizare: eiusdem enim videtur esse operari totum, et partem in toto disponere.

* Qu. LXV, art. 3.
* Vers. 17.
* Cf. Aug. *In Ioan. Evang.*, tract. XXVI, n. 13. γ

Ad primum ergo dicendum quod utrumque officium, scilicet docendi et baptizandi, Dominus Apostolis iniunxit, quorum vicem gerunt episcopi: aliter tamen et aliter. Nam officium docendi commisit eis Christus ut ipsi per se illud exercerent, tanquam principalissimum: unde et ipsi Apostoli dixerunt, *Act.* VI *: *Non est aequum nos relinquere verbum Dei et ministrare mensis.* Officium autem baptizandi commisit Apostolis ut per alios exercendum: unde et Apostolus dicit, I *Cor.* I *: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Et hoc ideo quia in baptizando nihil operatur meritum et sapientia ministri, sicut in docendo, ut patet ex supra * dictis. In cuius etiam signum, nec ipse Dominus baptizavit, *sed discipuli eius*, ut dicitur Ioan. IV *. – Nec tamen per hoc excluditur quin episcopi possint baptizare: quia quod potest potestas inferior, potest et superior. Unde et Apostolus ibidem * dicit se quosdam baptizasse.

* Vers. 2.
* Vers. 17.
* Qu. LXIV, art. 1, ad 2; art. 5, 9.
* Vers. 2.
* I *ad Cor.*, cap. I, vers. 14, 16.

Ad secundum dicendum quod in qualibet republica ea quae sunt minora, pertinent ad minora officia, maiora vero maioribus reservantur: secundum illud *Exod.* XVIII *: *Quidquid maius fuerit, referent* [δ] *ad te, et ipsi tantummodo minora iudicent.* Et ideo ad minores principes civitatis pertinet disponere de infimo populo: ad summos autem pertinet disponere ea quae pertinent ad maiores civitatis. Per baptismum autem non adipiscitur aliquis nisi infimum gradum in populo Christiano. Et ideo baptizare pertinet ad minores

* Vers. 22. δ

α) *docendi et baptizandi.* – Pl; *baptizandi et docendi* ed. *a*, *docendi et praedicandi* ceteri.
β) *qui etiam.* – *qui* ante *ut dicitur* Pl.
γ) *ecclesiasticae.* – PEF*a*; *ecclesiae.*
δ) *referent.* – *referatur* ed. *a*, *referetur* H, *referant* I et editiones.

principes Ecclesiae, idest presbyteros, qui tenent locum septuaginta duorum discipulorum Christi, ut dicit Glossa Luc. x *.

* Cit. in arg.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, sacramentum baptismi est potissimum necessitate: sed quantum ad perfectionem, sunt quaedam alia potiora, quae episcopis reservantur.

* Qu. LXV, art. 3.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM LAICUS BAPTIZARE POSSIT

IIª IIªᵉ, qu. C, art. 2, ad 1; IV *Sent.*, dist. V, qu. II, art. 1, quª 1; dist. XVII, qu. III, art. 3, quª 2, ad 3; dist. XX, art. 1, quª 2, ad 3; dist. XXIII, qu. II, art. 1, quª 1.

* Vid. Comment. Caiet. post art. 5.

* Art. 2.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod laicus baptizare non possit. Baptizare enim, sicut dictum est *, proprie pertinet ad ordinem sacerdotalem. Sed ea quae sunt ordinis, non possunt committi non habenti ordinem. Ergo videtur quod laicus, qui non habet ordinem, baptizare non possit.

2. PRAETEREA, maius est baptizare quam alia sacramentalia baptismi perficere: sicut catechizare et exorcizare et aquam baptismalem benedicere. Sed haec non possunt fieri a laicis, sed solum a sacerdotibus *. Ergo videtur quod multo minus laici possint baptizare.

* D. 320, 591.

3. PRAETEREA, sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita et poenitentia. Sed laicus non potest absolvere in foro poenitentiali. Ergo neque potest baptizare.

SED CONTRA EST quod Gelasius Papa * et Isidorus * dicunt, quod *baptizare, necessitate imminente, laicis Christianis plerumque conceditur.*

* Primus. - Cf. can. *Diaconos propriam.*, dist. XCIII.
* *De Ecclesiast. Offic.* lib. II, cap. XXV, n. 9. - Cf. can. *Constat baptisma, de Consecr.*, dist. IV.
* I *ad Tim.*, cap. II, vers. 4.

RESPONDEO DICENDUM quod ad misericordiam eius qui *vult omnes homines salvos fieri* *, pertinet ut in his quae sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat. Inter omnia autem alia [α] sacramenta maximae necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem: quia pueris aliter [β] subveniri non potest; et adulti non possunt aliter quam per baptismum plenam remissionem consequi et quantum ad culpam et quantum ad poenam. Et ideo, ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est ut et materia baptismi sit communis [γ], scilicet aqua, quae a quolibet haberi potest; et minister baptismi etiam sit quicumque, etiam [δ] non ordinatus; ne propter defectum baptismi homo salutis suae dispendium patiatur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod baptizare pertinet ad ordinem sacerdotalem secundum quandam convenientiam et solemnitatem: non autem hoc est de necessitate sacramenti. Unde etiam si extra necessitatis articulum laicus baptizet, peccat quidem, tamen sacramentum baptismi confert, nec est rebaptizandus ille qui sic est baptizatus.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illa sacramentalia baptismi pertinent ad solemnitatem, non autem ad necessitatem baptismi. Et ideo fieri non debent nec possunt a laico, sed solum a sacerdote, cuius est solemniter baptizare.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, poenitentia non est tantae necessitatis sicut baptismus: potest enim per contritionem suppleri defectus sacerdotalis absolutionis, quae non liberat a tota poena, nec etiam pueris adhibetur. Et ideo non est simile de baptismo, cuius effectus per nihil [ε] aliud suppleri potest.

* Qu. LXV, art. 3, 4.

α) *alia.* – Om. PsI.
β) *aliter.* – *omnino* addunt P hic et sG post *potest.*
γ) *communis.* – *Alias, communissima* margo P. – Ante *haberi* l et editiones addunt *de facili.*
δ) *etiam.* – Om. Pc.
ε) *per nihil.* – Tertia; *principalis per nihil* EF, *principalis* ceteri; *a* prosequitur: *per aliud suppleri non potest.*

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulis secundo et tertio hoc solum pro novitiis notandum est, quod, cum in calce secundi articuli dicitur, *Effectus baptismi per nihil aliud suppleri potest*, intelligendum est de integro effectu baptismi. Integer siquidem effectus baptismi claudit in se characterem. Et propterea, licet gratia, cum remissione totius culpae et poenae, possit sine baptismo suppleri, ut patet in Latrone *, character tamen suppleri non potest: – et hoc, loquendo de potentia ordinata sub divinae dispositionis providentia.

* Luc. cap. XXIII, vers. 43.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM MULIER POSSIT BAPTIZARE

* Vide Comm. Caiet. post art. 5.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod mulier non possit baptizare. Legitur enim in Carthaginensi Concilio *: *Mulier, quamvis docta et sancta, viros in conventu docere, vel alios* [α] *baptizare non praesumat.* Sed nullo modo licet mulieri docere in conventu: secundum illud I *Cor.* XIV *: *Turpe est mulieri in ecclesia loqui.* Ergo videtur quod nec etiam aliquo modo liceat mulieri baptizare.

* Quarto, can. XCIX, c.
* Vers. 35.

2. PRAETEREA, baptizare pertinet ad officium praelationis: unde a sacerdotibus habentibus curam animarum debet accipi baptismus. Sed hoc non potest competere feminae [β]: secundum illud I *Tim.* II *: *Docere mulieri non permitto, nec dominari in viros* [γ], *sed subditam esse.* Ergo mulier baptizare non potest.

* Vers. 12.

3. PRAETEREA, in spirituali regeneratione videtur aqua habere locum materni uteri: ut Augustinus dicit *, super illud Ioan. III **, *Nunquid homo potest in ventrem matris suae iterato introire et renasci?* Ille autem qui baptizat, videtur magis habere patris officium. Sed hoc non competit mulieri. Ergo mulier baptizare non potest.

* *In Ioan. Evang.* tract. XI, n. 6.
** Vers. 4.

SED CONTRA EST quod Urbanus Papa * dicit, et habetur in Decretis, XXX, qu. III *: *Super quibus consuluit nos tua Dilectio, hoc videtur nobis hac sententia respondendum: ut baptismus sit si, necessitate instante, femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit.*

* Secundus.
* Can. *Super quibus.*

RESPONDEO DICENDUM quod Christus est qui principaliter baptizat: secundum illud Ioan. I *, *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, hic est qui baptizat.* Dicitur autem *Coloss.* III * quod *in Christo non est masculus neque femina.* Et ideo, sicut masculus laicus potest baptizare, quasi minister Christi, ita etiam et femina.

* Vers. 33.
* *Ad Galat.*, cap. III, vers. 28. - Cf. *ad Coloss.*, cap. III, vers. 11.

Quia tamen *caput mulieris est vir, et caput viri Christus,* ut dicitur I *Cor.* XI *; non debet mulier baptizare si adsit copia viri. Sicut nec laicus praesente clerico, nec clericus praesente sacerdote. Qui tamen potest baptizare praesente episcopo: eo quod hoc pertinet ad officium sacerdotis.

* Vers. 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut mulieri non permittitur publice docere, potest tamen privata doctrina vel monitione aliquem instruere; ita non permittitur publice et solemniter baptizare, sed tamen potest baptizare in necessitatis articulo.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quando baptismus solemniter et ordinate [δ] celebratur, debet aliquis sacramentum baptismi suscipere a presbytero [ε] curam animarum habente, vel ab aliquo vice eius. Hoc tamen non requiritur in articulo necessitatis, in quo potest mulier baptizare.

AD TERTIUM DICENDUM quod in generatione carnali masculus et femina operantur secundum virtutem propriae naturae: et ideo femina non potest esse principium generationis activum, sed passivum tantum *. Sed in generatione spirituali neuter operatur virtute propria, sed instrumentaliter tantum per virtutem Christi. Et ideo eodem modo potest et vir et mulier in casu necessitatis baptizare.

* D. 661.

Si tamen mulier extra casum necessitatis baptizaret, non esset rebaptizandus: sicut et de laico dictum est *. Peccaret tamen ipsa baptizans, et alii qui ad hoc cooperarentur, vel baptismum ab ea suscipiendo, vel ei baptizandum aliquem offerendo.

* Art. 3, ad 1.

α) *alios.* – *aliquos* PI.
β) *feminae.* – *mulieri* editiones.
γ) *viros.* – *virum* P.
δ) *ordinate.* – *ordinarie* PEGHI.
ε) *a presbytero.* – E et tertia; *a sacerdote* F, om. ceteri.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM ILLE QUI NON EST BAPTIZATUS, POSSIT SACRAMENTUM BAPTISMI CONFERRE

IV *Sent.*, dist. V, qu. II, art. 1, qu^a 3.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ille qui non est baptizatus, non possit sacramentum baptismi conferre. *Nullus enim dat quod non habet* *. Sed non-baptizatus non habet sacramentum baptismi. Ergo non potest ipsum conferre.

* Cf. qu. LXIV, art. 5, arg. 1.

2. PRAETEREA, sacramentum baptismi confert aliquis inquantum est minister Ecclesiae. Sed ille qui non est baptizatus, nullo modo pertinet ad Ecclesiam, scilicet nec re nec sacramento. Ergo non potest sacramentum baptismi conferre.

3. PRAETEREA, maius est sacramentum conferre quam suscipere. Sed non-baptizatus non potest alia sacramenta suscipere. Ergo multo minus potest aliquod sacramentum conferre.

SED CONTRA EST quod Isidorus dicit *: *Romanus Pontifex non hominem iudicat qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit qui baptizat.* Sed ille qui est baptizatus, non dicitur paganus. Ergo non [α] baptizatus potest conferre sacramentum baptismi.

* Cf. can. *Si quis per ignorant.*, caus. I, qu. 1; can. *Romanus Pontif.*, *de Consecr.*, dist. IV.

α) *non.* – Ea; *etiam nec* pG, *etiam non* F et cetera tertia, om. ceteri.

* Cap. XIII. — * Primus. — * Can. *A quodam, de Consecr.*, dist. IV. — * Greg. III. - Vide not. Sirmondi ad hanc ep. (Labb. *Concil.* VI, 1469). — * Can. *Quos a paganis, de Consecr.*, dist. IV.

RESPONDEO DICENDUM quod hanc quaestionem Augustinus indeterminatam reliquit. Dicit enim, in II *contra Epistolam Parmeniani* *: *Haec quidem alia quaestio est, utrum et* [β] *ab his qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari: nec aliquid hinc temere affirmandum est, sine auctoritate tanti sacri concilii quantum tantae rei sufficit.* Postmodum vero per Ecclesiam determinatum est quod non-baptizati, sive sint Iudaei sive pagani, possunt sacramentum baptismi conferre, dummodo in forma Ecclesiae baptizent [γ]. Unde Nicolaus Papa * respondet *ad Consulta Bulgarorum* *: *A quodam nescitis Christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis. Hi si* [δ] *in nomine Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari non debent.* Si autem forma Ecclesiae non fuerit observata, sacramentum baptismi non confertur. Et sic intelligendum est quod Gregorius II [ε] * scribit Bonifacio Episcopo *: *Quos a paganis baptizatos asseruisti*, scilicet Ecclesiae forma non servata, *ut de novo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.*

Et huius ratio est quia, sicut ex parte materiae, quantum ad necessitatem sacramenti, sufficit quaecumque aqua, ita etiam sufficit ex parte ministri quicumque homo. Et ideo etiam non-baptizatus in articulo necessitatis baptizare potest. Ut sic duo non-baptizati se invicem baptizent, dum prius unus baptizaret alium, et postea baptizaretur ab eodem: et consequeretur uterque non solum sacramentum, sed etiam rem sacramenti. Si vero extra articulum necessitatis hoc fieret, uterque graviter peccaret, scilicet baptizans et baptizatus, et per hoc impediretur baptismi effectus, licet non tolleretur ipsum sacramentum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod homo baptizans adhibet tantum exterius ministerium: sed Christus est qui interius baptizat, qui potest uti omnibus hominibus ad quodcumque voluerit. Et ideo non-baptizati possunt baptizare: quia, ut Nicolaus Papa * dicit, baptismus *non est illorum*, scilicet baptizantium, *sed eius*, scilicet Christi. * Cf. can. cit. in corpore.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ille qui non est baptizatus, quamvis non pertineat ad Ecclesiam re vel sacramento, potest tamen ad eam pertinere intentione et similitudine actus, inquantum scilicet intendit facere quod facit Ecclesia, et formam Ecclesiae servat in baptizando, et sic operatur ut minister Christi, qui virtutem suam non alligavit baptizatis, sicut nec etiam sacramentis.

AD TERTIUM DICENDUM quod alia sacramenta non sunt tantae necessitatis sicut baptismus. Et ideo magis conceditur quod non-baptizatus possit baptizare, quam quod possit alia sacramenta suscipere.

β) *et.* – Tertia praeter H; *etiam* H, *quidem* ed. *a*, *autem et* ceteri. – Pro *hinc temere*, *temere inde* P. – Pro *tanti sacri*, *tanti sacramenti* F, *sacri* EGH*bc*, *tanti* PI. – Pro *concilii*, *consilii* EI; *Alias*, *consilii* margo P.

γ) *baptizent.* – Tertia praeter I; *baptizetur* I, *baptizarent* ceteri.

δ) *respondet... Hi si.* – *respondet de Consecr. dist.* IV *c. a.* (*c. a.* om. P) *ad consultationem* (*consulta* P*c*) *Bulgatorum* (*Vulgatorum c*, *Bulgar. c. 3.* P): *A quodam Iudaeo, nescitis utrum... asseritis baptizatos, et quid inde sit agendum consulitis. Hi profecto si* editiones; etiam E*a* addunt *utrum* post *nescitis.*

ε) *II* – *servus* E, *papa II* F, om. I*a*, *secundo* P. – Post *baptizatos* IsG et editiones addunt *esse.*

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulis quarto et quinto dubium occurrit commune multis articulis: An baptizare extra necessitatis casum eo modo quo in necessitatis casu licet, sit peccatum mortale; verbi gratia, si laicus extra casum necessitatis baptizaret; aut si unus baptizaret duo simul dicendo, *Ego baptizo vos*, quod in casu necessitatis licitum dicitur *; et sic de aliis similibus Ecclesiae ordinationibus erga baptismum non servatis. Et est ratio dubii quia Auctor, hoc tractans, in calce corporis articuli quinti dicit quod *graviter peccaret uterque, scilicet baptizans et baptizatus, et per hoc impediretur baptismi effectus, licet non tolleretur sacramentum.* Ubi apparet ipsum sentire quod est peccatum mortale: quoniam baptismi effectus non impeditur nisi per peccatum mortale. * Art. 6, ad 2.

II. Ad huius evidentiam, scito Scotum, in IV *Sent.*, dist. VI *, sonare quod baptizans plures simul extra articulum necessitatis, dicendo, *Ego baptizo vos*, peccat mortaliter, quia non servat formam impositam sibi ab Ecclesia. * Qu. II.

Si tamen diligenter perspectum fuerit, et distinctum peccatum mortale dupliciter hic inveniri posse, aut secundum se, hoc est ex suo genere, aut ex Ecclesiae praecepto: cum mutationes aut omissiones huiusmodi non constituant actum sacrilegum secundum se (quod ex eo patet quod, si actus esset secundum se sacrilegus, in nulla necessitate esset licitus), restat ut aliunde peccatum hoc sit mortale, si mortale est. Ex triplici autem capite hoc dici posset: vel ex inobedientia, et sic ad hoc quod esset mortale, exigeretur contemptus; vel ex praesumptione, puta quia laicus praesumit actum sacerdotis; vel ex modo institutionis ecclesiasticae, puta quia ritus talis servatur ut quasi necessarius, sicut sacrae vestes exiguntur in consecratione Eucharistiae.

Ex quibus apparet quod solemniter baptizans tenetur sub peccato mortali servare ritum Ecclesiae. – Quod non ita intelligas ut cuiuslibet caeremoniae omissio sit peccatum mortale.

Similiter, si laicus solemniter baptizare praesumeret, a mortali non excusaretur.

Sed ubi absque solemnitate baptizaret, et contemptus atque praesumptio deessent, extra necessitatis articulum, puta quia credunt se bene facere, mortale peccatum non video. Immo Innocentius III a veniali etiam peccato excusat eum qui, credens se bene facere, baptizavit seipsum. Dicit enim in cap. *Debitum*, Extra, *de Baptismo et eius effectu*, de Iudaeo in mortis articulo baptizante seipsum: *Si talis continuo decessisset, ad patriam protinus evolasset.* Ex quo loco argumentum sumitur magnum quod, si error commissus circa baptismum tantus ac talis ut tollat baptismum, qualis est error baptizantis seipsum, excusatur non solum a mortali, sed etiam a veniali, propter conditionem personae (alioquin non esset verum quod statim ad patriam evolasset): multo magis opinio ignorantis se bene facere excusabit a mortali baptizantem servatis substantialibus, et errantem solum in hoc quod necessitatis articulo non arctatur.

Nec verba Auctoris hic docent oppositum: quoniam baptismi effectus plenus impeditur ex peccato veniali. Peccans enim venialiter dum baptizatur, nec omnis poenae nec omnis culpae remissionem adipiscitur, quamvis gratiam consequatur.

Posset quoque dici quod Auctor de praesumentibus, et non de simpliciter facientibus intelligitur.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM PLURES POSSINT SIMUL BAPTIZARE

Supra, qu. LXVI, art. 5, ad 4; IV *Sent.*, dist. III, art. 2, qu^a 2, ad 2; dist. VI, qu. II, art. 1, qu^a 1, ad 3.

* Vide Comm. Caiet. post art. 5.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod plures possint simul [α] baptizare. In multitudine enim continetur unum, sed non convertitur. Unde videtur quod quidquid potest facere unus, possint facere multi, et non e converso: sicut multi trahunt navem quam unus trahere non posset. Sed unus homo potest baptizare. Ergo et plures possunt simul unum baptizare.

2. PRAETEREA, difficilius est quod unum [β] agens agat in plura quam quod plures agentes agant simul in unum. Sed unus homo potest simul baptizare plures. Ergo multo magis plures possunt simul unum baptizare.

3. PRAETEREA, baptismus est sacramentum maximae necessitatis. Sed in aliquo casu videtur esse necessarium quod plures simul unum baptizarent: puta si aliquis parvulus esset in articulo mortis, et adessent duo quorum alter esset mutus, et alter manibus et brachiis careret; tunc enim oporteret quod mutilatus verba proferret, et mutus baptismum [γ] exerceret. Ergo videtur quod plures possint simul unum baptizare.

SED CONTRA EST quod unius agentis una est actio. Si ergo plures unum baptizarent, videretur sequi quod essent plures baptismi. Quod est contra id quod dicitur *Ephes.* IV *: *Una fides, unum baptisma.*

* Vers. 5.

RESPONDEO DICENDUM quod sacramentum baptismi praecipue habet virtutem ex forma, quam Apostolus nominat *verbum vitae, Ephes.* V *. Et ideo considerare oportet, si plures unum simul baptizarent, qua forma uterentur. Si enim dicerent, *Nos te baptizamus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, dicunt quidam * quod non conferretur sacramentum baptismi eo quod non servaretur forma Ecclesiae, quae sic habet, *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* – Sed hoc excluditur per formam baptizandi qua utitur Ecclesia Graecorum. Possent enim dicere, *Baptizatur* [δ] *servus Christi N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, sub qua forma Graeci baptismum suscipiunt: quae tamen forma multo magis dissimilis est formae qua nos utimur, quam si diceretur, *Nos te baptizamus.*

* Vers. 26.

* Halens. *Sum. Theol.* part. IV, qu. VIII, memb. 6, art. 7.

Sed considerandum est quod ex tali forma, *Nos te baptizamus*, exprimitur talis intentio quod plures conveniunt ad unum baptismum conferendum. Quod quidem videtur esse contra rationem ministerii: homo enim non baptizat nisi ut minister Christi et vicem eius gerens; unde, sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum qui Christum repraesentet. Propter quod signanter Apostolus dicit, *Ephes.* IV *: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Et ideo contraria intentio videtur excludere baptismi sacramentum.

* Vers. 5.

Si vero uterque diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, uterque exprimeret suam intentionem quasi ipse singulariter baptismum conferret. Quod posset contingere in eo casu in quo contentiose uterque aliquem baptizare conaretur. Et tunc manifestum est quod ille qui prius verba proferret, daret baptismi sacramentum. Alius vero, quantumcumque ius [ε] baptizandi haberet, etsi verba pronuntiare praesumeret, esset puniendus tanquam rebaptizator. Si autem omnino simul [ζ] verba proferrent et hominem immergerent aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, et non de iteratione baptismi: quia uterque intenderet non-baptizatum baptizare, et uterque, quantum est in se, baptizaret. Nec traderent aliud et aliud sacramentum: sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum sacramentum per utrumque conferret.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ratio illa locum habet in his quae agunt propria virtute. Sed homines non baptizant propria virtute, sed virtute Christi, qui, cum sit unus, per unum ministrum perficit suum opus.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in casu necessitatis unus posset simul plures baptizare sub hac forma, *Ego vos baptizo:* puta si immineret ruina aut gladius aut aliquid huiusmodi, quod moram omnino non [η] pateretur, si singillatim omnes baptizarentur. Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesiae, quia plurale non est nisi singulare geminatum: praesertim cum pluraliter dicatur, Matth. ult. *, *Baptizantes eos*, etc. – Nec est simile de baptizante et baptizato. Quia Christus, qui principaliter baptizat, est unus: sed multi per baptismum efficiuntur unum in Christo.

* Vers. 19.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, integritas baptismi consistit in forma verborum et in usu materiae. Et ideo neque ille qui tantum verba profert baptizat, neque ille qui immergit. Et ideo, si unus verba proferat et alius immergit [θ], nulla forma verborum poterit esse conveniens. Neque enim poterit dici [ι], *Ego te baptizo:* cum ipse non immergat, et per conse-

* Qu. LXVI, art. 1.

α) *simul.* – *unum* addunt PE*a*.
β) *unum.* – *unus* ed. *a*.
γ) *baptismum.* – *actum (actus bc) baptismi* I et editiones.
δ) *Baptizatur.* – *Baptizetur* P*a*; cf. qq. LX. art. 8. δ, LXVI. art. 5. ι.
ε) *ius.* – *vis* E, *intentionem bc* et per *Alias* margo P. Post *haberet* tertia addit *nihil faceret.*
ζ) *simul.* – *ambo* addunt E et tertia praeter H. – *et hominem* tertia; *aut hominem.*
η) *moram omnino non.* – EFGIsB et *a*; *moram omnino* ACDpB; *omnino moram non* PH*bc*. Pro *si*, *ut* PEGI.
θ) *immergit.* – *immergat* tertia.
ι) *dici.* – *dicere* ed. *a*. Mox pro *dicere*, *dici* P.

quens non baptizet. Neque etiam poterit dicere, *Nos te baptizamus:* cum neuter baptizet. Si enim duo sint quorum unus unam partem libri scribat et alius aliam, non est propria locutio, *Nos scripsimus librum istum,* sed synecdochica, inquantum totum ponitur pro parte.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat. – In corpore articuli est una distinctio de forma qua plures simul baptizantes possent uti. Altera est: *Nos te baptizamus.* Altera est ut uterque diceret: *Ego te baptizo.* Et primo, examinatur et respondetur quaesito iuxta primam formam; secundo, iuxta secundam.

Quoad *primum,* recitatur opinio una dicentium non valere baptismum si plures dicant, *Nos te baptizamus,* quia non servatur forma Ecclesiae, quae habet quod in singulari persona ministri exprimatur, dicendo, *Ego te baptizo.*

Deinde contra hanc rationem Auctor arguit, immo eam excludit, ex multo maiori recessu formae Graecorum a forma nostra. Et stat ratio in hoc, quod ad tollendam veritatem baptismi non sufficit recessus ab ista forma, *Ego te baptizo,* quia, si recessus sufficeret, apud Graecos non esset baptismus. Quoniam forma eorum multo magis recedit ab hac nostra quam recedat ista, *Nos te baptizamus:* cum hic non mutetur nisi singulare in plurale; ibi vero omnino omittitur persona ministri, et in tertia persona exprimitur actus, dicendo, *Baptizetur* etc.

Demum aliam rationem reddit Auctor ex parte intentionis explicitae: scilicet quia hac forma, *Nos te baptizamus,* explicatur intentio ministrorum quoad hoc quod plures conveniunt ad unum baptismum conferendum. Ex quo formatur talis ratio. Homo non baptizat nisi ut minister Christi. Ergo oportet ministrum esse unum, ut Christi unitatem repraesentet. Sed in dicta forma explicatur contrarium: quia explicatur pluralitas ministrorum. Ergo dicta forma videtur tollere baptismum. – Et confirmatur huiusmodi unitas auctoritate Apostoli Pauli.

Quoad *secundum,* ponuntur duo modi quibus hoc contingere posset. Scilicet, vel altero praeveniente reliquum. Et sic dicitur quod solus praeveniens baptizaret. – Vel utroque simul concurrente. Et sic dicitur quod Christus per utrumque unum baptismum conferret.

II. Circa ea quae hic dicuntur, adverte primo, dupliciter contingere duos simul baptizare: vel utroque totum faciente et dicente; vel altero dicente et altero faciente. Auctor secundum modum reservat tractandum hic in responsione ad ultimum. De primo autem modo tantum loquitur in hoc corpore articuli.

Adverte secundo, rationem litterae ad concludendum irritam esse formam illam, *Nos te baptizamus,* non afferri ab Auctore assertive, sed opinative: ut sua monstrant verba, etiam replicata, dum dicit, *Quod quidem videtur esse contra rationem ministri,* et postea subdit, *Ideo contraria intentio videtur excludere sacramentum.*

Adverte tertio, Auctorem superius, qu. LXVI, art. 5, ad 4, afferre duas alias rationes ad excludendam eandem formam, scilicet, *Nos te baptizamus.* Prima ratio est, quia actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab unoquoque agatur. Sed baptismus est actus ab unoquoque baptizante perfectus. Ergo unus baptismus non est a duobus. – Secunda ratio est, quia mutaretur forma baptismi dicendo, *Nos baptizamus:* quia dicere *nos* non est idem dicere quod *ego et ego,* sed, *ego et iste.* – Quae ideo repetita hic sunt a me, quia superius * ad hunc locum me remisi.

* Ibid., Comm. num. II.

III. Circa hanc doctrinam dubium primo occurrit ex Durando, in IV *Sent.,* dist. III, qu. III, art. 2 *. Primo enim, contra omnes dictas rationes Auctoris procedit. Et primam quidem rationem, *Actus multiplicatur* etc. *, dicit non concludere in agentibus per voluntatem: et eam militare contra Auctorem ponentem * plures sacerdotes posse simul consecrare eandem hostiam. Par enim est utrobique iudicium quoad multiplicationem actus ab agente.

* Cf. num. XII.

* Num. praec., *Adverte tertio.*

* Qu. LXXXII, art. 2.

Secundam vero rationem, de mutatione formae *, dicit non cogere *: quia mutatio formae quantum ad illud quod non est de necessitate formae, non tollit sacramentum. Sic autem est in proposito. Tum quia expressio ministri non est de necessitate formae baptismalis: ut patet de forma Graecorum. Ergo multo minus est de necessitate eius expressio ministri in singulari numero. – Tum quia haec forma, *Nos te baptizamus,* prolata ab utroque, ex parte cuiuslibet dicentis resolvitur in istam, *Ego baptizo te:* ubi nulla apparet mutatio secundum sensum a forma Romanae Ecclesiae. – Et Petrus de Palude, in IV *Sent.,* dist. III, qu. II, art. 3, approbans haec Durandi, adiungit quod, sicut forma illa, ut profertur ab isto, resolvitur in hanc, *Ego te baptizo et hic baptizat,* sic e converso, ut profertur ab altero, resolvitur in hanc, *Ego baptizo et hic baptizat.* Ac per hoc, servatur forma Ecclesiae Romanae quoad sensum: quia uterque dicit, secundum sensum, *Ego baptizo te* etc.

* Num. praec., *Adverte tertio.*

* Cf. num. XIII.

Contra tertiam autem rationem, de expressione plurium ministrorum *, arguit Durandus tripliciter **. Primo. Unitas ministri vel exigitur ad baptismum secundum rem: aut secundum expressionem, puta quod quilibet minister exprimat se ut unum. Non potest dici primum: quia tumet dicis quod duo simul possunt baptizare eundem, si uterque dicat, *Ego te baptizo.* – Secundum autem non est rationabile. Tum quia expressio ministri non est de necessitate sacramenti. – Tum quia, si oportet ministrum exprimi secundum congruentiam ad principale agens, ut tu assumis, cum principale agens sit Trinitas, congruentius exprimi deberet minister in numero plurali. – Tum quia modus exprimendi ministrum nihil videtur facere ad sacramentum: sufficit enim principale agens et actum exprimere.

* Num. I, *Demum.*
** Cf. num. XIV.

IV. Contra conclusionem dictam *, scilicet, *Si baptismus a pluribus datur dicentibus, Nos te baptizamus, non valet baptismus,* arguit Petrus de Palude, ibidem *. Tum quia, quando plures uxores poterant simul nubere uni viro, non referebat an quaelibet diceret, *Accipio te in virum,* an, *Nos accipimus te in virum:* secundum illud Isaiae IV *: *Invocetur nomen tuum super nos,* etc.

* Num. I, *Demum.*

* Loc. cit. in num. III. - Cf. num. XV.

* Vers. 1.

Tum quia, dicendo *Baptizamus te,* magis exprimitur unitas baptismi quam utroque dicente uni, *Ego te baptizo:* apparet enim singulos seorsum baptizare, ac per hoc distinctos duos baptismos conferre. Dicendo autem, *Baptizamus,* apparet convenire in unum baptisma. – Et confirmatur. Quia, sicut de essentia est expressio actus, ita saltem de congruentia est expressio unitatis vel pluralitatis actus.

Tum quia, duobus existentibus officialibus in solidum, et ambobus volentibus idem facere simul, congruentius est ut dicant *Mandamus,* aut *Pronuntiamus,* quam ut quilibet per se dicat *Mando,* aut *Pronuntio.*

Tum quia plurale non est nisi geminatum singulare: idem enim sensus est dicere, *Socrates et Plato currunt,* et dicere, *Socrates currit et Plato currit.* Et pari ratione idem est in prima persona. Et quia verba sacramentalia efficiunt quod significant, quae aequipollent in significando, aequipollent etiam in efficiendo.

Tenentque propterea Durandus et Petrus oppositam conclusionem: quamvis timor reverentialis Petrum cohibeat.

V. Circa Auctoris processum, dubium occurrit de sufficientia *. Videtur enim insufficienter tractare quaestionem hanc, dum, discutiendo formas quibus uti possent plures simul baptizantes unum, non discurrit nisi per formas seu formam secundum ritum Romanae Ecclesiae. Debuisset enim discutere eandem quaestionem secundum formam qua utitur Ecclesia Graeca, et determinare an secundum illam formam possent multi simul baptizare unum.

* Cf. num. XVII.

VI. Circa secundum modum *, concessum communiter, quo plures possunt simul baptizare unum, scilicet quolibet baptizante dicente, *Ego te baptizo*, dubium restat *, quomodo fieri aut intelligi potest duo agentia totalia, quamvis instrumentalia, eiusdem rationis, producere efficaciter simul unum effectum non intensum aut perfectum magis quam si ab uno eorum tantum produceretur; et hoc in subiecto capaci perfectioris seu intensioris effectus, quale est anima nostra; et de effectu suscipiente magis et minus, qualis est gratia. Videtur enim non intelligibile.

* Num. I, *Quoad secundum*.
* Cf. num. XVIII.

VII. Circa principale quaesitum dubium adhuc restat, an baptismus de necessitate sacramenti exigat unitatem ministri *. Ex hac enim littera non habetur responsio simpliciter et absolute: sed tantum habetur quod secundum unam formam possunt plures conferre unum baptisma, et secundum aliam formam non. Scotus autem dicit, in VI dist. IV *Sent.* *, quod unitas ministri est ab institutione Christi; Durandus vero asserit oppositum *; Petrus autem dicit ** quod unitas ministri non est de substantia sacramenti, ut dicunt communiter omnes. Ex quibus apparere potest quaestionem hanc remanere dubiam.

* Cf. num. seq.
* Qu. II, in fine.
* Loc. cit. in num. III.
** Loc. cit. ibid.

VIII. Ad has dubitationes sic respondendum est ut primo dicatur ad ultimam *, tanquam eam ex cuius claritate reliquarum solutio facilius percipietur. Ad evidentiam autem quaestionis ultimae, dicendum primo est quid est hic manifestum, et quid occultum *. Duobus igitur modis intelligi potest unitas ministri. Vel quod unitas ministri non possit integrari ex pluribus personis: ita quod non possit contingere in ministro quod unus totalis minister consurgat ex multis partialibus personis comministrantibus; puta sicut perfectus tractor navis integratur ex multis simul trahentibus, vel sicut perfectus fabricator integratur ex multis partialibus ministeriis. Et sic in hoc communiter doctores conveniunt, tenendo partem negativam, scilicet quod unitas ministri baptismi non potest consurgere ex pluribus personis partialiter concurrentibus *. Propterea enim dicunt quod, si unus abluit et alter profert verba, baptismus nullus est: oppositum enim esset si minister baptismi ex duabus personis partialiter concurrentibus integrari posset.

* Num. praec.
* Cf. num. seq.
* Cf. num. X.

Alio autem modo unitas ministri potest intelligi per exclusionem plurium totalium ministrorum: puta, an baptismus ita exigat unum totalem ministrum quod, si duo totales ministri simul concurrant, baptismus nullus sit. Et in hoc quoque sensu conveniunt communiter doctores, tenentes partem negativam, scilicet quod non requirit baptismus talem unitatem ministri. Propterea enim dicunt quod, si duo simul proferant singuli verba et abluant eundem, baptismus verus est, quia neuter alterius factum irritat. – Haec duo sunt quae pro manifestis habentur.

IX. Latet autem an, absolute loquendo, unitas et pluralitas ministri per accidens se habeant vel per se ad sacramentum baptismi. Durandus enim tenet * quod per accidens. Auctor autem tenet quod per se. Et hoc est verum. Quod ex eo evidenter patet quod manifeste per accidens, etiam extraneum, contingit unum baptismum esse a duobus ministris: nulla enim ratio id requirit, quamvis permittat.

* Loc. cit. in num. III.

Amplius, quando baptismus est a pluribus ministris, non est omnino unus. Quoniam sunt tunc duae formae numero, duae materiae et actiones numero: ac per hoc, duo baptismi sacramenta active; et solus interior baptismus animae unus est. Patet autem hoc: quia sacramentum baptismi integratur ex rebus, et verbis a ministro, etc.; sed in casu proposito sunt duo numero integrata ex rebus et verbis, etc.; ergo sunt duo sacramenta active. Unum ergo numero baptismi sacramentum unum ministrum exigit. Et hoc est quod Auctoris prima ratio * concludit: quod scilicet actus multiplicatur a multiplicatione agentium totalium; seu, quod idem est, si perfecte ab unoquoque fiat. Unde *cohibenda est lingua* dicentium accidere sacramento unitatem vel pluralitatem ministrorum. Quoniam pluralitas ministrorum partialium communiter excluditur: pluralitas vero ministrorum totalium pluralitatem numeralem exterioris sacramenti infert, et omnino per accidens invenitur ad unum numero effectum sacramenti.

* Num. II, *Adverte tertio*.

Mirabile autem est non advertisse ad propriam vocem. Nam si subtiliter perspectum fuerit, apparebit quod impossibile est unum et idem sacramentum baptismi esse a duobus totalibus ministris, quamvis ponatur unum et eundem effectum esse ab utrisque. Quanta enim differentia est inter baptismum et eius effectum, tanta differentia est inter affirmationem unius vel plurium baptismatum, et unius vel plurium effectuum baptismi. Et propterea, cum baptismi sacramentum non sit nisi exterius integratum ex rebus et verbis, puta ex ablutione in aqua et forma verborum a ministro cum debita intentione; et hic sint omnia exteriora active et passive duplicata, sunt enim duo perfecti ministri cum duabus intentionibus baptizandi, sunt duae formae, sunt duae ablutiones activae et duae passivae, ut patet si aspergatur qui baptizatur secundum diversas sui partes: – breviter, nihil deest ad pluralitatem totalem nisi pluralitas baptizati. Cuius unitas unitatem effectui baptismi dare potest: pluralitatem autem exterioris sacramenti non tollit. Notanter autem dixi, *pluralitatem totalem:* quia qui baptizatur licet secundum partem abluatur, ipsum tamen suppositum est quod primo abluitur, baptizatur enim hic homo, et non caput eius; ac per hoc, licet secundum exteriores partes sint duae ablutiones passivae, secundum tamen subiectum quod abluitur, non est nisi una ablutio passiva, quia non est nisi unus ablutus. Et propterea dicitur quod non est nisi unus baptismus passive in eo qui baptizatur a duobus modo dicto.

Ex quibus omnibus habetur quod unitas per se baptismi unitatem exigit ministri perfecti.

X. Sed qua ratione aut auctoritate cogente unitas ministri excludit pluralitatem partialium comministrantium, videndum restat. Auctor siquidem ex duobus capitibus conatur hoc monstrare: scilicet ex parte formae, ut patet in secunda ratione *; et ex parte unitatis principalis agentis, scilicet Christi, ut patet in tertia ratione *.

Auctoritas vero duplex inducitur *: altera ex Decretis, dist. XXIII, cap. *Quorundam*, ubi ordo sacer datus ab episcopo operante et presbytero legente irritatur; altera ex Evangelio, eo quod Dominus baptizanti commisit invocationem Trinitatis *.

* Num. II, *Adverte tertio*.
* Num. I, *Demum*.
* Cf. num. seq.
* Matth. cap. XXVIII, vers. 19.

In oppositam autem partem affertur ratio, quia *omnes sumus unum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra* *; ac per hoc, multi partialiter concurrentes concurrunt ut unum; immo concurrunt ut multa instrumenta unius, scilicet Christi. Et hoc praecipue habet locum in proposito, ubi constat quod *Christus est qui baptizat* *, et homo non nisi ministerialiter ut Christi instrumentum concurrit.

* *Ad Rom.*, cap. XII, vers. 5.
* Ioan. cap. I, vers. 33; Aug. *In Ioan. Evang.* tract. VI.

Et confirmatur. Quia si Christus utitur totalibus ministris ad unum baptisma, contra omnem rationem, multo magis credendum est quod utitur pluribus ministris partialibus ad unum baptismum, necessitate aut ratione ita exigente.

Suffragatur et Evangelii auctoritas *. Quoniam Dominus dixit pluraliter, *baptizantes eos*, insinuans per pluralem numerum plures posse simul baptizare.

* Loc. prox. cit.

Nec deest auctoritas Apostolorum. Quoniam de Petro et Ioanne legitur * quod *imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum*. Eadem enim ratione qua plures simul conferebant sacramentum confirmationis, partialiter procul dubio concurrentes, quia nihil inordinatum faciebant, potest et nunc a pluribus simul partialiter baptismus dari.

* *Act.* cap. VIII, vers. 17.

XI. In hac difficultate neutram audeo partem asserere. Intellectui autem meo magis apparet verum esse quod perfectus minister baptismi potest ex duabus personis partialiter concurrentibus integrari: ea ratione quia ad Christum, principaliter baptizantem, non refert pluribus partialibus instrumentis simul uti ad unum baptisma, dummodo forma, materia et intentio debitae serventur.

Et ad obiecta ex rationibus Auctoris patebit in ipsarum discussione ac declaratione *.

* Cf. num. XII sqq.

Ad auctoritatem autem ex Decretis * dicitur primo, quod ibi non irritatur ordo susceptus: immo potius insinuatur oppositum, dum dicitur: *Gradum sacerdotii vel levitici ordinis, quem perverse adepti sunt, amittant.* – Dicitur se-

* Num. praeced., *Auctoritas*.

cundo, dato quod irritetur, quod, duobus commissis in illa ordinatione erroribus ibi recitatis, scilicet quod episcopus imponebat manus et alius benedictionem dabat seu legebat, et quod istorum duorum unus erat episcopus et alter presbyter, littera non explicat pro causa damnationis magis primum errorem quam secundum. Deberet enim minister ordinis sacri, si ex duabus integraretur personis, consurgere ex duobus episcopis, et non ex episcopo et presbytero: quoniam soli episcopo convenit sacrum ordinem conferre.

Ad auctoritatem vero ex Evangelio dicitur quod ex Domini verbis non habetur invocationem Trinitatis proferri debere ab abluente: sed quod abluens abluat in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, *prolatis a se vel a socio*. Propter quod signanter dixit in plurali, *baptizantes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti:* ex eo enim quod non exprimitur *prolatis a se,* sufficit quod proferantur super ablutione, modo salvetur veritas formae, ut in responsione ad ultimum explicabitur *. (* Num. xx.)

Scito tamen quod ad supra allatas dubitationes respondebitur tenendo communem viam de unitate ministri.

XII. Ad primum ergo dubium ex Durando *, dicitur quod ratio Auctoris prima, *Actus multiplicatur a multiplicatione agentis perfecti,* est vera et solida per se loquendo. Impossibile est enim a pluribus perfectis agentibus eiusdem rationis non provenire diversos actus: in tantum quod, infra limites naturalis rationis loquendo, si duo talia agentia aeque approximarentur eidem omnino patienti, nulla omnino inferretur per se passio, quia multiplicarentur duo simul contradictoria. (* Num. iii.)

Instantia autem Durandi de agentibus voluntariis, seipsam interimit, ponendo neutrum eorum concurrere ut agens perfectum. Paria enim sunt quoad propositum esse agentia imperfecta seu partialia, et concurrere ut agentia partialia.

Ad obiectionem vero contra idem ex eo quod duo sacerdotes eandem possunt hostiam consecrare, dicitur quod in tali casu essent duae consecrationes quantum in se est, sicut etiam, quando duo perfecte unum baptizarent, uterque quantum in se est conferret diversum baptisma: sed per accidens, scilicet unitatem hostiae seu hominis qui baptizatur, unum fit sacramentum, propter excellentiam principalis agentis, scilicet Christi, qui solus potest duobus totalibus instrumentis eiusdem rationis simul uti ut uno.

Habes ergo ex prima Auctoris ratione plures, ut totales ministros, non posse simul unum omnino baptismum conferre.

XIII. Ad obiecta contra secundam rationem, de mutatione formae *, respondetur quod esset ibi mutatio formae contra substantialia. Et ad impugnationem huius dicitur quod, licet expressio ministri non sit de necessitate formae, est tamen de necessitate formae quod, si exprimitur minister, exprimatur sine contrarietate ad veritatem sacramenti: et hoc per illam universalem regulam, *In formis sacramentorum nihil debet poni contrarium.* Pluralitas autem ministri contrariatur unitati requisitae ad unitatem ministri. Et propterea, si exprimatur talis pluralitas expresse in forma, tollit veritatem sacramenti. Falsa est ergo illa conditionalis, *Si expressio ministri non est de necessitate, pluralitas ministri explicata per accidens se habet:* habet enim se contrarie. (* Ibid., Secundam vero.)

Et cum subiungitur quod ista, *Nos te baptizamus,* resolvitur in istas, *Ego te baptizo et iste baptizat,* respondetur quod hoc potest dupliciter accipi. Primo, ut secunda exponens accidentaliter intendatur: ac si diceret, *Ego baptizo et iste currit.* Alio modo, ut per se intendatur, tanquam dicens quod *ambo simul ministramus sacramentum baptismi.* Et si in primo sensu acciperetur, idem videtur iudicium de hac forma et de forma in qua ponitur aliquid impertinens: puta si quis diceret, *Ego te baptizo, et omnes adstantes ad hoc consentiunt, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Et sensus iste, licet videatur extraneus, in proposito tamen posset accidere, duobus ex condicto volentibus simul unum baptizare, et utroque alterum volente revereri per hoc quod uterque alterius meminit: ad huiusmodi enim reverentiam exprimendam, videretur eis quod deberet uterque uti numero plurali. Sed infra proprium sensum stando, exprimitur per has duas exponentes pluralitas contraria unitati ministri. Et propterea ambae simul destruunt veritatem primae. Significant enim quod duo simul, et non quod unus baptizet: duos autem simul esse unum sacramenti ministrum supponitur impossibile, et contrariari veritati ministri.

XIV. Ad argumenta Durandi contra tertiam rationem, scilicet, *quia minister exprimitur ut plures* *, respondendo dicitur ad utramque partem disiunctivae quod utraque sane intellecta est vera. Ad baptismum enim unum omnino, seu unum secundum formam, exigitur unitas ministri secundum rem. Nec oppositum dixit Auctor. Quoniam, duobus simul baptizantibus utroque totum dicente et faciente, non est baptismus unus secundum formam, sed secundum effectum. Quem etiam non haberet, nisi potestas Christi suppleret, utens duobus totalibus instrumentis ut uno, quemadmodum prius * dictum est. – Altera quoque pars disiunctivae vera est negative. Oportet enim exprimi ministrum ut unum ad hunc sensum, hoc est *non exprimi ut plures,* quia pluralitas ministri expressa contrariatur veritati ministri. (* Ibid., Contra tertiam.) (* Num. xii.)

Unde ad primam obiectionem, de non necessaria expressione ministri, iam patet responsio.

Ad secundam autem, de congruentia ad principale agens, respondetur quod ratio de unitate ministri propter unitatem Christi in littera allata, non ut necessaria, sed ut probabilis inducta est, ut verba litterae sonant. Rationabilis autem est congruentia ministri ad Christum magis quam ad trinitatem Personarum: quia in Evangelio invenimus attributum baptisma, tanquam baptizanti, non Trinitati, sed Christo, de quo scriptum est, Ioan. I *: *Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Minister autem baptizantis personam induere se fatetur, dicendo, *Ego te baptizo.* (* Vers. 33.)

Ad tertiam autem, de impertinentia modi exprimendi ministri, conceditur verum esse si modus exprimendi non implicat aliquid contrarium veritati alicuius requisiti ad sacramentum. Tunc enim sufficit exprimere causam principalem et actum ministri, quando nihil contrarium veritati sacramenti exprimitur.

XV. Ad dubium contra conclusionem propter obiecta a Petro de Palude * respondendo, dicitur ad primam obiectionem quod non est simile de sacramento matrimonii et sacramento baptismi. Quia sacramentum matrimonii fundatur super matrimonio ut est officium naturae: et propterea quaecumque sufficiunt ad efficiendum coniugium verum ut est in officium naturae, sufficienter etiam se habent ad suscipiendam sacramentalitatem coniugii. Et quoniam non refert ad coniugium ut est naturae officium, pluraliter vel singulariter dicere, immo sive verbis sive solis nutibus consensum exprimere, ideo sacramentum matrimonii vere susciperetur si pluraliter dicerent, *Accipimus te in virum nostrum,* supposita pluralitate uxorum: sicut etiam vere contrahitur sine verbis. Secus autem esse de baptismo ratio cogit: quia baptismus non potest distingui in officium naturae et in sacramentum, sed est tantummodo sacramentum. Et hinc est etiam quod non potest nominatio Trinitatis suppleri per nutus baptizando. Ex eo enim quod purum sacramentum est, oportet servare ea quae pro sacramento sunt instituta ab ipso Christo, scilicet aquam * et voces significativas Trinitatis **. (* Num. iv.) (* Ioan. cap. iii, vers. 5. ** Matth. cap. xxviii, vers. 19.)

Ad secundam vero obiectionem, conceditur quod magis explicaretur unitas baptismi dicendo, *Nos te baptizamus,* nisi implicaretur pluralitas contraria veritati ministri. – Et ad confirmationem dicitur quod a duobus dicentibus, *Ego te baptizo,* exprimitur unitas actus uniuscuiusque eorum, ex hoc ipso quod quilibet diceret singulariter, *baptizo:* hoc enim unitatem actus importat.

Ad tertiam dicitur quod duo officiales in solidum in potestate sua habent quod possint ad unum actum concurrere: et ideo possunt dicere, *Nos facimus,* uno pro utroque loquente. Sed ministri sacramentorum non habent hoc in potestate sua ut possint ad unum omnino actum baptismi concurrere. Quod ex eo convincitur quod non

possunt ad unam et eandem numero formam concurrere: sed oportet utrumque suam formam exprimere, sive dicendo, *Nos te baptizamus,* sive, *Ego te baptizo;* ut ipsi adversarii fatentur.

Ad quartam demum obiectionem dicitur quod ex hoc quod plurale non est nisi singulare geminatum, non evaditur quin, dicendo *nos,* significetur pluralitas personarum: quae, ut dictum est *, contrariatur veritati ministri. Nam dicendo, *Nos baptizamus,* sensus est, non quod *bis ego,* sed quod *duo ego,* hoc est persona mea et persona collegae mei: ambo enim demonstramur in prima persona per ly *nos.* Et vera expositio exercens ly *nos* est demonstratio utriusque in prima persona, puta, *Ego et alter ego,* monstrato collega. Vel, ad amussim, dicendo, *Ego:* et collega subiungeret, *Et ego:* sic enim exerceremus significatum per ly *nos.* Sicut, dicendo in nominativo plurali *vos,* non significatur *bis tu,* sed significantur *duo tu:* significantur enim, demonstratis duobus, *tu et tu.* Et hoc est plurale esse singulare geminatum. Ex quibus omnibus apparet manifeste quod huiusmodi geminatio singularis in plurali ponit multitudinem personarum, quae excluditur per unitatem singularis. Et propterea in nullo adiuvat arguentem, sed Auctorem, dicentem quod per hoc variatur forma, et exprimitur pluralitas contraria veritati et unitati ministri.

* Num. xiii.

XVI. Cum his omnibus tamen scito quod, si quis, propriae deferens dignitati etiam in sacramentis, volens numero plurali se suosque actus significare, dixerit, *Nos te baptizamus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* perfectum esset sacramentum baptismi. Quoniam ex accommodatione usus personae excellentes utuntur plurali pro singulari: ac per hoc, ex huiusmodi usus accommodatione huiusmodi nomina et verba in plurali numero significant singulares personas et singulares actus excellentium personarum, quamvis hoc non significent ex propriae significationis impositione.

XVII. Ad dubium de insufficientia processus litterae *, respondetur non esse Auctorem diminutum, sed in suo processu comprehendisse etiam quid dicendum sit secundum formam Graecorum. Et hoc in suo simili. Declarando enim quod, non mutata forma, plures simul totum dicendo et faciendo possunt unum baptizare, sufficienter declaravit quod etiam secundum formam Graecorum hoc fieri potest, utroque ministro abluente et dicente, *Baptizetur servus Christi,* etc.

* Num. v.

XVIII. Ad penultimam demum quaestionem *, magis philosophicam quam theologicam, dicitur quod unitas effectus sequitur unitatem virtutis a qua causatur. Et propterea distinguendum est de causis eiusdem rationis simul concurrentibus: Aut agunt virtutibus propriis, aut agunt virtute tertii. Et dicendum quod, si sunt causae agentes virtutibus propriis, impossibile est a duabus eiusdem rationis totalibus causis omnino unum et eundem per se provenire effectum: quoniam effectus ille esset per se ab utraque, et a neutra. Si vero agunt virtute tertii, potest unus et idem omnino effectus ab utraque provenire: vel, rectius loquendo, *per utramque a tertio provenire.*

* Num. vi.

Et quia sacramenta non agunt virtutibus propriis, sed virtute Christi, qui per illa operatur; ideo, quotcumque instrumentales causae eiusdem rationis perfectae seu totales concurrere inveniantur simul in unum operatum, unica virtus Christi per illa unum operatur effectum, quamvis illae instrumentales causae, quantum in se est, duos sortirentur effectus. Et propterea diximus * et dicimus quod Christus ex suae potestatis excellentia potest simul uti duobus instrumentis totalibus ut uno: et de facto sic uteretur in casu proposito.

* Num. xii, xiv.

Nec obstat huic responsioni doctrina superius * habita de virtute existente in sacramentis. Oportet enim esse memorem virtutem illam nihil aliud esse quam usum verborum et rerum sacramentalium ad producendum sacramenti effectum: usum autem dico, non cuiuscumque utentis, sed Christi, ut superius * declaratum est.

* Qu. lxii, art. 4.

* Ibid., Comm. num. iv.

Quomodo autem solvenda esset quaestio haec a ponentibus in sacramento superadditam qualitatis virtutem, ipsi viderint. Immo hinc perpendant se a veritate procul esse, si non poterunt intellectui satisfacere in hac quaestione absque miraculis.

XIX. In responsione ad secundum, adverte quod si, baptizando plures, non intercederet alia mutatio quam dicere, *Baptizo vos,* non videretur magna ad hoc necessitas exigi: quoniam ex solo concursu multorum videmus Romanam Ecclesiam mutare formam de singulari in plurale, quando ordinantur diaconi plures simul; dicit enim tunc Episcopus, *Accipite potestatem,* etc. Sed quoniam baptizatio simul plurium non fit communiter per immersionem, sed per aspersionem, ideo ad tot mutationes faciendas magna exigitur necessitas.

XX. In responsione ad tertium, adverte tria hic ad sensum litterae. Primum est quod *baptizare* sumitur secundum plures significationes. Quandoque enim sumitur secundum propriam significationem: et tunc significat *abluere.* Quandoque vero sumitur extensa significatione pro integro sacramento, quasi idem sit baptizare quod sacramentum conferre. Et iuxta hunc sensum dicitur in hac littera quod *neuter baptizaret.*

Secundum est quod Auctor loquitur hic de baptismi forma apud Latinam Ecclesiam, cum dicit, *nulla forma verborum,* etc.

Tertium est quod locutio pluralis in prima persona potest dupliciter exponi per duas singulares: vel per modum copulativae; vel copulatim. Et quando exponitur per modum copulativae, habet utramque singularem seorsum veram. Verbi gratia, dicendo, *Nos trahimus navem,* habet ex ore cuiuslibet demonstrati per ly *nos* suam singularem veram, puta, *Ego traho navem, Et ego traho navem,* et sic de aliis trahentibus. Et iuxta hunc sensum procedit littera dicendo quod *neuter baptizaret:* hoc est, neuter posset vere dicere, *Ego te baptizo.* Et similiter neuter scribentium partem libri posset vere dicere, *Ego scripsi hunc librum.* — Quando vero copulatim exponitur, non exigitur quod aliqua singularis sit vera: immo stat utramque singularem fore falsam. Verbi gratia, si iudices delegati simul ita quod ambo simul et neuter sine altero possit iudicare, proferendo sententiam, vere dicerent, *Nos iudicamus.* Et verum esset quod *Ego et alter ego coniunctim iudicamus:* falsa tamen esset utraque singularis, puta, *Ego iudico,* quia in veritate ego iudicandi potestate careo. Et iuxta hunc sensum posset dici, *Nos te baptizamus,* in casu posito: quia de utroque simul coniunctim verificaretur quod conferunt sacramentum baptismi, quamvis neuter conferret illud.

Et certe, quantum est ex veritate formae, posset unus in articulo necessitatis baptizari a duobus, quorum alter esset mutus et alter esset mancus, muto abluente et manco proferente verba, ad evitandos omnes scrupulos, secundum formam Graecorum, et dicente, *Baptizetur servus Christi,* etc.: tunc enim nullum penitus apparet inconveniens ex parte formae in ministrorum pluralitate. Auctor autem, quia tenet plures personas non posse integrare ministrum baptismi unius, ideo dicto transcursu fuit contentus. Videtur autem quod in tali casu potius pro baptismo iudicandum esset *. Quamvis difficile sit quin mancus posset etiam abluere. Posset enim super caput habere modicum aquae, quam inclinando caput effunderet super baptizandum, et simul proferret verba. Et in hoc posset mutus adiuvare, sustinendo vas in capite manci ne caderet cum ille inclinaret caput: immo et manus muti plenae aqua positae super caput manci supplere vicem vasis; ita tamen quod motus capitis manci esset effusivus aquae.

* Cf. num. xi.

Et haec sufficiant etiam pro duobus sequentibus articulis.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM IN BAPTISMO REQUIRATUR ALIQUIS QUI BAPTIZATUM DE SACRO FONTE LEVET

AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in baptismo non requiratur aliquis qui baptizatum de sacro fonte levet. Baptismus enim noster per baptismum Christi consecratur, et ei conformatur. Sed Christus baptizatus non est ab aliquo de fonte susceptus, sed, sicut dicitur Matth. III *, *Baptizatus Iesus confestim ascendit de aqua.* Ergo videtur quod nec in aliorum [α] baptismo requiratur aliquis qui baptizatum de sacro fonte suscipiat.

* Vers. 16.

2. PRAETEREA, baptismus est spiritualis regeneratio, ut supra * dictum est. Sed in carnali generatione non requiritur nisi principium activum, quod est pater, et principium passivum, quod est mater. Cum igitur in baptismo locum patris obtineat ille qui baptizat, locum autem matris ipsa aqua baptismi, ut Augustinus dicit, in quodam sermone *Epiphaniae* *; videtur quod non requiratur aliquis alius qui baptizatum de sacro fonte levet.

* Art. 3; qu. LXV, art. 1, 2.

* Serm. CXXXV, aliter *de Temp.* XXXVI, inter Opp. Aug. - Cf. qu. LXVI, art. 4, arg. 3.

3. PRAETEREA, in sacramentis Ecclesiae nihil derisorium fieri debet. Sed hoc derisorium videtur, quod adulti baptizati, qui seipsos sustentare possunt et de sacro fonte exire, ab alio suscipiantur. Ergo videtur quod non requiratur aliquis, praecipue in baptismo adultorum, qui baptizatum de sacro fonte levet.

SED CONTRA EST quod Dionysius dicit, II cap. * *Eccl. Hier.*, quod *sacerdotes, assumentes baptizatum, tradunt adductionis susceptori et duci.*

* Part. II, § 7.

RESPONDEO DICENDUM quod spiritualis regeneratio, quae fit per baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali: unde dicitur I *Pet.* II *: *Sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite.* In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice et paedagogo. Unde et in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis qui fungatur vice nutricis et paedagogi, informando et instruendo eum qui est novitius [β] in fide, de his quae pertinent ad fidem et ad vitam Christianam, ad quod praelati Ecclesiae vacare non possunt, circa communem curam populi occupati: parvuli enim et novitii indigent speciali cura praeter communem. Et ideo requiritur quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte quasi in suam instructionem et tutelam. Et hoc est quod Dionysius dicit, ult. cap. * *Eccl. Hier.*: *Divinis nostris ducibus,* idest Apostolis, *ad mentem venit et visum est suscipere infantes secundum istum modum* [γ] *quod parentes pueri traderent puerum cuidam docto in divinis paedagogo, et reliquum sub ipso puer ageret, sicut sub divino patre et salvationis sanctae susceptore.*

* Vers. 2.

* § 11.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus non est baptizatus ut ipse regeneraretur, sed ut alios regeneraret. Et ideo ipse post baptismum non indiguit paedagogo tanquam parvulus.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in generatione carnali non requiritur ex necessitate nisi pater et mater: sed ad facilem partum, et [δ] educationem pueri convenientem, requiritur obstetrix et nutrix et paedagogus. Quorum vicem implet in baptismo ille qui puerum de sacro fonte levat. Unde non est de necessitate sacramenti, sed unus solus potest in aqua [ε] baptizare, necessitate imminente.

AD TERTIUM DICENDUM quod baptizatus non suscipitur a patrino [ζ] de sacro fonte propter imbecillitatem corporalem, sed propter imbecillitatem spiritualem, ut dictum est *.

* In corpore.

α) *aliorum.* – Tertia praeter pG; *aliquorum.*
β) *qui est novitius.* – *quasi novitium* tertia praeter G.
γ) *modum.* – *sanctum modum* E et tertia. Pro *parentes pueri, naturales pueri parentes* P. – *ageret* PG; *agerat* E, *agat* F, *agit b, aget* ceteri. – *sub divino* PEI; *sub domino.*
δ) *partum, et.* – EHsG et editiones; *partam et* I, om. F*a*, *pertinet et* ceteri.
ε) *aqua.* – F et tertia; *aquam.*
ζ) *patrino.* – G(1?) et editiones; *patrino paterno* H, *paterno* ed. *a*, *patrono* ceteri; E om. quae sequuntur post *Ad tertium dicendum* usque ad eadem verba articuli sequentis.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM ILLE QUI SUSCIPIT ALIQUEM DE SACRO FONTE OBLIGETUR AD EIUS INSTRUCTIONEM

IV *Sent.*, dist. VI, qu. II, art. 2, qu[a] 3, ad 3.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, non obligetur ad eius instructionem. Quia nullus potest instruere nisi instructus. Sed etiam quidam non instructi sed simplices admittuntur ad aliquem de sacro fonte suscipiendum [α]. Ergo ille qui suscipit baptizatum, non obligatur ad eius instructionem.

2. PRAETEREA, filius magis a patre instruitur [β] quam ab alio extraneo: nam filius habet a patre *esse et nutrimentum et disciplinam,* ut Philosophus dicit, VIII *Ethic.* * Si ergo ille qui suscipit bapti-

* Cap. XII, n. 5. - S. Th. lect. XII.

α) *ad aliquem... suscipiendum.* – *levare* (*ad levandum* I) *aliquem de sacro fonte* I et editiones.
β) *a patre instruitur.* – *potest* (om. I) *a patre instrui* tertia.

zatum, tenetur eum instruere, magis esset conveniens quod pater carnalis filium suum de baptismo suscipiat quam alius. Quod tamen videtur esse prohibitum: ut habetur in Decretis, XXX, qu. I, cap. *Pervenit* et *Dictum est.*

3. PRAETEREA, plures magis possunt instruere quam unus solus. Si ergo ille qui suscipit aliquem baptizatum, teneretur eum instruere, magis deberent plures suscipere quam unus solus. Cuius contrarium habetur in decreto [γ] Leonis Papae *: *Non plures,* inquit, *ad suscipiendum de baptismo infantem quam unus accedant, sive vir sive mulier.*

* Can. *Non plures, de Consecr.*, dist. IV.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in quodam sermone Paschali *: *Vos ante omnia, tam viros quam mulieres, qui filios in baptismate suscepistis* [δ], *moneo ut vos cognoscatis fideiussores apud Deum exstitisse pro illis quos visi estis de sacro fonte suscipere.*

* Serm. CLXVIII, aliter *de Temp.* CLXIII, inter Opp. Aug. - Cf. can. *Vos ante omnia, de Consecr.*, dist. IV.

RESPONDEO DICENDUM quod unusquisque obligatur ad exequendum officium quod accipit. Dictum est autem * quod ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium paedagogi. Et ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret: sicut eo tempore et loco in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter Catholicos Christianos, satis possunt ab hac cura excusari, praesumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere.

* Art. 7.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, ubi immineret periculum, oporteret esse *aliquem doctum in divinis,* sicut Dionysius dicit *, qui baptizandum [ε] de sacro fonte susciperet. Sed ubi hoc periculum non imminet, propter hoc quod pueri nutriuntur inter Catholicos, admittuntur [ζ] quicumque ad hoc officium: quia ea quae pertinent ad Christianam vitam et fidem, publice omnibus nota sunt.

* *Eccl. Hier.* cap. VII, § 11; cf. art. praec. fin.

Et tamen ille qui non est baptizatus non potest suscipere baptizatum, ut est declaratum in Concilio Maguntino *, licet non-baptizatus possit baptizare: quia persona baptizantis est de necessitate sacramenti, non autem persona suscipientis, sicut dictum est *.

* Cf. can. *In baptismate, de Consecr.*, dist. IV.

* Art. praec., ad 2.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut est alia generatio spiritualis a carnali, ita etiam debet esse alia disciplina: secundum illud *Heb.* XII *: *Patres quidem carnis nostrae habuimus eruditores, et reverebamur eos. Non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus?* Et ideo alius debet esse pater spiritualis a patre carnali, nisi necessitas contrarium exigat.

* Vers. 9.

AD TERTIUM DICENDUM quod confusio disciplinae esset nisi esset unus principalis instructor. Et ideo in baptismo unus debet esse principalis susceptor. Alii tamen possunt admitti quasi coadiutores.

γ) *in decreto.* – *decreto* D, *ex decreto* tertia.
δ) *suscepistis.* – F et tertia; *suscipitis.*

ε) *baptizandum.* – *baptizatum* PF. – Pro *sacro fonte, fonte sacro* ABD.
ζ) *admittuntur.* – *admittitur* P.



QUAESTIO SEXAGESIMAOCTAVA

DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM

IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de suscipientibus baptismum *.

* Cf. qu. LXVI, Introd.

Et circa hoc quaeruntur duodecim.

Primo: utrum omnes teneantur ad suscipiendum baptismum.
Secundo: utrum aliquis possit salvari sine baptismo.
Tertio: utrum baptismus sit differendus.
Quarto: utrum peccatores sint baptizandi.
Quinto: utrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.
Sexto: utrum requiratur confessio peccatorum.
Septimo: utrum requiratur intentio ex parte baptizati.
Octavo: utrum requiratur fides.
Nono: utrum pueri sint baptizandi.
Decimo: utrum pueri Iudaeorum sint baptizandi invitis parentibus.
Undecimo: utrum aliqui sint baptizandi in maternis uteris existentes.
Duodecimo: utrum furiosi et amentes sint baptizandi.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM TENEANTUR OMNES AD SUSCEPTIONEM BAPTISMI

Supra, qu. LXV, art. 4; infra, qu. LXX, art. 2, ad 3; qu. LXXXIV, art. 5; IV *Sent.*, dist. IV, qu. III, art. 3, qu^a 2, ad 3; dist. VI, qu. I, art. 1, qu^a 3; dist. IX, qu. I, art. 5, qu^a 4, ad 2; *In Ioan.*, cap. III, lect. I.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod non teneantur omnes ad susceptionem baptismi. Per Christum enim non est hominibus arctata via salutis. Sed ante Christi adventum poterant homines salvari sine baptismo. Ergo etiam post Christi adventum.

* Vid. Comment. Caiet. post art. 2.

2. PRAETEREA, baptismus maxime videtur esse institutus in remedium peccati originalis. Sed ille qui est baptizatus, cum non habeat originale peccatum, non videtur quod possit transfundere in prolem. Ergo filii baptizatorum non videntur esse baptizandi.

3. PRAETEREA, baptismus datur ad hoc quod aliquis per gratiam a peccato mundetur. Sed hoc consequuntur illi qui sunt sanctificati in utero, sine baptismo. Ergo non tenentur ad suscipiendum baptismum.

SED CONTRA EST quod dicitur Ioan. III *: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et in libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus* * dicitur: *Baptizatis tantum iter salutis esse credimus.*

* Vers. 5.

* Cap. XLI, al. LXXIV. - Inter Opp. Aug.

RESPONDEO DICENDUM quod ad illud homines tenentur sine quo salutem consequi non possunt. Manifestum est autem quod nullus salutem potest consequi nisi per Christum: unde et Apostolus dicit, *Rom.* V *: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.* Ad hoc autem datur baptismus ut aliquis, per ipsum regeneratus, incorporetur Christo, factus membrum ipsius: unde dicitur *Gal.* III *: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Unde manifestum est quod omnes ad baptismum tenentur; et sine eo non potest esse salus hominibus.

* Vers. 18.

* Vers. 27.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod nunquam homines potuerunt salvari, etiam ante Christi adventum, nisi fierent membra Christi: quia, ut dicitur *Act.* IV *, *non est aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Sed ante adventum Christi, homines Christo incorporabantur per fidem futuri adventus: cuius fidei *signaculum* erat circumcisio, ut Apostolus dicit, *Rom.* IV *. Ante vero quam [α] circumcisio institueretur, *sola fide* [β], ut Gregorius dicit *, cum sacrificiorum oblatione, quibus suam fidem antiqui Patres profitebantur, homines Christo incorporabantur. Post adventum etiam Christi, homines per fidem Christo incorporantur: secundum illud *Ephes.* III *: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Sed alio signo manifestatur fides rei iam praesentis quam demonstrabatur quando erat futura: sicut aliis verbis significatur praesens, praeteritum et futurum *. Et ideo, licet ipsum sacramentum baptismi non semper fuerit necessarium ad salutem, fides tamen, cuius baptismus sacramentum est *, semper necessaria fuit.

* Vers. 12

* Vers. 11.

* *Moral.* lib. IV, cap. III, al. II. - Cf. can. *Quod apud nos, de Consecr.*, dist. IV.

* Vers. 17.

* Aristot., *Peri Hermen.* lib. I, cap. V, n. 2; s. Th. lect. VIII. - Cf. qu. LXI, art. 4.

* Ambros., *de Spir. Sanct.* lib. I, cap. III, n. 42; Aug. Ep. XCVIII, al. XXIII, *ad Bonifac.*, n. 9.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte * dictum est, illi qui baptizantur, renovantur per baptismum secundum spiritum, corpus tamen remanet subiectum vetustati peccati: secundum illud *Rom.* VIII *: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem.* Unde Augustinus probat, in libro *contra Iulianum* *, quod *non baptizatur in*

* I^a II^ae, qu. LXXXI, art. 3, ad 2.

* Vers. 10.

* Lib. VI, cap. XVII, n. 17. - Cf. can. *Si quidquid, de Consecr.*, dist. IV.

α) *ante vero quam.* – *antequam vero* BEFsD, *antequam vero quam* pD.

β) *fide.* – EF et editiones; *fides.* Pro *incorporabantur, incorporabat* IsG.

homine quidquid in eo est. Manifestum est autem quod homo non generat generatione carnali secundum spiritum, sed secundum carnem. Et ideo filii baptizatorum cum peccato originali nascuntur. Unde indigent baptizari.

Ad tertium dicendum quod illi qui sunt sanctificati in utero, consequuntur quidem gratiam emundantem a peccato originali, non tamen ex hoc ipso consequuntur characterem, quo Christo configurentur. Et propter hoc, si aliqui nunc sanctificarentur in utero, necesse esset eos baptizari, ut per susceptionem characteris aliis membris Christi conformarentur.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM SINE BAPTISMO ALIQUIS POSSIT SALVARI

IV *Sent.*, dist. IV, qu. III, art. 3, qu^a 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXII; *Quodl.* VI, art. 4; *In Ioan.*, cap. III, lect. I; cap. VI, lect. VII.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod sine baptismo nullus possit salvari. Dicit enim Dominus, Ioan. III * [* Vers. 5.]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Sed illi soli salvantur qui regnum Dei intrant. Ergo nullus potest salvari sine baptismo, quo aliquis regeneratur ex aqua et Spiritu Sancto.

2. Praeterea, in libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus* * [* Cap. XLI, al. LXXIV. - Inter Opp. Aug.] dicitur: *Nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, aeternam vitam habere credimus, excepto martyrio, ubi tota sacramenta* α *baptismi complentur.* Sed si aliquis sine baptismo possit salvari, maxime hoc haberet locum in catechumenis bona opera habentibus, qui videntur habere *fidem per dilectionem operantem* * [* *Ad Galat.*, cap. V, vers. 6.]. Videtur ergo quod sine baptismo nullus possit salvari.

3. Praeterea, sicut supra * [* Art. praeced.; qu. LXV, art. 4.] dictum est, baptismi sacramentum est de necessitate salutis. Necessarium autem est *sine quo non potest aliquid esse*, ut dicitur in V *Metaphys.* * [* S. Th. lect. VI; Did. lib. IV, cap. V, n. 1.] Ergo videtur quod sine baptismo nullus possit consequi salutem.

Sed contra est quod Augustinus dicit, *super Levit.* * [* Qu. LXXXIV.], *invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse et profuisse sine visibilibus sacramentis: visibilem vero sanctificationem, quae fit sacramento visibili, sine invisibili posse adesse, sed non prodesse.* Cum ergo sacramentum baptismi ad visibilem sanctificationem pertineat, videtur quod sine sacramento baptismi aliquis possit salutem consequi per invisibilem sanctificationem.

Respondeo dicendum quod sacramentum baptismi dupliciter potest alicui deesse. Uno modo, et re et voto: quod contingit in illis qui nec baptizantur nec baptizari volunt. Quod manifeste ad contemptum sacramenti pertinet, quantum ad illos qui habent usum liberi arbitrii. Et ideo hi quibus hoc modo deest baptismus, salutem consequi non possunt: quia nec sacramentaliter nec mentaliter Christo incorporantur, per quem solum est salus.

Alio modo potest sacramentum baptismi alicui deesse re, sed non voto: sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu praevenitur morte antequam baptismum suscipiat. Talis autem sine baptismo actuali salutem consequi potest, propter desiderium baptismi, quod procedit ex *fide per dilectionem operante* * [* *Ad Galat.*, cap. V, vers. 6.], per quam Deus interius hominem sanctificat, cuius potentia sacramentis visibilibus non alligatur. Unde Ambrosius dicit * [* Lib. *de Obitu Valentin.*, n. 29, 30.] de Valentiniano, qui catechumenus mortuus fuit: *Quem regeneraturus eram, amisi: veruntamen ille gratiam quam poposcit, non amisit.*

Ad primum ergo dicendum quod, sicut dicitur I *Reg.* XVI * [* Vers. 7.], *homines vident ea quae parent, Dominus autem intuetur cor.* Ille autem qui desiderat per baptismum *regenerari ex aqua et Spiritu Sancto,* corde quidem regeneratus est, licet non corpore: sicut et Apostolus dicit, *Rom.* II * [* Vers. 29.], quod *circumcisio cordis est in spiritu, non in littera; cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

Ad secundum dicendum quod nullus pervenit ad vitam aeternam nisi absolutus ab omni culpa et reatu poenae. Quae quidem universalis absolutio fit in perceptione baptismi * [* D. 269.], et in martyrio: propter quod dicitur quod in martyrio *omnia sacramenta baptismi complentur*, scilicet quantum ad plenam liberationem a culpa et poena. Si quis ergo catechumenus sit habens desiderium baptismi (quia aliter in bonis operibus non moreretur, quae non possunt esse sine *fide per dilectionem operante*), talis decedens non statim pervenit ad vitam aeternam, sed patietur poenam pro peccatis praeteritis, *ipse tamen salvus erit* * [* D. 1202.] *sic quasi per ignem*, ut dicitur I *Cor.* III * [* Vers. 15.].

Ad tertium dicendum quod pro tanto dicitur sacramentum baptismi esse de necessitate salutis, quia non potest esse hominis salus nisi saltem in voluntate habeatur: quae *apud Deum reputatur pro facto* * [* Aug. *Enarrat. in Psalm.* LVII, vers. 3.].

α) *tota sacramenta.* – *omnia sacramenta* sG, *tota virtus* (om. *baptismi*) F, *totum sacramentum* editiones. – *complentur* EIsDG et *a*; *compleretur* ACFpBD, *complerentur* HpG, *completur* sB et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

* [* Integrum Comment. om. P.] Circa duos primos articulos hoc solum non irrationabiliter occurrit dicendum, quod in casu necessitatis ad salutem puerorum sufficere videtur baptismus in voto parentum: praecipue cum aliquo exteriori signo. Moveor autem ad hoc, primo, ex auctoritate Gregorii * [* IV *Moral.* cap. III, al. II.] dicentis, apud Magistrum Sententiarum, in I dist. * [* Part. II, cap. *Quaeritur.*] Quarti, et *de*

* Can. *Quod apud nos.*

Consecr., dist. IV *: *Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahae stirpe prodierunt mysterium circumcisionis.* Hinc enim arguo. Fides sola veterum non fuit maioris virtutis apud veteres quam apud nos. Ac per hoc, non plus potuit, necessitatis urgente articulo, subvenire tunc quam nunc. Sed tunc, deficiente parvulis proprio salutis auxilio, parentum fides pro parvulo sola sufficiebat. Ergo nunc, quando parvulo deest proprium salutis remedium, quod est baptisma, sola parentis fides, parvulum Deo offerens, sufficit ad salutem parvuli.

II. Nec obstat si dicatur quod apud veteres fides parentis erat proprium remedium parvulorum: nunc autem, adveniente Christo in carnem, institutum est sensibile sacramentum in proprium parvulorum remedium. Hoc, inquam, non obstat. Quoniam, duobus existentibus, scilicet fide et *fidei sacramento* *, operanti apud veteres fidei adiunctum nostro tempore fidei sacramentum sub ratione possibilis intelligimus, non ut fidei virtutem solvat, sed adimpleat. Et propterea, quando impossibilitas sacramentum fidei excludit, virtuti fidei locus relinquitur. Et sic parvulus ex baptismo fluminis voto parentis suscepto salvaretur, si impossibile esset ipsum baptizari aqua. Debet autem in tali casu parens signo crucis infantem cum invocatione Trinitatis munire, sicque Deo offerre morientem *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

* Cf. art. 1, ad 1, fin.

III. Et confirmatur hoc ex salute parvulorum tempore circumcisionis ante octavum diem morientium. Nam tales, secundum probabiliorem opinionem, moriebantur incircumcisi, ut patet de fratre Salomonis *: et tamen salvabantur per benedictionem seu oblationem aliquam. Quoniam ex lege circumcisionis non sunt redditi mares deterioris conditionis quam feminae, quas constat ante octavum diem potuisse consequi remedium contra peccati originalis maculam. Sicut igitur incircumcisi tunc infantes, propter impossibilitatem circumcisionis, in fide parentum salvari poterant, ita nunc non baptizati. Nihilque hic aut ibi sequitur adversus divinam legem sane intellectam.

* Gloss. Ord. super *Prov.* cap. IV, vers. 3. - Cf. II *Reg.* cap. XII, vers. 18.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM BAPTISMUS SIT DIFFERENDUS

Supra, qu. XXXIX, art. 3, ad 1; IV *Sent.*, dist. IV, qu. III, art. 1, qu[a] 2; dist. VI, qu. II, art. 1, qu[a] 2, ad 1; dist. XVII, qu. III, art. 1, qu[a] 4.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod baptismus sit differendus. Dicit enim Leo Papa [α] *: *Duo tempora, idest Pascha et Pentecoste, ad baptizandum a Romano Pontifice legitima praefixa sunt. Unde Dilectionem vestram monemus ut nullos alios dies huic observationi misceatis.* Videtur ergo quod oporteat non statim aliquos [β] baptizari, sed usque ad praedicta tempora baptismum differri.

* Leo I, Epist. XVI, al. IV, cap. V. - Cf. can. *Duo tempora, de Consecr.*, dist. IV.

2. PRAETEREA, in Concilio Agathensi * legitur: *Iudaei, quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, si ad leges Catholicas venire voluerint, octo menses inter* [γ] *catechumenos ecclesiae limen introeant: et, si pura fide venire noscantur, tunc demum baptismi gratiam mereantur.* Non ergo statim sunt homines baptizandi, sed usque ad certum tempus est differendum baptisma.

* Can. XXXIV. - Cf. can. *Iudaei quorum, de Consecr.*, dist. IV.

3. PRAETEREA, sicut dicitur Isaiae XXVII *: *Iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Sed magis videtur auferri peccatum, vel etiam diminui, si baptismus differatur [δ]. Primo quidem, quia peccantes post baptismum gravius peccant: secundum illud *Heb.* X *: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est,* scilicet per baptismum? Secundo, quia baptismus tollit peccata praeterita, non autem futura: unde, quanto baptismus magis differtur, tanto plura peccata tollet. Videtur ergo quod baptismus debeat diu differri.

* Vers. 9.

* Vers. 29.

SED CONTRA EST quod dicitur *Eccli.* V *: *Ne tardes converti ad Dominum: et ne differas de die in diem.* Sed perfecta conversio ad Deum est eorum qui regenerantur in Christo per baptismum. Non ergo baptismus debet differri de die in diem.

* Vers. 8.

RESPONDEO DICENDUM quod circa hoc distinguendum est utrum sint baptizandi pueri vel adulti. Si enim pueri sint baptizandi, non est differendum baptisma. Primo quidem, quia non expectatur in eis maior instructio, aut etiam plenior conversio. – Secundo, propter periculum mortis: quia non potest [ε] alio remedio subveniri nisi per sacramentum baptismi.

Adultis vero subveniri potest per solum baptismi desiderium, ut supra * dictum est. Et ideo adultis non statim cum convertuntur, est sacramentum baptismi conferendum, sed oportet differre usque ad aliquod certum tempus. Primo quidem, propter cautelam Ecclesiae, ne decipiatur, ficte [ζ] accedentibus conferens: secundum illud I Ioan. IV *: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt.* Quae quidem probatio sumitur de accedentibus ad baptismum, quando per aliquod spatium eorum fides et mores examinantur. – Secundo, hoc est necessarium ad utilitatem eorum qui baptizantur: quia aliquo temporis spatio indigent ad hoc quod plene instruantur de fide, et exercitentur in his quae pertinent ad vitam Christianam. – Tertio, hoc est necessarium ad quandam reverentiam sacramenti: dum in solemnitatibus praecipuis, scilicet Paschae et Pentecostes, homines ad baptismum admittuntur, et ita devotius sacramentum suscipiunt.

* Art. 2.

* Vers. 1.

Haec tamen dilatio est praetermittenda duplici ratione. Primo quidem, quando illi qui sunt baptizandi, apparent perfecte instructi in fide et

---

α) *Papa.* – FsD et tertia; *Papa propter.* Pro *Pentecoste, Pent'* ACDE, *Pentecostes* Ba, *Pentecosten* alii praeter P. Pro *legitima, legitime* editiones et *a.* – *observationi misceatis* tertia; *observato immisceatis.*

β) *aliquos.* – *aliquem* tertia.

γ) *inter.* – PF*a*; *intra.*

δ) *differatur.* – *diu differatur* PEIsG.

ε) *potest.* – *eis* addit tertia.

ζ) *ficte.* – (*ad bc*) *sacramentum ficte* tertia.

ad baptismum idonei: sicut Philippus statim baptizavit Eunuchum, ut habetur *Act.* VIII *; et Petrus Cornelium et eos qui cum ipso erant, ut habetur *Act.* X *. – Secundo, propter infirmitatem, aut aliquod periculum mortis. Unde Leo Papa dicit *: *Hi qui necessitate mortis, aegritudinis, obsidionis et persecutionis et naufragii, urgentur, omni tempore debent baptizari.*

* Vers. 36 sqq.
* Vers. 47, 48.
* Leo I, Ep. XVI, al. IV, cap. V, al. VI. – Cf. can. *Hi qui necessitate*, *de Consecr.*, dist. IV.

Si tamen aliquis praeveniatur morte, articulo necessitatis sacramentum excludente, dum expectat tempus ab Ecclesia institutum, salvatur, licet *per ignem*, ut supra * dictum est. Peccat autem si ultra tempus ab Ecclesia statutum differret accipere baptismum, nisi ex causa necessaria et licentia praelatorum Ecclesiae. Sed tamen et hoc peccatum cum aliis deleri potest per succedentem contritionem, quae supplet vicem baptismi, ut supra * dictum est.

* Art. 2, ad 2.
* Qu. LXVI, art. 11.

Ad primum ergo dicendum quod illud mandatum Leonis Papae de observandis duobus temporibus in baptismo, intelligendum est η, *excepto tamen periculo mortis* (quod semper in pueris est timendum), ut dictum est *.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod illud de Iudaeis est statutum ad Ecclesiae cautelam, ne simplicium fidem corrumpant, si non fuerint plene conversi. Et tamen, ut ibidem subditur, *si infra tempus praescriptum aliquod periculum infirmitatis incurrerint, debent baptizari.*

Ad tertium dicendum quod baptismus per gratiam quam confert non solum removet peccata praeterita, sed etiam impedit peccata futura ne fiant. Hoc autem considerandum θ est, ut homines non peccent: secundarium est ut levius peccent, vel etiam ut eorum peccata mundentur; secundum illud I Ioan. II *: *Filioli mei, haec scribo vobis ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

* Vers. 1, 2.

η) *intelligendum est.* – Gabc; *est intelligendum* FH, *intelligendum est de adultis* PE, om. ceteri.

θ) *considerandum.* – *praecipue desiderandum* E et tertia, *consulendum* F. Pro *secundarium est*, *secundarium* H, *secundarium autem est* I, *secundario autem* P; *secundarium est ut levius peccent* om. F*bc*, *secundarium autem* (*est* super ras., *ut homines peccent* margo) *levius* G.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo tertio, circa dilationem baptismi usque ad aliquod certum tempus, advertendum est certitudinem temporis posse dupliciter intelligi: primo determinate, puta octo menses; alio modo, vage, puta, expedito tali negotio, nesciendo quantum temporis intercedet. Considerandum rursus est tempus baptismi determinari vel ex divino iure, vel ab Ecclesia.

Quantum igitur ex divino iure apparet, dilatio baptismi adultorum non habet tempus determinatum primo modo. Nulla enim ratio cogit adultum ad suscipiendum baptisma ita hodie quod, si hic dies praetereat absque baptismo, peccatum incurratur. – Confirmaturque hoc ex gestis sanctorum. Nam Martinus octo annis catechumenus fuit *; Ambrosius longo quoque tempore catechumenis annumeratus videtur *; Constantinus Magnus in ultimo vitae suae baptizatus est, ut Ambrosius dicit, *in Oratione de Obitu Theodosii* *.

* Sulpic. Sever., *De B. Martini Vita Liber*, cap. I.
* Vide *Vit. S. Ambros.*, auctore Paulino, n. 7, 9.
* Num. 40.

Debet autem determinari tempus dilati baptismi secundo modo. Quod dupliciter monstratur. Primo, ex natura praecepti affirmativi, obligantis pro loco et tempore. Praecepta enim affirmativa, licet, quantum est ex parte temporis, non obligent nisi tempus necessitatis articulum adducat, ut Auctor, in IV *Sent.*, dist. XVII, qu. III, art. 1, qu. 4, dixit; ex parte tamen motivi ad differendum, rationem requirunt: nam si sine rectae rationis arbitrio dilatio voluntaria fit, peccatum incurritur. Potest ergo tandiu differre quis proprium baptismum, quandiu rationabiliter ad differendum movetur. Quod diversis hominibus diversimode accidere potest. Et propterea diversa invenitur diversorum dilatio.

Et quamvis tam incertam temporis mensuram dilatio baptismi habeat, dilatio tamen usque ad mortis articulum licita non est, ut patet *de Consecr.*, dist. IV, cap. *Quando quis*: arguuntur enim negligentiae huiusmodi dilatores. Nec Constantinum credimus distulisse ex proposito usque ad mortem baptisma: sed, cum differret illud usque ad tempus optatum, interim in ultimis constitutus differendum non censuit.

Ex iure autem positivo scripto, si tempus aliquod praefixum est, – quod fateor me non invenire, et gesta dictorum sanctorum testantur, – non esset differendus ultra tempus praefixum.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM PECCATORES SINT BAPTIZANDI

Infra, art. 8, ad 4.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod peccatores sint baptizandi. Dicitur enim Zach. XIII *: *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae:* quod quidem intelligitur de fonte baptismali. Ergo videtur quod sacramentum baptismi sit etiam peccatoribus exhibendum.

* Vers. 1.

2. Praeterea, Dominus dicit, Matth. IX *: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Male autem habentes sunt peccatores. Cum igitur spiritualis medici, scilicet Christi, medicina sit baptismus, videtur quod peccatoribus sacramentum baptismi sit exhibendum.

* Vers. 12.

3. Praeterea, nullum subsidium peccatoribus debet subtrahi. Sed peccatores baptizati ex ipso charactere baptismali spiritualiter adiuvantur: cum sit quaedam dispositio ad gratiam. Ergo videtur quod sacramentum baptismi sit peccatoribus exhibendum.

Sed contra est quod Augustinus dicit *: *Qui creavit te sine te, non iustificabit te sine te.* Sed

* Serm. CLXIX, al. *de Verb. Apost.* XV, cap. XI.

peccator, cum habeat voluntatem non dispositam, non cooperatur Deo. Ergo frustra adhibetur sibi baptismus ad iustificationem [α].

Respondeo dicendum quod aliquis potest dici peccator dupliciter. Uno modo, propter maculam et reatum praeteritum. Et sic peccatoribus est sacramentum baptismi conferendum: quia est ad hoc specialiter institutum ut per ipsum peccatorum sordes mundentur; secundum illud *Ephes.* v*: *Mundans eam,* scilicet Ecclesiam, *lavacro aquae in verbo vitae.*

* Vers. 26.

Alio modo potest dici aliquis peccator ex voluntate peccandi et proposito persistendi in peccato. Et sic peccatoribus non est sacramentum baptismi conferendum. Primo quidem, quia per baptismum homines Christo incorporantur: secundum illud *Galat.* III *: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quandiu autem aliquis habet voluntatem peccandi, non potest esse Christo coniunctus: secundum illud II *Cor.* VI*: *Quae participatio iustitiae cum iniquitate?* Unde et Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* *, quod *nullus suae voluntatis arbiter constitutus potest novam vitam inchoare, nisi eum veteris vitae poeniteat.* – Secundo, quia in operibus Christi et Ecclesiae nihil debet fieri frustra. Frustra autem est quod non pertingit ad finem ad quem est ordinatum *. Nullus autem habens voluntatem peccandi simul potest a peccato mundari, ad quod ordinatur baptismus: quia hoc esset ponere contradictoria esse simul. – Tertio, quia in sacramentalibus signis non debet esse aliqua falsitas. Est autem signum falsum cui res significata non respondet. Ex hoc autem quod aliquis lavandum se praebet per baptismum, significatur quod se disponat ad interiorem ablutionem. Quod non contingit de eo qui habet propositum persistendi in peccato. Unde manifestum [β] est quod talibus sacramentum baptismi non est conferendum.

* Vers. 27. – * Vers. 14. – * Serm. CCCLI, al. Homil. ult. inter *Quinquagint. Homil.*, cap. II. – * Cf. Arist. *Physic.* lib. II, cap. VI, n. 6. - S. Th. lect. X.

Ad primum ergo dicendum quod illud verbum est intelligendum de peccatoribus qui habent voluntatem recedendi a peccato.

Ad secundum dicendum quod spiritualis medicus, scilicet Christus, dupliciter operatur. Uno modo, interius per seipsum: et sic praeparat voluntatem hominis ut bonum velit et malum odiat. Alio modo operatur per ministros, exterius adhibendo sacramenta: et sic operatur perficiendo id quod est exterius [γ] inchoatum. Et ideo sacramentum baptismi non est exhibendum nisi ei in quo interioris conversionis aliquod signum apparet: sicut nec medicina corporalis adhibetur infirmo nisi in eo aliquis motus vitalis [δ] appareat.

Ad tertium dicendum quod baptismus est *fidei sacramentum* *. Fides autem informis non sufficit ad salutem, nec ipsa est fundamentum, sed sola fides formata *, *quae per dilectionem operatur:* ut Augustinus dicit, in libro *de Fide et Operibus**. Unde nec sacramentum baptismi salutem conferre potest cum voluntate peccandi, quae fidei formam excludit. – Non autem est per impressionem characteris baptismalis aliquis disponendus ad [ε] gratiam, quandiu apparet in eo voluntas peccandi: quia *Deus neminem ad virtutem compellit,* sicut Damascenus dicit *.

* Ambros., *de Spir. Sanct.* lib. I, cap. III, n. 42; Aug. Ep. XCVIII, al. XXIII, *ad Bonifac.*, n. 9. – * D. 611. – * Cap. XVI. - Cf. *ad Galat.*, cap. V, vers. 6. – * *De Fide Orth.*, lib. II, cap. XXX.

α) *Qui creavit... iustificationem.* – GHsB *a* et editiones, nisi quod PG pro *adhibetur* legunt *adhiberetur*; om. DFI, spatium duarum linearum ACEpB; *haec est corrigenda* notat margo A. Margo P: *Alias, quia Augustinus ad Bonifacium dicit, In baptismo aliquis membrum Christi efficitur: sed nullus peccator persistens in voluntate peccandi potest fieri membrum Christi, quod est incorporari Christo. ergo huiusmodi peccator non est baptizandus: quia frustra baptizaretur.* Vide Vol. XI. Praef. n. 21. notam codicum Ambrosiani et Brixiensis.

β) *manifestum.* – Fa et tertia; *manifestandum.*

γ) *id quod est exterius.* – *id quod est interius* sH et *b*, *id quod est interius exterius c*, *exterius id quod est interius* P.

δ) *vitalis.* – *naturae* addit tertia.

ε) *disponendus ad.* – Pl*a*; *ad b*, *disponendus per* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

In quarto articulo hoc solum notandum occurrit, quod sermo litterae de peccato mortali intelligitur. Existentibus enim cum voluntate peccandi venialiter potest baptismus dari, monendo ipsos quod, nisi voluntatem mutent, gratiam quidem filiorum Dei recipient, sed non secundum plenitudinem baptismalem; – et suo eos deinde arbitrio relinquere, ut ipsi viderint.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM PECCATORIBUS BAPTIZATIS SINT OPERA SATISFACTORIA IMPONENDA

Supra, qu. XLIX, art. 3, ad 2; III *Sent.*, dist. XIX, art. 3, qu^a 2, ad 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LIX; *Ad Rom.*, cap. XI, lect. IV.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda. Hoc enim ad iustitiam Dei pertinere videtur, ut pro quolibet peccato aliquis puniatur: secundum illud *Eccle.* ult. *: *Cuncta quae fiunt adducet Deus in iudicium.* Sed opera satisfactoria imponuntur peccatoribus in poenam praeteritorum peccatorum. Ergo videtur quod peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda.

* Vers. 14.

2. Praeterea, per opera satisfactoria exercitantur peccatores de novo conversi ad iustitiam, et subtrahuntur occasiones [α] peccandi: nam *satisfacere est peccatorum causas excidere et peccatis aditum non indulgere* *. Sed hoc maxime necessarium est nuper baptizatis. Ergo videtur

* *De Eccl. Dogm.* cap. XXIV, al. LIV. - Inter Opera Aug.

α) *occasiones.* – Ea et tertia; *ab occasione* F, *ad occasiones* ceteri.

quod opera satisfactoria sint baptizatis iniungenda.

3. Praeterea, non minus debitum est ut homo Deo satisfaciat quam proximo. Sed nuper baptizatis iniungendum est quod satisfaciant proximis, si eos laeserunt. Ergo etiam est eis iniungendum ut Deo satisfaciant per opera poenitentiae.

β
* Comment. in Epp. B. Pauli. - Inter Opp. Amb.
* Vers. 29.

Sed contra est quod Ambrosius β *, super *Rom.* xi *, *Sine poenitentia sunt dona Dei et vocatio,* dicit: *Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum neque planctum, vel etiam opus aliquod, sed solam fidem, et omnia gratis condonat.*

* Vers. 3, 4.

Respondeo dicendum quod, sicut Apostolus dicit, *Rom.* vi *: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus ei per baptismum in mortem:* ita scilicet quod homo per baptismum incorporatur ipsi morti Christi. Manifestum est autem ex supra * dictis quod mors Christi satisfactoria fuit sufficienter pro peccatis, *non solum nostris, sed etiam totius mundi,* ut dicitur I Ioan. ii *. Et ideo ei qui baptizatur pro quibuscumque peccatis non est aliqua satisfactio iniungenda: hoc autem γ esset iniuriam facere passioni et morti Christi, quasi ipsa non esset sufficiens ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizandorum δ.

* Qu. xlviii, art. 2, 4; qu. xlix, art. 3.
* Vers. 2.
γ
δ

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Baptismo Parvulorum* *, *ad hoc baptismus valet ut baptizati Christo incorporentur ut membra eius.* Unde ipsa poena Christi fuit satisfactoria pro peccatis baptizandorum: sicut et poena unius membri potest esse satisfactoria pro peccato ε alterius membri. Unde Isaiae liii * dicitur: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.*

* Al. de Peccator. Merit. et Remiss. et de Bapt. Parvulor., lib. I, cap. xxvi.
ε
* Vers. 4.

Ad secundum dicendum quod nuper baptizati exercitandi sunt ad iustitiam, non per opera poenalia, sed per opera facilia: *ut quasi quodam lacte facilis exercitii promoveantur ad perfectiora,* ut Glossa * dicit, super illud Psalmi **, *Sicut ablactatus super matre sua.* Unde et Dominus discipulos suos de novo conversos a ieiunio excusavit, ut patet Matth. ix *. Et hoc est quod dicitur I *Pet.* ii **: *Sicut modo geniti infantes lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.*

* Ord. implicite. ** Ps. cxxx, vers. 2.
* Vers. 14 sqq. ** Vers. 2.

Ad tertium dicendum quod restituere male ablata proximis, et satisfacere de iniuriis illatis, est cessare ζ a peccando: quia hoc ipsum quod est detinere aliena et proximum η non placare, est peccatum. Et ideo peccatoribus baptizatis iniungendum est quod satisfaciant proximis, sicut et quod desistant a peccato. Non est autem eis iniungendum quod pro peccatis praeteritis aliquam poenam patiantur.

ζ
η

β) *Ambrosius.* – *Ambrosius dicit* E, om. FGH. – *dicit Gloria* PI; *dicit glossa Ambrosii Gloria* H, *dicit glossa gloria* ceteri.
γ) *autem.* – *enim* F et tertia praeter I.
δ) *baptizandorum.* – *baptizatorum* PI.
ε) *baptizandorum... pro peccato.* – Escurialis antiquus et EF*a* et tertia (sed PE*a* legunt *baptizatorum*, et I om. *Ad primum... baptizandorum*); om.
ζ) *et satisfacere... est cessare.* – P; *est satisfacere... et cessare.*
η) *et proximum.* – *est proximum laedere proximum autem laesum* Hbc, *et proximum laesum* PEGI. – *non* om. A.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM PECCATORES AD BAPTISMUM ACCEDENTES TENEANTUR SUA PECCATA CONFITERI

Ad Rom., cap. xi, lect. iv.

* Vers. 6.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri. Dicitur enim Matth. iii * quod *baptizabantur multi a Ioanne in Iordane, confitentes peccata sua.* Sed baptismus Christi est perfectior quam baptismus Ioannis. Ergo videtur quod multo magis illi qui sunt baptizandi baptismo Christo, debeant sua peccata confiteri.

* Vers. 13.
α

2. Praeterea, *Prov.* xxviii * dicitur: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Sed ad hoc aliqui baptizantur ut de peccatis suis misericordiam consequantur α. Ergo baptizandi debent sua peccata confiteri.

* Vers. 38.

3. Praeterea, poenitentia requiritur ante baptismum: secundum illud *Act.* ii *: *Agite poenitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum.* Sed confessio est pars poenitentiae. Ergo videtur quod confessio peccatorum requiratur ante baptismum.

* Lib. de Vera et Falsa Poenit., cap. xiv. - Inter Opp. Aug.
* Comment. in Epp. B. Pauli, Ep. ad Rom. cap. xi, vers. 29. - Inter Opp. Ambr.

Sed contra est quod confessio peccatorum debet esse cum fletu: ut dicit Augustinus, in libro *de Poenitentia* *: *Omnis ista varietas consideranda est et deflenda.* Sed, sicut Ambrosius dicit *, *gratia Dei in baptismo non requirit gemitum neque planctum.* Ergo a baptizandis non est requirenda confessio peccatorum.

* Serm. CCCLI, al. Homil. ult. inter Quinquagint. Homil., cap. ii.

Respondeo dicendum quod duplex est peccatorum confessio. Una quidem interior, quae fit Deo. Et talis confessio peccatorum requiritur ante baptismum, ut scilicet homo, peccata sua recogitans, de eis doleat: *non enim potest inchoare novam vitam, nisi poeniteat eum veteris vitae,* ut Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* *.

Alia vero est confessio peccatorum exterior, quae fit sacerdoti. Et talis confessio non requiritur ante baptismum. Primo quidem, quia talis confessio, cum respiciat personam ministri, pertinet ad poenitentiae sacramentum, quod non requiritur ante baptismum, qui est *ianua omnium sacramentorum.* – Secundo, quia confessio exte-

---

α) *Sed... consequantur.* – Om. P errore typographorum. – *baptizandi* P; *baptizati.*

rior, quae fit sacerdoti, ordinatur ad hoc quod sacerdos confitentem absolvat a peccatis, et liget ad opera satisfactoria, quae baptizatis non sunt imponenda, ut supra * dictum est. Nec etiam baptizati indigent remissione peccatorum per claves Ecclesiae, quibus omnia remittuntur per baptismum. – Tertio, quia ipsa particularis confessio homini facta est poenosa, propter verecundiam confitentis. Baptizato autem nulla exterior poena imponitur. Et ideo a baptizatis non requiritur specialis confessio peccatorum: sed sufficit generalis, quam faciunt cum, secundum ritum Ecclesiae, *abrenuntiant Satanae et omnibus operibus* [β] *eius*. Et hoc modo dicit quaedam glossa * Matth. III **, quod in baptismo Ioannis *exemplum datur baptizandis confitendi peccata et promittendi meliora*.

* Art. 5.
* Gloss. Ord.
** Vers. 6.

Si qui tamen baptizandi ex devotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda: non ad hoc quod satisfactio eis imponeretur; sed ad hoc quod contra peccata consueta eis spiritualis vitae informatio tradatur.

Ad primum ergo dicendum quod in baptismo Ioannis non remittebantur peccata, sed erat *baptismus poenitentiae* *. Et ideo accedentes ad illud baptisma convenienter confitebantur peccata, ut [γ] secundum qualitatem peccatorum eis poenitentia determinaretur. Sed baptismus Christi est sine exteriori poenitentia, ut Ambrosius dicit *. Unde non est similis ratio.

* Marc. cap. I, vers. 4. - Cf. qu. XXXVIII, art. 3.
* Loc. cit. in arg. *Sed cont.* - Cf. art. praec., arg. *Sed cont.*

Ad secundum dicendum quod baptizatis sufficit confessio interior Deo facta, et etiam exterior generalis, ad hoc quod dirigantur et misericordiam consequantur: nec requiritur confessio specialis exterior, ut dictum est *.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod confessio est pars poenitentiae sacramentalis, quae non requiritur ante baptismum, ut dictum est *: sed requiritur interioris poenitentiae virtus.

* In corpore.

β) *operibus*. – *pompis* tertia.

γ) *ut*. – *et* FGH. – *secundum... baptismus Christi* EF*a* et tertia; om. ceteri, sed in A suppletur manu recenti.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo quinto et sexto hoc solum occurrit suggerendum, ut ex devotione sua peccata confitentes ante baptismum non absolvantur: quoniam non sunt capaces sacramenti poenitentiae ante baptismum. Nec eorum confessio talis esset sacramentalis, nisi forte per reductionem.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM EX PARTE BAPTIZATI REQUIRATUR INTENTIO SUSCIPIENDI SACRAMENTUM BAPTISMI

Infra, qu. LXIX, art. 9; IV *Sent.*, dist. VI, qu. I, art. 2, qª 3; dist. XXVII, qu. I, art. 2, qª 4.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod ex parte baptizati non requiratur intentio suscipiendi sacramentum baptismi. Baptizatus enim se habet sicut patiens in sacramento. Intentio autem non requiritur ex parte patientis, sed ex parte agentis. Ergo videtur quod ex parte baptizati non requiratur intentio suscipiendi baptismum.

2. Praeterea, si praetermittatur id quod requiritur ad baptismum, homo est denuo baptizandus: sicut cum praetermittitur invocatio Trinitatis, sicut supra * dictum est. Sed ex hoc non videtur aliquis denuo baptizandus quod intentionem non habebat suscipiendi baptismum: alioquin, cum de intentione baptizati non constet, quilibet posset petere se denuo baptizari propter intentionis defectum. Non videtur ergo quod intentio requiratur ex parte baptizati ut suscipiat sacramentum.

* Qu. LXVI, art. 6, arg. *Sed cont.*; art. 9, ad 3.

3. Praeterea, baptismus contra peccatum originale datur. Sed originale peccatum contrahitur sine intentione nascentis. Ergo baptismus, ut videtur, intentionem non requirit ex parte baptizati.

Sed contra est quod, secundum ritum Ecclesiae, baptizandi profitentur se petere ab Ecclesia baptismum. Per quod profitentur suam intentionem de susceptione sacramenti.

Respondeo dicendum quod per baptismum aliquis moritur veteri vitae peccati, et incipit quandam vitae novitatem: secundum illud *Rom.* VI *: *Consepulti sumus Christo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus resurrexit a mortuis* [α], *ita et nos in novitate vitae ambulemus*. Et ideo, sicut ad hoc quod homo moriatur veteri vitae, requiritur, secundum Augustinum *, in habente usum liberi arbitrii, voluntas qua *eum veteris vitae poeniteat;* ita requiritur voluntas qua intendat vitae novitatem, cuius principium est ipsa susceptio sacramenti. Et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, sive intentio, suscipiendi sacramentum.

* Vers. 4.
* Serm. CCCLI, al. Homil. ult. inter *Quinquagint. Homil.*, cap. II.

Ad primum ergo dicendum quod in iustificatione, quae fit per baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria. Et ideo requiritur intentio recipiendi id quod ei datur.

Ad secundum dicendum quod, si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus. Si tamen hoc non constaret, esset dicendum: *Si non es baptizatus, ego te baptizo* *.

* D. 265.

Ad tertium dicendum quod baptismus ordinatur non solum contra originale peccatum, sed etiam contra actualia *, quae per voluntatem et intentionem causantur.

* D. 583.

α) *mortuis*. – *per gloriam Patris* addunt E et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat sumendus est. – In corpore, iuncto responsioni ad secundum, ubi dicitur, *Si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus* *, dubium occurrit magnum, an ex parte baptizati ita necessaria sit intentio suscipiendi sacramentum baptismi ut, si illa desit, baptismus nullus sit.

> * Cf. num. x.

Et est ratio dubii varietas opinionum. Quidam enim, de quorum numero est Durandus *, in IV *Sent.*, dist. iv, qu. vii, tenent universaliter, hoc est tam in adultis quam in parvulis, requiri consensum ex parte baptizati *.

> * Cf. II^am II^ae, qu. x, art. 12, Comment. num. iii; et infra art. 10, Comment. num. i.
> * Cf. num. seq.

Alii vero, de quorum numero est Auctor in IV *Sent.*, dist. vi, qu. i, art. 2, qu. 3, tenent totaliter oppositum: scilicet quod nec in parvulis nec in adulto, per se loquendo, exigitur voluntas propria *. Dico autem, *per se loquendo:* quia in adultis exigitur voluntas propria per accidens, hoc est, ut removens prohibens, puta peccatum vel contrariam voluntatem.

> * Cf. num. iii, vii.

Quidam autem, de quorum numero est Scotus, in IV *Sent.*, dist. iv, qu. iv, distinguendum putant inter adultum et puerum: tenentes quod in adulto requiritur voluntas, in parvulo autem non *.

> * Cf. num. iv.

Et quoniam quaestio est difficilis, videndum est quid roboris habeant rationes opinionum; et deinde rationabilior dicendi modus eligendus est *.

> * Cf. num. vii.

II. Prima igitur opinio *, tenens universaliter requiri consensum ex parte baptizati, fundatur, primo, super ritu Ecclesiae petentis a baptizando, *Vis baptizari?*

> * Cf. num. v.

Secundo, super hoc quod baptizari est passio voluntaria.

Tertio, procedit Durandus * sic. Quidquid est de necessitate sacramenti in uno, est de necessitate sacramenti in omnibus: in similibus quidem similiter, et in proportionalibus proportionaliter. Sed voluntas recipiendi baptismum est de necessitate sacramenti in adultis. Ergo est etiam de necessitate sacramenti in parvulis. Proportionaliter tamen: hoc est, voluntate interpretativa quoad parvulos, sicut propria quoad adultos. – Probatur minor. Adultus simili modo debet se habere ad fidem, et ad *fidei sacramentum*. Sed *credere non potest nisi volens* *. Ergo nec baptizari potest nisi volens. – Et confirmatur * ex mandato Domini *, *Docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc., ubi Hieronymus * dicit: *Non potest suscipi sacramentum, nisi anima fidei susceperit veritatem.*

> * Loc. cit., n. 11.
> * Aug. *In Ioan. Evang.*, tract. XXVI.
> * Durand., loc. cit., n. 10.
> * Matth. cap. xxviii, vers. 19.
> * *Comment. in Matth.* lib. IV.

Affertur, quarto, ratio ex littera huius articuli, scilicet: Oportet inchoantem novam vitam velle illam, ac per hoc, eius principium, quod est baptisma.

III. Oppositae autem opinionis, scilicet quod non per se requiritur velle ex parte baptizati *, fundamentum est quod tota efficacia sacramenti baptismi est ex parte ipsius sacramenti, nec requirit ex parte patientis nisi capacitatem absque contrarietate. Probaturque hoc ex eo quod de facto videmus parvulum omnem baptizatum non esse rebaptizandum. Et hinc sumitur ratio: Quidquid non est de necessitate sacramenti in uno, non est de necessitate sacramenti in reliquis. Sed consensus non est de necessitate sacramenti in parvulis. Ergo nec in adultis.

> * Cf. num. i, *Alii;* et num. vi.

IV. Tertiae autem opinionis * ratio est quia, si adultus caret consensu, videtur quod contemnat. Oportet enim adultum aliquam habere devotionem ad sacramentum, aut contemnere ipsum, saltem interpretative.

> * Cf. num. i, *Quidam.*

Et ut ab hac ultima incipiamus, responsio seu ratio ista fugit quaestionem: quasi impossibile sit inveniri adultum neutrum respectu baptismi, sed oporteret in alteram partem declinare, hoc est, velle aut nolle baptizari. Quaestio autem est de veritate conditionalis, non curando de possibilitate antecedentis. Vertitur enim in quaestionem, si adultus neuter secundum voluntatem ad baptismum, baptizaretur dormiens, an esset postea baptizandus: hoc est, an susciperet characterem vel non. Cui quaestioni, ut patet, non satisfit per hanc opinionem declinantem ad alterum extremum.

V. Primae autem opinionis fundamentum primum, de ritu Ecclesiae *, non cogit. Quoniam eodem Ecclesiae ritu petitur etiam a baptizando si credit in Deum Patrem omnipotentem, etc.: et tamen constat non exigi ad necessitatem sacramenti fidem, sive suam sive patrini, ex parte baptizati.

> * Num. ii.

Secundum quoque fundamentum petit principium.

Tertium vero ambiguum assumit, scilicet in adulto requiri per se propriam voluntatem. Hoc est enim de quo est quaestio. – Et ad probationem dici facile potest similitudinem non tenere, scilicet quod adultus ita se debeat habere ad *sacramentum fidei* sicut se habet ad credere. Quoniam credere consistit manifeste in actione voluntaria, sacramentum autem fidei manifeste consistit in pati seu suscipere: et propterea non est simile.

Auctoritas autem Hieronymi non est ad propositum: quia de fide loquitur, quaestio autem est de velle.

VI. Secundae demum opinionis ratio * reiici potest eodem modo, scilicet quod assumit probandum. Hoc enim est quod vertitur in dubium, an patiens in baptismo exigat velle ut necessariam dispositionem ad receptionem sacramenti: hoc enim est totum in quo consistit quaestio.

> * Num. iii.

Quod autem additur, quod nullus puer baptizatus est rebaptizandus, licet negetur a tenentibus primam opinionem, magnam tamen secundum rationem vim habere videtur *.

> * Cf. num. seq., *Secundo.*

VII. His excursis, dicendum mihi videtur, cum secunda opinione, quod, per se loquendo, non exigitur intentio seu voluntas ex parte baptizandi de necessitate sacramenti, sed sufficit in ipso non inveniri *obicem voluntatis contrariae.* Probaturque hoc dupliciter. Primo, auctoritate Innocentii III, Extra, *de Baptismo et eius effectu,* in cap. *Maiores causas* *. Ibi enim, mota quaestione de suscipientibus characterem, et relata opinione quorundam dicentium characterem imprimi etiam invitis, refutata deinde hac opinione quoad totaliter invitos, concludit haec verba in calce: *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem:* ubi manifeste patet intenta conclusio determinata ab Apostolica Sede.

> * *Maiores Ecclesiae causas.*

Secundo probatur utendo iam dicta * ratione: Quod non est de necessitate sacramenti in uno recipiente baptismum, non est de necessitate sacramenti, per se loquendo, in quocumque recipiente baptismum. Sed in parvulis voluntas, etiam interpretativa, non exigitur ut propria dispositio ad recipiendum baptismum. Ergo in nullo baptizando requiritur, per se loquendo, consensus ad recipiendum baptisma. – Et probatur minor. Quia voluntas parentum non est dispositio aliqua, sed sola appropinquatio patientis ad agens, puta ministrum conferentem sacramentum. Constat enim approximantem passivum activo non esse necessarium ex parte patientis: tum quoniam aliunde potest suppleri, puta ex approximatione agentis ad patiens, vel ex removente obstaculum; tum quoniam extrinsecum hoc est. Patet vero voluntatem parentis solummodo approximare passivum activo, offerendo infantem baptismo, ex eo quod, si Iudaeus faceret filium baptizari, non ut nutriretur Christianus, sed totaliter nutriendum in Iudaeum, ob solamque corporis sanitatem infantem vellet baptizari, et hoc ipsum diceret, ac compelleret ministrum ad baptizandum, vel ipsemet baptizaret, in veritate infans esset baptizatus: et tamen tunc paterna voluntas nec ex caritate, nec ex spe, nec ex fide, nec ex Ecclesiae voluntate, ibi cooperaretur, quoniam Ecclesia, si sciret, resisteret tali oblationi. Nihil ergo facit oblatio pueri nisi quod approximat passum agenti, iniuriamque paternae tollit auctoritatis, quae illi irrogaretur si infans patre invito baptizaretur.

> * Num. iii.

Sufficit ergo in baptizando non inveniri *obicem voluntatis contrariae,* ad hoc ut characterem suscipiat ex baptismo.

VIII. Sed contra hoc instant dupliciter. Primo, utendo argumento allato in dicta decretali * (* Num. vii.), quod scilicet sequeretur ex hoc quod aliquis adultus nunquam consentiens baptismo, *pertineret ratione sacramenti ad iurisdictionem ecclesiasticam, ac per hoc ad servandam regulam Christianae fidei foret rationabiliter compellendus*: quod est absurdum.

Obiicitur quoque a Durando * (* Loc. cit. supra, n. 8.), probante quod voluntas adulti baptizandi requiritur per se. Nam si velle suscipere baptismum non sit in adulto dispositio necessaria ad baptismum secundum se, sequitur quod nolle, seu renuere, vel negligere suscipere ipsum, non erit impedimentum: quia non impedit nisi velle oppositum.

IX. Ad primum horum dicitur quod ratio procedit ex extrinsecis accidentibus, quale est iurisdictio ecclesiastica: et propterea parum roboris habet. Veruntamen dupliciter solvi potest. Primo, quod casus iste aut impossibilis, aut plus quam rarissimus est, scilicet ut adultus neuter baptizetur. Regulae autem de iurisdictionis actibus, puta de compellendo et similibus, dantur secundum ea quae communiter eveniunt. – Secundo quod, uno inconvenienti dato, multa inconvenientia sequi possunt. Et ideo, dato hoc inconvenienti quod minister temere baptizaret adultum neutrum, non est mirum sequi aliud inconveniens, scilicet quod talis esset de iurisdictione Ecclesiae ratione sacramenti, et non esset compellendus ad Christianitatem servandam, quia nunquam consensit, sed dormiens baptizatus est.

Ad obiectionem vero Durandi respondetur quod sequela nihil valet. Et probatio nullius etiam apparentiae est. Quoniam nolle baptismum secundum se adversatur susceptioni baptismi, et ideo impedit ipsum: et non quia tollit suum contrarium, puta velle baptismum.

X. Nec putes Auctorem hoc in loco alterius fuisse opinionis * (* Cf. num. i, init.): ut patet ex eo quod inferius ** (** Art. 10. – Cf. Comment. ibid. num. i.) dicit pueros infidelium, si invitis parentibus baptizarentur, fore baptizatos. Quod autem hic dixit, intelligendum est secundum id quod semper de facto invenitur in adultis: scilicet quod non invenitur neuter, sed aut habet velle aut nolle respectu baptismi, implicite vel explicite, etc. Et propterea verificatur quod, *si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus:* defectus enim intentionis contrariam haberet annexam intentionem.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM FIDES REQUIRATUR EX PARTE BAPTIZATI

IV *Sent.*, dist. ii, qu. ii, art. 4; dist. iv, qu. ii, art. 3, qu^a^ 2, ad 2; qu^a^ 3; dist. vi, qu. i, art. 3, qu^a^ 1; qu. ii, art. 2, qu^a^ 3; dist. ix, art. 2, qu^a^ 2, ad 2.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod fides requiratur ex parte baptizati. Sacramentum enim baptismi a Christo est institutum. Sed Christus, formam baptismi tradens, fidem baptismo praemittit, dicens, Marc. ult. * (* Vers. 16.): *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ergo videtur quod, nisi sit fides, non possit esse sacramentum baptismi.

2. PRAETEREA, nihil frustra in sacramentis Ecclesiae agitur. Sed secundum ritum Ecclesiae, qui accedit ad baptismum de fide interrogatur, cum dicitur: *Credis in Deum Patrem omnipotentem?* [α] Ergo videtur quod fides ad baptismum requiratur.

3. PRAETEREA, ad baptismum requiritur intentio suscipiendi sacramentum. Sed hoc non potest esse sine recta fide, cum baptismus sit rectae fidei sacramentum: per eum enim *incorporantur* homines *Christo*, ut Augustinus dicit, in libro *de Baptismo Parvulorum* * (* Al. *de Peccator. Merit. et Remiss. et de Bapt. Parvulor.* lib. I, cap. xxvi.); hoc autem esse non potest sine recta fide, secundum illud *Ephes.* iii * (* Vers. 17.): *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Ergo videtur quod ille qui non habet rectam fidem, non possit suscipere sacramentum baptismi.

4. PRAETEREA, infidelitas est gravissimum peccatum, ut in Secunda Parte * (* II^a^ II^ae^, qu. x, art. 3.) habitum est. Sed permanentes in peccato non sunt baptizandi. Ergo nec etiam permanentes in infidelitate.

SED CONTRA EST quod Gregorius, scribens Quirico [β] Episcopo * (* *Regist.* lib. XI, Epist. lxvii, al. lxi. – Cf. can. *Ab antiqua, de Consecr.*, dist. IV.), dicit: *Ab antiqua Patrum institutione didicimus ut qui apud haeresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesiae revocentur.* Hoc autem non esset, si fides [γ] ex necessitate requireretur ad susceptionem baptismi.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut ex dictis * (* Qu. lxiii, art. 6; qu. lxvi, art. 9.) patet, duo efficiuntur in anima per baptismum, scilicet character et gratia. Dupliciter ergo aliquid ex necessitate requiritur ad baptismum. Uno modo, sine quo gratia haberi non potest, quae est ultimus effectus sacramenti. Et hoc modo recta fides ex necessitate requiritur ad baptismum: quia, sicut dicitur *Rom.* iii * (* Vers. 22.), *iustitia Dei est per fidem Iesu Christi.*

Alio modo requiritur aliquid ex necessitate ad baptismum, sine quo character baptismi [δ] imprimi non potest. Et sic recta fides baptizati non requiritur ex necessitate ad baptismum, sicut nec recta fides baptizantis: dummodo adsint cetera quae sunt de necessitate sacramenti. Non enim sacramentum perficitur per iustitiam hominis dantis vel suscipientis baptismum, sed per virtutem Dei.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Dominus loquitur ibi de baptismo secundum quod perducit homines ad salutem secundum [ε] gratiam iustificantem: quod quidem sine recta fide esse non potest. Et ideo signanter dicit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod Ecclesia intendit homines baptizare ut emundentur a peccato: secundum illud Isaiae xxvii * (* Vers. 9.): *Hic est omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Et ideo, quantum est de se, non intendit dare baptismum nisi ha-

---

α) *omnipotentem.* – *etc.* PI.

β) *Quirico.* – *Quirino* D, *Quirito* F, *Quinto* I; *Alias Quirino* margo P. – *apud haeresim* EF et tertia; *apud bransim.*

γ) *si fides.* – *si recta fides* HpG et *b*, *si recta fides esset de necessitate baptismi non ergo recta fides* PIsG et *c*. Pro *requireretur*, *requiritur* tertia.

δ) *baptismi.* – *baptismatis* P, *baptismalis* cetera tertia.

ε) *secundum.* – *per* tertia.

bentibus rectam fidem, sine qua non est remissio peccatorum. Et propter hoc interrogat ad baptismum accedentes, an credant. Si tamen sine recta fide aliquis baptismum suscipiat extra Ecclesiam, non percipit illud ad suam salutem. Unde Augustinus dicit *: *Ecclesia paradiso comparata indicat nobis posse quidem baptismum eius homines etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem percipere vel tenere.*

* *De Baptism. cont. Donatist.*, lib. IV, cap. 1.

Ad tertium dicendum quod etiam non habens rectam fidem circa alios articulos, potest habere rectam fidem circa sacramentum baptismi *: et ita non impeditur quin possit habere intentionem suscipiendi sacramentum baptismi. Si tamen etiam circa hoc sacramentum non [ζ] recte sentiat, sufficit ad perceptionem sacramenti generalis intentio qua intendit suscipere baptismum sicut Christus instituit, et sicut Ecclesia tradit.

* D. 604.

Ad quartum dicendum quod, sicut sacramentum baptismi non est conferendum ei qui non vult ab aliis peccatis recedere, ita nec etiam ei qui non vult infidelitatem deserere. Uterque tamen suscipit sacramentum si ei conferatur, licet non ad salutem.

ζ) *non.* – DEF et tertia; *nec.*

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo octavo, adverte verba Auctoris intelligi de adultis: quoniam rectam fidem necessario requiri ad ultimum effectum baptismi sonant. Et hoc dico propter parvulos, in quibus nec intentio nec fides ex parte baptizati requiritur.

ARTICULUS NONUS

UTRUM PUERI SINT BAPTIZANDI

Iª IIªᵉ, qu. CXIII, art. 3, ad 1; IV *Sent.*, dist. IV, qu. III, art. 1, quª 1; dist. IX, art. 5, quª 4, ad 2; dist. XVIII, qu. I, art. 3, quª 1; *De Malo*, qu. IV, art. 1; *Quodl.* IV, qu. VII, art. 1; qu. XII, art. 1.

Ad nonum sic proceditur. Videtur quod pueri non sint baptizandi. In eo enim qui baptizatur requiritur intentio suscipiendi sacramentum, ut supra * dictum est. Huiusmodi autem intentionem non possunt pueri habere: cum non habeant usum liberi arbitrii. Ergo videtur quod non possint suscipere sacramentum baptismi.

* Art. 7.

2. Praeterea, baptismus est *fidei sacramentum*, ut supra * dictum est. Sed pueri non habent fidem, quae consistit in *credentium voluntate*, ut Augustinus dicit, *super Ioan.* * Nec etiam potest dici quod salventur in fide parentum: quia quandoque parentes sunt infideles, et sic magis per eorum infidelitatem damnarentur. Ergo videtur quod pueri non possint baptizari.

* Art. 4, ad 3; qu. XXXIX, art. 5; qu. LXVI, art. 1, ad 1.
* Tract. XXVI. - Cf. *de Praedestin. Sanct.* lib. I, cap. V, in fine.

3. Praeterea, I Pet. III * dicitur quod homines *salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum.* Sed pueri neque conscientiam habent bonam vel malam, cum non habeant usum rationis: neque etiam convenienter ipsi interrogantur, cum non intelligant. Ergo non debent pueri baptizari.

* Vers. 21.

Sed contra est quod Dionysius dicit, ult. cap. *Eccl. Hier.* *: *Divini nostri duces,* scilicet Apostoli, *probaverunt infantes recipi ad baptismum.*

* Part. III, § 11.

Respondeo dicendum quod, sicut Apostolus dicit, *Rom.* V *, *si unius delicto mors regnavit per unum,* scilicet per Adam, *multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes in vita regnabunt per unum, Iesum Christum.* Pueri autem ex peccato Adae peccatum originale contrahunt: quod patet ex hoc quod sunt mortalitati subiecti, quae per peccatum primi hominis *in omnes pertransiit,* ut ibidem * Apostolus dicit. Unde multo magis pueri possunt per Christum gratiam suscipere, ut regnent in vita aeterna. Ipse autem Dominus dicit, Ioan. III *: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde necessarium fuit pueros baptizare [α], ut, sicut per Adam damnationem incurrerunt nascendo, ita per Christum salutem consequantur renascendo.

* Vers. 17.
* Vers. 12.
* Vers. 5.

Fuit etiam conveniens pueros baptizari ut, a pueritia nutriti in his quae sunt Christianae vitae, firmius in ea perseverent: iuxta [β] illud *Prov.* XXII *: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Et hanc rationem assignat Dionysius, ult. cap. *Ecclesiastiae Hierarchiae* *.

* Vers. 6.
* Loc. cit. supra.

Ad primum ergo dicendum quod regeneratio spiritualis, quae fit per baptismum, quodammodo similis est nativitati carnali, quantum ad hoc quod, sicut pueri in maternis uteris constituti non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur, ita etiam pueri non [γ] habentes usum rationis, quasi in utero matris Ecclesiae constituti, non per seipsos, sed per actum Ecclesiae salutem suscipiunt. Unde Augustinus dicit, in libro *de Peccatorum* [δ] *Meritis et Remiss.* *: *Mater Ecclesia os maternum parvulis praebet, ut sacris mysteriis imbuantur: quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Si autem* * *propterea recte fideles vocantur quoniam fidem per verba* [ε] *gestantium*

* Lib. I, cap. XXV.
* Cap. XIX.

α) *baptizare.* – *baptizari* PFIa.
β) *iuxta.* – *secundum* tertia.
γ) *ita etiam pueri non.* – *vel etiam nondum* bc; *nondum* etiam cetera tertia.
δ) *Peccatorum.* – P; *Peccatis et.* Margo P: *Alias, de meritis et remissione peccatorum.* F om. *et Remiss.*
ε) *fidem per verba.* – PEI; *per verba* bc, *per fidem verba* ceteri.

quodammodo profitentur, cur etiam non poenitentes habeantur, cum per eorundem verba gestantium diabolo et huic saeculo abrenuntiare monstrentur? Et eadem ratione possunt dici intendentes, non per actum propriae intentionis, cum ipsi quandoque contranitantur et plorent: sed per actum eorum a quibus offeruntur.

Ad secundum dicendum quod, sicut Augustinus, scribens Bonifacio *, dicit, *in Ecclesia Salvatoris parvuli per alios credunt, sicut ex aliis quae in baptismo remittuntur peccata traxerunt.* Nec impeditur eorum salus si parentes sint infideles: quia, sicut Augustinus dicit, eidem Bonifacio scribens *, *offeruntur parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam* [ζ] *ab eis quorum gestantur manibus (quamvis et ab ipsis, si et ipsi boni fideles sunt), quam ab universa societate sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, et quorum caritate ad communionem Sancti Spiritus adiunguntur.* Infidelitas autem propriorum parentum, etiam si eos post baptismum daemoniorum sacrificiis imbuere conentur, pueris non nocet. Quia, ut ibidem * Augustinus dicit, *puer semel generatus per aliorum voluntatem, deinceps non potest vinculo alienae iniquitatis obstringi, ubi nulla* [η] *sua voluntate consentit: secundum illud,* Ezech. XVIII *, « *Sicut anima patris mea est, et anima filii: anima quae peccaverit, ipsa morietur* ». *Sed ideo ex Adam traxit quod sacramenti illius gratia solveretur, quia nondum erat anima separata vivens.* Fides autem unius, immo totius Ecclesiae, parvulo prodest per operationem Spiritus Sancti, qui unit Ecclesiam et bona unius alteri communicat.

Ad tertium dicendum quod, sicut puer, cum baptizatur, non per seipsum, sed per alios credit; ita non per seipsum, sed per alios interrogatur, et interrogati confitentur fidem Ecclesiae in persona pueri, qui huic fidei aggregatur per *fidei sacramentum* *. Conscientiam autem bonam consequitur puer etiam in seipso, non quidem actu, sed habitu, per gratiam iustificantem.

* *Cont. duas Ep. Pelag.* lib. I, cap. XXII.
* Ep. XCVIII, al. XXIII, n. 4.
* Num. 1.
* Vers. 4.
* Cf. arg. 2.

ζ) *tam.* – PEI; *tantum* pB, *tamen* ceteri.

η) *ubi nulla.* – *nisi nulla* BpG, plures ambigui, *nisi* bc. Post *mea est* tertia praeter H addit *ita*. Pro *separata, separatim* PI.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo nono, in responsione ad primum et secundum, intellige accommodationem esse quandam in hoc quod Ecclesia pro parvulis credit, intendit, renuntiat, etc. Ad litteram enim, quia similitudo ex proprio derivatur, cum institutus esset ritus baptismi pro adultis, accommodatus est idem ritus ad parvulos, ut quod proprie fit ab adultis, secundum quandam similitudinem fieret a parvulo; non proprio, sed Ecclesiae ore. Et quoniam ad solemnitatem baptismi haec spectant, ideo sine his baptismus factus valet.

II. In responsione ad secundum, non sic intelligas Ecclesiae fidem prodesse infanti qui baptizatur, quasi meritum fidei existens in Ecclesia salvet infantem: quoniam infans non per fidem, sed per *fidei sacramentum* regulariter salvatur. Sed intellige Ecclesiae merita prodesse infanti et iuxta articulum communionis Sanctorum; et particulariter tum orando pro infante, tum applicando eundem sacramento ex corde puro et caritate plena.

ARTICULUS DECIMUS

UTRUM PUERI IUDAEORUM VEL ALIORUM INFIDELIUM SINT BAPTIZANDI ETIAM INVITIS PARENTIBUS

II[a] II[ae], qu. x, art. 12; *Quodl.* II, qu. iv, art. 2; III, qu. v, art. 1.



Ad decimum sic proceditur. Videtur quod pueri Iudaeorum vel aliorum infidelium sint baptizandi, etiam invitis parentibus. Magis enim debet homini subveniri contra periculum mortis aeternae quam contra periculum mortis temporalis. Sed puero in periculo mortis temporalis existenti est subveniendum, etiam si parentes per malitiam contranitterentur. Ergo multo magis est subveniendum pueris infidelium filiis [α] contra periculum mortis aeternae, etiam invitis parentibus.

2. Praeterea, filii servorum sunt servi, et in potestate dominorum. Sed Iudaei sunt servi regum et principum, et quicumque etiam alii infideles *. Ergo absque omni iniuria possunt principes Iudaeorum filios, vel aliorum servorum infidelium, facere baptizari.

3. Praeterea, quilibet homo est magis Dei, a quo habet animam, quam patris carnalis, a quo habet corpus. Non est ergo iniustum si pueri infidelium filii parentibus carnalibus auferantur, et Deo per baptismum consecrentur.

Sed contra est quod in Decretis, dist. XLV *, ex Concilio Toletano *, sic dicitur: *De Iudaeis praecepit sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre: non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma iustitiae.*

Respondeo dicendum quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, iam, quantum ad ea quae sunt iuris divini vel naturalis, incipiunt suae potestatis esse. Et ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut et matrimonium contrahere. Et ideo tales licite moneri possunt et induci ad suscipiendum baptismum.

Si vero nondum habent usum liberi arbitrii, secundum ius naturale sunt sub cura parentum, quandiu ipsi sibi providere non possunt. Unde

* Cap. *Etsi Iudaeos, de Iudaeis, Sarracen., etc.* - Cf. II[am] II[ae], qu. x, art. 10; Opusc. *de Regim. Iud., ad Duciss. Brabant.*
* Can. *De Iudaeis.*
* Quarto, can. LVII.

α) *filiis.* – *per baptismum* addit tertia.

etiam et de pueris antiquorum dicitur quod *salvabantur in fide parentum* *. Et ideo contra iustitiam naturalem esset si tales pueri, invitis parentibus, baptizarentur: sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare: quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Ecclesiae consuetudo, quod filii infidelium, invitis parentibus, baptizentur.

* Cf. Mag., IV *Sent.*, dist. I, part. II, cap. *Quaeritur.*

Ad primum ergo dicendum quod a morte corporali non est aliquis eripiendus contra ordinem iuris civilis: puta, si aliquis a suo iudice condemnetur ad mortem, nullus debet eum violenter a morte eripere. Unde nec aliquis debet irrumpere ordinem iuris naturae, quo filius est sub cura patris, ut eum liberet a periculo mortis aeternae.

Ad secundum dicendum quod Iudaei sunt servi principum servitute civili, quae non excludit ordinem iuris naturalis vel divini.

Ad tertium dicendum quod homo ordinatur ad Deum per rationem, per quam Deum cognoscere potest. Unde puer, antequam usum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum per rationem parentum, quorum curae naturaliter subiacet, et secundum eorum dispositionem sunt circa ipsum divina agenda.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo decimo, in corpore articuli, adverte Auctorem sentire, immo supponere, filios infidelium fore vere baptizatos, si invitis parentibus baptizarentur. Hoc enim supponit ratio dicens: *Esset periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes.*

Nec opus esse arbitror disputare hic cum Durando * et Petro de Palude *: quoniam ex supra dictis in articulo septimo * satis apparet irrationabilem esse opinionem dicentium voluntatem extrinsecam requiri ex parte baptizati infantis de necessitate sacramenti.

* IV *Sent.*, dist. IV, qu. VII, n. 11.
* IV *Sent.*, dist. IV, qu. IV, art. 4, opin. 2ª.
* Comment. num. V, VII sqq.

II. In eodem, adverte Auctorem non facere differentiam quoad propositum inter filios Iudaeorum vel aliorum infidelium. Difficultas tamen specialis de Iudaeis ratione servitutis non est omissa, sed in responsione ad secundum soluta est.

Ubi scito, propter molestiam instantium et obiicientium quia filii servorum possunt ab eis auferri, et ablati possunt baptizari, ut testatur Ecclesiae consuetudo de filiis Aethiopum qui Christianis venduntur: ergo sine ablatione media possent etiam servorum infidelium filii invitis parentibus baptizari; ipsa namque ablatio non est medium necessarium ad licitum baptismum: – scito, inquam, distinguere inter id quod fit per se, et quod fit per accidens. Nam, per se loquendo, quantumcumque dominus possit auferre filium a servo, non tamen potest ea ratione auferre ut baptizet illum. Quia baptismus et ablatio sunt diversorum iurium: quoniam baptismus iuris est divini, ac per hoc ad patris ius spectans; ablatio vero civilis est iuris, ac per hoc ad domini ius spectat. Et propterea falsum est quod liceat ablatum filium a servo baptizare invitis parentibus: ablatio enim civilis non tollit ius paternum erga divina.

Nec Ecclesiae consuetudo habet ut baptizentur infantes Aethiopum praesentium: sed illos tantum pueros qui ut parentibus destituti habentur baptizat, praesupponens huiusmodi pueros venales tanquam sine parentibus essent. Et rationabiliter quidem: quoniam *chaos magnum* experimur interpositum, ita ut nulli unquam comparaverint parentes pro filiis, nec filii postmodum reversi sunt ad parentes, sed nutriuntur totaliter Christiani, et sic perseverant.

Multa hic omittimus circa praesentis articuli materiam, quia in aliis Commentariis * meminimus nos scripsisse diffuse.

* IIª IIªᵉ, qu. X, art. 12, Comm.

ARTICULUS UNDECIMUS

UTRUM IN MATERNIS UTERIS EXISTENTES POSSINT BAPTIZARI

III *Sent.*, dist. III, qu. I, art. 1, quª 3, ad 1; IV, dist. I, qu. II, art. 6, quª 2, ad 2; dist. III, qu. I, art. 1, quª 3, ad 1; dist. VI, qu. I, art. 1, quª 1; quª 2, ad 1; dist. XXIII, qu. II, art. 2, quª 1, ad 1, 2.



Ad undecimum sic proceditur. Videtur quod in α maternis uteris existentes possint baptizari. Efficacius est enim donum Christi ad salutem quam peccatum Adae ad damnationem, ut Apostolus dicit, *Rom.* v *. Sed pueri in maternis uteris existentes damnantur propter peccatum Adae. Ergo multo magis salvari possunt per donum Christi. Quod quidem fit per baptismum. Ergo pueri in maternis uteris existentes possunt baptizari.

* Vers. 15 sqq.

2. Praeterea, puer in utero matris existens aliquid matris esse videtur. Sed, baptizata matre, baptizatur quidquid est eius intra ipsam existens. Ergo videtur quod, baptizata matre, baptizetur puer in utero eius existens.

3. Praeterea, mors aeterna peior est quam mors corporalis. Sed de duobus malis minus malum eligendum est. Si ergo puer in utero matris existens baptizari non potest, melius esset quod mater aperiretur et puer vi eductus baptizaretur, quam quod puer aeternaliter damnaretur, absque baptismo decedens.

4. Praeterea, contingit quandoque quod aliqua pars pueri prius egreditur: sicut legitur *Gen.* XXXVIII * quod, pariente Thamar, *in ipsa effusione infantium, unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, dicens, Iste egredietur prior. Illo vero manum retrahente* β, *egressus est alter*. Quandoque autem in tali casu imminet periculum mortis. Ergo videtur quod illa pars debeat baptizari, puero adhuc in materno utero existente.

* Vers. 27 sqq.

Sed contra est quod Augustinus, in Epistola *ad Dardanum* *, dicit: *Nemo renascitur nisi primo*

* Ep. CLXXXVII, al. LVII, cap. IX.

α) *in.* – *pueri in* F et tertia praeter I; cf. δ. – *existentes* om. F.

β) *retrahente.* – EF et tertia; *trahente.*

nascatur. Sed baptismus est quaedam spiritualis regeneratio. Non ergo debet aliquis baptizari priusquam ex utero nascatur.

RESPONDEO DICENDUM quod de necessitate baptismi est quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur: cum baptismus sit quaedam ablutio, ut supra * dictum est. Corpus autem infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua: nisi forte dicatur quod ablutio baptismalis qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat. Sed hoc non potest esse: tum quia anima pueri, ad cuius sanctificationem ordinatur baptismus, distincta est ab anima matris; tum quia corpus puerperii [γ] animati iam est formatum, et per consequens a corpore matris distinctum. Et ideo baptismus quo mater baptizatur, non redundat in prolem in utero existentem. Unde Augustinus dicit, *contra Iulianum* *: *Si ad matris corpus id quod in ea concipitur pertinet, ita ut eius pars imputetur, non baptizaretur infans cuius mater baptizata est, aliquo mortis urgente periculo, cum gestaret in utero. Nunc vero, cum etiam ipse*, scilicet infans, *baptizetur, non utique ad maternum corpus, cum esset in utero, pertinebat*. Et ita relinquitur quod nullo modo existentes in maternis uteris [δ] baptizari possunt.

* Qu. LXVI, art. 1.

* Lib. VI, cap. XIV, n. 43.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod pueri in maternis uteris existentes nondum prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant. Unde non possunt subiici actioni humanae, ut per eorum ministerium sacramenta recipiant ad salutem. Possunt tamen subiici operationi Dei, apud quem vivunt, ut quodam privilegio gratiae sanctificationem consequantur: sicut patet de sanctificatis in utero.

AD SECUNDUM DICENDUM quod membrum interius matris est aliquid eius per continuationem et unionem materialis [ε] partis ad totum. Puer autem in utero matris existens est aliquid eius per quandam colligationem corporum distinctorum. Unde non est similis ratio.

AD TERTIUM DICENDUM quod *non sunt facienda mala ut veniant bona*, ut dicitur *Rom*. III *. Et ideo non debet homo occidere matrem ut baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit vivente puero [ζ] in utero, aperiri debet, ut puer baptizetur.

* Vers. 8.

AD QUARTUM DICENDUM quod expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors immineat. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundatur sensus [η], debet baptizari, periculo imminente: et non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit. Et videtur idem faciendum quaecumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla partium exteriorum integritas [θ] ita consistit sicut in capite, videtur quibusdam quod, propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, etc. *

* D. 265, 583.

γ) *puerperii*. – *pueri* Fa, *patris* H.
δ) *existentes*. – *pueri existentes* F, *infantes* H, *infantes (in maternis uteris) existentes* editiones.
ε) *materialis*. – *naturalem* Pl.
ζ) *puero*. – *prole* tertia praeter G.
η) *fundatur sensus*. – *fundantur sensus* DGa, *fundantur omnes sensus* Plc.
θ) *integritas*. – *vitae integritas* E, *integritas vitae* FI et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

* P om. integr. Comment.

* IN articulo undecimo occurrit scribendum, et consequenter dicendum, sub correctione tamen, parvulos in maternis uteris periclitantes posse salvari: sicut superius * diximus de infantibus qui non possunt baptizari. Posse autem salvari dico per sacramentum baptismi, non in re, sed in voto parentum susceptum, cum aliqua benedictione prolis seu oblatione ipsius ad Deum, cum invocatione Trinitatis.

* Art. 2, Comment.

Moveor autem ad hoc duplici ratione. Una est, rationabile esse ut divina misericordia providerit homini in quocumque naturali statu de aliquo remedio salutis, ita ut nullum reliquerit statum potentem allegare impossibile esse sibi salutis remedium. Esset autem sine omni remedio derelictus status morientium in utero, nisi parentum fides illis posset subvenire: salus enim quae potest a Deo infanti in utero conferri ex speciali privilegio, non spectat ad remedium illius status, quoniam infra ordinem divinorum miraculorum concluditur.

Secundo, ex eo quod status ille est capax baptismi sanguinis. Si enim propter Christum infans in utero occideretur, martyr esset, non minus quam Innocentes. Rationabile siquidem videtur parentum fidem posse optando perducere ad id ad quod corporalis passio infantem ducit.

Quocirca caute et irreprehensibiliter ageretur, si periclitantibus in utero pueris ob maternam aegritudinem vel partus difficultatem, benedictio in nomine Trinitatis daretur: et causae discussio deinde divino reservaretur tribunali. Quis scit si divina misericordia huiusmodi baptismum in voto parentum acceptet: ubi nulla incuria, sed sola impossibilitas sacramenti executionem excludit?

ARTICULUS DUODECIMUS

UTRUM FURIOSI ET AMENTES DEBEANT BAPTIZARI

Iª IIªᵉ, qu. CXIII, art. 3, ad 1; IV *Sent.*, dist. IV, qu. III, art. 1, quª 3; dist. VI, qu. I, art. 2, quª 3, ad 2; dist. XXIII, qu. II, art. 2, quª 3, ad 2; dist. XXV, qu. II, art. 1, ad 2; dist. XXXIV, art. 4, ad 1; *De Verit.*, qu. XXVIII, art. 3, ad 2.

AD DUODECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod furiosi et amentes non debeant baptizari. Ad susceptionem enim baptismi requiritur intentio in eo qui baptizatur, ut supra * dictum est. Sed furiosi et amentes, cum careant usu rationis, non possunt habere nisi inordinatam [α] intentionem. Ergo non debent baptizari.

* Art. 7.

2. PRAETEREA, homo bruta animalia superexcedit in hoc quod habet rationem. Sed furiosi et amentes non habent usum rationis: et quandoque etiam in eis non expectatur, sicut expectatur in pueris. Ergo videtur quod, sicut bruta animalia non baptizantur, ita etiam nec tales furiosi et amentes debeant baptizari.

3. PRAETEREA, magis ligatus est usus rationis in furiosis vel amentibus quam in dormientibus. Sed baptismus non consuevit dari dormientibus. Ergo non debet dari amentibus et furiosis.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit [β], IV *Confess.* *, de amico suo, qui, *cum desperaretur, baptizatus est* [γ]. Et tamen in ipso baptismus efficaciam habuit. Unde et carentibus usu rationis aliquando baptismus dari debet.

* Cap. IV.

RESPONDEO DICENDUM quod circa amentes et furiosos est distinguendum. Quidam enim sunt a nativitate [δ] tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus usus rationis apparet. Et de talibus, quantum ad baptismi susceptionem, videtur esse idem iudicium et de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiae, ut supra * dictum est.

* Art. 9, ad 2.

Alii vero sunt amentes qui ex sana mente quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt. Et tales sunt iudicandi secundum voluntatem quam habuerunt dum sanae mentis existerent. Et ideo, si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, debet exhiberi eis in furia vel amentia constitutis, etiam si tunc contradicant [ε]. Alioquin, si nulla voluntas suscipiendi baptismum in eis apparuit dum sanae mentis essent, non sunt baptizandi.

Quidam vero sunt qui, etsi a nativitate fuerint furiosi et amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt. Unde, si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt etiam in amentia constituti. Et debet eis sacramentum tunc conferri si periculum timeatur: alioquin melius est ut tempus expectetur in quo sint sanae mentis, ad hoc quod devotius suscipiant sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas baptismum suscipiendi, baptizari non debent in amentia constituti.

Quidam vero sunt qui, etsi non omnino sanae mentis existant, in tantum tamen ratione utuntur quod possunt de sua salute cogitare, et intelligere sacramenti virtutem. Et de talibus idem est iudicium sicut de his qui sanae mentis existunt, qui baptizantur volentes, non inviti.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod amentes qui nunquam habuerunt nec habent usum rationis, baptizantur ex intentione Ecclesiae, sicut ex ritu [ζ] Ecclesiae credunt et poenitent: sicut supra * de pueris dictum est. Illi vero qui aliquo tempore habuerunt vel habent usum rationis, secundum propriam intentionem baptizantur, quam habent vel habuerunt tempore sanae mentis.

* Art. 9, in respp. ad argg.

AD SECUNDUM DICENDUM quod furiosi vel amentes carent usu rationis per accidens, scilicet propter aliquod impedimentum organi corporalis: non autem propter defectum animae rationalis, sicut bruta animalia. Unde non est de eis similis ratio.

AD TERTIUM DICENDUM quod dormientes non sunt baptizandi nisi periculum mortis immineat. In quo casu baptizari debent si prius voluntas apparuit in eis suscipiendi baptismum, sicut et de amentibus dictum est *: sicut Augustinus narrat, in IV libro *Confess.* *, de amico suo, qui *baptizatus est nesciens,* propter periculum mortis.

* In corpore.
* Loc. cit. in arg. *Sed cont.*

α) *nisi inordinatam.* – *ordinatam* PI.
β) *dicit.* – In I sequitur spatium vacuum duarum linearum, post quod *Respondeo dicendum* etc. Cf. Vol. XI. Praef. n. 22.
γ) *baptizatus est.* – *nesciens* addit tertia (pro I cf. β); eadem pro *in ipso baptismus, baptismus in eo,* et pro *Unde et, Ergo.*
δ) *a nativitate.* – E et tertia; *ante nativitatem.*
ε) *contradicant.* – *actu dicant* H, *actu (acta bc) contradicant* cetera tertia.
ζ) *ex ritu.* – (*et* PI) *ex actu* I et editiones; *Alias, ritu* margo P.

QUAESTIO SEXAGESIMANONA

DE EFFECTIBUS BAPTISMI

IN DECEM ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de effectibus baptismi *.

* Cf. qu. LXVI, Introd.

Et circa hoc quaeruntur decem.

Primo: utrum per baptismum auferantur omnia peccata.

Secundo: utrum per baptismum liberetur homo ab omni poena.

Tertio: utrum baptismus auferat poenalitatem [α] huius vitae.

Quarto: utrum per baptismum conferantur homini gratiae et virtutes.

Quinto: de effectibus virtutum qui per baptismum conferuntur.

Sexto: utrum etiam parvuli in baptismo gratias et virtutes accipiant.

Septimo: utrum per baptismum aperiatur baptizatis ianua regni caelestis.

Octavo: utrum baptismus aequalem effectum habeat in omnibus baptizatis.

Nono: utrum fictio impediat effectum baptismi.

Decimo: utrum, recedente fictione, baptismus obtineat suum effectum.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM PER BAPTISMUM TOLLANTUR OMNIA PECCATA

Infra, qu. LXXIX, art. 5, ad 1; II *Sent.*, dist. XXXII, qu. I, art. 1, arg. 1 *Sed Cont.*; art. 2, ad 3; IV, dist. IV, qu. II, art. 1, qu[a] 1, dist. XII, qu. II, art. 2, qu[a] 1, ad 3; dist. XIV, qu. II, art. 1, qu[a] 2, ad 3; dist. XVII, qu. II, art. 2, qu[a] 6, ad 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LIX, LXXII.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per baptismum non tollantur omnia peccata. Baptismus enim est quaedam spiritualis regeneratio, quae contraponitur generationi carnali. Sed per generationem carnalem homo contrahit solum originale peccatum. Ergo per baptismum solvitur solum originale peccatum.

2. PRAETEREA, poenitentia est sufficiens causa remissionis actualium peccatorum. Sed ante baptismum in adultis requiritur poenitentia: secundum illud *Act.* II *: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Ergo baptismus nihil operatur circa remissionem peccatorum actualium.

* Vers. 38.

3. PRAETEREA, diversorum morborum diversae sunt medicinae: quia, sicut Hieronymus dicit *, *non sanat oculum quod sanat calcaneum.* Sed peccatum originale, quod per baptismum tollitur, est aliud genus peccati a peccato actuali. Ergo non omnia peccata remittuntur per baptismum.

* *Exposit. in S. Marc.*, ad cap. IX, vers. 27, 28. - Inter Opp. Hieron.

SED CONTRA EST quod dicitur Ezech. XXXVI *: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis* [β] *vestris.*

* Vers. 25.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Apostolus dicit, *Rom.* VI *, *quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Et postea * concludit: *Ita et vos existimate mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro.* Ex quo patet quod per baptismum homo moritur vetustati peccati, et incipit vivere novitati gratiae. Omne autem peccatum pertinet ad pristinam vetustatem. Unde consequens est quod omne peccatum per baptismum tollatur.

* Vers. 3.
* Vers. 11.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Apostolus dicit, *Rom.* V *, peccatum Adae non tantum potest quantum donum Christi, quod in baptismo percipitur: *nam iudicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Unde et Augustinus dicit, in libro *de Baptismo Parvulorum* *, quod, *generante carne, tantummodo trahitur peccatum originale: regenerante autem Spiritu, non solum* [γ] *originalis, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.*

* Vers. 15 sqq.
* Al. *de Peccat. Merit. et Remiss. et de Bapt. Parvul.*, lib. I, cap. XV, n. 20.

AD SECUNDUM DICENDUM quod nullius peccati remissio fieri potest nisi per virtutem passionis Christi: unde et Apostolus dicit, *Heb.* IX *, quod *sine sanguinis effusione non fit remissio.* Unde motus voluntatis humanae [δ] non sufficeret ad remissionem culpae, nisi adesset fides passionis Christi et propositum participandi ipsam, vel suscipiendo baptismum, vel subiiciendo se clavibus Ecclesiae. Et ideo, quando aliquis adultus poenitens ad baptismum accedit, consequitur quidem remissionem omnium peccatorum ex proposito baptismi, perfectius autem ex reali susceptione baptismi.

* Vers. 22.

AD TERTIUM DICENDUM quod ratio illa procedit de particularibus medicinis. Baptismus autem operatur in virtute passionis Christi, quae est universalis medicina omnium peccatorum: et per baptismum omnia peccata solvuntur [ε].

α) *poenalitatem.* – *poenalitates* Pl.
β) *inquinamentis.* – *iniquitatibus* BpG et *ac.*
γ) *solum.* – FsB et tertia; om. Pro *originalis, originalium* omnes.
δ) *humanae.* – *quae est in poenitente* addunt E et tertia.
ε) *solvuntur.* – *tolluntur* P.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM PER BAPTISMUM LIBERETUR HOMO AB OMNI REATU PECCATI

Supra, qu. XLIX, art. 3, ad 2; qu. LXVIII, art. 5; infra, qu. LXXIX, art. 5, ad 1; qu. LXXXVI, art. 4, ad 3; III *Sent.*, dist. XIX, art. 3, qu^a^ 2; Expos. litt.; IV, dist. IV, qu. II, art. 1, qu^a^ 2; dist. XIV, qu. II, art. 1, qu^a^ 2, ad 3; dist. XVIII, qu. I, art. 3, qu^a^ 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LIX, LXXII; *Ad Rom.*, cap. XI, lect. IV.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per baptismum non liberetur homo ab omni reatu peccati. Dicit enim Apostolus, *Rom.* XIII *: *Quae a Deo sunt, ordinata sunt.* Sed culpa non ordinatur nisi per poenam, ut Augustinus dicit *. Ergo per baptismum non tollitur reatus poenae praecedentium peccatorum.

* Vers. 1.
* Ep. CXL, al. CXX, *ad Honorat.*, cap. II.

2. PRAETEREA, effectus sacramenti aliquam similitudinem habet cum ipso sacramento: quia sacramenta novae legis *efficiunt quod figurant*, ut supra * dictum est. Sed ablutio baptismalis habet quidem aliquam similitudinem cum ablutione maculae, nullam autem similitudinem habere videtur cum subtractione reatus poenae. Non ergo per baptismum tollitur reatus poenae.

* Qu. LXII, art. 1, ad 1.

3. PRAETEREA, sublato reatu poenae, aliquis non remanet dignus poena, et ita iniustum esset eum puniri. Si igitur per baptismum tollitur reatus poenae, iniustum esset post baptismum suspendere latronem, qui antea homicidium commisit. Et ita per baptismum tolleretur rigor humanae disciplinae: quod est inconveniens. Non ergo per baptismum tollitur reatus poenae.

SED CONTRA EST quod Ambrosius dicit *, super illud *Rom.* XI *, *Sine poenitentia sunt dona Dei et vocatio*: *Gratia*, inquit, *Dei in baptismo omnia gratis condonat.*

* Comment. super Ep. ad Rom. - Int. Opp. Ambr.
* Vers. 29.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, per baptismum aliquis incorporatur passioni et morti Christi: secundum illud *Rom.* VI *: *Si mortui sumus cum Christo, credimus quia etiam simul vivemus cum Christo.* Ex quo patet quod omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium ac si ipse passus et mortuus esset. Passio autem Christi, sicut supra * dictum est, est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Et ideo ille qui baptizatur liberatur a reatu omnis [α] poenae sibi debitae pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis.

* Qu. XLIX, art. 3, ad 2; qu. LXVIII, art. 1, 4, 5.
* Vers. 8.
* Qu. LXVIII, art. 5. - Cf. qu. XLVIII, art. 2, 4; qu. XLIX, art. 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quia [β] poena passionis Christi communicatur baptizato, inquantum fit membrum Christi, ac si ipse poenam illam sustinuisset, eius peccata remanent ordinata per poenam passionis Christi.

AD SECUNDUM DICENDUM quod aqua non solum abluit, sed etiam refrigerat. Et ita suo refrigerio significat subtractionem reatus poenae, sicut sua ablutione [γ] significat emundationem a culpa.

AD TERTIUM DICENDUM quod in poenis quae iudicio humano inferuntur, non solum attenditur qua poena sit homo dignus quoad Deum, sed etiam in quo sit obligatus quoad homines, qui sunt laesi et scandalizati per peccatum alicuius. Et ideo, licet homicida per baptismum liberetur a reatu poenae quoad Deum, remanet tamen adhuc obligatus quoad homines, quos iustum est aedificari de poena, sicut sunt scandalizati de culpa. Pie tamen talibus princeps posset poenam indulgere.

α) *omnis.* – Om. H, *totius* cetera tertia.
β) *quod, quia.* – sD *a* et tertia; *quod.* Ante *eius peccata* addunt *et sic* EF, *ideo* PH*b*, *et ideo c.*
γ) *ablutione.* – E et tertia; *emundatione.* Cf. art. 4 arg. 1. et solutionem.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM PER BAPTISMUM DEBEANT AUFERRI POENALITATES PRAESENTIS VITAE

Supra, qu. XLIX, art. 3, ad 3; qu. LII, art. 5, ad 2; infra, art. 7, ad 3; I^a^ II^ae^, qu. LXXXV, art. 5, ad 2; qu. LXXXVII, art. 7, ad 1; qu. CIX, art. 9; II^a^ II^ae^, qu. CIV, art. 6, ad 1; II *Sent.*, dist. XXXII, qu. I, art. 2; dist. XLIV, qu. II, art. 2, ad 2, 3; III, dist. XIX, art. 3, qu^a^ 2; IV, dist. IV, qu. II, art. 1, qu^a^ 3; dist. XLVI, qu. II, art. 2, qu^a^ 1, ad 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LV; *De Malo*, qu. IV, art. 6, ad 4; *Quodl.* VI, qu. IX, art. 1.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per baptismum debeant auferri poenalitates praesentis vitae. Ut enim Apostolus dicit, *Rom.* V *, donum Christi potentius est quam peccatum Adae. Sed per peccatum Adae, ut ibidem * Apostolus dicit, *mors in hunc mundum intravit*, et per consequens omnes aliae poenalitates praesentis vitae. Ergo multo magis per donum Christi, quod in baptismo percipitur, homo a poenalitatibus praesentis vitae debet liberari.

* Vers. 15 sqq.
* Vers. 12.

2. PRAETEREA, baptismus aufert et culpam originalem et actualem, sicut supra * dictum est. Sic autem aufert actualem culpam quod liberat ab omni reatu poenae consequentis [α] actualem culpam *. Ergo etiam liberat a poenalitatibus

* Art. 1.
* Cf. art. 2.

α) *consequentis.* – *consequente* PHc.

praesentis vitae, quae sunt poena originalis peccati.

3. Praeterea, remota causa, removetur effectus. Sed causa harum poenalitatum est peccatum originale, quod tollitur per baptismum. Ergo non debent huiusmodi poenalitates remanere.

Sed contra est quod, super illud *Rom.* vi * [Vers. 6.], *Destruatur corpus peccati,* dicit Glossa * [Lomb. ex Aug.]: *Per baptismum id agitur ut vetus homo crucifigatur et corpus peccati destruatur, non ita ut in ipsa vivente carne* [β] *concupiscentia respersa et innata repente absumatur et non sit, sed ne obsit mortuo quae inerat nato.* Ergo pari ratione nec aliae poenalitates per baptismum tolluntur.

Respondeo dicendum quod baptismus habet virtutem auferendi poenalitates praesentis vitae: non tamen eas aufert in praesenti vita, sed eius virtute auferentur a iustis in resurrectione, quando *mortale hoc induet immortalitatem,* ut dicitur I *Cor.* xv * [Vers. 54.]. Et hoc rationabiliter. Primo quidem, quia per baptismum homo incorporatur Christo et efficitur membrum eius, ut supra * [Art. praeced.; qu. lxviii, art. 5.] dictum est. Et ideo conveniens est ut id agatur in membro incorporato quod est actum in capite. Christus autem a principio suae conceptionis fuit plenus gratia et veritate, habuit tamen corpus passibile, quod per [γ] passionem et mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. Unde et Christianus in baptismo gratiam consequitur quantum ad animam, habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati; sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam. Unde Apostolus dicit, *Rom.* viii * [Vers. 11.]: *Qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum eius in nobis.* Et infra eodem * [Vers. 17.]: *Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et simul glorificemur.*

Secundo, hoc est conveniens propter spirituale exercitium: ut videlicet contra concupiscentiam et alias passibilitates pugnans homo victoriae coronam acciperet. Unde super illud *Rom.* vi * [Vers. 6.], *Ut destruatur corpus peccati,* dicit Glossa * [Lomb. ex Aug.]: *Si post baptismum vixerit homo in carne, habet concupiscentiam cum qua pugnet, eamque* [δ], *adiuvante Deo, superet.* In cuius figura [ε] dicitur *Iudic.* iii * [Vers. 1, 2.]: *Hae sunt gentes quas Dominus dereliquit ut erudiret in eis Israelem, et postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consuetudinem praeliandi.*

Tertio, hoc fuit conveniens ne homines ad baptismum accederent propter impassibilitatem praesentis vitae, et non propter gloriam vitae aeternae. Unde et Apostolus dicit, I *Cor.* xv * [Vers. 19.]: *Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Glossa * [Lomb.] dicit, *Rom.* vi, super illud * [Vers. 6.], *Ut ultra non serviamus peccato: Sicut* [ζ] *aliquis capiens hostem atrocissimum non statim interficit eum, sed patitur eum cum dedecore et dolore aliquantulum vivere; ita et Christus prius poenam alligavit, in futuro autem perimet.*

Ad secundum dicendum quod, sicut ibidem * [Super vers. 6 sqq.] dicit Glossa * [Lomb.-Cf. Ord.], *duplex est poena peccati, gehennalis et temporalis. Gehennalem prorsus delevit Christus, ut eam non sentiant baptizati et vere poenitentes. Temporalem vero nondum penitus tulit: manet enim fames, sitis et mors* [η]. *Sed regnum et dominium eius* [θ] *deiecit,* ut scilicet haec homo non timeat: *et tandem in novissimo eam penitus exterminabit.*

Ad tertium dicendum quod, sicut in Secunda Parte * [Iª IIªᵉ, qu. lxxxi, art. 1; qu. lxxxii, art. 1, ad 2. - Cf. supra, qu. viii, art. 5, ad 1.] dictum est, peccatum originale hoc modo processit quod primo persona infecit naturam, postmodum vero natura infecit personam. Christus vero converso ordine prius reparat id quod personae est, postmodum simul in omnibus reparabit id quod naturae est. Et ideo culpam originalis peccati, et etiam poenam carentiae visionis divinae, quae respiciunt personam, statim per baptismum tollit ab homine. Sed poenalitates praesentis vitae, sicut mors, fames, sitis et alia huiusmodi, respiciunt naturam, ex cuius principiis causantur, prout est destituta originali iustitia. Et ideo isti defectus non tollentur nisi in ultima reparatione naturae per resurrectionem gloriosam.

β) *ipsa vivente carne.* – GH*b*; *ipso vivente carnis* Pa, *ipso vivente carne* ceteri. – *et innata* PIc; *innata.* – Pro *absumatur* (quod *assumatur* scribunt codices et *abc*), *absorvatur* F.
γ) *per.* – *post* PIc.
δ) *eamque.* – PIc; *et eam* Ha, *eam* ceteri.
ε) *figura.* – *figuram* PI.
ζ) *Sicut.* – PEIc; *Sicut si* ed. *a*, *Si* ceteri.
η) *mors.* – *et huiusmodi* addit tertia.
θ) *dominium eius.* – PEHIa; *dominium etiam* ABCD, *dominium* F, *totum eius* G, *domum eius b*, *donum eius c*. Pro *haec, hoc* I et editiones, om. *a*. Pro *tandem, tamen* GH*b*. Pro *eam, eandem* tertia.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM PER BAPTISMUM CONFERANTUR HOMINI GRATIA ET VIRTUTES

IV *Sent.*, dist. iii, art. 1, quª 3; dist. iv, qu. iii, art. 1, quª 2, ad 2; dist. ix, art. 1, quª 2; dist. xviii, qu. i, art. 3, quª 1.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod per baptismum non conferantur homini gratia et virtutes. Quia, sicut supra * [Art. 2, arg. 2; qu. lxii, art. 1, ad 1.] dictum est, sacramenta novae legis *efficiunt quod figurant.* Sed per ablutionem baptismi significatur emundatio animae a culpa, non autem informatio animae per gratiam et virtutes. Videtur igitur quod per baptismum non conferantur homini gratia et virtutes.

2. Praeterea, illud quod iam aliquis adeptus est, non indiget iterum suscipere. Sed aliqui accedunt ad baptismum iam habentes gratiam et

virtutes: sicut *Act.* x * legitur: *Vir quidam erat in Caesarea, nomine Cornelius, centurio cohortis quae dicitur Italica, religiosus et timens Deum;* qui tamen postea a Petro baptizatus est *. Non ergo per baptismum conferuntur gratia et virtutes.

* Vers. 1, 2.
* Vers. 48.

3. PRAETEREA, virtus est habitus: ad cuius rationem pertinet quod sit qualitas difficile mobilis *, per quam aliquis faciliter et delectabiliter operetur *. Sed post baptismum remanet in hominibus pronitas ad malum, per quod tollitur virtus; et consequitur difficultatem quis ad bonum, quod est actus virtutis. Ergo per baptismum non consequitur homo gratiam et virtutes.

* Aristot. *Categ.* cap. VI, n. 4, 5.
* Cf. Arist. *Ethic.* lib. II, cap. II, n. 8, 9; cap. III, n. 1. - S. Th. lect. II, III.

SED CONTRA EST quod, ad *Tit.* III *, dicit Apostolus: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis,* « *idest per baptismum* * », *et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde,* idest *ad remissionem peccatorum et copiam virtutum,* ut Glossa * ibidem exponit. Sic ergo in baptismo datur gratia Spiritus Sancti et copia virtutum.

* Vers. 5, 6.
* Gloss. Lomb.
* Interlin. et Lomb.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Baptismo Parvulorum* *, *ad hoc baptismus valet, ut baptizati Christo incorporentur ut membra eius.* A capite autem Christo in omnia membra eius gratiae et virtutis plenitudo derivatur: secundum illud Ioan. I *: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Unde manifestum est quod per baptismum aliquis consequitur gratiam et virtutes.

* Al. *de Peccat. Merit. et Remiss. et de Bapt. Parvul.*, lib. I, cap. XXVI.
* Vers. 16.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut aqua baptismi per suam ablutionem significat emundationem culpae, et per suum refrigerium significat liberationem a poena, ita per naturalem claritatem significat splendorem gratiae et virtutum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut dictum est *, remissionem peccatorum aliquis consequitur ante baptismum secundum quod habet baptismum in voto, vel explicite vel implicite; et tamen, cum realiter suscipit baptismum, fit plenior remissio, quantum ad liberationem a tota poena. Ita etiam ante baptismum Cornelius et alii similes consequuntur gratiam et virtutes per fidem Christi et desiderium baptismi, implicite vel explicite: postmodum tamen in baptismo maiorem copiam gratiae et virtutum consequuntur. Unde super illud Psalmi *, *Super aquam refectionis educavit me,* dicit Glossa *: *Per augmentum virtutis et bonae operationis educavit in baptismo.*

* Art. 1, ad 2; qu. LXVIII, art. 2.
* Ps. XXII, vers. 2.
* Lomb.

AD TERTIUM DICENDUM quod difficultas ad bonum et pronitas ad malum inveniuntur in baptizatis, non propter defectum habitus virtutum, sed propter concupiscentiam, quae non tollitur in baptismo. Sicut tamen per baptismum diminuitur concupiscentia, ut non dominetur, ita etiam diminuitur utrumque istorum α, ne homo ab his superetur.

α) *istorum.* – *dictorum* IsG et editiones, *dotōrum* pG, *doctorum* H. Pro *ab his superetur, superetur* GH, *superetur ab his* b, *superetur ab aliis* c.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM CONVENIENTER ATTRIBUANTUR BAPTISMO PRO EFFECTIBUS QUIDAM ACTUS VIRTUTUM, SCILICET INCORPORATIO AD CHRISTUM, ILLUMINATIO, FECUNDATIO

IV *Sent.*, dist. III, qu. 1, art. 1, qu^a 4, ad 3; art. 3, qu^a 1; dist. IV, qu. II, art. 2, qu^a 3 sqq.; dist. V, qu. II, art. 1, qu^a 2; dist. VIII, qu. I, art. 1, qu^a 1, ad 1.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod inconvenienter attribuantur baptismo pro effectibus quidam actus virtutum, scilicet *incorporatio ad Christum, illuminatio, fecundatio.* Non enim baptismus datur adulto nisi fideli: secundum illud Marc. ult. *: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Sed per fidem aliquis incorporatur Christo: secundum illud *Ephes.* III *: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Ergo nullus baptizatur nisi iam Christo incorporatus α. Non ergo est effectus baptismi incorporari Christo.

* Vers. 16.
* Vers. 17.

2. PRAETEREA, illuminatio fit per doctrinam: secundum illud *Ephes.* III *: *Mihi omnium* β *minimo data est gratia haec, illuminare omnes,* etc. Sed doctrina praecedit baptismum in catechismo. Non ergo est effectus baptismi.

* Vers. 8, 9.

3. PRAETEREA, fecunditas pertinet ad generationem activam. Sed per baptismum aliquis regeneratur spiritualiter. Ergo fecunditas non est effectus baptismi.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *de Baptismo Parvulorum* *, quod *ad hoc valet baptismus ut baptizati Christo incorporentur.* Dionysius etiam, II cap. *Eccl. Hier.* *, *illuminationem* γ attribuit baptismo. Et super illud Psalmi *, *Super aquam* δ *refectionis educavit,* dicit Glossa * quod *anima peccatorum, ariditate sterilis, fecundatur per baptismum.*

* Al. *de Peccat. Merit. et Remiss. et de Bapt. Parvul.*, lib. I, cap. XXVI. - Cf. can. *Ad hoc baptism.*, *de Consecr.*, dist. IV.
* In titulo part. II. - Cf. cap. III.
* Ps. XXII, vers. 2.
* Interlin. et Lomb.

RESPONDEO DICENDUM quod per baptismum aliquis regeneratur in spiritualem vitam, quae est propria fidelium Christi: sicut Apostolus dicit, *Galat.* II *: *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.* Vita autem non est nisi membrorum capiti unitorum, a quo sensum et motum suscipiunt. Et ideo necesse est quod per baptismum aliquis incorporetur Christo quasi membrum ipsius. – Sicut autem a capite naturali

* Vers. 20.

α) *incorporatus.* – FIsD et editiones; *incorporato* GH, *incorporatur* ceteri.
β) *omnium.* – *sanctorum* addunt E et tertia.
γ) *illuminationem.* – Tertia; *illuminationes.*
δ) *aquam.* – D et tertia praeter H; *aqua* H, *aquas* ceteri. *educavit* om. tertia, *me* addunt Fa.

derivatur ad membra sensus et motus, ita a capite spirituali, quod est Christus, derivatur ad membra eius sensus spiritualis, qui consistit in cognitione veritatis, et motus spiritualis, qui est per gratiae instinctum. Unde Ioan. I * dicitur: *Vidimus eum plenum gratiae et veritatis: et de plenitudine eius omnes accepimus.* Et ideo consequens est quod baptizati illuminentur a Christo circa cognitionem veritatis, et fecundentur ab eo fecunditate bonorum operum per gratiae infusionem.

* Vers. 14, 16.

Ad primum ergo dicendum quod adulti prius credentes in Christum sunt ei incorporati mentaliter. Sed postmodum, cum baptizantur [ε], incorporantur ei quodammodo corporaliter, scilicet per visibile sacramentum: sine cuius proposito nec mentaliter incorporari potuissent.

Ad secundum dicendum quod doctor illuminat exterius per ministerium catechizando: sed Deus illuminat interius baptizatos, praeparans corda eorum ad recipiendam doctrinam veritatis, secundum illud Ioan. VI *: *Scriptum est in prophetis, Erunt omnes docibiles Dei.*

* Vers. 45.

Ad tertium dicendum quod effectus baptismi ponitur fecunditas qua aliquis producit bona opera: non autem fecunditas qua aliquis generat alios in Christo, sicut Apostolus dicit, I *Cor.* IV *, *In Christo Iesu per evangelium ego vos genui.*

* Vers. 15.

ε) *sed postmodum, cum baptizantur.* – Tertia; *sed si postmodum cum baptizantur* ABCpD, *Sed postmodum cum baptizentur* (*baptizarentur* E) EsD, *Sed si postmodum baptizentur* Fa.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM PUERI IN BAPTISMO CONSEQUANTUR GRATIAM ET VIRTUTES

II[a] II[ae], qu. XLVII, art. 14, ad 3; IV *Sent.*, dist. IV, qu. II, art. 2, qu[a] 1.



Ad sextum sic proceditur. Videtur quod pueri in baptismo non consequantur gratiam et virtutes. Gratia enim et virtutes non habentur sine fide et caritate. Sed *fides,* ut Augustinus dicit *, *consistit in credentium voluntate,* et similiter etiam caritas consistit in diligentium voluntate: cuius usum pueri non habent, et sic non habent fidem et caritatem. Ergo pueri in baptismo non recipiunt gratiam et virtutes.

* Ep. XCVIII, al. XXIII, *ad Bonifac.*, n. 10. - Cf. can. *Nihil est aliud, de Consecr.,* dist. IV.

2. Praeterea, super illud Ioan. XIV *, *Maiora horum faciet,* dicit Augustinus * quod ut ex impio iustus fiat, *in illo, sed non sine illo Christus operatur.* Sed puer, cum non habeat usum liberi arbitrii, non cooperatur Christo ad suam iustificationem: immo quandoque pro posse renititur. Ergo non iustificatur per gratiam et virtutes.

* Vers. 12.
* *In Ioan. Evang.*, tract. LXXII.

3. Praeterea, *Rom.* IV * dicitur: *Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputabitur fides eius ad iustitiam, secundum propositum gratiae Dei.* Sed puer non est *credens in eum qui iustificat impium.* Ergo non consequitur gratiam iustificantem neque virtutes.

* Vers. 5.

4. Praeterea, quod ex carnali intentione agitur, non videtur habere spiritualem effectum. Sed quandoque pueri ad baptismum deferuntur carnali intentione, ut scilicet corporaliter sanentur. Non ergo consequuntur spiritualem effectum gratiae et virtutum.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in *Enchirid.* *: *Parvuli renascendo moriuntur illi peccato quod nascendo contraxerunt: et per hoc ad illos etiam pertinet quod dicitur,* « *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem,* (subditur autem) *ut, quomodo resurrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus* ». Sed novitas vitae est per gratiam et virtutes. Ergo pueri consequuntur in baptismo gratiam et virtutes.

* Cap. LII.

Respondeo dicendum quod quidam antiqui * posuerunt quod pueris in baptismo non dantur gratia et virtutes, sed imprimitur eis character Christi, cuius virtute, cum ad perfectam aetatem venerint, consequuntur gratiam et virtutes.

* Cf. cap. *Maiores, de Bapt. et eius effect.*

Sed hoc patet esse falsum dupliciter. Primo quidem, quia pueri, sicut et adulti, in baptismo efficiuntur membra Christi. Unde necesse est quod a capite recipiant influxum gratiae et virtutis. – Secundo, quia secundum hoc pueri decedentes post baptismum non pervenirent ad vitam aeternam: quia, ut dicitur *Rom.* VI *, *gratia Dei est vita aeterna.* Et ita nihil profuisset eis ad salutem baptizatos fuisse.

* Vers. 23.

Causa autem erroris fuit quia nescierunt distinguere inter habitum et actum. Et sic, videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt eos post baptismum nullatenus virtutem habere. Sed ista impotentia operandi non accidit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali: sicut etiam dormientes, quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum.

Ad primum ergo dicendum quod fides et caritas consistunt in voluntate hominum, ita tamen quod habitus harum et aliarum virtutum requirunt potentiam voluntatis, quae est in pueris; sed actus virtutum requirunt actum voluntatis, qui non est in pueris. Et hoc modo Augustinus dicit, in libro *de Baptismo Parvulorum* *, quod *parvulum, etsi nondum illa fides quae in credentium voluntate consistit, iam tamen ipsius fidei sacramentum,* quod scilicet causat habitum fidei, *fidelem facit.*

* Epist. cit. in arg. - Cf. can. cit. ibid.

Ad secundum dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Caritate* *, *nemo ex aqua et Spi-*

* Al. *In Epist. Ioan. ad Parth.*, tract. III.

ritu Sancto renascitur nisi volens. Quod non de parvulis, sed de adultis intelligendum est. Et similiter de adultis intelligendum est quod homo a Christo *sine ipso non iustificatur.*

Quod autem parvuli baptizandi, prout viribus possunt, reluctantur, *non eis imputatur, quia in tantum nesciunt quid faciunt, ut nec facere videantur:* ut Augustinus dicit, in libro *de Praesentia Dei ad Dardanum* *.

* Ep. CLXXXVII, al. LVII, cap. VII.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit *, *parvulis mater Ecclesia aliorum pedes accommodat ut veniant, aliorum cor* [α] *ut credant, aliorum linguam ut fateantur.* Et ita pueri credunt, non per actum proprium, sed per fidem Ecclesiae, quae eis communicatur. Et huius fidei virtute conferuntur eis gratia et virtutes.

* Serm. CLXXVI, al. de Verb. Apost. X, cap. II.

AD QUARTUM DICENDUM quod carnalis intentio deferentium pueros ad baptismum nihil eis nocet: sicut nec culpa unius nocet alteri, nisi consentiat. Unde Augustinus dicit, in Epistola *ad Bonifacium* *: *Non illud te moveat quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum parvulos ferunt ut gratia spirituali ad vitam regenerentur aeternam, sed hoc eos putant remedio corporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur.*

* Cit. supra, in arg. 1, n. 5.

α) *cor.* – PBDFI; *corda.*

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM EFFECTUS BAPTISMI SIT APERTIO IANUAE REGNI CAELESTIS

Supra, qu. XXXIX, art. 5; III *Sent.*, dist. XVIII, art. 6, qu[a] 3, ad 2; IV, dist. IV, qu. II, art. 2, qu[a] 6; IV *Cont. Gent.*, cap. LIX.

AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod effectus baptismi non sit apertio ianuae regni caelestis. Illud enim quod est apertum, non indiget apertione. Sed ianua regni caelestis est aperta per passionem Christi: unde *Apoc.* IV * dicitur: *Post haec vidi ostium magnum apertum in caelo.* Non est ergo effectus baptismi apertio ianuae regni caelestis.

* Vers. 1.

2. PRAETEREA, baptismus omni tempore ex quo institutus [α] fuit, habet suum effectum. Sed quidam baptizati sunt baptismo Christi ante eius passionem, ut habetur Ioan. III *: quibus, si tunc decessissent, introitus regni caelestis non patebat, in quod nullus ante Christum introivit, secundum illud Mich. II *: *Ascendit pandens iter ante eos.* Non est ergo effectus baptismi apertio ianuae [β] regni caelestis.

* Vers. 22, 26; cap. IV, vers. 1, 2.

* Vers. 13.

3. PRAETEREA, baptizati adhuc sunt obnoxii morti et aliis poenalitatibus vitae praesentis, ut supra * dictum est. Sed nulli est apertus aditus regni caelestis quandiu est obnoxius poenae: sicut patet de illis qui sunt in purgatorio. Non ergo est effectus baptismi apertio ianuae regni caelestis.

* Art. 3.

SED CONTRA EST quod super illud Luc. III *, *Apertum est caelum,* dicit Glossa * Bedae: *Virtus hic baptismatis ostenditur: de quo quisque cum egreditur, ei regni caelestis ianua aperitur.*

* Vers. 21.
* Beda, *In Luc. Exposit.* lib. I.

RESPONDEO DICENDUM quod aperire ianuam regni caelestis est amovere impedimentum quo aliquis impeditur regnum caeleste intrare. Hoc autem impedimentum est culpa et reatus poenae. Ostensum est autem supra * quod per baptismum totaliter [γ] omnis culpa et etiam omnis reatus poenae tollitur. Unde consequens est quod effectus baptismi sit apertio regni [δ] caelestis.

* Art. 1, 2.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod baptismus intantum aperit baptizato ianuam regni caelestis, inquantum incorporat eum passioni Christi, virtutem eius homini applicando.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quando passio Christi nondum erat realiter perfecta sed solum in fide credentium, baptismus proportionaliter causabat ianuae apertionem, non quidem in re, sed in spe. Baptizati enim tunc decedentes ex certa spe introitum regni caelestis expectabant.

AD TERTIUM DICENDUM quod baptizatus non est obnoxius morti et poenalitatibus vitae praesentis propter reatum personae, sed propter statum naturae. Et ideo propter hoc non impeditur ab introitu regni caelestis, quando anima separatur a corpore per mortem: quasi iam persoluto eo quod naturae debebatur.

α) *institutus.* – PFI; *institutum.*
β) *ianuae.* – Om. H et editiones.
γ) *totaliter.* – *tollitur* ed. *a,* om. Pc. Pro *et etiam, et ideo* F, *et* Pc. *Ostensum... reatus poenae* om. H.
δ) *regni.* – *ianuae* F, *ianuae regni* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN quaestionis sexagesimaenonae primis septem articulis nihil occurrit scribendum, nisi, pro septimo articulo, notandum quod aperire ianuam regni caelestis per se primo est effectus mortis Christi. Attribuitur autem baptismo, eo quod in sui institutione *caeli aperti* leguntur *; et quia sacramentum est inchoans, quoad vim obligativam, a morte Christi; et quia sufficienter causat apertionem caeli cuilibet baptizato, dum tollit omnem culpam et poenam tam personae quam naturae, non statim assequendo totum suum effectum, sed tempore congruo. Ita quod, ut in articulo tertio patet, sicut virtute baptismi auferentur a iustis in resurrectione omnes poenalitates, ita virtute baptismi aperitur ianua caelestis tempore congruo exhibitura ingressum. Et propterea baptizati ante mortem Christi non

* Matth. cap. III, vers. 16; Marc. cap. I, vers. 10; Luc. cap. III, vers. 21.

nisi post Christi mortem ingressi sunt regnum caelorum. Et hoc vocat Auctor * *habere certam spem de introitu caelesti.* Et in hoc praeeminebat baptizatus circumciso: circumcisio enim non habebat virtutem tollendi omnem poenalitatem, quam habet baptismus *. – Quamvis etiam dici possit quod baptismus ante mortem Christi, quia imperfecte configurabat morti Christi, utpote configurans Christo mortuo non in re sed in fide; ita etiam imperfecte aperiebat caelum, ut littera responsionis ad secundum sonat.

* In resp. ad 2.

* Cf. qu. LXX, art. 4, ad 5.

Et haec sint dicta pro dignitate baptismi. Quantum enim spectat ad eventum, Christo mortuo patuit ianua caelestis tam baptizato quam circumciso.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM BAPTISMUS HABEAT IN OMNIBUS AEQUALEM EFFECTUM

IV *Sent.*, dist. IV, qu. II, art. 3, qu^a^ 1, 2, 3.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod baptismus non habeat in omnibus aequalem effectum. Effectus enim baptismi est remotio culpae. Sed in quibusdam plura peccata tollit quam in aliis: nam in pueris tollit solum peccatum originale; in adultis autem etiam actualia, in quibusdam plura, in quibusdam vero pauciora. Non ergo aequalem effectum habet baptismus in omnibus.

2. Praeterea, per baptismum conferuntur homini gratia et virtutes. Sed quidam post baptismum videntur habere maiorem gratiam et perfectiorem virtutem quam alii baptizati. Non ergo baptismus habet aequalem effectum in omnibus.

3. Praeterea, natura perficitur per gratiam sicut materia per formam. Sed forma recipitur in materia secundum eius capacitatem. Cum ergo in quibusdam baptizatis, etiam pueris, sit maior capacitas naturalium quam in aliis, videtur quod quidam maiorem gratiam consequantur quam alii.

4. Praeterea, quidam in baptismo consequuntur non solum spiritualem salutem, sed etiam corporalem: sicut patet de Constantino, qui in baptismo mundatus est a lepra *. Non autem omnes infirmi corporalem salutem consequuntur in baptismo. Ergo non habet aequalem effectum in omnibus.

* Cf. *Lib. Pontifical. Damasi Papae.* – Vide Comment.

Sed contra est quod dicitur *Ephes*. IV *: *Una fides, unum baptisma.* Uniformis autem causae est uniformis effectus. Ergo baptismus habet aequalem effectum in omnibus.

* Vers. 5.

Respondeo dicendum quod duplex est effectus baptismi: unus per se, et alius per accidens. Per se quidem effectus baptismi est id ad quod baptismus est institutus, scilicet ad generandum [α] homines in spiritualem vitam. Unde, quia omnes pueri aequaliter se habent ad baptismum, quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiae baptizantur, omnes aequalem effectum percipiunt in baptismo. Adulti vero, qui per propriam fidem ad baptismum accedunt, non aequaliter se habent ad baptismum: quidam enim cum maiori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt. Et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt: sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris qui plus ei appropinquat, licet ignis, quantum est de se, aequaliter ad omnes suum calorem effundat.

Effectus autem baptismi per accidens est ad quem baptismus non est ordinatus, sed divina virtus hoc in baptismo miraculose operatur: sicut super illud *Rom.* VI *, *Ut ultra non serviamus peccato,* dicit Glossa *: *Non hoc praestatur in baptismo, nisi forte miraculo ineffabili Creatoris, ut lex peccati, quae est in membris, prorsus extinguatur.* Et tales [β] effectus non aequaliter suscipiuntur ab omnibus baptizatis, etiam si cum aequali devotione accedant: sed dispensantur huiusmodi effectus secundum ordinem providentiae divinae.

* Vers. 6.

* Lomb. ex Aug.

Ad primum ergo dicendum quod minima gratia baptismalis sufficiens est ad delendum cuncta peccata. Unde hoc non est propter maiorem efficaciam baptismi quod in quibusdam plura, in quibusdam pauciora peccata solvit, sed propter conditionem subiecti: quia in quolibet solvit quodcumque [γ] invenerit.

Ad secundum dicendum quod hoc quod in baptizatis maior vel minor gratia apparet, potest dupliciter contingere. Uno modo, quia unus in baptismo percipit maiorem gratiam quam alius propter maiorem devotionem, ut dictum est *. Alio modo quia, etiam si aequalem gratiam percipiant, non aequaliter ea utuntur, sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiae Dei deest.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod diversa capacitas [δ] in hominibus non est ex diversitate mentis, quae per baptismum renovatur, cum omnes homines, eiusdem speciei existentes, in forma conveniant: sed ex diversa dispositione corporum. Secus autem est in angelis, qui differunt specie. Et ideo angelis dantur dona gratuita secundum diversam capacitatem naturalium *: non autem hominibus.

* D. 316.

Ad quartum dicendum quod sanitas corporalis non est per se effectus baptismi, sed est quoddam miraculosum opus providentiae divinae.

α) *generandum.* – *regenerandum* PFlc. Post *vitam* E et tertia addunt *et hunc effectum aequaliter facit in omnibus qui aequaliter se habent ad baptismum.*

β) *tales.* – I et editiones; *talis.* Pro *suscipiuntur, suscipitur* Fa.

γ) *quodcumque.* – *quaecumque* I, *quotcumque* P.

δ) *capacitas.* – *naturalium* addunt I et editiones. Pro *hominibus, omnibus hominibus* GHbc.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo octavo, adverte Auctorem, in argumento quarto, recitative loqui de lepra Constantini. Dico autem hoc, quia nullius auctoritate constat Constantinum mundatum a lepra in baptismo. Tum quia *Gesta Sylvestri,* ex quibus hoc videtur haberi, incertum habent auctorem: ut patet in cap. *Sancta Romana,* dist. XV. – Tum quia nullus sive Christianus sive gentilis historicus invenitur hoc scripsisse: ut testatur Platina, in vita Marci Papae. – Tum praecipue quia Ambrosii auctoritas obstat, dum, in Oratione *de Obitu Theodosii* *, expresse dicit Constantinum in ultimis constitutum baptizatum fuisse: quod longe distat ab hoc, scilicet quod in principio suae conversionis fuerit baptizatus. * Num. 40.

Et propterea narratio de lepra Constantini non est assertive probanda.

ARTICULUS NONUS

UTRUM FICTIO IMPEDIAT EFFECTUM BAPTISMI

Infra, qu. LXXXVII, art. 3, ad 2; IV *Sent.*, dist. IV, qu. II, art. 1, qu^a 1, ad 3; qu. III, art. 2, qu^a 1, 2; dist. XII, qu. II, art. 1, qu^a 3, ad 3.

* Vide Comment. Caiet. post art. 10.
* Vers. 27.

AD NONUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod fictio non impediat effectum baptismi. Dicit enim Apostolus, *Galat.* III *: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Sed omnes qui baptismum Christi suscipiunt, baptizantur in Christo. Ergo omnes induunt Christum. Quod est percipere baptismi effectum. Et ita fictio non impedit baptismi effectum.

2. PRAETEREA, in baptismo operatur virtus divina, quae potest voluntatem hominis mutare in bonum. Sed effectus causae agentis non potest impediri per id quod ab illa causa potest auferri. Ergo fictio non potest impedire baptismi effectum.

3. PRAETEREA, baptismi effectus est gratia, cui peccatum opponitur. Sed multa sunt alia peccata graviora quam fictio, de quibus non dicitur quod effectum baptismi impediant. Ergo neque fictio impedit effectum baptismi.

* Vers. 5.

SED CONTRA EST quod dicitur *Sap.* I *: *Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum.* Sed effectus baptismi est a Spiritu Sancto. Ergo fictio impedit effectum baptismi.

* De Fide Orth., lib. II, cap. XXX.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Damascenus dicit *, *Deus non cogit hominem ad iustitiam.* Et ideo ad hoc quod aliquis iustificetur per baptismum, requiritur quod voluntas hominis amplectatur et baptismum et baptismi effectum. Dicitur autem aliquis *fictus* per hoc quod voluntas eius contradicit vel baptismo, vel eius effectui. Nam secundum Augustinum *, quatuor modis dicitur aliquis fictus: uno modo, ille qui non credit, cum tamen baptismus sit *fidei sacramentum* *; alio modo, per hoc quod contemnit ipsum sacramentum; tertio modo, per hoc quod aliter celebrat sacramentum, non servans ritum Ecclesiae; quarto, per hoc quod aliquis indevote accedit. Unde manifestum est quod fictio impedit effectum baptismi.

* Cf. de Baptismo cont. Donatist., lib. VII, cap. LIII.
* Cf. qu. LXVIII, art. 5, ad 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod *baptizari in Christo* potest intelligi dupliciter. Uno modo, *in Christo,* idest, *in Christi conformitate.* Et sic quicumque baptizantur in Christo conformati ei per fidem et caritatem, induunt Christum per gratiam. – Alio modo dicuntur aliqui baptizari [α] in Christo, inquantum accipiunt Christi sacramentum. Et sic omnes induunt Christum per configurationem characteris, non autem per conformitatem gratiae. α

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quando Deus voluntatem hominis de malo in bonum mutat, tunc homo non accedit fictus. Sed non semper hoc Deus facit. Nec ad hoc sacramentum ordinatur, ut de ficto fiat aliquis non fictus: sed ut non fictus aliquis accedens iustificetur.

AD TERTIUM DICENDUM quod fictus dicitur aliquis ex eo quod demonstrat se aliquid velle quod non vult. Quicumque autem accedit ad baptismum, ex hoc ipso ostendit se rectam fidem Christi habere, et hoc sacramentum venerari, et velle se Ecclesiae conformare [β], et velle a peccato recedere. Unde cuicumque peccato vult homo inhaerere, si ad baptismum accedit, fictus accedit, quod est indevote accedere. Sed hoc intelligendum est de peccato mortali, quod gratiae contrariatur: non autem de peccato veniali. Unde *fictio* hic quodammodo includit omne peccatum. β

α) *baptizari.* – Tertia; *baptizati.*

β) *Ecclesiae conformare.* – *Ecclesiae conformari* I et per *Alias* margo P, *Christo conformare* (*conformari* P) cetera tertia.

ARTICULUS DECIMUS

UTRUM, FICTIONE RECEDENTE, BAPTISMUS SUUM EFFECTUM CONSEQUATUR

IV *Sent.*, dist. I, qu. II, art. 4, qu[a] 1, ad 3; dist. IV, qu. III, art. 2, qu[a] 3; dist. XV, qu. I, art. 3, qu[a] 3, ad 2.

AD DECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod, fictione recedente, baptismus suum effectum non consequatur. Opus enim mortuum, quod est sine caritate, non potest unquam vivificari. Sed ille qui fictus accedit ad baptismum, recipit sacramentum sine caritate. Ergo nunquam potest vivificari hoc modo ut gratiam conferat.

2. PRAETEREA, fictio videtur esse fortior quam baptismus: cum impediat eius effectum. Sed fortius non tollitur a debiliori. Ergo peccatum fictionis non potest tolli per baptismum fictione impeditum. Et sic baptismus non consequetur suum effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

3. PRAETEREA, contingit quod aliquis ficte accedit ad baptismum, et post baptismum multa peccata committit. Quae tamen per [α] baptismum non tollentur: quia baptismus tollit peccata praeterita, non futura. Ergo baptismus talis nunquam consequetur suum effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *de Baptismo* *: *Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quae, corde in malitia vel sacrilegio perseverante, peccatorum ablutionem* [β] *non sinebat fieri.*

* *De Baptismo cont. Donatist.* lib. I, cap. XII.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, baptismus est quaedam spiritualis regeneratio. Cum autem aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formae, nisi sit aliquid impediens; quo remoto, forma rei generatae perficit suum effectum: sicut simul cum corpus grave generatur, movetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens; quo remoto, statim incipit moveri deorsum. Et similiter quando aliquis baptizatur, accipit characterem, quasi formam, et consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet quod, ea remota per poenitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum.

* Qu. LXVI, art. 9.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod sacramentum baptismi est opus Dei, et non hominis. Et ideo non est mortuum in ficto, qui sine caritate baptizatur.

AD SECUNDUM DICENDUM quod fictio non removetur per baptismum, sed per poenitentiam [γ]: qua remota, baptismus aufert omnem culpam et reatum omnium peccatorum praecedentium baptismum, et etiam simul existentium cum baptismo. Unde Augustinus dicit, in libro *de Baptismo* *: *Solvitur hesternus* [δ] *dies, et quidquid superest solvitur, et ipsa hora momentumque ante baptismum et* [ε] *in baptismo. Deinceps autem continuo reus esse incipit.* Et [ζ] sic ad effectum baptismi consequendum concurrit baptismus et poenitentia: sed baptismus sicut causa per se agens; poenitentia sicut causa per accidens, idest removens prohibens.

* Loc. cit. supra.

AD TERTIUM DICENDUM quod effectus baptismi non est tollere peccata futura, sed praesentia vel praeterita. Et ideo, recedente fictione, peccata sequentia remittuntur quidem, sed per poenitentiam, non per baptismum. Unde non remittuntur quantum ad totum reatum, sicut [η] peccata praecedentia baptismum.

α) *per.* – PIc; *post.* Pro *tollentur, tolluntur* PI.
β) *ablutionem.* – *Alias, abolitionem* margo P.
γ) *poenitentiam.* – *subsequentem* addit tertia. – *omnem* om. tertia.
δ) *hesternus.* – Pac; *esternus* E*b*, *exterius* ABCDH vel strictius interpretando *exerius* BC, *extrema* F, *externus* G, *exermis* I.
ε) *ante baptismum et.* – F et tertia; *ante baptismum* ed. *a*, *autem baptismum* ceteri.
ζ) *esse incipit. Et.* – EF*a* et tertia; *est incipit etiam.*
η) *sicut.* – EF*a* et tertia; *sed sicut.*

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo nono et decimo multa dicenda sunt, specialiter pro doctrina decimi. Et primo, de sensu conclusionis; secundo, de necessitate *; tertio, de modo apud Auctorem *; quarto, de ratione illius modi **; et demum comparabitur aliis modis *.

* Cf. num. II. * Cf. num. III. ** Cf. num. IV. * Cf. ibid., *De quinto.*

Sensus in primis conclusionis est, non de eventu, sed de effectu baptismi, recedente fictione. Quod ideo notandum est, quoniam non tractatur hic an, recedente fictione, baptizatus fiat *filius Regni,* consequatur remissionem: nullus enim dubitat de hoc eventu. Sed tractatur an in tali casu ex vi baptismi consequatur baptizatus remissionem, etc. Et hic est sensus conclusionis.

II. Necessitas autem talis assertionis * est duplex. Prima est auctoritas Augustini, in libro *de Baptismo;* relata et a Magistro Sententiarum, in IV distinctione Quarti *; et a Gratiano, *de Consecr.*, dist. IV, cap. *Tunc valere.* Et habetur in hac littera: *Tunc valere incipit ad salutem baptismus,* etc. * Ubi expresse Augustinus dicit baptismum ipsum valere ad salutem, recedente fictione: licet Glossa ibidem, contra textum, dicat oppositum *.

* Cf. num. praec. * Cap. *Qui vero.* * Art. 10, arg. *Sed cont.* * Cf. num. V, fin.

Secunda est ratio ex peccato originali sumpta. Quia si peccatum originale nec tempore baptismi, neque postea virtute baptismi remittitur, sequitur quod nunquam peccatum originale huic homini remissum fuerit. Et probatur sequela: quia non aliud a Christo institutum est remedium ad remissionem peccati originalis nisi baptismus. Ut ergo nulli baptizato, qui tunc vel postea inter *filios adoptionis* est, baptismalis gratia desit, docuit Augustinus baptismum, recedente fictione, valere ad salutem.

Quam doctrinam doctores posteriores adeo sunt venerati et complexi ut non horruerint multas inde consequentes difficultates: et inde fateamur baptizatum ficte non oportere confiteri, recedente fictione, de peccatis commissis ante baptismum. Augustini ergo tam suscepta auctoritas necessitat.

III. Modus quo hoc fieri Auctor tenet in hac littera *,

* Cf. num. I.

non est ille qui sibi attribuitur; quem ipse olim, in IV *Sent.*, dist. IV, qu. III, art. 2, qu^a 3, tenuit. Ibi siquidem opinatus est fieri hoc quia character manebat disponens ad gratiam. Hic autem opinatur hoc fieri quia character, ut forma substantialis, manet; et gratia, sublato impedimento, quasi proprius effectus consequitur, ut patet in littera.

Ubi sunt duae difficultates: una ad hominem; et altera ad rem. Ad hominem quidem, quia Auctor superius *, tractans de charactere, posuit ipsum esse dispositionem remote ad gratiam, et non formam ex qua fluit gratia. Unde et posuit illum in genere potentiae *, et subiective in intellectu *: ex quo non est nata fluere gratia in essentiam animae.

* Qu. LXIII, art. 4, ad 1.
* Ibid., art. 2; art. 4, ad 2.
* Ibid., art. 4, ad 3.

Ad rem vero, quoniam character non se habet ad gratiam ut forma ad consequens proprium: sed potius gratia est forma, ad quam comitatur, mediante sacramento, character. Et eminentioris ordinis constat esse gratiam, qua *divinae sumus naturae consortes* *, quam character, communis bonis et malis.

* II Petr. cap. I, vers. 4.

IV. Ad evidentiam horum, sciendum est coactum fuisse Auctorem ad hunc modum * ut salvaret Augustini doctrinam, cum communi doctrina de causalitate sacramentorum. Non videtur enim posse intelligi rem aliquam, postquam desiit esse, habere suum effectum, nisi aliqualiter res illa remanserit. Videmus enim in his quae proiiciuntur, tandiu durare motum proiectorum, quandiu vis proiicientis aliquo modo manet sive in aere sive in corpore proiecto (nihil enim refert ad propositum). Similiter videmus posthumos ideo genitos mortuo patre, quia semen patris remansit in materno utero. Et sic de aliis. Unde, cum baptismus desinat esse peracto sacramento; et tunc, propter fictionem in baptizato, non valeat ad salutem; et inde ad duos annos recedente fictione, valeat idem baptismus ad salutem, quod nihil aliud est quam conferre illam remissionem quam fictio impedivit tunc fieri, hoc enim significat baptismum valere ad salutem: consequens est quod baptismus aliquo modo remaneat, seu aliquid habeat aut relinquat manens, ratione cuius valorem seu effectum consequatur post biennium. Hac necessitate satisfaciendi hominibus more humano compulsus Auctor accommodationem hanc similitudinariam quam in littera habes, adinvenit.

* Cf. num. I.

Unde non oportet laborare ad salvandum hunc processum ut proprium, seu ex propriis: sed intelligendus est ut accommodatio quaedam similitudinaria ad manuducendum intellectum novitiorum ut percipiant quomodo baptismus, recedente fictione, incipit valere ad salutem. Scivit enim Auctor gratiam, propriam bonis, non consequi characterem, communem bonis et malis, ut proprius effectus sequitur formam: cum hoc tam manifestum sit ut minimi theologi sciant. Unde non proprie voluit intelligi, sed secundum similitudinem: ut sicut in naturalibus, cessante causa, remanente tamen forma, statim habentur consequentia, nisi adsit impedimentum; et, si impedimentum adfuerit, consequentia illa statim cum remotum fuerit, habentur, propter remansionem formae ad quam nata erant sequi; ita in supernaturalibus sacramenti baptismi, cum generatur Christianus quoad esse de familia Christi, seu, quod idem est, quoad esse membrum Christianae religionis, suscipit per baptismum characterem ut formam qua constituitur in tali esse, nam charactere formaliter homo est Christianae religionis membrum, est de familia Christi; et ad huiusmodi formam natum est ex divinae largitatis ordine consequi infusionem gratiae remissivae omnis culpae et omnis poenae, nisi obex fictionis obstiterit. Et propterea, cessante fictione, sequetur infusio gratiae remissivae culpae et poenae, propter praesentem formam characteris, ad quem secundum ordinem divinae largitatis nata est sequi infusio gratiae baptismalis.

Tenet itaque character utrumque locum, et dispositionis et formae, diversimode considerato baptismate. Nam baptismus inquantum generativus est *filiorum adoptionis*, gratiam habet pro principali effectu ut forma. Inquantum vero generativus est Christiani, hoc est, membri Christianae religionis seu familiae, habet pro principali effectu characterem. Qui pro eo quod infallibili ordine annexam habet gratiam si fictio non impedit, et recedente fictione annecti sibi vindicat gratiam, formae substantiali assimilatur. Pro eo vero quod annexio gratiae novam exigit principalis agentis infusionem recedente fictione, dispositioni magis assimilatur, quae, secundum infallibilem causarum ordinem, cessante impedimento, ad terminum ducit. Unde vana videtur sollicitudo quaerentium quid aut quomodo operetur character, recedente fictione, ad gratiam baptismalem.

Et ex his patet solutio difficultatum motarum, tam ad hominem quam ad rem. Et quarto loco propositum * expeditum simul est.

* Num. I.

De quinto * autem pertranseundum videtur: quoniam in solis verbis dissensio forte est inter diversos doctores. Nullum enim puto sanae mentis apud se credidisse gratiam, cessante fictione, comitari characterem sine nova Dei actione gratiae baptismalis infusiva.

* Ibid.

V. In responsione ad secundum et tertium *, advertendum est in ficte baptizato inveniri diversorum temporum peccata, scilicet peccata praesentia et futura; et praesentia inveniri dupliciter intelligi, vel propter perseverantiam maculae aut actualis commissionis seu omissionis simul cum baptismo, vel propter ipsum impedire sacramenti effectum. Inter quae tanti refert quod sola fictio, quae nihil aliud videtur quam impeditio gratiae, per poenitentiam delenda est, cum peccatis commissis post baptismum: reliqua autem per baptismi valorem, recedente fictione, delentur. Ad hoc enim videtur deservire littera * dicens, *et etiam simul existentium cum baptismo.*

* Art. 10.
* Ibid., ad 2.

Excipitur autem sola fictio, quoniam ipsa est quae contrariatur sacramento. Nec puto fictionis peccato intelligendum in proposito crimen illud quod fundat fictionem, puta incredulitatem: sed ipsam malam susceptionem sacramenti, quae sacrilegii species est. Hic enim actus est proprie fictio: quoniam isto actu monstrat qui baptizatur se velle quod non vult. Et confirmatur hoc ex verbis Augustini * dicentis: *Cum illa fictio veraci confessione recesserit, quae, corde in malitia vel sacrilegio perseverante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri.* Ex hoc enim quod nullam speciem peccati fictioni tribuit nisi sacrilegium, insinuasse videtur quid sit illa fictio.

* Ibid., arg. *Sed cont.*

Et hinc sequitur quod talis fictus sufficienter confiteretur dicendo se iniuriam fecisse baptismo ponendo illi obicem peccati mortalis, et confitendo commissa post baptismum.

Adverte quoque aliud esse *dimidiam a Deo expectare veniam:* et aliud esse variis mediis a Deo expectare veniam. Primum est *impium* *. Secundum hic docemur, dum baptizatus per medium poenitentiae et per medium baptismi simul a Deo expectat veniam. Cogimur autem ad utrumque simul medium recurrere: quia credimus praecedentia peccata remitti quoad culpam et poenam totaliter, hoc enim continet gratia baptismalis; fictionem vero, cum posterioribus peccatis, remitti quidem quoad culpam, quoad poenam vero non nisi quantum sacramento poenitentiae remittitur.

* Can. *Sunt plures, de Poenit.*, dist. III.

Unde apparet falsitas allegatae superius * Glossae: praeter id quod est contra textum.

* Num. II.

QUAESTIO SEPTUAGESIMA

DE CIRCUMCISIONE

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de praeparatoriis ab baptismum *. Et primo quidem, de praeparatorio quod praecessit baptismum, scilicet de circumcisione; secundo, de praeparatoriis quae currunt ᵅ simul cum baptismo, scilicet de catechismo et exorcismo *.

* Cf. qu. LXVI, Introd.
α
* Qu. LXXI.

Circa primum quaeruntur quatuor.
Primo: utrum circumcisio fuerit praeparatoria et ᵝ figurativa baptismi. β
Secundo: de institutione ipsius.
Tertio: de ritu eius.
Quarto: de effectu ipsius.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CIRCUMCISIO FUERIT PRAEPARATORIA ET FIGURATIVA BAPTISMI

Iª IIªᵉ, qu. CV, art. 1, ad 3; IV *Sent.*, dist. VIII, qu. I, art. 2, quª 2, ad 5.

D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod circumcisio non fuerit praeparatoria et figurativa baptismi. Omnis enim figura habet aliquam similitudinem cum suo figurato. Sed circumcisio nullam habet similitudinem cum baptismo. Ergo videtur quod non fuerit praeparativa ᵞ et figurativa baptismi.

γ

2. PRAETEREA, Apostolus dicit, I *Cor.* x *, de antiquis Patribus loquens, quod *omnes in nube et in mari baptizati sunt:* non autem dicit quod in circumcisione baptizati sint. Ergo protectio columnae nubis, et transitus maris Rubri, magis fuerunt praeparatoria ad baptismum et figurativa ipsius quam circumcisio.

* Vers. 2.

3. PRAETEREA, supra * dictum est quod baptismus Ioannis fuit praeparatorius ad baptismum Christi. Si ergo circumcisio fuit praeparatoria et figurativa baptismi Christi, videtur quod baptismus Ioannis fuit superfluus. Quod est inconveniens. Non ergo circumcisio fuit praeparatoria et figurativa baptismi.

* Qu. XXXVIII, art. 1, 3.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, *Coloss.* II *: *Circumcisi estis circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis: sed circumcisione Iesu Christi, consepulti ei in baptismo.*

* Vers. 11, 12.

RESPONDEO DICENDUM quod baptismus dicitur *sacramentum fidei* *: inquantum scilicet in baptismo fit quaedam fidei professio, et per baptismum aggregatur homo congregationi fidelium. Eadem autem est fides nostra et antiquorum Patrum: secundum illud Apostoli, II *Cor.* IV *: *Habentes eundem spiritum fidei credimus.* Circumcisio autem erat quaedam protestatio fidei ᵟ: unde et per circumcisionem antiqui congregabantur ᵋ collegio fidelium. Unde manifestum est quod circumcisio fuerit praeparatoria ad baptismum et praefigurativa ipsius: secundum quod antiquis Patribus ᶻ *omnia in figura* futuri *contingebant,* ut dicitur I *Cor.* x *, sicut et fides eorum erat de futuro.

* Ambr. *de Spiritu Sancto*, lib. I, cap. III; Aug. Ep. XCVIII, al. XXIII, *ad Bonifac.*, n. 9.
* Vers. 13.
δ ε ζ
* Vers. 11.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod circumcisio habebat similitudinem cum baptismo quantum ad spiritualem effectum baptismi. Nam sicut per circumcisionem auferebatur quaedam carnalis pellicula, ita per baptismum homo exspoliatur a carnali conversatione.

AD SECUNDUM DICENDUM quod protectio columnae nubis, et transitus maris Rubri, fuerunt quidem figurae nostri baptismi, quo renascimur ex aqua, significata per mare Rubrum, et Spiritu Sancto, significato per columnam nubis: non tamen per haec fiebat aliqua professio fidei, sicut per circumcisionem. Et ideo praedicta duo erant tantum figurae, et non sacramenta. Circumcisio autem erat sacramentum, et ᶯ praeparatorium ad baptismum: minus tamen expresse figurans baptismum, quantum ad exteriora, quam ᶿ praedicta. Et ideo Apostolus potius fecit mentionem de praedictis quam de circumcisione.

η θ

AD TERTIUM DICENDUM quod baptismus Ioannis fuit praeparatorius ad baptismum Christi quantum ad exercitium actus. Sed circumcisio quantum ad professionem fidei, quae requiritur in baptismo, sicut dictum est *.

* In corpore.

α) *currunt.* – *concurrunt* F et tertia praeter I.
β) *et.* – EsF et tertia; *ac* ed. *a*, *ad* ceteri.
γ) *praeparativa.* – *praeparatoria* PFGa. – *et figurativa* om. F.
δ) *fidei.* – *Unde dicitur Rom. IV quod Abraham accepit circumcisionem tanquam signaculum fidei* addunt E et tertia.
ε) *congregabantur.* – *aggregabantur* PFGIa.
ζ) *Patribus.* – F*a* et tertia; *temporibus.* – Pro *figura, figuram* PGHc.
η) *sacramentum, et.* – DGH*abc*; *etiam sacramentum* P, *sacramentum etiam* ceteri.
θ) *quam.* – C*a* et tertia (*quod* pG); om.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CIRCUMCISIO FUERIT CONVENIENTER INSTITUTA

Iª IIªᵉ, qu. CII, art. 5, ad 1; IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 2, quª 4; qu. II, art. 1, quª 2, 3; art. 2, quª 1, 2.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod circumcisio fuerit inconvenienter instituta. Sicut enim dictum est *, in circumcisione fiebat quaedam professio fidei. Sed a peccato primi hominis nullus unquam salvari potuit nisi per fidem passionis Christi: secundum illud *Rom.* III *: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Ergo statim post peccatum primi hominis circumcisio institui debuit, et non tempore Abrahae.

* Art. praeced.
* Vers. 25.

2. PRAETEREA, in circumcisione profitebatur homo observantiam veteris legis, sicut in baptismo profitetur observantiam novae legis: unde Apostolus dicit, *Galat.* V *: *Testificor omni homini circumcidenti se quoniam debitor est universae legis faciendae.* Sed legalis observantia non est tradita tempore Abrahae, sed magis tempore Moysi. Ergo inconvenienter instituta est circumcisio tempore Abrahae.

* Vers. 3.

3. PRAETEREA, circumcisio fuit figurativa et praeparativa baptismi. Sed baptismus exhibetur omnibus populis: secundum illud Matth. ult. *: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos.* Ergo circumcisio non debuit institui ut observanda tantum ab uno populo Iudaeorum, sed ab omnibus populis.

* Vers. 19.

4. PRAETEREA, carnalis circumcisio debet respondere spirituali sicut figura figurato. Sed spiritualis circumcisio, quae fit per Christum, indifferenter convenit utrique sexui: quia *in Christo Iesu non est masculus neque femina,* ut dicitur *Coloss.* [α] III *. Ergo inconvenienter est circumcisio instituta, quae competit solum maribus.

* *Ad Galat.*, cap. III, vers. 28.

SED CONTRA EST quod, sicut legitur *Gen.* XVII *, circumcisio est instituta a Deo, cuius *perfecta sunt opera* *.

* Vers. 10 sqq.
* *Deuter.*, cap. XXXII, vers. 4.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, circumcisio erat praeparatoria ad baptismum inquantum erat quaedam professio fidei Christi, quam et nos in baptismo profitemur. Inter antiquos autem Patres, primus Abraham promissionem accepit de Christo nascituro, cum dictum est ei, *Gen.* XXII *: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae.* Et ipse etiam primus se a societate infidelium segregavit, secundum mandatum Domini dicentis sibi *: *Egredere de terra tua et de cognatione tua.* Et ideo convenienter circumcisio fuit instituta in Abraham.

* Art. 1.
* Vers. 18.
* *Gen.* cap. XII, vers. 1.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod immediate post peccatum primi parentis, propter doctrinam ipsius Adae, qui plene instructus fuerat de divinis, adhuc fides et ratio naturalis vigebat in homine in tantum quod non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei et salutis, sed unusquisque pro suo libitu [β] fidem suam profitentibus signis protestabatur *. Sed circa tempus Abrahae diminuta erat fides, plurimis ad idololatriam declinantibus. Obscurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiscentiae usque ad peccata [γ] contra naturam *. Et ideo convenienter tunc, et non ante, fuit instituta circumcisio, ad profitendum fidem et minuendum carnalem concupiscentiam.

* Cf. *Gen.* cap. IV, vers. 3, 4; cap. VIII, vers. 20; supra, qu. LXI, art. 3.
* *Gen.* cap. XIII, vers. 13; cap. XIX, vers. 5 sqq.

AD SECUNDUM DICENDUM quod legalis observantia tradi non debuit nisi populo iam congregato: quia lex ordinatur ad bonum publicum, ut in Secunda Parte * dictum est. Populus autem fidelium congregandus erat aliquo signo sensibili: quod est necessarium ad hoc quod homines in quacumque religione adunentur, sicut Augustinus dicit, *contra Faustum* *. Et ideo oportuit prius institui circumcisionem quam lex daretur. Illi autem Patres qui fuerunt ante legem, familias suas instruxerunt de rebus divinis per modum paternae admonitionis. Unde et Dominus dicit de Abraham *: *Scio quod praecepturus sit filiis suis et domui suae post se ut custodiant viam Domini.*

* Iª IIªᵉ, qu. XC, art. 2.
* Lib. XIX, cap. XI.
* *Gen.* cap. XVIII, vers. 19.

AD TERTIUM DICENDUM quod baptismus in se continet perfectionem salutis, ad quam Deus omnes homines vocat: secundum illud I *Tim.* II *: *Qui vult omnes homines salvos fieri.* Et ideo baptismus omnibus populis proponitur. Circumcisio autem non continebat perfectionem salutis, sed significabat ipsam ut fiendam per Christum, qui erat ex Iudaeorum populo nasciturus. Et ideo illi soli populo data est circumcisio.

* Vers. 4.

AD QUARTUM DICENDUM quod circumcisionis institutio [δ] est ut signum fidei Abrahae, qui credidit se patrem futurum Christi sibi repromissi *: et ideo convenienter solis maribus competebat. Peccatum etiam [ε] originale, contra quod specialiter circumcisio ordinabatur, a patre trahitur, non a matre, ut in Secunda Parte * dictum est. Sed baptismus continet virtutem Christi, qui [ζ] est universalis salutis causa omnium, et *remissio omnium peccatorum* *.

* *Ad Rom.*, cap. IV, vers. 11 sqq.
* Iª IIªᵉ, qu. LXXXI, art. 5.
* Cf. Postcomm. fer. 3ªᵉ post Pentec.

α) *Coloss.* – *Galat.* P. Cf. *Galat.* III. 28. cum *Col.* III. 11, et qq. LXVI. art. 10. arg. 3, et LXXII. art. 10. ad 3.
β) *libitu.* – *libito* sG et editiones. – Pro *profitentibus, aliquibus* P; *Alias profitentibus* margo P.
γ) *peccata.* – *peccatum* editiones et *a.*
δ) *circumcisionis institutio.* – *circumcisio instituta* PIc. Pro *ut signum, in signum* FIsG.
ε) *Peccatum etiam.* – F et tertia; *Et peccatum* E, *Etiam peccatum* ceteri.
ζ) *qui.* – *quae* BDF et tertia praeter P. Pro *salutis causa, causa salutis* EF et tertia. Pro *remissio, remissionis* tertia.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM RITUS CIRCUMCISIONIS FUERIT CONVENIENS

I[a] II[ae], qu. CII, art. 5, ad 1; IV *Sent.*, dist. 1, qu. II, art. 3; *Ad Rom.*, cap. IV, lect. II.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ritus circumcisionis * non fuerit conveniens. Circumcisio enim, ut dictum est *, fidei quaedam professio est. Sed fides in vi apprehensiva existit, cuius operationes maxime apparent in capite. Ergo magis debuit signum circumcisionis dari in capite quam in membro generationis.

* *Gen.* cap. XVII, vers. 10 sqq.
* Art. 1, 2.

2. PRAETEREA, ad usum sacramentorum sumimus ea quorum est communior usus: sicut aqua ad abluendum, et panem ad reficiendum. Sed ad incidendum communius utimur cultello ferreo quam petrino. Ergo circumcisio non debuit fieri cultello petrino.

3. PRAETEREA, sicut baptismus instituitur in remedium originalis peccati, ita et [α] circumcisio, sicut Beda dicit *. Sed nunc baptismus non differtur usque ad octavum diem, ne pueris periculum damnationis immineat propter originale peccatum, si non baptizati decedant. Quandoque etiam tardatur [β] baptismus post octavum diem. Ergo etiam circumcisioni non debuit determinari octavus dies, sed debebat quandoque praeveniri, sicut etiam quandoque tardabatur *.

* Homil. in festo Circumcis.
* *Iosue* cap. V, vers. 4 sqq.

SED CONTRA EST quod *Rom.* IV, super illud, *Et signum accepit circumcisionis* *, determinatur in Glossa * praedictus circumcisionis ritus.

* Vers. 11.
* Ord. et Lomb.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, circumcisio quoddam signum fidei est institutum a Deo, *cuius sapientiae non est numerus* *. Determinare autem convenientia signa est sapientiae opus. Et ideo concedendum est quod ritus circumcisionis fuit conveniens.

* Art. 2.
* Ps. CXLVI, vers. 5.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod circumcisio convenienter fiebat in membro generationis. Primo quidem, quia erat signum fidei qua Abraham credidit Christum ex suo semine nasciturum *. – Secundo, quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur. – Tertio, quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiae, quae praecipue in membris illis viget, propter abundantiam delectationis venereorum.

* *Ad Rom.*, cap. IV, vers. 11 sqq.

AD SECUNDUM DICENDUM quod cultellus lapideus non erat de necessitate circumcisionis. Unde non invenitur tale instrumentum praecepto divino determinatum; neque communiter tali instrumento Iudaei utebantur ad circumcidendum; sed [γ] neque modo utuntur. Leguntur tamen aliquae circumcisiones famosae cultello lapideo factae: sicut legitur *Exod.* IV *, quod *tulit Sephora acutissimam petram et circumcidit praeputium filii sui;* et Iosue V * dicitur: *Fac tibi cultros* [δ] *lapideos, et circumcide secundo filios Israel.* Per quod figurabatur circumcisionem spiritualem esse faciendam per Christum, de quo dicitur, I *Cor.* X *: *Petra autem erat Christus.*

* Vers. 25.
* Vers. 2.
* Vers. 4.

AD TERTIUM DICENDUM quod octavus dies determinatus erat [ε] circumcisioni, tum propter mysterium: quia in octava aetate, quae est aetas resurgentium *, quasi in octavo die, perficietur per Christum spiritualis circumcisio, quando auferet ab electis non solum culpam, sed etiam omnem poenalitatem. – Tum etiam propter teneritudinem infantis ante octavum diem. Unde etiam de aliis animalibus *Levit.* XXII * praecipitur: *Bos, ovis et capra, cum generata fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suae: die autem octavo et deinceps offerri poterunt Domino.*

* Magist. IV *Sent.*, dist. I, cap. *Fiebat autem*. – Cf. Hug. de S. Vict. *Summ. Sent.*, tr. IV, cap. I.
* Vers. 27.

Erat autem octavus dies de necessitate praecepti: ita scilicet quod octavum diem praetermittentes peccabant, etiam si esset sabbatum; secundum illud Ioan. VII *: *Circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi.* Non tamen erat de necessitate sacramenti: quia, si aliqui essent omittentes [ζ] octavum diem, postea poterant circumcidi.

* Vers. 23.

Quidam * etiam dicunt quod, propter periculum imminentis mortis, poterat octavus dies praeveniri. – Sed hoc nec ex auctoritate Scripturae, nec ex consuetudine Iudaeorum haberi potest. Unde melius est dicendum, sicut etiam Hugo de Sancto Victore dicit *, quod octavus dies nulla necessitate praeveniebatur. Unde super illud *Prov.* IV *, *Unigenitus eram coram matre mea*, dicit Glossa * quod alius Bersabee parvulus ** non computabatur: quia, ante octavum diem mortuus *, nominatus non fuit; et per consequens nec circumcisus.

* Cf. Magist., IV *Sent.*, dist. I, cap. *Si vero quaeritur;* Autissiod. *Summ.* lib. IV, *de Circumcis.*, cap. III.
* *De Sacram.* lib. I, part. XII, cap. 2.
* Vers. 3.
* Ord.
** II *Reg.*, cap. XI, vers. 27.
* Ibid., cap. XII, vers. 18.

α) *ita et.* – *et ita* AC, *ita* EGsH et *b*, *ita ergo* pH, *ita etiam et* I, *ita etiam* Pc. – *nunc* EI; om. editiones, *noster* ceteri.
β) *tardatur.* – *traditur* PF, *tradetur bc.* – Inferius *tradebatur* Fc.
γ) *sed.* – *sed sicut* DpB, om. I, *sicut* cetera tertia et sB.
δ) *cultros.* – *cultellos* editiones. Pro *faciendam*, *fiendam* tertia praeter I.
ε) *determinatus erat.* – *determinabatur* H et editiones. – Pro *est aetas*, *erit aetas* P; *aetate... octavo* om. I.
ζ) *essent omittentes.* – *omittentes* I, *omittentes essent bc*, *omittebant* P.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CIRCUMCISIO CONFERRET GRATIAM IUSTIFICANTEM

Supra, qu. LXII, art. 6, ad 3; IV *Sent.*, dist. I, qu. II, art. 4, qu^a 3; *De Verit.*, qu. XXVIII, art. 2, ad 12; *Ad Rom.*, cap. IV, lect. II.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod circumcisio non conferebat gratiam iustificantem. Dicit enim Apostolus, *Galat.* II *: *Si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est,* idest sine causa *. Sed circumcisio erat quaedam obligatio legis implendae: secundum illud *Galat.* V *: *Testificor omni homini circumcidenti se quoniam debitor est universae legis faciendae.* Ergo, si ex circumcisione est iustitia, *Christus gratis,* idest sine causa, *mortuus est.* Sed hoc est inconveniens. Non ergo ex circumcisione erat gratia iustificans a peccato.

[* Vers. 21. — * Gloss. Lomb. — * Vers. 3.]

2. PRAETEREA, ante institutionem circumcisionis sola fides ad iustificationem sufficiebat: dicit enim Gregorius, in *Moral.* *: *Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres pro parvulis sola fides.* Sed virtus fidei non est imminuta propter mandatum circumcisionis. Ergo sola fides parvulos iustificabat, et non circumcisio.

[* Lib. IV, cap. III. - Cf. can. *Quod autem*, *de Consecr.*, dist. IV.]

3. PRAETEREA, *Iosue* V * legitur quod *populus qui natus est in deserto per quadraginta annos, incircumcisus fuit.* Si ergo per circumcisionem auferebatur peccatum originale, videtur quod omnes qui in deserto mortui sunt, tam parvuli quam adulti, fuerint damnati. Et eadem obiectio est de pueris qui moriebantur ante octavum diem circumcisionis, qui praeveniri non debebat, sicut dictum est *.

[* Vers. 5, 6. — * Art. 3, ad 3.]

4. PRAETEREA, nihil impedit introitum regni caelestis nisi peccatum. Sed circumcisi ante passionem impediebantur ab introitu regni caelestis. Non ergo per circumcisionem homines iustificabantur a peccato.

5. PRAETEREA, peccatum originale non dimittitur sine actuali: quia *impium est a Deo dimidiam sperare veniam,* ut Augustinus dicit *. Sed nunquam [α] legitur quod per circumcisionem remitteretur actuale peccatum. Ergo neque etiam originale per eam dimittebatur.

[* *De Vera et Fals. Poenit.*, cap. IX (inter Opp. Aug.) - Cf. can. *Sunt plures*, *de Poenit.*, dist. III.]

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, *ad Valerium contra Iulianum* *: *Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat* [β] *« signaculum iustitiae fidei », ad sanctificationem purgationis valebat parvulis originalis veterisque peccati* [γ]*: sicut etiam baptismus ex illo coepit valere tempore ad innovationem hominis, ex quo institutus est.*

[* *De Nupt. et Concup.*, lib. II, cap. XI.]

RESPONDEO DICENDUM quod ab omnibus communiter ponitur quod in circumcisione originale peccatum remittebatur. Quidam tamen dicebant quod non conferebatur gratia, sed solum remittebatur peccatum. Quod Magister ponit in I dist. * IV *Sent.*, et *Rom.* IV * in Glossa **. – Sed hoc non potest esse: quia culpa non remittitur nisi per gratiam, secundum illud *Rom.* III *: *Iustificati gratis per gratiam ipsius,* etc.

[* Cap. *Ideo autem.* — * Vers. 11. — ** Cf. etiam Gloss. Ord. — * Vers. 24.]

Et ideo alii * dixerunt quod per circumcisionem conferebatur gratia quantum ad effectus remissionis culpae, sed non quantum ad effectus positivos: ne dicere cogerentur quod gratia in circumcisione collata sufficiebat ad implendum mandata legis, et ita superfluus fuit adventus Christi. – Sed etiam haec positio stare non potest *. Primo quidem, quia per circumcisionem dabatur pueris facultas suo tempore perveniendi ad gloriam, quae est ultimus effectus positivus gratiae. Secundo, quia priores sunt naturaliter, secundum ordinem causae formalis, effectus positivi quam privativi, licet secundum ordinem causae materialis sit e converso: forma enim non excludit privationem nisi informando subiectum.

[* Cf. Autissiod. *Summ.* lib. IV, *de Circumcis.*, art. 2. — * D. 342.]

Et ideo alii dixerunt quod in circumcisione conferebatur gratia etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita aeterna: sed non quantum ad omnes effectus, quia non sufficiebat reprimere concupiscentiam fomitis, nec etiam ad implendum mandata legis. Quod etiam aliquando mihi * visum est. – Sed diligenter consideranti apparet quod non est [δ] verum. Quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae *, et vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima enim caritas plus diligit Deum quam cupiditas *millia* [ε] *auri et argenti* *.

[* IV *Sent.*, dist. I, qu. II, art. 4, qu^a 3. — * D. 684. — * Ps. CXVIII, vers. 72.]

Et ideo dicendum quod in circumcisione conferebatur gratia * quantum ad omnes gratiae effectus *, aliter tamen quam in baptismo. Nam in baptismo confertur [ζ] gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet inquantum est instrumentum passionis Christi iam perfectae. Circumcisio autem conferebat gratiam inquantum erat signum fidei passionis Christi futurae [η] *: ita scilicet quod homo qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem; vel adultus pro se, vel alius pro parvulis. Unde et Apostolus dicit, *Rom.* IV *, quod *Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum iustitiae fidei:* quia scilicet iustitia ex fide erat [θ] significata, non ex circumcisione significante. Et quia baptismus operatur

[* D. 804. — * D. 344. — * D. 343. — * Vers. 11.]

α) *nunquam.* – *nusquam* P.

β) *quod erat.* – *quod erat in* E, *quae tunc erat* sG, *quae erat* sI et editiones. – *iustitiae fidei* BDsG et *a*; *iustitiae fidei Dei* ACEF, *fidei iustitiae Dei* tertia. Pro *sanctificationem, iustificationem* G. Pro *parvulis, magnis et parvulis* sG. Margo P: *alias, quae erat signaculum iustitiae fidei ad purgationem valebat magnis et parvulis etc.*

γ) *veterisque peccati.* – Tertia; *peccati veterisque.*

δ) *quod non est.* – *hoc non esse* (*est* pH) tertia.

ε) *millia.* – *mille millium* E, *mala* F, *mille* Ibc; *enim caritas... millia* om. H.

ζ) *confertur.* – PIc; *conferebatur.* (H om. *quantum ad... confertur gratia*).

η) *Circumcisio autem... futurae.* – *In circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute passionis Christi, cuius signum erat circumcisio* PIc, sed *c* per *Vel sic* addit nostram lectionem, quam etiam margo P praebet per *Alias.* Codicum Brixiensis et Ambrosiani notam vide in Vol. XI. Praef. n. 16. et 27. – In textu nostro pro *signum fidei, circumcisio fidei* F, *signum fidei et* D.

θ) *ex fide erat.* – *erat ex fide* PIc.

instrumentaliter in virtute passionis Christi, non autem circumcisio, ideo baptismus imprimit characterem incorporantem hominem Christo, et copiosiorem gratiam confert quam circumcisio: maior enim est effectus rei iam praesentis quam spei.

Ad primum ergo dicendum quod ratio illa procederet si ex circumcisione esset iustitia aliter quam per fidem passionis Christi.

Ad secundum dicendum quod, sicut ante institutionem circumcisionis fides [ι] Christi futuri iustificabat tam pueros quam adultos, ita et circumcisione data. Sed antea non requirebatur aliquod signum protestativum huius fidei: quia nondum homines fideles seorsum ab infidelibus coeperant adunari ad cultum unius Dei. Probabile tamen est quod parentes fideles pro parvulis natis, et maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam *signaculum fidei:* sicut adulti pro seipsis preces et sacrificia offerebant.

Ad tertium dicendum quod populus in deserto praetermittens mandatum circumcisionis excusabatur, tum quia nesciebant quando castra movebantur [x] *; tum quia, ut Damascenus dicit *, non necesse erat eos aliquod signum distinctionis habere quando seorsum ab aliis populis habitabant. Et tamen, ut Augustinus dicit *, inobedientiam incurrebant qui ex contemptu praetermittebant.

* *De Fide Orth.*, lib. IV, cap. xxv.

* *Quaest. in Iosue*, qu. vi.

Videtur tamen quod nulli incircumcisi mortui fuerint in deserto, quia in Psalmo * dicitur: *Non erat in tribubus eorum infirmus:* sed illi soli videntur mortui in deserto qui fuerant in Aegypto circumcisi. Si tamen aliqui ibi [λ] incircumcisi mortui sunt, eadem ratio est de his et de his [μ] qui moriebantur ante circumcisionis institutionem. Quod etiam intelligendum est de pueris qui moriebantur ante octavum diem tempore legis.

* Ps. civ, vers. 37.

Ad quartum dicendum quod in circumcisione auferebatur originale peccatum ex parte personae: remanebat tamen impedimentum intrandi in regnum caelorum ex parte totius naturae, quod fuit sublatum per passionem Christi. Et ideo etiam baptismus ante passionem Christi non introducebat in regnum. Sed [ν] circumcisio, si haberet locum post passionem Christi, introduceret in regnum.

Ad quintum dicendum quod adulti, quando circumcidebantur, consequebantur remissionem non solum originalis [ξ], sed etiam actualium peccatorum: non tamen ita quod liberarentur ab omni reatu poenae, sicut in baptismo, in quo confertur copiosior gratia.

ι) *fides.* – *sola fides* tertia.
x) *movebantur.* – *movenda erant* EF et tertia.
λ) *aliqui ibi.* – *ibi aliqui* I, *aliqui* PEsF et *c*, *aliquis* pF, *etiam aliqui b*; *Si... incircumcisi* om. H.
μ) *de his et de his.* – *de his* D, *de eis b*, *de his et de eis* GHc. – *circumcisionis... moriebantur ante* om. GH*bc*.
ν) *Sed.* – *Sed et* PDEHI, *Sed etiam* sG et *c*.
ξ) *originalis.* – *peccati* addunt editiones.



QUAESTIO SEPTUAGESIMAPRIMA

DE CATECHISMO ET EXORCISMO

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de praeparatoriis quae simul currunt [α] cum baptismo *. (* Cf. qu. LXX, Introd.)
Et circa hoc quaeruntur quatuor.
Primo: utrum catechismus debeat praecedere baptismum.
Secundo: utrum baptismum debeat praecedere exorcismus.
Tertio: utrum ea quae aguntur in catechismo et exorcismo aliquid efficiant, vel solum significent.
Quarto: utrum baptizandi debeant catechizari vel exorcizari per sacerdotes.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CATECHISMUS DEBEAT PRAECEDERE BAPTISMUM

IV *Sent.*, dist. VI, qu. II, art. 2, qu[a] 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod catechismus non debeat praecedere baptismum. Per baptismum enim regenerantur homines ad vitam spiritualem. Sed prius accipit homo vitam quam doctrinam. Non ergo prius debet homo *catechizari*, idest doceri, quam baptizari.

2. Praeterea, baptismus exhibetur non solum adultis, sed etiam pueris, qui non sunt doctrinae perceptibiles, eo quod non habent usum rationis. Ergo ridiculum est eos catechizari.

3. Praeterea, in catechismo confitetur catechizatus suam fidem. Confiteri autem fidem suam non potest puer [β], neque per seipsum, neque etiam aliquis alius pro eo: tum quia nullus potest alium ad aliquid obligare; tum quia non potest aliquis scire utrum puer, cum ad legitimam aetatem pervenerit, assentiat fidei. Non ergo debet catechismus praecedere baptismum.

Sed contra est quod Rabanus, *de Institutione Clericorum* * (* Lib. I, cap. XXV.), dicit: *Ante baptismum, catechizandi debet hominem praevenire officium, ut fidei primum catechumenus accipiat rudimentum.*

Respondeo dicendum quod, sicut supra * (* Qu. LXX, art. 1.) dictum est, baptismus est *fidei sacramentum:* cum sit quaedam professio fidei Christianae. Ad hoc autem quod aliquis fidem accipiat, requiritur quod de fide instruatur: secundum illud *Rom.* X * (* Vers. 14.): *Quomodo credent quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?* Et ideo ante baptismum convenienter praecedit catechismus. Unde et Dominus, praeceptum baptizandi discipulis tradens, praemittit doctrinam baptismo, dicens * (* Matth. cap. XXVIII, vers. 19.): *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc.

Ad primum ergo dicendum quod vita gratiae, in qua regeneratur aliquis [γ], praesupponit vitam naturae rationalis, in qua potest homo particeps esse doctrinae.

Ad secundum dicendum quod, sicut mater Ecclesia, ut supra * (* Qu. LXIX, art. 6, ad 3.) dictum est, *accommodat pueris* baptizandis *aliorum pedes ut veniant, et aliorum cor ut credant,* ita etiam accommodat eis aliorum aures ut audiant, et intellectum ut per alios instruantur. Et ideo eadem ratione sunt catechizandi qua sunt baptizandi.

Ad tertium dicendum quod ille qui pro puero baptizato respondet, *Credo,* non praedicit puerum crediturum cum ad legitimos annos pervenerit, alioquin diceret, *Credet:* sed profitetur fidem Ecclesiae in persona pueri, cui communicatur, cuius sacramentum ei attribuitur, et ad quam obligatur per alium. Non est enim inconveniens quod aliquis obligetur per alium in his quae sunt de necessitate salutis. – Similiter [δ] etiam patrinus pro puero respondens promittit se operam daturum ad hoc quod puer credat. Quod tamen non sufficeret in adultis usum rationis habentibus.

α) *currunt.* – *concurrunt* Fa et editiones.
β) *potest puer.* – Ed. *a*; *potest* ABCDFHpG, *parvulus* E; IsG et editiones legunt: *Sed pueri non possunt suam fidem confiteri.* Mox *per seipsos* et *pro eis* PIsG et *c*, et *pueri... pervenerint assentiant* Pc.
γ) *aliquis.* – *per baptismum* addunt I et editiones.
δ) *Similiter.* – PsG et *a*; *Simul.*

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM EXORCISMUS DEBEAT PRAECEDERE BAPTISMUM

Infra, art. 3, ad 3; IV *Sent.*, dist. VI, qu. II, art. 3, qu^a 1; qu^a 2, ad 4.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod exorcismus non debeat praecedere baptismum. Exorcismus enim est contra *energumenos*, idest arreptitios, ordinatus [α]. Sed non omnes sunt tales. Ergo exorcismus non debet praecedere baptismum.

2. Praeterea, quandiu homo subiacet peccato, diabolus in eo potestatem habet: ut dicitur Ioan. VIII [β] *: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Sed peccatum tollitur per baptismum. Non ergo ante baptismum sunt homines exorcizandi.

* Vers. 34.

3. Praeterea, ad arcendum daemonum potestatem est introducta aqua benedicta. Non ergo ad hoc oportebat aliud remedium adhiberi per exorcismos.

Sed contra est quod Caelestinus Papa * dicit *: *Sive parvuli sive iuvenes ad regenerationis veniant sacramentum, non prius fontem vitae adeant quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus immundus ab eis abiiciatur.*

* Primus.

* Epist. ad Episcopos Galliae. - Cf. Can. *Sive parvuli, de Consecr.*, dist. IV.

Respondeo dicendum quod quicumque opus aliquod sapienter facere proponit, prius removet impedimenta sui operis: unde dicitur Ierem. IV *: *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas.* Diabolus autem hostis est humanae salutis, quae homini per baptismum acquiritur [γ]; et habet potestatem aliquam in homine ex hoc ipso quod subditur originali peccato, vel etiam actuali. Unde etiam convenienter ante baptismum expelluntur daemones per exorcismos, ne salutem hominis impediant. Quam quidem expulsionem significat exsufflatio. Benedictio autem, cum manus impositione, praecludit expulso viam ne redire possit. Sal autem in os missum, et narium et aurium sputo linitio, significat receptionem doctrinae fidei quantum ad aures, et approbationem quantum ad nares, et confessionem quantum ad os. Olei vero inunctio significat aptitudinem hominis ad pugnandum contra daemones.

* Vers. 3.

Ad primum ergo dicendum quod *energumeni* dicuntur quasi *interius laborantes* extrinseca [δ] operatione diaboli. Et quamvis non omnes accedentes ad baptismum corporaliter ab eo vexentur, omnes tamen non baptizati potestati daemonum subiiciuntur, saltem propter reatum originalis peccati.

Ad secundum dicendum quod in baptismo per ablutionem [ε] excluditur potestas daemonis ab homine quantum ad hoc quod impedit eum a perceptione gloriae. Sed exorcismi excludunt potestatem daemonis inquantum impedit [ζ] hominem a perceptione sacramenti.

Ad tertium dicendum quod aqua benedicta datur contra impugnationes daemonum quae sunt ab exteriori. Sed exorcismus ordinatur contra impugnationes daemonum quae sunt ab interiori: unde *energumeni* dicuntur, quasi *interius laborantes*, illi qui exorcizantur.

Vel dicendum quod, sicut remedium [η] contra peccatum secundo datur poenitentia, quia baptismus non iteratur; ita in remedium contra impugnationes daemonum secundo datur aqua benedicta, quia exorcismi baptismales non iterantur.

α) *est contra... ordinatus.* – *contra... ordinatur* tertia. – Post *omnes* PIsG addunt *baptizandi.*

β) *ut dicitur Ioan. VIII.* – *ideo dicitur Ioan.* (*VIII* addit sB) ABCDE, *unde in Ioan. dicitur* F, *ut dicitur in Ioan.* Gb, *ut dicitur Ioan.* H, *quia* I, *ideo dicit Ioannes* ed. *a*, *quia ut dicitur in Ioan. c*, *quia ut dicitur Ioan. VIII* P.

γ) *acquiritur.* – *exhibetur* PI; *alias, acquiritur* margo P.

δ) *extrinseca.* – *exintrinseca* E, *ex intrinseca* PI.

ε) *ablutionem.* – *ablationem b*; *Alias, ablationem* margo P; *peccati* addit tertia.

ζ) *impedit.* – P; *impediunt* (scilicet daemones?).

η) *remedium.* – *in remedium* tertia et *a*. – *secundo* om. *ab*.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM EA QUAE AGUNTUR IN EXORCISMO EFFICIANT ALIQUID, VEL SOLUM SIGNIFICENT

IV *Sent.*, dist. VI, qu. II, art. 3, qu^a 2.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod ea quae aguntur in exorcismo non efficiant aliquid, sed solum significent. Si enim puer post exorcismos moriatur ante baptismum, salutem non consequitur. Sed ad hoc ordinatur effectus eorum quae in sacramentis aguntur, ut homo consequatur salutem: unde et Marc. ult. * dicitur: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ergo ea quae aguntur in exorcismo nihil efficiunt, sed solum significant.

* Vers. 16.

2. Praeterea, hoc solum requiritur ad sacramentum novae legis ut sit signum et causa, sicut supra * dictum est. Si ergo ea quae aguntur in exorcismo aliquid efficiant, videtur quod singula sint quaedam sacramenta.

* Qu. LXII, art. 1.

3. Praeterea, sicut exorcismus ordinatur ad baptismum, ita, si aliquid in exorcismo efficitur, ordinatur ad effectum baptismi. Sed dispositio ex necessitate praecedit formam perfectam: quia forma non recipitur nisi in materia disposita. Sequeretur ergo quod nullus posset consequi effectum baptismi nisi prius exorcizatus: quod patet esse falsum. Non ergo ea quae aguntur in exorcismis aliquem effectum habent.

4. Praeterea, sicut quaedam aguntur in exor-

cismo ante baptismum, ita etiam quaedam aguntur post baptismum: sicut quod sacerdos baptizatum ungit [α] in vertice. Sed ea quae post baptismum aguntur non videntur aliquid efficere: quia secundum hoc, effectus baptismi esset imperfectus. Ergo nec ea quae ante baptismum aguntur in exorcismo.

* Al. *Serm. ad Catechum.* 1, cap. 1.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro *de Symbolo* *: *Parvuli exsufflantur et exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quae decepit hominem.* Nihil autem agitur frustra per Ecclesiam. Ergo per huiusmodi exsufflationes hoc agitur ut daemonum potestas expellatur.

* Cf. Cyprian. loc. cit. infra.

Respondeo dicendum quod quidam * dicunt ea quae in exorcismo aguntur nihil efficere, sed solum significare. – Sed hoc patet esse falsum, per hoc quod Ecclesia in exorcismis imperativis verbis utitur ad expellendum daemonis potestatem: puta cum dicit, *Ergo, maledicte diabole, exi ab eo,* etc.

Et ideo dicendum est quod aliquem effectum habent: differenter tamen ab ipso baptismo. Nam per baptismum datur homini gratia ad plenam remissionem culparum. Per ea vero quae in exorcismo aguntur, excluditur duplex impedimentum gratiae salutaris percipiendae. Quorum unum est impedimentum extrinsecum, prout daemones salutem hominis impedire conantur. Et hoc impedimentum excluditur per exsufflationes, quibus potestas daemonis repellitur, ut patet ex inducta * auctoritate Augustini: quantum scilicet ad hoc quod non praestet impedimentum sacramento suscipiendo. Manet tamen potestas daemonis in homine quantum ad maculam peccati et reatum poenae, quousque peccatum per baptismum tollatur. Et secundum hoc Cyprianus dicit *: *Scias diaboli nequitiam posse remanere usque ad aquam salutarem: in baptismo autem omnem nequitiam amittere.*

* Arg. *Sed cont.*

* Epist. LXXVI, *ad Magnum, de Haereticor. Baptism.*, n. 15.

Aliud autem impedimentum est intrinsecum, prout scilicet homo ex infectione originalis peccati habet sensus praeclusos ad percipienda salutis mysteria. Unde Rabanus, *de Institutione Clericorum* *, dicit quod *per salivam typicam et sacerdotis tactum* [β] *sapientia et virtus divina salutem catechumenis operatur, ut aperiantur eis nares ad recipiendum odorem notitiae Dei, ut aperiantur aures ad audiendum mandata Dei, ut aperiantur illis sensus in intimo corde ad respondendum.*

* Lib. I, cap. xxvii. - Cf. can. *Postea, de Consecr.*, dist. IV.

Ad primum ergo dicendum quod per ea quae aguntur in exorcismo non tollitur culpa, propter quam homo punitur post mortem: sed solum tolluntur impedimenta recipiendi remissionem culpae per sacramentum. Unde post mortem exorcismus non valet sine baptismo.

Praepositinus [γ] autem dicit * quod pueri exorcizati, si moriantur ante baptismum, minores tenebras patientur. Sed hoc non videtur verum: quia tenebrae illae sunt carentia divinae visionis, quae non recipit magis et minus.

* *Summ.* p. IV, cap. *de Exorcismo.*

Ad secundum dicendum quod de ratione sacramenti est quod perficiat principalem effectum, qui est gratia remittens culpam, vel supplens aliquem hominis defectum. Quod quidem non fit per ea quae aguntur in exorcismo: sed solum huiusmodi impedimenta tolluntur. Et ideo non sunt sacramenta, sed sacramentalia quaedam.

Ad tertium dicendum quod dispositio sufficiens ad suscipiendam gratiam baptismalem est fides et intentio, vel propria eius qui baptizatur, si sit adultus, vel Ecclesiae, si sit parvulus. Ea vero quae aguntur in exorcismo, ordinantur ad removendum impedimenta. Et ideo sine eis potest aliquis consequi effectum baptismi.

Non tamen sunt huiusmodi praetermittenda, nisi in necessitatis articulo. Et tunc, cessante periculo, debent suppleri: ut servetur uniformitas in baptismo. Nec frustra supplentur post baptismum: quia, sicut impeditur effectus baptismi antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit perceptus.

Ad quartum dicendum quod eorum quae aguntur post baptismum circa baptizatum, aliquid est quod non solum significat, sed efficit: puta inunctio quae fit in vertice, quae operatur conservationem [δ] gratiae baptismalis. Aliquid autem est quod nihil efficit, sed solum significat: sicut quod datur eis vestis candida, ad significandam novitatem vitae.

α) *ungit.* – *chrismate ungit* PEIsG.
β) *tactum.* – *actum* PHI. Pro *aperiantur* primo loco, *accipiantur* ApBC, *operantur* pD; altero loco, *aperiantur eis* P quae tamen in singulari *catechumeni* cum I, et *ei* cum GI, et *illi* cum cetera tertia; pro *recipiendum, accipiendum* I, *percipiendum* P.
γ) *Praepositinus.* – PEFc; *Praepositivus* ACGI*b*, *Praeposits* B, *praepios* D, *p p otinus* H, *Positivus* ed. *a* (*Praepositinus* corrector nostri exemplaris).
δ) *conservationem.* – *Alias ad conservationem* margo P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Circa quaestiones septuagesimam et septuagesimamprimam nihil scribendum videtur nisi in his quae dicuntur in articulo tertio * de causalitate exorcismorum. Non carent siquidem scrupulo duo ibi dicta. Primum est circa apertionem sensuum per exorcismos baptismales *. Secundum est circa unctionem quae fit in vertice baptizati, quod operatur conservationem gratiae baptismalis *.

* Qu. lxxi.

* In corp. art.

* In resp. ad 4.

Primum enim intelligo non sic quod exorcismus minuat interiorem infectionem sensuum animae: quia hoc sine gratia non video posse fieri in parvulis, quidquid sit in adultis. Sed intelligo sic quod potestas daemonis ad praecludendum sensus interiores animae, concessa daemoni propter interiorem infectionem animae, per exorcismum impeditur: ne scilicet, ob infectas interiores animae partes, praecludat illas ad sentiendum spiritualia quae Christi sunt. Ita quod potestas daemonis per exorcismos baptismales impeditur ne possit extrinseca obstacula sacramento, et intrinseca sacramenti effectui praestare.

Secundum dictum, cum de activa conservatione intelligi nequeat, de passiva oportet intelligi: sic quod unctio illa operatur quoddam actuale auxilium faciens ex parte baptizati ad conservationem gratiae susceptae. Consistit autem auxilium hoc in actu secundo: qui in adultis tunc excitatur aut adiuvatur; in parvulis autem non nisi tempore extensionis gratiae ad operationem locum habere potest.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM SIT SACERDOTIS CATECHIZARE ET EXORCIZARE BAPTIZANDUM

IV *Sent.*, dist. VI, qu. II, art. 2, qu^a 2; art. 3, qu^a 3.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non sit sacerdotis catechizare et exorcizare baptizandum [α]. Ad officium enim ministrorum pertinet habere operationem super immundos: ut Dionysius, v cap. *Eccl. Hier.* *, dicit. Sed catechumeni, qui instruuntur in catechismo, et energumeni, qui purgantur in exorcismo, computantur inter immundos: ut Dionysius ibidem * dicit. Ergo catechizare et exorcizare non pertinet ad officium sacerdotis, sed potius ministrorum.

α

* Part. I, § 6.

* Cap. III, part. III, § 7.

2. PRAETEREA, catechumeni instruuntur de fide per sacram Scripturam, quae in ecclesia per ministros recitatur: sicut enim per lectores in ecclesia legitur vetus Testamentum, ita etiam per diacones et subdiacones legitur novum. Et sic ad ministros pertinet catechizare. – Similiter etiam et exorcizare, ut videtur, ad ministros pertinet. Dicit enim Isidorus, in quadam Epistola *: *Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos et catechumenos in exorcismo imponere.* Non ergo pertinet ad officium sacerdotis catechizare et exorcizare.

* *Ad Ludifred.* - Cf. can. *Perlectis*, dist. XXV.

3. PRAETEREA, *catechizare* idem est quod docere: et hoc idem est quod *perficere*. Quod ad officium episcoporum pertinet: ut dicit Dionysius, v cap. *Eccl. Hier.* * Non ergo pertinet ad officium sacerdotis.

* Part. I, §§ 6, 7.

SED CONTRA EST quod Nicolaus Papa * dicit: *Catechismi baptizandorum a sacerdotibus uniuscuiusque ecclesiae fieri possunt.* Gregorius etiam, super *Ezech.* *, dicit: *Sacerdotes, cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, quid aliud faciunt nisi quod daemonia eiiciuntur* [β].

* Primus. - Cf. can. *Catechismi*, *de Consecr.*, dist. IV.

* Homil. XXIX *in Evang.* - Cf. can. *Sacerdotes*, *de Consecr.*, dist. IV.

β

RESPONDEO DICENDUM quod minister comparatur ad sacerdotem sicut secundarium et instrumentale agens ad principale: ut indicat ipsum nomen *ministri* *. Agens autem secundarium non agit sine principali agente [γ] in operando. Quanto autem operatio est potior, tanto principale agens indiget potioribus [δ] instrumentis. Potior autem est operatio sacerdotis inquantum confert ipsum sacramentum, quam in praeparatoriis ad sacramentum. Et ideo supremi ministri, qui dicuntur diacones, cooperantur sacerdoti in ipsa collatione sacramentorum: dicit enim Isidorus * quod *ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus et ministrare in omnibus quae aguntur in sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in chrismate, patena et calice.* Inferiores autem ministri cooperantur sacerdoti in his quae sunt praeparatoria ad sacramenta: sicut lectores in catechismo *, exorcistae in exorcismo *.

* Cf. Isidor. *Etymol.* lib. X, litt. *M.*

γ

δ

* Loc. cit. in arg. 2.

* D. 320.

* D. 591.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod super immundos ministri habent operationem ministerialem et quasi instrumentalem, sed sacerdos principalem.

AD SECUNDUM DICENDUM quod lectores et exorcistae habent officium catechizandi et exorcizandi, non quidem principaliter, sed sicut in his sacerdoti ministrantes.

AD TERTIUM DICENDUM quod multiplex est instructio. Una conversiva ad fidem. Quam Dionysius attribuit episcopo, in II cap. *Eccl. Hier.* *: et potest competere cuilibet praedicatori, vel etiam cuilibet fideli. – Secunda est instructio qua quis eruditur de fidei rudimentis, et qualiter se debeat habere in susceptione sacramentorum. Et haec pertinet secundario quidem ad ministros, principaliter autem ad sacerdotes. – Tertia est instructio de conversatione Christianae vitae. Et haec pertinet ad patrinos. – Quarta est instructio de profundis mysteriis fidei, et perfectione Christianae vitae. Et haec ex officio pertinet ad episcopos.

* Part. II, § 1.

α) *baptizandum.* – P; *baptizatum.*
β) *eiiciuntur.* – *eiiciunt* tertia et *a.*
γ) *agente.* – (*agente* editiones) *sed cooperatur principali agenti* EIsG et editiones.
δ) *potioribus.* – *paucioribus* HpBG et *bc.* – Pro *instrumentis, ministris* Fa, *instrumentis seu ministris* PI.



QUAESTIO SEPTUAGESIMASECUNDA

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA

CONSEQUENTER considerandum est de sacramento confirmationis *. (* Cf. qu. LXVI, Introd.)

Et circa hoc quaeruntur duodecim.

Primo: utrum confirmatio sit sacramentum.
Secundo: de materia eius.
Tertio: utrum sit de necessitate sacramenti quod chrisma fuerit prius per episcopum consecratum.
Quarto: de forma ipsius.
Quinto: utrum imprimat characterem.
Sexto: utrum character confirmationis praesupponat characterem baptismalem.
Septimo: utrum conferat gratiam.
Octavo: cui competat recipere hoc sacramentum.
Nono: in qua parte.
Decimo: utrum requiratur aliquis qui teneat confirmandum.
Undecimo: utrum hoc sacramentum per solos episcopos detur.
Duodecimo: de ritu eius.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CONFIRMATIO SIT SACRAMENTUM

Supra, qu. LXV, art. 1; IV *Sent.*, dist. II, qu. I, art. 2; dist. VII, qu. I, art. 1, qu^a 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LVIII.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod confirmatio non sit sacramentum. Sacramenta enim ex divina institutione efficaciam habent, sicut supra * dictum est. (* Qu. LXIV, art. 2.) Sed confirmatio non legitur a Christo instituta. Ergo non est sacramentum.

2. PRAETEREA, sacramenta novae legis in veteri praefigurata fuerunt: ut Apostolus dicit, I *Cor.* x *, (* Vers. 2 sqq.) quod *omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eandem spiritualem escam manducaverunt, et omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Sed confirmatio non fuit praefigurata in veteri Testamento. Ergo non est sacramentum.

3. PRAETEREA, sacramenta ordinantur ad hominum salutem. Sed sine confirmatione potest esse salus: nam pueri baptizati sine confirmatione decedentes salvantur. Ergo confirmatio non est sacramentum [α].

4. PRAETEREA, per omnia sacramenta Ecclesiae homo Christo conformatur, qui est sacramentorum auctor. Sed per confirmationem homo Christo conformari non potest [β], qui non legitur esse confirmatus.

SED CONTRA EST quod Melchiades Papa scribit Hispaniarum Episcopis *: (* Epist. *ad Episcopos Hispan.* - Cf. can. *De his vero*, *de Consecr.*, dist. V.) *De his super quibus rogastis nos vos informari, idest, utrum maius sit sacramentum manus impositio episcoporum an baptismus, scitote utrumque magnum esse sacramentum.*

RESPONDEO DICENDUM quod sacramenta novae legis ordinantur ad speciales [γ] gratiae effectus: et ideo, ubi occurrit aliquis specialis effectus gratiae, ibi ordinatur speciale sacramentum. Quia vero sensibilia et corporalia gerunt spiritualium et intelligibilium similitudinem, ex his quae in vita corporali aguntur [δ], percipere possumus quid in spirituali vita speciale existat. Manifestum est autem quod in vita corporali specialis quaedam perfectio est quod homo ad perfectam aetatem perveniat, et perfectas actiones hominis agere possit: unde et Apostolus dicit, I *Cor.* XIII *: (* Vers. 11.) *Cum autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli.* Et inde etiam est quod, praeter motum generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam aetatem. Sic igitur et vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio. In confirmatione autem homo accipit quasi quandam aetatem perfectam spiritualis vitae. Unde Melchiades Papa dicit *: (* Loc. cit. in arg. *Sed cont.* - Cf. can. *Spirit. Sanctus*, *de Consecrat.*, dist. V.) *Spiritus Sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum praestat ad gratiam. In baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum* [ε] *roboramur.* Et ideo manifestum est quod confirmatio est speciale sacramentum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod circa institutionem huius sacramenti est triplex opinio. Quidam * enim dixerunt quod hoc sacramentum non (* Halens. *Sum. Theol.* part. IV, qu. IX, memb. 1; s. Bonavent. IV *Sent.*, dist. VII, art. 1, qu. 1, ad 1; qu. II.)

α) *Praeterea, sacramenta ordinantur... sacramentum.* – E et tertia; *Praeterea, sacramenta sunt necessaria ad salutem. Sed sine confirmatione aliqui salvantur. Ergo confirmatio non est sacramentum* ed. *a*, om. ceteri.

β) *non potest.* – *non videtur* sG et ante *homo* PI. – Post *confirmatus* PsG addunt *Ergo confirmatio non est sacramentum.*

γ) *speciales.* – *spirituales* tertia praeter P, cuius margo *alias spiritualis*; idem mendum infra plures tertiae, P tamen nusquam; ante *existat*, *spirituale* omnes praeter PEHsG et *a*.

δ) *aguntur.* – *specialiter (spiritualiter b, speciali c) aguntur* GH*bc*.

ε) *post baptismum.* – *confirmamur ad pugnam; in baptismo abluimur, post baptismum* addunt E et tertia.

fuit institutum nec a Christo nec ab Apostolis, sed postea processu temporis in quodam concilio. Alii * vero dixerunt quod fuit institutum ab Apostolis. – Sed hoc non potest esse: quia instituere novum sacramentum pertinet ad potestatem excellentiae, quae competit soli Christo.

* Petr. Tarant., IV *Sent.*, dist. VII, qu. 1, art. 1.

Et ideo dicendum quod Christus instituit hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo: secundum illud Ioan. XVI *: *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et hoc ideo quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem: secundum illud Ioan VII *: *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*

* Vers. 7.
* Vers. 39.

Ad secundum dicendum quod confirmatio est sacramentum plenitudinis gratiae: et ideo non potuit habere aliquid respondens in veteri lege, quia *nihil ad perfectum adduxit lex*, ut dicitur *Heb.* VII *.

* Vers. 19.

Ad tertium dicendum quod, sicut supra * dictum est, omnia sacramenta sunt aliqualiter necessaria ad salutem: sed quaedam sine quibus non est salus, quaedam vero sicut quae operantur ad perfectionem salutis. Et hoc modo confirmatio est de necessitate salutis: quamvis sine ea possit esse salus, dummodo non praetermittatur ex contemptu sacramenti.

* Qu LXV, art. 4.

Ad quartum dicendum quod illi qui confirmationem accipiunt, quae est sacramentum plenitudinis gratiae, Christo conformantur inquantum ipse a primo instanti suae conceptionis fuit *plenus gratiae et veritatis*, ut dicitur Ioan. I *. Quae quidem plenitudo declarata est in baptismo, quando *Spiritus Sanctus descendit corporali specie super eum* *. Unde et Luc. IV ** dicitur quod *Iesus plenus Spiritu Sancto regressus est a Iordane.* Non autem conveniebat dignitati Christi, qui est sacramentorum auctor, ut a sacramento plenitudinem gratiae acciperet.

* Vers. 14.
* Luc. cap. III, vers. 22.
** Vers. 1.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISMA SIT CONVENIENS MATERIA HUIUS SACRAMENTI

Infra, qu. LXXXIV, art. 1, ad 1; IV *Sent.*, dist. VII, qu. 1, art. 2, qa 1, 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LX.



Ad secundum sic proceditur. Videtur quod chrisma non sit conveniens materia huius sacramenti. Hoc enim sacramentum, ut dictum est *, institutum est a Christo promittente discipulis Spiritum Sanctum. Sed ipse misit eis Spiritum Sanctum absque chrismatis unctione α *. Ipsi etiam Apostoli hoc sacramentum conferebant per solam manus impositionem, absque chrismate: dicitur enim *Act.* VIII * quod *Apostoli imponebant manus super baptizatos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Ergo chrisma non est materia huius sacramenti: quia materia est de necessitate sacramenti.

* Art. praeced., ad 1.
* Cf. *Act.* cap. II, vers. 2 sqq.
* Vers. 17.

2. Praeterea, confirmatio quodammodo perficit sacramentum baptismi, sicut supra * dictum est: et ita debet ei conformari sicut perfectio perfectibili. Sed in baptismo est materia simplex elementum, scilicet aqua. Ergo huius sacramenti non est conveniens materia chrisma, quod conficitur ex oleo et balsamo.

* Qu. LXV, art. 3, 4.

3. Praeterea, oleum assumitur in materia huius sacramenti ad inungendum. Sed quolibet oleo potest fieri inunctio: puta oleo quod fit ex nucibus, et ex quibuscumque aliis rebus. Non ergo solum oleum olivarum debet assumi ad huiusmodi sacramentum.

4. Praeterea, supra * dictum est quod aqua assumitur ut materia ad baptizandum quia ubique de facili invenitur. Sed oleum olivarum non ubique invenitur: et multo minus balsamum β. Non ergo chrisma, quod ex his conficitur, est conveniens materia huius sacramenti.

* Qu. LXVI, art. 3.

Sed contra est quod Gregorius dicit, in *Registro* *: *Presbyteri* γ *baptizatos infantes signare in frontibus sacro chrismate non praesumant.* Ergo chrisma est materia huius sacramenti.

* Lib. IV, Ep. IX, *Ianuario Episc.*

Respondeo dicendum quod chrisma est conveniens materia huius sacramenti. Sicut enim dictum est *, in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur spirituale, quod competit perfectae aetati. Homo autem, cum ad perfectam aetatem pervenerit, incipit iam communicare actiones suas ad alios: antea vero quasi singulariter sibi ipsi vivit. Gratia vero Spiritus Sancti in oleo designatur: unde Christus dicitur * esse *unctus oleo laetitiae*, propter plenitudinem Spiritus Sancti quam habuit. Et ideo oleum competit materiae huius sacramenti. Admiscetur autem balsamum propter fragrantiam odoris, quae redundat ad alios: unde et Apostolus dicit, II *Cor.* II *: *Christi bonus odor sumus*, etc. Et licet multa alia sint odorifera, tamen praecipue accipitur balsamum, propter hoc quod habet praecipuum odorem, et quia etiam incorruptionem praestat: unde *Eccli.* XXIV * dicitur: *Quasi balsamum non mixtum odor meus.*

* Art. praeced.; qu. LXV, art. 1.
* Ps. XLIV, vers. 8.
* Vers. 15.
* Vers. 21.

Ad primum ergo dicendum quod Christus ex potestate δ quam habet in sacramentis, contulit Apostolis rem huius sacramenti, idest plenitudinem Spiritus Sancti, sine sacramento, eo quod ipsi *primitias Spiritus Sancti acceperunt*, sicut dicitur *Rom.* VIII *.

* Vers. 23.

Nihilominus tamen aliquid conforme materiae huius sacramenti exhibitum fuit Apostolis sensi-

α) *chrismatis unctione.* – (*omni* tertia) *chrismatis inunctione* F et tertia.
β) *balsamum.* – PsI et *a*; *chrisma.*
γ) *Presbyteri.* – PIsG et *a*; *Presbyteris* E, *Presbyter (... praesumat)* F, *Presbyteros* ceteri (D om. totum argumentum).
δ) *potestate.* – *excellentiae* addunt E et tertia.

biliter in collatione Spiritus Sancti. Quod enim Spiritus Sanctus sensibiliter super eos descendit in specie ignis, ad eandem significationem refertur ad quam refertur oleum: nisi quod ignis habet vim activam, oleum autem vim passivam, inquantum est materia et fomentum ignis. Et hoc satis competebat: nam per Apostolos gratia Spiritus Sancti erat ad alios derivanda. – Super Apostolos etiam Spiritus Sanctus descendit in figura linguae. Quod ad idem refertur significandum quod significat balsamum: nisi quod lingua per locutionem est communicativa ad alterum, balsamum vero per odorem; quia scilicet Apostoli replebantur Spiritu Sancto ut fidei doctores, alii vero fideles ut operatores eorum quae pertinent ad aedificationem fidelium.

Similiter etiam ad impositionem manus Apostolorum, et etiam ad eorum praedicationem *, descendebat plenitudo Spiritus Sancti super fideles sub visibilibus signis [ε], sicut a principio descenderat super Apostolos: unde Petrus dicit, *Act.* XI *: *Cum coepissem loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut et in nos in initio.* Et ideo non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose exhibebantur divinitus.

* *Act.* cap. X, vers. 44.

* Vers. 15.

Utebantur tamen Apostoli communiter chrismate in exhibitione sacramenti, quando huiusmodi visibilia signa non exhibebantur. Dicit enim Dionysius, IV cap. *Eccl. Hier.* *: *Est quaedam perfectiva operatio, quam duces nostri,* idest Apostoli, *chrismatis hostiam nominant.*

* In principio.

Ad secundum dicendum quod baptismus datur ad spiritualem vitam simpliciter consequendam: et ideo competit illi sacramento materia simplex. Sed hoc sacramentum datur ad plenitudinem consequendam Spiritus Sancti, cuius est multiformis operatio, secundum illud *Sap.* VII *: *Est autem in illa Spiritus Sanctus, unicus, multiplex:* et I *Cor.* XII * dicitur: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Et ideo convenienter huius sacramenti est materia composita.

* Vers. 22.

* Vers. 4.

Ad tertium dicendum quod proprietates olei quibus significatur Spiritus Sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum quam in quocumque alio oleo. Unde et ipsa oliva, semper frondibus virens, virorem et misericordiam Spiritus Sancti significat.

Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum, et maxime habetur in usu ubi haberi potest. Quilibet autem alius liquor ex similitudine huius oleum nominatur: nec est in usu communi, nisi in supplementum apud eos quibus deest oleum olivarum. Et ideo hoc oleum solum assumitur in usum huius et quorundam aliorum sacramentorum.

Ad quartum dicendum quod baptismus est sacramentum absolutae necessitatis: et ideo eius materia debet ubique inveniri. Sufficit autem quod materia huius sacramenti, quod non est tantae necessitatis, possit de facili ad omnia loca terrarum deferri.

ε) *visibilibus signis.* – E et tertia praeter H; *infidelibus linguis* ACDpB, *sensibilibus linguis* sB, *visibilibus linguis* ed. *a*, *invisibilibus signis* F, *fidelibus signis* H.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulis primo et secundo quaestionis septuagesimaesecundae adverte unum, scilicet quod chrisma, hoc est, compositum ex oleo et balsamo, non ita est materia sacramenti confirmationis sicut aqua est materia baptismi: quoniam sine balsamo confirmatio tradita valet, sine aqua autem baptismus non valet. Et de hoc extat textus clarus, Extra, *de Sacramentis non reiterandis,* cap. *Pastoralis:* ubi quaeritur si confirmationis sacramentum in eo debeat reiterari qui per errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus, et respondetur quod *non est aliquid iterandum, sed caute supplendum quod incaute fuerat praetermissum.* Ex hoc enim apparet sacramentum confirmationis, quoad substantialia, fuisse completum sine balsamo: fuisset siquidem alioquin reiterandum sine balsamo collatum. Unde intelligimus mixtum ex oleo et balsamo, quod chrisma consuevimus vocare, esse regularem materiam confirmationis de necessitate praecepti, et non de necessitate sacramenti.

Et videtur hoc ab Ecclesia procedente tempore institutum. In primitiva siquidem Ecclesia non videtur multum credibile pauperrimos episcopos habuisse balsamum, quo forte etiam hodie multi carent. Accedit ad haec quod *chrismatis* nomen, quod, secundum Dionysium *, Apostoli imposuerunt huic sacramento, non significat balsamum, sed unctionem, cui oleum sufficit.

* Vid. resp. ad I, fin.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SIT DE NECESSITATE HUIUS SACRAMENTI QUOD CHRISMA, QUOD EST MATERIA HUIUS SACRAMENTI, FUERIT PRIUS PER EPISCOPUM CONSECRATUM

IV *Sent.*, dist. II, qu. I, art. 1, qu[a] 2, ad 2; dist. VII, qu. I, art. 2, qu[a] 3; dist. XXIII, qu. I, art. 3, qu[a] 2, 3; *De Verit.*, qu. XXVII, art. 4, ad 10.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non sit de necessitate huius sacramenti quod chrisma, quod [α] est materia huius sacramenti, fuerit prius per episcopum consecratum. Baptismus enim, in quo fit plena remissio peccatorum, non est minoris efficaciae quam hoc sacramentum. Sed, licet quaedam sanctificatio adhibeatur aquae baptismali ante baptismum, non tamen est de necessitate sacramenti: quia in articulo necessitatis praeteriri

---

α) *quod.* – PIsFG; *quod chrisma... sacramenti* om. EpF; *quae* ceteri.

potest. Ergo nec est de necessitate huius sacramenti quod chrisma fuerit per episcopum consecratum.

2. Praeterea, idem non debet bis consecrari. Sed materia sacramenti sanctificatur in ipsa collatione sacramenti per formam verborum qua confertur sacramentum: unde et Augustinus dicit, *super Ioan.* *: *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum.* Non ergo debet prius chrisma consecrari quam hoc sacramentum tradatur.

* Tract. LXXX, n. 3.

3. Praeterea, omnis consecratio quae fit in sacramentis, ad consecutionem gratiae ordinatur. Sed materia sensibilis confecta ex oleo et balsamo non est capax gratiae. Ergo non debet ei aliqua consecratio adhiberi.

Sed contra est quod Innocentius Papa * dicit *: *Presbyteris, cum baptizant, ungere baptizatos chrismate liceat, quod ab episcopo fuerat consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Paraclitum;* quod quidem fit in hoc sacramento. Ergo ad hoc sacramentum requiritur quod materia huius sacramenti prius per episcopum consecretur β.

* Primus.
* Epist. *ad Decent.* - Cf. can. *Presbyteris, de Consecrat.*, dist. IV.

Respondeo dicendum quod tota sacramentorum sanctificatio a Christo derivatur, ut supra * dictum est. Est autem considerandum quod quibusdam sacramentis habentibus materiam corpoream Christus est usus, scilicet baptismo et etiam Eucharistia. Et ideo ex ipso usu Christi materiae horum sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem sacramenti. Unde Chrysostomus dicit * quod *nunquam aquae baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu Dominici corporis sanctificatae fuissent.* Et ipse similiter Dominus, *accipiens panem, benedixit: similiter autem et calicem*, ut habetur Matth. xxvi * et Luc. xxii *. Et propter hoc non est de necessitate horum sacramentorum quod materia prius benedicatur: quia sufficit benedictio Christi. Si qua vero benedictio adhibeatur, pertinet ad solemnitatem sacramenti, non autem ad necessitatem.

* Qu. LXIV, art. 3.
* Chromatius, *In Matth.*, cap. III, vers. 15. - Cf. can. *Nunquam aquae, de Consecr.*, dist. IV.
* Vers. 26, 27.
* Vers. 19, 20. - Cf. Marc. cap. XIV, vers. 22, 23.

Unctionibus autem visibilibus Christus non est usus, ne fieret iniuria invisibili unctioni qua est *unctus prae consortibus suis* *. Et ideo tam chrisma quam oleum sanctum et oleum γ infirmorum prius benedicuntur quam adhibeantur ad usum sacramenti.

* Ps. XLIV, vers. 8.

Ad primum ergo patet responsio ex dictis.

Ad secundum dicendum quod utraque consecratio chrismatis non refertur ad idem. Sicut enim instrumentum virtutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet quando accipit formam instrumenti, et quando movetur a principali agente δ; ita etiam materia sacramenti duplici sanctificatione indiget, per quarum unam fit propria materia sacramenti, per aliam vero applicatur ad effectum.

Ad tertium dicendum quod materia corporalis non est capax gratiae quasi gratiae subiectum, sed solum sicut gratiae instrumentum, ut supra * dictum est. Et ad hoc materia sacramenti consecratur, vel ab ipso Christo, vel ab episcopo, qui gerit in Ecclesia personam Christi.

* Qu. LXII, art. 3.

β) *requiritur... consecretur.* – *requiritur chrisma per episcopum consecratum* PI; *prius* om. FH.
γ) *et oleum.* – *et* HpG, om. editiones.
δ) *agente.* – *ad effectum* addunt E et tertia. H om. reliqua huius solutionis.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo tertio adverte, propter casus emergentes, quod, licet constet ex Ecclesiae ritu materiam confirmationis oportere esse consecratam ab episcopo, non tamen evidenter constat an ista necessitas sit ex sacramento, aut ex praecepto *. Et, dato quod sit ex necessitate sacramenti, restat adhuc dubium an sic oporteat quod plenitudo Apostolicae potestatis non possit dispensative subrogare simplicem sacerdotem ad consecrationem materiae *, sicut potest ipsum subrogare ad collationem huius sacramenti, ut infra * patebit.

* Cf. num. seq.
* Cf. num. III.
* Art. II, ad 1.

II. Et de primo quidem dubio apparet tenendum quod, si episcopus confirmaret cum chrismate consecrato a simplici sacerdote, sacramentum nullum esset, iuxta verba Auctoris hic sentientis consecrationem huiusmodi pertinere ad necessitatem, et non ad solemnitatem sacramenti.

Perspicacius tamen considerando, oppositum est magis rationi consentaneum. Quandoquidem nulla est maior consecratio ea quae fit in Eucharistia. Quam cum possit simplex sacerdos efficere, omnem aliam non sacramentalem efficere potest, ita quod facta tenet, quamvis peccet faciendo. Nec Auctor in littera explicat quod ab episcopo omnino oporteat fieri.

Nihil tamen definitive concludo. Legimus enim, etiam Apostolica Sede dispensante circa ministrum huius sacramenti, inconcusse explicatum fuisse quod utantur chrismate consecrato per episcopum: ut patet in Concilio Florentino * sub Eugenio IV.

* *Decret. pro Armen.*

III. De secunda autem quaestione * nullam ego video rationem dubitandi, supposita potestate Papae de mutatione ministri. Qui enim potest maius, potest et minus *. Maius autem esse constat quod presbyter conferat confirmationis sacramentum, quam consecret materiam sacramenti: quanto maius est sacramentum sua materia. Et propterea, si Papa potest facere quod simplex sacerdos confirmet, potest etiam efficere quod idem consecret materiam.

* Num. I.
* Regula LIII, *De Regulis Iuris*, in Sexto.

IV. In eodem articulo tertio, Durandus occurrit, in IV *Sent.*, dist. VII, qu. 2 *, contra litterae rationem arguens, volens ipsam peccare *secundum non causam ut causam*, quantum ad sanctificationem materiae ex contactu vel non contactu Christi. Tum quia, si contactus Christi sanctificavit materiam, puta aquam et panem, vel fieret iniuria sanctificationi primae ex superaddita sanctificatione ab Ecclesia, si sunt eiusdem rationis: vel prima esset insufficiens, si secunda est alterius rationis.

* Ad primum videndum.

Tum quia Christus usus est visibilibus unctionibus: in vita a Magdalena pluries *; et in morte a Nicodemo **. Ac per hoc, sanctificavit unctiones, si contactus eius sanctificativus est. Et sic sanctificata esset etiam materia huius sacramenti, nec egeret consecratione. Cuius oppositum dicis.

* Matth. cap. XXVI, vers. 7; Luc. cap. VII, vers. 38; Ioan. cap. XII, vers. 3.
** Ioan. cap. XIX, vers. 39.

V. Ad hoc dicitur rationem Auctoris in sua probabilitate solidam stare: et quod prima sanctificatio constituit materiam sacramenti, et propterea alterius est rationis a benedictione eiusdem materiae quam Ecclesia adhibet. Quoniam haec secunda non ordinatur ad constituendam materiam, sed ad solemnitatem quandam et devotionem, fugationem daemonum, et huiusmodi. Unde non arguit secunda insufficientiam primae, nec illi iniuriatur.

Nec dicit Auctor quemcumque Christi contactum sanctificare materiam sacramenti, sed contactum in usu sacramenti: quali contactu non tetigit unctiones.

Nec obstat quod ex usu sacramenti Christus nihil accepit * [Cf. Durand. loc. cit.]: ac per hoc, per accidens usus concurrit, et solus contactus per se, quoniam ipso contactu sanctificavit: – hoc, inquam, non obstat: quoniam de usu constitutivo sacramenti est sermo, ita quod sensus est: Contactus Christi in constituendo sacramentum est sanctificativus materiae. – Et sic fugantur obiectiones Durandi.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM HAEC SIT CONVENIENS FORMA HUIUS SACRAMENTI: *CONSIGNO TE SIGNO CRUCIS*, ETC.

Infra, qu. LXXXIV, art. 3; IV *Sent.*, dist. VII, qu. 1, art. 3, qu^a 1, ad 3; qu^a 2; Opusc. XXII, *de Form. Absolut.*, cap. 1.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod haec non sit conveniens forma huius sacramenti: *Consigno te signo crucis, confirmo* [α] *te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen.* Usus enim sacramentorum a Christo et ab Apostolis derivatur. Sed neque Christus hanc formam instituit, nec Apostoli ea usi leguntur. Ergo haec non est conveniens forma huius sacramenti.

2. PRAETEREA, sicut sacramentum est idem apud omnes, ita et forma debet esse eadem: quia quaelibet res habet unitatem, sicut et esse, a sua forma. Sed hac forma non omnes utuntur: quidam enim dicunt: *Confirmo te chrismate sanctificationis.* Ergo haec non est conveniens forma huius sacramenti.

3. PRAETEREA, sacramentum hoc debet conformari baptismo sicut perfectio perfectibili, ut supra * [Art. 2, arg. 2] dictum est. Sed in forma baptismi [β] non fit mentio de consignatione characteris; nec etiam de cruce Christi, cum tamen per baptismum homo Christo commoriatur, ut Apostolus dicit, *Rom.* VI * [Vers. 3 sqq.]; nec etiam fit mentio de effectu salutis, cum tamen baptismus sit de necessitate salutis. In forma etiam baptismi ponitur unus actus tantum; et exprimitur persona baptizantis, cum dicitur, *Ego te baptizo;* cuius contrarium apparet in forma praedicta. Non ergo est conveniens forma huius sacramenti.

SED CONTRA EST auctoritas Ecclesiae, quae hac forma communiter utitur.

RESPONDEO DICENDUM quod praedicta forma est conveniens huic sacramento. Sicut enim forma rei naturalis dat ei speciem, ita forma sacramenti continere debet quidquid pertinet ad speciem sacramenti. Sicut autem ex supra * [Art. 1, 2.] dictis patet, in hoc sacramento datur Spiritus Sanctus ad robur spiritualis pugnae. Et ideo in hoc sacramento tria sunt necessaria, quae continentur in forma praedicta. Quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quae est sancta Trinitas. Quae exprimitur cum dicitur, *in nomine Patris* etc. – Secundum est ipsum robur spirituale, quod homini confertur per sacramentum materiae visibilis ad salutem. Quod quidem tangitur cum dicitur, *confirmo te chrismate salutis.* – Tertium est signum quod pugnatori datur, sicut et in pugna corporali: sicut [γ] milites signis ducum insigniuntur. Et quantum ad hoc dicitur, *Consigno te signo crucis:* in quo scilicet *Rex noster triumphavit,* ut dicitur *Coloss.* II * [Vers. 15.].

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut supra * [Art. 2, ad 1.] dictum est, per ministerium Apostolorum quandoque dabatur effectus huius sacramenti, scilicet plenitudo Spiritus Sancti, quibusdam visibilibus signis miraculose a Deo confectis [δ], qui potest effectum sacramenti sine sacramento conferre. Et tunc non erat necessaria nec materia nec forma huius sacramenti.

Quandoque autem tanquam ministri [ε] sacramentorum hoc sacramentum praebebant * [Cf. *Act.* cap. VII, vers. 14 sqq.]. Et tunc, sicut materia, ita et forma ex mandato Christi utebantur. Multa enim servabant Apostoli in sacramentorum collatione quae in Scripturis communiter propositis non sunt tradita. Unde Dionysius dicit, in fine *Eccl. Hier.* * [Cap. VII, part. III, § 10.]: *Consummativas invocationes,* idest verba quibus perficiuntur sacramenta, *non est iustum Scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere: sed nostra sacra traditio sine* [ζ] *pompa,* idest occulte, *edocet eas.* Unde et Apostolus dicit, loquens de celebratione Eucharistiae, I *Cor.* XI * [Vers. 34.]: *Cetera cum venero disponam.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod sanctitas est salutis causa. Et ideo in idem redit quod dicitur *chrismate salutis,* et *sanctificationis.*

AD TERTIUM DICENDUM quod baptismus est regeneratio in spiritualem vitam, qua homo vivit in seipso. Et ideo non ponitur in forma baptismi nisi ipse [η] actus ad ipsum hominem pertinens sanctificandum. Sed hoc sacramentum non solum ordinatur ad hoc quod homo sanctificetur in seipso, sed exponitur cuidam pugnae exteriori. Et ideo non solum fit mentio de interiori sanctificatione [θ], cum dicitur, *confirmo te chrismate salutis:* sed etiam consignatur homo exterius, quasi vexillo crucis, ad pugnam exteriorem [ι] spiritualem, quod significatur cum dicitur, *Consigno te signo crucis.*

α) *confirmo.* – *et confirmo* F et tertia praeter I; cf. qu. LXXXIV art. 3 corp. med.

β) *baptismi.* – EF*a* et tertia; om. ABC; *sed in forma baptismi* om. D. – Pro *consignatione, consignificatione* B.

γ) *sicut.* – Om. PFsI. – Pro *signis, insignis* GHpI, *in signis b, insigniis* Pc.

δ) *confectis.* – *effectis* F et tertia.

ε) *ministri.* – F*a* et tertia praeter H; *minister.*

ζ) *sine.* – EF*a* et tertia; *suis.* Pro *edocet eas, docet eas* D, *eas edocet* F et tertia.

η) *ipse.* – *unus* PI.

θ) *sanctificatione.* – Tertia; *intentione sanctificatione* E, *intentione* ceteri.

ι) *exteriorem.* – Om. tertia.

In ipso autem verbo *baptizandi,* quod ablutionem significat, potest intelligi et materia, quae est aqua abluens, et effectus salutis. Quae non intelliguntur in verbo *confirmandi:* et ideo oportuit haec [x] ponere.

* Qu. LXVI, art. 5, ad 1.

Dictum est autem supra * quod hoc quod dicitur, *Ego,* non est de necessitate formae baptismalis: quia intelligitur in verbo primae personae. Apponitur tamen ad exprimendam intentionem. Quod non est ita necessarium in confirmatione, quae non exhibetur nisi ab excellenti ministro, ut infra * dicetur.

* Art. 11.

x) *haec.* – PH; *hoc* Babc, *hic* F; ceteri utrum *hoc* an *haec* intendant ambiguum.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo quarto adverte, pro hoc et ceteris sacramentis, quod, licet in antiquis iuribus non inveniantur expresse omnes sacramentorum formae, posterioribus tamen temporibus, scilicet sub Eugenio IV in Concilio Florentino *, in quo etiam fuit Ecclesia orientalis, explicatae sunt omnium sacramentorum formae, cum reliquis omnibus requisitis ad omnia et singula sacramenta. Ubi et ponitur ista forma sacramenti confirmationis: nisi quod hic dicitur, *Consigno,* et ibi legitur, *Signo te signo crucis;* et idem est sensus.

* *Decret. pro Armen.*

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS IMPRIMAT CHARACTEREM

Supra, qu. LXIII, art. 6; IV *Sent.*, dist. VII, qu. II, art. 1, qu[a] 1; qu. III, art. 3, qu[a] 3.



AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacramentum confirmationis non imprimat characterem. Character enim importat quoddam signum distinctivum. Sed per sacramentum confirmationis non distinguitur homo ab infidelibus, hoc enim fit per baptismum: nec etiam ab aliis fidelibus, quia hoc sacramentum ordinatur ad pugnam spiritualem, quae omnibus fidelibus indicitur *. Non ergo in hoc sacramento imprimitur aliquis character.

* *Ad Ephes.*, cap. VI, vers. 11 sqq.

2. PRAETEREA, supra * dictum est quod character est quaedam potentia spiritualis. Potentia autem non est nisi activa vel passiva. Potentia autem activa in sacramentis confertur per sacramentum ordinis: potentia autem passiva, sive receptiva, per sacramentum baptismi. Ergo per sacramentum confirmationis nullus character imprimitur.

* Qu. LXIII, art. 2.

3. PRAETEREA, in circumcisione, quae est character corporalis, non imprimitur aliquis spiritualis character. Sed in hoc sacramento imprimitur quidam character corporalis: dum scilicet homo chrismate signatur signo crucis in fronte. Non ergo imprimitur in hoc sacramento character spiritualis.

SED CONTRA, in omni sacramento quod non iteratur, imprimitur character. Sed hoc sacramentum non iteratur: dicit enim Gregorius *: *De homine qui a pontifice confirmatus fuerit denuo, talis iteratio prohibenda est.* Ergo in confirmatione imprimitur character.

* Greg. II, Epist. IV, *ad Bonifac.* – Cf. can. *De homine, de Consecr.*, dist. V.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, character est quaedam spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata. Dictum est autem supra * quod, sicut baptismus est quaedam spiritualis generatio [α] in vitam Christianam, ita etiam confirmatio est quoddam spirituale augmentum promovens hominem in spiritualem aetatem perfectam. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitae quod alia est actio hominis statim nati, et alia actio competit [β] ei cum ad perfectam aetatem pervenerit. Et ideo per sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam actiones alias sacras, praeter illas ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit potestatem ad ea agenda quae ad propriam pertinent salutem, prout secundum seipsum vivit: sed in confirmatione accipit potestatem ad agendum ea quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei. Sicut patet exemplo Apostolorum, qui, antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant *in cenaculo perseverantes in oratione* *; postmodum autem egressi non verebantur fidem publice fateri, etiam coram inimicis fidei Christianae *. Et ideo manifestum est quod in sacramento confirmationis imprimitur character.

* Qu. LXIII, art. 2.

* Art. 1; qu. LXV, art. 1.

* *Act.* cap. I, vers. 13, 14.

* Ibid., cap. II sqq.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod pugna spiritualis contra hostes invisibiles omnibus competit. Sed contra hostes visibiles, idest contra persecutores fidei pugnare, nomen Christi confitendo [γ], est confirmatorum, qui iam sunt perducti spiritualiter ad virilem aetatem: secundum quod dicitur I Ioan. II *: *Scribo vobis, iuvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei in vobis manet, et vicistis malignum.* Et ideo character confirmationis est signum distinctivum, non infidelium a fidelibus, sed spiritualiter provectorum ab his quibus dicitur *: *Sicut modo geniti infantes.*

* Vers. 14.

* I Petr. cap. II, vers. 2.

AD SECUNDUM DICENDUM quod omnia sacramenta sunt quaedam fidei protestationes. Sicut igitur baptizatus accipit potestatem spiritualem ad protestandum fidem per susceptionem aliorum sacramentorum; ita confirmatus accipit potestatem publice fidem Christi verbis profitendi, quasi ex officio.

α) *generatio.* – *regeneratio* F et tertia praeter 1.
β) *competit.* – *quae competit* editiones.
γ) *confitendo.* – *publice confitendo* tertia.

AD TERTIUM DICENDUM quod sacramenta veteris legis dicuntur *iustitia* [δ] *carnis*, ut patet *Heb.* IX *, quia scilicet interius nihil efficiebant *. Et ideo in circumcisione imprimebatur character solum in corpore, non autem in anima. Sed in confirmatione cum charactere corporali imprimitur simul character spiritualis, eo quod est sacramentum novae legis.

* Vers. 10.
* D. 1095.

δ) *iustitia.* – *iustitiae* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo quinto dubium occurrit ad hominem. Quoniam Auctor superius, in qu. LXIII, art. 6, posuit characterem confirmationis pertinere ad recipientes. Hic autem ponit ipsum ex parte potentiae activae, ut patet in littera. Unde videtur Auctoris doctrina sibi ipsi dissona.

Ad hoc dicitur quod haec sibi invicem non adversantur. Quoniam character confirmationis, ut ipsius sacramenti nomen testatur, est characteris baptismalis *confirmatio*. Per baptismum enim fit Christianus, infirmus tamen, quia est *sicut modo genitus infans* *: per confirmationem autem firmatur. Ac per hoc, ex eadem parte utriusque se tenet sacramenti character. Et per consequens character confirmationis est ut perficiens characterem baptismalem. Qui, cum se teneat ex parte recipientis, trahit secum suae confirmationis characterem. Unde *De Consecr.*, dist. v, cap. *De his vero*, Melchiades Papa inquit: *Ita coniuncta sunt haec duo sacramenta quod unum sine altero rite perfici non potest:* – Glossa, *idest, Christianum facere non potest,* supple, *perfectum*.

* I Petr., cap. II, vers. 2.

Apparetque hoc idem ex actibus utriusque characteris. Nam baptismi est confiteri fidem; confirmationis autem libere seu intrepide confiteri eandem; ubi patet secundum perficere et firmare primum.

Patet etiam non sic esse intelligendum characterem esse potentiam passivam, tanquam si poneretur pure passiva. Potest enim aliquem actum habere, cum hoc quod constituit sacramentorum receptivum perfectum seu firmum. Baptismalis siquidem character receptivum absolute; confirmationis autem receptivum perfecte et libere constituit.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM CHARACTER CONFIRMATIONIS PRAESUPPONAT EX NECESSITATE CHARACTEREM BAPTISMALEM

IV *Sent.*, dist. VII, qu. II, art. 1, qu[a] 3.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod character confirmationis non praesupponat ex necessitate characterem baptismalem. Sacramentum enim confirmationis ordinatur ad confitendum publice fidem Christi. Sed multi etiam ante baptismum sunt fidem Christi publice confessi, sanguinem fundentes pro fide. Ergo character confirmationis non praesupponit characterem baptismalem.

2. PRAETEREA, de Apostolis non legitur quod fuerint baptizati: praesertim cum dicatur, Ioan. IV *, quod *ipse Christus non baptizabat, sed discipuli eius*. Et tamen postea fuerunt confirmati per adventum Spiritus Sancti *. Ergo similiter alii possunt confirmari antequam baptizentur.

3. PRAETEREA, *Act.* X * dicitur quod, *adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum, et audiebant eos loquentes linguis:* et postea *iussit eos baptizari*. Ergo pari ratione possunt alii prius confirmari quam baptizentur.

* Vers. 2.
* *Act.* cap. II, vers. 2 sqq.
* Vers. 44 sqq.

SED CONTRA EST quod Rabanus dicit, *de Institut. Cleric.* *: *Novissime a summo sacerdote per impositionem manus Paraclitus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad praedicandum.*

* Lib. I, cap. XXX.

RESPONDEO DICENDUM quod character confirmationis ex necessitate praesupponit characterem baptismalem: ita scilicet quod, si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, sed oporteret ipsum iterato confirmari post baptismum. Cuius ratio est quia sic se habet confirmatio ad baptismum sicut [α] augmentum ad generationem, ut ex supra * dictis patet. Manifestum est autem quod nullus potest promoveri in aetatem perfectam nisi primo fuerit natus. Et similiter, nisi aliquis primo fuerit baptizatus, non potest sacramentum confirmationis accipere.

* Art. 1; qu. LXV, art. 1.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod virtus divina non est alligata sacramentis. Unde potest conferri [β] homini spirituale robur ad confitendum publice fidem Christi absque sacramento confirmationis: sicut etiam potest consequi remissionem peccatorum sine baptismo. Tamen, sicut nullus consequitur effectum baptismi sine voto baptismi, ita nullus consequitur effectum confirmationis sine voto ipsius. Quod potest haberi etiam ante susceptionem baptismi.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Augustinus * dicit [γ], ex hoc quod Dominus dicit, Ioan. XIII *, « *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet* », *intelligimus Petrum et alios Christi discipulos fuisse baptizatos, sive baptismo Ioannis, sicut nonnulli arbitrantur; sive, quod magis credibile est, baptismo Christi. Neque enim renuit ministerium baptizandi, ut haberet servos* [δ] *per quos ceteros baptizaret.*

* Ep. CCLXV, al. CVIII, *ad Seleucianam*.
* Vers. 10.

AD TERTIUM DICENDUM quod audientes praedicationem Petri acceperunt effectum confirmationis miraculose: non tamen sacramentum confirmationis. Dictum est autem * quod effectus con-

* Resp. ad 1; art. 2, ad 1; art. 4, ad 1.

α) *sic... sicut.* – *sicut... ita* H et editiones.
β) *conferri.* – *conferre* F et tertia.
γ) *dicit.* – *dicit celecianū* I, *dicit contra celeucianum* sG. Cf. qu. LXXXIV. art. 7. θ.
δ) *servos.* – *et baptizatos servos* P.

firmationis potest alicui conferri ante baptismum, non autem sacramentum confirmationis. Sicut enim effectus confirmationis, qui est robur spirituale, praesupponit effectum baptismi, qui est iustificatio, ita sacramentum confirmationis praesupponit sacramentum baptismi.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo sexto, adverte quod character confirmationis ita praesupponit characterem baptismi ut, si confirmaretur non baptizatus, esset post baptismum reconfirmandus: eadem ratione qua presbyter non baptizatus est post baptismum iterum ordinandus, ut patet in cap. *Veniens*, et in cap. *Si quis de Presbytero non baptizato*. Magis enim annexum est confirmationis sacramentum baptismo quam sacramentum ordinis: cum confirmatio firmitas perfectioque sit baptismi.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM PER HOC SACRAMENTUM GRATIA GRATUM FACIENS CONFERATUR

IV *Sent.*, dist. VII, qu. II, art. 2.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod per hoc sacramentum gratia gratum faciens non conferatur. Gratia enim gratum faciens ordinatur contra culpam.
* Art. 6. Sed hoc sacramentum, sicut dictum est *, non exhibetur nisi baptizatis, qui sunt a culpa mundati. Ergo per hoc sacramentum gratia gratum faciens non confertur.

2. Praeterea, peccatores maxime indigent gratia gratum faciente, per quam solam iustificari possunt. Si ergo per hoc sacramentum gratia gratum faciens confertur, videtur quod deberet dari hominibus in peccato existentibus. Quod tamen non est verum.

3. Praeterea, gratia gratum faciens specie non differt: cum ad unum effectum ordinetur. Sed duae formae eiusdem speciei non possunt esse in eodem subiecto. Cum ergo gratia gratum faciens conferatur homini per baptismum, videtur quod per sacramentum confirmationis, quod non exhibetur nisi baptizato, gratia gratum faciens non conferatur.

* Epist. *ad Episcopos Hispan.* - Cf. can. *Spirit. Sanct.*, *de Consecr.*, dist. V. Sed contra est quod Melchiades Papa dicit *: *Spiritus Sanctus in fonte baptismi plenitudinem tribuit ad innocentiam: in confirmatione augmentum praestat ad gratiam.*

* Art. 1, 4; qu. LXV, art. 1. Respondeo dicendum quod in hoc sacramento, sicut dictum est *, datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur: sicut Apostolis datus est in die
* Vers. 2 sqq. Pentecostes, ut legitur *Act.* II *; et sicut dabatur baptizatis per impositionem manus Apostolorum,
* Vers. 17. ut dicitur *Act.* VIII *. Ostensum est autem in Pri-
* Qu. XLIII, art. 3. ma Parte * quod missio seu datio Spiritus Sancti non est nisi cum gratia gratum faciente. Unde manifestum est quod gratia gratum faciens confertur in hoc sacramento.

Ad primum ergo dicendum quod gratiae gratum
α facientis est [α] remissio culpae: habet tamen et alios effectus, quia sufficit ad hoc quod promoveat hominem per omnes gradus usque in vitam
aeternam [β]. Unde et Paulo dictum est, II *Cor.* XII *: * Vers. 9. β
Sufficit tibi gratia mea: et ipse de se [γ] dicit, γ
I *Cor.* XV *: *Gratia Dei sum id quod sum.* Et * Vers. 10.
ideo gratia gratum faciens non solum datur ad remissionem culpae, sed etiam ad augmentum et firmitatem iustitiae. Et sic confertur in hoc sacramento.

Ad secundum dicendum quod, sicut ex ipso nomine apparet, hoc sacramentum datur *ad confirmandum* quod prius invenerit. Et ideo non debet dari his qui non habent gratiam. Et propter hoc, sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per poenitentiam reparatis. Unde dicitur in Aurelianensi
Concilio *: *Ut ieiuni ad confirmationem veniant,* * Can. III. - Cf. can. *Ut ieiuni*, *de Consecr.*, dist. V.
ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere *. Et tunc * D. 380.
per hoc sacramentum perficitur poenitentiae effectus, sicut et baptismi: quia per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur [δ] poenitens δ
pleniorem remissionem peccati. – Et si aliquis adultus in peccato existens cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus
accedat [ε], per gratiam collatam in hoc sacramento ε
consequetur remissionem peccatorum.

Ad tertium dicendum quod, sicut dictum est *, * Qu. LXII, art. 2.
gratia sacramentalis addit super gratiam gratum faciens communiter sumptam aliquid effecti-
vum specialis [ζ] effectus, ad quod ordinatur sa- ζ
cramentum. Si ergo consideretur gratia in hoc sacramento collata quantum ad id quod est commune, sic per hoc sacramentum non confertur aliqua alia gratia quam per baptismum, sed quae prius inerat, augetur. Si autem consideretur quantum ad illud speciale quod superadditur, sic non est eiusdem speciei cum ipsa.

α) *est.* – *effectus est* EFH, *primus effectus est* I et editiones; *a* addit *effectus* ante *gratiae.*

β) *aeternam.* – *secundum illud Rom. VI: Gratia Dei est vita aeterna* addunt E et tertia.

γ) *de se.* – Om. Pc.

δ) *consequetur.* – *consequitur* CF*a* et tertia praeter pI; in fine solutionis *consequitur* F*a*.

ε) *accedat.* – *accedat ad hoc sacramentum dummodo non fictus accedat* (repetit, sine *quia* quod iam superius omiserat, *per gratiam collatam... contritus accedat*) *ad hoc sacramentum dummodo fictus accedat* E, *accedat dummodo non fictus accedat* PI.

ζ) *specialis.* – *spiritualis* GH*bc*, *spiritalis* F; *Alias spiritualis* margo P.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo septimo, in responsione ad secundum, nota hic dictum in littera pro omnibus sacramentis: quod accedens ad sacramentum cum peccato, vel quia eius conscientiam non habet, vel quia non perfecte contritus, gratiam ex sacramento consequitur in remissionem peccatorum. Et intelligo hoc de peccato mortali: quoniam de venialibus non oportet habere conscientiam particularem. Hoc est enim quod consuevit dici, *Virtute sacramenti fieri de attrito contritum:* hoc est, paratum secundum propriam conscientiam caritate informari. Quod tunc tantum fit cum ex sacramento movetur mens suscipientis sacramentum in actualem operationem in Deum seu peccatum. Non enim regulariter infunditur aut augetur gratia in adulto nisi concurrente actu novo liberi arbitrii, quoniam sic exigit suavis dispositio * divinae gubernationis: ut ex his quae in Prima Secundae * de iustificatione impii Auctor dicit, habere potes; et inferius *, cum de sacramento poenitentiae tractabitur.

* *Sap.* cap. VIII, vers. 1.
* Qu. CXIII, art. 3.
* Qu. LXXXVII, art. 2.

II. In eodem articulo, in responsione ad tertium, memento superius * dictorum de gratia sacramentali, et intelliges quae hic dicuntur. Gratia siquidem gratum faciens extensa ad firmandum Christianum ut libere Christum crucifixum confiteatur, secundum essentiam gratiae est eiusdem speciei cum gratia collata in baptismo: sed secundum auxilium firmitatis procedentis a gratia, quod gratia sacramentalis vocatur, specie differt a gratia baptismali.

* Qu. LXII, art. 2.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM HOC SACRAMENTUM SIT OMNIBUS EXHIBENDUM

IV *Sent.*, dist. VII, qu. III, art. 2, qu^a 2, 3.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non sit omnibus exhibendum. Hoc enim sacramentum ad quandam excellentiam datur, ut dictum est *. Sed id quod ad excellentiam pertinet, non competit omnibus. Ergo hoc sacramentum non debet omnibus dari.

* Art. 2, ad 2. - Cf. qu. LXV, art. 3, 4.

2. Praeterea, per hoc sacramentum augetur aliquis spiritualiter in perfectam aetatem. Sed perfecta aetas repugnat aetati puerili. Ergo ad minus pueris dari non debet.

3. Praeterea, sicut Melchiades Papa dicit *, *post baptismum confirmamur ad pugnam.* Sed pugnare non competit mulieribus, propter fragilitatem sexus. Ergo nec mulieribus hoc sacramentum debet dari.

* Epist. *ad Episcopos Hispan.* - Cf. can. *Spirit. Sanct., de Consecr.*, dist. V.

4. Praeterea, Melchiades Papa dicit *: *Quamvis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen confirmationis beneficia necessaria sunt. Confirmatio armat et instruit ad agones mundi huius et praelia reservandos. Qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus pervenerit ad mortem, confirmatur morte: quia iam non potest peccare post mortem.* Ergo statim morituris non debet hoc sacramentum conferri. Et sic non debet omnibus dari.

* Ibid.

Sed contra est quod dicitur *Act.* II *, quod Spiritus Sanctus veniens *replevit totam domum*, per quam significatur Ecclesia: et postea * subditur quod *repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Sed ad illam plenitudinem consequendam hoc sacramentum datur. Ergo est omnibus qui sunt in Ecclesia exhibendum.

* Vers. 2.
* Vers. 4.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, per hoc sacramentum promovetur homo spiritualiter in aetatem perfectam. Hoc autem est de intentione naturae, ut omnis qui corporaliter nascitur, ad perfectam aetatem perveniat: sed hoc quandoque impeditur propter corruptibilitatem corporis, quod morte praevenitur. Multo autem magis de intentione Dei est omnia ad perfectionem perducere, ex cuius imitatione hoc natura participat: unde et *Deut.* XXXII * dicitur: *Dei perfecta sunt opera.* Anima autem, ad quam pertinet spiritualis nativitas et spiritualis aetatis perfectio, immortalis est: et potest, sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita tempore iuventutis et pueritiae consequi perfectam aetatem; quia huiusmodi corporales aetates animae non praeiudicant. Et ideo hoc sacramentum debet omnibus exhiberi.

* Art. 1.
* Vers. 4.

Ad primum ergo dicendum quod hoc sacramentum datur ad quandam excellentiam, non quidem unius hominis ad alium, sicut sacramentum ordinis, sed hominis ad seipsum: sicut idem, perfectus vir existens, habet excellentiam ad se puerum.

Ad secundum dicendum quod, sicut dictum est *, corporalis aetas non praeiudicat animae. Unde etiam in puerili aetate homo potest consequi perfectionem spiritualis aetatis: de qua dicitur *Sap.* IV *: *Senectus venerabilis est non diuturna, neque numero annorum computata.* Et inde est quod multi in puerili aetate, propter robur Spiritus Sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo.

* In corpore.
* Vers. 8.

Ad tertium dicendum quod, sicut Chrysostomus dicit, in Homilia * *de Machabaeis, in mundanis agonibus aetatis et formae generisque dignitas requiritur: et ideo servis ac mulieribus, senibus ac pueris, ad eos aditus denegatur. In caelestibus autem omni personae et aetati et sexui indiscreta facultate stadium patet.* Et in Homilia *de Militia Spirituali* * dicit: *Apud Deum femineus etiam militat sexus: multae namque feminae animo virili spiritualem militiam gesserunt. Quaedam enim interioris hominis virtute viros aequaverunt in agonibus martyrum: quaedam etiam fortiores viris exstiterunt.* Et ideo mulieribus hoc sacramentum conferendum est.

* Prima.
* Homil. V inter XVI.

Ad quartum dicendum quod, sicut dictum est *, anima, ad quam pertinet spiritualis aetas, immortalis est. Et ideo morituris hoc sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant: secundum illud *Ephes.* IV *: *Donec occurramus in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Et ideo Hugo de Sancto Vi-

* In corpore.
* Vers. 13.

* De Sacram., lib. II, part. VII, cap. 3.

ctore dicit *: *Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret:* non quia damnaretur, nisi forte per contemptum; sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati decedentes maiorem gloriam consequuntur, sicut et hic maiorem obtinent gratiam. – Auctoritas autem illa intelligitur quantum ad hoc, quod morituris non est necessarium hoc sacramentum propter periculum pugnae praesentis.

ARTICULUS NONUS

UTRUM HOC SACRAMENTUM SIT CONFERENDUM HOMINI IN FRONTE

Infra, art. 11, ad 3; IV *Sent.*, dist. VII, qu. III, art. 3, qu^a 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LX; *Quodl.* XI, qu. VII; *Ad Rom.*, cap. 1, lect. V; cap. X, lect. II.

AD NONUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod hoc sacramentum non sit conferendum homini in fronte. Hoc enim sacramentum est perfectivum baptismi, ut supra * dictum est. Sed sacramentum baptismi confertur homini in toto corpore. Ergo hoc sacramentum non debet conferri solum in fronte.

* Qu. LXV, art. 3, 4.

2. PRAETEREA, hoc sacramentum datur ad robur spirituale, ut supra * dictum est. Sed spirituale robur maxime consistit in corde. Ergo hoc sacramentum magis debet conferri supra cor quam in fronte.

* Art. 1, 2, 4; qu. LXV, art. 1.

3. PRAETEREA, hoc sacramentum datur homini ad hoc quod libere fidem Christi confiteatur. Sed *ore fit confessio ad salutem,* ut dicitur *Rom.* X *. Ergo hoc sacramentum magis debet conferri circa os quam in fronte.

* Vers. 10.

SED CONTRA EST quod Rabanus dicit, in libro *de Institut. Cleric.* *: *Signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per pontificem vero in fronte.*

* Lib. I, cap. XXX.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, in hoc sacramento homo accipit Spiritum Sanctum ad robur spiritualis pugnae, ut fortiter etiam inter adversarios fidei fidem Christi confiteatur. Unde convenienter signatur chrismate signo crucis in fronte, propter duo. Primo quidem, quia insignitur signo crucis sicut miles signo ducis, quod quidem debet esse evidens et manifestum. Inter omnia autem loca corporis humani maxime manifestus est frons, qui ^α quasi nunquam obtegitur. Et ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut in manifesto demonstraret se esse Christianum: sicut et Apostoli post receptum Spiritum Sanctum se manifestaverunt, qui prius in cenaculo latebant *.

* Art. 1, 4.

* Act. cap. I, vers. 13; cap. II.

Secundo, quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo, scilicet propter timorem, et propter verecundiam. Utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte ^β, propter propinquitatem imaginationis, et propter hoc quod spiritus a corde directe ad frontem ascendunt: unde *verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt,* ut dicitur in IV *Ethic.* * Et ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri praetermittat.

* Cap. IX, n. 2. – S. Th. lect. XVII.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod per baptismum regeneramur ad vitam spiritualem, quae ad totum hominem pertinet. Sed in confirmatione roboramur ad pugnam: cuius signum ferendum est in fronte, quasi in evidenti loco.

AD SECUNDUM DICENDUM quod principium fortitudinis est in corde, sed signum apparet in fronte: unde dicitur Ezech. III *: *Ecce, dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Et ideo sacramentum Eucharistiae, quo homo in seipso confirmatur, pertinet ad cor: secundum illud Psalmi *: *Panis cor hominis confirmet.* Sed sacramentum confirmationis requiritur in signum ^γ fortitudinis ad alios. Et ideo exhibetur in fronte.

* Vers. 8.

* Ps. CIII, vers. 15.

AD TERTIUM DICENDUM quod hoc sacramentum datur ad libere confitendum: non autem ad confitendum simpliciter, quia hoc fit etiam in baptismo. Et ideo non debet dari in ore, sed in fronte, ubi apparent signa passionum quibus libera confessio impeditur.

α) *manifestus est frons, qui.* – *manifesta* (*manifestans* H) *est frons quae* GH, *frons manifesta est quae* editiones.
β) *fronte.* – *propter duo scilicet* addunt editiones. – *propter hoc quod* E et tertia; *propter hoc.*
γ) *Sed sacramentum... in signum.* – *Sed sacramentum... signum* A, *Sed ad sacramentum... signum* G et editiones, (*Sed ad sacramentum* om.) *confirmationis requiritur signum* H, *Sed sacramentum confirmationis requirit signum* I.

ARTICULUS DECIMUS

UTRUM ILLE QUI CONFIRMATUR DEBEAT TENERI AB ALIO

IV *Sent.*, dist. VII, qu. III, art. 3, qu^a 1.

AD DECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ille qui confirmatur non debet ab alio teneri ad confirmationem. Hoc enim sacramentum non solum pueris, sed etiam adultis exhibetur. Adulti autem per seipsos stare possunt. Ergo ridiculum est quod ab alio teneantur.

2. PRAETEREA, ille qui iam est de Ecclesia, liberum habet accessum ad Ecclesiae principem, qui est episcopus. Sed hoc sacramentum, sicut

* Art. 6.

dictum est *, non exhibetur nisi baptizato, qui iam est membrum Ecclesiae. Ergo videtur quod non debeat per alium exhiberi episcopo ad hoc sacramentum recipiendum.

3. PRAETEREA, hoc sacramentum datur ad robur spirituale. Quod magis viget in viris quam in mulieribus: secundum illud *Prov.* ult. *: *Mulierem fortem quis inveniet?* Ergo ad minus mulier non debet tenere virum ad confirmationem [α].

* Vers. 10.

SED CONTRA EST quod Innocentius Papa * dicit, et habetur in *Decretis,* XXX, qu. IV *: *Si quis ex coniugio filium aut filiam alterius de sacro fonte susceperit, aut ad chrisma tenuerit,* etc. Ergo, sicut requiritur quod aliquis baptizatum de sacro fonte levet, ita debet aliquis teneri ad sacramentum confirmationis accipiendum.

* Auct. incert.
* Can. *Si quis unus.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, hoc sacramentum exhibetur homini ad robur pugnae spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore in his quae pertinent ad conversationem [β] vitae, secundum illud *Heb.* XII *, *Patres quidem carnis nostrae habuimus eruditores, et obtemperabamus eis* [γ]; ita illi qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus a quibus [δ] instruantur de his quae pertinent ad modum certaminis; et ideo in bellis materialibus constituuntur duces et centuriones, per quos alii gubernentur. Et propter hoc etiam ille qui accipit hoc sacramentum, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna [ε] erudiendus.

* Art. 1, 4, 9.
* Vers. 9.

Similiter [ζ] etiam, quia per hoc sacramentum confertur homini perfectio spiritualis aetatis, sicut dictum est *; ideo ille qui ad hoc sacramentum accedit, sustentatur, quasi adhuc spiritualiter [η] imbecillis et puer.

* Art. 2, 5.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, licet ille qui confirmatur sit adultus corporaliter, nondum tamen est adultus spiritualiter.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, licet baptizatus sit effectus membrum Ecclesiae, nondum tamen est adscriptus militiae Christianae. Et ideo episcopo, tanquam duci exercitus, per alium exhibetur iam militiae Christianae adscriptum. Non enim debet alium ad confirmationem tenere qui nondum est confirmatus *.

* Cf. can. *In baptismate, de Consecr.,* dist. IV.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut dicitur *Coloss.* III *, *in Christo Iesu non est masculus neque femina.* Et ideo non differt utrum masculus vel femina teneat aliquem in confirmatione.

* *Ad Galat.,* cap. III, vers. 28. - Cf. *ad Coloss.,* cap. III, vers. 11.

α) *Ergo... confirmationem.* – P; *Ergo mulier non debet aliquem tenere quando confirmatur* E, *Ergo non a muliere sed a viro debet confirmandus teneri* sI, om. ceteri.
β) *conversationem.* – *conservationem* P, *confirmationem* F.
γ) *obtemperabamus eis.* – *reverebamur eos* P.
δ) *a quibus.* – PHc; *quibus.*
ε) *pugna.* – *spirituali* addunt F et tertia.
ζ) *Similiter.* – sI *a* et editiones; *Simul.*
η) *spiritualiter.* – EFsB et tertia praeter I; om. I, *spiritualis* ceteri. – Pro *et puer, ut puer* ed. *a.*

ARTICULUS UNDECIMUS

UTRUM SOLUS EPISCOPUS HOC SACRAMENTUM CONFERRE POSSIT

Supra, qu. LXV, art. 3, ad 3; IV *Sent.,* dist. II, qu. II, art. 4, ad 1; dist. VII, qu. III, art. 1; dist. XIII, qu. I, art. 1, q[a] 2, ad 2; dist. XXV, qu. I, art. 1; IV *Cont. Gent.,* cap. LX; Opusc. V, p. II, *De Eccl. Sacram.; Quodl.* XI, qu. VII.

AD UNDECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non solus episcopus hoc sacramentum conferre possit. Gregorius enim, scribens Ianuario Episcopo *, dicit: *Pervenit ad nos quosdam scandalizatos fuisse quod presbyteros chrismate tangere eos qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem usum nostrae Ecclesiae fecimus: sed si omnino hac de re* [α] *aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus* [β]. Sed illud quod pertinet ad necessitatem sacramentorum, non est propter vitandum scandalum immutandum. Ergo videtur quod non sit de necessitate huius sacramenti quod ab episcopo conferatur.

* *Regist.* lib. IV, Ep. XXVI. - Cf. can. *Pervenit quoque,* dist. XCV.

2. PRAETEREA, sacramentum baptismi videtur esse maioris efficaciae quam sacramentum confirmationis: quia per baptismum fit plena remissio peccatorum et quantum ad culpam et quantum ad poenam, quod non fit in hoc sacramento. Sed simplex sacerdos ex suo officio potest tradere sacramentum baptismi: et in necessitate quilibet, etiam non ordinatus, potest baptizare. Ergo non est de necessitate huius sacramenti quod ab episcopo conferatur.

3. PRAETEREA, summitas capitis, ubi secundum medicos est locus rationis (scilicet particularis, quae dicitur virtus cogitativa), est nobilior fronte, ubi est locus imaginativae virtutis. Sed simplex sacerdos potest baptizatos chrismate ungere in vertice. Ergo multo magis potest eos chrismate signare in fronte, quod pertinet ad hoc sacramentum.

SED CONTRA EST quod Eusebius Papa dicit *: *Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest nisi a summis sacerdotibus. Nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse: nec ab aliis quam qui eorum locum tenent, unquam* [γ] *perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter praesumptum fuerit, irritum habeatur et vacuum, nec inter ecclesiastica unquam reputabitur sacramenta.* Est igitur de necessitate huius sacramenti, quod dicitur *sacra-*

* Ep. III, *ad Episcopos Tusc.* - Cf. can. *Manus quoque, de Consecr.,* dist. V.

α) *hac de re.* – PEFI; *de hac re* GH*abc, hac dicere* ceteri.
β) *concedimus.* – E*a* et tertia; *concessimus.*
γ) *unquam.* – PI; *nunquam.*

mentum manus impositionis, quod ab episcopo tradatur.

Respondeo dicendum quod in quolibet opere ultima consummatio supremae arti aut virtuti reservatur: sicut praeparatio materiae pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam, supremus autem est ad quem pertinet usus, qui est finis artificiatorum; et epistola quae a notario
δ scribitur, a domino δ signatur. Fideles autem Christi sunt quoddam divinum opus, secundum
* Vers. 9. illud 1 *Cor.* III *, *Dei aedificatio estis:* sunt etiam quasi quaedam *epistola Spiritu Dei scripta,* sicut
* Vers. 2, 3. dicitur II *Cor.* III *. Hoc autem confirmationis sacramentum est quasi ultima consummatio sacramenti baptismi: ita scilicet quod per baptismum aedificatur homo in domum spiritualem, et conscribitur quasi quaedam spiritualis epistola; sed per sacramentum confirmationis, quasi domus aedificata, dedicatur in templum Spiritus Sancti; et quasi epistola conscripta, signatur signo crucis. Et ideo collatio huius sacramenti episcopis re-
ε servatur, qui obtinent summam ε potestatem in Ecclesia: sicut in primitiva Ecclesia per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt episcopi, plenitudo Spiritus Sancti dabatur,
* Vers. 14 sqq. ** Primus. - Cf. can. *Omnes fideles de Consecr.*, dist. V. ut habetur *Act.* VIII *. Unde Urbanus Papa ** dicit: *Omnes fideles per manus impositionem episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.*

Ad primum ergo dicendum quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua ζ potest ζ quaedam quae sunt superiorum ordinum, committere inferioribus quibusdam: sicut presbyteris η concedit conferre minores ordines, quod per- η tinet ad potestatem episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit beatus Gregorius Papa quod simplices sacerdotes conferrent hoc sacramentum, quandiu scandalum tolleretur.

Ad secundum dicendum quod sacramentum baptismi est efficacius quam hoc sacramentum quantum ad remotionem mali: eo quod est spiritualis generatio θ, quae est mutatio de non esse θ in esse. Hoc autem sacramentum est efficacius ad proficiendum in bono: quia est quoddam spirituale augmentum de esse imperfecto ad esse perfectum. Et ideo hoc sacramentum digniori ministro committitur.

Ad tertium dicendum quod, sicut Rabanus dicit, in libro *de Institut. Cleric.* *, *signatur baptizatus* * Lib. I, cap. xxx. *chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per pontificem vero in fronte, ut priori unctione significetur super ipsum Spiritus Sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam* ι: *in secunda quo-* ι *que ut eiusdem Spiritus Sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis et scientiae et virtutis, venire in hominem declaretur.* Non ergo propter digniorem partem, sed propter potiorem effectum, haec unctio κ episcopis reservatur. κ

δ) *a domino.* – *papa* addunt PF*b*; 1 habet *a* sup. marg. et *dño* sup. ras.
ε) *summam.* – FsB *a* et tertia; *suam.*
ζ) *ex qua.* – Tertia; *ex quo.*
η) *presbyteris.* – *quibusdam presbyteris* IsG et editiones.
θ) *generatio.* – *regeneratio* BFG.
ι) *consecrandam.* – PpG et *a*; *conferendam.*
κ) *haec unctio.* – DE et tertia; *hic necessario* F, *hoc necessario* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulis octavo, nono, decimo et undecimo, tantummodo occurrit de ministro confirmationis, ob factum
* Art. 11, arg. 1. Gregorii *, notare quod episcopus est regulariter proprius minister confirmationis: et hoc omnia fere iura clamant. Sed ultra hoc, credimus etiam episcopum ita esse proprium ministrum huius sacramenti quod, si per simplicem sacerdotem detur, irritum est et inane: et hoc tenetur auctoritate Melchiadis Papae, in cap. *De his,* et Eusebii Papae, in cap. *Manus, de Consecr.*, dist. V. Et cum hoc credimus etiam ex Apostolica dispensatione per simplicem sacerdotem dari posse hoc sacramentum: et hoc tenemus auctoritate beati Gregorii, in cap. *Pervenit,* XCV dist. Ita quod hoc est mirabile circa ministrum huius sacramenti, quod episcopus est ita minister proprius confirmationis quod a non-episcopo facta nulla est: et tamen ex dispensatione Apostolica non-episcopus potest illam conferre.

II. Et licet multi multa in hoc scripserint, soli tamen illi verum scripserunt qui noluerunt *sapere plus quam oportet* *: in istis enim Sanctorum auctoritas praeponenda * *Ad Rom.*, cap. XII, vers. 3. est rationi. Unde etiam legimus in Concilio universali Florentiae, sub Eugenio IV, utrumque Armenis authentice expositum, cum de hoc sacramento fuerunt instructi, ut patet in litteris Eugenii *. Unde et Auctor rationem conatus est * *Decret. pro Armen.* reddere ex differentia inter Papam et alios episcopos quoad eminentiam potestatis: quia Papa in plenitudinem assumptus est potestatis, reliqui autem in partem sollicitudinis. In dicta autem Synodo nulla redditur ratio nisi dispensatio Apostolicae Sedis ex rationali et urgente causa. Quod ideo dixerim ut ratio ab Auctore reddita non parvi fiat, sed cum veneratione suscipiatur, tanquam amplexa a sacro Concilio, attribuente hoc dispensationi Apostolicae Sedis: constat enim dispensare in huiusmodi ad maximam spectare potestatem.

ARTICULUS DUODECIMUS

UTRUM RITUS HUIUS SACRAMENTI SIT CONVENIENS

IV *Sent.*, dist. VII, Expos. litt.


Ad duodecimum sic proceditur. Videtur quod ritus huius sacramenti non sit conveniens. Sacramentum enim baptismi est maioris necessitatis quam hoc sacramentum, ut supra * dictum est. Sed bapti- * Art. 2, ad 4; qu. LXV, art. 3, 4. smo deputantur certa tempora, scilicet Pascha et Pentecoste. Ergo etiam huic sacramento aliquod certum tempus debet praefigi.

2. Praeterea, sicut hoc sacramentum requirit devotionem et dantis et recipientis, ita etiam et sacramentum baptismi. Sed in sacramento baptismi non requiritur quod a ieiunis sumatur vel conferatur. Ergo videtur inconvenienter statutum in Aurelianensi Concilio * *ut ieiuni ad confirmationem veniant;* et in Concilio Meldensi * *ut episcopi non nisi ieiuni per impositionem manus Spiritum Sanctum tradant.*

* Cf. art. 7, ad 2.
* Can. *Ut episcopi, de Consecr.*, dist. V.

3. Praeterea, chrisma est quoddam signum plenitudinis Spiritus Sancti, ut supra * dictum est. Sed plenitudo Spiritus Sancti data est fidelibus Christi in die Pentecostes, ut habetur *Act.* II *. Magis ergo deberet chrisma confici et benedici in festo Pentecostes quam in Cena Domini.

* Art. 2.
* Vers. 1.

Sed contra est usus Ecclesiae, quae a Spiritu Sancto gubernatur.

Respondeo dicendum quod Dominus, Matth. XVIII *, fidelibus suis promisit dicens: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et ideo firmiter tenendum est quod ordinationes Ecclesiae dirigantur secundum sapientiam Christi. Et propter hoc certum esse debet ritus quos Ecclesia observat in hoc et in aliis sacramentis, esse convenientes.

* Vers. 20.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Melchiades Papa dicit *, *ita coniuncta sunt haec duo sacramenta*, scilicet baptismi et confirmationis, *ut ab invicem nisi morte praeveniente nullatenus possint* [α] *segregari, et unum sine altero rite perfici non possit.* Et ideo eadem tempora sunt praefixa baptismo solemniter celebrando et huic sacramento. Sed quia hoc sacramentum a solis episcopis datur, qui non sunt semper praesentes ubi presbyteri baptizant, oportuit, quantum ad communem usum, sacramentum confirmationis etiam in alia tempora differri.

* Epist. *ad Episcopos Hispan.* - Cf. can. *De his, de Consecr.*, dist. V.

Ad secundum dicendum quod ab illa prohibitione *excipiuntur infirmi et morte periclitantes:* sicut in statuto Meldensis Concilii legitur. Et ideo, propter multitudinem fidelium, et propter pericula imminentia, sustinetur ut hoc sacramentum, quod non nisi ab episcopis dari potest, etiam a non ieiunis detur vel accipiatur: quia unus episcopus, praecipue in magna dioecesi, non sufficeret ad omnes [β] confirmandos, si ei tempus arctaretur. Ubi tamen congrue observari potest, convenientius est ut a ieiunis detur et accipiatur *.

* D. 380.

Ad tertium dicendum quod, sicut ex Concilio Martini Papae * habetur, *omni tempore licebat chrisma conficere.* Sed quia solemnis baptismus, ad quem requiritur usus chrismatis, in vigilia Paschae celebratur, congrue ordinatum est * ut per biduum ante ab episcopo chrisma benedicatur, ut possit per dioecesim destinari. – Dies etiam ille satis congruit ad materias sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistiae sacramentum institutum, ad quod omnia alia sacramenta quodammodo ordinantur, sicut dictum est *.

* Cap. LI inter capp. Martini Bracarensis. - Cf. can. *Omni temp., de Consecr.*, dist. IV.
* Cf. can. *Litteris vestris., de Consecr.*, dist. III.
* Qu. LXV, art. 3.

α) *possint.* – Editiones et *a*; *possit* E, *possent* I, *possunt* ceteri. – *possit* P; *potest.*

β) *omnes.* – F; *tot homines* PI, *homines* ceteri. – Pro *ei*, *eis* PHc, *eni* *b*.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo duodecimo hoc solum videtur dicendum, quod circa ieiunium tam confirmatoris quam confirmandi servanda videtur cuiusque ecclesiae consuetudo: hoc enim est de iure positivo. Et in paucis forte ecclesiis servatur, propter causas in littera allegatas: multitudinem scilicet confirmandorum, quos simul oportet confirmari, et separatim quandoque propter continuum periculum incertae mortis; adiuncta maxima incommoditate habendi episcopum ad votum.



QUAESTIO SEPTUAGESIMATERTIA

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE

IN SEX ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LXVI, Introd.
* Qu. LXXIV.
* Qu. LXXVIII.
α
** Qu. LXXIX.
* Qu. LXXX.
* Qu. LXXXII.
** Qu. LXXXIII.

CONSEQUENTER considerandum est de sacramento Eucharistiae *. Et primo, de ipso sacramento; secundo, de materia *; tertio, de forma *; quarto, de effectu [α] **; quinto, de recipientibus hoc sacramentum *; sexto, de ministro *; septimo, de ritu **.
Circa primum quaeruntur sex.

Primo: utrum Eucharistia sit sacramentum.
Secundo: utrum sit unum vel plura.
Tertio: utrum sit de necessitate salutis.
Quarto: de nominibus eius.
Quinto: de institutione ipsius.
Sexto: de figuris eius.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM EUCHARISTIA SIT SACRAMENTUM

Supra, qu. LXV, art. 1; infra, qu. LXXIX, art. 5, 7; IV *Sent.*, dist. VIII, qu. 1, art. 1, qu[a] 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LXI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. v.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Eucharistia non sit sacramentum. Ad idem enim non debent ordinari duo sacramenta: quia unumquodque sacramentum efficax est ad suum effectum producendum. Cum ergo ad perfectionem ordinetur confirmatio et Eucharistia, ut Dionysius dicit, IV cap. * *Eccl. Hier.*, videtur Eucharistia non esse sacramentum: cum confirmatio sit sacramentum, ut prius * habitum est.

* Et cap. II.
* Qu. LXV, art. 1; qu. LXXII, art. 1.

2. PRAETEREA, in quolibet sacramento novae legis id quod visibiliter subiicitur sensui, efficit invisibilem effectum sacramenti: sicut ablutio aquae causat et characterem baptismalem et ablutionem spiritualem, ut supra * dictum est. Sed species panis et vini, quae subiiciuntur sensui in hoc sacramento, non efficiunt neque ipsum corpus Christi verum, quod est res et sacramentum, neque corpus mysticum, quod est res tantum in Eucharistia *. Ergo videtur quod Eucharistia non sit sacramentum novae legis.

* Qu. LXIII, art. 6; qu. LXVI, art. 1, 3, 7.
* Mag. IV *Sent.*, dist. VIII, cap. *Nunc quid ibi.* - Cf. cap. *Cum Marthae, de Celebr. Miss.*

3. PRAETEREA, sacramenta novae legis habentia materiam in usu materiae perficiuntur: sicut baptismus in ablutione, et confirmatio in chrismatis consignatione. Si ergo Eucharistia sit sacramentum, perficeretur in usu materiae, non in consecratione ipsius materiae. Quod patet esse falsum: quia forma huius sacramenti sunt verba quae in consecratione materiae dicuntur, ut infra * patebit. Ergo Eucharistia non est sacramentum.

* Qu. LXXVIII, art. 1.

SED CONTRA EST quod in collecta * dicitur: *Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad poenam.*

* *Pro viv. et def.* ad Postcommun.

RESPONDEO DICENDUM quod sacramenta Ecclesiae ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali. Vita autem spiritualis vitae corporali conformatur: eo quod corporalia spiritualium similitudinem gerunt. Manifestum est autem quod, sicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, et augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitae; ita etiam requiritur alimentum, quo homo conservatur in vita. Et ideo, sicut ad vitam spiritualem oportuit esse baptismum, qui est spiritualis generatio [β], et confirmationem, quae est spirituale augmentum; ita oportuit esse sacramentum Eucharistiae, quod est spirituale alimentum. β

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod duplex est perfectio. Una quae est in ipso homine, ad quam perducitur per augmentum. Et talis perfectio competit confirmationi. – Alia autem est perfectio quam homo consequitur ex adiunctione [γ] cibi vel indumenti, vel alicuius huiusmodi. Et talis perfectio competit Eucharistiae, quae est spiritualis refectio. γ

AD SECUNDUM DICENDUM quod aqua baptismi non causat aliquem spiritualem effectum propter ipsam aquam, sed propter virtutem Spiritus Sancti in aqua existentem: unde Chrysostomus dicit *, super illud Ioan. v *, *Angelus Domini secundum tempus* etc.: *In baptizatis non simpliciter aqua operatur: sed, cum Spiritus Sancti susceperit gratiam, tunc omnia solvit peccata* [δ]. Sicut autem se habet virtus Spiritus Sancti ad aquam baptismi, ita se habet corpus Christi verum ad species panis et vini. Unde species panis et vini non efficiunt aliquid nisi virtute corporis Christi veri. δ

* Hom. XXXVI, aliter XXXV, *in Ioan.*
* Vers. 4.

AD TERTIUM DICENDUM quod sacramentum dicitur ex eo quod continet aliquid sacrum. Potest autem aliquid esse sacrum dupliciter: scilicet absolute, et in ordine ad aliud. Haec est autem differentia inter Eucharistiam et alia sacramenta

---

α) *effectu.* – *effectibus* P.
β) *generatio.* – *regeneratio* AFGpC et *bc.*
γ) *adiunctione.* – *alicuius extrinseci hominem conservantis puta ex adiunctione* addunt PFl, et E praeter tria ultima verba; idem addunt *bc,* sed ante *quam homo.*
δ) *peccata.* – FsCE *a* et tertia; *peccatum peccata* pE, om. ceteri. – *autem* Pl; om. H, *enim* ceteri.

habentia materiam sensibilem, quod Eucharistia continet aliquid sacrum absolute, scilicet ipsum Christum: aqua vero baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud, scilicet virtutem ad sanctificandum, et eadem ratio est de chrismate et similibus. Et ideo sacramentum Eucharistiae perficitur in ipsa consecratione materiae: alia vero sacramenta perficiuntur in applicatione materiae ad hominem sanctificandum.

Et ex hoc etiam consequitur alia differentia. Nam in sacramento Eucharistiae id quod est res et sacramentum, est in ipsa materia; id autem quod est res tantum, est in suscipiente, scilicet gratia quae confertur. In baptismo autem utrumque est in suscipiente: et [ε] character, qui est res et sacramentum; et gratia remissionis peccatorum, quae est res tantum. Et eadem ratio est de aliis sacramentis. ε

ε) *et.* – *scilicet et* I et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo primo notandum occurrit, in responsione ad tertium, quod duarum differentiarum quae ibi enarrantur inter Eucharistiam et alia sacramenta habentia materiam sensibilem (quod propter poenitentiam et matrimonium dicitur), secunda differentia sumit gratiam non solum secundum seipsam, sed secundum suum effectum, qui est unitas corporis Christi mystici. Ita quod, cum audis sacramenti Eucharistiae rem tantum esse gratiam, susceptivum autem unitatem Ecclesiae aut corpus Christi mysticum, non diversa intelligas: quoniam haec omnia nihil aliud sunt quam gratia Dei in suis fidelibus.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM EUCHARISTIA SIT UNUM SACRAMENTUM VEL PLURA

Infra, qu. LXXVIII, art. 6, ad 2; IV *Sent.*, dist. VIII, qu. I, art. I, qu[a] 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Eucharistia non sit unum sacramentum, sed plura. Dicitur enim in collecta *: *Purificent nos, quaesumus, Domine, sacramenta quae sumpsimus:* quod quidem dicitur propter Eucharistiae sumptionem. Ergo Eucharistia non est unum sacramentum, sed plura.
* Pro viv. et def. ad Postcommun.

2. Praeterea, impossibile est, multiplicato genere, non multiplicari speciem: sicut quod unus
α homo sit [α] plura animalia. Sed signum est genus
* Qu. LX, art. I. sacramenti, ut supra * dictum est. Cum igitur in Eucharistia sint plura signa, scilicet panis et
β vini [β], videtur consequens esse quod sint plura sacramenta.

3. Praeterea, hoc sacramentum perficitur in
* Art. I, ad 3. consecratione materiae, sicut dictum est *. Sed in hoc sacramento est duplex materiae consecratio. Ergo est duplex sacramentum.

Sed contra est quod Apostolus dicit, I *Cor.* X *: *Unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et uno calice participamus.* Ex quo patet quod Eucharistia sit sacramentum ecclesiasticae unitatis *. Sed sacramentum similitudinem gerit rei cuius est sacramentum. Ergo Eucharistia est unum sacramentum.
* Vers. 17.
* Cf. Aug. *In Ioan. Evang.*, tract. XXVI, n. 13.

Respondeo dicendum quod, sicut dicitur V *Metaphys.* *, unum dicitur non solum quod est indivisibile vel quod est continuum, sed etiam quod
γ est perfectum: sicut cum [γ] dicitur una domus, et unus homo. Est autem unum perfectione ad cuius integritatem concurrunt omnia quae requiruntur ad finem eiusdem: sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis operationi [δ] animae, et domus ex partibus quae sunt necessariae ad inhabitandum. Et sic hoc sacramentum dicitur unum. Ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quae corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur: scilicet cibus, qui est alimentum siccum; et potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem huius sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus et spiritualis potus: secundum illud Ioan. VI *: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Ergo hoc sacramentum multa quidem materialiter est, sed unum formaliter et perfective. δ * Vers. 56.
* S. Th. lect. VII, VIII. - Did. lib. IV, cap. VI.

Ad primum ergo dicendum quod in collecta eadem et pluraliter dicitur primo, *Purificent nos sacramenta quae sumpsimus;* et postea singulariter subditur, *Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad poenam:* ad ostendendum quod hoc sacramentum quodammodo est multa, simpliciter autem unum.

Ad secundum dicendum quod panis et vinum materialiter quidem sunt plura signa, formaliter vero et perfective unum, inquantum ex eis perficitur una refectio.

Ad tertium dicendum quod ex hoc quod est duplex consecratio huius [ε] sacramenti, non potest plus haberi nisi quod hoc sacramentum materialiter est multa, ut dictum est *. ε * In corpore.

α) *sit.* – Tertia et *a*; *sint.*
β) *vini.* – *vinum* PIc.
γ) *cum.* – CFGHc; *etiam cum* Aa, *et cum* BDE, *unum b*, om. PI; *a* mutat *unus homo et una domus.*
δ) *operationi.* – *operationis* I, *ad operationem* F et cetera tertia. Pro *ex partibus*, *integratur ex partibus* (*omnibus partibus* P) tertia.
ε) *huius.* – *materiae* H, *materiae huius* cetera tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In secundo articulo, adverte sacramentum Eucharistiae dici multa materialiter, non ea ratione quod multitudo in eo sit pure materialis: quoniam partes eius habent suas proprias formas et suas proprias materias, ut patet de hostia et calice; sunt enim vel partes heterogeneae: – sed quia huiusmodi multa se habent ut integrantia unum, quod est refectio spiritualis, a cuius formali unitate unum sacramentum dicitur Eucharistia, significans et corpus et sanguinem Christi sub specie cibi et potus. Quocirca non est hic requirenda res aliqua extrinseca, quae integretur, velut quaedam tertia res, ex corpore et sanguine Christi sub speciebus panis et vini, sicut domus integratur ex suis partibus: sed ad finem respiciendum est, et ex unitate finis proprii, qui est spiritualis refectio, unitas sumitur sacramenti; sicut ex unitate refectionis corporalis sumitur unitas prandii aut cenae. Nec ista significatio per accidens se habet ad huius sacramenti rationem. Nam corpus sub specie cibi, et sanguis sub specie potus, significant pasci et potari: ac per hoc, utrumque simul, velut perfectum alimentum, signum est totale perfectae refectionis spiritualis.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM HOC SACRAMENTUM SIT DE NECESSITATE SALUTIS

Infra, qu. LXXX, art. 11; IV *Sent.*, dist. IX, art. 1, qu^a 2; dist. XII, qu. III, art. 2, qu^a 1, ad 1; *In Ioan.*, cap. VI, lect. VII.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum sit de necessitate salutis. Dicit enim Dominus, Ioan. VI *: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sed in hoc sacramento manducatur caro Christi et bibitur sanguis eius. Ergo sine hoc sacramento non potest homo habere salutem spiritualis vitae.

* Vers. 54.

2. Praeterea, hoc sacramentum est quoddam spirituale alimentum. Sed alimentum corporale est de necessitate corporalis salutis. Ergo etiam hoc sacramentum est de necessitate salutis spiritualis.

3. Praeterea, sicut baptismus est sacramentum Dominicae passionis, sine qua non est salus, ita et Eucharistia: dicit enim Apostolus, I *Cor.* XI *: *Quotiescumque manducaveritis panem hunc et calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Ergo, sicut baptismus est de necessitate salutis, ita hoc sacramentum.

* Vers. 26.

Sed contra est quod scribit Augustinus Bonifacio, *contra Pelagianos* *: *Nec id cogitetis, parvulos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis et sanguinis Christi.*

* Lib. I, cap. XXII.

Respondeo dicendum quod in hoc sacramento duo est considerare: scilicet ipsum sacramentum, et rem sacramenti. Dictum est autem * quod res sacramenti [α] est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus: nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam, sicut nec in diluvio absque arca Noe, quae significat Ecclesiam, ut habetur I *Petr.* III *. Dictum est autem supra ** quod res alicuius sacramenti haberi potest ante perceptionem sacramenti, ex ipso voto sacramenti percipiendi. Unde ante perceptionem huius sacramenti, potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc sacramentum: sicut et ante baptismum ex voto baptismi, ut supra * dictum est.

* Art. 1, arg. 2; art. 2, arg. *Sed cont.*
* Vers. 20, 21.
** Qu. LXVIII, art. 2.
* Ibid.

Tamen est differentia quantum ad duo. Primo quidem, quia baptismus est principium spiritualis vitae, et *ianua sacramentorum.* Eucharistia vero est quasi *consummatio* spiritualis vitae, et *omnium sacramentorum finis,* ut supra * dictum est: per sanctificationes enim omnium sacramentorum fit praeparatio ad suscipiendam vel consecrandam Eucharistiam. Et ideo perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam, perceptio autem Eucharistiae est necessaria ad consummandam ipsam: non ad hoc quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut et finis habetur in desiderio et intentione.

* Qu. LXIII, art. 6. – Cf. qu. LXV, art. 3.

Alia differentia est, quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam. Et ideo ex hoc ipso quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam. Et sic, sicut ex fide Ecclesiae credunt, sic ex intentione Ecclesiae desiderant Eucharistiam: et per consequens recipiunt rem ipsius. Sed ad baptismum non ordinantur per aliud praecedens sacramentum. Et ideo, ante susceptionem baptismi, non habent pueri aliquo modo baptismum in voto, sed soli adulti. Unde rem sacramenti percipere non possunt sine perceptione sacramenti. Et ideo hoc sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis sicut baptismus.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Augustinus dicit *, exponens illud verbum Ioannis: *Hunc cibum et potum,* scilicet carnis suae et sanguinis, *societatem vult intelligi* [β] *corporis et membrorum suorum, quod est Ecclesia, in praedestinatis et vocatis et iustificatis et glorificatis sanctis et fidelibus eius.* Unde, sicut ipse dicit, in Epistola *ad Bonifacium* *, *nulli est aliquatenus ambigendum tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur: nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si, antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.*

* *In Ioan. Evang.* tract. XXVI, n. 15.
* Pseudo-Beda, Comment. in I *ad Cor.*, cap. X, vers. 17. – Cf. can. *Nulli est*, *de Consecrat.*, dist. IV.

Ad secundum dicendum quod haec est differentia inter alimentum corporale et spirituale, quod alimentum corporale convertitur in substantiam eius qui nutritur: et ideo non potest homini

α) *sacramenti.* – *huius sacramenti* PI.

β) *vult intelligi.* – PsE; *vel intelligi* IpE et *c*, *vel intelligibilis* ceteri.

valere ad vitae conservationem alimentum corporale nisi realiter sumatur. Sed alimentum spirituale convertit hominem in seipsum: secundum illud quod Augustinus dicit, in libro *Confess.* *, quod quasi audivit vocem Christi dicentis γ: *Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae: sed tu mutaberis in me.* Potest autem aliquis in Christum δ mutari et ei incorporari voto mentis, etiam sine huius sacramenti perceptione. Et ideo non est simile.

* Lib. VII, cap. x.

Ad tertium dicendum quod baptismus est sacramentum mortis et passionis Christi prout homo regeneratur in Christo virtute passionis eius. Sed Eucharistia est sacramentum passionis Christi prout homo perficitur in unione ad Christum passum. Unde, sicut baptismus dicitur *sacramentum fidei* *, quae est fundamentum spiritualis vitae *; ita Eucharistia dicitur *sacramentum caritatis*, quae est *vinculum perfectionis*, ut dicitur *Coloss.* III *.

* Cf. qu. xxxix, art. 5; qu. lxvi, art. 1, ad 1.
* D. 601.
* Vers. 14.

γ) *dicentis.* – *sibi* addunt PIsG et c.

δ) *Christum.* – PEFIc; *Christo.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat. – In corpore, primo distinctio ponitur bimembris; secundo, respondetur quaesito iuxta utrumque membrum.

Distinctio est. Duo sunt in sacramento Eucharistiae: scilicet sacramentum, et res sacramenti.

Responsio consistit in tribus conclusionibus: quarum duae primae ad secundum membrum, tertia autem ad primum spectat distinctionis membrum. Prima conclusio est: *Sacramentum Eucharistiae, quoad rem sacramenti, est de necessitate salutis.* Probatur. Res sacramenti est unitas corporis Christi mystici, sine qua non potest esse salus. Ergo. – Antecedens, pro secunda parte, declaratur ex similitudine Ecclesiae ad arcam Noe. Et similitudo probatur auctoritate Petri Apostoli.

Secunda conclusio est: *Ante perceptionem sacramenti Eucharistiae, potest haberi res sacramenti Eucharistiae, ac per hoc salus.* Probatur dupliciter. Primo, ex universali regula: Ex voto sacramenti potest haberi res sacramenti. – Secundo, ex simili accidente in baptismo.

Tertia conclusio est: *Sacramentum Eucharistiae non hoc modo est de necessitate salutis sicut baptismus.* Probatur dupliciter: ex duplici scilicet dissimilitudine Eucharistiae ad baptismum. Prima consistit in hoc, quod perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam vitam spiritualem; perceptio vero Eucharistiae est necessaria ad consummandam vitam spiritualem. Ergo ille est necessarius ut principium, haec ut finis, scilicet in voto. – Secunda consistit in hoc. Baptismus non potest haberi in voto per aliud sacramentum: Eucharistia potest haberi in voto per aliud sacramentum. Ergo pueri non possunt habere rem sacramenti baptismi sine perceptione sacramenti baptismi: possunt autem habere rem sacramenti Eucharistiae absque perceptione sacramenti Eucharistiae.

II. Adverte hic primo, quod harum rationum prima, quae attenditur penes differentiam inter habere se ut principium et habere se ut finis, ad hoc tendit quod baptismus suapte natura est necessarius secundum actualem ipsius exhibitionem: quoniam principium secundum ordinem generationis debet esse secundum rem in esse reali exteriori. Eucharistia vero suapte natura est necessaria secundum votum: quia finis salvatur secundum esse in intentione. Ita quod quasi dicit quod baptismus per se salvat secundum eius perceptionem, et per accidens ut in voto; Eucharistia autem non solum per se salvat consummando salutem secundum ipsius perceptionem, sed etiam per se salvat ut in voto; quia ille principii, haec finis rationem habet.

III. Adverte secundo, quod secunda ratio penes modum habendi rem sacramenti attenditur: dum baptismi res dupliciter tantum haberi posse dicitur, scilicet vel percipiendo sacramentum, vel per votum proprium; res autem Eucharistiae potest tripliciter haberi, vel percipiendo sacramentum, vel per votum proprium, vel per antecedens sacramentum. Et hic ultimus modus habendi vocatur per quandam accommodationem habere rem sacramenti Eucharistiae *per votum Ecclesiae:* sicut fides puerorum vocatur *fides Ecclesiae.* Sequendo autem proprietatem sermonis, vocatur habere rem Eucharistiae *in sui initio:* quoniam sacramentum baptismi initium est spiritualis vitae.

IV. Adverte tertio, quod in littera non respondetur quaesito simpliciter et absolute, an sacramentum Eucharistiae sit necessarium ad salutem. Nam licet distinguatur, et, quoad rem sacramenti, respondeatur absolute quod est necessarium ad salutem; tamen, quoad sacramentum, non respondetur simpliciter et absolute, sed dicitur quod *non est necessarium sicut baptismus.* Verum, si perspicacius responsio haec fuerit considerata, continet responsionem absolute etiam de ipso sacramento Eucharistiae. Nam ex hoc ipso quod sacramentum Eucharistiae non est ad salutem necessarium sicut sacramentum baptismi, manifeste habetur quod, simpliciter et absolute loquendo, non est necessarium ad salutem. Et hoc attestatur parvulorum salus: quibus sine baptismi sacramento non est salus, et cum solo baptismi sacramento datur salus aeterna.

V. Adverte quarto, quod inferius, in quaestione octogesima *, tractandum est de communione infantium baptizatorum, an licita sit. Ubi etiam an debita eisdem sit, discutietur. Et ideo nunc pertransimus.

* Art. 9, Comment.

In quarto, quinto, et sexto articulis, nihil occurrit scribendum.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CONVENIENTER HOC SACRAMENTUM PLURIBUS NOMINIBUS NOMINETUR

Infra, qu. LXXIX, art. 2, ad 1; IV *Sent.*, dist. VIII, qu. I, art. 1, qu[a] 3.



Ad quartum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter hoc sacramentum pluribus nominibus nominetur. Nomina enim debent respondere rebus. Sed hoc sacramentum est unum, ut dictum est *. Ergo non debet pluribus nominibus nominari.

* Art. 2.

2. Praeterea, species non notificatur convenienter per id quod est commune toti generi. Sed Eucharistia est sacramentum novae legis. Omnibus autem sacramentis commune est quod in eis confertur gratia: quod significat nomen *Eucharistiae*, quod est idem quod *bona gratia.* Omnia etiam sacramenta remedium nobis afferunt in via praesentis vitae: quod pertinet ad rationem

viatici. In omnibus etiam sacramentis fit aliquid sacrum: quod pertinet ad rationem *sacrificii*. Et per omnia sacramenta sibi invicem fideles communicant: quod significat hoc nomen *synaxis* in graeco, vel *communio* in latino. Ergo haec nomina non convenienter adaptantur huic sacramento.

3. PRAETEREA, hostia videtur idem esse quod sacrificium. Sicut ergo non proprie dicitur sacrificium, ita nec proprie dicitur *hostia*.

SED CONTRA EST quod usus fidelium habet.

RESPONDEO DICENDUM quod hoc sacramentum habet triplicem significationem. Unam quidem respectu praeteriti: inquantum scilicet est commemorativum Dominicae passionis, quae fuit verum sacrificium, ut supra * dictum est. Et secundum hoc nominatur *sacrificium*.

* Qu. XLVIII, art. 3.

Aliam autem significationem habet respectu rei praesentis, scilicet ecclesiasticae unitatis, cui homines congregantur [α] per hoc sacramentum. Et secundum hoc nominatur *communio* vel *synaxis*: dicit enim Damascenus, IV libro *, quod *dicitur communio, quia communicamus per ipsam Christo; et quia participamus eius carne et deitate; et quia communicamus et unimur ad invicem per ipsam*.

* De Fide Orth. lib. IV, cap. XIII.

Tertiam significationem habet respectu futuri: inquantum scilicet hoc sacramentum est praefigurativum fruitionis Dei, quae erit in patria. Et secundum hoc dicitur *viaticum*: quia hoc [β] praebet nobis viam illuc perveniendi. – Et secundum hoc etiam dicitur *Eucharistia*, idest *bona gratia*: quia *gratia Dei est vita aeterna*, ut dicitur *Rom*. VI*; vel quia realiter continet Christum, qui est *plenus gratia* *.

* Vers. 23.

* Ioan. cap. I, vers. 14.

Dicitur etiam in graeco *metalepsis*, idest *assumptio*: quia, ut Damascenus dicit *, *per hoc Filii deitatem assumimus*.

* Loc. cit.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod nihil prohibet idem pluribus nominibus nominari secundum diversas proprietates vel effectus.

AD SECUNDUM DICENDUM quod id [γ] quod est commune omnibus sacramentis, attribuitur antonomastice ei, propter eius excellentiam.

AD TERTIUM DICENDUM quod hoc sacramentum dicitur *sacrificium*, inquantum repraesentat ipsam passionem Christi. Dicitur autem *hostia*, inquantum continet ipsum Christum, qui est *hostia suavitatis* [δ], ut dicitur *Ephes*. V *.

* Vers. 2.

α) *congregantur*. – *aggregantur* F et tertia.
β) *hoc*. – *haec* BC(ADI?), *hic* P.
γ) *id*. – DF et tertia; *idem*.
δ) *suavitatis*. – *salutaris* omnes.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM FUERIT CONVENIENS INSTITUTIO ISTIUS SACRAMENTI

Infra, qu. LXXXIII, art. 2, ad 3; IV *Sent*., dist. VIII, qu. I, art. 3; *De Ven. Sacram. Altaris*, cap. I; *In Matth*., cap. XXVI; I *ad Cor*., cap. XI, lect. IV, V.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non fuerit conveniens institutio istius sacramenti. Ut enim Philosophus dicit, in II *de Generat*. *, *ex eisdem nutrimur ex quibus sumus*. Sed per baptismum, qui est spiritualis regeneratio, accipimus esse spirituale: ut Dionysius dicit, II cap. *Eccles. Hier*. * Ergo per baptismum etiam nutrimur. Non ergo fuit necessarium instituere hoc sacramentum quasi spirituale nutrimentum.

* Cap. VIII, n. 4. – Continuat. Comment. s.Th., lect. VIII.

* Part. I.

2. PRAETEREA, per hoc sacramentum homines Christo uniuntur sicut membra capiti. Sed Christus est caput omnium hominum, etiam qui fuerunt ab initio mundi, ut supra * dictum est. Ergo non debuit institutio huius sacramenti differri usque ad Cenam Domini.

* Qu. VIII, art. 3, 6.

3. PRAETEREA, hoc sacramentum dicitur esse memoriale Dominicae passionis: secundum illud Matth. XXVI [α] *: *Hoc facite in meam commemorationem*. Sed *memoria est praeteritorum* *. Ergo hoc sacramentum non debuit institui ante Christi passionem.

* Luc. cap. XXII, vers. 19.
* Aristot. *de Mem. et Remin*., cap. I.

4. PRAETEREA, per baptismum aliquis ordinatur ad Eucharistiam, quae non nisi baptizatis dari debet. Sed baptismus institutus fuit post Christi passionem et resurrectionem, ut patet Matth. ult. * Ergo inconvenienter hoc sacramentum fuit ante passionem Christi institutum.

* Vers. 19. – Cf. qu. LXVI, art. 2.

SED CONTRA EST quod hoc sacramentum institutum est a Christo, de quo dicitur *Marc*. VII *: *Bene omnia fecit*.

* Vers. 17.

RESPONDEO DICENDUM quod convenienter hoc sacramentum institutum fuit in Cena, in qua scilicet Christus ultimo cum discipulis suis fuit conversatus. Primo quidem, ratione continentiae huius sacramenti. Continetur enim ipse Christus in Eucharistia sicut in sacramento. Et ideo, quando ipse Christus in propria specie a discipulis discessurus erat, in sacramentali specie seipsum eis reliquit: sicut in absentia imperatoris exhibetur veneranda eius imago. Unde Eusebius [β] * dicit: *Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis et illaturus sideribus, necesse erat ut die Cenae sacramentum corporis et sanguinis sui consecraret nobis, ut coleretur iugiter per mysterium quod semel offerebatur in pretium*.

* Auct. incert. – Cf. can. *Quia corpus, de Consecr.*, dist. II; Ep. XXXVIII inter Opp. Hieron.; Hom. IV, *de Corp. et Sang. Dom.*, in Pasch., inter Opp. Isid.

Secundo, quia sine fide passionis Christi nunquam potuit esse salus: secundum illud *Rom*. III *: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius*. Et ideo oportuit omni tempore

* Vers. 25.

α) *Matth. XXVI*. – *Luc. XXII* P; cf. qu. LXXX. art. 11. β, et in IV Sent. dist. VIII. qu. I. art. 1. sol. III.
β) *Eusebius*. – *Emesenus* addit tertia.

apud homines esse aliquod repraesentativum Dominicae passionis. Cuius in veteri quidem Testamento praecipuum sacramentum erat agnus paschalis *: unde et Apostolus dicit, I *Cor.* v **: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Successit autem ei in novo Testamento Eucharistiae sacramentum, quod est rememorativum praeteritae passionis, sicut et illud fuit praefigurativum futurae. Et ideo conveniens fuit, imminente passione, celebrato priori sacramento, novum sacramentum instituere [γ], ut Leo Papa * dicit.

* Cf. art. seq. ** Vers. 7.
* Primus. - Serm. LVIII, aliter *de Pass. Dom.* VII, cap. 1.

Tertio, quia ea quae ultimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoriae commendantur: praesertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos, ea vero ad quae magis afficimur, profundius animo imprimuntur. Quia igitur, ut beatus Alexander Papa * dicit, *nihil in sacrificiis maius esse potest quam corpus et sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est,* ideo, ut in maiori veneratione haberetur, Dominus in ultimo discessu suo a discipulis hoc sacramentum instituit. Et hoc est quod Augustinus dicit, in libro *Responsionum ad Ianuarium* *: *Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriae discipulorum, a quibus ad passionem discessurus erat.*

* Primus. - Can. *Nihil in sacrificiis, de Consecr.* dist. II.
* Lib. I, al. Ep. LIV, olim CXVIII, cap. VI.

Ad primum ergo dicendum quod *ex eisdem nutrimur ex quibus sumus,* non tamen eodem modo nobis advenientibus. Nam ea ex quibus sumus, nobis adveniunt per generationem: eadem autem, inquantum ex eis nutrimur, nobis adveniunt per manducationem. Unde et, sicut per baptismum regeneramur in Christo, ita per Eucharistiam manducamus Christum.

Ad secundum dicendum quod Eucharistia est sacramentum perfectum Dominicae passionis, tanquam continens ipsum Christum passum. Et ideo non potuit institui ante incarnationem: sed tunc habebant locum sacramenta quae erant tantum praefigurativa Dominicae passionis.

Ad tertium dicendum quod sacramentum illud fuit institutum in Cena ut in futurum esset memoriale [δ] Dominicae passionis, ea perfecta. Unde signanter dicit: *Haec quotiescumque feceritis* *, de futuro loquens.

* In Canone Missae.

Ad quartum dicendum quod institutio respondet ordini intentionis. Sacramentum autem Eucharistiae, quamvis sit posterius baptismo in perceptione, est tamen prius in intentione. Et ideo debuit prius institui.

Vel potest dici quod baptismus iam erat [ε] institutus in ipso Christi baptismo. Unde et iam aliqui ipso Christi baptismo erant baptizati, ut legitur Ioan. III *.

* Vers. 22.

γ) *imminente... instituere.* – *ut imminente... institueret* GsI et editiones. Pro *ut Leo papa dicit, unde Leo papa dicit* omnes praeter GsI; post *dicit* in BC sequitur spat. vac. duarum linearum; PF*ac,* et sC manu non antiqua, addunt: *in sermone de Coena Domini (in... Domini* om. Pc) *quod ut (quod ubi c) umbrae cederent corpori, antiqua observantia novo excluditur sacramento; hostia in hostiam transit* (*transit in hostiam* sC) *sanguis sanguine* (*sanguine sanguis* Pc) *aufertur et legalis festivitas dum mutatur impletur.* Vide Vol. XI Praef. n. 25 notam codicum Brixiensis et Ambrosiani.

δ) *memoriale.* – EFsD et tertia; *memoria* ed. *a*, *memoriae* ceteri.

ε) *erat.* – *aliqualiter erat* I, *erat aliqualiter* PsG. – A om. *Unde... baptismo.*

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM AGNUS PASCHALIS FUERIT PRAECIPUA FIGURA HUIUS SACRAMENTI

Supra, qu. LXI, art. 3, ad 3; infra, qu. LXXX, art. 10, ad 2; IV *Sent.*, dist. VIII, qu. 1, art. 2.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod agnus paschalis non fuerit praecipua figura huius sacramenti. Christus enim dicitur * *sacerdos secundum ordinem Melchisedech,* propter hoc quod Melchisedech gessit figuram sacrificii Christi, *offerens panem et vinum* *. Sed expressio similitudinis facit quod unum ab alio denominetur. Ergo videtur quod oblatio Melchisedech fuerit potissima figura huius sacramenti.

* Ps. CIX, vers. 4.
* *Gen.* cap. XIV, vers. 18.

2. Praeterea, transitus maris rubri fuit figura baptismi: secundum illud I *Cor.* x *: *Omnes baptizati sunt in nube et in mari.* Sed immolatio agni paschalis praecessit transitum maris rubri *: quem subsecutum [α] est manna *, sicut Eucharistia sequitur baptismum. Ergo manna est expressior figura huius sacramenti quam agnus paschalis.

* Vers. 2.
* *Exod.* cap. XII sqq.
* Ibid., cap. XVI.

3. Praeterea, potissima virtus huius sacramenti est quod introducit nos in regnum caelorum, sicut quoddam viaticum. Sed hoc maxime figuratum fuit in sacramento expiationis, quando *pontifex intrabat semel in anno cum sanguine in sancta sanctorum:* sicut Apostolus probat, *Heb.* IX. Ergo videtur quod illud sacrificium fuerit expressior figura huius sacramenti quam agnus paschalis.

Sed contra est quod Apostolus dicit, I *Cor.* v *: *Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.*

* Vers. 7, 8.

Respondeo dicendum quod in hoc sacramento tria considerare possumus: scilicet id quod est sacramentum tantum, scilicet panis et vinum; et id quod est res et sacramentum, scilicet corpus Christi verum; et id quod est res tantum, scilicet effectus huius sacramenti *. Quantum igitur ad id quod est sacramentum tantum, potissima figura fuit huius sacramenti oblatio Melchisedech, qui *obtulit panem et vinum* *. – Quantum autem

* Mag. IV *Sent.*, dist. VIII, cap. *Nunc quid ibi.* - Cf. cap. *Cum Marthae, de Celebr. Miss.*
* Cf. arg. 1.

α) *subsecutum.* – Tertia et *a*; *subsecutus.*

ad ipsum Christum passum, qui continetur in hoc sacramento, figurae eius fuerunt omnia sacrificia veteris Testamenti; et praecipue sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum *. – Quantum autem ad effectum, fuit praecipua eius figura manna *, quod *habebat in se omnis saporis suavitatem*, ut dicitur *Sap.* XVI *, sicut et gratia huius sacramenti quantum ad omnia reficit mentem.

* *Levit.* cap. XXIII, vers. 27. - Cf. arg. 3.
* Cf. arg. 2.
* Vers. 20.

Sed agnus paschalis quantum ad haec tria praefigurabat hoc sacramentum. Quantum enim ad primum, quia manducabatur cum panibus azymis: secundum illud *Exod.* XII *: *Edent carnes et azymos panes.* Quantum vero ad secundum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel quartadecima luna *: quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur agnus *. Quantum vero ad effectum, quia per sanguinem agni paschalis protecti sunt filii Israel a devastante angelo, et educti de Aegyptiaca servitute *. Et quantum ad hoc, ponitur figura huius sacramenti praecipua agnus paschalis: quia secundum omnia eam [β] repraesentat.

* Vers. 8.
* Ibid. vers. 6.
* Ioan. cap. I, vers. 36; *Apoc.* cap. V, vers. 6.
* *Exod.* cap. XII.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

β) *eam.* – Nempe Eucharistiam; *eum* super ras. G, *ea* I, *ipsum* P, *per eam (representatur)* F.



QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUARTA

DE MATERIA HUIUS SACRAMENTI

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de materia huius sacramenti *. Et primo, de specie materiae; secundo, de conversione panis et vini in corpus Christi *; tertio, de modo existendi corporis [α] Christi in hoc sacramento *; quarto, de accidentibus panis et vini quae in hoc sacramento remanent *. Circa primum quaeruntur octo.

* Cf. qu. LXXIII, Introd.
* Qu. LXXV.
* Qu. LXXVI.
* Qu. LXXVII.

Primo: utrum panis et vinum sint materia huius sacramenti.

Secundo: utrum ad materiam huius sacramenti requiratur determinata quantitas.

Tertio: utrum materia huius sacramenti sit panis triticeus.

Quarto: utrum sit panis azymus, vel fermentatus.

Quinto: utrum materia huius sacramenti sit vinum de vite.

Sexto: utrum sit admiscenda aqua.

Septimo: utrum aqua sit de necessitate huius sacramenti.

Octavo: de quantitate aquae quae apponitur.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM MATERIA HUIUS SACRAMENTI SIT PANIS ET VINUM

IV *Sent.*, dist. XI, qu. II, art. 1, qu[a] 1, 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LXI; *De Sacram. Altar.*, cap. IX, XXIX; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. V.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod materia huius sacramenti non sit panis et vinum. Hoc enim sacramentum perfectius debet repraesentare passionem Christi quam sacramenta veteris legis. Sed carnes animalium, quae erant materia [β] sacramentorum veteris legis, expressius repraesentant passionem Christi quam panis et vinum. Ergo materia huius sacramenti magis debent esse carnes animalium quam panis et vinum.

2. PRAETEREA, hoc sacramentum est ubique celebrandum. Sed in multis terris non invenitur panis, et in multis [γ] non invenitur vinum. Ergo panis et vinum non est conveniens materia huius sacramenti.

3. PRAETEREA, hoc sacramentum competit sanis et infirmis. Sed vinum nocet quibusdam infirmis. Ergo videtur quod vinum non debeat esse materia huius sacramenti.

SED CONTRA est quod Alexander Papa * dicit: *In sacramentorum oblationibus panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur.*

* Primus. Ep. I, *ad Omnes Orthodox.* - Cf. can. *In sacramentorum, de Consecr.*, dist. II.

RESPONDEO DICENDUM quod circa materiam huius sacramenti aliqui multipliciter erraverunt. Quidam enim, qui dicuntur *Artotyritae,* ut Augustinus dicit, in libro *de Haeresibus* *, *offerunt panem et caseum* in hoc sacramento, *dicentes a primis hominibus oblationes de fructibus terrae et ovium fuisse celebratas.* – Alii vero, scilicet Cataphrygae et Pepuziani *, *de infantis sanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi eucharistiam suam conficere perhibentur, miscendo* [δ] *eum farinae, panem inde facientes.* – Quidam vero, qui dicuntur Aquarii, aquam solam, sub specie sobrietatis, in hoc sacramento offerunt *.

* Haeres. XXVIII.
* Haeres. XXVI, XXVII.
* Haeres. LXIV.

Omnes autem hi errores, et similes, excluduntur per hoc quod Christus hoc sacramentum sub specie panis et vini instituit, sicut patet Matth. XXVI *. Unde panis et vinum sunt materia conveniens huius sacramenti. Et hoc rationabiliter. Primo quidem, quantum ad usum huius sacramenti, qui est manducatio. Sicut enim aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum spiritualis ablutionis quia corporalis ablutio communiter fit in aqua, ita panis et vinum, quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc sacramento ad usum spiritualis manducationis.

* Vers. 26 sqq.

Secundo, quantum ad passionem Christi, in qua sanguis a corpore est separatus. Et ideo in hoc sacramento, quod est memoriale Dominicae passionis, seorsum sumitur panis ut sacramentum corporis, et vinum ut sacramentum sanguinis.

Tertio, quantum ad effectum consideratum in unoquoque sumentium. Quia, ut Ambrosius dicit, super Epistolam *ad Corinthios* *, hoc sacramentum *valet ad tuitionem corporis et animae*: et ideo *caro Christi* sub specie panis *pro salute corporis, sanguis vero* sub specie vini *pro salute animae offertur* *, sicut dicitur *Levit.* XVII [ε] **, quod animalis *anima in sanguine est.*

* I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 20.
* Cf. Mag. IV *Sent.*, dist. XI, cap. *Sed quare.*
** Vers. 14.

α) *corporis.* – *corpus* omnes (*a* ponit *corpus Christi* ante *existendi*).
β) *materia.* – EGH*abc*; *animalia* ABC, om. D, *materiae* P; FI legunt: *Sed animalia occisa quae offerebantur in* (*in* om. I) *sacrificio veteris legis.*
γ) *multis.* – *multis terris* EGH*bc*, *aliquibus* PI.
δ) *miscendo.* – *miscentes* P; pro *panem*, *panemque* tertia.
ε) *Levit. XVII.* – P; *Genes. X.* – Pro *animalis anima*, *anima animalis* F et tertia praeter P, quae *anima carnis.*

Quarto, quantum ad effectum respectu totius Ecclesiae, quae constituitur ex diversis fidelibus, sicut *panis conficitur ex diversis granis, et vinum fluit ex diversis uvis:* ut dicit Glossa * super illud I *Cor.* x *, *Multi unum corpus sumus,* etc.

* Aug. *In Ioan. Evangel.*, tract. XXVI. - Cf. Gloss. Ord.
* Vers. 17.

Ad primum ergo dicendum quod, licet carnes animalium occisorum expresse ζ repraesentent Christi passionem, tamen minus competunt ad communem usum huius sacramenti, et ad ecclesiasticam unitatem significandam.

Ad secundum dicendum quod, licet non in omnibus terris nascatur triticum et vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri potest quantum sufficit ad usum huius sacramenti. Nec propter defectum alterius, est unum tantum sine altero consecrandum: quia non esset perfectum sacrificium η.

Ad tertium dicendum quod vinum in modica quantitate sumptum non potest aegrotanti multum nocere. Et tamen, si nocumentum timeatur, non est necesse quod omnes accipientes corpus Christi, etiam sanguinem accipiant, ut infra * dicetur.

* Qu. LXXX, art. 12.

ζ) *expresse.* – *expressius* Ea et tertia.

η) *sacrificium.* – *sacramentum* E et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo primo, in responsione ad secundum, habes quid sentiat Auctor de casu illo si alicubi non inveniretur vinum, an esset solus panis consecrandus. Tenet enim partem negativam: eo quod perfectio sacramenti * praeponenda est reliquis necessitatibus. Unde et inferius * etiam dicetur quod perfectio sacramenti tantae est necessitatis ut etiam bis in eadem missa quandoque oporteat sumere corpus Christi.

* Cf. not. η.
* Qu. LXXXIII, art. 6, ad 4.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM REQUIRATUR DETERMINATA QUANTITAS PANIS ET VINI AD MATERIAM HUIUS SACRAMENTI

IV *Sent.*, dist. XI, qu. II, art. 1, qu^a 3.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod requiratur determinata quantitas panis et vini ad materiam huius sacramenti. Effectus enim gratiae non sunt minus ordinati quam effectus naturae. Sed, sicut dicitur in II *de Anima* *, *omnium natura constantium positus est terminus et ratio magnitudinis et augmenti.* Ergo multo magis in hoc sacramento, quod dicitur *Eucharistia,* idest *bona gratia,* requiritur determinata quantitas panis et vini.

* Cap. IV, n. 8. - S. Th. lect. VIII.

2. Praeterea, ministris Ecclesiae non est a Christo data potestas ad ea quae pertinent ad irrisionem fidei et sacramentorum eius: secundum illud II *Cor.* x *: *Secundum potestatem quam dedit mihi Deus in aedificationem, et non in destructionem.* Sed hoc esset ad irrisionem sacramenti, si sacerdos vellet consecrare totum panem qui venditur in foro, et totum vinum quod est in cellario. Ergo hoc facere non potest.

* Vers. 8.

3. Praeterea, si aliquis baptizetur in mari, non tota aqua maris sanctificatur per formam baptismi, sed sola illa aqua qua corpus baptizati abluitur. Ergo nec in hoc sacramento superflua quantitas panis α consecrari potest.

Sed contra est quod multum opponitur pauco, et magnum parvo. Sed nulla est ita parva quantitas panis aut vini quae non possit consecrari. Ergo nulla est ita magna quae consecrari non possit.

Respondeo dicendum quod quidam * dixerunt quod sacerdos non posset consecrare immensam quantitatem panis aut vini, puta totum panem qui venditur in foro, aut totum vinum quod est in dolio. Sed hoc non videtur esse verum. Quia in omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiae sumitur ex ordine ad finem: sicut materia serrae est ferrum, ut sit apta sectioni. Finis autem huius sacramenti est usus fidelium. Unde oportet quod quantitas materiae huius sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium. Non autem potest esse quod determinetur per comparationem β ad usum fidelium qui nunc occurrunt: alioquin sacerdos habens paucos parochianos, non posset consecrare multas hostias. Unde relinquitur quod materia huius sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium absolute. Numerus autem fidelium est indeterminatus. Unde non potest dici quod quantitas materiae huius sacramenti sit determinata.

* Hal. *Summ.* p. IV, qu. X, memb. IV, art. 2, § 6, qu^a 3; S. Bonav. IV *Sent.*, dist. X, p. II, art. 1, qu. 4; Petr. Tarantas. IV *Sent.*, dist. X, qu. 4, art. 2.

Ad primum ergo dicendum quod cuiuslibet rei naturalis materia accipit determinatam quantitatem secundum comparationem ad formam determinatam. Sed numerus fidelium, ad quorum usum ordinatur hoc sacramentum, est indeterminatus γ. Unde non est simile.

Ad secundum dicendum quod potestas ministrorum Ecclesiae ad duo ordinatur: primo quidem, ad effectum proprium; secundo, ad finem effectus. Secundum autem non tollit primum. Unde, si sacerdos intendat consecrare corpus Christi propter aliquem malum finem, puta ut irrideat

α) *panis.* – *et vini* addit tertia, om. *a.*

β) *per comparationem.* – Om. tertia (sed I om. *Non autem... fidelium*).

γ) *est indeterminatus.* – (*non* P) *est determinatus* DpG et editiones, *est interminatus* sE.

vel veneficia faciat, propter intentionem mali finis peccat, nihilominus tamen, propter potestatem sibi datam, perficit sacramentum.

Ad tertium dicendum quod baptismi sacramentum perficitur in usu materiae. Et ideo per formam baptismi non plus de aqua sanctificatur quam quantum venit in usum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiae. Et ideo non est simile.

Commentaria Cardinalis Caietani

In secundo articulo, adverte quod aliud est loqui de determinata quantitate materiae: et aliud, de praesentia eiusdem. In littera siquidem dicitur non esse determinatam quantitatem: sed non dicitur similiter de praesentia. Et hoc pro tanto dictum sit ut non putetur idem aut simile iudicium de praesentia, et de quantitate. Nam in utraque forma Eucharistiae mentio fit de praesentia per pronomen *hoc* seu *hic*: et propterea oportet praesentem esse materiam consecrandam. De quantitate vero non fit mentio.

Quamvis locus sit dubitationi quoad quantitatem vini: quia de quantitate eius fit mentio in forma consecrationis, dum dicitur, *Hic est calix;* oportet enim vinum contineri in calice, ac per hoc, quantitatem eius calicem non excedere. Sed hoc non cogit. Quoniam potest sacerdos habere coram se multos calices plenos, et simul omnes consecrare, sicut simul consecrat multas hostias. Unde ex quantitate calicis non habetur determinata quantitas.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM REQUIRATUR AD MATERIAM HUIUS SACRAMENTI QUOD SIT PANIS TRITICEUS

IV *Sent.*, dist. XI, qu. II, art. 2, qu^a 1, 2; dist. XIX, qu. I, art. 2, qu^a 3, ad 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIX; *De Sacram. Altar.*, cap. X.

D tertium sic proceditur. Videtur quod non requiratur ad materiam huius sacramenti quod sit panis triticeus. Hoc enim sacramentum est rememorativum Dominicae passionis. Sed magis videtur esse consonum Dominicae passioni panis hordeaceus, qui est asperior, et de quo etiam [α] turbas pavit in monte, ut dicitur Ioan. VI * [* Vers. 9 sqq.], quam panis triticeus. Ergo non est propria materia huius sacramenti panis triticeus.

2. Praeterea, figura est signum speciei in rebus naturalibus. Sed quaedam frumenta sunt quae habent similem figuram grano tritici, sicut far et spelta: de qua etiam in quibusdam locis panis conficitur ad usum huius sacramenti. Ergo panis triticeus non est propria materia huius sacramenti.

3. Praeterea, permixtio speciem solvit. Sed vix invenitur farina triticea quae alterius frumenti permixtionem non habeat: nisi forte electis [β] granis studiose fiat. Non ergo videtur quod panis triticeus sit propria materia huius sacramenti.

4. Praeterea, illud quod est corruptum, videtur esse alterius speciei. Sed aliqui conficiunt ex pane corrupto, qui iam non videtur esse panis triticeus. Ergo videtur quod talis panis non sit propria materia huius sacramenti.

Sed contra est quod in hoc sacramento continetur Christus, qui se grano frumenti comparat, Ioan. XII * [* Vers. 24, 25.], dicens: *Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Ergo panis frumentinus [γ], sive triticeus, est materia huius sacramenti.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est * [* Art. 1; qu. LX, art. 7, ad 2.], ad usum sacramentorum assumitur talis materia quae communius apud homines in talem usum venit. Inter alios autem panes communius [δ] homines utuntur pane triticeo: nam alii panes videntur esse introducti in huius panis defectum. Et ideo Christus creditur in huius panis specie hoc sacramentum instituisse. Qui [ε] etiam panis confortat hominem: et ita convenientius significat effectum huius sacramenti. Et ideo propria materia huius sacramenti est panis triticeus.

Ad primum ergo dicendum quod panis hordeaceus competit ad significandum duritiem veteris legis. Tum propter duritiem panis. Tum quia etiam, ut Augustinus dicit, in libro *Octogintatrium Quaestionum* * [* Qu. LXI.], *hordei medulla, quae tenacissima palea tegitur, vel ipsam legem significat, quae ita data erat ut in ea vitale animae alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur: vel ipsum populum, nondum exspoliatum carnali desiderio, quod tanquam palea cordi eius inhaerebat.* Hoc autem sacramentum pertinet ad *suave iugum* * [* Matth. cap. XI, vers. 30.] Christi, et ad veritatem iam manifestatam, et ad populum spiritualem. Unde non esset materia conveniens huius sacramenti panis hordeaceus.

Ad secundum dicendum quod generans generat sibi simile [ζ] in specie: fit tamen aliquando aliqua dissimilitudo generantis ad genitum quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generativae. Et ideo, si qua frumenta sunt quae ex semine tritici generari possunt, sicut ex grano [η] seminato in malis terris nascitur siligo, ex tali frumento panis confectus

---

α) *etiam.* – *Christus* addit tertia. – *panis triticeus* altero loco post *Ergo* ponit P.

β) *electis.* – *de electis* E et tertia praeter I.

γ) *frumentinus.* – *frumenticeus* I, *frumenti* cetera tertia; *frumentinus sive* om. F.

δ) *apud homines... communius.* – EF et tertia (pro *apud*, *ad* Hbc; *panes communius* om. HpG; *communius* om. *c*; alteram partem *b* legit: *Inter homines alios utuntur* etc.); om. ABC; D legit: *materia qua communius homines utuntur* (*communius autem utuntur* addit margo) *homines pane triticeo;* ed. *a*: *materia qua communius homines utuntur; sed panis triticeus est talis; nam* etc.

ε) *Qui.* – FsE *a* et tertia praeter H; *Quod* ABCpE, *Quia* D, *quae* H. – Ante *confortat* F et tertia addunt *magis.*

ζ) *simile.* – PFIsD et *ac*; *similem.* – *aliquando* om. IpG et editiones.

η) *grano.* – *tritici* addit P. Cf. ι.

potest esse materia huius sacramenti. – Quod tamen non videtur habere locum neque in hordeo, neque in spelta, neque etiam in farre, quod inter omnia est grano tritici similius. Similitudo autem figurae in talibus magis videtur significare propinquitatem θ quam identitatem speciei: sicut ex similitudine figurae manifestatur quod canis et lupus sunt propinquae speciei, non autem eiusdem. Unde ex talibus frumentis, quae nullo modo possunt ex semine grani ι generari, non potest confici panis qui sit debita materia huius sacramenti.

Ad tertium dicendum quod modica permixtio non solvit speciem: quia id quod est modicum, quodammodo absumitur κ a plurimo. Et ideo, si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis qui est materia huius sacramenti. Si vero sit magna permixtio, puta ex aequo vel quasi, talis commixtio speciem mutat. Unde panis inde confectus non erit materia debita huius sacramenti.

Ad quartum dicendum quod aliquando est tanta corruptio panis quod solvitur species panis: sicut cum continuitas solvitur, et sapor et color et alia accidentia mutantur. Unde ex tali materia non potest confici corpus Christi. – Aliquando vero non est tanta corruptio quae speciem solvat, sed est aliqua dispositio ad corruptionem: quod declarat aliqualis immutatio saporis. Et ex tali pane potest confici corpus Christi: sed peccat conficiens, propter irreverentiam sacramenti.

Et quia amidum est λ ex tritico corrupto, non videtur quod panis ex eo confectus possit fieri corpus Christi: quamvis quidam contrarium * dicant.

* Cf. Alb. Magn. IV *Sent.*, dist. XII, art. 7, ad 8, et quª 3.

θ) *propinquitatem.* – Tertia; *proprietates* F, *proprietatem* ceteri.
ι) *grani.* – *grani tritici* F, *tritici* P; *Alias grani* margo P. Cf. η.
κ) *absumitur.* – F; *asumitur* D, *assumitur* scribunt ceteri. Cf. qq. VIII. art. 7. δ, LXIX. art. 3. β.
λ) *est.* – D*a* et tertia praeter I; *fit* EF, om. ABCI.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat. – In hoc articulo magna est quaestio, et satis obscura, de materia Eucharistiae quoad panem. Habet enim multas difficultates, et varias opiniones. Est siquidem difficultas prima, quam tractat Auctor in littera, propter diversitatem frumentorum. – Est et alia difficultas comparando panem ad pastam *.

Et Albertus quidem Magnus, in IV *Sent.*, dist. XII *, tenet panem ex spelta esse materiam Eucharistiae: quem sequitur Petrus de Palude *. Similiter tenet ex amido panem confectum posse consecrari *. Auctor vero tam circa amidum quam circa speltam opinatur contrarium *: sed apponit siligineum panem *, quem Albertus negare videtur *. De pasta quoque Scotus ** tenet partem negativam: ponendo tamen pastam esse eiusdem speciei cum pane, Quid autem inter tot varia tenendum sit, ad rationes oportet deducere.

II. Tria sunt fundamenta ex quibus proceditur. Primum est unitas specifica materiae. Creditur enim eiusdem speciei debere esse materiam in hoc sacramento: sicut et in ceteris invenitur. Et hinc infertur quod ex solis illis frumentis quae sunt eiusdem speciei cum tritico, potest confici panis pro hoc sacramento. Et per hanc viam processisse videntur Auctor in littera, Scotus, Durandus *, et Petrus de Palude. Habetque via haec difficultatem annexam ex illa propositione, *Generat sibi simile secundum speciem:* quoniam hac utitur ad discernendum distincta specie a tritico.

Aliud fundamentum est contrarium huic, pro quanto ponit sufficere genus proximum ad triticum: ita quod *frumentum,* quod est genus, sufficit ad conficiendum panem pro sacramento. Et hac via processit Albertus *: ponens tamen solum duas frumenti species, scilicet triticum et speltam. Habetque fundamentum aliquod in Evangelii verbis quibus Dominus se comparat *grano frumenti* *.

Tertium demum fundamentum, quod magni facit Petrus de Palude *, est auctoritas quarundam ecclesiarum quae consecrant panem confectum ex spelta. Quod etiam tangit Auctor in littera, dum, in secundo argumento, obiiciendo affert quod *de spelta in quibusdam locis panis conficitur ad usum huius sacramenti.*

III. Ad quae quidem fundamenta si libere respexerimus, nullum cogentem invenitur habere rationem, nisi ultimum, propter auctoritatem Spiritus Sancti gubernantis Ecclesiam: nam ob similes particulares consuetudines venerabiliter sustinent theologi plures sacerdotes consecrare eandem hostiam, ut inferius * patebit.

* Cf. num. IV.
* Art. 7, quª 1.
* IV *Sent.*, dist. XI, qu. 1, art. 4.
* Cf. Alb. art. cit. ad 8, et quª 3.
* Resp. ad 2, 4.
* Resp. ad 2.
* Loc. cit., quª 2, ad 2.
** IV *Sent.*, dist. XI, qu. VI, ad dub. 2.
* IV *Sent.*, dist. XI, qu. IV, art. 2.
* Loc. cit., quª 1, ad 1.
* Cf. arg. *Sed cont.*
* Loc. cit.
* Qu. LXXXII, art. 2.

Quocirca *, ex his quae fiunt colligendo universale, cum experientia probatum appareat ex tritico, ex siligine, et ex spelta panem confici pro sacramento, alia via incedendum esse reor, scilicet ex parte proximae materiae Eucharistiae. Materia enim proxima, quam ex Evangelio indubitanter habemus, est *panis,* non determinatus ad talem vel talem materiam remotam, qualis est triticum, spelta, far, etc., sed panis absolute, hoc est, sine determinatione aliqua: ita quod ex quibuscumque tanquam ex materia transeunte panis conficiatur, dummodo sit vere panis absque determinatione aliqua, potest consecrari. Dico autem *absque determinatione aliqua:* quoniam ex usu verborum hoc discerni videtur. Alterius siquidem rationis est panis qui frequenti usu sine additione aliqua vocatur panis: et alterius rationis sunt quae appellantur panes cum additione, scilicet panis hordeaceus, panis milliaceus, panis castaneaceus, et huiusmodi; isti enim sunt panes cum additione. Qui ideo cum additione proferuntur, ut intelligantur non panes, sed panes tales: sicut etiam vinum ex pomis granatis, eadem ratione, non dicitur vinum, sed vinum de malogranatis. Isti, inquam, panes tales non possunt consecrari: quia non sunt vere panes: sed a similitudine veri panis panis nomen acceperunt. Sed illi qui absolute sunt panes, quos sine additione aliqua vocamus panes, non habent unde eorum aliquis sacramento sit inhabilis.

Et si his adiunxeris quod una eadem res homogenea potest naturaliter ex diversarum specierum rebus ut materia transeunte generari, ut testatur sanguis, qui generatur ex nutrimentis tot specierum, carne, vino, pane, pisce, reliquisque cibis: apparebit quod substantia panis eiusdem speciei potest generari ex multis diversarum specierum granis tanquam ex materia transeunte; grana siquidem sunt materia transiens respectu panis, multo magis quam farinae.

Et secundum hoc, triticum ponitur propria materia panis sacramentalis, non quia solum sit illius materia, sed quia est principalis et apud omnes certa et indubitata materia. Et sic salvantur consuetudines omnium ecclesiarum.

Nec oportet ingredi difficultates inextricabiles de similitudine specifica inter generans et genitum: cum quotidie videamus tam equum quam asinum generare mulum, neutri similem in specie, sed in genere. – Nec negatur secundum hoc, unius speciei esse materiam proximam in hoc sacramento: nam panis unius ponitur speciei. – Nec oportet etiam ad *frumenti* genus recurrere: quoniam frumentum continet sub se etiam hordeum, cum significet omnia spicata habentia aristas *. – Unde ex similitudine ex verbis Do-

* *Quocirca .... ex quibusc. uvis conflatum unius ponitur speciei* (ad fin. num.) om. P.
* Dig. L, XVI, *de Verb. signif.*, 77.

mini comparantis se *grano frumenti*, argumentum efficax sumi non potest: ultra hoc quod *theologia symbolica non est argumentativa*, ut Dionysius dixit *.

* Cf. Epist. IX, *ad Titum*, § 1.

Apparet quoque via haec rationabilis et vera, ex eo quod *solvit omnes difficultates* accidentes in re, et ipsi *omnia consonant* *.

* Aristot. *Ethic.* lib. I, cap. VIII, n. 1. s. Th. lect. XII; lib. VII, cap. II, n. 12, s. Th. lect. II.

Et confirmatur hoc ex vino. Nam uvae omnes non videntur eiusdem speciei: cuius signum est quod non quaelibet ex qualibet nasci potest, sed diversarum propagationum sunt multae earum. Et tamen vinum, ex quibuscumque uvis conflatum, unius ponitur speciei.

Et haec sint dicta comparando panem ad materiam remotam.

IV. Comparando vero ad materiam proximam *, duae rationes diversas inducentes difficultates occurrunt. Prima est de identitate seu diversitate inter panem et pastam. Secunda est ex diversitate modorum coquendi pastam.

* Cf. num. I.

Obscura siquidem videtur differentia inter panem et pastam crudam. Reputat enim Scotus * probabile esse quod non differant specie: quia decoctio non facit nisi exhalationem humoris aquei; et mixtio non est ibi nisi iuxtapositio; et ex pane fit pasta si mica digitis comprimatur.

* Loc. cit.

Oppositum autem rationabilius videtur. Quoniam decoctio applicando activa passivis speciem panis facit: sicut maturatio, de agresta faciendo uvam, facit de agresta vinum. Ars enim in confectione panis non concurrit nisi applicando activa passivis: ut patet ex hoc quod forma panis est forma substantialis. Quod convincitur apud fideles ex hoc quod panis transubstantiatur in corpus Christi, et, accidentibus remanentibus, non remanet panis: qui remaneret cum reliquis accidentibus, si accidens significaret. Unde et falsum est quod, dum pasta decoquitur in clibano, fiat sola evaporatio humidi: decoctio enim digerit et generat panem. Mixtione autem aut iuxtapositione nulla opus est nova: sed prima mixtio farinae cum aqua, ex quibus confecta est pasta tanquam ex elementis ac materia transeunte, decoctione digeritur et ad terminum deducitur, panem scilicet. Nec admitto ex pane fieri pastam: sed micam mollem similem pastae.

Acceptabilior autem apparet haec positio contemplanti diversitatem specificam inter agrestam, vinum et acetum ex eisdem uvis, ob diversam caloris causalitatem. Agresta enim est succus crudus; vinum vero succus digestus; acetum autem addit excessivam supercalefactionem, ut testatur experientia, dum vinum expositum calori acescit, et cupientes acetum bonum habere ad loca calida dolium transferunt. Ex his enim apparet ex sola caloris differentia ex parte activi specificum progressum posse fieri ex parte materiae: licet non semper fiat, non enim differt specie pirum coctum a piro crudo.

Diversi vero coquendi modi, scilicet vel assando vel elixando, speciem variare non videntur. Panis siquidem elixus, ut lagana; aut frixus, quo etiam modo lagana in veteri lege offerebantur; aut assus, ut panis in clibano, et subcinericius, et hostia; eiusdem videntur speciei quoad substantiam, solaque accidentali forma differre videntur.

V. Verum in proposito videtur utrumque parvipendendum: ita quod nec ex diversitate specifica, nec ex identitate specifica sufficiens ratio habeatur. Sed, credendo quod nec pasta, nec panis nisi assus, est consecrabilis, rationem aliunde sumentes, dicimus quod, sicut in sacramento baptismi aqua a Christo est instituta, ita in Eucharistia panis: et quemadmodum ibi aqua intelligitur non solum substantia aquae, sed etiam quod sit sub forma aquae, et propterea aqua sub forma grandinis aut nivis non est materia baptismi; ita per panem intelligendus est panis et secundum substantiam et secundum formam panis. Et per hoc excluduntur quaecumque constant ex pasta cruda, et similiter quaecumque constant ex pasta elixa. Haec enim non habere formam panis, dato quod panes sint, usus testatur humanus, quo his non utimur ut pane, sed potius haec comedimus cum pane, ex hoc ipso profitentes distinctionem horum a pane. Assato autem pane solo utimur ut pane. Et propterea crediderim ipsum solum esse consecrabilem. Materia enim haec paucas habet assertiones.

Unde et Auctor in littera opinative loquitur, cum excludit speltam et amidum *: de quo *adhuc sub iudice lis est* *. Et mihi videtur dicendum ut supra **: scilicet quod, si panis confectus ex eo est absolute panis, potest consecrari. Nec obstat corruptio tritici: dicentibus aliis triticum non corrumpi tunc, sed ablui et depurari et alterari; aliis autem quod corruptio nihil officit, quoniam non est corruptio simpliciter, sed corruptio quae est via ad generationem panis; quam oportere intervenire probatur ex eo quod triticum est materia transiens respectu pastae et panis.

* Resp. ad 2, et 4.
* Horat. *De Art. Poet.*, vers. 77.
** Num. III.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM HOC SACRAMENTUM DEBEAT CONFICI EX PANE AZYMO

IV *Sent.*, dist. XI, qu. II, art. 2, qu^a 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIX; Opusc. I, *Cont. Error. Graec.*, cap. XXXII, §§ 1, 37; *In Ioan.*, cap. XIII, lect. I.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non debeat confici ex pane azymo. Debemus enim in hoc sacramento imitari institutionem Christi. Sed Christus videtur hoc sacramentum instituisse in pane fermentato: quia, sicut legitur *Exod.* XII, Iudaei secundum legem incipiebant uti azymis in die Paschae, quod celebratur quartadecima luna; Christus autem instituit hoc sacramentum in Cena, quam celebravit *ante diem* [α] *Paschae*, ut habetur Ioan. XIII *. Ergo et nos debemus hoc sacramentum celebrare in pane fermentato.

α
* Vers. 1, 4.

2. Praeterea, legalia non sunt observanda tempore gratiae. Sed uti azymis fuit quaedam legalis caeremonia: ut patet *Exod.* XII. Ergo in hoc sacramento gratiae non debemus azymis uti.

3. Praeterea, sicut supra * dictum est, Eucharistia est *sacramentum caritatis*, sicut baptismus fidei [β]. Sed fervor caritatis significatur per fermentum: ut patet in Glossa *, super illud Matth. XIII *, *Simile est regnum caelorum fermento* etc. Ergo hoc sacramentum debet confici de pane fermentato.

* Qu. LXXIII, art. 3, ad 3. - Cf. qu. LXV, art. 1.
β
* Ord.
* Vers. 33.

4. Praeterea, azymum et fermentatum sunt accidentia panis, non variantia eius speciem. Sed in materia baptismi nulla discretio adhibetur circa differentiam accidentium aquae: puta si sit salsa vel dulcis, calida vel frigida. Ergo in hoc sacramento aliqua discretio adhiberi non debet utrum panis sit azymus vel fermentatus.

Sed contra est quod Extra, *de Celebrat. Missar.*, cap. *Litteras* [γ], punitur sacerdos qui *in pane*

γ

α) *diem.* – *festum* addit tertia.
β) *fidei.* – *ut supra dictum est* addunt sC et tertia.
γ) *Litteras.* – PIsA; *per hoc litteras* H, *per litteras* ceteri.

fermentato et scypho ligneo missarum solemnia celebrare praesumpsit [δ].

Respondeo dicendum quod circa materiam huius sacramenti duo possunt considerari: scilicet quid sit necessarium, et quid conveniens. Necessarium quidem est ut sit panis triticeus, sicut dictum est *: sine quo non perficitur sacramentum. Non est autem de necessitate sacramenti quod sit azymus vel fermentatus: quia in utroque [ε] confici potest.

* Art. praeced.

Conveniens autem est ut unusquisque servet ritum suae Ecclesiae in celebratione sacramenti. Super hoc autem sunt diversae Ecclesiarum consuetudines. Dicit enim beatus Gregorius, in *Registro* *: *Romana* [ζ] *Ecclesia offert azymos panes: propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem. Sed ceterae* [η] *Ecclesiae offerunt fermentatum: pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut et fermentum miscetur farinae.* Unde, sicut peccat sacerdos in ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret presbyter graecus in ecclesia Graecorum celebrans de azymo pane, quasi pervertens Ecclesiae suae ritum.

* Cf. *Tract. cont. Error. Graecor.*, dist. III (auct. anonym. an. 1252). - Supplem. Bibliothec. PP. p. II (Lugd. 1577).

Et tamen consuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior est. Primo quidem, propter institutionem Christi, qui hoc sacramentum instituit *prima die azymorum,* ut habetur Matth. XXVI *, et Marc. XIV **, et Luc. XXII ***, qua die nihil fermentatum in domibus Iudaeorum esse debebat, ut habetur *Exod.* XII [θ] *. – Secundo, quia panis est proprie sacramentum corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est *, magis quam divinitatis ipsius, ut infra * patebit. – Tertio, quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quae requiritur ad usum huius sacramenti: secundum illud I *Cor.* V *: *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.*

* Vers 17. ** Vers. 12. *** Vers. 7. * Vers. 15, 19. * Cf. qu. XXVIII, art. 2. * Qu. LXXVI, art. 1, ad 1. * Vers. 7, 8.

Habet tamen haec consuetudo Graecorum aliquam rationem: et propter significationem, quam tangit Gregorius; et in detestationem haeresis Nazaraeorum, qui legalia Evangelio miscebant *.

* Aug. *de Haeres.*, n. IX.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut legitur *Exod.* XII *, solemnitas paschalis incipiebat a [ι] vesperis quartaedecimae lunae. Et tunc Christus, post immolationem agni paschalis, hoc sacramentum instituit. Unde hic dies a Ioanne dicitur praecedere sequentem diem Paschae, et a tribus aliis Evangelistis dicitur *prima dies azymorum,* quando fermentatum in domibus Iudaeorum non inveniebatur, ut dictum est *. Et de hoc supra ** notatum est plenius in tractatu Dominicae passionis.

* Vers. 7, 18. * In corpore. ** Qu. XLVI, art. 9, ad 1.

Ad secundum dicendum quod conficientes ex azymo non intendunt caeremonias legis servare, sed conformare se institutioni [κ] Christi. Et ideo non iudaizant. Alioquin et celebrantes in pane fermentato iudaizarent: quia Iudaei panes primitiarum fermentatos offerebant.

Ad tertium dicendum quod fermentum significat caritatem propter aliquem effectum, quia scilicet panem facit sapidiorem et maiorem. Sed corruptionem significat ex ipsa ratione suae speciei.

Ad quartum dicendum quod, quia fermentum habet aliquid corruptionis, et ex pane corrupto non potest confici hoc sacramentum, ut dictum est *; ideo [λ] magis attenditur circa panem differentia azymi et fermentati quam circa aquam baptismi differentia calidi et frigidi. Posset enim tanta esse corruptio fermenti quod ex eo non posset fieri [μ] sacramentum.

* Art. 3, ad 4.

δ) *praesumpsit.* – PEGHc; *praesumpserit.* An *praesumpserat?*
ε) *utroque.* – *unoquoque* editiones.
ζ) *Romana.* – 1 et editiones; post *Ecclesia* ponit F, om. ceteri. – *propterea* F et tertia; *propter.*
η) *ceterae.* – sG; *graecae* DEF, *certae* ceteri.
θ) *qua die... Exodi XII.* – E et tertia; om. Cf. ad 1. *ut dictum est.*
ι) *a.* – *ā* *b*, *in* Pc; *alias a* margo P.
κ) *institutioni.* – D et tertia; *instructionem* EpF, *instructioni* ceteri.
λ) *ideo.* – FsE et editiones; *et ideo.*
μ) *fieri.* – *confici* F et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo quarto, circa illud quod de presbytero graeco dicitur, scilicet quod debet servare ritum graecum in ecclesia graeca, dubium occurrit ex Petro de Palude, in Quarto, dist. XI *, oppositum concludente ex hoc quod *Graeci sunt schismatici: nullusque, etiam ipsorum, debet eis adhaerere. Ac per hoc, potest, sicut in toto, sic et in parte ab eis discordare.* Non ergo peccaret non servans ritum eorum.

* Qu. 1, art. 4, concl. 6.

Ad hoc dicitur quod Auctor loquitur de graecis ecclesiis et presbyteris absolute, et non de iisdem schismaticis. Et propterea optime dicit quod *peccaret, pervertens Ecclesiae suae ritum.* Et hinc sequitur quod etiam tempore schismatis peccaret: quia schisma non solvit ritus rectos ecclesiarum, qualis est iste, qui non ex schismate, sed ex ratione ecclesiastica in eis est, ut Gregorius, in littera allatus, testatur. Quocirca, si presbyter graecus et in graeca ecclesia celebrat, peccaret non servando ritum graecae Ecclesiae, non a schismaticis praeceptum, sed velut ab Ecclesia statutum quod ibi servetur. Unde in Concilio Florentino, sub Eugenio IV *, legimus sic: *Item in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici: sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive occidentalis sive orientalis, consuetudinem.*

* Can. III.

Et cum obiicitur quod nemo debet eis adhaerere, verum est quantum ad ea quae sunt schismatis. Et similiter potest discordare ab eis in toto et in parte in his quae sunt schismatis.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM SIT PROPRIA MATERIA HUIUS SACRAMENTI VINUM VITIS

IV *Sent.*, dist. XI, qu. II, art. 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIX.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non sit propria materia huius sacramenti vinum vitis. Sicut enim aqua est materia baptismi, ita vinum est materia huius sacramenti. Sed in qualibet aqua potest fieri baptismus. Ergo in quolibet vino, puta malorum granatorum vel mororum aut huiusmodi, potest confici hoc sacramentum: praesertim cum in quibusdam terris vites non crescant.

2. PRAETEREA, acetum est quaedam species vini quod de vite sumitur, ut Isidorus dicit *. Sed de aceto non potest confici hoc sacramentum. Ergo videtur quod vinum vitis non sit propria materia huius sacramenti.

* Vide *Etymol.* lib. XX, cap. III.

3. PRAETEREA, sicut de vite sumitur vinum depuratum, ita et agresta et mustum. Sed de his non videtur confici posse hoc sacramentum: secundum illud quod in Sexta Synodo * legitur: *Didicimus quod in quibusdam ecclesiis sacerdotes sacrificio oblationis coniungunt uvas, et sic simul utrumque populo dispensant. Praecipimus igitur ut nullus sacerdos hoc ulterius faciat.* Et Iulius Papa * reprehendit quosdam qui *expressum vinum in sacramento Dominici calicis offerunt.* Ergo videtur quod vinum vitis non sit propria materia huius sacramenti.

* Trullan., can. XXVIII. - Cf. can. *Didicimus quod, de Consecr.*, dist. II.

* Concil. Bracarens. III, can. I. - Cf. can. *Cum omne, de Consecr.*, dist. II.

SED CONTRA EST quod, sicut Dominus comparavit se grano frumenti *, ita etiam se comparavit viti, dicens, Ioan. XV *: *Ego sum vitis vera.* Sed solus panis de frumento est materia huius sacramenti, ut dictum est *. Ergo solum vinum de vite est propria materia huius sacramenti.

* Ioan. cap. XII, vers. 24.
* Vers. 1.
* Art. 3.

RESPONDEO DICENDUM quod de solo vino vitis potest confici hoc sacramentum. Primo quidem, propter institutionem Christi, qui in vino vitis hoc sacramentum instituit: ut patet ex eo quod ipse dicit, Luc. XXII [α] *, circa institutionem huius sacramenti: *Amodo non bibam de hoc genimine vitis.*

* Vers. 18. - Cf. Matth. cap. XXVI, vers. 29.

Secundo quia, sicut dictum est *, ad materiam sacramentorum assumitur id quod proprie et communiter habet talem speciem. Proprie autem vinum dicitur quod de vite sumitur: alii autem liquores vinum dicuntur secundum quandam similitudinem ad vinum vitis.

* Art. 3.

Tertio, quia vinum vitis magis competit ad effectum huius sacramenti, qui est spiritualis laetitia: quia scriptum est * quod *vinum laetificat cor hominis.*

* Ps. CIII, vers. 15.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illi liquores non dicuntur proprie vinum, sed secundum similitudinem. Potest autem verum vinum ad terras illas deferri in quibus vites non crescunt, quantum sufficit ad hoc sacramentum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod vinum fit acetum per corruptionem: unde non fit reditus de aceto in vinum, ut dicitur VIII *Metaphys.* * Et ideo, sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc sacramentum, ita nec de aceto potest confici [β]. Potest tamen confici de vino acescenti, sicut de pane qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens: ut prius * dictum est.

* S. Th. lect. IV. - Did. lib. VII, cap. V, n. 3, 4.

* Art. 3, ad 4.

AD TERTIUM DICENDUM quod agresta est in via generationis, et ideo nondum habet speciem vini. Et propter hoc de ea non potest confici hoc sacramentum.

Mustum autem iam habet speciem vini: nam eius dulcedo attestatur digestioni, quae est *completio a naturali calore,* ut dicitur in IV *Meteor.* [γ] * Et ideo de musto potest confici hoc sacramentum.

* Cap. II. - Continuat. Comment. S. Th. lect. III.

Non tamen debent uvae integrae huic sacramento misceri: quia iam esset ibi aliquid praeter vinum.

Prohibetur etiam ne mustum statim expressum de uva in calice offeratur: quia hoc est indecens, propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri: dicitur enim ab eodem Iulio Papa *: *Si necesse fuerit, botrus in calicem prematur.*

* Loc. cit. in arg., can. VII.

α) *Luc. XXII. – Matth. XXVI* P; *Luc. XXII... Amodo* om. F; *amodo* post *bibam* ponit P.

β) *potest confici.* – Om. tertia.

γ) *Meteor.* – PHI; *Metaphysicae.*

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo quinto, memento supra * dictorum, et applica ad propositum: et vide uvam non esse consecrabilem, quia non continet vinum sub forma potabili, sed manducabili.

* Art. 3, Comm. num. V.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM AQUA SIT VINO PERMISCENDA

IV *Sent.*, dist. XI, qu. II, art. 4, qu[a] 1; *In Matth.*, cap. XXVI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. VI.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod aqua non sit vino permiscenda. Sacrificium enim Christi figuratum fuit per oblationem Melchisedech, qui [α], *Gen.* XIV *, non legitur obtulisse nisi *panem et vinum.* Ergo videtur quod in hoc sacramento non debeat adiungi aqua.

α

* Vers. 18.

2. PRAETEREA, diversorum sacramentorum diversae sunt materiae. Sed aqua est materia baptismi. Ergo non debet ad materiam assumi huius sacramenti.

3. PRAETEREA, panis et vinum sunt materia huius sacramenti. Sed pani nihil adiungitur. Ergo nec vino debet aliquid adiungi.

SED CONTRA EST quod Alexander Papa * scribit: *In sacramentorum oblationibus quae inter missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur.*

* Primus: Ep. I, *ad Omnes Orthod.* - Cf. can. *In sacramentorum, de Consecr.*, dist. II.

RESPONDEO DICENDUM quod vino quod offertur in hoc sacramento debet aqua misceri. Primo quidem, propter institutionem. Probabiliter enim creditur quod Dominus hoc sacramentum instituerit in vino aqua permixto [β], secundum morem terrae illius: unde et *Proverb.* IX * dicitur: *Bibite vinum quod miscui vobis.*

β

* Vers. 5.

Secundo, quia hoc convenit repraesentationi Dominicae passionis. Unde dicit Alexander Papa *: *Non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum: quia utrumque ex latere Christi in passione sua profluxisse legitur.*

* Loc. cit.

Tertio, quia hoc convenit ad significandum effectum huius sacramenti, qui est unio populi Christiani ad Christum: quia, ut Iulius Papa * dicit, *videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo, cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur.*

* Concil. Bracarens. III, can. I. - Ex S. Cyprian. Ep. LXIII, (al. lib. II, Ep. III), num. 13.

Quarto, quia hoc competit ad ultimum effectum huius sacramenti, qui est introitus ad vitam aeternam. Unde Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* *: *Redundat aqua in calicem, et salit in vitam aeternam.*

* Lib. V, cap. I.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Ambrosius dicit ibidem *, sicut sacrificium Christi significatum est per oblationem Melchisedech, ita etiam significatum est per aquam quae in eremo fluxit de petra *: secundum illud I *Cor.* X **: *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra.*

* Loc. prox. cit.

* *Exod.* cap. XVII, vers. 6; *Num.* cap. XX, vers. 11. - ** Vers. 4.

AD SECUNDUM DICENDUM quod aqua sumitur in baptismo ad usum ablutionis. In hoc autem sacramento assumitur ad usum refectionis: secundum illud Psalmi *: *Super aquam refectionis educavit me.*

* Ps. XXII, vers. 2.

AD TERTIUM DICENDUM quod panis ex aqua et farina conficitur. Et ideo, cum vino aqua miscetur, neutrum sine aqua existit.

α) *qui.* - F et tertia; *quia.*

β) *aqua permixto.* - PFIsG et *a*; *et aqua permixtis* D, *permixto et aqua* b, *permixto aqua* c, *et aqua permixto* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo sexto, adverte ne credas dicentibus Graecos offerre calicem Domini cum vino tantum. Hoc enim Armeni, non Graeci, olim faciebant: ut patet in Concilio Florentino sub Eugenio IV, ubi decretum est *: *Ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe Christiano conforment, omnesque Latinorum Graecorumque ecclesias* imitando, *in calicis oblatione paululum aquae vino admisceant.*

* In decret. pro Armen.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM PERMIXTIO AQUAE SIT DE NECESSITATE HUIUS SACRAMENTI

IV *Sent.*, dist. XI, qu. II, art. 4, qu[a] 2, 3; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. VI.

AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod permixtio aquae sit de necessitate huius sacramenti. Dicit enim Cyprianus, *ad Caecilium* *: *Sic calix Domini non est aqua sola et vinum solum, nisi utrumque misceatur, quomodo nec corpus Domini potest* [α] *esse farina sola, nisi utrumque,* scilicet farina et aqua, *fuerit adunatum.* Sed admixtio aquae ad farinam est de necessitate huius sacramenti. Ergo, pari ratione, admixtio aquae ad vinum.

* Epist. LXIII (al. lib. II, Epist. III), num. 13.

α

2. PRAETEREA, in passione Domini, cuius hoc sacramentum est memoriale, sicut *de latere eius exivit sanguis,* ita *et aqua* *. Sed vinum, quod est sacramentum sanguinis, est de necessitate huius sacramenti. Ergo, pari ratione, et aqua.

* Ioan. cap. XIX, vers. 34.

3. PRAETEREA, si aqua non esset de necessitate huius sacramenti, non referret quaecumque aqua huic sacramento apponeretur: et ita posset apponi aqua rosacea, vel quaecumque alia huius-

---

α) *potest.* - Tertia; *potuit.*

modi aqua. Quod non habet usus Ecclesiae. Aqua ergo est de necessitate huius sacramenti.

* Loc. cit., num. 17.

Sed contra est quod Cyprianus dicit*: *Si quis de antecessoribus nostris ignoranter vel simpliciter non observavit*, ut scilicet aquam vino misceret in sacramento, *potest simplicitati eius venia concedi*. Quod non esset si aqua esset de necessitate sacramenti, sicut est vinum vel panis. Non ergo aquae admixtio est de necessitate sacramenti.

Respondeo dicendum quod iudicium de signo sumendum est ex eo quod significatur. Appositio autem aquae ad vinum refertur ad significandum participationem huius sacramenti a fidelibus, quantum ad hoc quod per aquam mixtam vino significatur populus adunatus Christo, ut dictum est *. Sed et hoc ipsum quod de latere Christi pendentis in cruce aqua profluxit *, ad idem refertur: quia per aquam significabatur [β] ablutio peccatorum, quae fiebat per passionem Christi. Dictum est autem supra * quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materiae: usus autem fidelium non est de necessitate sacramenti, sed est aliquid consequens ad sacramentum. Et ideo consequens est quod appositio aquae non sit de necessitate sacramenti.

* Art. praeced.
* Cf. arg. 2.
* Qu. LXXIII, art. 1, ad 3.

Ad primum ergo dicendum quod verbum illud Cypriani est intelligendum secundum quod dicitur illud esse non posse quod convenienter esse non potest. Et sic similitudo illa attenditur quantum ad illud quod debet fieri, non autem quantum ad necessitatem: nam aqua est de essentia panis, non autem de essentia vini.

Ad secundum dicendum quod effusio sanguinis directe pertinebat ad ipsam Christi passionem: est enim naturale corpori humano vulnerato quod ex eo profluat sanguis. Sed effusio aquae non fuit de necessitate passionis, sed ad demonstrandum effectum, qui est ablutio a peccatis et refrigerium contra ardorem concupiscentiae. Et ideo aqua non seorsum offertur a vino in hoc sacramento, sicut vinum seorsum offertur a pane: sed aqua offertur vino permixta, ut ostendatur quod vinum per se pertinet ad hoc sacramentum, tanquam de eius necessitate existens, aqua autem secundum quod adiungitur vino.

Ad tertium dicendum quod, quia admixtio aquae ad vinum non est de necessitate sacramenti, non refert [γ], quantum ad necessitatem sacramenti, quaecumque aqua misceatur vino, sive naturalis sive artificialis, ut rosacea. Quamvis, quantum ad convenientiam sacramenti, peccet qui aliam aquam miscet nisi naturalem et veram: quia de latere Christi pendentis in cruce vera aqua profluxit *, non humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt, ad ostendendum quod corpus Christi erat vere compositum ex quatuor elementis; sicut per sanguinem fluentem ostendebatur quod erat compositum ex quatuor humoribus; ut Innocentius III dicit in quadam Decretali *. Quia vero [δ] admixtio aquae ad farinam est de necessitate huius sacramenti, utpote constituens substantiam panis; si farinae admisceretur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor quam vera aqua, non posset ex eo confici sacramentum: quia non est vere [ε] panis.

* D. 235.
* Cap. *In quadam nostra decretali epist., de Celebr. Missar.*

β) *significabatur*. – *significatur* tertia praeter I.
γ) *quia admixtio... non refert*. – PEI; *admixtio... non enim refert*.
δ) *ut... Quia vero*. – PI; *et ut... quia vero* ABCD, (*et* F) *ut... quia vera* EF, *et... quod vera* GHbc, *et quia ut... vera* ed. *a*.
ε) *est vere*. – *esset vere* I, *esset verus* cetera tertia, *est verus* ed. *a*.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo septimo, circa aquam ex qua fit panis pro sacramento, vide rationem litterae in calce articuli ad probandum quod oportet esse aquam veram et naturalem: et suscipe illam ut rationabilem. An autem sit necessaria, cogitatione opus est. Et ratio est eadem cum superius * dicta de diversis speciebus granorum componentium panem. Quia enim ad sacramentum sufficit quod sit verus panis, si panis verus potest fieri ex aqua artificiali, puta rosacea, consequens est quod non est de necessitate sacramenti aqua naturalis. An autem panis confectus ex farina et aqua rosacea esset verus panis, experientia comprobandum esset, videndo in quo differret ab aliis panibus. Nam si solo odore rosarum differre appareret, crederem ipsum eiusdem esse speciei cum aliis: cum aqua non sit pars essentialis panis, sed materia transiens eiusdem. Non enim permanet aqua secundum seipsam in pane: sed panis est tertia res resultans ex commixtione farinae et aquae per pastae decoctionem. Non est autem remotum diversarum specierum res posse esse materiam transeuntem respectu alicuius unius etiam homogenei: ut patet de his ex quibus generatur sanguis.

* Art. 3, Comment. num. III, *Quocirca*.

Et haec etiam sufficiant pro octavo articulo.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM DEBEAT AQUA IN MAGNA QUANTITATE APPONI

IV *Sent.*, dist. XI, qu. II, art. 4, qu^a 4; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. VI.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod debeat aqua in magna quantitate apponi. Sicut enim sanguis de latere Christi sensibiliter fluxit, ita et aqua: unde dicitur Ioan. XIX *: *Qui vidit, testimonium perhibuit*. Sed aqua non posset sensibiliter esse in hoc sacramento nisi in magna quantitate poneretur. Ergo videtur quod aqua debeat apponi in magna quantitate.

* Vers. 35.

2. Praeterea, parva aqua multo vino admixta corrumpitur. Quod autem corruptum est, non [α] est. Ergo idem est apponere parum de aqua in

α) *non*. – *iam non* PIsG, *iam non (est idem ergo apponere parum de aqua in hoc sacramento est nihil apponere)* F.

hoc sacramento, et nihil apponere. Sed non licet nihil apponere. Ergo non licet parum apponere.

3. PRAETEREA, si sufficeret parum apponere, per consequens esset sufficiens quod gutta aquae in totum dolium proiiceretur. Sed hoc videtur ridiculum. Ergo non sufficit quod parva quantitas ponatur β.

SED CONTRA EST quod Extra, *de Celebrat. Missar.* *, dicitur: *Perniciosus in tuis partibus inolevit abusus, videlicet quod in maiori quantitate de aqua ponitur in sacrificio quam de vino: cum, secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiae generalis, plus in ipso sit de vino quam de aqua ponendum.*

* Cap. *Perniciosus.*

RESPONDEO DICENDUM quod circa aquam adiunctam vino, ut Innocentius III dicit, in quadam Decretali *, triplex est opinio. Quidam enim dicunt quod aqua adiuncta vino per se manet, vino converso in sanguinem. – Sed haec opinio omnino stare non potest. Quia in sacramento Altaris, post consecrationem, nihil est nisi corpus et sanguis Christi: sicut Ambrosius dicit, in libro *de Officiis* *: *Ante benedictionem alia* γ *species nominatur, post benedictionem corpus significatur.* Alioquin non adoraretur δ veneratione latriae.

* Cap. *Cum Marthae, de Celebr. Missar.*

* *De Mysteriis, sive de Initiandis*, cap. IX, n. 54. – Cf. can. *Ante benedictionem, de Consecr.*, dist. II.

Et ideo alii dixerunt quod, sicut vinum convertitur in sanguinem, ita aqua convertitur in aquam quae de latere Christi fluxit. – Sed hoc non ε rationabiliter dici potest. Quia secundum hoc, aqua seorsum consecraretur a vino, sicut vinum a pane.

Et ideo, sicut ipse * dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti in vinum, et vinum in sanguinem. Hoc autem fieri non posset nisi adeo modicum apponeretur de aqua quod converteretur in vinum. Et ideo semper tutius est parum de aqua apponere, et praecipue si vinum sit debile: quia, si tanta fieret appositio aquae quod solveretur species vini, non posset perfici sacramentum. Unde Iulius Papa * reprehendit quosdam qui *pannum lineum musto intinctum per totum annum servant, et in tempore sacrificii aqua partem eius lavant, et sic offerunt.*

* Innoc. III, loc. prox. citat.

* Primus. - Can. *Cum omne, de Consecr.*, dist. II.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod sufficit ad significationem huius sacramenti quod sentiatur aqua dum apponitur vino: non autem oportet quod sit sensibilis post mixtionem.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, si aqua omnino non apponeretur, totaliter excluderetur significatio: sed, cum aqua in vinum convertitur, significatur quod populus Christo incorporatur.

AD TERTIUM DICENDUM quod, si aqua apponeretur dolio, non sufficeret ad significationem huius sacramenti: sed oportet aquam vino apponi circa ipsam celebrationem sacramenti.

β) *ponatur.* – *apponatur* PEF.
γ) *alia.* – *illa* P. Cf. qu. seq. art. 3. α. – Ad *corpus, Alias corpus Christi* margo P.
δ) *adoraretur.* – *adoraretur omnino* F, *totum adoraretur* PI.
ε) *non.* – Om. pC, ante *potest* ponunt BGHsC et *bc*, *nec* post *Sed* PI.



QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUINTA

DE CONVERSIONE PANIS ET VINI IN CORPUS ET SANGUINEM CHRISTI

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LXXIV, Introd.

DEINDE considerandum est de conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi *. Et circa hoc quaeruntur octo.

Primo: utrum substantia panis et vini remaneat in hoc sacramento post consecrationem.
Secundo: utrum annihiletur.
Tertio: utrum convertatur in corpus et sanguinem Christi.
Quarto: utrum remaneant ibi accidentia post conversionem.
Quinto: utrum remaneat ibi forma substantialis.
Sexto: utrum conversio ista fiat subito.
Septimo: utrum sit miraculosior omni alia mutatione.
Octavo: quibus verbis convenienter exprimi possit [α]. α

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM IN HOC SACRAMENTO SIT CORPUS CHRISTI SECUNDUM VERITATEM, VEL SOLUM SECUNDUM FIGURAM VEL SICUT IN SIGNO

IV *Sent.*, dist. x, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LXI sqq.; *De Ven. Sacram. Altar.* serm. XI; *In Matth.*, cap. XXVI; *In Ioan.*, cap. VI, lect. VI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. v.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in hoc sacramento non sit corpus Christi secundum veritatem, sed solum secundum figuram, vel sicut in signo. Dicitur enim Ioan. VI * quod, cum Dominus dixisset, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem*, etc., *multi ex discipulis eius audientes dixerunt, Durus est hic sermo:* quibus ipse [β]: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Quasi dicat, secundum expositionem Augustini, *super quartum Psalmum* [γ] *: *Spiritualiter intellige quae locutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi. Spiritualiter intellectum vivificabit vos: caro autem non prodest quidquam.*

* Vers. 54, 61, 64.
β
γ
* Super Ps. XCVIII. - Cf. can. *Prima quidem de Consecr.*, dist. II; Mag. IV *Sent.*, dist. x, cap. *Sunt item.*

2. PRAETEREA, Dominus dicit, Matth. ult. *: *Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi:* quod exponens Augustinus dicit *: *Donec saeculum finiatur, sursum est Dominus: sed tamen et hic* [δ] *nobiscum est veritas Dominus. Corpus enim in quo resurrexit, uno in loco esse oportet: veritas autem eius ubique diffusa est.* Non ergo secundum veritatem est corpus Christi in hoc sacramento, sed solum sicut in signo.

* Vers. 20.
* In Ioan. Evang., tract. XXX.
δ

3. PRAETEREA, nullum corpus potest esse simul in pluribus locis, cum nec angelo hoc conveniat: eadem [ε] enim ratione posset esse ubique. Sed corpus Christi est verum corpus, et est in caelo. Ergo videtur quod non sit secundum veritatem in sacramento Altaris, sed solum sicut in signo.

ε

4. PRAETEREA, sacramenta Ecclesiae ad utilitatem fidelium ordinantur. Sed secundum Gregorium, in quadam Homilia *, regulus [ζ] reprehenditur quia *quaerebat corporalem Christi praesentiam.* Apostoli etiam impediebantur recipere Spiritum Sanctum propter hoc quod affecti erant ad eius praesentiam corporalem: ut Augustinus dicit *, super illud Ioan. XVI *, *Si non abiero, Paraclitus*

* Homil. XXVIII *in Evang.* - Cf. Ioan. cap. IV, vers. 46 sqq.
ζ
* In Ioan. Evang., tract. XCIV.
* Vers. 7.

α) *Primo: utrum... exprimi possit.* Hanc materiae tractandae analysin Auctor ex suo Commentario in librum *Sent.* IV. dist. XI. assumpsit; sed mutato in operis executione consilio novam materiam, primi scilicet articuli, introduxit, illam vero de qua hic *Septimo* articulo quaerendum esse dicit, alio modo distribuit: cf. art. 8. ad 3. Quo casu factum sit ut lectio analyseos in autographo per Auctorem vel amanuensem non corrigeretur ad normam ordinis executi, nos utique latet; sed quod tunc temporis omissum sit nunc per nos fieri necesse esse non putamus, ideoque lectionem totius fere traditionis manuscriptae non tangimus.

In G scriptor praeeunte correctore praefigit *Primo utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem;* mutat ordinalia *Primo Secundo* etc. *Sexto* in *Secundo Tertio* etc. *Septimo;* delet *Septimo... mutatione* per *vacat;* addit *panis* ante *convertatur* ad *Tertio* nostri textus et post *substantialis* ad *Quinto.* (ad *Octavo* utraque manus om. *convenienter,* in Indice tamen occurrit).

In Plc et codicibus Ambrosiano et Brixiensi analysis ex Articulorum initiis refecta est hoc modo (uncinis clausa habet P, ex editione anni 1523):

Primo, utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem (an solum secundum figuram vel sicut in signo).

Secundo, utrum in hoc sacramento remaneat substantia panis et vini post consecrationem.

Tertio, utrum substantia panis (vel vini) post consecrationem huius sacramenti annihiletur aut in pristinam materiam resolvatur.

Quarto, utrum panis possit converti in corpus Christi.

Quinto, utrum in hoc sacramento (post conversionem) remaneant accidentia panis et vini.

Sexto, utrum (facta consecratione) remaneat (in hoc sacramento) forma substantialis panis.

Septimo, utrum fiat in instanti ista conversio (ista conversio ante *fiat).*

Octavo, utrum haec sit vera (falsa): Ex pane fit corpus Christi.

β) *ipse.* – *dixit* addunt EF et tertia.

γ) *quartum Psalmum.* – *Psal. 98* P. – Pro *intellige, intelligite* sG et editiones. Pro *quae, quod* BI. Pro *Non hoc, et ideo hoc* H. Pro *et bibituri, sed nec bibituri* Hbc. Pro *aliquod vobis, autem vobis b, quod vobis* Pc; cf. ξ.

δ) *et hic.* – Om. editiones. Pro *Dominus, Domini* editiones, om. F, *et Dominus (corinth. II in quo)* ed. *a*; l om. *sed... Dominus.*

ε) *eadem.* – *tali* tertia praeter G.

ζ) *regulus.* – P; *centurio.*

non veniet ad vos. Non ergo Christus secundum praesentiam corporalem est in sacramento Altaris.

SED CONTRA EST quod Hilarius dicit, in VIII *de Trin.* *: *De veritate carnis et sanguinis Christi non est relictus ambigendi locus. Nunc et* [η] *ipsius Domini professione, et fide nostra, caro eius vere est cibus et sanguis eius vere est potus.* Et Ambrosius dicit, VI *de Sacramentis* *: *Sicut verus est Dei Filius Dominus Iesus Christus, ita vera Christi caro est quam accipimus, et verus* [θ] *sanguis eius est potus.*

* Num. 14.
* Cap. 1. - Cf. can. *Sicut est verus*, *de Consecr.*, dist. II.

RESPONDEO DICENDUM quod verum corpus Christi et sanguinem esse [ι] in hoc sacramento, non sensu deprehendi potest, sed sola fide, quae auctoritati divinae innititur. Unde super illud Luc. XXII *, *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur,* dicit Cyrillus *: *Non dubites an hoc verum sit, sed potius suscipe verba Salvatoris in fide: cum enim sit veritas, non mentitur.*

* Vers. 19; I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 24.
* *Comment. in Luc.*, cap. XXII, vers. 19, 20. - Cf. *Cat. Aur. in Luc.* cap. XXII, *e*.

Hoc autem conveniens est, primo quidem, perfectioni novae legis. Sacrificia [κ] enim veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura: secundum illud *Heb.* X *: *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem.* Et ideo oportuit ut aliquid plus haberet sacrificium novae legis a Christo institutum: ut scilicet contineret ipsum passum, non solum in significatione vel figura, sed etiam in rei veritate. Et ideo hoc sacramentum, quod ipsum Christum realiter continet, ut Dionysius dicit, III cap. * *Eccles. Hierar.*, est *perfectivum* [λ] *omnium sacramentorum aliorum,* in quibus virtus Christi participatur.

* Vers. 1.
* Part. 1.

Secundo, hoc competit caritati Christi, ex qua pro salute nostra corpus verum nostrae naturae assumpsit. Et quia maxime proprium amicitiae est *convivere amicis,* ut Philosophus dicit, IX *Ethic.* *, sui praesentiam corporalem nobis repromittit in [μ] praemium, Matth. XXIV *: *Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae.* Interim tamen nec sua praesentia corporali in hac peregrinatione destituit, sed per veritatem corporis et sanguinis sui nos sibi coniungit in hoc sacramento. Unde ipse dicit, Ioan. VI *: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.* Unde hoc sacramentum est maximae caritatis signum, et nostrae spei sublevamentum, ex tam familiari coniunctione Christi ad nos.

* Cap. XII, n. 12. - S. Th. lect. XIV.
* Vers. 28.
* Vers. 57.

Tertio, hoc competit perfectioni fidei, quae, sicut est de divinitate Christi, ita est de eius humanitate: secundum illud Ioan. XIV *: *Creditis in Deum, et in me credite.* Et quia fides est invisibilium, sicut divinitatem suam nobis exhibet Christus invisibiliter, ita et in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo.

* Vers. 1.

Quae quidam non attendentes, posuerunt corpus et sanguinem Christi non esse in hoc sacramento nisi sicut in signo. Quod est tanquam haereticum abiiciendum, utpote verbis Christi contrarium. Unde et Berengarius, qui primus inventor huius erroris [ν] fuerat, postea coactus est suum errorem revocare, et veritatem fidei confiteri *.

* Cf. can. *Ego Berengarius*, *de Consecr.*, dist. II.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ex hac auctoritate praedicti haeretici occasionem errandi sumpserunt, male verba Augustini intelligentes. Cum enim Augustinus dicit, *Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis,* non intendit excludere veritatem corporis Christi: sed quod non erat manducandum in hac specie in qua ab eis videbatur. Per hoc autem quod subdit, *Sacramentum vobis aliquod* [ξ] *commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos,* non intendit quod corpus Christi sit in hoc sacramento solum secundum mysticam significationem, sed spiritualiter [ο] dici, idest, invisibiliter et per virtutem spiritus. Unde, *super Ioan.* *, exponens illud quod dicitur, *Caro non prodest quidquam* *, dicit: *Sed, quo modo illi intellexerunt. Carnem quippe* [π] *sic intellexerunt manducandam, quo modo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur: non quo modo spiritu vegetatur. Accedat spiritus ad carnem, et prodest plurimum: nam, si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut habitaret in nobis.*

* Tract. XXVII, n. 5.
* Ioan. cap. VI, vers. 64.

AD SECUNDUM DICENDUM quod verbum illud Augustini, et omnia similia, sunt intelligenda de corpore Christi secundum quod videtur in propria specie: secundum quod etiam ipse Dominus dixit, Matth. XXVI *: *Me autem non semper habebitis.* Invisibiliter tamen sub speciebus huius sacramenti est ubicumque hoc sacramentum perficitur.

* Vers. 11.

AD TERTIUM DICENDUM quod corpus Christi non est eo modo in sacramento sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur: sed quodam speciali [ρ] modo, qui est proprius huic sacramento. Unde dicimus quod corpus Christi est in diversis altaribus, non sicut in diversis locis, sed *sicut in sacramento.* Per quod non intelligimus quod Christus sit ibi solum sicut in signo, licet sacramentum sit in genere signi: sed intelligimus corpus Christi esse ibi, sicut dictum est, secundum modum proprium huic sacramento.

AD QUARTUM DICENDUM quod ratio illa procedit

η) *et.* – *enim* sE, *enim et* PIsB et *c.*

θ) *verus.* – Tertia; *vere.*

ι) *esse.* – Om. BGH, post *sacramento* ponunt *abc.* – Pro *non sensu, neque sensu neque intellectu* E, *sensu (deprehendi non potest)* P, *neque sensu* ceteri; cf. qu. LXXVI art. 7. corp.

κ) *Sacrificia.* – *Sacramenta* H et editiones. Tertio loco (ante *novae legis*) *sacramentum* P.

λ) *perfectivum.* – Tertia praeter I; *perfectissimum;* cf. qu. LXV art. 3. β. – *aliorum* ante *sacramentorum* ponunt PI.

μ) *in.* – F et tertia; *ad* ed. *a, et* ceteri. – Post *praemium* tertia addit *dicens.*

ν) *primus inventor huius erroris.* – *primus huius erroris* HI, *principium huius erroris* G, *primus (primo b) huius erroris inventor (ventor b) bc, primus huius erroris auctor* P.

ξ) *vobis aliquod.* – *quod vobis* P.

ο) *spiritualiter.* – *Alias impassibiliter* margo P, sed referendum est ad *invisibiliter,* pro quo *impassibiliter* Hc. – Pro *spiritus, Spiritus Sancti* ed. *a* et tertia praeter I; cf. ad 4.

π) *quippe.* – P; *quidem* ACDE, *quid* B, *quaedam* ed. *a, quidam* G; *carnem quippe sic intellexerunt* om. FHI*bc.* – *manducandam* om. P.

ρ) *speciali.* – *spirituali* FH*bc*; *Als spūali* margo P.

σ τ de praesentia corporis Christi prout est praesens per modum σ corporis, idest prout est in sua specie visibili τ: non autem prout spiritualiter, idest invisibiliter, modo et virtute spiritus. Unde Augustinus dicit, *super Ioan.* *: *Si intellexisti spiritualiter* verba Christi de carne sua, *spiritus et vita tibi sunt: si intellexisti carnaliter, etiam* υ *spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt.* υ

* Tract. XXVII, n. 6.

σ) *modum.* – *motum* P.
τ) *visibili.* – Pa; *visibiliter* E, *visibilis* ceteri. – Ante *spiritualiter* addunt *est* Fa et tertia praeter H. – Pro *invisibiliter modo et virtute, invisibili modo ex* (*ēē* H) *virtute* GHbc; etiam *a* habet *invisibili.*
υ) *etiam.* – *sic (sicut b) etiam* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat. – In corpore conclusio clara est. Et de ipsa tria dicuntur. Primo, quod sola fide tenetur. – Secundo, quod est conveniens. Et affertur triplex convenientia. – Tertio, recitatur error quorundam dicentium oppositum: et ex verbis Christi, et confessione Berengarii, *de Consecr.*, dist. II, *Ego Berengarius,* confutatur.

II. Circa praesentis et sequentium articulorum doctrinam ac materiam, pro claritate et ampliori intellectu difficultatum, sciendum est ex auctoritate sacrae Scripturae de existentia corporis Christi in sacramento Eucharistiae nihil aliud haberi expresse nisi verbum Salvatoris dicentis *, *Hoc est corpus meum.* Oportet enim verba haec vera esse. Et quoniam verba sacrae Scripturae exponuntur dupliciter, vel proprie vel metaphorice, primus error circa hoc fuit interpretantium haec Domini verba metaphorice. Quem Magister Sententiarum, in dist. x libri Quarti, tractat: qui et in hoc articulo reprobatur. Et consistit vis reprobationis in hoc, quod verba Domini intellecta sunt ab Ecclesia proprie: et propterea oportet illa verificari proprie.

* Matth. cap. XXVI, vers. 26; Marc. cap. XIV, vers. 22; Luc. cap. XXII, vers. 19; I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 24.

* Dico autem *ab Ecclesia:* quoniam non apparet ex Evangelio coactivum aliquod ad intelligendum haec verba proprie. Ex subiunctis siquidem verbis a Domino, scilicet, *quod pro vobis tradetur* * *in remissionem peccatorum* **, non potest concludi evidenter praemissa verba esse intelligenda proprie. Quoniam ly *quod* non refert coniunctionem praedicati cum subiecto, sed refert praedicatum, scilicet *corpus meum.* Cum cuius relationis veritate stat praeiacentem esse veram solum in sensu metaphorico, ut patet in exemplo, *Petra autem erat Christus* *: si enim adiunxisset Apostolus, *qui crucifixus est, resurrexit et ascendit ad caelos,* dicendo, *Petra autem erat Christus, qui crucifixus est et resurrexit a mortuis et ascendit in caelum,* nihil minus praeiacens illa propositio, *Petra autem erat Christus,* non proprie, sed metaphorice intelligenda esset. Et similiter in proposito verba Domini, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur,* ex illa additione, *quod pro vobis tradetur,* – non arctatur prima propositio ad sensum proprium: sed esset etiam vera si in solo metaphorico sensu esset prolata. Et propterea dixi ex verbis Domini *proprie intellectis ab Ecclesia* excludi errorem dicentium corpus Christi metaphorice, seu significative tantum, esse in Eucharistia.

* *Dico... tantum, esse in Eucharistia* om. P.
* I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 24. - Cf. Luc. cap. XXII, vers. 19.
** Cf. Matth. cap. XXVI, vers. 28.
* I *ad Cor.*, cap. X, vers. 4.

Habemus igitur ex veritate verborum Domini in sensu proprio, corpus Christi veraciter esse in Eucharistia. Et hoc est primum, quod ex Evangelio habemus, circa hoc sacramentum.

Alterum autem, quod Evangelium non explicavit expresse, ab Ecclesia accepimus: scilicet conversionem panis in corpus Christi. Hanc enim non solum a priscis doctoribus Ecclesiae habuimus, quos habes *de Consecr.*, dist. II, copiose, et a Magistro Sententiarum, in tractatu de Eucharistia *, diffuse; sed a Concilio Lateranensi sub Innocentio III, ut patet Extra, *de Summa Trin. et Fide Cathol.*, *Firmiter credimus,* ubi utrumque simul dicitur sub his verbis, *Christi corpus et sanguis in sacramento Altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur,* et haec quoad primum; et sequitur, *transubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina,* et haec quoad secundum.

* IV *Sent.*, dist. VIII sqq.

III. Et quoniam variae fuerunt opiniones, multiformiaque fiunt argumenta circa haec, implicantia mentes etiam eruditorum, praenotandum est, et ante oculos semper habendum, intervenire hic non unam, sed duas novitates valde mirabiles. Altera est de esse corporis Christi sub hostia consecrata: de novo enim corpus Christi verum veraciter sub illa hostia continetur. Altera est de conversione substantiae panis in substantiam corporis Christi: et hoc etiam de novo fieri credimus.

Et quoniam omnis novitas mutationem nonnullam sonat, extenso mutationis nomine latissime; ideo, pro maiori claritate latissime *mutationis* vocabulo utendo, imaginemur secundum has duas novitates intervenire duas mutationes; non curando an una sit ratio alterius, aut inferat alteram.

IV. Et in illa quidem novitate qua corpus Christi de novo est sub speciebus panis, oportet intelligere mutationem vel ex parte corporis Christi, vel ex parte accidentium panis. Et si quidem ex corporis Christi parte mutationem imaginamur, erit mutationis velut subiectum corpus Christi; terminus a quo, non contineri sub his accidentibus; terminus ad quem, contineri sub his accidentibus; fit enim Christi corpus ex non contento sub his accidentibus, contentum sub illis. Si vero mutatio haec imaginanda ponitur ex parte hostiae, tunc mutationis subiectum est ipsa panis species; et terminus a quo, non continere; terminus autem ad quem, est continere Christi corpus; fit enim panis species remanens ex non continente Christi corpus, continens Christi corpus. Quia ergo, attendendo formaliter ad illam novitatem qua corpus Christi continetur veraciter sub speciebus panis, et corpus Christi quod non continebatur sub his speciebus, continetur, et species panis quae non continebat Christi corpus, continet Christi corpus; rationabiliter manifestatur novitas ista formali et perspicaci intellectu, humano more, ex ratione mutationis, ut fecimus: *excelsa* siquidem *Dei balbutiendo ut possumus resonare* non dedecet, secundum Gregorium *. Quapropter, conformiter ad sacros canones * loquendo, vocetur ista novitas *novitas continentiae:* quoniam vere secundum hanc corpus Christi continetur, et hostia continet corpus Christi, quamvis non continentia locali.

* *Moral.* lib. V, cap. XXXVI, al. XXVI.
* Cf. num. II, *Alterum autem.*

Altera autem novitas vocabitur *novitas conversionis:* quoniam secundum illam panis vere convertitur in corpus Christi. In hac igitur conversionis novitate manifesta mutatio intervenit, qua ex pane fit corpus Christi. Sed mutatio ista absque subiecto invenitur, habens pro termino a quo panem, et pro termino ad quem corpus Christi.

Et scito quod tanta est utilitas discernendi inter has novitates et inter has mutationes, ut inde pendeat et intelligere tam varias obiectiones, et scire formaliter respondere, et videre quid scias vel nescias. Unde non sit tibi curae pro nunc, hoc est pro principio intelligendi, quales vel quomodo sint aut fiant istae mutationes: sed esto contentus ex alietate terminorum etiam fingere diversitatem mutationum. Et perspiciendo quod conversio habet proprios terminos, scilicet panem et corpus Christi; et quod corpus Christi contineri de novo sub sacramento habet alios suos proprios terminos, scilicet de non continentia ad continentiam vel passive vel active, ut praedeclaratum est: siste, et fige intellectum ad formalia ambarum novitatum et suarum mutationum, ut sic liber tibi pateat ingressus in pelagus tam fluctuantium opinionum et intellectuum.

V. His praelibatis, sciendum est omnes circa primam novitatem continentiae et re et voce consensisse, dum

omnes communiter fatemur corpus Christi, prius non contentum sub hac hostia, modo veraciter contineri: quamvis circa modum quo continetur, variae sint, ut postea * dicetur, opiniones.

* Num. xii.

Verum novitatem conversionis, licet omnes voce affirment, secundum rem tamen multi negarunt, putantes se non negare illam. Et hi multifariam sunt divisi: dum quidam intelligunt conversionis nomine *identitatem loci,* ut hac ratione dicatur panem fieri corpus Christi, quia ubi est panis, est et corpus Christi; ut Magister Sententiarum, in xi * distinctione Quarti, refert et reprobat. Et de hoc erit secundus articulus in littera.

* Cap. *Quidam vero.*

Quidam vero conversionis nomine intelligunt *successionis ordinem*, ut Magister ibidem refert: ut hac ratione dicatur panem converti in corpus Christi, quia corpus Christi est post consecrationem sub accidentibus sub quibus erat panis; quem panem annihilari, aut solvi in praeiacentem materiam dicebant. Et hoc Auctor in tertio tractabit articulo. – Et hanc opinionem quoad sententiam sequitur Scotus, in Quarto, dist. x * et xi **. Dixi autem, *secundum sententiam.* Quia in modo opinandi cautior est Scotus, ponens panem per accidens redigi in nihil, et conversionem vocat adductivam Christi corporis ad hoc quod sit praesens accidentibus panis. Sed quoad rem in idem redit cum opinione recitata a Magistro: quia secundum rem panis non convertitur in aliquam rem, sed in nihilum cedit. Et propterea solo nomine conversionem ponit panis in corpus Christi.

* Qu. i, iv.
** Qu. iv.

Quidam autem conversionis nomen et rem, partialiter tamen, admittunt. De quorum numero est Durandus, in eodem Quarto *, ponens materiam panis converti in corpus Christi quia incipit informari forma corporis Christi, sicut alimentum informatur forma aliti, panis vero formam desinere esse. – Et haec nova opinio ut erronea a Petro de Palude * reprobatur. Et erronea convincitur ex hoc quod corpus Christi iam est impassibile: et multo magis eius anima est immutabilis quoad informare et non informare.

* Dist. xi, qu. iii.
* IV *Sent.*, dist. xi, qu. iii, art. 1.

Quidam demum, conversionis nomen et rem totaliter admittentes, dicunt panem converti in corpus Christi, non secundum substantiam, sed secundum esse accidentale: ita quod panis convertitur, non in substantiam corporis Christi, sed in illius esse sacramentale. Et hanc opinionem tenet, sine assertione tamen, Petrus de Palude, in Quarto *. – Quam opinionem, utpote novam, Auctor non tractavit. Aliena tamen a veritate est: quia transubstantiationem solo nomine salvat. Quoniam secundum rem apud istos substantia panis convertitur in accidens, et non in substantiam corporis Christi: sed secundum vocem salvant transubstantiari, quia convertitur panis substantia in Christi substantiam secundum esse accidentale. Patet siquidem manifeste *transubstantiari* importare conversionem substantiae in substantiam simpliciter et absolute: ut textus expresse inductae * decretalis dicit: *transubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem.*

* Ibid., art. 2, ad arg. 1[m] Durandi.
* Num. ii, *Alterum autem.*

VI. Communis autem doctrina, quam Auctor sequitur, post Magistrum Sententiarum *, tenet substantiam panis converti in substantiam corporis Christi absque additione aliqua, absque augmento quoque in substantia corporis Christi; ac per hoc, panem non esse redactum in nihil, sed conversum in substantiam Christi corporis; et ex hoc ipso non esse amplius panem, sed quod erat panis est corpus Christi. Et haec doctrina ex sacris conciliis priscisque doctoribus Ecclesiae clare habetur: ut patet *de Consecr.*, dist. II *, diffuse, et in allegata ** decretali Lateranensis Concilii.

* IV *Sent.*, dist. xi, cap. *Si autem* sqq.
* Cann. *Quia corpus; Ego Berengarius; Panis est; Non omnis; Revera.*
** Num. ii, *Alterum autem.*

Addit autem doctrina haec quod haec novitas conversionis est ratio novitatis continentiae, et prior illa. Ita quod prius natura est novitas conversionis panis in corpus Christi, et deinde secundum naturae ordinem est corpus Christi sub hostia: utrumque tamen est in uno et eodem instanti temporis. Nec est inter has duas novitates solummodo dictus ordo prioris et posterioris, sed ordo causalitatis: ita quod haec conversio panis in corpus Christi est causa sufficiens in suo ordine existentiae corporis Christi sub hostia. Ita quod, licet sint hic duae novitates, et tot mutationes cum suis propriis terminis; tanta tamen est inter eas necessaria connexio quod ad priorem reliquae necessario sequuntur: hoc est, quod ad conversionem hanc qua transubstantiatur panis in corpus Christi, necessario sequitur corpus Christi contineri sub hostia.

Quocirca quatuor supersunt declaranda. Primo, quod haec conversio est factiva praesentiae corporis Christi sub hostia *; secundo, quod hoc est necessarium **; tertio, quomodo se habeat haec conversio ad sequentem praesentiam *; quarto, redibimus ad opiniones relatas *.

* Cf. num. vii, viii.
** Cf. num. ix.
* Cf. num. x.
* Cf. num. xi.

VII. Ad evidentiam primi, scito, et caute, dupliciter de conversione panis in corpus Christi posse nos loqui: vel simpliciter et absolute; vel ut sacramentali. Nam si loquamur simpliciter et absolute de conversione panis in Christi corpus praeexistens absque additione, etc., nihil aliud video inde sequi. Quod ex hoc percipere possumus, quod si, absque sacramenti institutione, divina potentia converteret panem in Christi corpus, nihil aliud fateremur effectum nisi quod panis conversus est in corpus Christi. Et hoc est quod doctores dicti, scilicet Scotus etc. *, sonaverunt, dicentes novitatem conversionis posse esse sine novitate praesentiae Christi ad hostiam. Hoc enim verum esset, si esset sermo de conversione simpliciter et absolute. – Sed si sermo est de conversione sacramentali, secus dicendum est. Et de tali conversione loquuntur doctores prisci, sacri canones, et nos sic de ea nunc loquimur.

* Cf. art. 2, Comment. num. iii sqq.

Et si quaeras quid addit ly *sacramentalis* supra conversionem: respondeo quod addit aliquid nobis secundum se ignotum, cognitum autem utcumque per hoc quod est illativum huius veritatis, *Hoc est corpus meum.* Et cave ne dixeris quod addit solum respectum ad activam consecrationem per verba sacerdotis in persona Christi.

VIII. Probatur igitur quod conversio sacramentalis, hoc est, quae seu qualis in hoc sacramento fit, est factiva praesentiae corporis Christi sub hostia. Probatur autem tripliciter. Primo, ex hoc quod nulla alia ratione ecclesiastici doctores laboraverunt conversionem in hoc sacramento declarare, nisi ad verificandum *Hoc est corpus meum.* Quod patet tum ex eo quod conversio non explicite habetur in Evangelio: ac per hoc, nisi ad verificandum verba Domini conversio esset, non apparet ubi fundarent conversionem credendam ab omnibus fore. Tum ex eo quod Ambrosius *, tanto labore insudans ad verificandum *Hoc est corpus meum,* nihil aliud facit nisi quod conatur monstrare hoc quod erat panis, modo esse corpus Christi. Et hoc idem facit Augustinus *. Et, breviter, *de Consecratione* distinctio secunda plena est istis laboribus.

* *De Mysteriis*, cap. ix; IV *de Sacram.*, cap. iv.
* Cf. *de Consecr.*, dist. II, cann. *Corpus et Sang.*; *Non omnis*; *Utrum sub figura.*

Secundo patet ex prius * inducta decretali Lateranensis Concilii, dum dicitur: *Christi corpus et sanguis in sacramento Altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem:* ubi ex ipso modo loquendi apparet prioritas et causalitas transubstantiationis respectu continentiae.

* Num. ii, *Alterum autem.*

Sed et clarius apertissime tertio patet hoc ex Concilio Florentino * sub Eugenio IV, ubi sic legimus: *Forma huius sacramenti sunt verba Salvatoris quibus hoc confecit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum: nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur.* Ubi manifeste vides quod ratio et causa quare hoc conficitur sacramentum, est conversio: hoc enim significat illa causalis coniunctio *nam.* Quinimmo ex hac Ecclesiae determinatione habes convenientem loquendi modum, dicendo quod *verba consecrationis, media conversione panis in corpus Christi, conficiunt hoc sacramentum, quod constat ex specie panis et corpore Christi.* Fit enim ex his duobus ineffabili modo unum sacramentum, quo *ima summis* coniunguntur *. Ita quod ex hac Concilii doctrina, scilicet, *Quia virtute verborum fit conversio, sacerdos proferens verba hoc conficit sacramentum,* manifeste habemus conversionem efficere hoc sacramentum: quod nihil aliud est quam facere unum ex corpore Christi et specie panis; ex his enim duobus cuilibet fideli certum est constare hoc sacramentum.

* In *Decret. pro Armen.*
* S. Greg. M. *Dialog.* lib. IV, cap. lviii.

Et potest formari sic ratio talis. Conficere hoc sacra-

mentum est facere novitatem continentiae *. Sed conversio sacramentalis est ratio confectionis sacramenti. Ergo conversio sacramentalis est ratio novitatis continentiae. – Maior propositio est per se nota, quasi a definito ad definitionem: quia hoc sacramentum significat constans ex accidentibus panis et corpore Christi. – Minor vero patet ex auctoritate Concilii, reddentis pro causa quare verba conficiunt hoc sacramentum, quia ipsorum virtute fit conversio. Et hinc habere quoque potes quod novitas conversionis non concurrit per accidens ad novitatem continentiae, ex quo a sacro Concilio pro causa affertur: causae enim per accidens ab arte relinquuntur *. – Haec de primo.

IX. Quoad secundum *, sciendum est quod, sicut *necessarium* dicitur dupliciter in naturalibus, vel secundum naturae ordinem, ut quod homo generetur ex concubitu maris et feminae, vel secundum habitudinem terminorum, ut circulum esse rotundum, ita in ecclesiasticis mysteriis dupliciter potest dici necessarium: vel secundum ordinem sacramentalem, ut infantem baptizatum mundum esse a culpa et poena; vel quia impossibile est etiam per divinam potentiam aliter fieri, ut quod altare consecratum non fuerit consecratum. In proposito non est disputandum de divina potentia, ubi de sacramentis tractatur: sed est attendendum quid sacramentalis ordo exigat. Et sicut in naturalibus necessaria secundum naturae ordinem appellantur necessaria sine additione aliqua, ita in sacramentalibus appellanda sunt necessaria quae secundum sacramentalem ordinem sunt necessaria: debet enim quaelibet disciplina uti *necessario et contingenti, possibili et impossibili*, secundum proprium ordinem sui generis. Et propterea, quia novitas conversionis, secundum sacramentalem ordinem a Deo institutum et ab Ecclesia explicatum, est necessaria ad novitatem continentiae, dicendum est simpliciter et absolute quod conversio sacramentalis est necessaria ad continentiam corporis Christi sub specie panis.

Probatur autem necessitas secundum ordinem sacramentalem ex supra * dictis, ex quibus apparet clare quod conversio per se concurrit ad verificandum *Hoc est corpus meum*, seu ad confectionem huius sacramenti. Si enim concurreret per accidens, non oportuisset doctores priscos tantum pro ipsa laborare; nec licuisset sacro Concilio ipsam pro ratione confectionis sacramenti reddere; ea enim quae sunt per accidens, ut dictum est *, a doctrina repelluntur. Constat autem quod, si conversio per se concurrit, necessario concurrit: ut norunt exercitati in *Posterioribus Analyticis* *. – Haec de secundo.

X. Quoad tertium *, videtur mihi conversionem habere se ad hoc sacramentum sicut fieri ad factum esse: ita tamen ut non requiras hic omnimodam similitudinem. Sed ea ratione moveor, quia sacramenta novae legis *efficiunt quod significant*. Ac per hoc, verba Christi, *Hoc est corpus meum*, quia efficiunt utramque novitatem, scilicet conversionis et continentiae, ut expresse dicta sacri Concilii * auctoritas testatur; consequens est ut eadem Christi verba significent utramque novitatem; alioquin, plura efficerent quam significarent, immo efficerent quod non significarent. Intelligendo autem conversionem habere se ad hoc esse corpus Christi sicut fieri ad factum esse, optime intelligimus verba Christi significare utramque novitatem, explicando posteriorem ut in termino. Sicut enim in naturalibus dicendo, *Hoc est lumen novum*, significatur illuminatio et illuminatum esse ut in termino, ita in Salvatoris verbis virtutem habentibus factivam conversionis panis in corpus Christi, conversionis inquam unientis corpus Christi et accidentia panis ad unum sacramentum, significatur et conversio panis in corpus Christi, et corpus Christi contineri sub accidentibus panis ut in termino. Et sic verba Christi utrumque significant, et utrumque efficiunt.

Suadetur autem rationabiliter hoc dici, ex eo quod huic dicto omnia consonant dicta Sanctorum, et sacrorum Conciliorum. Et hinc facile solvuntur obiectiones, manifestiorque fit doctrina communis, ut patere potest applicando. – Haec de tertio.

XI. Quoad quartum *, circa aliorum opiniones ** duo

* Cf. num. iv.
* Aristot. *Metaphys.* lib. V, cap. ii, n. 8. - S. Th. lib. VI, lect. ii.
* Num. vi, *Quocirca*.
* Num. praeced.
* Ibid., fin.
* Lib. I, cap. iv, n. 7. - S. Th. lect. x.
* Num. vi, *Quocirca*.
* Florent., *Decret. pro Armen.*; cf. num. viii.
* Num. vi, *Quocirca*.
** Cf. num. v.

sunt advertenda. Primum est quod omnes videntur fugisse veram transubstantiationem panis in corpus Christi quia non videtur intelligibile absque aliqua novitate in substantia Christi.

Secundum est quod duplex excessus apparet in eis. Alter, recurrendi ad possibile secundum divinam potentiam: cum debuissent suavi tractatu discurrere secundum potentiam sacramentorum eorumque ordinem *. Et ex hoc excessu orta est illa repulsa opinio Ioannis Parisiensis de assumptione paneitatis ad unitatem hypostasis Christi *, quam a pluribus doctoribus recitatam videre potes, si vis. – Alter excessus est, nimis metiendo res fidei secundum lumen humani ingenii sibi praestiti. Ex hoc enim transubstantiationem evitarunt: cum multo melius ac perspicacius sensissent si, Magistrum Sententiarum * secuti, cum admiratione illam verissime tenuissent.

XII. Nunc ad praesentem articulum redeamus, quo conclusum est corpus Christi veraciter esse in hoc sacramento, dicente ipso, *Hoc est corpus meum*. Et, ut iam * diximus, in hoc omnes fideles conveniunt: sed modus quo est, in disputationem vertitur.

Scotus * putavit corpus Christi, absque deperditione proprii loci, acquirere quandam praesentiam ad species panis, quae praesentia est quidam respectus, quasi de genere *ubi*.

Durandus * putavit corpus Christi, absque recessu a proprio loco, esse praesens accidentibus dictis sicut angelus est praesens corpori prius natura quam moveat ipsum, dante Deo Christi corpori secundum substantiam immediatum ordinem ad accidentia panis conversi in ipsum, non minus quam si absque quantitate pura substantia esset.

Sed neutra harum opinionum sufficiens apparet ad verificandum id quod communiter fatemur, scilicet, sumendo hostiam consecratam sumere nos verum Christi corpus: sed solum esset verum nos sumere accidentia praesentia corpori Christi. Patet enim haec sequela, primo, ratione: quia sumens unum praesens alteri, non oportet sumere alterum. Deinde proprio exemplo secundae opinionis: quia sumens panem cui est praesens angelus, non propterea sumit angelum. Et similiter quoad primam opinionem: quia sumens panem locatum, etiam si inde non moveretur, non propterea sumeret locum eius; et tamen inter panem et eius locum est mutua praesentia. Non videtur ergo sufficienter salvari veritas huius ex hoc solum quod ponitur simplex Christi corporis praesentia ad accidentia panis, quamvis verum sit corpus Christi esse illis praesens.

XIII. Unde convenientius, cum Augustino et Gregorio, recitatis a Magistro Sententiarum *, dicimus ex corpore Christi et accidentibus panis constare unum sacramentum; non praecise sicut ex signo et signato, sed quodam ineffabili modo: qui a sacro Concilio Lateranensi * vocatus est *ex continente et contento*; quo etiam nomine appellavit eum Magister Sententiarum *; quem modum Auctor in hac littera, in responsione ad argumenta *, appellavit *spiritualem*, et *modum proprium huic sacramento*.

Monstratur autem huiusmodi convenientia ex ipsis Domini verbis. Nam et forma sacramenti, *Hoc est corpus meum*, idest, *Contentum sub hac specie est corpus meum*, ut communiter exponitur, monstrat corpus Christi contineri sub accidentibus istis: praesertim quod ly *hoc* non demonstrat substantiam simpliciter et absolute, sed ut connotat ipsius continentiam sub istis accidentibus. Quod convincitur ex eo quod oportet, durantibus accidentibus, semper verificari contentum sub his accidentibus esse corpus Christi.

Ex aliis autem verbis Domini, Ioan. vi *, *Verba quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*, apparet spiritualis coniunctio verae carnis Christi cum accidentibus panis. Intellexerant siquidem discipuli Christi carnem carnaliter comedendam, ac per hoc, morte intercedente: non vescimur siquidem carnibus nisi mortuis. Salvator autem noster utrumque errorem abstulit, dicendo quod *spiritus et vita sunt: vita*, contra mortem; *spiritus*, contra carnem, idest carnalem modum; ac si aperte dixisset: *Dicta mea sic intelligite quod viva mea caro spiritualiter vobis offeretur in cibum.*

* Cf. num. ix.
* Cf. D'Argentrée, *Collect. Iudic. de Novis Error.* etc., ad ann. 1299.
* IV *Sent.*, dist. xi, cap. *Si vero quaeris.*
* Num. v, in princip.
* IV *Sent.*, dist. xi, qu. iv.
* IV *Sent.*, dist. xi, qu. i.
* IV *Sent.*, dist. x, capp. *Quae ex eadem*; *Haec et his*; dist. xi, cap. *Quidam vero.*
* Cf. num. viii, *Secundo.*
* IV *Sent.*, dist. x, cap. *Haec et his.*
* Ad 3; cf. not. ρ.
* Vers. 64.

Merito demum modus iste proprius dicitur huic sacramento: non solum propter differentiam a ceteris sacramentis; sed etiam quia in toto universo non apparet unus aliquis modus huic similis. Propter quod cum admiratione et veneratione fateamur defectum cognitionis nostrae circa hoc.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM IN HOC SACRAMENTO REMANEAT SUBSTANTIA PANIS ET VINI POST CONSECRATIONEM

IV *Sent.*, dist. xi, qu. i, art. 1, qu^a^ 1; IV *Cont. Gent.*, cap. lxiii; *In Matth.*, cap. xxvi; I *ad Cor.*, cap. xi, lect. iv.



AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in hoc sacramento remaneat substantia panis et vini post consecrationem. Dicit enim Damascenus, in libro IV *: *Quia consuetudo est hominibus comedere panem et vinum* [α], *coniugavit eis deitatem, et fecit ea corpus et sanguinem suum.* Et infra [β]: *Panis communicationis non panis simplex est, sed unitus deitati.* Sed coniugatio est rerum actu existentium. Ergo panis et vinum simul sunt in hoc sacramento cum corpore et sanguine Christi.

* *De Fide Orth.*, lib. IV, cap. xiii.

2. PRAETEREA, inter Ecclesiae sacramenta debet esse conformitas. Sed in aliis sacramentis substantia materiae [γ] manet: sicut in baptismo substantia aquae, et in confirmatione substantia chrismatis. Ergo et in hoc sacramento substantia panis et vini manet.

3. PRAETEREA, panis et vinum assumitur in hoc sacramento inquantum significat [δ] ecclesiasticam unitatem, prout *unus panis fit ex multis granis, et unum vinum ex multis racemis,* ut Augustinus dicit, in libro *de Symbolo* *. Sed hoc pertinet ad ipsam substantiam panis et vini. Ergo substantia panis et vini remanet in hoc sacramento.

* *In Ioan. Evang.* tract. XXVI, n. 17.

SED CONTRA EST quod Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* *: *Licet figura panis et vini videatur, nihil tamen aliud quam caro Christi et sanguis post consecrationem credenda sunt.*

* Can. *Omnia quaecumque, de Consecr.*, dist. II.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam * posuerunt post consecrationem substantiam panis et vini in hoc sacramento remanere. – Sed haec positio stare non potest. Primo quidem, quia per hanc positionem tollitur veritas huius sacramenti, ad quam pertinet ut verum corpus Christi in hoc sacramento existat. Quod quidem ibi non est ante consecrationem. Non autem aliquid potest esse alicubi ubi prius non erat, nisi per loci mutationem, vel per alterius conversionem in ipsum: sicut in domo aliqua de novo incipit esse ignis aut quod [ε] illuc defertur, aut quod ibi generatur. Manifestum est autem quod corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem. Primo quidem, quia sequeretur quod desineret esse in caelo: non enim quod localiter movetur, pervenit de novo ad aliquem locum, nisi deserat priorem. Secundo, quia omne corpus localiter motum pertransit omnia media: quod hic dici non potest. Tertio, quia impossibile est quod unus motus eiusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diversa loca: cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento simul esse incipiat. Et propter hoc relinquitur quod non possit aliter corpus Christi incipere esse de novo in hoc sacramento nisi per conversionem substantiae panis in ipsum. Quod autem convertitur in aliquid, facta conversione, non manet. Unde relinquitur quod, salva veritate huius sacramenti, substantia panis post consecrationem remanere non possit.

* Rupert. *Comment. in Ioan.* lib. VI; *de Divin. Offic.* lib. II, cap. ii, ix; Guiedo de Cluvigny, in *Quodlibet.* (Cf. d'Argentrée, *de Novis Error,* an. 1265.).

Secundo, quia haec positio [ζ] contrariatur formae huius sacramenti, in qua dicitur, *Hoc est corpus meum.* Quod non esset verum si substantia panis ibi remaneret: nunquam enim substantia panis [η] est corpus Christi. Sed potius esset dicendum, *Hic* [θ] *est corpus meum.*

Tertio, quia contrariaretur [ι] venerationi huius sacramenti, si aliqua substantia esset ibi quae non posset adorari adoratione latriae.

Quarto, quia contrariaretur ritui Ecclesiae, secundum quem post corporalem cibum non licet sumere corpus Christi: cum tamen post unam hostiam consecratam liceat sumere aliam.

Unde haec positio [κ] vitanda est tanquam haeretica.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Deus coniugavit *divinitatem suam,* idest divinam virtutem, pani et vino, non ut remaneant in hoc sacramento, sed ut faciat inde corpus et sanguinem suum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in aliis sacramentis non est ipse Christus realiter, sicut in hoc sacramento. Et ideo in sacramentis aliis manet substantia materiae, non autem in isto.

AD TERTIUM DICENDUM quod species quae remanent in hoc sacramento, ut infra * dicetur, sufficiunt ad significationem huius sacramenti: nam per accidentia cognoscitur ratio substantiae.

* Art. 5.

α) *vinum.* – *bibere* addit P. – *eis* F et tertia; *in eis* E, *enim eis* ceteri.

β) *infra.* – *ita* PDF*a* et forte ABC.

γ) *substantia materiae.* – PFsE; *substantiae materiae* pE, *materia* I, *substantiae materia* ceteri.

δ) *assumitur... significat.* – *assumuntur... significat* HI*b*, *assumuntur... significant* PsG et *c*.

ε) *aut quod.* – *aut quia* D et tertia, *aut* F; altero loco *aut* PF, *aut quia* D et cetera tertia.

ζ) *haec positio.* – F et tertia; *hoc ipsum* ed. *a*, *hoc ipso* ceteri.

η) *panis.* – sE *a* et tertia (praeter I?); om. ABCDpE; *ibi... panis* vel *panis ibi... substantia* om. I; *nunquam... corpus meum* om. F.

θ) *Hic.* – PDI*ac*; *Hoc* ABCHpE et *b*, *Hoc non* sE, *Haec* G; pro F vide η.

ι) *contrariaretur.* – *contrariatur* tertia hic et statim. – Post *substantia* PI addunt *creata.*

κ) *positio.* – *propositio* ABCpE. Pro *vitanda*, *vitanta* pAG, *in tantum* B, *in tanta* C.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore duo facit: primo, recitat opinionem affirmativam; secundo, reprobat eam quatuor rationibus, per hoc concludendo negativam.

Et quia rationes Auctoris a posterioribus fuerunt valde discussae ac improbatae, quamvis teneant conclusionem cum Auctore; ideo afferenda sunt motiva quae contra has rationes adducuntur *.

* Cf. num. II, XIV, XVII.

II. Circa primam rationem, multa obiiciuntur contra illam maiorem: *Non potest aliquid esse ubi prius non erat, nisi vel per loci mutationem, vel per alterius conversionem in ipsum.* Arguitur enim contra ipsam tripliciter: primo, contra ipsam absolute; secundo, contra ipsam applicatam ad hanc materiam *; et tertio, contra perseitatem illius *. Scotus in primis, in IV *Sent.*, dist. X, qq. I, III et IV, et dist. XI, qu. II, multipliciter obiicit. Durandus quoque, in XI distinctione * Quarti, obiicit.

* Num. III.
* Num. IV.
* Qu. I.

Quadrupliciter ergo contra maiorem universaliter intellectam arguitur *. *Primo,* a Durando **. Quia Deus posset creare novum caelum supra ultimam nunc sphaeram. Et tunc ultima nunc sphaera inciperet esse ubi prius non erat, absque hoc quod moveretur, et absque hoc quod aliquid converteretur in ipsam. Falsa est ergo maior assumpta.

* Cf. num. VII.
** Loc. cit.

Secundo, ab utroque *. Quia Deus posset facere corpus suum esse praesens sacramento Altaris simul cum substantia panis, cum hoc non implicet contradictionem: et tunc corpus Christi inciperet esse sub sacramento absque motu locali, et absque conversione alicuius in ipsum. – Assumptum probatur a Scoto *. Quia non est maior repugnantia corpus Christi esse simul cum substantia panis, quam sub quantitate eius: quia non magis repugnat substantia substantiae quam substantia quantitati, quoad talem simultatem.

* Durand., ibid.; Scot. IV *Sent.*, dist. X, qu. I.
* Ibid., qu. III.

Tertio, a Scoto *. Quia de facto quantitas corporis Christi et anima eius incipiunt esse in hoc sacramento absque hoc quod aliquid convertatur in ipsas.

* Ibid. qu. IV, ad argg. principal.

Et si glossetur maior, arctando ipsam ad id quod primo incipit esse alicubi, et dicendo quod non habet locum in his quae incipiunt esse alicubi concomitanter: contra instat Scotus dupliciter. Primo, quia ex hoc habeo quod non est propria mutatio, nec propria formalis ratio, nec praecisa, ad esse alibi rem immotam localiter, conversio alicuius in ipsam. – Secundo, quia alia est praesentia animae hic, et alia praesentia corporis, quia aliud et aliud est fundamentum: sed praesentia animae non habetur per conversionem in ipsam, nec per motum localem: ergo maior est falsa.

Quarto *. Deus potest facere in creatura aliquid sine eo quod non est sibi ratio essendi, nec aliquo modo de essentia eius. Sed nec conversio nec sacramentum est formalis ratio corpori Christi essendi hic, nec aliquo modo de essentia eius. Ergo Deus potest facere corpus Christi esse hic sine utroque istorum. – Probatur minor. Quia conversio non est ratio formalis essendi: nec ut praesens, quia praeteriit, corpore Christi existente hic; nec ut praeterita, quia tunc Deus non posset subtrahere hinc corpus Christi, sicut nec facere quod non praeteriit conversio. Similiter nec sacramentales species: quia non sunt in corpore Christi, nec per eas aliquid inest formaliter corpori Christi.

* Scot. ibid., qu. III.

Quinto, arguitur ex alio capite *, ex hoc scilicet quod corpus Christi immotum potest simul esse in diversis locis localiter. Sed de hoc alias *.

* Scot. ibid., qu. II.
* Cf. num. VI.

III. Circa applicationem vero maioris ad hanc materiam *, tripliciter arguitur **. Primo, a Durando ***. Corpus Christi esse in sacramento non est esse alicubi: quia non est esse in loco. Male ergo applicatur illa maior de ubi et alicubi ad esse in sacramento: et falsa est minor dicens quod corpus Christi incipit esse ubi prius non erat, essendo in sacramento.

* Cf. num. II, init.
** Cf. num. VIII.
*** IV *Sent.*, dist. XI, qu. I.

Secundo, a Scoto *. Genitum esse in loco corrupti est verum propter materiam communem utrique: propterea enim ignis incipit esse ubi erat aer conversus in ignem, quia ex materia quae fuit aeris, remanente ibidem, et forma ignis fit compositum ibidem. In proposito autem, quia non remanet materia panis, non habet locum maior, dicens quod per conversionem corpus Christi est ubi erat panis.

* IV *Sent.*, dist. XI, qu. II, ad argg. in opposit.

Tertio, ab eodem * et Durando **. Quia aliud est loqui de conversione absolute, et aliud de conversione in praeexistens. Nam quod convertitur in praeexistens, trahitur ad conditiones praeexistentis, et non e contra: ut patet in alimento et alito. Et propterea hinc sequitur quod panis est ubi est corpus Christi, et non e converso.

* IV *Sent.*, dist. X, qu. I.
** IV *Sent.*, dist. XI, qu. I.

IV. Contra perseitatem *, hoc est, necessitatem conversionis ad existentiam corporis Christi in hoc sacramento, quod scilicet impossibile sit corpus Christi, non motum localiter, incipere esse in hoc sacramento absque conversione alicuius, puta panis, multipliciter arguitur *.

* Cf. num. II, init.
* Cf. num. IX.

Primo, a Scoto *. Per nullam mutationem habetur per se illud quod est aliud et posterius suo per se termino. Sed praesentia corporis Christi hic, idest in hoc sacramento, est quid aliud et posterius corpore Christi, quod est proprius terminus transubstantiationis. Ergo per conversionem panis in corpus Christi non habetur per se huiusmodi praesentia.

* IV *Sent.*, dist. X, qu. I.

Secundo *: et supponitur Deum posse facere corpus Christi praesens hostiae, manente substantia panis *. Quod probatur: quia novitas posterioris non infert novitatem prioris, ex VIII *Physic.* *, ubi ponitur motus localis in caelo sine mutatione secundum formam absolutam. Arguitur ergo sic. Sine mutatione substantiali potest esse nova praesentia corporis Christi ad panem. Ergo oportet dare aliquam mutationem ad huiusmodi praesentiam. Ergo huiusmodi praesentia non habetur per conversionem: et probatur sequela. Quia terminus unius rationis, cuiusmodi est praesentia, non proprie per se est terminus duarum mutationum distinctarum secundum genus.

* Ibid. - Cf. num. XI, XII.
* Cf. num. II, *Secundo.*
* Cf. Aristot. *Metaphys.* lib. VII, cap. IV, n. 6. - S. Th. lib. VIII, lect. IV.

Et si dicatur, inquit Scotus *, corpus Christi posse esse praesens cum substantia panis sine mutatione substantiali, tamen nunc de facto fit praesens per substantialem mutationem panis in corpus Christi, et non per aliam, contra: – In corpus Christi prius factum praesens pani, posset Deus convertere panem: quia non esset magis contradictio tunc quam nunc. Ergo talis conversio vel non faceret corpus Christi praesens: vel fieret praesens postquam fuit praesens, et sic eadem praesentia terminaret duas dictas mutationes.

* Loc. prox. cit.

V. Deinde extenduntur argumentationes ad hoc quod conversio nihil facit ad praesentiam corporis Christi in sacramento *. Et arguitur *primo* ** sic. Deus posset convertere panem in corpus Christi ut habens esse in caelo: quia non est ibi maior contradictio quam in conversione quae nunc ponitur. Sed tunc non haberetur corpus Christi sub specie panis ex ipsa conversione. Ergo nec nunc.

* Cf. num. XIII.
** Scot., IV *Sent.*, dist. X, qu. I.

Secundo *. Si panis quantus converteretur in corpus Christi quantum, ita quod substantia in substantiam et quantitas in quantitatem verteretur, tunc corpus Christi quantum non haberet *ubi circumscriptive* quod fuit circumscriptive panis quanti. Ergo nunc non habet *ubi definitivum* substantiae panis. – Et probatur sequela. Quia ita se habent substantiae quae subsunt quantitatibus ad loca definitive, sicut substantiae quantae ad loca circumscriptive. Ac per hoc, quod facit conversio substantiae in substantiam ad ubi definitive, hoc facit ad ubi circumscriptive conversio substantiae quantae in substantiam quantam.

* Ibid.

Tertio *. Si per conversionem fit terminus ad quem ubi fuit terminus a quo, ergo modus essendi utriusque erit similis: ille saltem modus qui potest esse commu-

* Ibid.

nis utrique. Sed panis erat hic quantitative. Ergo corpus Christi erit hic quantitative. Quod est inconveniens.

* IV *Sent.*, dist. XI, qu. I.

Quarto, arguit Durandus *. Sicut se habet substantia ad substantiam, sic se habet quantitas ad quantitatem. Sed si quantitas panis converteretur in quantitatem corporis Christi, non propter hoc quantitas corporis Christi fieret ubi fuit quantitas panis. Ergo non propter conversionem corpus Christi fit ubi erat panis.

* Cf. num. II, *Quinto.*

VI. Reliqua argumenta, quae contra hanc eandem Auctoris rationem ex alio capite militant *, hoc est ex suppositione quod unum corpus potest esse simul localiter in diversis locis, cum rationibus probantibus ipsam suppositionem, ideo pro nunc omitto, quia constat corpus Christi non esse in sacramento localiter. Hinc enim huiusmodi quaestio a proposito remota apparet. Fiet autem de hoc quaestio specialis *.

* Qu. LXXVI, art. 5.

Haec igitur sunt quae contra primam litterae rationem obiiciuntur.

VII. Ad evidentiam horum, praemittendum est quod non est hic quaestio de divina potentia, non enim ad hunc tractatum haec spectat quaestio: sed quaerimus quid institutus ordo causarum habeat. Unde, cum dicitur in littera *, *Impossibile est* etc., non est sermo de impossibili secundum divinam potentiam absolute: sed secundum potentiam ordinatam, secundum quam attenditur possibile vel impossibile in ecclesiasticis mysteriis. Et hinc multorum argumentorum quae adduximus solutio pendet.

* In corpore.

Unde ad obiecta contra Auctoris propositionem maiorem absolute et universaliter intellectam * respondendo, dicitur quod duo prima argumenta, quia aequivocant de possibili, dum de divina potentia absolute loquuntur, non militant contra Auctorem. – Prima tamen obiectio, de ultima sphaera, praeter hoc dupliciter deficit. Primo, quia maior litterae manifeste loquitur de locis praeexistentibus: obiectio autem creat de novo locum praeexistenti locabili. Secundo deficit quia, si crearetur alia sphaera, ista quae nunc est suprema, proprie loquendo, esset in eodem loco in quo nunc est: varietas autem esset de loco imaginario in locum realem, et de loco potentiali in locum actualem. Unde, proprie loquendo, non acquireret novum locum, sed novum continens. Sermo autem litterae est de loco novo totaliter, et non secundum quid.

* Num. II, *Quadrupliciter.*

Ad tertium vero dicitur quod responsio recitata non est mala. Melius tamen diceretur: ***Nihil immotum potest esse ubi prius non fuit, nisi per conversionem in ipsum, aut aliquid sibi realiter coniunctum.*** Et per hoc excluditur prima instantia Scoti, dicendo quod conversio est propria mutatio afferens praesentiam proprii termini primo, et coniunctorum illi concomitanter. Sic enim nulla fit exceptio ab illa maiore, sed declaratur vim conversionis extendere se ad praesentiam non solum proprii termini, sed concomitantium illum. – Ad secundam autem instantiam, negatur aliam esse praesentiam animae, et aliam corporis in hoc sacramento. Eadem enim numero praesentia qua corpus Christi praesens est sacramento, anima eius, corpus concomitans, denominative dicitur praesens. Unde falsum est esse aliud et aliud fundamentum praesentiae in anima et corpore. Sicut etiam anima mea est in hoc loco quia corpus meum est hic, et a corporis praesentia in loco denominatur anima mea praesens; nec oportet ponere aliam propriam in anima mea praesentiam ad locum hunc.

Ad quartum dicitur quod maior est diminuta: debet enim addi, ***nec necessario connexum.*** – Et ultra hoc, minor est etiam diminuta, quantum ad conversionem. Quoniam connexio praesentiae ad conversionem nec est ut ad praesentem, nec ut ad praeteritam, sed ut ad viam in ipsam: habet enim se ut factum esse in termino ad fieri. – Illud quoque quod additur de speciebus, diminutum est. Datur enim tertium, scilicet quod sub illis corpus Christi habet praesentiam quam sine illis haberi non est intelligibile, quia implicat contradictionem. Nam si corpus Christi esset sacramentaliter sine aliquo sensibili signo, integraret et non integraret sacramentum; et similiter contineretur sub signo sensibili et non contineretur; et similiter esset praesens sensibili signo, et nulli sensibili signo esset praesens. Et tenent sequelae: quia de ratione sacramenti est sensibile signum; ac per hoc, sacramentale esse intelligi nequit absque sensibili signo.

VIII. Ad obiecta autem contra applicationem dictae maioris ad hanc materiam * respondendo, dicitur ad primum quod tripliciter deficit. Primo, quia in littera non subsumitur quod esse in sacramento sit esse alicubi, ut patet intuenti. – Secundo, quia licuit, philosophorum more, latentes res per comitantia accidentia declarare. Constat autem quod esse in sacramento est esse valde latens, verificans locum eundem de sacramento et existente sub sacramento. Licuit igitur uti propositione de ubi et alicubi pro maiore; et subsumere de esse in sacramento tanquam verificante ubi et alicubi de corpore Christi existente in sacramento. – Et hinc patet tertium: quod scilicet vere, quamvis per accidens, per esse in sacramento acquirit novum ubi, puta altare, quod est locus specierum. Et potest unico verbo dici quod esse in sacramento, licet non sit esse in loco formaliter, est tamen causaliter, pro quanto per illud esse Christus est ubi est sacramentum.

* Cf. num. III.

Ad secundum vero dicitur quod, formaliter loquendo, materia, inquantum remanens ibidem sub utroque termino, facit quod genitum sit in loco corrupti. Et ex hoc habetur quod quodcumque quantum remanens alicubi sub utroque termino, sufficit ad hoc quod genitum sit in loco corrupti. Et quia sic contingit in proposito, nam eadem numero species panis quanta ibidem remanet sub utroque termino; ideo sufficienter habetur unde corpus Christi sit in loco panis conversi in ipsum, quamvis materia nulla communis remanserit: species enim quanta remanens aequivalet materiae quoad hoc.

Ad tertium autem dicitur quod in hac mirabili transubstantiatione concurrunt duae rationes, scilicet ratio conversionis, et ratio praeexistentis. Et pro quanto invenitur in hoc sacramento ratio conversionis, qua id quod erat panis substantia est substantia corporis Christi, habemus, iuxta generalem regulam conversorum in naturam aliam, corpus Christi esse ubi erat panis. Et hoc est quod littera sonat, quod ignis incipit esse alicubi quia id quod est ibi convertitur in ignem. Et hoc est clarum, et expedit ad manuducendum intellectum. Qui si solum attenderet quod ex pane hic existente fit corpus Christi, ita quod contentum sub accidentibus panis acquisivit substantialiter integram naturam Christi corporis per conversionem in ipsum, facile intelligeret corpus Christi esse ubi erat panis conversus in Christi corpus, sicut ignis est ubi erat lignum conversum in ignem. Sed quia rationi conversionis adiungitur ratio praeexistentis Christi corporis, impediri videtur quod dictum est haberi ex ratione conversionis: quoniam ipsum praeexistens trahere videtur ad se quod convertitur in ipsum. Veruntamen oportet in huiusmodi mirabilibus hominem esse persuasibilem, et conceptus nostros sacris adaequare mysteriis, et non e contra. Et propterea dicimus quod ex ratione conversionis habemus corpus Christi esse ubi fuit panis: hoc enim, ut ex supra * dictis patet, tam Ecclesiae quam sacrorum doctorum tradidit auctoritas. Ex ratione vero praeexistentis Christi corporis absque additione mutationeque aliqua in ipsius substantia, habemus, non quod panis, sed *id quod fuit panis* est ubi est corpus Christi: quia est ipsum corpus Christi verum, quod est in caelo. Et ex hac parte concedendum est quod conversum acquirit conditiones eius in quod est conversum. Nec potest hinc inconveniens aliquod inferri: sed duo mirabilia conspiciuntur ex hac mirabili conversione, scilicet, corpus Christi esse ubi fuit panis, et id quod fuit panis esse ubi est corpus Christi.

* Art. I, Comment. num. VIII.

IX. Ad obiecta contra necessitatem conversionis ad corpus Christi esse in sacramento * respondendo, dicitur ad primum quod, ut supra * diximus, dupliciter de conversione panis in corpus Christi loqui possumus, hoc est, vel absolute, vel sacramentali. Et si sit sermo de conversione absolute, fateor me non videre necessitatem. Et sic arguentes fere omnes de conversione loquuntur. Et propterea non est mirum si contra Auctorem communemque doctrinam non militant: quia non de conversione absolute,

* Num. IV.

* Art. I, Comment. num. VII.

sed de conversione sacramentali intelligenda est communis doctrina. Haec enim necessaria est ad verificandum sacramentum Eucharistiae.

Unde ad primam obiectionem Scoti, quae est maximum eius fundamentum, dicitur quod tam maior quam minor est falsa. Maior quidem, quoniam in naturalibus videmus quod per eandem mutationem habetur per se non solum substantia per se primo terminans, sed concomitans passio. Nam per unam et eandem generationem habetur per se terra et eius gravitas, et similiter ignis et eius levitas: in tantum quod gravia et levia dicuntur ab Aristotele * moveri per se a generante. Et similiter per eandem mutationem habetur substantia Socratis et eius filiatio, cum Socrates generatur. Falsa est ergo maior in absolutis et relativis.

* *Physic.* lib. VIII, cap. IV, n. 7. - S. Th. lect. VIII.

Minor autem, univoce loquendo de conversione, non est usquequaque vera, pro tanto quia, licet conversionis absolute terminus proprius sit solummodo corpus Christi, conversionis tamen sacramentalis proprius et per se terminus est corpus Christi verificans Christi verbum, *Hoc est corpus meum:* sic enim, ut ex superius * dictis apparet, ab Ecclesia et priscis doctoribus docti sumus. Et quia incognitum nobis est quid addit supra corpus Christi ly *verificans, Hoc est corpus meum,* quoniam vires humani intellectus excedit quomodo corpus Christi est in sacramento hoc, ideo pro frivolis molestiis potius quam rationabilibus argumentis habendae sunt obiectiones quae contra hoc fierent ex eo quod corpus Christi in hoc sacramento non est per se unum, sed aggregatum per accidens, et similia. Sufficiat nobis *addiscentibus* in hac via *credere* * Ecclesiae et doctoribus priscis quia sic est. – Veruntamen, pro aliquali quiete humani intellectus, scito merito frivola haec dici: quia manifeste constat terram et gravitatem non constituere unum per se, utpote res diversorum praedicamentorum, et tamen per eandem haberi mutationem.

* Art. 1, Comment. num. VIII.

* Cf. Aristot. *Sophist. Elench.*, cap. II, n. 2.

X. Posset quoque aliter solvi dicta Scoti ratio, significando illum essendi modum nomine relativo, puta, *contineri sub specie panis:* et dicendo quod conversio sacramentalis in hoc differt a conversione absolute, quod sacramentalis conversio est in corpus Christi non solum secundum se, sed ut consequitur inter ipsum et accidentia panis respectus contenti et continentis; ita quod, sicut generatio est illativa substantiae geniti cum filiatione consequente, ita conversio sacramentalis habet vim illativam ex pane corporis Christi cum relatione contenti sub accidentibus panis.

Et secundum hoc, ad rationem Scoti dicendum esset quod duo sunt genera rerum: quaedam enim sunt quae secundum se ex suo genere per se primo fiunt et sunt, et haec apud Aristotelem sunt sola composita, ut patet VII *Metaphys.* *; *quaedam vero sunt quae,* ut Aristotele ** utar, *sunt et non sunt absque hoc quod generentur vel corrumpantur,* et, extensiori vocabulo loquendo, absque hoc quod fiant; et hae sunt formae omnes, et praecipue relationes, quae regulariter aliorum factionem consequuntur. Quocirca, dato quod maior Scoti sit vera loquendo de primo genere rerum, falsa tamen est miscendo omnia genera simul: quoniam falsa est de relationibus concomitantibus proprium mutationis terminum; et universaliter falsa est de consequentibus proprium mutationis terminum. Quodlibet enim horum concomitantium, licet sit aliud et posterius proprio mutationis termino, per eandem tamen mutationem per se secundo haberi potest, quamvis non habeatur per illam per se primo.

* Cap. V, n. 1. - S. Th. lib. VIII, lect. IV.
** Ibid.

Et sequendo haec, dicitur in proposito quod conversio sacramentalis per se primo terminatur ad corpus Christi, inferendo per se secundo continentiam corporis Christi sub accidentibus panis, quae continentia, licet sit aliud quid et posterius Christi corpore, est tamen necessario necessitate sacramenti consequens corpus Christi ut terminum conversionis sacramentalis.

XI. Antequam autem respondeatur aliis argumentis *, quia superius * declaratas mutationes duas supponunt, praemonstrandum est quid sentiendum sit de his mutationibus. Scito igitur, recolendo ante dicta, duplicem opinionem de eis esse posse. Altera, quae est Scoti, ponit duas in hoc sacramento mutationes intervenire: prima est conversio panis in corpus Christi; secunda est qua corpus Christi de non praesente seu non contento fit praesens seu contentum sub specie panis. – Altera vero opinio est quod non est hic nisi una sola mutatio, qua ex pane fit corpus Christi: sed ad istam mutationem sequuntur utrinque relationes; in accidentibus siquidem panis ex hac mutatione sequitur relatio continentis, et in corpore Christi ex eadem mutatione sequitur relatio contenti; et sic haec mutatio sufficit ad faciendum corpus Christi veraciter contineri sub specie panis.

* Num. IV, *Secundo.*
* Num. IV, IX, X.

Monstratur autem multipliciter rationabilitas huius opinionis, simul cum destructione alterius, cum ex hoc quod pluralitas non est ponenda sine necessitate *: ac per hoc, cum una mutatio hic sufficiat, non sunt ponendae duae. – Tum quia, secundum philosophorum doctrinam, relationes fiunt consecutive ad mutationes absolutorum, et non per alias proprias mutationes. – Tum quia tam Ecclesiae quam priscorum doctorum doctrina * tradit conversionis mutationem pro ratione verificante corpus Christi contineri sub specie panis. Quae doctrina non verificaretur, nisi forte per accidens, si intervenirent hic duae mutationes: quoniam, si duae mutationes sunt, prima per accidens se haberet; quod etiam adversarii fatentur *. Sed tunc sequitur maximum inconveniens: quod tam Ecclesia quam prisci doctores laboraverunt ad reddendam rationem per accidens, quae ab arte et doctrina resecanda est *. Dicamus igitur quod una sola hic intervenit mutatio, inferens novitatem continentiae.

* Cf. Aristot. *Topic.* lib. VIII, cap. IX, n. 18.

* Cf. art. 1, Comment. num. VIII.

* Cf. Scot. IV *Sent.*, dist. X, qu. I.

* Aristot. *Metaphys.* lib. V, cap. II, n. 8. - S. Th. lib. VI, lect. II.

An autem sacramentalis conversionis mutatio inferat in utroque extremo relationes reales continentiae activae et passivae; vel solum ex parte corporis Christi sit relatio realis ad species, qua continetur sub speciebus, et per hoc denominantur species continere corpus Christi quia corpus Christi continetur sub illis; vel in speciebus ipsis realis continentiae relatio ad corpus Christi consurgit, ex qua corpus Christi cointelligitur referri ad species ut contentum ad continens, non quia ipsum referatur ad species, sed quia species referuntur ad ipsum, sicut Deus realiter dicitur Dominus creaturae non quia ipse referatur ad creaturam servam, sed quia creatura refertur ad ipsum: – non facile dixerim: quia ignotus est modus quo corpus Christi continetur sub specie panis.

Cum his tamen omnibus, conclude ita esse hic unam solam mutationem ut, affirmando unicam, perspicias ita intervenire in hoc sacramento unicam mutationem in actu ut non negetur esse plures in potentia, non naturali aut sacramentali, sed divina absolute: hoc est, quod id quod de facto fit per unicam mutationem, posset Deus facere per plures mutationes; posset enim mutare panem in corpus Christi una mutatione, et facere corpus Christi contentum sub specie panis alia mutatione. Sed quoniam hoc ad potentiam absolutam Dei respicit, simpliciter et absolute loquendo, unicam dicito intervenire mutationem.

Et haec dicta de his mutationibus actu vel potentia in ordine ad relationes, non aliter dicta intellige quam considerando esse sacramentale corporis Christi relative secundum relationes contenti et continentis. Nam secundum rem longe altius est quam huiusmodi relativa significent. Et magis reverenter ac eminentius de illo sentitur et dicitur, cum de illo secundum se sentimus, et dicimus quod se habet ad conversionem ut factum esse in termino ad fieri, ut superius * explicavimus.

* Art. 1, Comment. num. X.

XII. Communicando tamen in consideratione respectiva cum adversariis, ne fugere difficultates videamur, his praemissis, ad secundum Scoti * dicitur, admisso praesupposito, quod consequentia prima nihil valet, utpote inferens a possibili logico necessarium, dum dicit, *Potest esse, Ergo oportet.* – Et per hoc patet quod secunda consequentia, dicens, *Ergo huiusmodi praesentia non habetur per conversionem,* non infertur ex primo antecedente. Et ad probationem dicitur quod terminus unius rationis, cuiusmodi est praesentia, non est terminus per se duarum mutationum, quia non intervenit nisi una mutatio: quamvis per potentiam divinam possit esse terminus duarum mutatio-

* Num. IV, *Secundo.*

num, substantialis quidem consecutive, accidentalis autem secundum se.

* Num. IV, *Et si dicatur.* Ad tertium * autem, contra bonam responsionem de facto vel potentia, dicitur quod, si panis converteretur in Christi corpus prius praesens factum, corpus Christi esset duplici vinculo praesens, hoc est, ex vi conversionis sacramentalis, et ex vi prioris actionis divinae omnipotentiae. Unde nihil aliud sequitur nisi quod huiusmodi praesentia potest per divinam omnipotentiam terminare duas mutationes: quod gratis concessum fuit.

XIII. Ad obiecta demum contra efficaciam conversionis ad praesentiam corporis Christi in sacramento * (* Num. v.), respondendo per conditionales, ut in praecedenti fecimus responsione, dicitur quod, si Deus converteret panem in corpus Christi ut habens esse in caelo, non esset conversio eiusdem rationis cum ista sacramentali. Ac per hoc, non est ad propositum quidquid inde sequeretur.

Et per idem respondetur ad secundum. – In quo sunt multi alii defectus: puta quod corpus Christi nunc de facto acquirit ubi definitivum substantiae panis; et quod substantia subiecta quantitati habet suum ubi definitive praeter ubi circumscriptive. Nam substantia, seclusa quantitate virtualique contactu, nusquam est: et esse corporis Christi sub sacramento non est esse alicubi.

Ad tertium, negatur sequela: quia voluntarie affertur.

Ad quartum, quod est Durandi, dicitur quod argumentum a *sicut* saepe claudicat: et in proposito nihil valet. Et ratio est quia non esset conversio eiusdem rationis cum ista sacramentali, si quantitas converteretur in quantitatem. Et propterea non est mirum si aliud inde sequeretur, et aliud sequitur hinc.

XIV. Contra secundam rationem litterae * (* Cf. num. I.), scilicet, *Si substantia panis remaneret, non esset verum quod Christus dixit, Hoc est corpus meum etc., sed fuisset potius dicendum, Hic est corpus meum:* contra hanc, inquam, rationem Scotus * et Durandus ** arguunt. (* IV *Sent.*, dist. XI, qu. III, art. I principal. - Cf. num. XVI. ** IV *Sent.*, dist. XI, qu. I. - Cf. num. XVI.) Scotus quidem, quia tunc ly *hoc* non demonstraret substantiam panis, sed contentum sub pane: sicut modo demonstrat non accidentia, sed contentum sub accidentibus. Et utrumque esset verum, *Hoc est corpus meum*, et, *Hic est corpus meum.*

Durandus vero, quia *indefinita verificatur pro uno solo:* ac per hoc, si esset ibi panis et corpus Christi, posset reddi locutio vera pro solo corpore Christi.

XV. Ad haec dicitur quod veritas enuntiationum proprie significantium ex communi sensu proprie intelligentium, et terminis utentium proprie, pendet: et non est attendendum ad quid iste vel ille posset eandem enuntiationem applicare. Constat autem quod, proprie loquendo et intelligendo, cum dicitur, a quocumque dicatur, sive sacramentaliter sive non sacramentaliter, *Hoc est corpus meum,* ly *hoc* demonstrat *hanc substantiam.* Quod patet ex hoc quod, si aliquis, demonstrando seipsum, dicat, *Hoc est corpus meum*, significatur apud omnes intelligentes quod *haec substantia est corpus meum.*

Et ad hoc suffragatur ratio, secundum quam talia sunt subiecta enuntiationum, qualia permittunt praedicata. Et propterea, quia praedicatum est substantia, nam *corpus meum* significat substantiam; identitas praedicati cum subiecto, significata per ly *est,* cogit ly *hoc* ad demonstrandam hanc substantiam, ut propositio sit proprie vera. – Et hinc excluditur – quod in hac propositione ly *hoc* non demonstrat accidentia, sed substantiam sub accidentibus.

Et ad hoc suffragatur quod ly *hoc* est pronomen demonstrativum substantiae, apud grammaticos.

Rursus ly *hoc,* quia demonstrat non vage aut indefinite, sed singulariter, oportet, absolute prolatum super certo sensibili demonstrato, demonstrare non vage hanc vel illam, sed singularem substantiam sub illis accidentibus existentem. Et si quidem una sola substantia subsit, sola demonstratur. Si vero multae subsint, omnes per modum unius singularis demonstrantur, secundum communem intellectum propriamque significationem nominum ac pronominum, ut patet in exemplo allato: nam, me dicente, *Hoc est corpus meum,* significo hanc substantiam, comprehendentem carnes, nervos et ossa, esse corpus meum. Ex quibus sequitur quod, si remaneret substantia panis cum corpore Christi, ly *hoc* demonstraret hanc substantiam, comprehendentem panem et corpus Christi, per modum unius singularis substantiae. Et sic propositio esset falsa, proprie loquendo: quia significaret panis substantiam esse corpus Christi, quod constat esse falsum.

XVI. Unde ad Scoti obiectionem * (* Num. XIV.) dicitur quod non est varianda demonstratio quam facit ly *hoc* in ista enuntiatione sacramentali, ex aliqua hypothesi: sed standum est in proprietate suae demonstrationis, secundum quam ly *hoc* non significat contentum sub hoc pane, sed significat hanc substantiam, quae scilicet continetur sub his accidentibus; haec enim substantia est corpus Christi. Et notanter dico, *haec substantia,* et non dico, *hic panis:* quia, ut dictum est *, demonstratur haec substantia sine qualitate. (* Num. praeced.)

Ad Durandum vero dicitur quod chimaericum est singulare facere indefinitum. Et praeterea est abuti vocabulis: oportet enim secundum propria iudicare.

XVII. Contra tertiam rationem litterae * (* Cf. num. I.), scilicet, *Si esset alia substantia quam corporis Christi, contrariaretur venerationi Eucharistiae,* obstat Scotus * (* IV *Sent.*, dist. XI, qu. III, art. I principal.), quia nunc est ibi aliqua creatura, puta species sacramentalis: et tamen adoratio Eucharistiae refertur ad Christum, et non ad sensibile continens. Ergo eodem modo, si non remaneret panis, adoraretur Christus contentus sub pane quanto et quali ut in signo.

Ad hoc dicitur quod ratio litterae stat solida. Quoniam quaecumque substantia alia a Christo, contrariatur venerationi qua veneramur Eucharistiam. Nam adoramus simpliciter et absolute substantiam existentem sub illis accidentibus. Constat autem huiusmodi adorationi contrariari quamcumque aliam substantiam esse sub illis accidentibus. Sed arguentes falluntur in hoc, quoniam divertunt ab adoratione quae nunc fit, ad eam quae tunc fieret si esset etiam ibi substantia panis. Auctor autem ex adoratione quam de facto exhibemus Eucharistiae, infert non esse ibi aliam substantiam a Christo.

Unde ad argumentum Scoti, concesso toto, dicitur quod non impugnatur ratio litterae: quia ad adorationem quae posset fieri, divertit; et non sistit in adoratione quae de facto fit, qua adoramus substantiam contentam sub his speciebus. Quod tunc non fieret, nisi partialiter: puta, aliquam substantiam contentam adorando, distinguendo inter substantiam panis et substantiam Christi. Constat enim nunc absque distinctione aliqua substantiam ibi contentam adorari ab Ecclesia.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SUBSTANTIA PANIS, POST CONSECRATIONEM HUIUS SACRAMENTI, ANNIHILETUR, AUT IN PRISTINAM MATERIAM RESOLVATUR

IV *Sent.*, dist. XI, qu. I, art. 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIII; *Quodl.* V, qu. VI, art. I; *In Matth.*, cap. XXVI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. V.



AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod substantia panis, post consecrationem huius sacramenti, annihiletur, aut in pristinam materiam resolvatur. Quod enim est aliquid corporale, oportet alicubi esse. Sed substantia panis, quae est quiddam corporale, non manet in hoc sacramento, ut dictum est * (* Art. praeced.): nec etiam est dare aliquem locum ubi sit.

Ergo non est aliquid post consecrationem. Igitur aut est annihilata, aut in praeiacentem materiam resoluta.

2. Praeterea, illud quod est terminus a quo in qualibet mutatione, non remanet, nisi forte in potentia materiae: sicut, quando ex aere fit ignis, forma aeris non manet nisi in potentia materiae; et similiter quando ex albo fit nigrum. Sed in hoc sacramento substantia panis et vini se habet sicut terminus a quo, corpus autem vel sanguis Christi sicut terminus ad quem: dicit enim Ambrosius, in libro *de Officiis* *: *Ante benedictionem alia* [α] *species nominatur, post benedictionem corpus significatur.* Ergo, facta consecratione, substantia panis vel vini non manet, nisi forte resoluta in suam materiam.

* *De Myster. sive de Initiand.*, cap. IX, n. 54. – Cf. can. *Ante benedictionem* et can. *Revera, de Consecr.*, dist. II.

3. Praeterea, oportet alterum contradictoriorum esse verum. Sed haec est falsa: *Facta consecratione, substantia panis vel vini est aliquid.* Ergo haec est vera: *Substantia panis vel vini est nihil.*

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro *Octogintatrium Quaestionum* *: *Deus non est causa tendendi in non esse.* Sed hoc sacramentum divina virtute perficitur. Ergo in hoc sacramento non annihilatur substantia panis aut vini.

* Qu. XXI.

Respondeo dicendum quod, quia substantia panis vel vini non manet in hoc sacramento, quidam, impossibile reputantes quod substantia panis vel vini in corpus vel sanguinem Christi convertatur, posuerunt quod per consecrationem substantia panis vel vini vel resolvitur in praeiacentem materiam, vel quod annihiletur *.

* Vide Guillelm. Paris, *de Sacr. Eucharist.*, cap. I; Roland., *Sent.* p. 226 (Freib. 1891); Mag., IV *Sent.*, dist. XI, cap. *Quidam vero.*

Praeiacens autem materia in quam corpora mixta resolvi possunt, sunt quatuor elementa: non enim potest fieri resolutio in materiam primam, ita quod sine forma existat, quia materia sine forma esse non potest. Cum autem post consecrationem nihil sub speciebus sacramenti remaneat nisi corpus et sanguis [β], oportebit dicere quod elementa in quae resoluta est substantia panis et vini, inde discedant per motum localem. Quod sensu perciperetur. – Similiter etiam substantia panis vel vini manet usque ad ultimum instans consecrationis. In ultimo autem instanti consecrationis iam est ibi substantia vel [γ] corporis vel sanguinis Christi: sicut in ultimo instanti generationis iam inest forma. Unde non erit dare aliquod instans in quo sit ibi praeiacens materia. Non enim potest dici quod paulatim substantia panis vel vini resolvatur in praeiacentem materiam, vel successive egrediatur de loco specierum. Quia, si hoc inciperet fieri in ultimo instanti suae consecrationis, simul sub aliqua parte hostiae esset corpus Christi cum substantia panis: quod est contra praedicta *. Si vero incipiat fieri ante consecrationem, erit dare aliquod tempus in quo sub aliqua parte hostiae neque erit substantia panis, neque erit corpus Christi: quod est inconveniens.

* Art. 2.

Et hoc ipsimet perpendisse videntur. Unde posuerunt aliud sub disiunctione, scilicet quod annihiletur [δ]. – Sed nec hoc potest esse. Quia non erit [ε] dare aliquem modum quo corpus Christi verum incipiat esse in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiae panis in ipsum: quae quidem conversio tollitur, posita vel annihilatione panis [ζ], vel resolutione in praeiacentem materiam. – Similiter etiam non est dare unde talis resolutio vel annihilatio in hoc sacramento causetur: cum effectus sacramenti significetur per formam; neutrum autem horum significatur per haec verba formae, *Hoc est corpus meum.*

Unde patet praedictam positionem esse falsam.

Ad primum ergo dicendum quod substantia panis vel vini, facta consecratione, neque sub speciebus sacramenti manet, neque alibi. Non tamen sequitur quod annihiletur: convertitur enim in corpus Christi. Sicut non sequitur, si aer ex quo generatus est ignis, non sit ibi vel alibi, quod sit annihilatus.

Ad secundum dicendum quod forma quae est terminus a quo, non convertitur in aliam formam, sed una forma succedit alteri in subiecto [η]: et ideo prima forma non remanet nisi in potentia materiae. Sed hic [θ] substantia panis convertitur in corpus Christi, ut supra * dictum est. Unde ratio non sequitur.

* In corp. et art. 2.

Ad tertium dicendum quod, licet post consecrationem haec sit falsa, *Substantia panis est aliquid;* id tamen in quod substantia panis conversa est, est aliquid. Et ideo substantia panis non est annihilata.

α) *alia.* – *illa* P.
β) *sanguis.* – *Christi* addit tertia.
γ) *vel.* – Om. sE et tertia.
δ) *quod annihiletur.* – *Vel, quod in praeiacentem materiam resolvatur* margo P.
ε) *erit.* – *est* P.
ζ) *panis.* – *substantiae panis* F et tertia.
η) *subiecto.* – PG; *substantia.*
θ) *hic.* – PDIc; *haec.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore articuli, primo recitatur opinio disiunctiva; secundo, tractatur prima disiunctionis pars *; tertio, tractatur reliqua pars **; et quarto, tractantur ambae simul, concludendo opinionem esse falsam *.

* Num. seq. ** Cf. num. VI. * Ibid., *Et demum.*

II. Primum satis patet in littera. Sed circa secundum, scilicet quod panis seu vinum per consecrationem resolvitur in praeiacentem materiam, Auctor procedit utens implicite hac distinctione. Hanc resolutionem fieri in praeiacentem materiam, potest intelligi dupliciter: vel in materiam primam; vel in elementa, manentia vel egredientia *. Propterea primo improbat primum membrum – scilicet, quod ista resolutio non fit in materiam primam. Quia materia non potest esse sine forma.

* Cf. num. seq.

Ubi scito quod, quia opinio ista ponit resolutionem puram, quoniam nullius meminit generationis, cum nullum ponat generans; si ponit resolutionem in materiam primam, ponit consequenter materiam primam sine forma; quod est impossibile secundum causas secundas et potentiam Dei ordinariam, quidquid sit de possibili secundum potentiam Dei absolutam. Quoniam hoc est extra propositum: quoniam stultum est ponere in hoc sacramento quidquid Deus potest facere. Unde non oportet aliter hic

respondere Scoto *, et continue digredi de genere in genus.

* IV *Sent.*, dist. XI, qu. III, art. I principal.

III. Postea excludit Auctor secundum membrum, scilicet, resolutionem fieri in elementa. Et primo, in elementa manentia. Quia sub speciebus sacramenti nihil remanet nisi corpus et sanguis Christi.

Secundo, in elementa egredientia. Quia egressus fieret per motum localem: et sic sensu perciperetur.

Et utraque exclusio optima est. Nec ex molestia Scotica * concutitur, dum obstat ex divina omnipotentia potente facere cum corpore Christi manere aliam substantiam, et non percipi localem egressum. Saepe enim iam dictum est * quod non tractamus de divina omnipotentia: sed quid ordo institutus a Deo habeat, tam in mysteriis quam in naturalibus.

* Loc. cit. num. praeced.

* Cf. art. I, Comment. num. IX, XI; art. 2, Comment. num. VII.

IV. Rursus impugnat Auctor huiusmodi praeiacentem materiam ex aliis capitibus. Et primo, manentem: ex hoc quod non est dare aliquod instans in quo sit ibi praeiacens materia. Quod probatur ex eo quod, usque ad ultimum instans consecrationis, est ibi panis; et in ultimo instanti est ibi corpus Christi; ac per hoc patet quod non est dare aliquod instans in quo sit ibi praeiacens materia.

Et scito quod Auctor, claritati studens, non fuit sollicitus ut loqueretur philosophice, ut ab omnibus intelligeretur. Ex exemplo tamen generationis, ab exercitatis in philosophia rem ipsam intelligi voluit more philosophico: sciebat enim non dari ultimum instans generationis. Et philosophico more dicendum fuit: In toto tempore consecrationis est ibi substantia panis; et in termino illius est corpus Christi, qui terminus est primum esse corporis Christi in sacramento, et primum non-esse panis; sicut in termino generationis est primum esse rei genitae, et primum non-esse rei corruptae. Et si sic Auctor dixisset, pauci intellexissent ipsum.

V. Secundo, impugnat praeiacentem materiam in motu: et, brevitatis gratia, simul impugnat tam motum localem sive panis sive materiae, quam motum resolutionis; quoniam utrobique una et eadem est ratio ex motu sumpta. Et est ratio talis. Si huiusmodi motus interveniret, aut inciperet in instanti terminante consecrationem, aut ante illud instans. Si incipiat in instanti terminante consecrationem, cum in illo instanti corpus Christi sit sub hostia, et in eodem sit panis incipiens moveri motu locali vel resolutionis, sequeretur quod simul essent corpus Christi et substantia panis. Quod autem panis in illo instanti esset, probatur ex eo quod motus incipit per negationem de praesenti et positionem de futuro: hoc est, quia verum esset dicere, *Panis nunc non movetur, et immediate post hoc movebitur.* Et quia motus non fit in instanti, sed prius mobile relinquit unam partem quam aliam, sequeretur ulterius, praeter simultatem instantaneam praedictam, simultas temporalis. Et sic sub aliqua parte hostiae esset simul tempore corpus Christi cum substantia panis. Et ad viam hanc respexisse videtur Auctor in littera explicans *partem hostiae.*

Si vero huiusmodi motus incipiat ante terminum consecrationis, tunc, cum inter quaelibet instantia sit tempus intermedium, in quo fiet iste motus, et in quo mobile relinquet successive partes hostiae: sequetur quod in illo tempore quo aliqua hostiae pars relicta est, neque erit substantia panis, quae iam particulam illam reliquit, neque corpus Christi, quod, ante instans quod terminat totum hoc tempus medium, non est sub hostia.

Et vide, Novitie, ex contextu litterae, hanc argumentationem induci excludendo responsionem dicentem fieri resolutionis vel egressus motum paulatim deserendo partes hostiae. At si posuissent resolutionis motum fieri successive quidem et per partes intensivas tantum, ita quod in termino tota simul hostia deserta esset *(contingit* enim, inquit Aristoteles *, *totum simul coagulari):* tunc militat praecedens argumentum, quod praeiacens materia nunquam esset sub hostia. Et si hoc affirmatur, succurrunt postremae duae rationes, scilicet quod tollitur conversio, et quod ponitur effectus sine causa.

* *Meteor.* lib. I, cap. XII, n. 12, 13. - Continuat. Comment. S. Th. lect. XV.

VI. Quoad tertium *, de altero disiunctionis membro, scilicet annihilatione, improbatur quia tollit veram conversionem substantiae panis in corpus Christi: ac per hoc, tollit modum quo corpus Christi est in hoc sacramento. Et in hoc convenire dicitur cum primo membro, scilicet resolutione.

* Num. I.

Et demum utrumque Auctor reprobat *: quia forma sacramenti neutrum horum effectuum significat.

* Cf. ibid.

VII. Circa responsionem ad tertium, adverte quod Scotus, non contentus huiusmodi responsione, quia sola voce conversionem affirmat, tenens panem, quamvis per accidens, redigi in nihilum, duo potissima videtur habere fundamenta, in quaestione quarta XI distinctionis *. Primum est, quia invenitur hic transitus per se ab esse panis ad non-esse panis; et alius transitus a non-praesentia corporis Christi hic ad praesentiam ipsius hic. Et tunc arguitur sic. Si secundus transitus non concomitaretur primum, primus esset annihilatio. Ergo et modo formaliter est annihilatio: quia ratio eius non variatur propter illud quod per accidens concomitatur.

* Quarti *Sent.*

Secundo, sic. Si panis annihilaretur, et corpus Christi poneretur hic praesens, omni eodem modo se haberet tam panis quam corpus Christi, quantum ad omnem conditionem tam esse quam non esse, sicut modo se habet. Sed quod fuit, et omni eodem modo se habet sicut si esset annihilatum, est annihilatum. Ergo panis redigitur in nihilum. – Prima propositio manifesta est: quia, si panis esset annihilatus, nec forma nec materia eius maneret; eodem autem modo nec nunc manet.

VIII. Ad horum et similium evidentiam, doctrina sanctorum Patrum resumenda est. Ambrosius siquidem, *de Sacramentis* *, et habetur in Decretis, *de Consecr.*, dist. II, in cap. *Revera,* et clarius in cap. *Panis est,* docet unde figmenta haec et similia eliduntur, dicens: *Si tanta vis est in sermone Domini Iesu ut inciperet esse quod non erat, quanto magis operatorius est ut sint quae erant et in aliud commutentur? Et sic quod erat panis, iam corpus Christi est, quia sermo Christi creaturam mutat,* etc.

* Lib. IV, cap. IV. - Cf. *de Myster. sive de Initiand.*, cap. IX.

Ubi nota, primo, ly *ut sint quae erant et in aliud commutentur.* Hic enim manifeste habes Ambrosium dicere quod sunt quae erant, et in aliud sunt commutata. Et hinc apparet figmentum esse dicere quod quae erant et in aliud sunt commutata, nihil sunt. Nam, si sunt, ut Ambrosius asserit, sequitur quod non sunt nihil.

Secundo, nota declarationem et sensum prioris dicti, dum immediate subditur, *Et sic quod erat panis, iam corpus Christi est.* Hinc enim apparet quanta perspicacia haec viderit Ambrosius, dum non dixit quod *panis est* post consecrationem, nec dixit quod *panis qui fuit, est corpus Christi:* sed dixit quod *id quod erat panis, iam est corpus Christi.* Et ly *id quod* demonstrat et refert substantiam: quoniam substantia est quae est commutata in corpus Christi.

IX. Unde non aliunde quam ex Ambrosii doctrina excludenda sunt et detegenda figmenta haec. Falsum est igitur quod primo assumitur a Scoto *, intervenire hic transitum per se ab esse panis ad non-esse panis. Nam per se terminus ad quem est esse corporis Christi: est enim conversio ista inter terminos positivos per se primo, hoc est, ab esse panis ad corpus Christi, et ad illum per se primo terminum, ad quem non sequitur sola negatio esse panis, sed sequitur affirmatio seu positio *eius quod fuit panis.* Sunt enim post consecrationem propositiones istae ambae verae, scilicet: *Panis non est,* et, *Id quod fuit panis, est,* quia est corpus Christi. Ad argumentum ergo dicitur quod falsum assumit seu supponit, scilicet inveniri hic mutationem seu transitum per se ab esse panis ad non-esse illius.

* Num. VII.

Ad secundum autem dicitur quod conditionalis assumpta est falsa. Et ad probationem illius, scilicet quia nunc nec remanet materia panis nec forma, et similiter esset si annihilaretur: respondetur negando quod similiter esset si annihilaretur. Quoniam plus requiritur ad annihilationem, sive per se sive per accidens: exigitur enim quod id quod erat illud, sit modo nihil, seu, non sit aliquid. Cuius contrarium in proposito invenitur: nam, secundum Ambro-

sium, id quod erat panis, est corpus Christi. Ubi, ad claritatem doctrinae, observa caute varietatem verarum propositionum. Et, ut exemplariter dicatur, quando aer naturaliter convertitur in ignem, licet verae sint istae tres enuntiationes post conversionem aeris in ignem, scilicet, *Aer non est, Aer non est aliquid, Aer est nihil:* quia tamen materia quae fuit aeris, modo est materia ignis, falsa est ista quarta, *Aer est annihilatus.* Et similiter in proposito, quamvis alia ratione, verae sunt post conversionem istae tres, scilicet, *Panis non est, Panis non est aliquid, Panis est nihil:* falsa autem est quarta, scilicet, *Id quod erat panis, non est aliquid,* seu, *est nihil,* quia sua contradictoria est verissima, scilicet, *Id quod erat panis, est corpus Christi.* Ideo falsissimum est panem, sive per se sive per accidens, redigi in nihil. Unde, si panis annihilaretur in hoc sacramento, non omni eodem modo se haberet quo nunc se habet. Quia nunc sic se habet ad esse et non-esse quod ita non est quod id quod erat panis, est res realissima, scilicet corpus Christi. Si autem esset redactus in nihilum, ita panis non esset quod id quod erat panis, nulla res esset. Procul sint ergo a Patrum doctrina huiusmodi figmenta.

X. Circa verba Auctoris in hac responsione ad tertium, cave ne fallaris, putans Auctorem Ambrosio contrarium, vel me exposuisse inepto vocabulo Ambrosii verbum, dum in hac littera dicitur quod *post consecrationem haec est falsa, Substantia panis est aliquid;* et, Ambrosio dicente, *Id quod erat panis, est aliquid,* scilicet corpus Christi, ego exposui * quod ly *id quod* demonstrat et refert substantiam, quoniam substantia quae erat panis est corpus Christi, quia mutata est in corpus Christi. Diversimode siquidem *substantiae* nomine Auctor et nos usi sumus. Nam Auctor substantiae nomine usus est loco nominis specifici panis, supponendo panem esse substantiam. Et fecit hoc Auctor ut praeservaret se ab accidentibus panis. Ita quod panem ponit in obliquo, et distinguit substantiam panis contra accidentia panis: ac si dixisset, *Post consecrationem haec est falsa, Panis est aliquid.* Nos autem substantiae nomine absolute utimur, abstrahendo a qualitate differentiarum: et propterea utimur pane in recto, dicentes, *Substantia quae erat panis.* Quam substantiam Ambrosius per relativum substantiae significavit, dicens: *Et sic quod erat panis, iam est corpus Christi, quia sermo Christi creaturam mutat, et sic ex pane fit corpus Christi.* Non enim potest dici quod ly *quod erat panis* referat accidentia panis remanentia: quia illa non sunt corpus Christi, nec sunt mutata in corpus Christi; quorum utrumque Ambrosius dicit de eo quod erat panis, scilicet, *Quod erat panis, est corpus Christi, quia mutatum est in corpus Christi virtute sermonis Christi.*

Hanc eodem modo sumptam substantiam Salvator significavit ac demonstravit per ly *hoc,* dicens, *Hoc est corpus meum.* Est enim propriissimus sensus: *Haec substantia est corpus meum,* ut inferius * amplius patebit.

* Num. VIII.

* Cf art. 4, Comment. num. VII.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM PANIS POSSIT CONVERTI IN CORPUS CHRISTI

IV *Sent.*, dist. XI, qu. I, art. 3, qu^a 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIII; *Quodl.* V, qu. VI, art. 1; *Cont. Graec., Armen.*, etc., cap. VIII; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. IV, V.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod panis non possit converti in corpus Christi. Conversio enim quaedam mutatio est. Sed in omni mutatione oportet esse aliquod subiectum, quod prius est in potentia et postea est in actu: ut enim dicitur in III *Physic.* *, *motus est actus existentis in potentia.* Non est autem dare aliquod subiectum substantiae panis et corporis Christi: quia de ratione substantiae est quod *non sit in subiecto,* ut dicitur in *Praedicamentis* *. Non ergo potest esse quod tota substantia panis convertatur in corpus Christi.

2. PRAETEREA, forma illius in quod aliquid convertitur, de novo incipit esse in materia eius quod in ipsum convertitur: sicut, cum aer convertitur in ignem prius non existentem, forma ignis incipit de novo esse in materia aeris; et similiter, cum cibus convertitur in hominem prius non existentem, forma hominis incipit esse de novo in materia cibi. Si ergo panis convertitur in corpus Christi, necesse est quod forma corporis Christi de novo incipiat esse in materia panis: quod est falsum. Non ergo panis convertitur in substantiam corporis Christi.

3. PRAETEREA, quae sunt secundum se divisa [α], nunquam unum eorum fit alterum: sicut albedo nunquam fit nigredo, sed subiectum albedinis fit subiectum nigredinis, ut dicitur in I *Physic.* * Sed, sicut duae formae contrariae sunt [β] secundum se divisae, utpote principia formalis differentiae existentes; ita duae materiae signatae sunt secundum se divisae, utpote existentes principium [γ] materialis divisionis. Ergo non potest esse quod haec materia panis fiat haec materia qua individuatur corpus Christi. Et ita non potest esse quod substantia huius panis convertatur in substantiam corporis Christi.

* Cap. I, n. 6. - S. Th. lect. II.

* Cap. III, n. 1, 12.

* Cap. V, n. 2 sqq.; cap. VI, n. 2. - S. Th. lect. X, XI.

SED CONTRA EST quod Eusebius Emesenus * dicit: *Novum tibi et impossibile esse non debet quod in Christi substantiam terrena et mortalia convertuntur.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, cum in hoc sacramento sit verum corpus Christi, nec incipiat ibi esse de novo per motum localem; cum etiam nec corpus Christi sit ibi sicut in loco, ut ex dictis * patet: necesse est dicere quod ibi incipiat esse per conversionem substantiae panis in ipsum.

Haec tamen conversio non est similis conversionibus naturalibus, sed est omnino supernaturalis, sola Dei virtute effecta. Unde Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* *: *Liquet quod praeter naturae ordinem Virgo generavit. Et hoc quod conficimus, corpus ex Virgine est. Quid igitur quaeris naturae ordinem in Christi corpore: cum praeter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine?* Et super illud Ioan. VI *, *Verba quae*

* Inter Opp. Hieron. Ep. XXXIX; Pseudo-Isidor. Homil. IV, *de Corp. et Sang. Dom.*, in Pascha. - Cf. can. *Quia corpus, de Consecr.*, dist. II.
* Art. 2.

* Art. 1, ad 3.

* *De Myster. sive de Initiand.*, cap. IX, n. 53. - Cf. can. *Revera, de Consecr.*, dist. II.

* Vers. 64.

α) *divisa.* – *diversa* D et editiones; cf. β γ.
β) *sunt.* – Om. HpG et *b.* – Pro *divisae* utroque loco, *diversae* P; *signatae sunt secundum se divisae* om. HpG et *bc.*
γ) *principium.* – *principia* editiones, om. A. Pro *divisionis, distinctionis* P.

ego locutus sum vobis, scilicet de hoc sacramento, *spiritus et vita sunt,* dicit Chrysostomus *: *Idest: spiritualia sunt, nihil habentia carnale neque consequentiam naturalem, sed eruta sunt ab omni tali necessitate quae in terra, et a legibus quae hic positae sunt.*

* Hom. XLVII, aliter XLVI, *in Ioan.*, n. 2.

Manifestum est enim quod omne agens agit inquantum est actu. Quodlibet autem agens creatum est determinatum in suo actu: cum sit determinati generis et speciei. Et ideo cuiuslibet agentis creati actio fertur super aliquem determinatum actum. Determinatio autem cuiuslibet rei in esse actuali est per eius formam. Unde nullum agens naturale vel creatum potest agere nisi ad immutationem formae *. Et propter hoc omnis conversio quae fit secundum leges naturae, est formalis. Sed Deus est infinitus actus, ut in Prima Parte * habitum est. Unde eius actio se extendit ad totam naturam entis. Non igitur solum potest perficere conversionem formalem, ut scilicet diversae formae sibi in eodem subiecto succedant: sed conversionem totius entis, ut scilicet tota substantia huius convertatur in totam substantiam illius.

* D. 446.

* Qu. VII, art. 1; qu. XXV, art. 2.

Et hoc agitur divina virtute in hoc sacramento. Nam tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi, et tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Christi. Unde haec conversio non est formalis, sed substantialis. Nec continetur inter species motus naturalis, sed proprio nomine potest dici *transsubstantiatio.*

Ad primum ergo dicendum quod obiectio illa procedit de mutatione formali: quia formae proprium est in materia vel subiecto esse. Non autem habet locum in conversione totius substantiae. Unde, cum haec conversio substantialis importet quendam ordinem substantiarum quarum una convertitur in alteram, est sicut in subiecto in utraque substantia *, sicut ordo et numerus.

* D. 576.

Ad secundum dicendum quod etiam illa obiectio procedit de conversione formali, seu mutatione: quia oportet, sicut dictum est *, formam esse in materia vel subiecto. Non autem habet locum in conversione totius substantiae, cuius non est accipere aliquod subiectum.

* Ad 1.

Ad tertium dicendum quod virtute agentis finiti non potest forma in formam mutari, nec materia in materiam. Sed virtute agentis infiniti, quod habet actionem in totum ens, potest talis conversio fieri: quia utrique formae et utrique materiae est communis natura entis; et id quod entitatis est in una, potest auctor entis convertere ad [δ] id quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab illa distinguebatur.

δ) *ad.* – *in* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus intelligitur de conversione substantiali, qua panis substantialiter sumptus transubstantiatur in corpus Christi: sic enim Ecclesia intelligit conversionem *. Et propterea Auctor quaerit utrum sit possibilis huiusmodi conversio.

* Concil. Lateran. IV, cap. *Firmiter credimus, de Summa Trin. et Fide Cathol.*

In corpore articuli duo fiunt: primo, dicitur quod oportet ponere conversionem; secundo, tractatur qualis est ista conversio.

Quoad primum, ex repetitione supra dictorum ac discussorum, concluditur conversio.

Quoad secundum, duo de hac conversione dicuntur. Primum est, quod non est similis conversionibus naturalibus, sed est omnino supernaturalis. Secundum est quod sola Dei virtute fit. Et primum quidem auctoritatibus Ambrosii et Chrysostomi probat. Secundum autem, simul cum primo, ratione probat.

II. Ubi scito distingui conversionem in formalem et substantialem; et naturales appellari formales, non ea ratione quia forma convertitur in formam, sed quia secundum deperditionem unius formae et acquisitionem alterius, dicitur totum categorematice converti in totum, ut cum dicimus quod aer conversus est in ignem. Conversio autem substantialis appellatur, qua totum etiam syncategorematice convertitur in totum: puta, si aer sic converteretur in ignem quod etiam partes essentiales aeris converterentur in partes essentiales ignis. Et talem esse hanc conversionem Auctor ponens, hinc manifestat differentiam inter conversionem istam et naturales: et ex differentia inter actum infinitum et actum finitum, procedit ad probandum quod agens creatum, quia ex finito agit actu, ad solas formales conversiones se extendit; Deus autem, quia ex infinito agit actu, ad totum ens se extendit, ac per hoc, ad conversionem substantialem. Et inde infertur quod haec conversio nec continetur sub genere naturalis motus seu mutationis, nec nomen aliarum suscipit proprie, sed nomine proprio vocari potest *transsubstantiatio:* sic enim a sacro Concilio Lateranensi, sub Innoc. III, appellatam legimus *.

* Loc. cit. num. I.

III. Circa hanc materiam, adverte quod Scotus, in XI distinctione Quarti, qu. III, reputans impossibilem conversionem panis in corpus Christi praeexistens et manens secundum suum esse antiquum, triplicem imaginatur transubstantiationem. Prima est quae iam dicta est *, scilicet qua tota substantia convertitur in totam substantiam praeexistentem ac manentem secundum esse antiquum. – Secunda est, qua tota substantia sic convertitur in aliam ut alia producatur in esse. Et hanc vocat Scotus transubstantiationem *productivam:* quia per eam producitur terminus ad quem. Et haec potest subdividi in productivam termini secundum esse substantiale: vel secundum esse accidentale, qualem posuit hic, ut diximus *, Petrus de Palude, *sine assertione tamen.* – Tertia est *adductiva* termini ad quem illo ubi erat terminus a quo. Et in hanc declinat Scotus *. In qua secundum veritatem nulla est transubstantiatio, nulla conversio: quia ponitur panem redigi in nihil, et sola vox *conversionis* et *transubstantiationis,* cum ordine successionis corporis Christi in loco panis, affirmatur.

* Num. praec.

* Art. 1, Comment. num. V.

* IV *Sent.*, dist. IX, qu. IV.

Relicta autem transubstantiatione productiva, tanquam non habente in hoc sacramento locum, nititur Scotus * probare primam esse impossibilem, et deinde tertiam esse rationabilem.

* Ibid., qu. III, art. 2 principal.

Arguit igitur ad impossibilitatem transubstantiationis primae *, quam credimus vere in hoc sacramento salvari. Nihil est terminus novae actionis proprie dictae nisi per illam actionem accipiat esse substantiale vel accidentale secundum quod est formalis terminus illius actionis. Sed corpus Christi praeexistens, etc., nullum esse accipit in sua substantia per huiusmodi transubstantiationem. Ergo corpus Christi secundum suam substantiam non est terminus novae actionis transubstantiativae panis in ipsum. – Minor supponitur clara. – Maior vero probatur dupliciter. Primo quia, si nullum esse accipit per illam, non videtur

* Cf. num. VI.

intelligibile quomodo sit ibi aliquid terminans realem actionem substantialem, etc. Secundo, quia etiam Filius Dei terminans aeternam generationem, per illam accipit esse, et personam esse, et Deum esse.

Tertiam autem transubstantiationem probabilem esse in proposito probat *, quia eo modo terminus prior convertitur in terminum posteriorem, quo terminus posterior succedit termino priori. Sed terminus posterior, idest Christi corpus, non succedit secundum esse simpliciter, sed secundum esse praesens hic, termino priori, idest pani praeexistenti. Ergo nec panis convertitur, nec transit in corpus Christi, nisi secundum esse hic praesens pani praeexistenti.

* Cf. num. VI, *Ad rationem.*

IV. Pro solutione harum obiectionum, et ampliori notitia tam occulti mysterii, duo praelibanda sunt: alterum ex philosophia; alterum ex Ambrosio *. Ex physicis ** siquidem habemus quod, cum de substantiali mutatione inter positivos terminos est sermo, ipsum instans mutationis, in quo substantialis mutatio simul fit et facta est, est primum esse termini ad quem, et primum non-esse termini a quo. Verbi gratia, cum aer convertitur in ignem, instans illud in quo ignis simul fit et factus est, est primum esse ignis, quia ignis tunc est et immediate ante illud *tunc* non erat; et est primum non-esse aeris, quia aer tunc non est et immediate ante illud *tunc* erat.

* Cf. num. seq. ** Aristot. *Physic.* lib. VIII, cap. VIII, n. 6. - S. Th. lect. XVII.

V. A divo autem Ambrosio superius * relata habemus verba, scilicet: *Quod erat panis* ante consecrationem, *iam corpus Christi est* post consecrationem, *quia sermo Christi creaturam mutat,* etc. Ex his enim, simul iunctis et perspicaciter consideratis, habemus actionem transubstantiativam circa panem versari, et in panem terminari hoc modo: videlicet, quod in instanti conversionis panis in corpus Christi, quod erat panis, ut sic, idest secundum esse panis, habet rationem termini a quo; et rursus quod erat panis, quod iam est corpus Christi, ut incipiens esse corpus Christi, habet rationem termini ad quem; ita quod terminus ad quem non est corpus Christi absolute, sed *hoc quod erat panis esse corpus Christi,* ut patet exponendo pro illo instanti quo ista transubstantiatio simul fit et facta est. Ex falsitate siquidem istius, *Corpus Christi nunc est et immediate ante hoc non erat,* habetur quod corpus Christi absolute non est terminus huius transubstantiationis. Ex eo autem quod ista est vera, *Hoc quod erat panis nunc est corpus Christi, et immediate ante hoc quod erat panis non erat corpus Christi,* manifeste habetur quod terminus ad quem actionis et mutationis huius est *hoc quod erat panis esse de novo corpus Christi:* sicut ex veritate istius alterius, scilicet, *Hoc quod erat panis nunc non est panis, et immediate ante erat panis,* habetur terminum a quo esse *hoc quod erat panis sub esse panis.*

* Art. 3, Comment. num. VIII.

Ubi videre potes in eo quod est panis ante consecrationem, efficaciam habere consecrationem, seu divinam actionem, quantum ad vim utriusque termini, scilicet a quo et ad quem: quoniam actio conversiva acquirit ei quod erat panis esse corpus Christi, convertendo id in corpus Christi; et ad hoc concomitatur deperditio termini a quo, dum quod simul convertitur et conversum est in corpus Christi, desinit esse panis. Et hinc suspiciendo coniicere potes quod non oportet, propter novam hanc actionem, mutationem aliquam effici in substantia corporis Christi: quia quod erat panis de novo est corpus Christi, non per mutationem corporis Christi, sed per mutationem panis in corpus Christi.

Et ad ampliorem fidelium intellectuum consolationem, habemus non solum dictas enuntiationes noviter veras quasi se tenentes ex parte panis: sed habemus redundantem seu resultantem aliam propositionem noviter veram quasi ex parte corporis Christi. Est enim de novo vera haec, scilicet: *Corpus Christi est id quod erat panis.* Nec hanc ego somniavi, sed ex propositione divi Ambrosii per conversionem simplicem illam habemus. Dicente enim Ambrosio, *Quod erat panis est corpus Christi,* infertur optime per conversionem simplicem, *Ergo corpus Christi est quod erat panis.* Et similiter sequitur, consequenter loquendo, quod *corpus Christi est quod erat iste panis.* Quo fit ut admirabilem veritatem novam in Christi corpore ex hoc sacramento fateamur. Nam ante institutionem huius sacramenti, ista erat falsa, *Corpus Christi est quod erat panis,* quia sua convertens erat falsa, *Quod erat panis est corpus Christi:* post consecrationem vero corporis Christi, fuerunt ambae verae. Et similiter in qualibet quae quotidie fit consecratione hostiae in missa, consecratione facta, ambae istae noviter sunt verae, *Quod erat iste panis est corpus Christi,* et, *Corpus Christi est quod erat iste panis.* – Nec quaeras a me ulteriorem modum *quomodo fiat istud:* sed satis sit, supposita verae transubstantiationis fide, qua panis in corpus Christi immutatum mutatur, videre nos veritatem dictarum enuntiationum.

VI. Ex his autem ad Scoti rationem contra possibilitatem huius conversionis *, dicitur argumentum supponere falsum, scilicet, corpus Christi absolute esse terminum actionis seu mutationis huius. Terminatur enim tam mutatio quam actio ut ad terminum ad quem et qui fit, ad *hoc quod erat panis esse corpus Christi.* Hoc enim de novo fit et est per actionem istam conversivam panis in corpus Christi. Unde, concessa maiore, ad minorem dicendum est quod male assumit aut supponit corpus Christi absolute esse terminum actionis, ut patet ex dictis. – Nec obstat quod saepissime dicitur, et repetitur infinities, quod haec conversio habet panem pro termino a quo, et corpus Christi pro termino ad quem: quoniam brevitatis causa hos terminos absolute proferimus, *cum grano tamen salis* ab eruditis intelligendos, ut exposuimus.

* Num. III, *Arguit igitur.*

Ad rationem Scoti pro transubstantiatione adductiva *, facile respondetur negando minorem. Quoniam corpus Christi succedit pani et secundum esse simpliciter, idest substantiale, et secundum esse hic, idest sub accidentibus panis. Sed non est mirum de arguente. Quoniam, sola voce dicens conversionem substantiae panis in substantiam corporis Christi, consequenter assumit quod corpus Christi non succedit pani secundum esse simpliciter: cum, secundum veritatem, substantia corporis Christi sit id quod erat panis, et per hoc sit ubi erat panis, idest, continetur sub accidentibus quae continebant panem; ut saepe inducta decretalis Lateranensis, cum doctrina Concilii Florentini, testatur *.

* Num. III, *Tertiam autem.*

* Cf. art. 1, Comment. num. II, VIII.

VII. Nec obstat dictis quod Auctor, in IV *Sent.*, dist. XI, qu. 1, art. 4, videtur locare huiusmodi propositiones quibus usi sumus, inter improprias. Nam dupliciter potest iudicari et examinari propositio ista, *Quod erat panis est corpus Christi:* primo, ad exprimendam conversionem hanc; secundo, ad exprimendum conversionis huius proprios terminos. Et si quidem ad exprimendam mutationem quae est conversio assumatur, infra latitudinem generis mutationis intelligenda est. Et propterea ly *quod* sonat subiectum unum et idem sub duobus successive terminis, scilicet pane et corpore Christi, manere. Quod in proposito non nisi metaphorice, aut ratione accidentium remanentium, verificatur. Et sic ab Auctore inter improprias computatur ibidem *, ubi de conversione loquitur.

* Qu^a 1.

Si vero haec propositio ad exprimendos terminos conversionis huius assumatur, tunc propositio est et vera et propria. Et quod sit vera, patet ex ipsa eius expositione, qua Auctor eam ibi, in responsione ad primum, exponit de ipsis terminis, dicens: *Verbum Ambrosii est exponendum, « Quod erat panis est corpus Christi », idest, « Quod est sub speciebus panis, primo fuit panis, et postea corpus Christi »:* ubi vides Auctorem exponendo asserere de ly *quod est sub specie panis* prius fuisse panem et postea corpus Christi; nihil enim aliud significat Ambrosii propositio, de terminis conversionis intellecta, dicendo, *Quod erat panis, est corpus Christi,* ut patet intuenti. – Quod autem sit propria, et hinc patet, quia expositio ab Auctore data est propria: et ex ratione probatur. Quia ly *quod* est relativum identitatis substantiae, et sufficienter refert eandem substantiam referendo substantiam eandem sine qualitate. Sic enim contingit in proposito: illud enim idem refert ly *quod* dicendo *Quod erat panis est corpus Christi,* quod demonstratur per ly *hoc* dicendo, *Hoc est*

corpus meum. Stant ergo solida et proprie dicta quae ex Ambrosio diximus *: quoniam ad terminos conversionis exprimendos usi sumus auctoritate dicta, et ad hoc idem Ambrosius ad litteram locutus est, ut patet eius textum intuenti.

* Num. v.

VIII. In responsione ad tertium, adverte dici in illa duo: scilicet rationem convertibilitatis totalis, de qua est sermo, unius rei in aliam; et modum quo fit huiusmodi conversio. Et quoniam eximia ac latentia sunt haec, nec ab omnibus concessa, primo declaranda sunt ambo; deinde conferendum est primum cum aliorum opinionibus *.

* Cf. num. x.

Ratio igitur convertibilitatis assignatur in littera *communicatio in natura entis.* – Modus autem subditur *, et est, quod *potest auctor entis id quod est entitatis in una re, convertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab ea distinguebatur.*

* Cf. num. aeq.

Ubi, circa rationem convertibilitatis, docilis esto interpres, plures vitando errores ex illo verbo, *communis natura entis.*

Errares primo, si per communem naturam entis intelligeres ens communissime sumptum commune Deo et creaturis. Et manifesta esset erroris ratio. Quia hinc sequeretur convertibilitatem etiam posse esse inter rem creatam et increatam, quia communis est eis huiusmodi natura entis. Quod constat non solum esse falsum, sed fatuum.

Errares quoque si per communem entis naturam intelligeres gradum aliquem, seu naturam aliquam, supra specificas genericasque rerum naturas. Nam, ut dicitur IV *Metaphys.* *, *idem est homo et ens homo,* et sic de aliis. Non enim se habent ens et homo sicut animal et homo: nam animal et homo duas formaliter naturas significant, scilicet rationalitatis et animalitatis; ens autem et homo unam tantum naturam significant, eam scilicet quam significat homo, et non aliam.

* S. Th. lect. II. - Did. lib. III, cap. II, n. 5.

Sed hoc metaphysico relinquentes negotio, quoniam ad propositum non refert utro modo dixeris, dicimus quod per naturam entis intelligit Auctor *ens commune solis creaturis.* Quod nomine *naturae* in littera appellatum est quia huiusmodi ens, secundum Auctoris doctrinam *, secundum naturas generum et specierum definitur: et per hoc differt ab ente increato, in quo esse non definitur natura aliqua, sed ipsum esse in seipso subsistens vocatur *natura Dei,* et *deitas,* et *Deus.* Est igitur ratio convertibilitatis totius unius rei in totam alteram rem, communicatio earum in natura entis communis omnibus creaturis tantum. Et hinc habes, secundum Auctorem, quod secundum totalem conversionem quaelibet creatura potest per divinam omnipotentiam converti in quamcumque aliam creaturam, quia creaturis omnibus communis est huiusmodi entis natura.

* Part. I, qu. III, art. 3 sqq.; I *Cont. Gent.*, cap. XXI sqq.; I *Sent.*, dist. XXII, art. 3, ad 2.

IX. Circa modum quoque conversionis *, cautum oportet esse lectorem. Erraretur siquidem primo, si intelligeretur per modum divisionis seu separationis unius naturae ab altera: sicut animalitas separatur a rationalitate, dum fit animal sine ratione. – Et similiter erraretur si intelligeretur per modum abstractionis: sicut res una et eadem secundum priorem rationem abstrahit a seipsa secundum rationem posteriorem; sicut color albus inquantum color, abstrahit a seipso inquantum albus.

* Num. praec., *Ratio igitur.*

Et patet ratio erroris utrobique, ex hoc quod neutro modo panis converteretur in corpus Christi: sed sola natura entis inventa in pane converteretur in corpus Christi, formaliter loquendo.

Contrariatur etiam directe intento hic sensus. Quoniam directe intentum ab Auctore est quod totum convertatur in totum: et non quod una res, aut una natura, sub una ratione tantum convertatur in aliam. Haec enim interpretatio ad hoc tandem tendit quod convertibilitas rerum est secundum id in quo communicant, et non secundum ea in quibus differunt. Quod contrariatur non solum Auctoris, sed fidei doctrinae, asserenti panem converti in corpus Christi; et non solum entitatem panis in entitatem corporis Christi converti, sed panem converti in corpus Christi.

Unde litterae verba, quae superficie tenus favere videntur dicto reprobato sensui, dum sonant, *Id quod est entitatis in una re, potest auctor entis convertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab illa distinguebatur,* intelligenda sunt sic ut tota res, puta panis, convertatur in totam rem, puta corpus Christi: hoc enim important illa verba, *id quod est entitatis in una, in id quod est entitatis in altera;* nam tota res est entitatis in una, et tota res est entitatis in altera. Quod autem subditur, *sublato eo per quod ab illa distinguebatur,* procul dubio ad differentiam proprii distinctivi a communi natura entis subiunctum est. Sed huiusmodi differentia non consistit in hoc quod entitas rei, puta panis, convertatur in entitatem alterius rei, puta corporis Christi; panis vero proprium constitutivum, per quod specie distinguitur ab altera re, puta corpore Christi, non convertatur in alteram rem, puta corpus Christi, sed tollatur, non conservando ipsum in esse. Sed consistit huiusmodi differentia in hoc quod, dum tota res quae est panis, convertitur in corpus Christi, formalis ratio naturae entis salvatur, formalis vero ratio proprii constitutivi et distinctivi panis non salvatur. Post conversionem enim panis in corpus Christi, panis entitas conversa entitas quaedam est, panis vero conversus panis non est. Sic enim verificatur quod sit conversio entitatis in entitatem, sublato eo per quod distinguebatur. Perinde est enim ac si dictum fuisset quod conversio fit per totius quidem rei conversionem in totam rem alteram, sed inter rationes seu conditiones substantiales communes vel proprias disparitas est: quia res conversa sic secundum communia quasi salvatur quod iterum suscipit eorundem praedicationem, secundum vero propria non subit eorundem praedicationem. Hoc enim modo intelligitur sublatum id per quod distinguebatur, et totam rem converti in totam rem, ita quod nihil eius secundum se remaneat, aut in nihilum decidat.

Et si instetur quod, si tota res totaliter convertitur in totam aliam rem, frustra Auctor laboravit ad distinguendum in rebus convertibilibus naturam entis, in qua conveniunt, a propriis distinctivis rerum, etc.: respondetur non frustra, sed utiliter Auctorem laborasse ad reddendam rationem convertibilitatis totalis supernaturalis proportionaliter ad rationem conversionis substantialis naturalis. Dupliciter siquidem naturali conversione inventa, scilicet vel per modum generationis, sicut cum aer convertitur in novum ignem, vel per modum aggenerationis, sicut cum alimentum convertitur in substantiam eius quod nutritur; communis ratio utrique conversioni est convenientia in materia et differentia in formis, quibus fiebat distinctio; et in ipsa conversione materia utrobique remanet, et forma rei quae convertitur non remanet. Unde, ut proportionaliter de totali conversione doctrina traderetur, posuit Auctor in convertibilibus huiusmodi naturam entis, in qua convenirent, et constitutiva specifica, quibus distinguuntur; et rursus posuit naturam in qua res quae convertitur communicat cum altera, remanere in illa altera, non in seipsa, quia sic non converteretur in alteram rem, sed in sibi simile. Et propterea dicitur salvari rationem formalem eius, specificum autem distinctivum ita converti quod nec in se nec in suo simili remaneat. Et propterea auferri dicitur, et non salvari, secundum suam rationem formalem. Duplex propterea necessitas doctrinae huius fuit. Altera, ut conversio supernaturalis proportionalis conversionibus naturalibus sit monstrata. Altera, ut intellectus noster ex naturalibus conversionibus quas novit, manuducatur ad supernaturalia, etsi non penetranda, saltem cogitanda, ut non impossibilia existimentur. – Et haec pro expositione litterae sint dicta.

X. Conferendo autem Auctoris rationem de convertibilitate cuiusque creaturae in quamcumque aliam *, occurrunt Petrus de Palude *, ambiguus; et Durandus, obstans manifeste, in qu. II, dist. XI *, dupliciter, scilicet solvendo rationem Auctoris, et arguendo contra dictam positionem *.

* Cf. num. VIII, init.
* IV *Sent.*, dist. XI, qu. III, art. 3, conclus. 2.
* Quarti *Sent.*
* Cf. num. seq.

Ratio igitur Auctoris, scilicet, *Agens virtutis infinitae, quod habet actionem in totum ens, potest convertere,* etc., solvitur a Durando * dicente quod ex hoc non potest convertere nisi communicantia in materia, ratione cuius unum potest dici manere in altero.

* Cf. num. XIV, *Unde singillatim.*

XI. Contra positionem autem arguit multipliciter *. *Primo.* Conversum manet in eo in quod conversum est. Ergo

* Cf. ibid., *Et in hoc.*

non possunt invicem converti nisi communicantia in materia. – Antecedens probatur. Quia per hoc differt conversio ab annihilatione. – Consequentia etiam probatur: ex eo quod non manet in eo actu, quia tunc non esset conversum. Ergo manet in eo in potentia: non activa, sed passiva. Haec autem est potentia materiae.

Secundo. Absurdum est angelum converti in lapidem, aut e contra: nisi diceretur illa absurditas, ab antiquo reprobata *, quod una natura posset fieri alia, puta quod albedo possit fieri nigredo. Quod implicat contradictionem in omnibus naturis contrariis sive disparatis.

* Cf. Arist. *Physic.* lib. 1, cap. v, n. 2; cap. vi, n. 2 sqq. - S. Th. lect. x, xi.

Tertio. Si unus angelus posset converti in alium, sequeretur quod angelus posset desinere esse sine annihilatione, scilicet per conversionem in alium. Consequens est falsum: quia angelus non potest incipere esse nisi per creationem; igitur nec potest desinere esse nisi per annihilationem.

Arguitur *quarto,* auctoritate Augustini, VII *super Gen.* *, dicentis quod *corpus posse mutari in spiritum aut naturam incorpoream, nec aliquos sensisse scio, nec fides habet.*

* Cap. xii.

Quinto, auctoritate Boetii, in libro *de duab. Naturis et una Persona Christi* *, dicentis: *Illa sola inter se transmutari possunt quae habent unius materiae communem substantiam.*

* Cap. vi. - Ed. Teubner, Lipsiae 1871.

XII. Deinde idem Durandus, in qu. iii, arguit specialiter contra conversionem materiae in materiam *, quam Auctor in hac littera ponit. Arguit autem sic. Si materia converteretur in materiam, conversio fieret per hoc quod materia desineret esse in se, et esset in suo simili, scilicet in materia alterius, in quam conversa dicitur. Sed hoc non potest dici. Quia sic conversio non differret ab annihilatione: nam, annihilata materia in aliquo, nihilominus remanet similis materia in alio, sine aliqua conversione. Et rursus sequeretur secundum hoc, quod non diceretur materia unius magis converti in materiam alicuius determinati, quam in materiam cuiuscumque alterius: quia quaelibet est similis cuilibet.

* Cf. num. xv.

XIII. Demum arguit Durandus idem, ibidem, contra modum conversionis in littera positum, scilicet quod totum convertitur in totum, ita quod materia in materiam, et forma in formam convertuntur *. Primo, quia ex hac positione sequitur substantiam panis vere annihilari. Et probatur sequela. *Primo.* Quia id quod prius fuit aliquid et postea est nihil, est vere annihilatum. Sed secundum hunc conversionis modum, substantia panis ante consecrationem fuit aliquid, et post consecrationem est nihil. Ergo substantia panis est vere annihilata. – Maior patet ex ratione terminorum. – Minor probatur. Quia id quod non est aliquid in se vel in alio, est nihil. Sed substantia panis post consecrationem non est aliquid in se, ut patet: nec in alio, scilicet corpore Christi, quia nihil plus est in corpore Christi quam ante.

* Cf. num. xvi.

Secundo. Quia, si in corruptione materia desineret esse quemadmodum et forma, iam non esset corruptio, sed annihilatio. Sed in hoc modo conversionis tam materia quam forma panis desinit esse. Ergo est vera annihilatio.

Tertio. Si, remanente corpore Christi immutato, rediret eadem substantia panis, oporteret panem illum creari: quia de nihilo fieret, quia non de substantia corporis Christi, nec de aliqua alia substantia fieret. Ergo si, praeexistente corpore Christi, et nihil de substantia panis in eo remanente, panis desinat esse, ut in proposito ponitur, vere annihilaretur. – Et probatur consequentia, ex eo quod eodem modo se habet aliquid ut sit terminus ad quem annihilationis, et terminus a quo creationis. Ac per hoc, sicut corpus Christi, redeunte pane per creationem, non impedit veram creationem; ita idem Christi corpus, desinente pane ita quod nihil eius maneat in se aut Christi corpore, non impedit quin sit vera annihilatio.

Unde infert Durandus quod, duobus existentibus modis conversionis in praeexistens, scilicet per modum quo alimentum convertitur in id quod alitur *; et per modum imaginatum nulli intelligibilem, scilicet quo totum convertitur in totum praeexistens modo superius expresso; nec unus istorum per Ecclesiam sit magis approbatus aut reprobatus quam alius: videtur probabiliter quod ille modus qui est possibilis et intelligibilis, esset eligendus et tenendus.

* Cf. art. i, Comment. num. v, *Quidam autem.*

XIV. Ad horum evidentiam, non oportet alia iacere fundamenta: sed, si superius dicta * recolantur, omnia fere patent. Si consideretur enim differentia inter aliquid esse seu remanere in alio, et id quod fuit aliquid esse illud aliud, elucescet solutio nodi. Imaginatur Durandus, et male, oportere conversum manere in eo in quod est conversum: cum, secundum veritatem, conversum non maneat in eo in quod est conversum, sed est ipsum in quod est conversum. Et propterea panis non annihilatur, nec remanet in corpore Christi: sed *id quod erat panis est corpus Christi.*

* Num. v; art. 3, Comment. num. viii, *Secundo nota.*

Unde, singillatim respondendo, confutatur solutio ad rationem Auctoris a Durando allata *: quoniam innititur huic falso fundamento: Conversum oportet manere in eo in quod convertitur.

* Num. x.

Et in hoc quoque peccat primum argumentum contra positionem Auctoris *: nam hoc falsum assumit pro antecedente. – Et ad probationem eius respondetur falsissimum esse quod per hoc conversio differat ab annihilatione: differt enim ab illa per hoc quod *id quod erat panis est corpus Christi.*

* Num. xi.

Ad secundum dicitur quod, licet sit secundum naturalem potentiam absurdum angelum posse converti in lapidem, aut e contra; non est tamen absurdum secundum potentiam obedientiae ad divinam omnipotentiam. Et licet optime sit reprobatum albedinem fieri nigredinem, sicut etiam reprobatum est panem fieri corpus Christi; non tamen reprobatum est albedinem posse per divinam omnipotentiam converti in nigredinem; non enim implicat contradictionem. Et similiter panis potest converti in corpus Christi.

Ad tertium dicitur concedendo quod angelus possit desinere esse sine annihilatione per conversionem in alium. Et cum obiicitur quod non potest incipere esse nisi per creationem: respondetur quod, si ly *potest* attenditur secundum potentiam ordinariam, verum est; quia modus incipiendi per creationem est tanquam naturalis modus quo incipit esse angelus; cui responderet annihilatio, si tanquam naturali modo perderet esse. Verum, sicut supernaturaliter potest perdere esse per conversionem in aliam creaturam, non video quare supernaturaliter non possit incipere esse per conversionem alterius in ipsum, non praeexistentem, sed acquirentem esse. Et moveor ad hoc, quia facilius videtur convertere unam creaturam in aliam non praeexistentem et acquirentem esse, quam in eandem praeexistentem. Unde non admittitur ultimo assumptum a Durando in hoc argumento. Quod si admittendum putas, tanquam impertinens, nega sequelam ad praesentem difficultatem pertinentem.

Ad quartum et quintum simul dicitur quod tam Augustinus quam Boetius de mutationibus naturalibus, et quae de facto secundum fidem fiunt, loquuntur. Nos autem loquimur secundum divinae omnipotentiae amplitudinem.

XV. Ad obiecta deinde eiusdem contra conversionem materiae in materiam *, respondetur, communicando in vocabulis cum arguente, quod remanere in suo simili contingit dupliciter: vel per solam similis remansionem; vel per remansionem similis sic quod est quod erat reliquum. Et in conversione quidem de qua est sermo, materia conversa remanet in suo simili secundo modo: quia materia corporis Christi est quod erat materia panis. Arguens vero accipit remanere in suo simili primo modo: secundum quem procedere consequentias, et non secundum alterum modum, clare patet.

* Num. xii.

XVI. Ad obiecta demum eiusdem Durandi, in qu. iii, contra modum conversionis iam declaratae *, negatur sequela annihilationis. Et ad primam probationem dicitur quod plus requiritur ad veritatem maioris: scilicet, quod id quod fuit res illa, postea sit nihil. Quod in proposito est falsum. Quia, licet panis ante consecrationem fuerit aliquid, et post consecrationem non sit aliquid, quia non est: quod tamen erat panis ante consecrationem, est post consecrationem aliquid, scilicet corpus Christi.

* Num. xiii.

Vel potes distinguere, maiorem dupliciter posse intelligi: scilicet, cum praecisione, vel sine praecisione. Et si quidem intelligatur cum praecisione, hoc est, praecidendo a quocumque alio non significato per eam, dicitur quod propositio est vera, et patet ex ratione terminorum: sed non esset admittenda minor cum huiusmodi praecisione. – Si vero intelligatur absque praecisione compossibilium cum ipsius veritate, quamvis non significatorum per eam: dicitur quod propositio potest esse et vera et falsa. Quia rem, puta panem, prius fuisse aliquid et postea nihil, pluribus modis contingere potest. Inter quos, unus est per totalem conversionem ipsius in corpus Christi. Secundum quem modum, falsa est propositio: quia quod erat panis est corpus Christi. Et quia in minore exprimitur iste modus, ideo simpliciter maior est falsa.

Ad secundum, negatur consequentia: quoniam, ut iam patet, plus requiritur ad annihilationem quam desinere esse materiam et formam *.

* Art. 3, Comment. num. IX, *Ad secundum autem.*

Et potes ad utrumque argumentum, et similia, altius respondere, dicendo quod *esse nihil, non esse aliquid, desinere esse,* et si quid huiusmodi significatur, contingit dupliciter. Uno modo, per se: et sic verificantur omnia assumpta. Alio modo, concomitanter ad conversionem in aliud: et sic omnia sunt falsa. Et quia in proposito panis concomitanter ad conversionem sui in corpus Christi non est aliquid, est nihil, desinit esse; et non per se est nihil, non est aliquid, desinit esse: ideo non annihilatur; annihilatio enim per se est ad nihil, ad non-aliquid, et ad non esse.

Ad tertium, negatur assumpta primo conditionalis, dicendo quod, si divina omnipotentia restitueret eundem panem numero, posset forte dupliciter illum restituere: scilicet vel per modum creationis, vel per modum reconversionis. Et si fieret per modum creationis, impertinentia sunt omnia quae adducuntur: quia corpus Christi non esset terminus a quo creationis, quod tamen fuit terminus ad quem conversionis. Et si sic fieret, essent verae ambae istae propositiones, *Hic panis est;* et, *Corpus Christi est quod fuit iste panis.* – Si vero fieret per reconversionem, ita quod corpus Christi, inquantum est quod erat panis, converteretur in panem: tunc verum esset quod *panis qui fuerat, iterum est;* sed non esset vera enuntiatio dicens, *Corpus Christi est quod erat iste panis. – Factus sum insipiens: sed Durandus me coegit.*

Quocirca illata a Durando de probabilitate suae phantasiae *, manifeste convincuntur falsa ex decretali Lateranensi, *de Summa Trin. et Fide Cathol., Firmiter credimus,* cum dicitur: *transubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem Christi.* Constat enim quod transubstantiatio importat aliud quam unionem materierum, quam finxit Durandus *, fieri sub forma corporis Christi. Sonat namque, apud omnes fideles, mutationem quandam panis in corpus Christi ineffabilem, ita quod, mutatione facta, corpus Christi est quod erat panis, et ubi erat panis. Unde praestat, cum universali Ecclesia, *in captivitatem redigere intellectum in obsequium Christi* *, quam, contra Ambrosii praecepta *, naturae vires, ordinem aut potentiam in hoc mysterio quaerere.

* Num. XIII, *Unde infert.*

* Cf. loc. cit. ibid.

* II *ad Cor.*, cap. X, vers. 5.

* *De Mysteriis sive de Initiand.*, cap. IX. - Cf. can. *Revera, de Consecr.*, dist. II.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM IN HOC SACRAMENTO REMANEANT ACCIDENTIA PANIS ET VINI

IV *Sent.*, dist. XI, qu. I, art. 1, qu^a 2; dist. XII, qu. I, art. 1, qu^a 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LXII, LXIII, LXV; *Cont. Graec.*, *Armen.* etc., cap. VIII; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. V.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in hoc sacramento non remaneant accidentia panis et vini. Remoto enim priori, removetur posterius. Sed substantia est naturaliter prior accidente, ut probatur VII *Metaphys.* * Cum ergo, facta consecratione, non remaneat substantia panis in hoc sacramento, videtur quod non possint remanere accidentia eius.

* S. Th. lect. I. - Did. lib. VI, cap. I, n. 6.

2. PRAETEREA, in sacramento veritatis non debet esse aliqua deceptio. Sed per accidentia iudicamus de substantia. Videtur ergo [α] quod decipiatur humanum iudicium, si, remanentibus accidentibus, substantia panis non remaneat. Non ergo hoc est conveniens huic sacramento.

3. PRAETEREA, quamvis fides non sit subiecta rationi, non tamen est contra rationem, sed supra ipsam: ut in principio huius Operis * dictum est. Sed ratio nostra habet ortum a sensu. Ergo fides nostra non debet esse contra sensum [β], dum sensus noster iudicat esse panem, et fides nostra credit esse substantiam corporis Christi. Non ergo hoc est conveniens huic sacramento, quod accidentia panis subiecta sensibus maneant, et substantia panis non maneat.

* Part. I, qu. 1, art. 6, ad 2; art. 8. - Cf. *Sent.*, Prolog. art. 3, ad ult.

4. PRAETEREA, illud quod manet, conversione facta, videtur esse subiectum mutationis. Si ergo accidentia panis manent conversione facta, videtur quod ipsa accidentia sint conversionis subiectum. Quod est impossibile: nam *accidentis non est accidens* *. Non ergo in hoc sacramento debent remanere accidentia panis et vini.

* Aristot. *Metaphys.*, lib. III, cap. IV, nn. 14, 15. - S. Th. lib. IV, lect. VII.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *Sententiarum Prosperi* *: *Nos in specie panis et vini, quam videmus, res invisibiles, idest carnem et sanguinem, honoramus.*

* Lanfranc. *De Corp. et Sang. Dom.* cap. XIII. - Cf. can. *Nos autem, de Consecr.*, dist. II.

RESPONDEO DICENDUM quod sensu apparet, facta consecratione, omnia accidentia panis et vini remanere. Quod quidem rationabiliter per divinam providentiam fit. Primo quidem, quia non est consuetum hominibus, sed horribile, carnem hominis comedere et sanguinem bibere, proponitur [γ] nobis caro et sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum quae frequentius in usum hominis veniunt, scilicet panis et vini.

Secundo, ne hoc sacramentum ab infidelibus irrideretur, si sub specie propria Dominum nostrum manducemus.

Tertio ut, dum invisibiliter corpus et sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei.

α) *ergo.* – P; om. I, *autem* ceteri.
β) *sensum.* – *Est autem contra sensum* addunt E et tertia; *noster* et *nostra* om. tertia.

γ) *proponitur.* – *et proponitur* E, *et ideo proponitur* F, (*et ideo* P) *proponuntur* tertia.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut dicitur in libro *de Causis* *, effectus plus dependet a causa prima quam a causa secunda. Et ideo virtute Dei, qui est causa prima omnium, fieri potest ut remaneant posteriora, sublatis prioribus [δ].

* Prop. 1. - Inter Opp. Aristot.

Ad secundum dicendum quod in hoc sacramento nulla est deceptio: sunt enim [ε] secundum rei veritatem accidentia, quae sensibus diiudicantur. Intellectus autem, cuius est proprium obiectum substantia *, ut dicitur in III *de Anima* **, per fidem a deceptione praeservatur.

* D. 752. ** Cap. vi, n. 7. - S. Th. lect. xi.

Et sic patet responsio ad tertium. Nam fides non est contra sensum, sed est de eo ad quod sensus non attingit.

Ad quartum dicendum quod haec conversio non proprie habet subiectum *, ut dictum est **. Sed tamen accidentia, quae remanent, habent aliquam similitudinem subiecti.

* D. 576. ** Art. 4, ad 1.

δ) *posteriora, sublatis prioribus.* – I; *posteriora prioribus sublatis* PsGH, *priora sublatis posterioribus (posterioribus sublatis bc)* ceteri.

ε) *enim.* – *ibi* addit tertia.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM, FACTA CONSECRATIONE, REMANEAT IN HOC SACRAMENTO FORMA SUBSTANTIALIS PANIS

IV *Sent.*, dist. xi, qu. 1, art. 1, qu[a] 3; I *ad Cor.*, cap. xi, lect. iv.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod, facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis. Dictum est enim * quod, facta consecratione, remaneant accidentia. Sed, cum panis sit quiddam artificiale, etiam forma eius est accidens. Ergo remanet, facta consecratione.

* Art. praeced.

2. Praeterea, forma corporis Christi est anima: dicitur enim in II *de Anima* *, quod anima est *actus corporis physici potentia vitam habentis.* Sed non potest dici quod forma substantialis panis convertatur in animam. Ergo videtur quod remaneat, facta consecratione.

* Cap. 1, n. 5. - S. Th. lect. 1.

3. Praeterea, propria operatio rei sequitur formam substantialem eius. Sed illud quod remanet in hoc sacramento, nutrit, et omnem operationem facit quam faceret panis existens. Ergo forma substantialis panis remanet in hoc sacramento, facta consecratione.

Sed contra, forma substantialis panis est de substantia panis. Sed substantia panis convertitur in corpus Christi, sicut dictum est *. Ergo forma substantialis panis non manet.

* Art. 2, 3, 4.

Respondeo dicendum quod quidam posuerunt quod, facta consecratione, non solum remanent accidentia panis, sed etiam forma substantialis eius. – Sed hoc esse non potest. Primo quidem quia, si forma substantialis remaneret, nihil de pane converteretur in corpus Christi nisi sola materia. Et ita sequeretur quod non converteretur in corpus Christi totum, sed in eius materiam. Quod repugnat formae sacramenti, qua dicitur, *Hoc est corpus meum.*

Secundo quia, si forma substantialis panis remaneret, aut remaneret in materia, aut a materia separata. Primum autem esse non potest. Quia, si remaneret in materia panis, tunc tota substantia panis remaneret: quod est contra praedicta *. In alia autem materia remanere non posset: quia propria forma non est nisi in propria materia. – Si autem remaneret a materia separata, iam esset forma intelligibilis actu, et etiam intellectus [α]: nam omnes formae a materia separatae sunt tales.

* Art. 2.

Tertio, esset inconveniens huic sacramento. Nam accidentia panis in hoc sacramento remanent ut sub eis videatur corpus Christi, non autem sub propria specie, sicut supra * dictum est.

* Art. 5.

Et ideo dicendum est quod forma substantialis panis non manet.

Ad primum ergo dicendum quod nihil prohibet arte fieri aliquid cuius forma non est accidens, sed forma substantialis *: sicut arte possunt produci ranae et serpentes. Talem enim formam non producit ars virtute propria, sed virtute naturalium principiorum. Et hoc modo producit formam substantialem panis, virtute ignis decoquentis materiam ex farina et aqua confectam.

* D. 240.

Ad secundum dicendum quod anima est forma corporis dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet esse, et esse corporeum, et esse animatum, et sic de aliis. Convertitur igitur forma panis in formam corporis Christi * secundum quod dat esse corporeum: non autem secundum quod dat esse animatum tali anima.

* D. 577.

Ad tertium dicendum quod operationum panis quaedam consequuntur ipsum ratione accidentium, sicut immutare sensum. Et tales operationes inveniuntur in speciebus panis post consecrationem, propter ipsa accidentia, quae remanent.

Quaedam autem operationes consequuntur panem vel ratione materiae, sicut quod convertitur in aliquid; vel ratione formae substantialis, sicut est operatio consequens speciem eius, puta quod *confirmat cor hominis* *. Et tales operationes inveniuntur in hoc sacramento, non propter formam vel materiam quae remaneat, sed quia miraculose conferuntur ipsis [β] accidentibus, ut infra * dicetur.

* Ps. ciii, vers. 15.
* Qu. lxxvii, art. 3, ad 2, 3; art. 5, 6.

α) *etiam intellectus.* – (*etiam* Pl) *intelligens* tertia.

β) *ipsis.* – FsE et tertia; *in ipsis.*

Commentaria Cardinalis Caietani

* Hoc Comment. PAB art. quinto subiungunt.

In hoc articulo *, et reliquis eiusdem septuagesimaequintae quaestionis, duo solum notanda occurrunt. Primum est in articulo sexto, ad primum, quod forma panis est forma substantialis *, specie differens a pasta, secundum Auctorem, dum dicit quod *ars producit formam substantialem panis virtute ignis decoquentis materiam ex farina et aqua confectam.*

* Cf. qu. LXXIV, art. 3, Comment. num. IV.

Persuadetur autem sic esse, quia ex fide tenemus conversionem solius substantiae panis in substantiam corporis Christi. Si enim forma panis esset accidens, non per se, sed per aliud, scilicet subiectum, converteretur panis in corpus Christi. – Et rursus, nihil prohiberet, facta consecratione, remanere formam panis cum ceteris accidentibus remanentibus. Quod constat esse falsum.

II. In responsione ad secundum eiusdem sexti articuli, occurrit secundum, quod est ex Scoto, in IV *Sent.*, dist. XI, qu. III *, contra hanc litteram ponentem *formam panis converti in animam Christi secundum quod dat esse corporeum.* Arguitque dupliciter. Si hostia consecrata a Christo in Cena fuisset triduo mortis servata, permansisset eadem res primo contenta sub hostia. Ergo permansisset eadem forma corporis Christi constituens illud corpus. Sed anima Christi non permansit in constituendo corpus illud: quia fuit separata a corpore. Ergo conversio non fuit facta in animam Christi. – Omnia sunt clara. Et prima consequentia patet ex eo quod res primo contenta est corpus Christi.

* Art. 2.

Praeterea *, conversio realis debet fieri in rem realem ut realem. Sed anima intellectiva ut dat esse corporeum, distinguendo contra esse animatum, non est quid reale ut reale, sed potius ut ratio: sicut commune non est aliquid praeter singularia. Ergo ista conversio non est in animam Christi sub tali ratione.

* Cf. num. V.

III. Ad hoc dicitur quod, quia corpus Christi unum et idem est quod continetur sub hostia, et quod est secundum se, eadem est sententia de identitate corporis Christi in rerum natura, et in sacramento: non enim oportet magis servare identitatem corporis Christi in sacramento quam in rerum natura. Et propterea dicitur ad assumptam conditionalem quod res primo contenta fuisset in illo triduo eadem triplici identitate numerali, scilicet hypostasis, esse actualis existentiae, et materiae, et fuisset non eadem formaliter: sicut in rerum natura corpus Christi in illo triduo erat idem numero hypostasi, existentia et materia, non autem forma *, quia forma cadaveris genita in morte Christi dabat tunc esse corporeum.

* Cf. qu. XVII, art. 2, cum Comm.; qu. L, art. 5, cum Comment.

Et hoc est philosophiae consentaneum, immo secundum illius principia necessarium: quia *corruptio unius est generatio alterius* *. Nec minus exercitatis in philosophia absurdum videatur ponere formam cadaveris in corpore Christi: sicut nec absurdum eis videri debet quod oculi Christi mortui non erant oculi nisi aequivoce *, et sic de aliis membris similibus. Non dedecent siquidem haec Salvatorem nostrum, apud penetrantes quod dignatus est etiam mori, et usque ad resurrectionem suam poenalitatibus finem non imponere: ut separatio animae a corpore evidenter testatur, durans usque ad dictam resurrectionem.

* Aristot. *Physic.* lib. III, cap. VIII, n. 1, S. Th. lect. XIII; *de Gen. et Corrupt.* lib. III, cap. VII, n. 7, S. Th. lect. VII.
* Aristot. *de Part. Animal.* lib. I, cap. I; *de Generat. Animal.* lib. II, cap. I.

IV. Et si contra hanc responsionem obiiciatur ex eodem Scoto, in VI qu. dist. X, quod sequeretur sub hostia servata illo triduo non esse corpus Christi: quia non contenta fuisset sub hostia materia sola, quoniam materia continetur sub sacramento ut pars totius, hoc est, corporis, materia autem sola non est pars corporis; nec materia cum anima Christi, quia erat separata ab illa; nec materia sub nova forma, quia sequerentur duo contradictoria, scilicet quod materia haberet simul novam formam et non haberet illam, nam in esse naturae haberet illam, et in sacramento non haberet illam: – respondendum est quod fuisset in illo triduo materia cum forma nova sub sacramento. Ita quod, quia secundum veritatem, praesupposita unitate formae in composito, corpus Christi in illo triduo constituebatur per novam formam, ideo in sacramento continebatur corpus per novam formam constitutum.

Et si instetur quod in illam formam nunquam facta est conversio: respondetur quod sufficit fuisse factam conversionem in corpus Christi remanens semper idem numero, per quamcumque formam constituatur, quia semper remanet non solum eadem materia, sed eadem hypostasis, et, quod plus est, idem esse; nam nova forma non dedit novum esse, sicut nec constituit novam hypostasim.

Et ista, licet sint mirabilia, sunt tamen vera singulariter in Christo. Et propterea corpus Christi in triduo, propter diversitatem formae non nisi secundum quid efficitur aliud: simpliciter enim et absolute loquendo, remanet et est semper idem numero.

Videtur tamen quod nova illa forma sicut adventitie pertinet ad corpus Christi, in supplementum separatae ad tempus propriae animae; ita potius concomitanter quam ex vi sacramenti, nova illa forma contenta fuisset sub servata tunc hostia.

V. Ad secundum * dicitur concedendo quod terminus conversionis est quid reale ut reale. Et propterea negatur animam dantem esse corporeum, ut sic, esse rationem, aut minimam aliquam diminutionem realitatis sonare. Licet enim distinctio ipsius dantis esse corporeum a seipsa dante esse animatum, sit ratio, seu rationis ens; ipsa tamen, tam dans esse corporeum ut sic, quam dans esse animatum ut sic, non minus est realis ut realis quam si distingueretur a seipsa realiter. Distinctio enim vel indistinctio huiusmodi per accidens se habent ad realitatem ipsius dantis hoc et dantis illud.

* Num. II, *Praeterea.*

VI. Et tu, Novitie, scito non referre ad fidei doctrinam, sed ad philosophicas opiniones, sic vel aliter sentire de identitate formali corporis Christi in triduo. Tenentes enim unam tantum formam substantialem in composito, de quorum numero est Auctor *, consequenter dicunt sic. Opinantes autem esse plures formas substantiales in composito, aliter dicerent.

* Part. I, qu. LXXVI, art. 4, et loc. ibi cit.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM ISTA CONVERSIO FIAT IN INSTANTI, VEL FIAT SUCCESSIVE

IV *Sent.*, dist. XI, qu. I, art. 3, qu^a 2; *Quodl.* VII, qu. IV, art. 2.



AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ista conversio non fiat in istanti, sed fiat successive α. In hac enim conversione prius est substantia panis, et postea substantia corporis Christi. Non ergo utrumque est in eodem instanti, sed in duobus instantibus. Sed inter quaelibet duo instantia est tempus medium *. Ergo oportet quod haec conver-

* D. 741.

α) *fiat successive.* – *successive* F, *sit successiva* tertia.

sio fiat secundum successionem temporis quod est inter ultimum instans quo est ibi panis, et primum instans quo est ibi corpus Christi.

2. PRAETEREA, in omni conversione est fieri et factum esse. Sed haec duo non sunt simul: quia quod fit, non est; quod autem factum est, iam est. Ergo in hac conversione est prius et posterius. Et ita oportet quod non sit instantanea, sed successiva.

3. PRAETEREA, Ambrosius dicit, in libro *de Sacram.* *, quod istud sacramentum *Christi sermone conficitur*. Sed sermo Christi successive profertur. Ergo haec conversio fit successive.

* Lib. IV, cap. IV, n. 14.

SED CONTRA EST quod haec conversio perficitur virtute infinita, cuius est subito operari.

RESPONDEO DICENDUM quod aliqua mutatio est instantanea triplici ratione. Uno quidem modo, ex parte formae, quae est terminus mutationis. Si enim sit aliqua forma quae recipiat magis aut [β] minus, successive acquiritur subiecto, sicut sanitas. Et ideo, quia forma substantialis *non recipit magis et minus* *, inde est quod subito fit eius introductio in materia. – Alio modo, ex parte subiecti, quod quandoque successive praeparatur ad susceptionem [γ] formae: et ideo aqua successive calefit. Quando vero ipsum subiectum est in ultima dispositione ad formam, subito recipit ipsam: sicut diaphanum subito illuminatur. – Tertio, ex parte agentis, quod est infinitae virtutis: unde statim potest materiam ad [δ] formam disponere. Sicut dicitur Marc. VII *, quod, cum Christus dixisset, *Ephphetha, quod est adaperire* [ε], *statim apertae sunt aures hominis, et solutum est vinculum linguae eius.*

* Cf. Aristot. *Categ.* cap. III, n. 20.
* Vers. 34, 35.

Et his tribus rationibus haec conversio est instantanea. Primo quidem, quia substantia corporis Christi, ad quam terminatur ista conversio, non suscipit magis neque minus. – Secundo, quia in hac conversione non est aliquod subiectum *, quod successive praeparetur. – Tertio, quia agitur Dei virtute infinita.

* D. 576.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod quidam * non simpliciter concedunt quod inter quaelibet duo instantia sit tempus medium. Dicunt enim quod hoc habet locum in duobus instantibus quae referuntur ad eundem motum, non autem in duobus instantibus quae referuntur ad diversa. Unde inter instans quod mensurat finem quietis, et aliud instans quod mensurat principium motus, non est tempus medium. – Sed in hoc decipiuntur. Quia unitas temporis et instantis, vel etiam pluralitas eorum, non accipitur secundum quoscumque motus, sed secundum primum motum caeli, qui est mensura omnis motus * et quietis.

* Cf. Albert. M. IV *Sent.*, dist. XI B, art. 3, opin. ult.; S. Bonav. IV *Sent.*, dist. XI, part. I, art. unic., qu. V, in fine.
* Aristot. *Physic.* lib. IV, cap. XIV, n. 5, s. Th. lect. XXIII; *De Caelo*, lib. II, cap. IV, n. 7, s. Th. lect. VI.

Et ideo alii hoc concedunt in tempore quod mensurat motum dependentem ex motu caeli. Sunt autem quidam motus ex motu caeli non dependentes, nec ab eo mensurati: sicut in Prima Parte * dictum est de motibus angelorum. Unde inter duo instantia illis motibus respondentia, non est tempus medium *. – Sed hoc non habet locum in proposito. Quia, quamvis ista conversio secundum se non habeat ordinem ad motum caeli, consequitur tamen prolationem verborum, quam necesse est motu caeli mensurari. Et ideo necesse est inter quaelibet duo instantia circa istam conversionem signata esse tempus medium.

* Qu. LIII, art. 3.
* D. 741.

Quidam ergo dicunt quod instans in quo ultimo est panis, et instans in quo primo est corpus Christi, sunt quidem duo per comparationem ad mensurata [ζ], sed sunt unum per comparationem ad tempus mensurans: sicut, cum duae lineae se contingunt, sunt duo puncta ex parte duarum linearum, unum autem punctum ex parte loci continentis [η]. – Sed hoc non est simile. Quia instans et tempus particularibus motibus non est mensura intrinseca, sicut linea et punctus corporibus: sed solum extrinseca, sicut corporibus locus.

Unde alii dicunt quod est idem instans re, sed aliud ratione. – Sed secundum hoc sequeretur quod realiter opposita essent simul. Nam diversitas rationis non variat aliquid ex parte rei.

Et ideo dicendum est quod haec conversio, sicut dictum est *, perficitur per verba Christi, quae a sacerdote proferuntur, ita quod [θ] ultimum instans prolationis verborum est primum instans in quo est in sacramento corpus Christi, in toto autem tempore praecedente est ibi substantia panis. Cuius temporis non est accipere aliquod instans proximo praecedens ultimum: quia tempus non componitur ex instantibus consequenter se habentibus, ut probatur in VI *Physic.* * Et ideo est quidem dare instans [ι] in quo est corpus Christi, non est autem dare ultimum instans in quo sit substantia panis, sed est dare ultimum tempus. Et idem est in mutationibus naturalibus *: ut patet per Philosophum, in VIII *Physicorum* *.

* Art. 3.
* Cap. I, n. 2. – S. Th. lect. I.
* D. 744.
* Cap. VIII, n. 6. – S. Th. lect. XVII.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in mutationibus instantaneis simul est fieri et factum esse: sicut simul est illuminari et illuminatum esse. Dicitur enim in talibus factum esse secundum quod iam est: fieri autem, secundum quod ante non fuit.

AD TERTIUM DICENDUM quod ista conversio, sicut dictum est *, fit in ultimo instanti prolationis verborum: tunc enim completur [κ] verborum significatio, quae est efficax in sacramentorum formis. Et ideo non sequitur quod ista conversio sit successiva.

* Resp. ad 1.

β) *aut.* – *et* tertia et *a.*
γ) *susceptionem.* – FsE et tertia praeter I; *successionem.*
δ) *ad.* – FIsG; *aut.*
ε) *adaperire.* – *aperire* CDEF*a.*
ζ) *ad mensurata.* – F et tertia praeter I; *commensurata* ACpD, *mensurata* BsD, *ad commensurata* E, *ad mensuram* I, *mensurati* ed. *a.*
η) *loci continentis.* – E et tertia praeter *b*; *lineae gntis* (idest *consequentis*) D, *lineae continentis* ceteri.
θ) *quod.* – EFIsG et editiones; *et* ABCD, *ut* ed. *a,* om. HpG.
ι) *instans.* – *primum instans* PEI, *(ideo est dare quoddam) instans* ed. *a.*
κ) *completur.* – FsE *a* et tertia; *recompletur* ABCpD, *re completur* sD; *tunc... verborum* om. pE.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM HAEC SIT VERA: *EX PANE FIT CORPUS CHRISTI*

IV *Sent.*, dist. xi, qu. i, art. 4.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod haec sit falsa: *Ex pane fit corpus Christi.* Omne enim id ex quo fit aliquid, est id quod fit illud [α], sed non convertitur: dicimus enim quod ex albo fit nigrum, et quod album fit nigrum; et licet dicamus quod homo fiat niger, non tamen dicimus quod ex homine fiat nigrum; ut patet in I *Physic.* * Si ergo verum est quod ex pane fiat corpus Christi, verum erit dicere quod panis fiat corpus Christi. Quod videtur esse falsum: quia panis non est subiectum factionis, sed magis est terminus. Ergo non vere dicitur quod ex pane fiat corpus Christi.

* Cap. v, n. 3. – S. Th. lect. x.

2. Praeterea, fieri terminatur ad esse, vel ad factum esse. Sed haec nunquam est vera, *Panis est corpus Christi,* vel, *Panis est factus corpus Christi,* vel etiam, *Panis erit corpus Christi.* Ergo videtur quod nec haec sit vera, *Ex pane fit corpus Christi.*

3. Praeterea, omne id ex quo fit aliquid, convertitur in id quod fit ex eo. Sed haec videtur esse falsa, *Panis convertitur in corpus Christi:* quia haec conversio [β] videtur esse miraculosior quam creatio; in qua tamen non dicitur quod non ens convertatur in ens. Ergo videtur quod etiam haec sit falsa, *Ex pane fit corpus Christi.*

4. Praeterea, illud ex quo fit aliquid, potest esse illud. Sed haec est falsa, *Panis potest esse corpus Christi.* Ergo etiam haec est falsa, *Ex pane fit corpus Christi.*

Sed contra est quod Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* *: *Ubi accedit consecratio, de pane fit corpus Christi.*

* Lib. IV, cap. iv, n. 14.

Respondeo dicendum quod haec conversio panis in corpus Christi, quantum ad aliquid convenit cum creatione et cum transmutatione naturali, et quantum ad aliquid differt ab utroque. Est enim commune his tribus ordo terminorum, scilicet ut post hoc sit hoc, in creatione enim est esse post non esse, in hoc sacramento corpus Christi post substantiam panis, in transmutatione naturali album post nigrum vel ignis post aerem; et quod praedicti termini non sint simul.

Convenit autem conversio de qua nunc loquimur cum creatione, quia in neutra earum est aliquod commune subiectum utrique extremorum. Cuius contrarium apparet in omni transmutatione naturali.

Convenit vero haec conversio cum transmutatione naturali in duobus, licet non similiter. Primo quidem, quia in utraque unum extremorum transit in aliud, sicut panis in corpus Christi, et aer in ignem: non autem non ens convertitur in ens. Aliter tamen hoc accidit utrobique. Nam in hoc sacramento tota substantia panis transit in totum corpus Christi: sed in transmutatione naturali materia unius suscipit formam alterius, priori forma deposita. – Secundo conveniunt in hoc, quod utrobique remanet aliquid idem: quod non accidit in creatione. Differenter tamen: nam in transmutatione naturali remanet eadem materia vel subiectum; in hoc autem sacramento remanent eadem accidentia.

Et ex his accipi potest qualiter differenter in talibus loqui debeamus. Quia enim in nullo praedictorum trium extrema sunt simul, ideo in nullo eorum potest unum extremum de alio praedicari per verbum substantivum praesentis temporis: non enim dicimus, *Non ens est ens,* vel, *Panis est corpus Christi*, vel, *Aer est ignis* aut *album* [γ] *nigrum.*

Propter ordinem vero extremorum, possumus uti in omnibus hac praepositione *ex,* quae ordinem designat [δ]. Possumus enim vere et proprie dicere quod *ex non ente fit ens,* et *ex pane corpus Christi,* et *ex aere ignis* vel *ex albo nigrum.*

Quia vero in creatione unum extremorum non transit in alterum, non possumus in creatione uti verbo *conversionis,* ut dicamus quod *non ens convertitur in ens.* Quo tamen verbo uti possumus in hoc sacramento, sicut et in transmutatione naturali. Sed quia in hoc sacramento tota substantia in totam [ε] mutatur, propter hoc haec conversio proprie *transubstantiatio* vocatur.

Rursus, quia huius conversionis non est accipere aliquod subiectum, ea quae verificantur in conversione naturali ratione subiecti, non sunt concedenda in hac conversione. Et primo quidem, manifestum est quod potentia ad oppositum consequitur subiectum: ratione cuius dicimus quod *album potest esse nigrum,* vel *aer potest esse ignis.* Licet haec non sit ita propria sicut prima: nam subiectum albi, in quo est potentia ad nigredinem, est tota substantia albi, non enim albedo est pars eius; subiectum autem formae aeris est pars eius; unde, cum dicitur, *Aer potest esse ignis,* verificatur ratione partis per synecdochen. Sed in hac conversione, et similiter in creatione, quia nullum est subiectum *, non dicitur quod unum extremum possit esse aliud, sicut quod *non ens possit esse ens,* vel quod *panis possit esse corpus Christi.* – Et eadem ratione non potest proprie dici quod *de non ente fiat ens,* vel quod *de pane fiat corpus Christi:* quia

* D. 576.

α) *est id quod fit illud.* – *est idem quod fit illud* ABa, *etiam quod* (*quod* expungit) *fit illud* E, *est id quod fit* F.

β) *haec conversio.* – FIsG et editiones; *haec* DEHpG et *a*, *hoc* ABC. – Post *creatio* G et editiones addunt *mundi.*

γ) *aut album.* – *vel album* GHbc, *vel album est* PF.

δ) *designat.* – EF et tertia; *denotat* D, *significat* ante *ordinem* ed. *a*, om. ABC.

ε) *totam.* – *substantiam* addit tertia praeter I.

ζ haec praepositio *de* designat [ζ] causam consubstantialem; quae quidem consubstantialitas extremorum in transmutationibus naturalibus attenditur penes convenientiam in subiecto. – Et simili ratione non conceditur quod *panis erit corpus Christi,* vel quod *fiat corpus Christi,* sicut neque conceditur in creatione quod *non ens erit ens* [η], vel quod *non ens fiat ens:* quia hic modus loquendi verificatur in transmutationibus naturalibus ratione subiecti, puta cum dicimus quod *album fit nigrum,* vel *album erit nigrum.*

Quia tamen in hoc sacramento, facta conversione, aliquid idem manet, scilicet accidentia panis, ut supra * dictum est, secundum quandam similitudinem aliquae harum locutionum possunt concedi: scilicet quod *panis sit corpus Christi,* vel, *panis erit corpus Christi,* vel, *de pane fit corpus Christi;* ut nomine *panis* non intelligatur substantia panis, sed in universali *hoc quod sub speciebus panis continetur,* sub quibus prius continetur substantia panis, et postea corpus Christi.

* In hoc art., et art. 5.

Ad primum ergo dicendum quod illud ex quo aliquid fit, quandoque quidem importat simul subiectum cum uno extremorum transmutationis: sicut cum dicitur, *Ex albo fit nigrum* [θ]. Quandoque vero importat solum oppositum, vel extremum: sicut cum dicitur, *Ex mane fit dies.* Et sic non conceditur quod hoc fiat illud, idest quod *mane fiat dies.* Et ita etiam [ι] in proposito, licet proprie dicatur quod *ex pane fiat corpus Christi,* non tamen proprie dicitur quod *panis fiat corpus Christi,* nisi secundum quandam similitudinem, ut dictum est *.

* In corpore, fin.

Ad secundum dicendum quod illud ex quo fit aliquid, quandoque erit illud, propter subiectum quod importatur. Et ideo, cum huius conversionis non sit aliquod subiectum, non est similis ratio.

Ad tertium dicendum quod in hac conversione sunt plura difficilia quam in creatione, in qua hoc solum difficile est, quod aliquid fit ex nihilo: quod tamen pertinet ad proprium modum productionis primae causae, quae nihil aliud praesupponit. Sed in hac conversione non solum est difficile quod hoc totum convertitur in illud totum, ita quod nihil prioris remaneat, quod non pertinet ad communem modum productionis alicuius causae: sed etiam habet hoc difficile, quod accidentia remanent corrupta substantia, et multa alia, de quibus in sequentibus * agetur. Tamen verbum *conversionis* recipitur in hoc sacramento, non autem in creatione, sicut dictum est *.

* Qu. LXXVII.

* In corpore.

Ad quartum dicendum quod, sicut dictum est *, potentia pertinet ad subiectum, quod non est accipere in hac conversione. Et ideo non conceditur quod panis possit esse corpus Christi: non enim haec conversio fit per potentiam passivam creaturae, sed per solam potentiam activam Creatoris.

* Ibid.

ζ) *de designat.* – PF; *designat b, de signat* vel *de significat* ceteri.
η) *ens.* – Ea et tertia; om. ABCD; *erit ens vel quod non ens* om. F.
θ) *nigrum. – et sic etiam dici potest: hoc fit illud, idest album fit nigrum* addunt Pl.
ι) *etiam.* – Tertia praeter I; om. DI, *est* ceteri.



QUAESTIO SEPTUAGESIMASEXTA

DE MODO QUO CHRISTUS EXISTIT IN HOC SACRAMENTO

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LXXIV, Introd.

Deinde considerandum est de modo quo Christus existit in hoc sacramento *.

Et circa hoc quaeruntur octo.

Primo: utrum totus Christus sit sub hoc sacramento.

Secundo: utrum totus Christus sit sub utraque specie [α] sacramenti.

Tertio: utrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum.

Quarto: utrum dimensiones corporis Christi totae sint in hoc sacramento.

Quinto: utrum corpus Christi sit in hoc sacramento localiter.

Sexto: utrum corpus Christi moveatur ad motum hostiae vel calicis post consecrationem.

Septimo: utrum corpus Christi sub hoc sacramento possit ab aliquo oculo videri [β].

Octavo: utrum verum corpus Christi remaneat in hoc sacramento quando miraculose apparet sub specie pueri vel carnis.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM TOTUS CHRISTUS CONTINEATUR SUB HOC SACRAMENTO

IV *Sent.*, dist. x, art. 2, qu^a 1, 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIV; *Quodl.* VII, qu. IV, art. 1; *In Matth.*, cap. XXVI; *In Ioan.*, cap. VI, lect. VI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. VI.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non totus Christus contineatur sub hoc sacramento. Christus enim incipit esse in hoc sacramento per conversionem panis et vini [γ]. Sed manifestum est quod panis et vinum non possunt converti neque in divinitatem Christi, neque in eius animam. Cum ergo Christus existat ex tribus substantiis, scilicet divinitate, anima et corpore, ut supra * habitum est; videtur quod Christus totus non sit in hoc sacramento.

* Qu. II, art. 5; qu. V, art. 1, 3.

2. Praeterea, Christus est in hoc sacramento secundum quod competit refectioni fidelium, quae in cibo et potu consistit, sicut supra * dictum est. Sed Dominus dicit, Ioan. VI *: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Ergo solum caro et sanguis Christi continetur [δ] in hoc sacramento. Sunt autem multae aliae partes corporis Christi: puta nervi et ossa et alia huiusmodi. Non ergo totus Christus continetur sub hoc sacramento.

* Qu. LXXIV, art. 1.
* Vers. 56.

3. Praeterea, corpus maioris quantitatis non potest totum contineri sub minoris quantitatis mensura. Sed mensura panis et vini consecrati est multo minor quam propria mensura corporis Christi. Non potest ergo esse quod totus Christus sit sub hoc sacramento.

Sed contra est quod Ambrosius dicit, in libro *de Offic.* *: *In illo sacramento Christus est.*

* Can. *Ante benedict.*, de Consecr., dist. II.

Respondeo dicendum quod omnino necesse est confiteri secundum fidem Catholicam quod totus Christus sit in hoc sacramento. Sciendum tamen quod aliquid Christi est in hoc sacramento dupliciter: uno modo, quasi ex vi sacramenti; alio modo, ex naturali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti, est sub speciebus huius sacramenti id in quod directe convertitur substantia panis et vini praeexistens, prout significatur per verba formae, quae sunt effectiva in hoc sacramento sicut et in ceteris: puta cum dicitur, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Ex naturali autem concomitantia est in hoc sacramento illud quod realiter est coniunctum ei in quod praedicta conversio terminatur. Si enim aliqua duo sunt realiter coniuncta, ubicumque est unum realiter, oportet et aliud esse: sola enim operatione animae discernuntur quae realiter sunt coniuncta.

Ad primum ergo dicendum quod, quia conversio panis et vini non terminatur ad divinitatem vel animam Christi, consequens est quod divinitas vel anima Christi non sit in hoc sacramento ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia. Quia enim divinitas corpus assumptum nunquam deposuit, ubicumque est corpus Christi, necesse est et eius divinitatem esse. Et ideo in hoc sacramento necesse est esse divinitatem Christi concomitantem eius corpus. Unde in

---

α) *specie.* – PFl; *parte* CDEH*bc*; AB legunt: *sit sub qualibet vel utraque parte sacramenti specierum*, sed in A *specierum* expungitur; G: *sit sub aliqua parte vel utraque parte specierum sacramenti*, sed *aliqua parte vel* expungitur; ed. *a*: *sit sub utraque parte specierum.*

β) *sub... videri.* – *prout est in hoc sacramento possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato* tertia praeter I.

γ) *vini.* – *in ipsum sicut dictum est* addunt EI, *sicut dictum est* addunt editiones.

δ) *continetur.* – *continentur* P.

*Act. Conc. Eph., part. I, cap. XXVI, Epist. Cyrill. ad Nestor., cap. VII. - Cf. can. *Necessarie, de Consecr.*, dist. II.

Symbolo Ephesino * legitur: *Participes efficimur corporis et sanguinis Christi, non ut communem carnem percipientes, nec viri sanctificati et Verbo coniuncti secundum dignitatis unitatem, sed vere vivificatricem, et ipsius Verbi propriam factam.*

* Qu. L, art. 5.

Anima vero realiter separata fuit a corpore, ut supra * dictum est. Et ideo, si in illo triduo mortis fuisset hoc sacramentum celebratum, non fuisset ibi anima, nec ex vi sacramenti nec ex reali concomitantia. Sed quia *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur*, ut dicitur *Rom.* VI *, anima eius semper est realiter corpori unita. Et ideo in hoc sacramento corpus quidem Christi est ex vi sacramenti, anima autem ex reali concomitantia.

* Vers. 9.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ex vi sacramenti sub hoc sacramento continetur, quantum ad species panis, non solum caro, sed totum corpus Christi, idest ossa et nervi et alia huiusmodi. Et hoc apparet ex forma huius sacramenti, in qua non dicitur, *Haec est caro mea,* sed, *Hoc est corpus meum.* Et ideo, cum Dominus dixit, Ioan. VI, *Caro mea vere est cibus,* caro ponitur ibi pro toto corpore, quia, secundum consuetudinem humanam, videtur esse magis manducationi accommodata [ε]: prout scilicet homines carnibus animalium vescuntur communiter, non ossibus vel aliis huiusmodi.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut dictum est *, facta conversione panis in corpus Christi vel vini in sanguinem, accidentia utriusque remanent. Ex quo patet quod dimensiones panis vel vini non convertuntur in dimensiones corporis Christi, sed substantia in substantiam. Et sic substantia corporis Christi vel sanguinis est in hoc sacramento ex vi sacramenti, non autem dimensiones corporis vel sanguinis Christi. Unde patet quod corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiae, et non per modum quantitatis. Propria autem totalitas substantiae continetur indifferenter in parva vel magna quantitate: sicut tota natura aeris in magno vel parvo aere, et tota natura hominis in magno vel parvo homine. Unde et tota substantia corporis Christi et sanguinis [ζ] continetur in hoc sacramento post consecrationem, sicut ante consecrationem continebatur ibi substantia [η] panis et vini.

* Qu. LXXV, art. 5.

ε) *accommodata.* – *accommoda* CDIsG.
ζ) *Christi et sanguinis.* – *et sanguinis Christi* P. Cf. qu. LXXVII art. 4. corp. post med.
η) *substantia.* – *tota substantia* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo primi articuli ly *totus Christus* importat eius divinitatem et humanitatem, animam et corpus, partesque corporis omnes.

In corpore eiusdem articuli dubium occurrit ex Durando, in IV *Sent.*, dist. X, qu. II, contra hanc propositionem communem arguente, scilicet: *Si aliqua duo sunt realiter coniuncta, ubicumque est unum realiter, oportet et reliquum esse.* Solvit enim primo eam, dicens esse veram de existentia in loco localiter: non autem de existentia in loco alicubi per habitudinem praesentiae, qualiter contingit in proposito. Et ratio est, quia duorum realiter coniunctorum potest alterum habitudinem habere praesentiae ad aliquid, et reliquum non habere illam.

Affert deinde instantiam. Quia corpori Christi coniunctum realiter est de facto esse in caelo. Et tamen illud esse in caelo non est sub hoc sacramento, etiam concomitanter.

II. Ad hoc dicitur quod aliud est loqui de habitudine in communi: et aliud est loqui de habitudine tali, puta contenti ad continens. Licet enim duorum coniunctorum realiter unum possit habere habitudinem ad aliquid, et reliquum non; tamen non potest unum eorum habere habitudinem contenti ad continens, et reliquum non. Et quia de tali habitudine est praesens sermo, quoniam credimus Christum veraciter contineri sub specie panis; ideo solida stat communis propositio assumpta in littera, et vera non solum de existentia alicubi localiter, sed etiam de existentia reali sacramentaliter, quam significamus per *contineri sub sacramento.*

Ad instantiam autem dicitur quod propositio dicta ab omnibus intelligitur de his quae insunt Christo absolute: et non per respectum ad extrinsecum, de quorum numero est esse in loco. Et hanc limitationem subintellectam explicat inferius Auctor in articulo quinto, ad tertium.

III. In eodem articulo, in responsione ad tertium, nota, Novitie, novos terminos, scilicet: *per modum substantiae, per modum quantitatis.* Et adverte, pro hoc loco et pro articulo tertio et quarto specialiter, ne oporteat idem saepius repetere, tria haberi in littera ab Auctore de istis modis.

Primum attribuitur modo substantiae quod *propria totalitas substantiae continetur indifferenter in parva vel in magna quantitate.* Et per hoc intellige quoque suum oppositum: scilicet quod modo quantitatis attribuitur quod *totalitas quantitativa non continetur indifferenter in parva vel in magna quantitate, sed praecise in aequali.*

Secundum, quod explicatur in articulo tertio, est quod modo substantiae attribuitur quod *natura substantiae tota est sub qualibet parte dimensionum sub quibus continetur.* Et per oppositum intellige attribui modo quantitatis quod *tota quantitas non est sub qualibet parte dimensionum loci sub quibus continetur.*

Tertium, explicativum utriusque, quod in articulo quarto, ad primum, ponitur, est quod modo substantiae attribuitur quod *eius natura est tota in toto et tota in qualibet parte.* Et per oppositum modo quantitatis attribuitur ut sit *tota in toto loco, et singulae partes in singulis partibus.*

IV. In quibus omnibus esto semper cautus, cum de *tota substantia* aut *tota natura* sermo est. Quoniam non de totalitate partium quantitativarum, sed partium essentialium, loquimur. Et perinde est dicere, *tota substantia,* ac si diceretur, *integra species substantiae.* Integritas enim speciei vocatur propria totalitas substantiae: non quia in sola substantia invenitur, cum inveniatur etiam in accidentibus integritas specifica; sed quia primo invenitur in substantia. Et directe distinguitur contra totalitatem quantitativam: ita quod oppositae conditiones utriusque utramque nobis manifestant.

Est igitur sensus primae differentiae in littera attributae his modis, scilicet per modum quantitatis et per modum substantiae, quod integritas specifica substantiae potest contineri in magna et in parva quantitate, ut patet in homogeneis et heterogeneis in littera: totum autem quantitativum, ut sic, non nisi sub aequali primo continetur; oportet enim locum et locatum aequari.

V. Et similiter sensus tam secundae quam tertiae differentiae est quod integritas specifica substantiae est tota, idest *secundum suam integritatem*, in toto quantitativo, et in qualibet quantitatis parte.

Sed est hic dubitationis locus. Quoniam evidenter constat in substantiis heterogeneis non esse has conditiones veras, sed in homogeneis tantum. Licet enim integritas naturae ignis, aeris, panis, et cuiuscumque alterius homogenei, sit tota, idest secundum suam integritatem specificam, sub tota quantitate sua, et similiter sub qualibet eius parte, quaelibet enim pars ignis est ignis, et quaelibet pars panis est panis, etc.: integritas tamen naturae humanae est ita secundum suam integritatem in toto quod non est secundum suam integritatem in qualibet parte; unde non quaelibet pars hominis est homo. Et propterea videtur quod istae duae differentiae non sint substantiae, sed substantiae talis, hoc est homogeneae: et incaute locutus videtur Auctor, seu false, attribuendo hoc modo substantiae absolute.

Ad hoc dicitur sermonem Auctoris esse formalem de substantia et substantiae modo absolute: ut patet ex eo quod, sive substantia sit simplex sive ex materia et forma composita, semper specifica integritas substantiae salvatur in tota quantitate et in qualibet eius parte. Et de simplici quidem liquet. De composita vero ex materia et forma, manifestatur ex eo quod non respondet forma uni parti quantitativae, et materia alteri parti quantitativae. Nec ex ratione compositi ex materia et forma aliquid invenitur obstare ad hoc quod integrum compositum sit in qualibet parte: alioquin hoc non salvaretur in substantiis homogeneis, quas constat compositas esse ex materia et forma. Unde accidit substantiae ex hoc quod heterogenea est, quod non sit tota in qualibet parte. Et accidit hoc ex parte materiae, quam oportet difformem esse in talibus substantiis.

VI. Dubium alterum superest, an per modum substantiae intelligat Auctor id quod communiter dicitur, *esse indivisibiliter*. Et est ratio dubii, quia in articulo tertio Auctor, declarando modum substantiae, dicit: *per modum substantiae, idest per modum quo substantia est sub dimensionibus*. Ex hac enim declaratione habetur quod modus substantiae non importat indivisibilitatem: nam substantia sub dimensionibus non est indivisibiliter, immo extenditur.

Ad hoc breviter dicitur quod esse per modum substantiae importat id quod communiter dicitur, *esse indivisibiliter*. Ad hunc enim modum spectant omnes conditiones et differentiae supra * positae. [* Num. III.] Sed caute attendendum est quod indivisibilitas respicit propriam totalitatem substantiae, hoc est, integritatem naturae. Ita quod dicere quod substantia est indivisibiliter, est dicere quod integritas specifica substantiae non dividitur secundum divisionem dimensionum seu partium quantitativarum: quia non respondet una pars specificae naturae uni parti quantitativae et altera alteri, sed integritas naturae ita est sub totis dimensionibus quod etiam integra natura est sub qualibet parte dimensionum. Est ergo substantia per modum substantiae, idest, indivisibiliter secundum integritatem naturae, sub dimensionibus.

Et cum hoc stat quod extendatur sub dimensionibus. Quoniam huiusmodi extensio non tollit indivisibilitatem integritatis naturae, sed ponit solam divisionem quantitativam, ex eo quod afficit illam solam ut subiectum: quam etiam non poneret in illa substantia existente sub ipsa, si non afficeret illam. Et propterea corpus Christi, succedens substantiae panis quantum ad subesse dimensionibus remanentibus, et non quantum ad affici dimensionibus illis, non extenditur ad extensionem dimensionum: sicut extendebatur per illas substantia panis ex hoc quod afficiebatur illis ut subiectum ipsarum.

Conclude ergo, et tene, quod *substantiam per modum substantiae existere in aliquo* est substantiam indivisibiliter esse in illo. Et non dico substantiam esse *indivisibilem*, sed, substantiam *esse indivisibiliter in illo*: hoc est, substantiam se habere ad illud indivisibiliter, et non quantitative seu divisibiliter, hoc est coextense, sicut quantitas locati coextenditur quantitati loci.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM SUB UTRAQUE SPECIE HUIUS SACRAMENTI TOTUS CHRISTUS CONTINEATUR

Infra, qu. LXXVIII, art. 6, ad 1; IV *Sent.*, dist. X, art. 2, qu[a] 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIV; *In Ioan.*, cap. VI, lect. VI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. VI.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non sub utraque specie huius sacramenti totus Christus contineatur. Hoc enim sacramentum ad salutem fidelium ordinatur, non virtute specierum, sed virtute eius quod sub speciebus continetur: quia species erant etiam ante consecrationem, ex qua est virtus huius sacramenti. Si ergo nihil continetur sub una specie quod non contineatur sub alia, et totus Christus continetur sub utraque, videtur quod altera illarum superfluat in hoc sacramento.

2. PRAETEREA, dictum est * [* Art. 1, ad 1.] quod sub nomine *carnis* omnes aliae partes corporis continentur, sicut ossa, nervi et alia huiusmodi. Sed sanguis est una partium humani corporis: sicut patet per Aristotelem, in libro *Animalium* [α] * [* *De Animalib. Histor.* lib. I, cap. IV, n. 3; lib. III, cap. XIX, n. 3 sqq.; *de Partib. Animal.*, lib. II, cap. II.]. Si ergo sanguis Christi continetur sub specie panis, sicut continentur ibi aliae partes corporis, non deberet seorsum sanguis consecrari: sicut neque seorsum consecratur alia [β] pars corporis.

3. PRAETEREA, quod iam factum [γ] est, iterum fieri non potest. Sed corpus Christi iam incoepit esse in hoc sacramento per consecrationem panis. Ergo non potest esse quod denuo [δ] incipiat esse per consecrationem vini. Et ita sub specie vini non continebitur corpus Christi; et per consequens nec totus Christus. Non ergo sub utraque specie totus Christus continetur.

SED CONTRA EST quod, I *Cor.* XI, super illud * [* Vers. 25.], *calicem* [ε], dicit Glossa * [* Ord. et Lomb.] quod *sub utraque specie*, scilicet panis et vini, *idem sumitur*. Et ita videtur quod sub utraque specie totus Christus sit.

RESPONDEO DICENDUM certissime ex supra * [* Art. 1.] dictis [ζ] tenendum esse quod sub utraque specie sacramenti totus est Christus: aliter tamen et aliter. Nam sub speciebus panis est quidem cor-

α) *Animalium.* – *de Animalibus* PIsG.
β) *alia.* – GH*bc*; *aliqua alia* PFIa, *aliqua* ceteri. Cf. x.
γ) *factum.* – *perfectum* AB.
δ) *denuo.* – *de novo* F et tertia praeter I.
ε) *calicem.* – *et calicem* PFIc, *a calicem* E.
ζ) *ex supra dictis.* – *et ex supra dictis bc*, om. P; F legit: *dicendum quod certissime ex supra dictis patet et tenendum est*; I: *dicendum quod certissime tenendum esse*; A etiam habet *quod* et tamen *esse*.

pus Christi ex vi sacramenti, sanguis autem ex reali concomitantia: sicut supra * dictum est de anima et divinitate Christi. Sub speciebus vero vini est quidem sanguis Christi ex vi sacramenti, corpus autem Christi ex reali concomitantia, sicut anima et divinitas: eo quod nunc sanguis Christi non est ab eius corpore separatus, sicut fuit tempore passionis et mortis. Unde, si tunc fuisset hoc sacramentum celebratum, sub speciebus panis fuisset corpus Christi sine sanguine, et sub specie η vini sanguis sine corpore: sicut erat in rei veritate.

* Ibid., ad 1.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis totus Chistus sit sub utraque specie, non tamen frustra. Nam primo quidem, hoc valet ad repraesentandam passionem Christi, in qua seorsum sanguis fuit a corpore θ. Unde et in forma consecrationis sanguinis fit mentio de eius effusione.

Secundo, hoc est conveniens usui huius sacramenti: ut seorsum exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, et sanguis in potum.

Tertio, quantum ad effectum: secundum quod supra * dictum est quod *corpus exhibetur pro salute corporis, sanguis pro salute animae.*

* Qu. LXXIV, art. 1, ex Pseudo-Ambros.

Ad secundum dicendum quod in passione Christi, cuius hoc sacramentum est memoriale, non fuerunt aliae partes corporis ab invicem separatae, sicut sanguis, sed corpus indissolutum permansit: secundum quod legitur *Exod.* XII ι *: *Os non cómminuetis ex eo.* Et ideo in hoc sacramento seorsum consecratur sanguis a corpore, non autem alia κ pars ab alia.

* Vers. 46; Ioan. cap. XIX, vers. 36.

Ad tertium dicendum quod, sicut dictum est *, corpus Christi non est sub specie vini ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia. Et ideo per consecrationem vini non fit ibi corpus Christi per se, sed concomitanter.

* In corpore.

η) *specie.* – *speciebus* tertia (sed H om. *panis fuisset... specie*).
θ) *a corpore.* – *separatus* addit tertia praeter I.
ι) *XII.* – PE; spat. ABCD, om. F et cetera tertia, *XIII* ed. *a*; pro *Os... eo, Nec os illius confringetis* P.
κ) *alia.* – *aliqua alia* tertia, *aliqua* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

In secundo articulo, circa id quod in calce corporis dicitur, *sicut erat in rei veritate,* chimaera potius quam dubitatio ex Scoto, in dist. X, qu. 4, Quarti *Sent.*, occurrit, tenente quod non sequitur simpliciter necessario, si corpus Christi habet partes et proprietates suas sub modo sacramentali, quod habeat eas sub existentia naturali. Et in tantum procedit quod ponit quod ante incarnationem Verbi Dei, potuit ita vere Eucharistia fuisse sicut et nunc *: et hoc tam quantum ad significationem, quam quantum ad rem signatam et contentam. Et rursus, si corpus Christi annihilaretur secundum suum esse naturale, Eucharistia tamen vere posset manere, etiam quantum ad rem contentam. Si tamen corpus Christi corrumperetur corruptione naturali, puta quia forma corporeitatis separaretur a materia prima, non remaneret Eucharistia quoad rem contentam.

* Cf. num. IX.

II. Et fundamentum Scoti est *. Quando existentia aliqua est indifferens ad duos modos, potest simpliciter haberi sub uno modo sic quod non sub alio. Sed existentia corporis Christi simpliciter, seu realiter, indifferens est ad istos duos modos, scilicet naturalem et sacramentalem. Ergo potest haberi sub uno sine altero.

* Cf. num. VI.

Et si dicatur, inquit Scotus, quod maior propositio intelligitur quando neuter modus dependet ab altero; modus autem sacramentalis dependet a naturali: – contra. Existentia sub modo naturali non est de essentia existentiae sub modo sacramentali, nec est eius causa. Ergo ista non dependet ab illa. – Prima pars huius antecedentis patet. Quia res Eucharistiae non habet ibi modum existendi naturalem, scilicet extensivum. Haberet autem, si esset de essentia illius existentiae: quia omne habens aliquid habet illud quod est de essentia eius. – Secunda pars probatur. Quia Deus est causa immediata illius existentiae, scilicet corporis Christi in sacramento.

III. Praeterea *, Eucharistia non dependet a modo naturali ut a sacramento, vel re sacramenti. – Quod ultimum probatur. Quia res sacramenti est existentia sub alio modo disparato, idest sacramentali.

* Cf. num. VII.

IV. Praeterea *, Deus potest sine quocumque causato extrinseco alicui, illud causare. Sed existentia modo naturali non est intrinseca Eucharistiae. Ergo, etc.

* Cf. num. VIII.

Et si dicas quod maior est vera de absolutis, et non de respectu, quia respectus sine fundamento et termino fieri nequit, Eucharistia autem includit respectum cuius terminus est existentia modo naturali: – contra. Existentia, licet sit eadem sub duobus modis, scilicet naturali et sacramentali, tamen non est terminus relationis quae includitur in Eucharistia sub modo naturali, sed sub modo disparato. – Quod probatur. Eo modo est res contenta in Eucharistia, quo modo est primum signatum huius signi. Sed existentia sub modo naturali non continetur hic realiter, sed sub modo alio disparato, scilicet sacramentali. Ergo.

Multa alia affert Scotus, quae etiam referre pudet, ne tanto tempore in chimaeris verser.

V. Ad aliqualem claritatem horum, scito dignum admiratione esse quod, cum Scotus supra corpus Christi verum quod est in caelo, nihil addere ponat esse in hoc sacramento nisi terminum extrinsecus advenientem, puta respectum praesentiae ad species panis *, – quomodo potuerit etiam fingere, si auferretur corpus Christi per annihilationem, remanere aliud, etiam per divinam omnipotentiam, quam illum respectum praesentiae, Deo illum conservante. Nam, si nihil aliud remaneret nisi dictus respectus, quomodo fingi potest quod remaneant partes et proprietates corporis Christi? Et si aliquid aliud quam ille respectus remanet, oportet quod esse sub sacramento plus addat supra corpus Christi quam illum respectum. Quocirca, si conservaretur a Deo respectus ille non conservato Christi corpore in rerum natura, non esset corpus Christi sub sacramento: quemadmodum, si conservaretur respectus ubicalis quo corpus Christi est in caelo non conservato corpore Christi, non esset corpus Christi in caelo. Aliud quippe est conservari respectus istos extrinsecos: et aliud conservari corpora quorum sunt. Magnaque differentia est inter requisita et concomitantia ad verificationem respectuum tantummodo: et inter requisita et concomitantia ad verificationem denominatorum corporum ab illis respectibus. Ad verificandum siquidem respectum illum conservatum, sufficit quod respectus ipse sit: nec inde sequitur quod res quae denominabatur, amplius denominetur. Si enim respectus praesentiae solus conservaretur, esset praesentia sine corpore aliquo praesente: sicut, si esse in caelo tantum conservaretur, esset esse in loco sine aliquo existente in loco.

* Scot. loc. cit., qu. 1. – Cf. qu. LXXV, art. 1, Comment. num. XII.

Et haec sint dicta ad claritatem doctrinae, et secundum veritates conditionales, non curando de possibilitate vel impossibilitate antecedentium et consequentium.

VI. Et ut omnibus satisfiat, singillatim respondendum est rationibus Scoti. Ad primam * igitur dicitur primo, quod minor est falsissima, scilicet quod existentia corporis Christi est indifferens ad modum naturalem et modum sacramentalem. Nulla enim substantia est indifferens ad esse absolutum vel respectivum: nisi absolutum sit indifferens ad se et ad genus aliud, quod implicat contradictionem. Unde corpus Christi est ita determinatum ad modum essendi naturalem, sicut est determinatum ad esse seipsum: quia tunc perdit esse seipsum, cum perdit esse modo naturali. Ad modum enim sacramentalem se habet corpus Christi ut ad esse superveniens tanquam accidentale quoddam.

* Num. II.

Et propterea responsio recitata, quod modus sacramentalis dependet a naturali, vera est: non solum ea ratione qua superveniens dependet ab eo cui supervenit; sed ea ratione qua denominatio dependet a re denominata, et respectus a termino seu fundamento, et includens ab incluso.

Et ad obiectionem Scoti dicitur quod aliud est loqui de ipsa existentia, idest praesentia, in sacramento: et aliud est loqui de re existente, idest praesente, in sacramento. Si enim sit sermo de ipsa existentia seu praesentia, tunc, consequenter loquendo de ipsa, secundum naturam respectuum loquendum est. Et sic consequentia inducta a Scoto non valet: quia respectus dependet ab aliquo quod nec est de essentia eius nec causa eius; dependet enim a termino, seu ad terminum, et non potest esse sine termino, qui nec est de essentia eius nec causa eius.

Si autem est sermo de toto hoc, scilicet re existente seu re praesente, tunc falsum est antecedens pro prima parte: quia de essentia rei praesentis sacramento est ipsamet res praesens, scilicet corpus Christi habens suum esse naturale.

Et cum contra hoc sophistice instatur: Si corpus Christi habens suum esse materiale, esset res Eucharistiae, haberet ibi modum essendi naturalem, idest extensivum: – clarissima patet responsio, quod mutatur *res praesens* in *modum praesentiae*. Est siquidem res praesens Eucharistiae modus Christi naturalis: sed modus praesentiae non est modus ille naturalis, sed modus sacramentalis. Et propterea diximus quod est *de essentia rei praesentis:* et non diximus quod est *de essentia modi praesentiae.*

VII. Ad tertium * dicitur quod corpus Christi verum in suo esse naturali est Eucharistia, et sacramentum, et res sacramenti: ut patet in Magistro Sententiarum, IV lib., dist. VIII *, et Augustino ibidem allegato.

* Num. III.
* Cap. *Nunc quid ibi.*

VIII. Ad quartum *, sustinendo responsionem recitatam, dicitur quod terminus seu fundamentum respectus praesentiae est corpus Christi in esse suo naturali. Et ad probationem in oppositum dicitur quod committit manifeste sophisma *figurae dictionis,* divertendo a re ad modum rei, hoc est, a re praesente ad modum praesentiae, a re contenta ad modum quo continetur. Existentia enim corporis Christi in suo modo naturali est res primo contenta et significata, dicente Christo, *Hoc est corpus meum:* dicendo enim *corpus meum* sine additione aliqua, procul dubio significavit corpus suum in suo esse naturali. Modus autem quo continetur, non est res significata neque contenta in hoc sacramento, sed modus continendi. Et constat non valere argumentum: *Corpus Christi non continetur modo naturali, idest extensivo: Ergo res contenta non est ipse modus naturalis et extensivus corporis Christi,* ut patet.

* Num. IV.

IX. Et hinc manifestum est chimaeram esse quod ante incarnationem Christi potuerit vere esse hoc sacramentum sicut nunc *. Dato enim quod Deus potuisset efficere sub accidentibus panis eundem respectum praesentiae qui nunc fieri dicitur, nulla tamen res inveniretur propterea praesens: quia nec corpus Christi, quod non erat; nec alia res. Et propterea falsa fuisset haec propositio, *Hoc est corpus meum:* nulla enim alia veritatis eius ratio assignatur nisi quia hoc est corpus illud quod est in caelo; ita quod illud quod est in caelo, veraciter continetur sub specie panis. Ac per hoc, si corpus Christi quod est in caelo, in seipso annihilaretur, nullum remaneret fundamentum veritatis huius, *Hoc est corpus meum.*

* Cf. num. I.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SIT TOTUS CHRISTUS SUB QUALIBET PARTE SPECIERUM PANIS VEL VINI

IV *Sent.*, dist. X, art. 3, qu[a] 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LXVII; *Quodl.* VII, qu. IV, art. 1; *In Matth.*, cap. XXVI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. V.

* Vide Comment. Caiet. post art. 1, num. III sqq.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod non sit totus Christus sub qualibet parte specierum [α] panis vel vini. Species enim illae dividi possunt in infinitum. Si ergo Christus totus est sub qualibet parte specierum praedictarum, sequeretur quod infinities esset in hoc sacramento. Quod est inconveniens: nam infinitum non solum repugnat naturae, sed etiam gratiae.

2. PRAETEREA, corpus Christi, cum sit organicum, habet partes determinate distantes: est enim de ratione organici corporis determinata distantia singularum partium ad invicem, sicut oculi ab oculo, et oculi ab aure. Sed hoc non posset esse si sub qualibet parte specierum [β] esset totus Christus: oporteret enim quod sub qualibet parte esset quaelibet pars; et ita, ubi esset una pars, esset et alia. Non ergo potest esse quod totus Christus sit sub qualibet parte hostiae vel vini contenti in calice.

3. PRAETEREA, corpus Christi semper veram retinet corporis naturam, nec unquam mutatur in spiritum. Sed de ratione corporis est ut sit *quantitas positionem habens,* ut patet in *Praedicamentis* *. Sed ad rationem huius quantitatis pertinet quod diversae partes in diversis partibus loci existant. Non ergo potest esse, ut videtur, quod totus Christus sit sub qualibet parte specierum.

* Cap. IV, n. 8.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in quodam Sermone *: *Singuli accipiunt Christum Dominum: et in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se praebet in singulis.*

* Gregor. *Sacramentar.* Dom. V post Theophan., Praefat. Miss. – Cf. can. *Singuli, de Consecr.* dist. II.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut ex supra * dictis patet, quia [γ] in hoc sacramento substantia corporis Christi est ex vi sacramenti, quantitas

* Art. 1, ad 3.

α) *parte specierum.* – PsCG; *specie* I, *parte* ceteri.
β) *parte specierum.* – G et editiones; *si... esset* om. I; *specierum parte* F, *specierum* ceteri.
γ) *quia.* – *quod* BDGHI*b*, om. F. – *est* primo loco ed. *a* et tertia; om.

autem dimensiva ex vi realis concomitantiae, corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiae, idest, per modum quo substantia est sub dimensionibus: non autem per modum dimensionum, idest, non per illum modum quo quantitas dimensiva alicuius corporis est sub quantitate dimensiva loci. Manifestum est autem quod natura substantiae tota est sub qualibet parte dimensionum sub quibus continetur: sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris, et sub qualibet parte panis est tota natura panis. Et hoc indifferenter sive dimensiones sint actu divisae, sicut cum aer dividitur vel panis secatur: vel etiam sint actu indivisae, divisibiles vero potentia. Et ideo manifestum est quod Christus totus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente: et non solum cum frangitur, sicut quidam * dicunt, ponentes exemplum de imagine quae apparet in speculo, quae una apparet in speculo integro, infracto autem speculo [δ] apparent singulae in singulis partibus. Quod quidem non est omnino simile. Quia multiplicatio huiusmodi imaginum accidit in speculo fracto propter diversas reflexiones ad diversas partes speculi: hic autem non est nisi una consecratio, propter quam corpus Christi est in sacramento.

* Autiss. *Summ.* lib. IV, tract. *de Sacram. Euch.*, cap. IV. - Cf. Innoc. III, *de S. Altar. Myster.* lib. IV, cap. VIII.

Ad primum ergo dicendum quod numerus sequitur divisionem. Et ideo, quandiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicuius rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis. Et per consequens neque infinities: sed toties in quot partes dividitur.

Ad secundum dicendum quod illa determinata distantia partium in corpore organico fundatur super quantitatem dimensivam ipsius: ipsa autem natura substantiae [ε] praecedit etiam quantitatem dimensivam. Et quia conversio substantiae panis directe terminatur ad substantiam corporis Christi, secundum cuius modum proprie et directe est in hoc sacramento corpus Christi, talis distantia partium est quidem in ipso corpore Christi vero, sed non secundum hanc distantiam comparatur ad hoc sacramentum, sed secundum modum suae substantiae, ut dictum est *.

* In corp., et art. 1, ad 3.

Ad tertium dicendum quod ratio illa procedit de natura corporis quam habet secundum quantitatem dimensivam. Dictum est autem * quod corpus Christi non comparatur ad hoc sacramentum ratione quantitatis dimensivae, sed ratione substantiae, ut dictum est *.

* In corp. et ad 2.

* Ibid.

δ) *infracto autem speculo.* – A; *in* (om. PI) *speculo autem fracto* tertia, *in fracto autem speculo* ceteri.

ε) *substantiae.* – PFI; *speciei* sD et *abc*, *semper* G, *specie* ceteri. – *etiam* om. GH*bc*.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo tertio duo occurrunt dubia: primum circa rem ipsam, ex Durando; secundum circa rationem in littera redditam *, ex Scoto et Durando. Durandus ** contra communem opinionem tenentem non solum substantiam corporis Christi, sed etiam quantitatem eius naturali concomitantia contineri, indivisibiliter tamen, in hoc sacramento, obiicit dupliciter *. Primo. Nihil potest comparari ad aliud modo incompossibili suae naturae. Sed indivisibilitas est incompossibilis naturae quantitatis: quia ipsa de natura sua intrinseca est divisibilis. Ergo quantitas corporis Christi non potest comparari ad quantitatem hostiae indivisibiliter: hoc est, ut sit tota sub toto et tota sub qualibet parte.

* Cf. num. II, III.
** IV *Sent.*, dist. X, qu. II.
* Cf. num. V.

Secundo. Ubicumque est substantia in se realiter, ibi est substantialiter, quia iste modus est ab ea inseparabilis. Ergo similiter, ubicumque est quantitas in se realiter, ibi est quantitative, quia iste modus est inseparabilis a quantitate. Non est ergo Christi quantitas per modum substantiae in hoc sacramento.

II. Circa rationem vero in littera redditam, quia scilicet ex vi sacramenti sola corporis Christi substantia continetur sub hostia, quantitas autem concomitanter, Scotus, in IV *Sent.*, dist. X, qu. I, improbando occurrit sic arguens *. Unumquodque, sive sit primus terminus conversionis sive secundus, si tamen est ibi, habet proprietates suas quae sibi necessario et naturaliter conveniunt. Ergo quantitas corporis Christi, sive per conversionem sit sub sacramento primo vel secundario, si est ibi, habet suum modum naturalem, quod est esse modo quantitativo.

* Cf. num. VI.

Consequentia clara. – Et antecedens probatur dupliciter: scilicet exemplo, et ratione. Exemplum est quia, si Deus vel natura causaret substantiam quantam ita quod quantitas concomitetur substantiam, nihilominus quantitas habebit suum modum naturalem. Unde apparet quod concomitantia non mutat modum naturalem quantitatis concomitantis.

Ratio vero est quia diversa habitudo ad agens, scilicet primaria vel secundaria, mediata vel immediata, non variat naturam rei, dum tamen producatur. Ergo nec carebit quantitas suo modo naturali propter hoc tantum quia non est primus terminus conversionis, dum tamen sit ibi realiter, sive primo sive concomitanter, per illam conversionem.

III. Durandus vero * alia via contra hanc rationem procedit, arguens *: Quantitas de ratione sua intrinseca est divisibilis. Ergo nullo modo potest sibi competere, ratione cuiuscumque alterius, indivisibiliter se habere. Ergo non potest comparari ad locum modo substantiae.

* IV *Sent.*, dist. X, qu. II, art. 2.
* Cf. num. VII.

Et confirmatur. Quia anima rationalis, licet sit in loco mediante humano corpore quanto, ipsa tamen est indivisibiliter in loco: est enim tota in toto loco et tota in qualibet parte eius; et hoc ideo quia animae rationali repugnat divisibilitas. Ergo, per oppositum, non obstante quod quantitas Christi sit in sacramento mediante substantia, est divisibiliter, quia quantitati repugnat indivisibilitas.

IV. Pro faciliori intellectu eorum quae tractantur, ne obscuritate nominum impossibile reputetur quod credimus, scito idem esse quantitatem corporis Christi indivisibiliter se habere ad quantitatem hostiae; et inter quantitatem corporis Christi praesentem hostiae, et quantitatem hostiae, non esse positionem quae unum inter decem praedicamenta ponitur *. Ita quod corpus Christi quantum, sub hostia contentum, in seipso quidem est divisibile et habens positionem in partibus: positionem autem dico illam quae ponitur differentia quantitatis cum distinguitur quantitas in quantitatem *habentem positionem in partibus*, et quantitatem carentem illa *: – ut continetur vero sub hostia, caret *positione*, seu *situ*, uno ex decem generibus. Dicit enim huiusmodi positio ordinem partium in loco: quo ordine constat carere corpus Christi quantum ut est sub hostia, quia non est in ea localiter; ordo enim partium in loco sine esse localiter non est intelligibilis. Et quia

* Aristot. *Categ.*, cap. II, n. 7.
* Ibid., cap. IV, n. 1, 8.

huiusmodi situs sive positio non est de ratione quantitatis dimensivae; sed sola positio quae est differentia quantitatis, est de dimensionum ratione: ideo attente oportet perspicere quod divisibilitas quae est de ratione quantitatis, non opponitur indivisibilitati quae consistit in negatione positionis specialis praedicamenti.

Nec propterea fallaris, putans me dicere quod modus essendi indivisibiliter sit pura negatio positionis specialis generis, hoc enim nec somniavi: sed ut intelligas quae dicimus per huiusmodi negationem annexam positivae praesentiae Christi corporis quanti ad hostiam. Continetur enim veraciter Christi corpus quantum sub hostia, absque situ seu positione speciali praedicamento. Haec enim negatio includitur in eo quod significatur per contineri indivisibiliter in hoc sacramento.

V. Hac ergo manifestatione supposita, ex qua apparet quod quantitas Christi corporis nec perdit suam divisibilitatem; nec induit modum aliquem sibi repugnantem; nec perdit in se suum modum naturalem; sed in hoc quod continetur sub hostia, caret modo illo qui importatur per *positionem* seu *situm:* respondetur ad obiecta.

* Num. I. Et ad primum Durandi contra positionem ipsam *, neganda est minor, univoce loquendo. Quoniam modus istiusmodi indivisibilitatis non repugnat divisibilitati quantitatis.

Ad secundum vero facile dici potest quod *argumentum a simili claudicat.* Veruntamen, servata univocatione terminorum, respondendo dicitur falsum assumi in antecedente. Quoniam substantia alicubi est, non per modum substantiae, sed per modum quantitatis, ut patet in substantiis extensis: sunt enim in loco quantitative. Et rursus substantia heterogenea, puta bos, non est per modum substantiae in qualibet suae quantitatis parte: non est enim tota natura bovis in qualibet eius parte quantitativa *.

* Cf. art. 1, Comment. num. V.

* Num. II.

VI. Ad obiecta secundi dubii * respondendo, dicitur primo, ad Scoti argumentum, quod procedit ex falsa interpretatione rationis allatae ab Auctore, ac si Auctor adduxisset pro causa quare quantitas est in hoc sacramento per modum substantiae, quia est quasi secundarius terminus mutationis. Hoc autem procul est ab Auctoris sensu. Non enim consistit eius ratio in differentia inter primum et secundum terminum in fieri, ut argumentum usurpavit: sed inter per se rationem essendi in sacramento, et id quod per accidens concomitatur; ut patet expresse in hoc articulo quarto, in responsione ad primum, ubi videre potes quantum distet sensus iste verus a sensu illo usurpato. Et fefellit forte arguentem quia Auctor declarat quid est illud quod est per se ratio essendi reliquis in hoc sacramento, ex hoc quod est per se primo terminus conversionis.

Quia igitur Auctoris ratio non consistit in differentia inter primo vel secundo fieri, sed inter per se existens in sacramento et per accidens existens ibidem, ideo non oportet aliter ad argumenta Scoti respondere, sed tanquam impertinentia et extranea relinquere. Posset tamen, gratia materiae, hoc est, talis mutationis qualis est conversio panis in corpus Christi, sustineri ratio formata a Scoto ex differentia inter primum et secundum terminum conversionis, contra quam arguit. Et sic dicendum esset quod, licet in creatione et generatione et similibus secundarius terminus suum naturalem modum assequatur, et non induat modum primi termini; in hac tamen conversione secundarius terminus, idest concomitans, induit modum primi termini. Et si quaeratur quare potius in hac quam in aliis mutationibus hoc inveniatur: respondetur, quia hoc est singularissimum in hac mutatione, quod primus terminus est sola ratio in essendo quibuscumque concomitantibus; hoc est, quod ratio essendi in hoc sacramento quibuscumque existentibus in eo, est res primo terminans conversionem. Et haec defensio in idem redit cum prima responsione, ut patet. Et ideo non oportet sollicitare de diversa habitudine ad agens: quoniam est extra propositum.

VII. Ad obiectionem autem Durandi *, dicitur falsum assumi, scilicet quod contineri indivisibiliter repugnet quantitati divisibili. * Num. III.

Et ad confirmationem, negatur similitudo. Quoniam animae rationali repugnat et esse divisibilem, et divisibiliter contineri: quantitati autem, licet repugnet esse indivisibilem, non tamen repugnat indivisibiliter contineri.

Et haec sufficiant etiam pro articulo quinto.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM TOTA QUANTITAS DIMENSIVA CORPORIS CHRISTI SIT IN HOC SACRAMENTO

IV *Sent.*, dist. X, art. 2, qu[a] 3, 4; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIII, LXIV, LXVII; *Quodl.* VII, qu. IV, art. 1.

* Vide Comment. Caiet. post. art. 1, num. III sqq.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod non tota quantitas dimensiva corporis Christi sit in hoc sacramento. Dictum est enim * quod totum corpus Christi continetur sub qualibet parte hostiae consecratae. Sed nulla quantitas dimensiva tota continetur in aliquo toto et in qualibet parte eius. Est ergo impossibile quod tota quantitas dimensiva corporis Christi contineatur in hoc sacramento.

* Art. 3.

2. PRAETEREA, impossibile est duas quantitates dimensivas esse simul, etiam si una sit separata et alia in corpore naturali: ut patet per Philosophum, in III *Metaphys.* * Sed in hoc sacramento remanet quantitas dimensiva panis, ut sensu apparet. Non ergo est ibi quantitas dimensiva corporis Christi.

* S. Th. lect. VII; Did. lib. II, cap. II, n. 21, 22. - Cf. *Physic.* lib. IV, cap. VIII, n. 13; S. Th. lect. XIII.

3. PRAETEREA, si duae quantitates dimensivae inaequales iuxta se ponantur, maior extenditur ultra minorem. Sed quantitas dimensiva corporis Christi est multo maior quam quantitas dimensiva hostiae eius [α] consecratae, secundum omnem dimensionem. Si ergo in hoc sacramento sit quantitas dimensiva corporis Christi cum quantitate dimensiva hostiae, quantitas dimensiva corporis Christi extendetur ultra quantitatem hostiae. Quae tamen non est sine substantia corporis Christi. Ergo substantia corporis Christi erit in hoc sacramento etiam praeter species panis. Quod est inconveniens: cum substantia corporis Christi non sit in hoc sacramento nisi per consecrationem panis, ut dictum est *. Impossibile est ergo quod tota quantitas [β] corporis Christi sit in hoc sacramento. * Art. 2.

SED CONTRA EST quod quantitas dimensiva corporis alicuius non separatur secundum esse a substantia eius. Sed in hoc sacramento est tota substantia corporis Christi, ut supra * habitum * Art. 1, 3.

α) *eius.* – Om. PEFIsG et *a.*

β) *quantitas.* – *dimensiva* addunt PFsG.

est. Ergo tota quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento.

* Art. 1.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, dupliciter aliquid Christi est in hoc sacramento: uno modo, ex vi sacramenti; alio modo, ex naturali [γ] concomitantia. Ex vi quidem sacramenti quantitas dimensiva corporis Christi non est in hoc sacramento. Ex vi enim sacramenti est in hoc sacramento illud in quod directe conversio terminatur. Conversio autem quae fit in hoc sacramento, terminatur directe ad substantiam corporis Christi, non autem ad dimensiones eius. Quod patet ex hoc quod quantitas dimensiva [δ] remanet facta consecratione, sola substantia panis transeunte. – Quia tamen substantia corporis Christi realiter non denudatur [ε] a sua quantitate dimensiva et ab aliis accidentibus, inde est quod, ex vi realis concomitantiae, est in hoc sacramento tota quantitas dimensiva corporis Christi, et omnia alia accidentia eius.

Ad primum ergo dicendum quod modus existendi [ζ] cuiuslibet rei determinatur secundum illud quod est ei per se, non autem secundum illud quod est ei per accidens: sicut corpus est in visu secundum quod est album, non autem secundum quod est dulce, licet idem corpus sit album et dulce. Unde et dulcedo est in visu secundum modum albedinis, et non secundum modum dulcedinis. Quia igitur ex vi sacramenti huius [η] est in altari substantia corporis Christi, quantitas autem dimensiva eius est ibi concomitanter et quasi per accidens, ideo quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento, non secundum proprium modum, ut scilicet sit totum [θ] in toto et singulae partes in singulis partibus; sed per modum substantiae, cuius natura est tota in toto et tota in qualibet parte.

Ad secundum dicendum quod duae quantitates dimensivae non possunt naturaliter simul esse in eodem ita quod utraque sit secundum proprium modum quantitatis dimensivae. In hoc autem sacramento quantitas dimensiva panis est secundum proprium modum, scilicet secundum commensurationem quandam: non autem quantitas dimensiva corporis Christi, sed est ibi per modum substantiae, ut dictum est *.

* Resp. ad 1.

Ad tertium dicendum quod quantitas dimensiva corporis Christi non est in hoc sacramento secundum modum commensurationis, qui est proprius quantitati, ad quem pertinet quod maior quantitas extendatur ultra minorem: sed est ibi per modum iam * dictum.

* Resp. ad. 1, 2.

γ) *naturali.* – *reali* tertia.
δ) *dimensiva.* – *panis* addunt E et tertia. – *sola* PF; *sola autem.*
ε) *denudatur.* – PEIsG; *dividatur* ABCpG, *divideretur* D (et Cordub. 444), *dividitur* FHabc et margo P per *Alias.*
ζ) *existendi.* – *essendi* tertia praeter pG.
η) *sacramenti huius.* – *huius sacramenti* PI.
θ) *totum.* – *tota* P.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM CORPUS CHRISTI SIT IN HOC SACRAMENTO SICUT IN LOCO

Supra, qu. LXXV, art. 1, ad 3; IV *Sent.*, dist. X, art. 1, ad 5 sqq.; art. 2, qu^a 3, ad 4; art. 3, qu^a 1, 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LXII, LXIV, LXVII; Opusc. XI, *de XXXVI Artic.*, art. XXXIII.

* Vid. Comment. Caiet. post art. 3, num. VII, fin.

Ad quintum sic proceditur *. Videtur quod corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco. Esse enim in aliquo definitive vel circumscriptive est pars eius quod est esse in loco. Sed corpus Christi videtur esse definitive in hoc sacramento: quia ita est ubi sunt species panis vel vini, quod non est in alio loco altaris. Videtur etiam ibi esse circumscriptive: quia ita continetur superficie hostiae consecratae quod nec excedit nec exceditur. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento sicut in loco.

* Qu. LXXV, art. 2.

2. Praeterea, locus specierum panis non est vacuus: natura enim non patitur vacuum. Nec est ibi substantia panis, ut supra * habitum est, sed est ibi solum corpus Christi. Ergo corpus Christi replet locum illum. Sed omne quod replet locum aliquem, est in eo localiter. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

* Art. 4.

3. Praeterea, in hoc sacramento, sicut dictum est *, corpus Christi est cum sua quantitate dimensiva et cum omnibus suis accidentibus. Sed esse in loco est accidens corporis: unde et *ubi* [α] connumeratur inter novem genera accidentium *. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

* Cf. Aristot. *Categ.* cap. II, n. 6.

Sed contra est quod oportet locum et locatum esse aequalia: ut patet per Philosophum, in IV *Physic.* * Sed locus ubi est hoc sacramentum, est multo minor quam corpus Christi. Ergo corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco.

* Cap. IV, n. 1. – S. Th. lect. V.

* Art. 1, ad 3; art. 3.

Respondeo dicendum quod, sicut iam * dictum est, corpus Christi non est in hoc sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensivae, sed magis secundum modum substantiae. Omne autem corpus locatum est in loco secundum modum quantitatis dimensivae, inquantum scilicet commensuratur loco secundum suam quantitatem dimensivam. Unde relinquitur quod corpus Christi non est in hoc sacramento sicut [β] in loco, sed per modum substantiae: eo scilicet

α) *ubi.* – *ibi* P, *non (continuantur inter)* F.
β) *sicut.* – Ea et tertia; *scilicet sicut.*

modo quo substantia continetur a dimensionibus. Succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento substantiae panis. Unde, sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiae, ita nec substantia corporis Christi. Non tamen substantia corporis Christi est subiectum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis. Et ideo panis [γ] ratione suarum dimensionum localiter erat ibi: quia comparabatur ad locum [δ] mediantibus propriis dimensionibus. Substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis: ita quod e converso dimensiones propriae [ε] corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia. Quod est contra rationem corporis locati. Unde nullo modo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

Ad primum ergo dicendum quod corpus Christi non est in hoc sacramento definitive: quia sic non esset alibi quam in hoc altari ubi conficitur hoc sacramentum; cum tamen sit et in caelo in propria specie, et in multis aliis altaribus sub specie sacramenti. Similiter etiam patet quod non est in hoc sacramento circumscriptive: quia non est ibi secundum commensurationem propriae quantitatis, ut dictum est *. Quod autem non est extra superficiem sacramenti, nec est in alia parte altaris, non pertinet ad hoc quod sit ibi definitive vel circumscriptive: sed ad hoc quod incoepit ibi esse per consecrationem et conversionem panis et vini, ut supra * dictum est.

* In corp. - Cf. art. 4, respp. ad arg.
* Art. 1; qu. LXXV, art. 2 sqq.

Ad secundum dicendum quod locus ille in quo est corpus Christi, non est vacuus. Neque tamen proprie est repletus substantia corporis Christi, quae non est ibi localiter, sicut dictum est *. Sed est repletus speciebus sacramentorum, quae habent replere locum vel propter naturam dimensionum; vel saltem miraculose [ζ], sicut et miraculose subsistunt per modum substantiae.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento, sicut supra * dictum est, secundum realem concomitantiam. Et ideo illa accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento quae sunt ei intrinseca. Esse autem in loco est accidens per comparationem ad extrinsecum continens. Et ideo non oportet quod Christus sit in hoc sacramento sicut in loco.

* Art. 4.

γ) *panis.* – *substantia panis* editiones.
δ) *locum.* – *illum* addunt PFsG.
ε) *propriae.* – Om. CDE*a*.
ζ) *miraculose.* – *quia miraculose* E; *sicut et miraculose* om. CDEFI*a*.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM CORPUS CHRISTI SIT MOBILITER IN HOC SACRAMENTO

IV *Sent.*, dist. x, art. 3, qu[a] 4; Opusc. XI, *de XXXVI Artic.*, art. xxxiv.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod corpus Christi sit mobiliter in hoc sacramento. Dicit enim Philosophus, in II *Topic.* *, quod, *moventibus* [α] *nobis, moventur ea quae in nobis sunt.* Quod quidem verum est etiam de spirituali substantia animae. Sed Christus est in hoc sacramento, ut supra * habitum est. Ergo movetur ad motum ipsius.

* Cap. vii, n. 3.
* Qu. lxxiv, art. 1.

2. Praeterea, veritas debet respondere figurae. Sed de agno paschali, qui erat figura huius sacramenti, *non remanebat quidquam usque mane,* sicut praecipitur *Exod.* xii *. Ergo neque etiam, si hoc sacramentum reservetur in crastinum, erit ibi corpus Christi. Et ita non est immobiliter in hoc sacramento.

* Vers. 10.

3. Praeterea, si corpus Christi remaneat sub hoc sacramento etiam in crastino, pari ratione remanebit et per totum sequens tempus: non enim potest dici quod desinat ibi esse cessantibus speciebus, quia esse corporis Christi non dependet a speciebus illis. Non autem remanet sub hoc sacramento Christus per totum tempus futurum. Videtur ergo quod statim in crastino, vel post modicum tempus, desinat esse sub hoc sacramento. Et ita videtur quod Christus mobiliter sit in hoc sacramento.

Sed contra, impossibile est idem esse motum et quietum: quia sic contradictoria verificarentur de eodem. Sed corpus Christi in caelo quietum residet. Non ergo est mobiliter in hoc sacramento.

Respondeo dicendum quod, cum aliquid est unum subiecto et multiplex secundum esse, nihil prohibet secundum aliquid moveri, et secundum aliud immobile permanere: sicut corpori aliud est esse album, et aliud est esse magnum, unde potest moveri secundum albedinem, et permanere immobile secundum magnitudinem. Christo [β] autem non est idem esse secundum se, et esse sub sacramento: quia per hoc ipsum [γ] quod dicimus ipsum esse sub sacramento, significatur quaedam habitudo eius ad hoc sacramentum. Secundum igitur hoc esse non movetur Christus per se secundum locum, sed solum per accidens. Quia Christus non est in hoc sacramento sicut in loco, sicut praedictum est *: quod autem non est in loco, non movetur per se in loco, sed solum ad motum eius in quo est.

* Art. 5.

α) *moventibus.* – *motis* P.
β) *Christo.* – Tertia; *Christus.*
γ) *ipsum.* – Om. PI.

Similiter autem neque per se movetur, secundum esse quod habet in hoc sacramento, quacumque alia mutatione: puta quantum ad hoc quod desinat esse sub hoc sacramento. Quia illud quod de se habet esse indeficiens, non potest esse deficiendi principium: sed, alio deficiente, hoc desinit esse in eo; sicut Deus, cuius esse est indeficiens et immortale, desinit esse in aliqua creatura corruptibili per hoc quod creatura corruptibilis desinit esse. Et hoc modo, cum Christus habeat [δ] esse indeficiens et incorruptibile, non desinit esse sub sacramento neque per hoc quod ipsum [ε] desinat esse, neque etiam per motum localem sui, ut ex dictis patet: sed solum per hoc quod species huius sacramenti desinunt esse.

Unde patet quod Christus, per se loquendo, immobiliter est in hoc sacramento.

Ad primum ergo dicendum quod ratio illa procedit de motu per accidens, quo ad motum nostri moventur ea quae in nobis sunt. Aliter tamen ea quae per se possunt esse in loco, sicut corpora: et aliter ea quae per se non possunt esse in loco, sicut formae et spirituales substantiae. Ad quem modum potest reduci quod dicimus Christum moveri per accidens secundum esse quod habet in hoc sacramento, in quo non est sicut in loco.

Ad secundum dicendum quod hac ratione moti videntur fuisse quidam ponentes quod corpus Christi non remanet sub hoc sacramento si in crastinum reservetur. Contra quos Cyrillus dicit*: *Insaniunt quidam dicentes mysticam benedictionem a sanctificatione cessare si quae reliquiae remanserint eius in diem subsequentem. Non enim mutabitur* [ζ] *sacrosanctum corpus Christi, sed virtus benedictionis et vivificativa gratia iugis in eo est.* Sicut et omnes aliae consecrationes immobiliter manent, permanentibus rebus consecratis: propter quod non iterantur. – Veritas autem licet figurae respondeat, tamen figura non potest eam adaequare.

* Ep. LXXXIII, *ad Calosyr.* - Cf. *Cat. Aur. in Luc.*, cap. XXII, vers. 19.

Ad tertium dicendum quod corpus Christi remanet in hoc sacramento non solum in crastinum, sed etiam in futurum [η], quousque species sacramentales manent. Quibus cessantibus, desinit esse corpus Christi sub eis, non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Christi ad illas species. Per quem modum Deus desinit esse Dominus creaturae desinentis.

δ) *habeat.* – *habeat in se bc, habeat de se* F et cetera tertia.
ε) *ipsum.* – *ipsi* E, *ipse* F.
ζ) *mutabitur.* – *mutatur* P. Pro *sacrosanctum corpus, sacramentum corpus* AC, *sacramentum in corpus* B, *sacratum corpus* PI, *sacramentum corporis* DEFGH*abc.*
η) *crastinum... futurum.* – *crastino... futurum* GI*bc*, *crastino... futuro* PH.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo ly *mobiliter* extenditur tam ad motum quam ad mutationem. Dupliciter enim cum possit dubitari de mobilitate corporis Christi in sacramento, vel de motu locali ad motum hostiae, vel de mutatione qua desineret esse in sacramento, ad utrumque modum extendit se ly *mobiliter*.

II. Circa doctrinam traditam in hoc articulo, adverte primo, Auctorem sentire quod Christum esse sub hoc sacramento est esse quoddam relativum, dum dicit: *Per hoc ipsum quod dicimus ipsum esse sub sacramento, significatur quaedam habitudo eius ad hoc sacramentum.* Hinc enim manifestat non esse idem esse Christi corporis in se, et esse eiusdem in sacramento. Quod sub aliis verbis explicatur dicendo: *Aliud est esse Christi corpus in seipso, et aliud est contineri sub sacramento ipsum idem Christi corpus in seipso existens.* Non discedes ergo ab Auctoris doctrina loquendo seorsum de conversione panis in substantiam corporis Christi, et de habitudine Christi ad hoc sacramentum, ut superius * fecimus. – Nec propterea putes explicatum esse modum quo Christus est in hoc sacramento. Nam explanatio huiusmodi est per communia valde, scilicet per relationem seu habitudinem: nescitur autem res aliqua nisi per propria cognoscatur *.

* Qu. LXXV, art. 1, Comment. num. III sqq.

* Aristot. *Analyt. Poster.* lib. I, cap. IX, n. 7. - S. Th. lect. XVIII.

III. Circa conclusionem illam, *Corpus Christi ad motum hostiae movetur per accidens,* duplex occurrit obiectio. Prima ex Durando, opinante oppositum, in lib. IV *Sent.,* dist. X, qu. III. Secunda ex Scoto *, eadem distinctione, qu. VI *, opinante non contra motum, sed contra motorem.

* Cf. num. seq.
* Conclus. 4.

Arguit ergo Durandus corpus Christi nullo modo moveri ad motum hostiae, nec per se nec per accidens *. Quia corpus Christi et hostia non sunt unum secundum subiectum; nec se habent ut continens et contentum; nec habent colligationem vel contactum.

* Cf. num. V.

Et quia corpus Christi existens in caelo localiter, fit de novo existens in hoc sacramento absque motu locali, tam per se quam per accidens. Ergo, a fortiori, existens in hoc sacramento non movetur ad motum hostiae.

IV. Scotus autem *, putans corpus Christi ad motum hostiae moveri quidem per accidens, sed non nisi immediate a Deo, probat hoc ultimum hac ratione. Quando aliqua coniunguntur praecise per actum voluntatis contingenter se habentis ad illam coniunctionem, si unum illorum secundum se sit mobile omnino improportionatum, et reliquum proportionatum, illud movens non eadem motione potest movere utrumque coniunctorum.

* Cf. num. VI.

Probatur ista ratione et exemplo. Ratio est quia, si movet unum quod est sibi proportionatum, non propterea movet per accidens reliquum: quia reliquum non est praesens illi moto sicut actus potentiae aut e converso; nec simpliciter ex aliqua alia necessitate naturali, sicut grave est praesens navi vel currui cui innititur, et propter hoc simul movetur cum illo; sed est praesens sola voluntate, quae potest non velle coniunctionem illam, stante tamen motione alterius.

Exemplum est. Si angelus voluntarie faceret se esse praesentem lapidi, si moveo lapidem, non propterea moveo angelum: qui non est per se mobilis a virtute mea; nec per accidens in proposito, quia nec forma nec pars est lapidis mobilis per se a me. Unde angelus in termino motus lapidis per propriam suam actionem esset ibi ubi est lapis, et non per actum meum.

Et tunc subsumitur minor. Sed corpus Christi est praesens speciei sacramentali tantum per actus voluntatis animae. Ergo, etc.

V. Ad evidentiam horum, videtur mihi quod cum Durando * nulla sit quaestio secundum rem, sed forte in solis verbis. Si enim perspiciatur ex una parte distinctio facta in littera de duplici esse corporis Christi, vel in se vel in sacramento; et dictum esse quod corpus Christi in se non movetur neque per se neque per accidens; et quod secundum esse in sacramento movetur non per se,

* Num. III.

sed per accidens; et si cum his simul perspecta fuerit vis rationum Durandi: manifestum erit quod nulla est diversitas in sententia; quoniam ad hoc tendunt argumenta, quod corpus Christi secundum se non movetur per accidens ad motum hostiae, quod Auctor fatetur.

Verum si quis contendat his argumentis Christi corpus secundum nullum esse moveri per accidens ad motum hostiae, facile inveniet responsionem, dicendo ad primum quod inter corpus Christi et hostiam est colligatio secundum esse sacramentale; et ita quod se habent ut veraciter contentum et continens, ut patet Extra, *de Summa Trin. et Fide Cathol.*, cap. *Firmiter*.

Ad secundum, negatur sequela. Quia ad rem antecedentis nec est opus motu, nec concomitatur motus. Sed ad motum sacramenti concomitatur motus rei quae est sacramentum secundum esse sacramentale, per accidens tamen.

* Num. IV. VI. Ad Scotum * autem, directe loquentem de Christi corpore ut est in sacramento, dicitur quod ratio aut implicat contradictoria, aut subsumit falsum.

Ad cuius intellectum, adverte duo assumi a Scoto: scilicet, coniunctionem inter aliqua duo; et rationem coniunctionis, scilicet actum voluntatis contingenter se habentem. Et oportet alterum duorum sequentium Scotum dicere: vel coniunctionem illam nullum nexum ponere inter coniuncta ultra actum voluntatis contingenter se habentem; aut aliquem nexum inter illa ponere causatum a tali actu voluntatis. Non potest dici primum. Quia ipsemet Scotus ponit coniunctionem illam actu voluntatis volitam contingenter. Et minor etiam esset falsa, ut patet; et similiter exemplum de angelo: quia praesentia angeli ad lapidem, et corporis Christi ad sacramentum, non est formaliter per actum voluntatis.

Oportet ergo intelligi quod coniunctio addit nexum quendam inter coniuncta. Et tunc apparet aut implicari contradictoria, puta quod sit nexus aliquis inter duo creata, et quod ille nexus nullo modo coniungat illa nisi praecise per actum voluntatis, quod non est intelligibile: aut minorem esse falsam. Quia inter corpus Christi et hostiam est coniunctio sacramentalis, quae licet effective sit a solo Deo, in se tamen est coniunctiva corporis Christi cum hostia naturali necessitate sacramenti: nam ex vi sacramenti per se habetur esse sacramentale corporis Christi in hostia; et esse sacramentale coniungit corpus Christi et hostiam, non quia volitum, sed quia in se est tale.

Ad exemplum autem de angelo dicitur quod, licet angelus posset subtrahere praesentiam suam a lapide, si tamen illam non subtrahit, movente me lapidem et transferente illum in domum, angelus movetur, non a se, sed ad motum lapidis: quia angelus nunc est ubi est lapis, et non est ubi erat lapis.

Et, ad excludendas fugas, pone casum quod angelus fecerit se praesentem lapidi voluntate illius praesentiae continuandae per unam horam tantum: et, stante casu, forma conditionalem. Si angelus, factus praesens lapidi, dormiret per tres horas, et ego moverem lapidem illum per duas horas: in fine motus, angelus esset ubi est lapis; et non per actum angeli; ergo per motum lapidis a me.

VII. Et quamvis haec sufficerent, ad dicta Scoti facilius tamen potest responderi, dicendo maiorem posse forte habere locum quando utrumque coniunctorum est per se mobile, puta quia ambo sunt corpora: sed quando duorum coniunctorum alterum tantum est mobile secundum se, alterum vero non nisi per accidens mobile est, maior nullum habet locum, quoniam non potest de eis dici quod unum est mobile improportionatum et alterum mobile proportionatum. Sic autem invenitur in proposito: quoniam hostia est mobilis secundum se; esse autem sacramentale, seu Christi corpus secundum esse sacramentale in hostia, non est mobile per se, sed solum per accidens, ut in littera hac dicit Auctor, et communiter omnes fatentur, dum dicunt esse quoddam esse relativum; respectus enim non nisi per accidens possunt moveri localiter.

Et hinc apparet quid dicendum est ad exemplum de angelo. Quoniam dum moveo lapidem, moveo per accidens praesentiam inter lapidem et angelum. Et similiter, dum moveo hostiam consecratam, moveo praesentiam inter hostiam et corpus Christi: ita quod, translata hostia de altari in plateam, transfertur etiam praesentia, quia corpus Christi de praesente in altari fit praesens in platea, absque hoc quod corpus Christi in se moveatur. Et similiter angelus fieret praesens in domo ad quam translatus est lapis, non quod ipse angelus sit motus a se vel a me, sed quia, transferendo lapidem, transtuli praesentiam eius in lapide.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM CORPUS CHRISTI PROUT EST IN HOC SACRAMENTO, POSSIT VIDERI AB ALIQUO OCULO, SALTEM GLORIFICATO

Infra, art. 8; IV *Sent.*, dist. x, art. 4, qu^a^ 1, 4, 5.

AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod corpus Christi prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo, saltem glorificato. Oculus enim noster impeditur a visione corporis Christi in hoc sacramento existentis, propter species sacramentales ipsum circumvelantes. Sed oculus glorificatus non potest ab aliquo impediri, quin corpora quaelibet videat prout sunt. Ergo oculus glorificatus potest videre corpus Christi prout est in hoc sacramento.

2. PRAETEREA, corpora gloriosa sanctorum erunt *configurata corpori claritatis Christi*, ut dicitur
* Vers. 21. *Philipp.* III *. Sed oculus Christi videt seipsum prout est in hoc sacramento. Ergo pari ratione quilibet alius oculus glorificatus potest ipsum videre.

3. PRAETEREA, sancti in resurrectione erunt
* Vers. 36. *aequales angelis,* ut dicitur Luc. xx *. Sed angeli vident corpus Christi prout est in hoc sacramento: quia etiam daemones inveniuntur huic sacramento reverentiam exhibere, et ipsum timere. Ergo pari ratione oculus glorificatus potest ipsum videre prout est in hoc sacramento.

SED CONTRA, nihil idem existens potest simul ab eodem videri in diversis speciebus. Sed oculus glorificatus semper videt Christum prout est in sua specie: secundum illud Isaiae XXXIII *: *Regem in decore suo videbunt.* Ergo videtur quod * Vers. 17.
non videat Christum prout est sub specie huius sacramenti.

RESPONDEO DICENDUM quod duplex est oculus: scilicet corporalis, proprie dictus; et intellectualis, qui per similitudinem dicitur. A nullo autem oculo corporali corpus Christi potest videri prout est in hoc sacramento. Primo quidem, quia corpus visibile per sua accidentia immutat medium. Accidentia autem corporis Christi sunt in hoc

sacramento mediante substantia: ita scilicet quod accidentia corporis Christi non habent immediatam habitudinem neque ad hoc sacramentum, neque ad corpora quae ipsum circumstant. Et ideo non possunt immutare medium, ut sic ab aliquo corporali oculo videri possint [α].

Secundo quia, sicut supra * dictum est, corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiae. Substantia autem, inquantum huiusmodi, non est visibilis oculo corporali, neque subiacet alicui sensui, neque [β] imaginationi, sed soli intellectui, cuius obiectum est *quod quid est* *, ut dicitur in III *de Anima* *. Et ideo, proprie loquendo, corpus Christi, secundum modum essendi quem habet in hoc sacramento, neque sensu neque imaginatione perceptibile est: sed solo intellectu, qui dicitur oculus spiritualis.

Percipitur autem diversimode a diversis intellectibus. Quia enim modus essendi quo Christus est in hoc sacramento, est penitus supernaturalis [γ], a supernaturali intellectu, scilicet divino, secundum se visibilis est: et per consequens ab intellectu beato vel angeli vel hominis, qui secundum participatam claritatem divini intellectus videt ea quae supernaturalia sunt, per visionem divinae essentiae. Ab intellectu autem hominis viatoris non potest conspici nisi per fidem: sicut et cetera supernaturalia. Sed nec etiam intellectus angelicus, secundum sua naturalia, sufficit ad hoc intuendum. Unde daemones non possunt videre per intellectum Christum in hoc sacramento, nisi per fidem: cui non voluntate [δ] assentiunt, sed ad eam signorum evidentia convincuntur *, prout dicitur, Iac. II **, quod *daemones credunt et contremiscunt.*

* Art. 1, ad 3; art. 3.
* D. 752.
* Cap. VI, n. 7. - S. Th. lect. XI.
* D. 607.
** Vers. 19.

Ad primum ergo dicendum quod oculus noster corporeus per species sacramentales impeditur a visione corporis Christi sub eis existentis, non solum per modum tegumenti, sicut impedimur videre id quod est velatum quocumque corporali velamine: sed quia corpus Christi non habet habitudinem ad medium quod circumstat hoc sacramentum mediantibus propriis accidentibus, sed mediantibus speciebus sacramentalibus.

Ad secundum dicendum quod oculus corporalis Christi videt seipsum sub sacramento existentem: non tamen potest videre ipsum modum essendi quo est sub sacramento [ε], quod pertinet ad intellectum [ζ]. Nec tamen est simile de alio oculo glorioso: quia et ipse oculus Christi est sub hoc sacramento; in quo non conformatur ei alius oculus gloriosus.

Ad tertium dicendum quod angelus bonus vel malus non potest aliquid videre oculo corporeo, sed solum oculo intellectuali. Unde non est similis ratio, ut ex dictis * patet.

* In corpore.

α) *possint.* – PF; *possit* GH, *possunt* ceteri (sed D om. *immutare... possint*).
β) *neque.* – *sed nec etiam* tertia.
γ) *supernaturalis.* – PIsG; *spiritualis.* – *supernaturali* tertia; *speciali* F, *spirituali* ceteri. – *supernaturalia* primo loco tertia, altero PIsG; *spiritualia.*
δ) *voluntate.* – *voluntarie* P.
ε) *existentem... sacramento.* – PI; om.
ζ) *intellectum.* – *solum* addunt E et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In corpore articuli multa occurrunt notanda et dubitanda. In primis, circa rationes conclusionis primae, scilicet, *Corpus Christi secundum esse quod habet in sacramento, non est visibile oculo corporali,* advertendum est quod, licet Scotus, in ult. qu. dist. x IV *Sent.*, impugnet multas rationes quae afferuntur pro hac conclusione; quia tamen neutram istarum quae in littera afferuntur improbat, immo potius utraque quodammodo utitur: – et secunda quidem, se tenente ex parte visibilis ut terminus est visionis, expresse utitur; prima quoque, considerante visibile inquantum causa est visionis, quodammodo utitur: – ideo extraneum a praesentis operis proposito duxi defendere rationes alias, quae hic non ponuntur.

II. In secunda ratione, adverte diligenter terminos, ut non fluctues, quasi contraria in Auctoris doctrina inveniens, dum alibi * dicit, cum Averroe **, substantiam particularem percipi a cogitativa, hic vero dicit a solo intellectu substantiam cognosci. Nec loquitur de substantia in communi, sed de substantia singulari: quia loquitur de corpore Christi ut est in hoc sacramento; constat autem corpus Christi esse quoddam singulare, et modum essendi in hoc sacramento esse rem singularem. Utrumque siquidem est verum: illud quidem de substantia individuali secundum materiam signatam quantitate; hoc autem de substantia individuali ut habet modum essendi purae substantiae, idest substantiae inquantum substantiae, ut patet ex superius * declaratis de modo substantiae. Et propterea hic dicit: *Substantia autem, inquantum huiusmodi, subiacet solum intellectui,* etc.

* *De Anima*, lib. II, lect. XIII; Opusc. XXIX, *de Princip. Individuat.*
** II *de Anima*, text. comm. LXIII.
* Art. 1, Comment. num. III sqq.

III. Circa secundam partem huius articuli, in qua agitur de visione intellectuali, adverte dici quatuor. Primum, quod corpus Christi secundum esse in hoc sacramento, non videtur ab intellectu viatoris hominis. – Secundum, quod nec etiam ab intellectu angelico naturaliter. – Tertium, quod videtur ab intellectu beato angeli vel hominis per visionem divinae essentiae. – Quartum, quod est omnium praedictorum ratio, quia iste modus essendi est penitus supernaturalis, ac per hoc secundum se intelligibilis est a supernaturali intellectu, scilicet divino.

Contra tria autem horum Scotus arguit, in IV *Sent.* dist. x, qu. VIII *. Et primo, contra secundum **, intendens quod tam intellectus angelicus, quam animae separatae, quam etiam hominis beati, potest naturaliter videre existentiam corporis Christi in Eucharistia. *Primo,* quia intellectus se habens ad intelligibilia sicut ipsa sunt in se intelligibilia, intelligit prius substantiam quam quemcumque modum eius. Ergo nullus modus sub quo est substantia, potest impedire intellectionem substantiae a tali intellectu, qui non dependet in intelligendo a sensibilibus.

* Conclus. 2.
** Cf. num. VII.

Secundo. Totum ens creatum est obiectum proportionatum tali intellectui quantum ad cognitionem tam abstractivam quam intuitivam. Si ergo quodcumque ens potest abstractive cognosci a tali intellectu quando non est sibi praesens, sequitur quod potest intuitive intelligi ab eodem quando est sibi perfecte praesens in propria existentia actuali.

Tertio. Virtus potens cognoscere obiectum intuitive dum est praesens, potest cognoscere eius absentiam dum est absens. Sed talis intellectus potest cognoscere praesentiam panis quando est praesens. Ergo potest cognoscere absentiam eius quando est absens. Ergo, eadem ratione, potest cognoscere praesentiam substantiae corporis Christi: quia

corpus Christi in se est obiectum proportionatum etiam intellectui tali ut intuenti; ergo modus accidentalis ipsius corporis non impedit quin sit obiectum intuibile eidem intellectui.

Quarto. Anima Christi novit naturaliter se esse ubicumque est. Et per consequens novit naturaliter se esse in Eucharistia. Et ita naturaliter potest nosse existentiam corporis sui ibi, quae est sibi ratio quod sit in sacramento.

Quinto. Existentia talis non est excellentius cognoscibile quam existens cuius est existentia. Sed Christus est naturaliter cognoscibilis a tali intellectu creato. Ergo et quaelibet eius existentia. – Probatur maior. Quia non potest aliquis modus improportionaliter excedere illud cuius est modus.

Sexto. Beatus naturaliter videt in alio beato actum beatificum. Et tamen illa beatitudo non est minus supernaturalis quam existentia corporis Christi in Eucharistia. – Antecedens probatur. Quia substantia ipsius beati est excellentius cognoscibile quam eius beatitudo.

IV. Contra tertium * vero idem arguit **, intendens quod intellectus beatus nullo modo per actum beatificum videt corpus Christi in Eucharistia *. Beatus non distinguitur a non beato nisi videndo obiectum beatificum ut sic, et ea quae includuntur in eo ut sic. Sed corpus Christi esse in Eucharistia non est obiectum beatificum, ut patet: nec inclusum in obiecto beatifico. Quod probatur. Quia aeque essentialiter pertinet ad obiectum beatificum includere in ratione obiecti unam rem vel veritatem unius sacramenti sicut alterius: sicut aeque pertinet ad veritatem fidei credere veritatem unius articuli sicut alterius. Sed in obiecto beatifico non clauditur gratiam infundi tali baptizato, aut suscipienti sacramentum poenitentiae. Ergo, etc.

* Num. III, init. ** Loc. cit., conclus. 3. - Cf. Part. I, qu. LVII, art. 5, Comment. num. IV, V. * Cf. num. VIII.

V. Contra quartum *, rationem scilicet qua modus essendi est penitus supernaturalis, arguit ibidem * Scotus, quia naturale et supernaturale non distinguunt ens in se, sed tantum in comparatione ad agens. Et propterea, licet res aliqua supernaturaliter fiat, postquam facta est, naturaliter cognoscitur.

* Num. III. init. * Loc. cit., post conclus. 2. - Cf. num. IX.

Et confirmatur assumptum. Quia supernaturale et naturale possunt se habere sicut imperfectum et perfectius: puta accidens et substantia.

Et confirmatur rursus subiunctum. Quia fides, spes et caritas sunt habitus supernaturales. Et tamen angeli naturaliter cognoscunt eos, secundum illos qui ponunt in angelo naturaliter rationes cognoscendi omnes species entium.

VI. Ad evidentiam horum, praelibandum est quod *parva distantia in principio magna valde apparet in principiatis* *. Et hinc est quod ex diversa opinione circa modum intelligendi, tot quaestiones emanant. Opinantes siquidem intellectum non alligatum phantasmati intelligere per motionem ab ipsis rebus quae intelligi dicuntur, consequenter opinantur intellectus abstractos intueri res praesentes sicut nos videmus corporaliter colores praesentes. Tenentes autem, cum Peripateticis et philosophis, intellectus abstractos moveri tantum a seipsis seu suis substantiis, vel etiam a superioribus eorum, et non ab aliquo inferiori, consequenter ponunt intellectus abstractos cognoscere quidquid cognoscunt naturaliter, aut per substantiam propriam solam *, quod nos credimus in solo Deo verificari **; aut per substantiam perfectam speciebus intelligibilibus inditis *; aut etiam, ut quibusdam placuit, per substantiam superiorem. Et per consequens intellectus abstracti cognitio naturalis non se potest extendere nisi ad ea quae naturaliter relucent in his quae sunt apud intellectum abstractum. Et quoniam haec non sunt nisi pertinentia ad naturalem ordinem universi, quoniam solae res pertinentes ad opera sex dierum fuerunt productae a Deo in mentibus angelicis et in rerum natura, quando *vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona* *; quaecumque non ad naturae, sed gratiae ordinem per se spectant, eximuntur a naturali cognitione angelorum secundum hanc viam. Secundum quam etiam naturale et supernaturale sunt et differentiae entis, et differentiae modi faciendi. Nam oculi dati caeco nato *, et vinum factum in nuptiis **, differebant ab aliis oculis et vinis secundum naturale et supernaturale quoad modum fiendi tantum. Sed caritas, et incarnatio Christi, et Christum esse sub sacramento, et lumen gloriae, et similia, differunt a virtutibus naturalibus et aliis quae entia naturalia vocamus, penes supernaturale et naturale quantum ad ipsa entia: sunt enim haec ex suo genere supernaturalia entia, quia nulli possunt enti esse aut fieri connaturalia, ut alibi * declaravimus.

* Aristot. de Caelo, lib. I, cap. V, n. 1, 2. - S. Th. lect. IX.

* Cf. Autissiod. Summ. lib. II, tract. V, qu. 5. ** Cf. Part. I, qu. LIV, art. 1. * Cf. ibid., art. 2.

* Gen. cap. I, vers. 31. - Cf. Part. I, qu. LVI, art. 2; qu. LVII, art. 5.

* Ioan. cap. IX, ** Ioan. cap. II, n. 6. sqq.

* Opusc. Caiet. tom. III, Tract. III, de Potent. Neutr., qu. II (Ed. Lugdun. 1562).

VII. His praelibatis, *ad primum* Scoti * dicitur falsam esse minorem, scilicet intellectum abstractum habere se ad omne intelligibile secundum ordinem intelligibilitatis. Hoc enim patet esse falsum. Tum quia non sic se habet ad primum intelligibile, quod est Deus. – Tum quia quilibet intellectus abstractus intelligit et quod est supra se et quod est infra se, per modum sui.

* Num. III.

Dicitur nihilominus quod, licet intellectus abstractus videat corpus Christi, non propterea sequitur: Ergo videt eius modum essendi in sacramento. Et hoc, non quia iste modus essendi est excellentioris cognoscibilitatis in se: sed quia est cognoscibile alterius ordinis, scilicet supernaturalis, et propter hoc est extra totum ordinem rerum praesentium cognitionibus naturalibus *.

* Cf. infra *Ad quintum.*

Et hinc patet responsio *ad secundum.* Quia falsum est totum ens creatum esse obiectum proportionatum tali intellectui. Et intuitive quidem: quia quaedam, scilicet supernaturalia, sunt de ordine non praesentium cognitioni naturali. Abstractive vero: quia incarnationis mysterium latet, quoad perfectam quidditativam cognitionem, omnis intellectus creati cognitionem naturalem, quia illius nulla indita species est praesentativa perfecte. Et idem videtur de esse corporis Christi in sacramento. Supponit igitur argumentum hoc falsum, scilicet modum essendi in sacramento praesentem quandoque esse naturali cognitioni intellectus abstracti.

Ad tertium dicitur negando eadem vel simili ratione posse cognosci praesentiam corporis Christi. Et ad subiunctam probationem iterum dicitur quod modus accidentalis, non quatenus accidentalis, sed quatenus est alterius ordinis, impedit se intueri ab intellectu cui ordo ille non est praesens: qualis est intellectus angelicus naturaliter.

Ad quartum, de anima Christi, dupliciter dici potest. Primo, excipiendo Christi animam: ea ratione quia ad ipsam spectat, quamvis concomitanter, talis modus essendi. Ita quod, sicut dicimus cogitationes cordis mei latere naturalem cognitionem angelorum, manifestas tamen esse animae meae, quia ad ipsam spectant, et per hoc fiunt sibi praesentes, quae non sunt praesentes angelis; sic in proposito modus iste essendi est praesens naturali cognitioni animae Christi per hoc quod ad ipsum spectat. Nec est simile de aliis intellectibus, ut patet.

Secundo dicitur negando animam Christi cognitione naturali intueri modum quo corpus Christi est in hoc sacramento: sicut cognitione naturali non intuetur mysterium incarnationis. Unde Auctor dicit hic quod, quia modus essendi in hoc sacramento est penitus supernaturalis, non nisi a supernaturali intellectu, vel ipsius participatione, est in se intelligibilis. Et haec responsio solidior videtur.

Ad quintum, iam patet ex dictis * quod non ratione excellentiae, sed ratione absentiae seu non-praesentiae, existentia in sacramento latet; et tamen corpus Christi patet.

* Supra, *Dicitur nihilominus.*

Ad sextum, negatur assumptum, scilicet actum beatificum unius beati videri naturali cognitione ab altero. Et ratio est saepe dicta: non propter excellentiam cognoscibilis, sed propter absentiam. Quia naturalis cognitio contenta est spectantibus ad ordinem naturalem: actus autem beatificus spectat ad ordinem supernaturalem.

VIII. Ad obiecta contra visionem huius sacramenti per actum beatificum * respondendo, distinguitur quod de actu beatifico possumus dupliciter loqui. Vel praecise secundum necessaria ad beatitudinem. Et sic procul dubio verum est per actum beatificum non videri Christi corpus in sacramento, nec mysterium incarnationis, immo nec aliquid quod scit Deus scientia visionis: ut patet ex eo

* Num. IV.

quod, si unum tantum intellectum Deus creasset et ille videret Deum, esset procul dubio beatus, et nihil horum sciret quae ad scientiam visionis spectant, quia nihil horum fuisset, esset, aut futurum esset.

Vel de actu beatifico loquimur secundum quod de facto divina largitas illum ditavit, seu extendit. Et sic visio beata extendit se ad multa alia quae non sunt simpliciter necessaria cognitu ad beatitudinem. Inter quae opinamur esse mysterium incarnationis et Eucharistiae: ea ratione, quia sunt difficillima inter omnia creata credenda, ac per hoc, a mentibus fidelium valde desiderata ut videantur; beatitudo autem satiativa est fidelium, ut fidelium, desideriorum tam arduorum.

Et Scotus quidem in primo sensu loqui videtur, et non in secundo: quoniam ratio sua in primo tantum sensu militat; et pluries repetit necessitatem ad beatitudinem. Unde non oportet aliter respondere.

* Num. v. IX. Ad obiecta demum de supernaturalitate * respondetur dicendo quod naturale et supernaturale sunt differentiae quandoque solum secundum respectum ad agens: quandoque vero sunt differentiae entis. Et propterea falsum est quodcumque ens, postquam factum est, esse naturale: de aliquo enim est verum, et de aliquo non, ut
* Num. vi. supra * diximus.

Et ad confirmationem, de differentia imperfecti et perfectioris, dicitur quod est impertinens: quoniam non est quaestio de perfectione vel imperfectione, sed de naturalitate vel supernaturalitate. – Posset tamen dici quod qualitates supernaturales sunt perfectioris ordinis quam totus ordo naturalium: quia sunt ordinis divini, ut caritas et lumen gloriae testantur.

Ad ultimam confirmationem dicitur quod angelis non sunt inditae species omnium specierum, sed earum tantum quae ad naturalem ordinem universi spectant. Et propterea fidem, spem et caritatem non per naturalem cognitionem in proprio genere noverunt, nisi habentes illas in seipsis, utpote ad eos spectantes *. * Cf. num. vii, *Ad quartum.*

X. In responsione ad secundum, intellige differentiam inter oculum corporalem Christi et corporalem oculum aliorum sanctorum, non respectu visibilis per se, quoniam in corpore articuli iam dictum erat modum essendi Christi corporis in hoc sacramento esse invisibilem, soloque intellectu intuibilem: sed respectu visibilis per accidens. Ita quod Christus dicitur corporali oculo videre seipsum sub hoc sacramento, quia sic seipsum videt ut statim intellectu videat suum essendi modum in sacramento; sicut post resurrectionem dicemur videre Deum corporalibus oculis, ut in qu. xii * Primae Partis Auctor declaravit. * Art. 3, ad 2.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM, QUANDO IN HOC SACRAMENTO MIRACULOSE APPARET VEL CARO VEL PUER, SIT IBI VERE CORPUS CHRISTI

IV *Sent.*, dist. x, art. 3, qu^a 2; *De Ven. Sacram. Altar.*, serm. xi.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod, quando in hoc sacramento miraculose
α apparet vel [α] caro vel puer, quod non sit ibi vere corpus Christi. Corpus enim Christi desinit esse sub hoc sacramento quando desinunt esse species sacramentales, ut dictum
* Art. 6. est *. Sed quando apparet caro vel puer, desinunt esse species sacramentales. Ergo non est ibi vere corpus Christi.

2. PRAETEREA, ubicumque est corpus Christi, vel est ibi sub specie propria, vel sub specie sacramenti. Sed quando tales apparitiones fiunt, manifestum est quod non est ibi Christus sub specie propria: quia in hoc sacramento totus Christus continetur, qui permanet integer in forma qua ascendit in caelum; cum tamen id quod miraculose apparet in hoc sacramento, quandoque videatur ut quaedam parva caro, quandoque autem ut parvus puer. Manifestum est etiam quod non est ibi sub specie sacramenti, quae est species panis vel vini. Ergo videtur quod corpus Christi nullo modo sit ibi.

3. PRAETEREA, corpus Christi incipit esse in hoc sacramento per consecrationem et conver-
*Art. 1; qu. lxxv, art. 2 sqq. sionem, ut supra * dictum est. Sed caro aut sanguis miraculose apparens non sunt consecrata, nec conversa in verum corpus et sanguinem Christi. Non ergo sub his speciebus est corpus vel sanguis Christi.

SED CONTRA EST quod, tali apparitione facta, eadem reverentia exhibetur ei quod apparet, quae et prius exhibebatur. Quod quidem non fieret si non vere esset ibi Christus, cui reverentiam latriae exhibemus. Ergo, etiam tali apparitione facta, Christus est sub hoc sacramento.

RESPONDEO DICENDUM quod dupliciter contingit talis apparitio, qua quandoque in hoc sacramento miraculose videtur caro aut sanguis, aut etiam aliquis puer. Quandoque enim hoc contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione ac si expresse viderent exterius carnem aut sanguinem vel puerum *, nulla tamen *Cf. Paschas. Ratbert., *de Corp. et Sang. Dom.*, cap. xiv.
immutatione [β] facta ex parte sacramenti. Et hoc quidem videtur contingere quando uni videtur β
sub specie carnis vel pueri, aliis tamen videtur, sicut et prius, sub specie panis; vel quando eidem [γ] ad horam videtur sub specie carnis vel γ
pueri, et postmodum sub specie panis. Nec tamen hoc pertinet ad aliquam deceptionem, sicut accidit in magorum praestigiis: quia talis species divinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam, ad hoc scilicet quod manifestetur vere corpus Christi esse sub hoc sacramento; sicut etiam Christus absque deceptione apparuit discipulis euntibus in Emmaus *. Dicit enim Augustinus, in libro *de Quaestionibus Evangelii* *, * Luc. cap. xxiv, vers. 13 sqq. * Lib. II, qu. ult.
quod, *cum fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis.* Et quia per hunc modum nulla immutatio fit ex parte sacramenti, manifestum est quod non desinit esse Christus sub hoc sacramento, tali apparitione facta.

α) *vel.* – Om. PHsG et *c.* – *quod* ante *non* om. PsB.
β) *tamen immutatione.* – *transmutatione* CDE*a.*
γ) *eidem.* – PFIsG; om. H, *idem* ceteri.

Quandoque vero contingit talis apparitio non per solam immutationem videntium, sed specie quae videtur realiter exterius existente. Et hoc quidem [δ] videtur esse quando sub tali specie ab omnibus videtur; et non ad horam, sed per longum tempus ita permanet. Et in hoc casu quidam dicunt quod est propria species corporis Christi. Nec obstat quod quandoque non videtur ibi totus Christus, sed aliqua pars carnis *; vel etiam videtur non in specie iuvenili, sed in effigie puerili *: quia in potestate est corporis gloriosi, ut infra * dicetur [ε], quod videatur ab oculo non glorificato vel secundum totum vel secundum partem, et in effigie vel propria vel aliena, ut infra dicetur.

* Cf. *Vit. S. Greg. M.*, auct. Ioan. Diac., lib. II, num. 41.
* Cf. Paschas. Ratbert., loc. cit.
* Cf. *Supplem.*, qu. LXXXV, art. 2, ad 3; art. 3. - Cf. supra, qu. LIV, art. 1, ad 2, 3; art. 3.

Sed hoc videtur esse inconveniens. Primo quidem, quia corpus Christi non potest in propria specie videri nisi in uno loco, in quo definitive continetur. Unde, cum videatur in propria specie et adoretur in caelo, sub propria specie non videtur in hoc sacramento. – Secundo, quia corpus gloriosum, quod apparet ut vult, post apparitionem cum voluerit disparet: sicut dicitur, Luc. ult. *, quod Dominus *ab oculis discipulorum evanuit.* Hoc autem quod sub specie carnis in hoc sacramento apparet, diu permanet: quinimmo quandoque legitur esse inclusum, et multorum episcoporum consilio [ζ] in pixide reservatum *; quod nefas est de Christo sentire secundum propriam speciem.

* Vers. 31.
* Cf. Guitmund., *de Verit. Corp. et Sang. Dom. in Euch. Sacr.* lib. II.

Et ideo dicendum quod, manentibus dimensionibus quae prius fuerunt, fit miraculose quaedam immutatio circa alia accidentia, puta figuram et colorem et alia huiusmodi, ut videatur caro vel sanguis, aut etiam puer. Et, sicut prius dictum est, hoc non est deceptio: quia fit *in figuram cuiusdam veritatis,* scilicet ad ostendendum per hanc miraculosam apparitionem quod in hoc sacramento est vere corpus Christi et sanguis [η]. Et sic patet quod, remanentibus dimensionibus, quae sunt fundamenta aliorum accidentium, ut infra * dicetur, remanet vere [θ] corpus Christi in hoc sacramento.

* Qu. LXXVII, art. 2.

Ad primum ergo dicendum quod, facta tali apparitione, species sacramentales quandoque quidem totaliter manent in seipsis, quandoque autem secundum illud quod est principale in eis, ut dictum est *.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod in huiusmodi apparitionibus, sicut dictum est *, non videtur propria species Christi: sed species miraculose formata vel in oculis intuentium, vel etiam in ipsis sacramentalibus dimensionibus, ut dictum est *.

* Ibid.
* Ibid.

Ad tertium dicendum quod dimensiones panis et vini consecrati manent, immutatione circa eas miraculose facta quantum ad alia accidentia, ut dictum est *.

* Ibid.

δ) *quidem.* – PFsG; *idem.*
ε) *ut infra dicetur.* – Om. P*a*.
ζ) *consilio.* – *concilio* E*a*.
η) *Christi et sanguis.* – *et sanguis Christi* PI; cf. art. 1. ζ.
θ) *vere.* – Om. P.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo octavo, adverte circa veras apparentias ex miraculo in hoc sacramento, quod distinguendum videtur de magnitudine speciei apparentis. Nam si res apparens fuerit tam magnarum dimensionum ut sint incompossibiles substantiae conversae, puta si, consecrato modico vino in fundo calicis, ut fieri consuevit, appareat et permaneat totus calix magnus plenus specie sanguinis, tunc non videtur remanere verus Christi sanguis sub illis speciebus: quoniam non manent dimensiones vini conversi. Et in hoc casu species sanguinis significat Christi sanguinem verum contineri sub sacramento, et non contineri sub seipsa.

Si vero dimensiones non sint ita in veritate extensae quin afficerent conversam substantiam si subesset, sentiendum est ut littera tradit. Quoniam tandiu manet veritas sacramenti, quandiu maneret panis aut vinum si subesset. Constat autem quod, quandiu manent dimensiones illae sine subiecto, manet corpus aut sanguis Christi.

Unde, cum tam extensive dimensiones immutantur, immutatio non est solum accidentalis, sed substantialis. Auctor autem loquitur quando mutatio est solum in accidentibus.

Et si quaeratur qua adoratione venerandus esset huiusmodi sanguis miraculosus, dicendum videtur idem esse iudicium de ipso et de veste Christi *.

* Cf. qu. XXV, art. 4, ad 3.



QUAESTIO SEPTUAGESIMASEPTIMA

DE ACCIDENTIBUS REMANENTIBUS IN HOC SACRAMENTO

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de accidentibus remanentibus in hoc sacramento *.

* Cf. qu. LXXIV, Introd.

Et circa hoc quaeruntur octo.

Primo: utrum accidentia quae remanent, sint sine subiecto.

Secundo: utrum quantitas dimensiva sit subiectum aliorum accidentium.

Tertio: utrum huiusmodi accidentia possint immutare aliquod corpus extrinsecum.

Quarto: utrum possint corrumpi.

Quinto: utrum ex eis possit aliquid generari.

Sexto: utrum possint nutrire.

Septimo: de fractione panis consecrati.

Octavo: utrum vino consecrato possit aliquid admisceri.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM ACCIDENTIA REMANEANT IN HOC SACRAMENTO SINE SUBIECTO

Supra, qu. LXXV, art. 5; I *Sent.*, dist. XLVII, art. 4; IV, dist. XII, qu. 1, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LXII, LXIII, LXV; *Quodl.* III, art. 1, ad arg.; *Quodl.* IX, qu. III; *Cont. Graec., Armen.* etc., cap. VIII; *In Matth.*, cap. XXVI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. V.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod accidentia non remaneant in hoc sacramento sine subiecto. Nihil enim inordinatum aut fallax debet esse in hoc sacramento veritatis. Sed accidentia esse sine subiecto est contra rerum ordinem, quem Deus naturae indidit. Videtur etiam ad quandam fallaciam pertinere: cum accidentia sint [α] signa naturae subiecti. Ergo in hoc sacramento non sunt accidentia sine subiecto.

α

2. PRAETEREA, fieri non potest, etiam miraculose, quod definitio rei ab ea separetur; vel quod uni rei conveniat definitio alterius, puta quod homo, manens homo, sit animal irrationale. Ad hoc enim sequeretur contradictoria esse simul: *hoc* enim *quod significat nomen rei, est definitio,* ut dicitur in IV *Metaphys.* * Sed ad definitionem accidentis pertinet quod sit in subiecto: ad definitionem vero substantiae, quod per se subsistat non in subiecto. Non potest ergo miraculose fieri quod in hoc sacramento sint accidentia sine subiecto.

* S.Th. lect. XVI. - Did. lib. III, cap. VII, n. 9.

3. PRAETEREA, accidens individuatur ex subiecto. Si ergo accidentia remanent in hoc sacramento sine subiecto, non erunt individua, sed universalia. Quod patet esse falsum: quia sic non essent sensibilia, sed intelligibilia tantum.

4. PRAETEREA, accidentia per consecrationem huius sacramenti non adipiscuntur aliquam compositionem. Sed ante consecrationem non erant composita neque ex materia et forma, neque ex quo est et quod est. Ergo etiam post consecrationem non sunt composita altero horum modorum. Quod est inconveniens: quia sic essent simpliciora quam angeli; cum tamen haec accidentia sint sensibilia. Non ergo accidentia remanent in hoc sacramento sine subiecto.

SED CONTRA EST quod Gregorius dicit, in Homilia Paschali *, quod *species sacramentales sunt illarum rerum vocabula quae ante fuerunt, scilicet panis et vini.* Et ita, cum non remaneat substantia panis et vini, videtur quod huiusmodi species sint sine subiecto.

* Lanfranc. *de Corp. et Sang. Dom.*, cap. XX; Can. *Species, de Consecrat.*, dist. II.

RESPONDEO DICENDUM quod accidentia panis et vini, quae sensu deprehenduntur in hoc sacramento remanere post consecrationem, non sunt sicut in subiecto in substantia panis et vini, quae non remanet, ut supra * habitum est. Neque etiam in forma substantiali, quae non manet *; et, si remaneret, *subiectum esse non posset*, ut patet per Boetium, in libro *de Trin.* * Manifestum est etiam quod huiusmodi accidentia non sunt in substantia corporis et sanguinis Christi sicut in subiecto *: quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici; neque etiam est possibile quod corpus Christi, gloriosum et impassibile existens, alteretur ad suscipiendas huiusmodi qualitates.

* Qu. LXXV, art. 2.

* Ibid., art. 6.

* Lib. I, cap. II.

* Vide Abaelard. loc. cit. infra. - Cf. Mag. IV *Sent.*, dist. XII, cap. *Sed quia corpus.*

Dicunt autem quidam * quod sunt, sicut in subiecto, in aere circumstante. – Sed nec hoc esse potest. Primo quidem, quia aer non est huiusmodi accidentium susceptivus. – Secundo, quia huiusmodi accidentia non sunt ubi est aer. Quinimmo ad motum harum specierum aer depellitur. – Tertio, quia *accidentia non transeunt de subiecto in subiectum* *: ut scilicet idem accidens numero quod [β] primo fuit in uno subiecto, postmodum fiat in alio. Accidens enim numerum accipit a subiecto. Unde non potest esse quod, idem numero manens, sit quandoque in hoc,

* Vide Guillelm. S.Theodor., *Disput. advers. Abaelard., ad Gaufrid.*, cap. IX; Abaelard. *Epitom. Theol. Christian.*, cap. XXIX.

* Boet. *Comment. in Categ. Arist.* lib. I.

β

α) *sint.* – *naturaliter sint* PI.

β) *quod.* – PI; *sit quod.*

quandoque in alio subiecto. – Quarto quia, cum aer non spolietur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria et aliena. – Nec potest dici quod hoc fiat miraculose virtute consecrationis: quia verba consecrationis hoc non significant; quae tamen non efficiunt nisi significatum [γ].

Et ideo relinquitur quod accidentia in hoc sacramento manent sine subiecto. Quod quidem virtute divina fieri potest *. Cum enim effectus magis dependeat a causa prima quam a causa secunda *, potest Deus, qui est prima causa substantiae et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare in esse accidens subtracta substantia, per quam conservabatur in esse sicut per propriam causam: sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis; sicut corpus humanum formavit in utero Virginis *sine virili semine* *.

* D. 15.

* Lib. *de Causis*, prop. 1. - Inter Opp. Aristot.

* Hymn. S. Ambros. ad prim. Vesp. Nativ.

Ad primum ergo dicendum quod nihil prohibet aliquid esse ordinatum secundum communem legem naturae, cuius tamen contrarium est ordinatum secundum speciale privilegium gratiae, ut patet in resuscitatione mortuorum, et in illuminatione caecorum: prout etiam in rebus humanis quaedam aliquibus conceduntur ex speciali privilegio praeter communem legem. Et ita, licet sit secundum communem naturae ordinem quod accidens sit in subiecto, ex speciali tamen ratione, secundum ordinem gratiae, accidentia sunt in hoc sacramento sine subiecto, propter rationes supra * inductas.

* Qu. LXXV, art. 5.

Ad secundum dicendum quod, cum ens non sit genus, hoc ipsum quod est esse, non potest esse essentia vel substantiae vel accidentis. Non ergo definitio substantiae est *ens per se sine subiecto,* nec definitio accidentis *ens in subiecto:* sed quidditati seu essentiae substantiae *competit habere esse non in subiecto;* quidditati autem sive essentiae accidentis *competit habere esse in subiecto.* In hoc autem sacramento non datur accidentibus quod ex vi suae essentiae sint sine subiecto, sed ex divina virtute sustentante. Et ideo non desinunt esse accidentia: quia nec separatur ab eis definitio accidentis [δ], nec competit eis definitio substantiae.

Ad tertium dicendum quod huiusmodi accidentia acquisierunt esse individuum in substantia panis et vini: qua conversa in corpus et sanguinem Christi, remanent virtute divina accidentia in illo esse individuato quod prius habebant. Unde sunt singularia et sensibilia.

Ad quartum dicendum quod accidentia huiusmodi, manente substantia panis et vini, non habebant ipsa esse nec [ε] alia accidentia: sed substantia eorum habebat [ζ] huiusmodi esse per ea; sicut nix est alba per albedinem. Sed post consecrationem ipsa accidentia quae remanent, habent esse. Unde sunt composita ex *esse* et *quod est,* sicut in Prima Parte * de angelis dictum est. Et cum hoc, habent compositionem partium quantitativarum.

* Qu. L, art 2, ad 3; qu. LXXV, art. 5, ad 4.

γ) *significatum.* – *suum significatum* PFI, *unum significatum* GpH et *bc.*
δ) *accidentis.* – Post Pianam coeptum est addi: *quae est aptitudo ad subiectum quae semper manet in iis, non actualis inhaerentia* quod quae editio prima intruserit nos latet.
ε) *nec.* – *sicut nec* FGI.
ζ) *substantia eorum habebat.* – *sbā* (*subiecta* P) *eorum habebant* PIsH, (*sbā* expungit) *eorum subiecta habebant* F, *sbā eorum habebant huiusmodi esse habebat huiusmodi esse* G, sed tria ultima verba expunguntur.

Commentaria Cardinalis Caietani

In quaestione ista, de accidentibus Eucharistiae, omissa tanta opinionum varietate, ut solidior rationabiliorque via appareat, notandum duxi duplicem esse opinionem de modo essendi istorum accidentium sine subiecto. Prima opinio est accidentia ista esse sine subiecto per solam conservationem a Deo sine subiecto: ita quod, cum prius haberent duo, scilicet esse in subiecto, et utrumque conservabatur a Deo; postea, desinente Deo conservare ly *in subiecto,* et conservante esse quod habebant, ipsa sunt sine subiecto. Et hanc opinionem sequitur Scotus, in XII distinctione * Quarti.

* Qu. 1.

Altera autem opinio tenet, ultra conservationem, addi novam actionem divinam conferentem accidentibus his novum modum essendi, scilicet per modum substantiae. Et hanc opinionem sequitur divus Thomas, in hac quaestione, dicens collatum esse dimensionibus habere substantiae proprietatem, actum, vim atque virtutem.

II. Et ut plenius quod dicitur intelligatur, manifestemus ex differentia seu differentiis inter has opiniones. Primo, *quoad esse.* Nam, cum accidens in subiecto non sit *quod est* sed *quo est,* ex sola conservatione accidentis in suo esse non conservato subiecto, non acquirit accidens novum modum essendi, sed perdit priorem modum significatum per ly *in:* desinit enim esse actualiter inhaerens. – Sed ubi conservationi apponitur collatio novi modi, accidens non solum perdit actualiter inhaerere, sed acquirit novum essendi modum, ut quod prius fuerat *quo est,* modo sit *quod est.* Et hic est modus essendi substantiae.

Et huic differentiae annectitur altera: quod conservatio sola accidentium sine subiecto est velut violenta; hoc est quod, si fieret ab agente secundo, esset violenta; quemadmodum si lapis absque aliquo fulcimento sola agentis virtute sustineretur in loco superiori. Et ratio violentiae est, quia accidens cum suo esse, separatum ab inesse, sustinetur ut prius erat, scilicet ut quo est: ex quo non acquisivit alium essendi modum. – Sed si accidens cum modo essendi per modum substantiae conservatur sine subiecto, naturaliter conservatur in supernaturaliter acquisito essendi modo.

Secundo differunt *quoad esse subiectum.* Nam ex sola conservatione accidentium sine subiecto, dimensiones non sunt plus subiectum aliorum accidentium quam prius erant. Prius autem erant solum receptivae accidentium: et non sustentativae eorundem. Post separationem igitur tam dimensiones quam reliqua accidentia remanent sine subiecto sustentante. Et inter dimensiones et alia accidentia hoc interest, quod accidentia alia retinent subiectum receptivum, scilicet ipsas dimensiones: ipsa vero quantitas caret etiam receptivo. – Sed ubi quantitati collatus ponitur modus substantiae, ipsa quidem nec sustentativo eget, quoniam est per modum substantiae: reliquorum vero accidentium ipsa est et receptivum et sustentativum; receptivum quidem ex se, sustentativum vero ex acquisito modo substantiae.

Tertio differunt *secundum actionem.* Quia sola conservatio non constituit activum substantiae et per modum

substantiae. – Sed modus essendi per modum substantiae constituit activum *ut quod* respectu omnis producibilis cuius ibi salvatur activum *ut quo.*

Quarto differunt *quoad passionem,* seu *potentiam passivam.* Quoniam per solam conservationem non acquirunt novam aliquam potentiam passivam. – Sed si collatus ponitur modus substantiae, collata consequenter ponitur vis atque potentia substantiae, ut possit scilicet inde fieri quidquid posset ex substantia si esset.

III. Quod rationabilior autem sit opinio ponens conferri dimensionibus modum vimque substantiae, ex duobus apparet. Primo, quia sic salvantur naturaliter omnes quae ad sensum apparent mutationes a naturalibus agentibus circa Eucharistiam. Nam, supposito hoc uno miraculo, quaecumque fiunt, naturaliter salvantur ac si fierent in substantia: quoniam supponitur *vice-substantia,* quantitas scilicet habens modum, vim proprietatemque substantiae.

Secundo apparet, quia non est hic affirmandum miraculum quod non sequatur ex consecratione: et paucitas miraculorum praeeligenda est potius quam multitudo. Sed, sic ponendo, unum solum miraculum ponitur, quod etiam consecrationi est annexum. Nam ad sensum convincitur quod ex speciebus illis educibilis est de potentia ad actum per agens naturale raritas. Quae non est educibilis de potentia dimensionum et reliquorum accidentium ibi existentium nisi sicut medio: quoniam constat raritatem educi de potentia materiae parvificabilis sub amplioribus dimensionibus. Ex eo enim quod ibi non est materia, nisi ponatur aliquid vice materiae, oportet dicere aut huiusmodi species non esse rarefactibiles: aut, per agens naturale educi raritatem de potentia ad actum absque aliquo ex quo sit educibilis raritas de potentia ad actum; quod non est intelligibile absque novo miraculo. – Et hinc quoque apparet soliditas huius opinionis: dum unico miraculo salvat omnia apparentia, et naturalitatem omnium actionum et passionum.

Nec immediata conservatio horum a Deo prohibet corruptionem naturalem eorundem: quoniam non plus ex immediata conservatione manutenentur quam cum mediante substantia conservantur. Est enim conservatio Dei *suavis* rebus conservatis *. Et ideo non conservatio divina, sed res conservata succumbit agenti naturali corrumpenti.

* Cf. *Sap.* cap. viii, vers. 1.

IV. Nec oportet sollicitum esse circa entitatem praedictorum *, scilicet modi essendi, proprietatis, vis virtutisque substantiae. Ipsa siquidem res de genere accidentium, puta quantitas cum suo esse, fit a Deo vis virtusque substantiae, habens actum modumque substantiae.

* Num. i, *Altera.*

Manifestatur autem hoc esse non solum possibile, sed rationabile, discurrendo per ea quae apparent, et opinata in philosophia. Videmus in primis in elementis quaedam non semina, sed proportionalia seminibus, cum generantur animalia ex putrefactione. Videmus quoque imperfectissima entia, qualia sunt semina, vicem gerere perfectorum animalium, cum generantur animalia perfecta per propagationem. Opinamur quoque dari proportionalia membra: puta in carentibus corde, aliquid proportionale loco cordis. Credimus quoque lumen effici vim astri illius in quo recipitur, puta lunae. Tenent multi, ut infra * patebit, accidentia propria esse vires ipsas substantiarum. Ex quibus omnibus, si adverterimus quantitatem esse rem propinquae et quasi proportionalis naturae cum materia, non apparebit impossibile, aut a ratione alienum, quod ipsamet res quae est quantitas fiat *vice-materia* et sit, ac suppleat materiae officium, velut quoddam proportionale materiae, sicut proportionale cordi facit officium cordis. Nec oportet aliam entitatem quaerere. Quoniam sicut accidentia fluentia a principiis essentialibus substantiae, ex hoc ipso quod a principiis illis fluunt, sunt non solum accidentia, puta calor, sed sunt vis et virtus substantiae, ita quod possunt producere substantiam, ut inferius * amplius patebit (quamvis quidam sentiant contrarium): ita quantitas Eucharistiae potest sortiri a suprema omnium substantiarum ut ipsamet quantitas sit vice-substantia, etc. Multo enim vehementioris ac intimioris efficaciae est primae substantiae actio quam quicumque fluxus accidentis a principiis substantialibus subiecti.

* Num. vi. - Vide art. 8, ad 1.

* Art. 5.

Hic est ergo modus quo facillime, absque multiplicatione tam miraculorum quam entitatum, salvantur apparentia circa accidentia Eucharistiae inter agendum et patiendum.

V. Quibus praelibatis, ad singula descendendo, perspice in primo articulo huius litterae, in responsione ad quartum, primum quod diximus *: scilicet quod accidens transit de *quo est* in *quod est,* et est deinceps compositum ex *quod est* et *quo est.*

* Num. ii.

Perspice secundo, in articulo secundo, in responsione ad primum, quantitatem transire de subiecto medio in recipiendo, in subiectum in sustentando *.

* Cf. ibid., *Secundo.*

Perspice tertio, in articulo tertio, in responsione ad tertium, id quod diximus * de accidentibus fluentibus a substantia.

* Num. praeced.

VI. Sed occurrunt in hoc loco duo intolerabilia Scoto, in xii distinctione * Quarti. Primum est quod forma substantialis geniti non fit immediate a forma substantiali generantis. – Secundum est quod qualitates agunt in virtute formae substantialis, producendo substantiam.

* Qu. iii.

Et Scotus quidem longum circa haec processum facit. Ego autem, quia de sacramentis tracto, et huiusmodi disputatio non est necessaria ad sacramenti notitiam, pertranseundum censeo, declarando tamen sensum Auctoris. Quem noluit forte intelligere Scotus: quoniam, si illum intellexisset, non sic arguisset.

Cum dicimus qualitates agere in virtute formae substantialis, non somniamus rem aliam, absolutam aut respectivam, sed ipsam qualitatem esse virtutem illius substantiae: sicut dicimus semen esse virtutem generantis. Et propterea sicut, conservato semine, semen bovis generat bovem, et semen hominis generat hominem, procul dubio in virtute hominis a quo fluxit, *sol* enim *et homo generant hominem,* ut dicitur II *Physic.* *; et tamen non oportet semen illud subordinari defuncto homini ita quod referatur ad illum aut moveatur ab illo, sat est enim servari sicut fluxit ab illo: ita qualitas vini conversi in sanguinem Christi, quia erat virtus vini, si (pro *quia*) conservatur sicut erat, productiva est vini; converteret enim guttam aquae in vinum, non minus quam si substantia vini subesset. Nec oportet subordinari vino converso, nec moveri ab illo: sed dicitur agere in virtute illius, quia est virtus quae fluxit ab ipso. Sed haec metaphysicis resolutionibus reservemus.

* Cap. ii, n. 11. - S. Th. lect. iv.

VII. Reliqua quae supra * diximus, in articulo quinto et octavo clare habentur.

* Num. ii, *Tertio, Quarto.*

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM IN HOC SACRAMENTO QUANTITAS DIMENSIVA PANIS VEL VINI SIT ALIORUM ACCIDENTIUM SUBIECTUM

IV *Sent.*, dist. XII, qu. I, art. 1, qu^a 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LXIII, LXV; *Quodl.* VII, qu. IV, art. 3; *In Matth.*, cap. XXVI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. V.

* Vid. Comment. Caiet. post art. 1.



AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod in hoc sacramento quantitas dimensiva panis vel vini non sit aliorum accidentium subiectum. *Accidentis* enim [α] *non est accidens* *: nulla enim forma potest esse subiectum, cum subiici pertineat ad proprietatem materiae. Sed quantitas dimensiva est quoddam accidens. Ergo quantitas dimensiva non potest esse subiectum aliorum accidentium.

* Cf. Aristot. *Metaphys.* lib. III, cap. IV, n. 14, 15. - S. Th. lib. IV, lect. VII.

2. PRAETEREA, sicut quantitas individuatur ex substantia, ita etiam et alia accidentia. Si ergo quantitas dimensiva panis aut vini remanet individuata secundum esse prius habitum, in quo conservatur, pari ratione et alia accidentia remanent individuata secundum esse quod prius habebant in substantia. Non ergo sunt in quantitate dimensiva sicut in subiecto: cum omne accidens individuetur per suum subiectum.

3. PRAETEREA, inter alia accidentia panis et vini quae remanent, deprehenduntur etiam sensu rarum et densum. Quae non possunt esse in quantitate dimensiva praeter materiam existente [β]: quia rarum est quod habet parum de materia sub dimensionibus magnis; densum autem quod habet multum de materia sub dimensionibus parvis, ut dicitur in IV *Physic.* * Ergo videtur quod quantitas dimensiva non [γ] possit esse subiectum accidentium quae remanent in hoc sacramento.

* Cap. IX, n. 6, 7; s. Th. lect. XIV. - Cf. *de Caelo*, lib. III, cap. I, n. 10; s. Th. lect. III.

4. PRAETEREA, quantitas a subiecto separata videtur esse quantitas mathematica, quae non est subiectum qualitatum sensibilium. Cum ergo accidentia quae remanent in hoc sacramento sint sensibilia, videtur quod non possint esse in hoc sacramento sicut in subiecto in quantitate [δ] panis et vini remanente post consecrationem.

SED CONTRA EST quod qualitates non sunt divisibiles nisi per accidens, scilicet ratione subiecti. Dividuntur autem qualitates remanentes in hoc sacramento per divisionem quantitatis dimensivae: sicut patet ad sensum. Ergo quantitas dimensiva est subiectum accidentium quae remanent in hoc sacramento.

RESPONDEO DICENDUM quod necesse est dicere accidentia alia quae remanent in hoc sacramento, esse sicut in subiecto in quantitate dimensiva panis vel vini remanente. Primo quidem, per hoc quod ad sensum apparet aliquod quantum esse ibi coloratum et aliis accidentibus affectum: nec in talibus sensus decipitur.

Secundo, quia prima dispositio materiae est quantitas dimensiva: unde et Plato posuit primas differentias materiae *magnum* et *parvum* *. Et quia primum subiectum est materia, consequens est quod omnia alia accidentia referantur ad subiectum mediante quantitate dimensiva, sicut et primum subiectum coloris dicitur superficies * esse: ratione cuius quidam posuerunt dimensiones esse substantias corporum, ut dicitur in III *Metaphys.* * Et quia, subtracto subiecto, remanent accidentia secundum esse quod prius habebant, consequens est quod omnia accidentia remanent fundata super quantitatem dimensivam.

* Cf. Arist. *Physic.* lib. I, cap. IV, n. 1; s. Th. lect. VIII: *Metaphys.* lib. I, cap. VII, n. 2; s. Th. lect. XI.

* D. 1145.

* S. Th. lect. XIII. - Did. lib. II, cap. V.

Tertio quia, cum subiectum sit principium individuationis accidentium, oportet id quod ponitur aliquorum accidentium subiectum esse [ε], aliquo modo esse individuationis principium. Est enim de ratione individui quod non possit in pluribus esse. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo, quia non est natum in aliquo esse: et hoc modo formae immateriales separatae, per se subsistentes, sunt etiam per seipsas individuae. Alio modo, ex eo quod forma substantialis vel accidentalis est quidem nata in aliquo esse, non tamen in pluribus: sicut haec albedo, quae est in hoc corpore. Quantum igitur ad primum, materia est individuationis principium omnibus formis inhaerentibus: quia, cum huiusmodi formae, quantum est de se, sint natae in aliquo esse sicut in subiecto, ex quo aliqua earum recipitur in materia, quae non est in alio, iam nec ipsa forma sic existens potest in alio esse. Quantum autem ad secundum, dicendum est quod individuationis principium est quantitas dimensiva. Ex hoc enim aliquid est natum esse in uno solo, quod illud est in se indivisum et divisum ab omnibus aliis *. Divisio autem accidit substantiae ratione quantitatis, ut dicitur in I *Physic.* * Et ideo ipsa quantitas dimensiva est quoddam individuationis principium huiusmodi formis, inquantum scilicet diversae formae numero sunt in diversis partibus materiae. Unde ipsa quantitas dimensiva secundum se habet quandam individuationem: ita quod possumus imaginari plures lineas [ζ] eiusdem speciei differentes positione, quae cadit in ratione quantitatis huius [η]; convenit enim dimensioni quod sit *quantitas positionem ha-*

* D. 728.

* Cf. cap. II, n. 10, 13. - S. Th. lect. III.

α) *Accidentis enim..* – *Subiectum enim accidentis* P.
β) *existente.* – P; *existentem.*
γ) *non.* – DsBEH et *a*; ante *Ergo* ponunt PIsG et *c*, om. ceteri.
δ) *quantitate.* – *dimensiva* addunt F et tertia.
ε) *esse.* – Om. *a*; statim om. tertia.
ζ) *lineas.* – *separatas* addit P; *Alias non habetur ly separatas* margo P.
η) *quantitatis huius.* – *quantitatis huiusmodi* CDE*abc*, *huius quantitatis* PI.

* Aristot. *Categ.* cap. IV, n. 1.

bens *. Et ideo potius quantitas dimensiva potest esse subiectum aliorum accidentium quam e converso.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod accidens per se non potest esse subiectum alterius accidentis: quia non per se est. Secundum vero quod est in alio, unum accidens dicitur esse subiectum alterius, inquantum unum accidens recipitur in subiecto alio mediante: sicut superficies dicitur esse subiectum coloris. Unde, quando accidenti datur divinitus ut per se sit, potest etiam per se alterius accidentis esse subiectum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod alia accidentia, etiam secundum quod erant in substantia panis, individuabantur mediante quantitate dimensiva, sicut dictum est *. Et ideo potius quantitas dimensiva est subiectum aliorum accidentium remanentium in hoc sacramento quam e converso.

* In corpore.

AD TERTIUM DICENDUM quod rarum et densum sunt quaedam qualitates consequentes corpora ex hoc quod habent multum vel parum de materia sub dimensionibus: sicut etiam omnia alia accidentia consequuntur ex principiis substantiae. Et [θ] sicut, subtracta substantia, divina virtute conservantur alia accidentia; ita, subtracta materia, divina virtute conservantur qualitates materiam consequentes, sicut rarum et densum.

AD QUARTUM DICENDUM quod quantitas mathematica [ι] non abstrahit a materia intelligibili, sed a materia sensibili, ut dicitur VII *Metaphys.* * Dicitur autem materia sensibilis ex hoc quod subiicitur sensibilibus qualitatibus. Et ideo manifestum est quod quantitas dimensiva quae remanet in hoc sacramento sine subiecto, non est quantitas mathematica.

* S. Th. lect. x. - Did. lib. VI, cap. x, n. 13.

θ) *Et.* – *Et ideo* P.

ι) *mathematica.* – Tertia praeter I; *dimensiva.* – Pro *abstrahit*, *abstrahitur* GH*abc*, *obstabit* C.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SPECIES QUAE REMANENT IN HOC SACRAMENTO, POSSINT IMMUTARE ALIQUOD EXTRINSECUM

IV *Sent.*, dist. XII, qu. I, art. 2, qu[a] 1, 2; *Respp. ad Lector. Venet.*, resp. XXXV.

* Vid. Comment. Caiet. post art. 1.


AD TERTIUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod species quae remanent in hoc sacramento, non possint immutare aliquod extrinsecum. Probatur enim in VII *Mephysic.* * quod formae quae sunt in materia, fiunt a formis quae sunt in materia, non autem a formis quae sunt sine materia: eo quod simile agit sibi simile. Sed species sacramentales sunt species sine materia: quia [α] remanent sine subiecto, ut ex dictis * patet. Non ergo possunt immutare materiam exteriorem, inducendo aliquam formam.

* S. Th. lect. VII. - Did. lib. VI, cap. VIII, n. 5 sqq.

* Art. 1.

2. PRAETEREA, cessante actione primi [β] agentis, necesse est quod cesset actio instrumenti: sicut, quiescente fabro, non movetur martellus. Sed omnes formae accidentales agunt instrumentaliter in virtute formae substantialis tanquam principalis agentis. Cum ergo in hoc sacramento non remaneat forma substantialis panis et vini, sicut supra * habitum est, videtur quod formae accidentales remanentes agere non possunt ad immutationem exterioris materiae.

* Qu. LXXV, art. 6.

3. PRAETEREA, nihil agit extra [γ] suam speciem: quia effectus non potest esse potior causa. Sed species sacramentales omnes sunt accidentia. Non ergo possunt exteriorem materiam immutare, ad minus ad formam substantialem.

SED CONTRA EST quod, si non possent immutare exteriora corpora, non possent sentiri: sentitur enim aliquid per hoc quod immutatur sensus a sensibili, ut dicitur II *de Anima* *.

* Cap. VII, n. 6; cap. XII, n. 1. - S. Th. lect. XV, XXIV.

RESPONDEO DICENDUM quod, quia unumquodque agit inquantum est ens actu *, consequens est quod unumquodque, sicut se habet ad esse, ita se habet ad agere. Quia igitur, secundum praedicta *, speciebus sacramentalibus datum est divina virtute ut remaneant in suo esse quod habebant substantia panis et vini existente, consequens est quod etiam remaneant in suo agere. Et ideo omnem actionem quam poterant agere substantia panis et vini existente, possunt etiam agere substantia panis et vini transeunte in corpus et sanguinem Christi *. Unde non est dubium quod possunt immutare exteriora corpora.

* Aristot. *Metaphys.* lib. VIII, cap. VIII, n. 3. - S. Th. lib. IX, lect. VII.

* Art. 1, ad 3.

* D. 65.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod species sacramentales, licet sint formae sine materia existentes, retinent tamen idem esse quod habebant prius in materia. Et ideo secundum suum esse assimilantur formis quae sunt in materia.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ita actio formae accidentalis dependet ab actione formae substantialis, sicut esse accidentis dependet ab esse substantiae. Et ideo, sicut divina virtute datur speciebus sacramentalibus ut possint esse sine substantia, ita datur eis ut possint agere sine forma substantiali, virtute Dei, a quo sicut a primo agente dependet omnis actio formae et substantialis et accidentalis.

AD TERTIUM DICENDUM quod immutatio quae est ad formam substantialem, non fit a forma substantiali immediate, sed mediantibus qualitatibus

α) *quia.* – Tertia praeter H; *quae.*
β) *primi.* – *principalis* PI.

γ) *extra.* – *ultra* PI.

activis et passivis, quae agunt in virtute formae substantialis. Haec autem virtus instrumentalis conservatur in speciebus sacramentalibus divina virtute sicut et prius erat. Et ideo possunt agere ad formam substantialem instrumentaliter: per quem modum aliquid potest agere ultra suam speciem, non quasi virtute propria, sed virtute principalis agentis *.

* D. 92.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM SPECIES SACRAMENTALES CORRUMPI POSSINT

IV *Sent.*, dist. XII, qu. I, art. 2, qu^a 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LXVI; *Respp. ad Lect. Venet.*, resp. XXXV.

* Vide Comment. Caiet. post art. 1.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod species sacramentales corrumpi non possunt. Corruptio enim accidit per separationem formae a materia. Sed materia panis non remanet in hoc sacramento, ut ex supra * dictis patet. Ergo huiusmodi species non possunt corrumpi.

* Qu. LXXV, art. 4, 8.

2. PRAETEREA, nulla forma corrumpitur nisi per accidens, corrupto subiecto: unde formae per se subsistentes incorruptibiles sunt, sicut patet in substantiis spiritualibus. Sed species sacramentales sunt formae sine subiecto. Ergo corrumpi non possunt.

3. PRAETEREA, si corrumpuntur, aut hoc erit naturaliter, aut miraculose. Sed non naturaliter: quia non est ibi assignare aliquod corruptionis subiectum, quod maneat corruptione terminata. Similiter etiam nec miraculose: quia miracula quae sunt in hoc sacramento, fiunt virtute consecrationis, per quam species sacramentales conservantur; non est autem idem causa conservationis et corruptionis. Ergo nullo modo species sacramentales corrumpi possunt.

SED CONTRA EST quod sensu deprehenditur hostias [α] consecratas putrefieri et corrumpi.

RESPONDEO DICENDUM quod corruptio est *motus ex esse in non esse* *. Dictum est autem supra ** quod species sacramentales retinent idem esse quod prius habebant substantia panis et vini existente. Et ideo, sicut esse horum accidentium poterat corrumpi substantia panis et vini existente, ita etiam potest corrumpi illa substantia abeunte.

* Aristot. *Physic.* lib. V, cap. II, n. 7. – S. Th. lect. II.
** Art. 3.

Poterant autem huiusmodi accidentia primo corrumpi dupliciter: uno modo, per se; alio modo, per accidens. Per se quidem, sicut per alterationem qualitatum, et augmentum vel diminutionem quantitatis: non quidem per modum augmenti vel diminutionis, qui invenitur in solis corporibus animatis, qualia non sunt substantia panis et vini, sed per additionem [β] vel divisionem *; nam, sicut dicitur in III *Metaphys.* **, per divisionem una dimensio corrumpitur et fiunt duae, per additionem autem e converso ex duabus fit una. Et per hunc modum manifeste possunt corrumpi huiusmodi accidentia post consecrationem: quia et ipsa quantitas dimensiva remanens potest divisionem et additionem recipere; et, cum sit subiectum qualitatum sensibilium, sicut dictum est *, potest etiam esse subiectum alterationis eorum [γ], puta si alteretur color aut sapor panis aut vini.

* D. 515.
** S. Th. lect. XIII. – Did. lib. II, cap. V, n. 10.
* Art. 2.

Alio modo poterant corrumpi per accidens, per corruptionem subiecti. Et hoc modo possunt corrumpi etiam post consecrationem. Quamvis enim subiectum non remaneat, remanet tamen esse quod habebant huiusmodi accidentia in subiecto, quod quidem est proprium et conforme subiecto. Et ideo huiusmodi esse potest corrumpi a contrario agente, sicut corrumpebatur substantia panis vel vini: quae etiam non corrumpebatur nisi praecedente alteratione circa accidentia.

Distinguendum tamen est inter utramque praedictarum corruptionum. Quia, cum corpus Christi et sanguis succedant in hoc sacramento substantiae panis et vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium quae non suffecisset ad corruptionem panis et vini, propter talem immutationem non desinit corpus et sanguis Christi esse sub hoc sacramento: sive fiat immutatio ex parte qualitatis, puta cum modicum immutatur color aut sapor vini aut panis; sive ex parte quantitatis, sicut cum dividitur panis aut vinum in tales partes quod adhuc in eis possit salvari natura panis aut vini. – Si vero fiat tanta immutatio quod fuisset corrupta substantia panis aut vini, non remanent corpus et sanguis Christi sub hoc sacramento. Et hoc tam [δ] ex parte qualitatum, sicut cum ita immutatur color et sapor et aliae qualitates panis aut vini quod nullo modo posset compati natura [ε] panis aut vini: sive etiam ex parte quantitatis, puta si pulverizetur panis, vel vinum in minimas [ζ] partes dividatur, ut iam non remaneant species panis vel vini.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quia ad corruptionem per se pertinet quod auferatur esse rei [η] inquantum esse alicuius formae est in materia, consequens est quod per corruptionem separetur forma a materia. Si vero huiusmodi esse

α) *hostias.* – PsB; *post consecrationem hostias* sD, *post hostias* ceteri.
β) *additionem.* – EF et tertia; *diminutionem.*
γ) *eorum.* – *earum* tertia.
δ) *tam.* – *tamen* F*b*, *sive* P.
ε) *posset compati natura.* – *posset hoc pati natura b, possent compati naturam* P; *quod nullo... aut vini* om. HI.
ζ) *minimas.* – *tam minimas c, tam minutas* P. – Pro *remaneant, remaneat* F et tertia praeter H.
η) *quia ad corruptionem... auferatur esse rei.* – *ad corruptionem... auferat esse rei. Unde* PFIsG; *auferat* etiam HpG et *bc.*

non esset in materia, simile tamen ei quod est in materia, posset per corruptionem auferri etiam materia non existente: sicut accidit in hoc sacramento, ut ex dictis * patet.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod species sacramentales, licet sint formae non in materia, habent tamen esse quod prius in materia habebant.

Ad tertium dicendum quod corruptio illa specierum non est miraculosa, sed naturalis: praesupponit tamen miraculum * quod est factum in consecratione, scilicet quod illae species sacramentales retineant esse sine subiecto quod prius habebant in subiecto; sicut et caecus miraculose illuminatus naturaliter videt *.

* D. 23.

* D. 27.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo quarto, ubi de corruptione horum accidentium agitur, perspice caute Auctorem loqui de eorum accidentium corruptione per modum termini. Et hoc tam cum corrumpuntur quasi ad corruptionem subiecti, hoc est, sicut corrumperentur ad corruptionem subiecti; quam cum corrumpuntur directe, seu per se. Hoc enim perspiciendo, clara reddetur littera, tam in corpore quam in responsione ad primum, ubi separationem formae a materia quasi per accidens in termino corruptionis ponit, quia annectitur dicta separatio deperditioni sui esse in materia. Hinc enim surgit quod, quia esse illud, etiam sequestratum a materia, est corruptibile ut prius, quia retinet naturam priorem: – ut terminare corruptionem possit sine separatione formae a materia, quae non est. Et similiter, quia huiusmodi esse sic separatur, et separatum conservatur, ut proprium erat et conforme subiecto, puta pani vel vino; ita potest terminative corrumpi quasi ad corruptionem subiecti, sicut prius, ut in corpore articuli dicitur.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM EX SPECIEBUS SACRAMENTALIBUS ALIQUID POSSIT GENERARI

IV *Sent.*, dist. xii, qu. 1, art. 2, qu^a 4; IV *Cont. Gent.*, cap. lxvi; *Quodl.* IX, art. 5, ad 3; I *ad Cor.*, cap. xi, lect. iv.

* Vid. Comment. Caiet. post art. 1.

Ad quintum sic proceditur *. Videtur quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari. Omne enim quod generatur, ex aliqua materia generatur: ex nihilo enim nihil generatur, quamvis ex nihilo fiat aliquid per creationem. Sed speciebus sacramentalibus non subest aliqua materia nisi corporis Christi, quod est incorruptibile. Ergo videtur quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari.

2. Praeterea, ea quae non sunt unius generis, non possunt ex invicem fieri: non enim ex albedine fit linea. Sed accidens et substantia differunt genere. Cum ergo species sacramentales sint accidentia, videtur quod ex eis non possit aliqua substantia generari.

3. Praeterea, si ex eis generatur aliqua substantia corporea, non [α] erit sine accidente. Si ergo ex speciebus sacramentalibus generatur aliqua substantia corporea, oportet quod ex accidente generetur substantia et accidens, duo scilicet ex uno: quod est impossibile. Ergo impossibile est quod ex speciebus sacramentalibus aliqua substantia corporea generetur.

Sed contra est quod ad sensum videri potest ex speciebus sacramentalibus aliquid generari: vel cinerem, si comburantur; vel vermes, si putrefiant; vel pulverem [β], si conterantur.

Respondeo dicendum quod, cum *corruptio unius sit generatio alterius,* ut dicitur in I *de Generat.* *, necesse est quod ex speciebus sacramentalibus aliquid generetur, cum corrumpantur, ut dictum est *. Non enim sic corrumpuntur ut omnino dispareant [γ], quasi in nihilum redigantur: sed manifeste aliquid sensibile eis succedit.

* Cap. iii, n. 7; s. Th. lect. vii. – Cf. *Physic.* lib. III, cap. viii, n. 1, s. Th. lect. xiii; *de Part. Animal.* lib. I, cap. 1; *de Generat. Anim.* lib. II, cap. 1.
* Art. 4.

Quomodo autem ex eis aliquid generari possit, difficile est videre. Manifestum est enim quod ex corpore et sanguine Christi, quae ibi veraciter sunt, non generatur aliquid: cum sint incorruptibilia. Si autem substantia panis aut vini remaneret in hoc sacramento, vel eorum materia, facile esset assignare quod ex eis generatur illud sensibile quod succedit, ut quidam posuerunt. Sed hoc est falsum, ut supra * habitum est.

* Qu. lxxv, art. 2, 4, 8.

Et ideo quidam dixerunt quod ea quae generantur, non fiunt ex speciebus sacramentalibus, sed ex aere circumstante. – Quod quidem multipliciter apparet esse impossibile. Primo quidem, quia ex eo generatur aliquid quod prius alteratum et corruptum apparet. Nulla autem alteratio et corruptio prius apparuit in aere circumstante. Unde ex eo vermes aut cineres non generantur. – Secundo, quia natura aeris non est talis quod ex eo per tales alterationes talia generentur. – Tertio, quia potest contingere in magna quantitate hostias consecratas comburi vel putrefieri: nec esset possibile tantum de corpore terreo [δ] ex aere generari, nisi magna et etiam valde sensibili inspissatione aeris facta. – Quarto, quia idem potest accidere corporibus solidis circumstantibus, puta ferro aut lapidibus: quae integra remanent post praedictorum generationem. – Unde haec positio stare non potest: quia contrariatur ei quod ad sensum apparet.

Et ideo alii * dixerunt quod redit substantia panis et vini in ipsa corruptione specierum, et sic ex substantia panis et vini redeunte generantur cineres aut vermes aut aliquid huiusmodi. – Sed haec positio non videtur esse possibilis. Primo quidem quia, si substantia panis et vini con-

* Cf. Innoc. III, *de S. Altar. Myster.* lib. IV, cap. xi; Halens. *Summ.* lib. IV, qu. x, m. 7, art. 2, § 2; S. Bonavent., IV *Sent.*, dist. xii, p. 1, art. 2, qu. 1.

α) *non.* – *illa substantia non* PI; *Praeterea... accidente* om. H.
β) *cinerem... pulverem.* – *cineres... pulveres* editiones.
γ) *dispareant.* – Ita plene *ac*; *dispereant* Pb, ambigui codices.
δ) *terreo.* – *terreno* Da et editiones, *terrea* I, om. HpG. – Pro *et etiam*, *et* PsI, om. pI, *vel etiam* ceteri.

* Qu. LXXV, art. 2, 4. versa est in corpus et sanguinem, ut supra * habitum est, non potest substantia panis vel vini redire [ε] nisi corpore aut sanguine Christi iterum converso in substantiam panis et vini, quod est impossibile: sicut, si aer sit conversus in ignem, non potest aer redire nisi iterum ignis convertatur in aerem. Si vero substantia panis aut vini sit annihilata, non potest iterum redire, quia quod in nihilum decidit, non redit idem numero: nisi forte dicatur redire praedicta substantia, quia Deus de novo creat novam [ζ] substantiam loco primae. – Secundo videtur hoc esse impossibile, quia non est dare quando substantia panis redeat. Manifestum est enim ex supra * dictis quod, manentibus speciebus [η] panis et vini, manet corpus et sanguis Christi, quae non sunt simul cum substantia panis et vini in hoc sacramento, secundum praehabita *. Unde substantia panis et vini non potest redire, speciebus sacramentalibus manentibus. Similiter etiam nec eis cessantibus: quia iam substantia panis et vini esset sine propriis accidentibus, quod est impossibile. – Nisi forte dicatur quod in ipso ultimo instanti corruptionis specierum redit, non quidem substantia panis et vini, quia illud idem instans est in quo primo habent esse substantiae generatae ex speciebus: sed materia panis et vini magis quasi [θ] de novo creata diceretur quam rediens *, proprie loquendo. Et secundum hoc, posset sustineri praedicta positio.

* Art. praeced.; qu. LXXVI, art. 6, ad 3.

* Qu. LXXV, art. 2.

* Cf. Petr. Tarantas., IV Sent., dist. XII, qu. III, art. 2.

Verum, quia non [ι] rationabiliter videtur dici quod miraculose aliquid accidit in hoc sacramento nisi ex ipsa consecratione, ex qua non est quod materia creetur vel redeat; melius videtur dicendum quod in ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensivae panis et vini quod sit primum subiectum subsequentium formarum. Hoc autem est proprium materiae. Et ideo ex consequenti datur praedictae quantitati dimensivae omne id quod ad materiam pertinet. Et ideo quidquid posset generari ex materia panis si esset [κ], totum potest generari ex praedicta quantitate dimensiva panis vel vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti *. * D. 23.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis non sit ibi materia ex qua aliquid generetur, quantitas tamen dimensiva supplet vicem materiae, ut dictum est *. * In corpore.

Ad secundum dicendum quod illae species sacramentales sunt quidem accidentia, habent tamen actum et vim substantiae, ut dictum est *. * Ibid., et art. 3.

Ad tertium dicendum quod quantitas dimensiva panis et vini et retinet naturam propriam, et accipit miraculose vim et proprietatem substantiae. Et ideo potest transire in utrumque, idest in substantiam et dimensionem.

ε) *redire.* – PEsG; *remanere.* – *converso* DIa et editiones; *conversis* F, *conversa* ceteri.
ζ) *novam.* – *aliam novam* tertia, om. *a.*
η) *speciebus.* – Fa et tertia; *speciebus scilicet.*
θ) *magis quasi.* – *quae magis* P; *als' sed materia panis magis, quasi de novo creata, etc.* margo P.
ι) *non.* – EF et tertia; ante *accidit* ponit *a*, om. ceteri.
κ) *si esset.* – *vel vini si esset* (*adesset* P) Pa.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo quinto, in quo fere omnia supra * dicta continentur, adverte, in responsione ad tertium, tres esse opiniones de modo quo in instanti generationis novae substantiae ex speciebus sacramentalibus fit materia: vel per creationem; vel per reparationem; vel per conversionem *. Et multi quidem tenent quod per creationem redit materia. Et ratio affertur a Petro de Palude *, quia nullum fit propterea opus novum, quod scilicet non fuerit factum in operibus sex dierum. Nam creatio antiquum opus est, et continue admiscetur in generatione hominis.

* Art. 1, Comment.

* Cf. num. seq.

* IV Sent., dist. XII, qu. IV, art. 2, conclus. 3. – Cf. num. III.

Auctori autem haec via non placet, ut patet in corpore huius articuli: quia ex ipsa consecratione non est ut materia creetur vel recreetur.

II. Et propterea tenet aliam viam, scilicet quod per modum conversionis, seu transitionis, quantitas transit in materiam: ita quod virtute primi miraculi datum est quantitati ut sit vice-materia durante sacramento, et in termino sacramenti, hoc est in primo non-esse sacramenti, sit vere materia; quemadmodum in politicis princeps unico imperio constitueret aliquem proconsulem vivente consule, ita quod in obitu consulis sit consul.

Nec propterea putes sentire Auctorem quod agens naturale faciat de dimensionibus materiam. Hoc enim stultum est: quoniam agens naturale non facit primum subiectum suae actionis, sed supponit illud. Sed perspiciendum est quod agens naturale agit in vice-materiam, disponendo illam, tanquam si esset materia, ad formam substantiae generandae: et hoc usque ad instans generationis exclusive. In instanti autem generationis, quod est primum non-esse sacramenti, dimensio, actione divina, virtute primi miraculi, transit in materiam dispositam pro forma illa ac si praefuisset. Et sic in eodem instanti naturale agens introducit in illam formam substantialem cum quantitate simili priori immediate ante illud existenti. – Et sic inveniuntur consonare omnia reliquis generationibus naturalibus. Nam naturale agens generando et agit in quantum usque ad instans generationis; et in instanti generationis attingit nudam essentiam materiae, educendo de illa formam substantialem, et generando compositum de genere substantiae, corrumpendoque vice-panem; ut sic semper *generatio unius sit corruptio alterius* *, et e contra.

* Aristot. Physic. lib. III, cap. VIII, n. 1, s. Th. lect. XIII; de Gen. et Corr. lib. I, cap. III, n. 7, s. Th. lect. VII; de Part. Animal., lib. I, cap. I; de Gen. Animal., lib. II, cap. I.

Ultra autem rationem allatam ab Auctore, in promptu est alia ratio: scilicet quia idem debet esse patiens et quod passum est in generatione substantiali; nam eadem materia est quae disponitur ad formam ignis, et quae recipit illam. Sed secundum alias opiniones non est idem quod patitur et quod passum est: nam patitur species sacramentalis; et passum deforis venit, per creationem vel reparationem. Secundum hanc autem viam, idem est patiens et quod passum est: nam patiens est dimensio ut vice-materia; et quod passum est est ipsamet dimensio iam vera materia.

III. Ad rationem autem pro altera opinione *, dicendum est quod secundum istam viam minus ponitur de novitate: immo ponitur res simillima miraculo transubstantiationis. Quoniam transitus dimensionis vice-materiae in veram materiam facillimus est, utpote de uno proportionali in aliud: et, ut dictum est, non est opus novum, supposita transubstantiatione panis in corpus Christi. * Num. I.

Praevalet autem nostra haec opinio ex alio capite in littera allato: quia scilicet nihil ponitur quod ex vi primi miraculi non fiat. Et hoc potissimum erat considerandum.

IV. Nec fallaris in refutatione aliarum opinionum, dum in corpore huius articuli legis multa asserta impossibilia,

quae, secundum Auctoris doctrinam, possunt per divinam omnipotentiam fieri. Oportet siquidem memorem esse consuetudinis Auctoris. Consuevit siquidem in quolibet genere loqui et iudicare et asserere secundum ordinem illius generis. Et propterea, cum tractetur hic de sacramentis, possibile vel impossibile censet et asserit secundum ordinem sacramentalem, ut etiam superius * diximus. Secundum quem ordinem dicitur quod annihilatum non potest redire; et similiter quod corpus Christi non potest converti in substantiam panis et vini. Non sis ergo sollicitus ut respondeas obiicientibus Auctori quod contradicat sibi; aut quod abbreviet divinam omnipotentiam, tanquam deficientem in potentia conversiva corporis Christi in panem. Docuit enim Auctor superius * posse Deum convertere quodcumque ens creatum in quodcumque aliud creatum, propter communionem in entitate creata, etc.

* Qu. lxxv, art. 1, Comment. num. ix.

* Qu. lxxv, art. 4, ad 3.

V. Circa praedicta superest adhuc dubium, a Scoto * tractatum, circa rarefactionem specierum sacramentalium: an scilicet nova illa quantitas, seu quantitatis particula, quae per rarefactionem fit, sit naturaliter a naturali agente. Apparet enim hoc impossibile *. Tum ex parte actionis. Quia nulla actio naturalis agentis est sine subiecto. Huiusmodi autem actio, qua fit nova quantitas, est sine subiecto.

* IV *Sent.*, dist. xii, qu. iv.

* Cf. num. vii.

Tum ex parte rei actae. Quia nullum agens naturale producit formam sine subiecto omnino. Quantitas autem illa omnino caret subiecto.

Tum ex parte ordinis. Quia tota raritas est per se terminus illius alterationis, habens pro proprio subiecto totam quantitatem, sicut pars partem. Ergo tota raritas praesupponit totam quantitatem. Ergo illa quantitas est prius naturaliter maior quam ista raritas sit inducta. Non est ergo quantitas illa ab agente naturali.

Tum ex parte agentis naturalis. Quia agens naturale naturaliter requirit patiens ut con-causam materialem receptivam formae seu actus qui fit. Non est ergo absque miraculo novo quod agens naturale agat sine materia, aut cum vice-materia.

Et concludit Scotus oportere dicere vel quod quantitas ista non sit ab agente creato: vel quod agens creatum possit agere sine passo in quod agat. Et quoniam hoc secundum videtur destruere fundamenta philosophiae naturalis *, in primum declinat.

* Cf. Arist. *Physic.* lib. I, cap. ix, n. 4, s. Th. lect. xv; *de Gen. et Corr.* lib. I, cap. iv, n. 6, s. Th. lect. x.

VI. Mihi autem, Auctoris vestigia sectanti, utrumque facile evitandum apparet, tenendo quod huiusmodi extensio quantitatis sic ab agente naturali fit quemadmodum fieret si conversa substantia subesset. Ubi scito, ex philosophia Peripatetica, quod non omne quod quandoque est et quandoque non est, habet suum proprium fieri. *Quaedam* enim *sunt et non sunt absque eo quod generentur et corrumpantur* *, quoniam consequuntur generationem et corruptionem aliorum. Et de eorum numero est nova quantitatis pars quae per rarefactionem fit. Cum enim vinum rarefit, rarefaciens generat raritatem; et, nulla alia actione interveniente, raritas illa fert secum extensionem quantitatis; et non sunt ibi duae actiones, quarum una producat raritatem, et altera extendat quantitatem. Et propterea quantitas nova est absque hoc quod fiat, secundum veram philosophiam. Et simili modo species vini in Eucharistia si a sole vel igne rarefiant, extendetur quantitas consecutive a rarefaciente.

* Aristot. *Metaphys.* lib. VII, cap. v, n. 1. - S. Th. lib. VIII, lect. v.

VII. Ad primam autem obiectionem in oppositum *, iam patere potest responsio: quod nulla est opus actione sine subiecto. Quoniam sola rarefactio sufficit: rarefactio autem est subiective in quantitate, in qua est raritas.

* Num. v.

Ad secundam vero ex eadem radice respondetur quod, licet forma quae fit ab agente naturali, fiat in subiecto; quod tamen consequitur ex actione agentis naturalis, eundem potest modum essendi habere quem habet subiectum in quod tale agens agit. Et propterea, si quantitas quae rarefactione extenditur, est in subiecto, nova etiam particula erit in subiecto; et similiter, si quantitas quae rarefactione extenditur, non est in subiecto, sed est vice-subiectum, particula quoque nova erit sine subiecto et vice-subiectum; quoniam quantitas est patiens in huiusmodi alteratione. – Nec intelligas particulam quantitatis novam esse sine subiecto ex novo miraculo, vel ex hoc quod continuatur quantitati praeexistenti: sed ex hoc quod educitur de potentia dimensionis vice-materiae, ipsa vice-materia permanente. Ex vi siquidem primi miraculi, sicut datum est quantitati non solum sustinere praesentia accidentia, sed etiam omnia possibilia educi de substantia conversa ipsa manente; ita datum esse oportet ut separata existat quantumcumque extensa quanta afficere posset conversam substantiam si subesset. Unde, si species vini in tantum rarefieret ut vini substantia tantam extensionem non sufferret, desineret sacramentum, et nova substantia generaretur.

Ad tertiam dicitur quod ordo naturae est multiplex, iuxta multiplex causarum genus. Et propterea, licet quantitas, sive nova sive antiqua, sit secundum ordinem causae materialis prior raritate, ut recipiens prius dicitur recepto; secundum tamen ordinem causae tam finalis quam formalis quam agentis, raritas est prior: prius enim intendit rarefaciens raritatem quam extensionem concomitantem. – Nec est verum simpliciter et absolute quod rarefactio, seu raritas quae fit, praesupponat maiorem quantitatem: quamvis hoc sit verum secundum quid, hoc est cum ista additione, *secundum ordinem causae materialis*. Nam, simpliciter et absolute loquendo, extensio quantitatis praesupponit rarefactionem, sicut consequens id ad quod sequitur. Et rursus simpliciter et absolute dicendum est quod raritas quae fit, cum fit, fert secum receptivum suum, scilicet maiorem quantitatem. Et hoc sive rarefactio fiat in mera substantia, sive in vice-substantia.

Ad quartam dicitur falsum esse quod opus sit novo miraculo ad hoc quod agens naturale naturaliter agat in vice-subiectum seu materiam. Nihil enim refert ex parte agentis an subsit verum subiectum, aut aliquid aequivalens: quoniam de aequipollentibus eadem est ratio, et idem est iudicium. Et propterea, cum dicitur agens naturale naturaliter requirere materiam con-causantem, subintelligitur, *vel aliquid aequipollens:* quoniam, ut dictum est, par est ratio et iudicium de aequipollentibus.

Et haec de tota hac quaestione dicta sufficiant.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM SPECIES SACRAMENTALES POSSINT NUTRIRE

IV *Sent.*, dist. xii, qu. i, art. 2, qa. 5; IV *Cont. Gent.*, cap. lxvi; I *ad Cor.*, cap. xi, lect. iv.

Ad sextum sic proceditur *. Videtur quod species sacramentales non possint nutrire. Dicit enim Ambrosius, in libro *de Sacramentis* *: *Non iste panis est qui vadit in corpus: sed panis vitae aeternae, qui animae nostrae substantiam fulcit.* Sed omne quod nutrit, vadit in corpus. Ergo panis iste non nutrit. Et eadem ratio est de vino.

* Vide Comment. Caiet. post art. 1.

* Lib. V, cap. iv.

2. Praeterea, sicut dicitur in libro *de Generat.* *, *ex eisdem nutrimur ex quibus sumus.* Species autem sacramentales sunt accidentia, ex quibus homo non constat: non enim accidens est pars substantiae. Ergo videtur quod species sacramentales nutrire non possunt.

* Lib. II, cap. viii, n. 4. - Continuat. Comment. s. Th. lect. viii.

3. Praeterea, Philosophus dicit, in II *de Anima* *, quod *alimentum nutrit prout est quaedam substan-*

* Cap. iv, n. 13. - S. Th. lect. ix.

tia, auget autem prout est aliquid quantum. Sed species sacramentales non sunt substantia. Ergo non possunt nutrire.

* Vers. 21. SED CONTRA EST quod Apostolus, I *Cor.* XI *, loquens de hoc sacramento, dicit: *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est:* ubi dicit Glossa * quod *notat illos qui, post celebrationem sacri mysterii et consecrationem panis et vini, suas oblationes vindicabant, et, aliis non communicantes, sibi solis* [α] *sumebant, ita ut inde etiam inebriarentur.* Quod quidem non potest contingere si sacramentales species non nutrirent. Ergo species sacramentales nutriunt.

* Lomb. et Ord.

RESPONDEO DICENDUM quod haec quaestio difficultatem non habet, praecedenti quaestione soluta. Ex hoc enim, ut dicitur in II *de Anima* *, cibus nutrit, quod convertitur in substantiam nutriti. Dictum est autem * quod species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam quae ex eis [β] generatur. Per eandem autem rationem possunt converti in corpus humanum, per quam possunt converti in cineres vel in vermes. Et ideo manifestum est quod nutriunt.

* Cap. IV, n. 12. - S. Th. lect. IX.
* Art. 5.

Quod autem quidam * dicunt, quod non vere nutriunt, quasi in corpus humanum convertantur, sed reficiunt et confortant quadam sensuum immutatione, sicut homo confortatur ex odore cibi et inebriatur ex odore vini, ad sensum patet esse falsum. Talis enim refectio non diu sufficit homini, cuius corpus, propter continuam deperditionem, restauratione indiget. Et tamen homo diu sustentari posset, si hostias et vinum consecratum sumeret in magna quantitate.

* Alger. *de Sacrament.* lib. II, cap. 1; Gulielm. Paris. *de Eucharist.*, cap. 1, Ed. Venet. 1591.

Similiter etiam non potest stare quod quidam dicunt, quod species sacramentales nutriunt per formam substantialem panis et vini, quae remanet. Tum quia non remanet, ut supra * habitum est. – Tum quia non est actus formae nutrire, sed magis materiae, quae accipit formam nutriti, recedente forma nutrimenti. Unde dicitur in II *de Anima* *, quod nutrimentum in principio est dissimile, in fine autem simile.

* Qu. LXXV, art. 6.
* Cap. IV. n. 10; s. Th. lect. IX. - Cf. *de Gen. et Corrupt.* lib. I, cap. V, n. 15; s. Th. lect. XVI.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, facta consecratione, dupliciter potest dici panis in hoc sacramento. Uno modo, ipsae species panis, quae retinent nomen prioris substantiae: ut Gregorius dicit, in Homilia Paschali *. Alio modo, potest dici panis ipsum corpus Christi, quod est panis mysticus *de caelo descendens* *. Ambrosius ergo, cum dicit quod *iste panis non transit in corpus*, accipit panem secundo modo: quia scilicet corpus Christi non convertitur in corpus hominis, sed reficit mentem eius. Non autem loquitur de pane primo modo dicto.

* Lanfranc., *de Corp. et Sang. Dom.*, cap XX. - Cf. can. *Species, de Consecr.*, dist. II.
* Ioan. cap. VI, vers. 50.

AD SECUNDUM DICENDUM quod species sacramentales, etsi non sint ea ex quibus corpus hominis constat, tamen in ea convertuntur, sicut dictum est *.

* In corpore.

AD TERTIUM DICENDUM quod species sacramentales, quamvis non sint substantia, habent tamen virtutem substantiae, ut dictum est *.

* Art. 3, ad 3; art. 5, ad 2.

α) *sibi solis.* – *sed soli* F, *sibi soli b, soli* cetera tertia. | β) *eis.* – FsD et editiones; *ea.*

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM SPECIES SACRAMENTALES FRANGANTUR IN HOC SACRAMENTO

IV *Sent.*, dist. XII, qu. 1, art. 3, qu[a] 1, 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LXVII; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. V.



AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod species sacramentales non frangantur in hoc sacramento. Dicit enim Philosophus, in IV *Meteor.* *, quod corpora dicuntur frangibilia propter determinatam dispositionem pororum. Quod non potest attribui sacramentalibus speciebus. Ergo sacramentales species non possunt frangi.

* Cap. IX, n. 12. - Continuat. Comment. s. Th., lect. XI.

2. PRAETEREA, fractionem sequitur sonus. Sed species sacramentales non sunt sonabiles: dicit enim Philosophus, II *de Anima* *, quod sonabile est corpus durum habens superficiem levem [α]. Ergo species sacramentales non franguntur.

* Cap. VIII, n. 1, 2. - S. Th. lect. XVI.

3. PRAETEREA, eiusdem videtur esse frangi [β] et masticari. Sed verum corpus Christi est quod manducatur: secundum illud Ioan. VI *: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem.* Ergo corpus Christi est quod frangitur et masticatur. Unde et in confessione Berengarii * dicitur: *Consentio sanctae Romanae Ecclesiae, et corde et ore profiteor panem et vinum quae in altari ponuntur, post consecrationem verum corpus et sanguinem Christi esse, et in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi et fidelium dentibus atteri.* Non ergo fractio debet attribui sacramentalibus speciebus.

* Vers. 55, 57.
* Can. *Ego Berengarius*, *de Consecr.*, dist. II.

SED CONTRA EST quod fractio fit per divisionem quanti. Sed nullum quantum ibi dividitur nisi species sacramentales: quia neque corpus Christi, quod est incorruptibile; neque substantia panis, quae non manet [γ]. Ergo species sacramentales franguntur.

RESPONDEO DICENDUM quod apud antiquos circa hoc multiplex fuit opinio. Quidam * enim dixerunt quod non erat in hoc sacramento fractio secundum rei veritatem, sed solum secundum aspectum intuentium. – Sed hoc non potest stare. Quia in hoc sacramento veritatis [δ] sensus non

* Vide Abaelard. *Epit. Theolog.*, cap. XXIX; Hug. a S. Vict., *Sum. Sent.*, tr. VI, cap. VIII.

α) *levem.* – *lenem* PAEGIa.
β) *frangi.* – *manducari frangi* P.
γ) *manet.* – *neque substantia vini* addunt editiones; *alias non habetur ly neque substantia vini* margo P.
δ) *veritatis.* – PIsG; *veritas.*

decipitur circa ea quorum iudicium ad ipsum pertinet: inter quae est fractio, per quam ex uno fiunt multa, quae quidem sunt sensibilia communia, ut patet in libro *de Anima* *.

* Lib. II, cap. vi, n. 2, 3. - S. Th. lect. xiii.

Unde alii dixerunt quod erat ibi vera fractio sine substantia existente [ε] *. – Sed hoc etiam sensui contradicit. Apparet enim in hoc sacramento aliquod quantum, prius unum existens, postea in multa partitum [ζ]: quod quidem oportet esse subiectum fractionis.

* Cf. Hug. loc. cit.

Non autem potest dici quod ipsum corpus Christi verum frangatur. Primo quidem, quia est incorruptibile et impassibile. – Secundo, quia est totum sub qualibet parte, ut supra * habitum est: quod est quidem contra rationem eius quod frangitur.

* Qu. lxxvi, art. 3.

Unde relinquitur quod fractio sit sicut in subiecto in quantitate dimensiva panis, sicut et alia accidentia. Et sicut species sacramentales sunt sacramentum corporis Christi veri, ita fractio huiusmodi specierum est sacramentum Dominicae passionis, quae fuit in corpore Christi vero.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut in speciebus sacramentalibus remanet rarum et densum, ut supra * dictum est, ita etiam remanet ibi porositas: et per consequens frangibilitas.

* Art. 2, ad 3.

Ad secundum dicendum quod densitatem sequitur duritia. Et ideo, ex quo in speciebus sacramentalibus remanet densitas, consequens est quod remaneat ibi duritia: et per consequens sonabilitas.

Ad tertium dicendum quod illud quod manducatur in propria specie, ipsummet [η] frangitur et masticatur in sua specie. Corpus autem Christi non manducatur in sua specie, sed in specie sacramentali. Unde super illud Ioannis vi *, *Caro non prodest quidquam*, dicit Augustinus *: *Hoc est* [θ] *intelligendum secundum illos qui carnaliter intelligebant. Carnem quippe sic intellexerunt quo modo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur.* Et ideo ipsum corpus Christi non frangitur, nisi secundum speciem sacramentalem. – Et hoc modo intelligenda est confessio Berengarii: ut fractio et contritio [ι] dentium referatur ad speciem sacramentalem, sub qua vere est corpus Christi.

* Vers. 64.

* In Ioan. Evang. tract. XXVII, n. 5.

ε) *sine substantia existente.* – *sine subiecto existente* PEa, *sine subiecto existens* FsG, *suae substantiae existens* I; *alias non habetur ly existente* margo P.
ζ) *partitum.* – PEFGIsD et *ab*; *partium.*
η) *ipsummet.* – *ipsumque* F, *ipsum et* P.
θ) *est.* – *esse* CDEFIsG et *a*. Pro *illos*, *illud* AB.
ι) *contritio.* – *attritio* P.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM VINO CONSECRATO POSSIT ALIQUIS LIQUOR MISCERI

IV *Sent.*, dist. xii, qu. 1, art. 2, qu[a] 6; *Quodl.* X, qu. 1, art. 3.

* Vid. Comment. Caiet. post. art. 1, num. viii.

Ad octavum sic proceditur *. Videtur quod vino consecrato non possit aliquis liquor misceri. Omne enim quod miscetur alicui, recipit qualitatem ipsius. Sed nullus liquor potest recipere qualitatem sacramentalium specierum: quia accidentia illa sunt sine subiecto, ut dictum est *. Ergo videtur quod nullus liquor possit permisceri speciebus sacramentalibus vini.

* Art. 1.

2. Praeterea, si aliquis liquor permisceatur illis speciebus, oportet quod ex his fiat aliquod unum. Sed non potest fieri aliquod unum neque ex liquore, qui est substantia, et speciebus sacramentalibus, quae sunt accidentia; neque ex liquore et sanguine Christi, qui, ratione suae incorruptibilitatis, neque additionem recipit neque diminutionem. Ergo nullus liquor potest admisceri vino consecrato.

3. Praeterea, si aliquis liquor admisceatur vino consecrato, videtur quod etiam ipsum efficiatur consecratum: sicut aqua quae admiscetur aquae benedictae, efficitur etiam benedicta. Sed vinum consecratum est vere sanguis Christi. Ergo etiam liquor permixtus esset sanguis Christi. Et ita aliquid fieret sanguis Christi aliter quam per consecrationem: quod est inconveniens. Non ergo vino consecrato potest aliquis liquor permisceri.

4. Praeterea, si duorum unum totaliter corrumpatur, non erit mixtio, ut dicitur in I *de Generat.* * Sed ad permixtionem cuiuscumque liquoris videtur corrumpi species [α] sacramentalis vini, ita quod sub ea desinat esse sanguis Christi. Tum quia magnum et parvum sunt differentiae quantitatis et diversificant ipsam, sicut album et nigrum colorem. Tum etiam quia liquor permixtus, cum non habeat obstaculum, videtur undique diffundi per totum: et ita desinit ibi esse sanguis Christi, qui non est ibi simul cum alia substantia. Non ergo aliquis liquor potest permisceri vino consecrato.

* Cap. x, n. 2. - Continuat. Comment. s. Th., lect. xxiv.

Sed contra est quod ad sensum patet alium liquorem vino permisceri posse post consecrationem, sicut et ante.

Respondeo dicendum quod istius quaestionis veritas manifesta [β] est ex praemissis. Dictum est enim [γ] supra * quod species in hoc sacramento permanentes, sicut adipiscuntur virtute consecrationis modum essendi substantiae, ita etiam adipiscuntur [δ] modum agendi et patiendi: ut scilicet

* Art. 3; art. 5, ad 2.

α) *species.* – *totalis species* CDEFa.
β) *manifesta.* – Da et tertia praeter G; *manifestata.*
γ) *enim.* – PEFsG et *a*, *autem* B, om. ceteri. Pro *permanentes*, *remanentes* tertia.
δ) *adipiscuntur.* – *consequuntur* P.

agere et pati possint quidquid ageret vel pateretur substantia si ibi praesens existeret * [D. 22.]. Manifestum est autem quod, si esset ibi substantia vini, liquor aliquis posset ei permisceri.

Huius tamen permixtionis diversus esset effectus et secundum formam liquoris, et secundum quantitatem. Si enim permisceretur aliquis liquor in tanta quantitate quod posset diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum. Quod autem est commixtum ex duobus, neutrum miscibilium est, sed utrumque transit in quoddam tertium ex his compositum. Unde sequeretur quod vinum prius existens non remaneret, si liquor permixtus esset alterius speciei [ε]. – Si autem esset eiusdem speciei liquor adiunctus, puta si vinum permisceretur vino, remaneret quidem eadem species, sed non remaneret idem numero vinum. Quod declarat diversitas accidentium: puta si unum vinum esset album, et aliud rubeum.

Si vero liquor adiunctus esset tam parvae quantitatis quod non posset perfundi per totum [ζ], non fieret totum vinum permixtum, sed aliqua pars eius. Quae quidem non remaneret eadem numero, propter permixtionem extraneae materiae. Remaneret tamen eadem specie, non solum si parvus liquor permixtus esset eiusdem speciei, sed etiam si esset alterius speciei: quia gutta aquae multo vino permixta transit in speciem vini, ut dicitur in I *de Generatione* * [Cap. v, n. 11; s. Th. lect. xiv. – Cf. cap. v, n. 16; s. Th. lect. xvi.].

Manifestum est autem ex praedictis * [Art. 4; qu. LXXVI, art. 6, ad 3.] quod corpus et sanguis Christi remanent in hoc sacramento quandiu illae species manent eaedem in numero [η]: consecratur enim hic panis et hoc vinum. Unde si [θ] fiat tanta permixtio liquoris cuiuscumque quod pertingat ad totum vinum consecratum et fiat permixtum, et erit aliud numero, et non remanebit ibi sanguis Christi. Si vero fiat tam parva alicuius liquoris adiunctio quod non possit diffundi per totum, sed usque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia.

Ad primum ergo dicendum quod Innocentius III dicit, in quadam Decretali * [Cap. *Cum Marthae, de Celebr. Missar.*], quod *ipsa accidentia vinum appositum videntur afficere: quia, si aqua fuerit apposita, vini saporem assumeret* [ι]. *Contingit igitur accidentia mutare subiectum* * [D. 16.], *sicut et subiectum contingit accidentia permutare. Cedit quippe natura miraculo, et virtus supra consuetudinem operatur.* Hoc tamen non est sic intelligendum quasi idem numero accidens quod prius fuit in vino ante consecrationem, postmodum fiat in vino apposito: sed talis permutatio fit per actionem. Nam accidentia vini remanentia retinent actionem substantiae, secundum praedicta * [In corpore.]: et ita immutando afficiunt liquorem appositum.

Ad secundum dicendum quod liquor appositus vino consecrato nullo modo miscetur substantiae sanguinis Christi. Miscetur tamen speciebus sacramentalibus: ita tamen quod, permixtione facta, corrumpuntur praedictae species, vel in toto vel in parte, secundum modum quo supra * [Art. 5.] dictum est quod ex speciebus illis potest aliquid generari. Et si quidem corrumpantur in toto, nulla iam remanet quaestio: quia iam totum erit uniforme. Si autem corrumpantur in parte, erit quidem una dimensio secundum continuitatem quantitatis, non tamen una secundum modum essendi: quia una pars eius est [κ] sine subiecto, alia erit in subiecto; sicut, si aliquod corpus constituatur ex duobus metallis, erit unum corpus secundum rationem quantitatis, non tamen unum secundum speciem naturae.

Ad tertium dicendum quod, sicut Innocentius III dicit, in Decretali praedicta * [Resp. ad 1.], *si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, neque sanguini commiscetur: sed, accidentibus prioris vini commixtum, corpori* [λ] *quod sub eis latet undique circumfunditur, non madidans circumfusum.* Quod quidem intelligendum est quando non fit tanta permixtio liquoris extranei quod sanguis Christi desinat esse sub toto. Tunc enim *undique* dicitur *circumfundi*, non quia tangat sanguinem Christi secundum eius proprias dimensiones: sed secundum dimensiones sacramentales, sub quibus continetur. – Nec est simile de aqua benedicta: quia illa benedictio nullam immutationem facit circa substantiam aquae, sicut facit consecratio vini.

Ad quartum dicendum quod quidam posuerunt quod, quantumcumque parva fiat extranei liquoris permixtio, substantia sanguinis Christi desinet esse sub toto. Et hoc ratione inducta * [In arg.]. Quae tamen non cogit. Quia magnum et parvum diversificant quantitatem dimensivam non quantum ad eius essentiam * [D. 515.], sed quantum ad determinationem mensurae.

Similiter etiam liquor appositus adeo potest esse parvus quod sua parvitate impeditur ne diffundatur per totum, et non solum dimensionibus: quae, licet sint sine subiecto, tamen obstant [μ] alteri liquori sicut et substantia si ibi esset, secundum ea quae praemissa sunt * [In princ. corporis.].

ε) *si liquor... speciei.* – *sed si* (*sed* om. pG, *si* om. I) *liquor permixtus esset alterius speciei, puta si permisceretur aqua, solveretur species vini et esset liquor alterius speciei* tertia.

ζ) *perfundi per totum.* – sF et tertia; *diffundi per totum* E, *perfundi totum* ceteri.

η) *in numero.* – *numero* PBF.

θ) *Unde si.* – *Si autem* GH*bc*.

ι) *assumeret.* – *assumet* HIsG, *assumit* P.

κ) *est.* – *erit* tertia, om. D. – *erit* om. F, *alia erit in subiecto* om. BEI.

λ) *corpori.* – PEI; *corpus.*

μ) *obstant.* – PI; *substant.* – Pro *esset, adesset* tertia.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAOCTAVA

DE FORMA HUIUS SACRAMENTI

IN SEX ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LXXIII, Introd.

DEINDE considerandum est de forma huius sacramenti *.

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: quae sit forma huius sacramenti.

Secundo: utrum sit conveniens forma consecrationis panis.

Tertio: utrum sit conveniens forma consecrationis sanguinis.

Quarto: de virtute utriusque formae.

Quinto: de veritate locutionis.

Sexto: de comparatione unius formae ad aliam.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM HAEC SIT FORMA HUIUS SACRAMENTI, *HOC EST CORPUS MEUM,* ET, *HIC EST CALIX SANGUINIS MEI*

IV *Sent.*, dist. VIII, qu. II, art. 1, qa 1, 2, 5; art. 2, qa 1; art. 4, qa 3; *In Matth.*, cap. XXVI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. V.

* Cf. Matth. cap. XXVI, vers. 26 sqq.; Marc. cap. XIV, vers. 22 sqq.; Luc. cap. XXII, vers. 19, 20; I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 23 sqq.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod haec non sit forma huius sacramenti, *Hoc est corpus meum,* et, *Hic est calix sanguinis mei.* Illa enim verba videntur pertinere ad formam sacramenti quibus Christus corpus suum et sanguinem consecravit. Sed Christus ante benedixit panem acceptum, et postea dixit: *Accipite et comedite: hoc est corpus meum,* ut habetur Matth. XXVI *; et similiter fecit de calice *. Ergo praedicta verba non sunt forma huius sacramenti.

* Vers. 26.
* Vers. 27, 28.

2. PRAETEREA, Eusebius Emesenus [α] * dicit quod *invisibilis sacerdos visibiles creaturas in suum corpus convertit, dicens: Accipite et comedite, hoc est corpus meum.* Ergo totum hoc videtur pertinere ad formam sacramenti. Et eadem ratio est de verbis pertinentibus ad sanguinem.

*Pseudo-Hieron. Epist. XXXIX; Pseudo-Isid. Homil. IV, *de Corp. et Sang. Dom.*, in Pascha. - Cf. can. *Quia corpus, de Consecr.*, dist. II.

3. PRAETEREA, in forma baptismi exprimitur persona ministri et actus eius, cum dicitur, *Ego te baptizo.* Sed in praemissis verbis nulla fit mentio de persona ministri, nec de actu eius. Ergo non est conveniens forma sacramenti.

4. PRAETEREA, forma sacramenti sufficit ad perfectionem sacramenti: unde sacramentum baptismi quandoque perfici potest solis verbis formae prolatis, et omnibus aliis praetermissis. Si ergo praedicta verba sunt forma huius sacramenti, videtur quod aliquando possit hoc sacramentum perfici his solis verbis prolatis, et omnibus aliis praetermissis quae in missa dicuntur. Quod tamen videtur esse falsum: quia, ubi verba alia [β] praetermitterentur, praedicta verba acciperentur ex persona sacerdotis proferentis, in cuius corpus et sanguinem panis et vinum non convertuntur. Non ergo praedicta verba sunt forma huius sacramenti.

* Lib. IV, cap. IV. - Cf. can. *Panis est, de Consecr.*, dist. II.

SED CONTRA EST quod Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* *: *Consecratio fit verbis et sermonibus Domini Iesu. Nam per reliqua omnia quae dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris. Ubi autem sacramentum conficitur, iam non suis sermonibus sacerdos utitur, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum.*

RESPONDEO DICENDUM quod hoc sacramentum ab aliis sacramentis differt in duobus. Primo quidem quantum ad hoc, quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materiae: alia vero sacramenta perficiuntur in usu materiae consecratae. - Secundo, quia in aliis sacramentis consecratio materiae consistit solum in quadam benedictione, ex qua materia consecrata accipit instrumentaliter quandam spiritualem virtutem, quae per ministrum, qui est instrumentum animatum, potest ad instrumenta inanimata procedere. Sed in hoc sacramento consecratio materiae consistit in quadam miraculosa conversione substantiae, quae a solo Deo perfici potest. Unde minister in hoc sacramento perficiendo non habet alium actum nisi prolationem verborum.

Et quia forma debet esse conveniens rei, ideo forma huius sacramenti differt a formis aliorum sacramentorum in duobus. Primo quidem, quia formae aliorum sacramentorum important usum materiae, puta baptizationem vel consignationem: sed forma huius sacramenti importat solam consecrationem materiae, quae in transubstantiatione consistit; puta cum dicitur, *Hoc est corpus meum,* vel, *Hic est calix sanguinis mei.* - Secundo, quia formae aliorum sacramentorum proferuntur ex persona ministri: sive per modum exercentis actum, sicut cum dicitur, *Ego te baptizo,* vel, *Ego te confirmo;* sive per modum imperantis, sicut in sacramento ordinis dicitur, *Accipe potestatem,* etc.; sive per modum deprecantis, sicut cum

α) *Emesenus.* - Om. DEI.

β) *alia.* - *ista* Aa, *illa* B.

in sacramento extremae unctionis dicitur, *Per istam unctionem et nostram intercessionem*, etc. Sed forma huius sacramenti profertur ex γ persona ipsius Christi loquentis: ut detur intelligi quod minister in perfectione huius sacramenti nihil agit nisi quod profert verba Christi.

Ad primum ergo dicendum quod circa hoc est multiplex opinio. Quidam * enim dixerunt quod Christus, qui habebat potestatem excellentiae in sacramentis, absque omni forma verborum hoc sacramentum perfecit; et postea verba protulit sub quibus alii postea consecrarent. Quod videntur sonare verba Innocentii III * dicentis: *Sane dici potest quod Christus virtute divina confecit, et postea formam expressit sub qua posteri benedicerent.* – Sed contra hoc expresse sunt verba Evangelii, in quibus dicitur quod Christus *benedixit* *: quae quidem benedictio aliquibus verbis facta est. Unde praedicta verba Innocentii sunt opinative magis dicta quam determinative.

* Praepositin. *Summ., de Eucharist.* - Cod. Vatic. Latin. 1174, fol. 61, vers. 1.

* *De Sacr. Altar. Myster.*, lib. IV, cap. vi.

* Matth. cap. xxvi, vers. 26; Marc. cap. xiv, vers. 22.

Quidam * autem dixerunt quod benedictio illa facta est quibusdam aliis verbis nobis ignotis. – Sed nec hoc stare potest. Quia benedictio consecrationis nunc perficitur per recitationem eorum quae tunc acta sunt. Unde, si tunc per haec verba non est facta consecratio, nec modo fieret.

* Odo Camaracens. Episc., *Sacri Canon. Exposit.*, dist. iii. - Vide *Bibliothec. PP.* tom. XXI (Lugdun. 1677).

Et ideo alii * dixerunt quod illa benedictio eisdem etiam verbis facta est quibus modo fit, sed Christus ea bis protulit: primo quidem secreto, ad consecrandum; secundo manifeste, ad instruendum. – Sed nec hoc stare potest. Quia sacerdos consecrat proferens haec verba, non ut a Christo in occulta benedictione dicta, sed ut publice prolata. Unde, cum non habeant vim huiusmodi verba nisi ex Christi prolatione, videtur quod etiam Christus manifeste ea proferens consecraverit.

* Stephan. Eduens. Episc. *de Sacram. Altar.*, cap. xiv. - *Bibliothec. PP.* tomo XX.

Et ideo alii * dixerunt quod Evangelistae non semper eundem ordinem in recitando servaverunt quo res sunt gestae: ut patet per Augustinum, in libro *de Consensu Evangelistarum* *. Unde intelligendum est ordinem rei gestae sic exprimi posse: *Accipiens panem, benedixit dicens, Hoc est corpus meum, et deinde fregit et dedit discipulis suis.* – Sed idem sensus potest esse in δ verbis Evangelii non mutatis. Nam hoc participium *dicens* concomitantiam quandam importat verborum prolatorum ad ea quae praecedunt. Non autem oportet quod haec concomitantia intelligatur solum respectu verbi ultimi prolati, quasi Christus tunc ista verba protulerit quando dedit discipulis suis: sed potest intelligi concomitantia respectu totius praecedentis, ut sit sensus: *Dum benediceret et frangeret et daret discipulis suis, haec verba dixit, Accipite etc.*

* Cf. Innocent. III, loc. cit. supra; Autissiod. *Summ. Aur.* lib. IV, *de Eucharist.*, qu. 2.

* Lib. II, cap. xxi, xxx, xliv.

Ad secundum dicendum quod in his verbis, *Accipite et comedite*, intelligitur usus materiae consecratae, qui non est de necessitate huius sacramenti, ut supra * habitum est. Et ideo nec haec verba sunt de substantia formae.

* Qu. lxxiv, art. 7.

Quia tamen ad quandam perfectionem sacramenti pertinet materiae consecratae usus, sicut operatio non est prima, sed secunda perfectio rei; ideo per omnia haec verba exprimitur tota perfectio huius sacramenti. Et hoc modo Eusebius intellexit his verbis confici sacramentum, quantum ad primam et secundam perfectionem ipsius.

Ad tertium dicendum quod in sacramento baptismi minister aliquem actum exercet circa usum materiae, qui est de essentia sacramenti: quod non est in hoc sacramento. Et ideo non est similis ratio.

Ad quartum dicendum quod quidam dixerunt hoc sacramentum perfici non posse praedictis verbis prolatis et aliis praetermissis, praecipue quae sunt in canone missae. – Sed hoc patet esse falsum. Tum ex verbis Ambrosii supra * inductis. Tum etiam quia canon missae non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt a diversis apposita.

* In arg. *Sed cont.*

Unde dicendum est quod, si sacerdos sola verba praedicta proferret cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum: quia intentio faceret ut haec verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiam si verbis praecedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret sacerdos sic conficiens hoc sacramentum, utpote ritum Ecclesiae non servans. Nec est simile de baptismo, quod est sacramentum necessitatis: defectum autem huius sacramenti potest supplere spiritualis manducatio, ut Augustinus dicit *.

* Cf. qu. lxxiii, art. 3, ad 1.

γ) *ex.* – *quasi ex* tertia.
δ) *potest esse in.* – *potest esse etiam* G, *potest etiam esse* H, *potest haberi in* F, *haberi potest etiam* Pl.

Commentaria Cardinalis Caietani

* Circa primos articulos quaestionis septuagesimaeoctavae, tractandum occurrit dubium de verbis necessariis ad consecrationem sanguinis. Et, omissis argumentis hinc et inde, plana incedendo via, sciendum est Graecos et Latinos non convenire in verbis consecrationis sanguinis. Nam, ut Durandus refert *, et nos certificati quoque sumus, quatuor dictiones habet forma nostra quibus caret Ecclesia Graeca, scilicet, *calix, aeterni, mysterium, fidei.* Et cum in Ecclesia Graeca tot illustres sancti et doctores floruerint, dubitandum nullo pacto est de sufficientia illius formae, scilicet: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* *. Hinc enim sufficienter probatur non omnia quibus utimur in forma consecrationis sanguinis esse de necessitate sacramenti.

* Num. i-v om. P.

* IV *Sent.*, dist. viii, qu. ii.

* Vide S. Ioan. Chrys. *Missa divina.* - Goar, *Euchalog.*

Et si diligentius perscrutati fuerimus, clarum quoque fiet quod illa verba, *qui pro vobis et pro multis* etc., non sunt de necessitate sacramenti. Quod ex eo probatur quod Paulus Apostolus, I ad Cor. xi *, expresse dicit Christum dixisse, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur;* et Ecclesia Graeca utitur hac forma in consecratione corporis, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum* *; Romana autem Ecclesia in consecratione corporis praedictam adiunctionem, dictam a Christo, omittit. Ex quo facto apparet manifeste quod huiusmodi additio, facta a Christo, et qua utuntur Graeci,

* Vers. 24.

* Vide Goar, ubi supra.

non est de necessitate sacramenti. Ac per hoc, eadem ratione, in consecratione sanguinis illa adiunctio, *qui pro vobis* etc., non est de necessitate sacramenti: eadem enim est ratio in utraque forma quoad vim consecrationis, quamvis non sit eadem ratio quoad convenientiam explicandae virtutis; quia convenientius explicatur virtus passionis Christi in consecratione sanguinis quam corporis, ut in littera tertii articuli * Auctor declarat.

* Resp. ad 2, 7.

II. Cum autem ex usu Ecclesiae Graecae in consecratione sanguinis habeamus quod non omnia quae nos dicimus sunt necessaria ad consecrationem; et ex usu Ecclesiae Latinae in consecratione corporis habeamus quod non omnia quae tunc Christus dixit sunt necessaria ad consecrationem: oportet ad aliquod solidum fundamentum recurrere, super quod fundari possit certitudo discretiva verborum ad consecrationem necessariorum a non necessariis ad illam. Et cum hoc sit communis illa maxima, *Sacramentalia verba significant quod efficitur ex vi sacramenti,* quae, ut patet discurrendo per omnia sacramenta, verissima ac solidissima comprobatur: ideo, ab hac regula non declinando ad dexteram aut ad sinistram, inveniemus non esse necessaria ad consecrationem sanguinis nisi quatuor verba haec, *Hic est sanguis meus.*

Et licet Scotus *, cum multis aliis, dubitet, mihi tamen nulla apparet dubitandi ratio probabilis, sed indubie sentiendum est ut diximus.

* IV *Sent.*, dist. VIII, qu. II, art. 2.

Praeter praedicta, fulta quoque est sententia haec auctoritate beati Ambrosii, in libro *de Sacramentis* *, quam habes *de Consecr.*, dist. II, cap. *Panis;* et Magistri Sententiarum, in VIII distinctione * Quarti, ubi etiam adducit beatum Ambrosium.

* Lib. IV, cap. V.
* Cap. *Forma vero.*

III. Verba autem litterae tertii articuli in quibus Auctor videtur sonare oppositum, verificantur distinguendo quod verba aliqua esse de substantia formae contingit dupliciter: primo, quod sine illis non sit forma; alio modo, quod sine illis non est forma perfecta. Et in secundo sensu verificantur verba litterae, non autem in primo.

Unde et in responsione ad secundum eiusdem articuli, cum argumentum esset quod *non sunt maioris efficaciae verba quae proferuntur in consecratione panis quam ea quae proferuntur in consecratione vini*, etc., responsio ad perfectionem convenientiae recurrit, quare potius fiat additio in consecratione sanguinis: non negando aequalem efficaciam in verbis utriusque formae significantibus quod efficitur.

IV. Ratio quoque in littera * allata, scilicet, *Determinationes praedicati pertinent ad integritatem locutionis,* dupliciter intelligi potest. Primo, quod sine huiusmodi determinationibus non sit integra locutio, integritate essentiali, praeiacentis enuntiationis. Et sic in proposito solum illud pronomen *meus* est de integritate enuntiationis, cum dicitur, *Hic est sanguis meus.*

* Art. 3, in corp.

Alio modo, quod ipsae determinationes non habent integrum sensum sine praeiacente enuntiatione. Et sic verificatur ratio in proposito quoad omnia adiuncta. Quoniam constat quod, dicendo, *novi et aeterni testamenti mysterium fidei qui pro vobis* etc., integra non sit locutio sine praecedenti enuntiatione, *Hic est sanguis meus.* Et huius integritatis signa sunt, quae in littera * afferuntur, duo: primum, quod *sacerdos eodem ritu et modo omnia haec profert;* secundum, quod *Luc.* XXII *interponuntur verba sequentia verbis primis.*

* Ibid.

V. At si quis contendat expositiones has posse convenire litterae verbis, sed non intentioni Auctoris, qui videtur ex proposito docere oppositum: meminerit primo, me ab Auctore didicisse, post Augustinum *, talem exhibere aliorum lectorem, qualem meorum exopto. In ultimo siquidem praecedentis quaestionis articulo * Auctor verba Innocentii III, *de Celebratione Missarum,* in cap. *Cum Marthae,* ad verum sensum trahit, non curans de intentione opinantis accidens migrare de subiecto in subiectum. – Advertat deinde Auctorem, si oppositum sensit, opinative locutum: incipit enim corpus articuli: *Circa hanc formam est duplex opinio.*

* Cf. Ep. LXXXII, al. XIX, *ad Hieron.*, cap. IV.
* Resp. ad 1.

Omissa igitur superflua curiositate quid opinatus fuerit in re clarificata hic vel ille theologus, sufficere nobis debet ex solido fundamento veritatem cognoscere.

In responsione ad quartum primi articuli, specialiter notandum occurrit quod Scotus, in VIII distinctione * Quarti, in dubium ita vertit quod ambiguum relinquit an sola verba consecrationis prolata a sacerdote conficiant hoc sacramentum, praetermissis aliis quae in canone missae continentur: motus ratione in littera * allata, scilicet quod verba huiusmodi debent ex vi verborum significare hoc esse corpus Christi, alioquin non significarent quod efficitur in hoc sacramento; sed, praetermissis aliis, hoc non significaretur, sed significaretur hoc esse corpus sacerdotis, ex vi verborum, licet ex intentione significaretur esse corpus Christi.

* Qu. II, art. 2.
* In arg.

II. Scito igitur dupliciter verba haec proferri a sacerdote: scilicet recitative, et significative. Et si ad recitationem spectetur, opinio quam sequitur Scotus, ab Auctore improbata, rationabilis invenitur: quoniam non recitaretur hoc esse corpus Christi nisi prae-recitaretur Christum dixisse, *Hoc est corpus meum.* Et quoad hoc, idest recitationis vim, procedit ratio adducta.

Sed si verba haec significative solum considerentur, cum proferuntur a sacerdote in persona Christi, ex hoc ipso quod sacerdos dicit ea in persona Christi, significant hoc esse corpus Christi.

Et comparando hos duos modos proferendi ad invicem, secundus praeponderat primo, propter duo. Tum quia recitative verba tenentur materialiter.

Tum quia recitative sacerdos non conficit in persona Christi, sed recitat Christum conficientem. In Concilio autem Florentino *, sub Eugenio IV, legimus haec verba: *Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum.* Unde sequitur quod intentio sacerdotis ad gerendum personam Christi *, in hoc ipso quod intendit conficere sacramentum, sufficiat ad exprimendum ex vi verborum hoc esse corpus Christi, dicendo in persona Christi, *Hoc est corpus meum.* Et hac ratione motus est Auctor, ut patet in littera.

* In *Decret. pro Armen.*
* *loquens..... Christi* om. P.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM HAEC SIT CONVENIENS FORMA CONSECRATIONIS PANIS, *HOC EST CORPUS MEUM*

Supra, qu. LXXV, art. 2; IV *Sent.*, dist. VIII, qu. II, art. 1, qu[a] 3, 4; *In Matth.*, cap. XXVI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. V.

* Vid. Comment. Caiet. post art. 1.

Ad secundum sic proceditur *. Videtur quod haec non sit conveniens forma consecrationis panis: *Hoc est corpus meum.* Per formam enim sacramenti debet exprimi sacramenti effectus. Sed effectus qui fit in consecratione panis, est conversio substantiae panis in corpus Christi: quae magis exprimitur per hoc verbum *fit,* quam per hoc verbum *est.* Ergo in forma consecrationis deberet dici: *Hoc fit corpus meum.*

2. Praeterea, Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* *: *Sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis sermo Christi? Hic quo facta sunt omnia: jussit Dominus et facta sunt caeli et*

* Lib. IV, cap. IV. - Cf. can. *Panis est, de Consecr.*, dist. II.

terra. Ergo et forma huius sacramenti convenientior esset per verbum imperativum, ut diceretur: *Hoc sit corpus meum.*

3. PRAETEREA, per subiectum huius locutionis importatur illud quod convertitur: sicut per praedicatum importatur conversionis terminus. Sed, sicut est determinatum id in quod fit conversio, non enim fit conversio nisi in corpus Christi; ita est determinatum id quod convertitur, non enim convertitur in corpus Christi nisi panis. Ergo, sicut ex parte praedicati ponitur nomen, ita ex parte subiecti debet poni nomen, ut dicatur: *Hic panis est corpus meum.*

4. PRAETEREA, sicut id in quod terminatur conversio est determinatae naturae, quia est corpus; α ita etiam est determinatae personae. Ergo [α], ad determinandam personam, debet dici: *Hoc est corpus Christi.*

5. PRAETEREA, in verbis formae non debet poni aliquid quod non sit de substantia eius. Inconvenienter ergo additur in quibusdam libris haec coniunctio *enim,* quae non est de substantia formae.

SED CONTRA EST quod Dominus hac forma in consecrando est usus, ut patet Matth. XXVI *.

* Vers. 26.

RESPONDEO DICENDUM quod haec est conveniens forma consecrationis panis. Dictum est enim * quod haec consecratio consistit in conversione substantiae panis in corpus Christi. Oportet autem formam sacramenti significare id quod in sacramento efficitur. Unde et forma consecrationis panis debet significare ipsam conversionem panis in corpus Christi. In qua tria considerantur: scilicet ipsa conversio, et terminus a quo, et terminus ad quem.

* Art. 1.

Conversio autem potest considerari dupliciter: uno modo, ut in *fieri;* alio modo, ut in *facto esse.* Non autem debuit significari conversio in hac forma ut in fieri, sed ut in facto esse. Primo quidem, quia haec conversio non est successiva, ut supra * habitum est, sed instantanea: in huiusmodi autem mutationibus fieri non est nisi factum esse. – Secundo, quia ita se habent formae sacramentales ad significandum effectum sacramenti, sicut se habent formae artificiales ad repraesentandum effectum artis. Forma autem artificialis est similitudo ultimi effectus in quem fertur intentio artificis: sicut forma artis in mente aedificatoris est forma domus aedificatae principaliter, aedificationis autem per consequens. Unde et in hac forma debet exprimi conversio ut in facto esse *, ad quod fertur intentio.

* Qu. LXXV, art. 7.

* D. 575.

Et quia ipsa conversio exprimitur in hac forma ut in facto esse, necesse est quod extrema conversionis significentur ut se habent in facto esse conversionis. Tunc autem terminus in [β] quem habet propriam naturam suae substantiae: sed terminus a quo non manet secundum suam substantiam, sed solum secundum accidentia, quibus sensui subiacet, et ad sensum determinari potest. Unde convenienter terminus conversionis a quo exprimitur per pronomen demonstrativum relatum ad accidentia sensibilia, quae manent. Terminus autem ad quem exprimitur per nomen significans naturam eius in quod fit conversio: quod quidem est totum corpus Christi, et non sola caro eius, ut dictum est *. Unde haec forma est convenientissima: *Hoc est corpus meum.*

* Qu. LXXVI, art. 1, ad 2.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod fieri non est ultimus effectus huius consecrationis, sed factum esse, ut dictum est *. Et ideo hoc potius exprimi debet in forma.

* In corpore.

AD SECUNDUM DICENDUM quod sermo Dei operatus est in creatione rerum, qui etiam operatur in hac consecratione: aliter tamen et aliter. Nam hic operatur sacramentaliter [γ], idest secundum vim significationis. Et ideo oportet in hoc sermone significari ultimum effectum consecrationis per verbum substantivum indicativi modi et praesentis temporis. Sed in creatione rerum operatus est solum effective: quae quidem efficientia est per imperium suae sapientiae. Et ideo in creatione rerum exprimitur sermo Dominicus [δ] per verbum imperativi modi: secundum illud *Gen.* I *: *Fiat lux, et facta est lux.*

* Vers. 3.

AD TERTIUM DICENDUM quod terminus a quo in ipso facto esse conversionis non retinet naturam suae substantiae, sicut terminus ad quem. Et ideo non est simile.

AD QUARTUM DICENDUM quod per hoc pronomen *meum,* quod includit demonstrationem primae personae, quae est persona loquentis, sufficienter exprimitur persona Christi, ex cuius persona haec proferuntur, ut dictum est *.

* Art. 1.

AD QUINTUM DICENDUM quod haec coniunctio *enim* apponitur in hac forma secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae a beato Petro Apostolo derivatam *. Et hoc propter continuationem ad verba praecedentia. Et ideo non est de forma: sicut nec praecedentia [ε] formam.

* Cf. Innoc. III, *de S. Altar. Myster.* lib. IV, cap. IV; cap. *Cum Marthae, de Celebr. Miss.*

α) *Ergo.* – *sicut ad determinandum naturam dicitur corpus ita* addunt PFI. – Pro *debet, deberet* tertia.
β) *in.* – *ad* P.
γ) *sacramentaliter.* – *effective et* (*et* om. HpG) *sacramentaliter* PFGHI.
δ) *Dominicus.* – *divinitus* Da, *divinus* P.
ε) *praecedentia.* – *verba praecedentia* editiones.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM HAEC SIT CONVENIENS FORMA CONSECRATIONIS VINI, *HIC EST CALIX SANGUINIS MEI, ETC.*

IV *Sent.*, dist. VIII, qu. II, art. 2, qu[a] 1, 2, 3; *In Matth.*, cap. XXVI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. VI.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod haec non sit conveniens forma consecrationis vini [α]: *Hic est calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Sicut enim panis convertitur in corpus Christi ex vi consecrationis, ita et vinum in sanguinem Christi, sicut ex praedictis * patet. Sed in forma consecrationis panis ponitur in recto corpus Christi, nec aliquid aliud additur. Inconvenienter ergo in hac forma ponitur sanguis Christi in obliquo, et additur *calix* in recto, cum dicitur, *Hic est calix sanguinis mei.*

* Vid. Comment. Caiet. post art. 1.
α
* Qu. LXXVI, art. 1, 2.

2. PRAETEREA, non sunt maioris efficaciae verba quae proferuntur in consecratione panis quam ea quae proferuntur in consecratione vini: cum utraque sint verba Christi. Sed statim dicto, *Hoc est corpus meum,* est perfecta consecratio panis. Ergo statim cum dictum est, *Hic est calix sanguinis mei,* est perfecta consecratio sanguinis. Et ita ea quae consequuntur [β] non videntur esse de substantia formae: praesertim cum pertineant ad proprietates huius sacramenti.

β

3. PRAETEREA, Testamentum novum pertinere videtur ad internam inspirationem: ut patet ex hoc quod Apostolus, *ad Heb.* VIII *, introducit verba quae habentur in Ierem. XXXI *, *Consummabo super domum Israel testamentum novum, dando leges meas in mentibus eorum.* Sacramentum autem exterius visibiliter agitur. Inconvenienter ergo in forma sacramenti dicitur, *novi Testamenti.*

* Vers. 8, 10.
* Vers. 31, 33.

4. PRAETEREA, *novum* dicitur aliquid ex eo quod est prope [γ] principium sui esse. Aeternum autem non habet principium sui esse. Ergo inconvenienter dicitur *novi et aeterni:* quia videtur contradictionem implicare.

γ

5. PRAETEREA, occasiones erroris sunt hominibus subtrahendae: secundum illud Isaiae LVII *: *Auferte offendicula de via populi mei.* Sed quidam erraverunt aestimantes mystice solum esse corpus et sanguinem Christi in hoc sacramento *. Ergo in hac forma inconvenienter ponitur *mysterium* [δ] *fidei.*

* Vers. 14.
* Cf. qu. LXXV, art. 1.
δ

6. PRAETEREA, supra * dictum est quod, sicut baptismus est *sacramentum fidei,* ita Eucharistia est *sacramentum caritatis.* Ergo in hac forma magis debuit poni *caritas* quam *fides.*

* Qu. LXXIII, art. 3, ad 3; qu LXXIV, art. 4, ad 3.

7. PRAETEREA, totum hoc sacramentum, et quantum ad corpus et quantum ad sanguinem, est memoriale Dominicae passionis: secundum illud I *Cor.* XI *: *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Non ergo magis debuit in forma consecrationis sanguinis fieri mentio de passione Christi et de eius fructu, quam in forma consecrationis corporis: praesertim cum, Luc. XXII *, Dominus dixerit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

* Vers. 26.
* Vers. 19; I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 24.

8. PRAETEREA, passio Christi, ut supra * habitum est, ad sufficientiam profuit omnibus, quantum vero ad efficaciam [ε] profuit multis. Debuit ergo dici quod *effundetur pro omnibus,* aut *pro multis,* sine hoc quod adderetur *pro vobis.*

* Qu. XLVIII, art. 2; qu. XLIX, art. 3.
ε

9. PRAETEREA, verba quibus hoc sacramentum conficitur, efficaciam habent ex institutione Christi. Sed nullus Evangelista recitat Christum haec omnia verba dixisse. Ergo non est conveniens forma consecrationis vini.

SED CONTRA EST quod Ecclesia, ab Apostolis instructa *, utitur hac forma in consecratione vini.

* Cf. cap. *Cum Marthae, de Celebrat. Missar.*

RESPONDEO DICENDUM quod circa hanc formam est duplex opinio. Quidam * enim dixerunt quod de substantia formae huius est hoc solum quod dicitur, *Hic est calix sanguinis mei,* non autem ea quae sequuntur. – Sed hoc videtur inconveniens: quia ea quae sequuntur, sunt quaedam determinationes praedicati, idest sanguinis Christi; unde pertinent ad integritatem locutionis [ζ].

* Halens. *Sum. Theol.* p. IV, qu. X, memb. IV, art. 2, § 4; s. Bonavent. IV *Sent.*, dist. VIII, p. II, art. 1, qu. 2; Tarantas. IV *Sent.*, dist. VIII, qu. 3, art. 2.
ζ

Et propter hoc sunt alii qui melius dicunt quod [η] omnia sequentia sunt de substantia formae, usque ad hoc quod postea sequitur, *Hoc quotiescumque feceritis,* quae pertinent ad usum huius sacramenti, unde non sunt de substantia formae. Et inde est quod sacerdos eodem ritu et modo, scilicet tenendo [θ] calicem in manibus, omnia haec verba profert. Lucae etiam XXII interponuntur verba sequentia verbis primis [ι], cum dicitur *: *Hic calix novum testamentum est in sanguine meo.*

η
θ
ι
* Vers. 20.

Dicendum est ergo quod omnia praedicta verba sunt de substantia formae: sed per prima verba [κ], *Hic est calix sanguinis mei,* significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est * in forma consecrationis panis; per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, quae operatur in hoc sacramento. Quae quidem ad tria ordinatur [λ]. Primo qui-

κ
* Art. 2.
λ

α) *vini.* – *videlicet* HpG, *vini videlicet* sG et *bc.* – Ante *novi* I addit *et.* Pro *mysterium fidei, ministerium fidei* ABCE, om. I.
β) *consequuntur.* – *sequuntur* P.
γ) *prope.* – sBC *a* et tertia praeter H; *proprie* ADEHpB, *proprium* FpC.
δ) *mysterium.* – *ministerium* ABCDpI.
ε) *efficaciam.* – *efficientiam* sG et editiones, *suffiam* H; *omnibus... profuit* om. pG. – Pro *quod effundetur, qui effundetur* P.
ζ) *locutionis.* – *eiusdem locutionis* PFI; *alias non habetur ly eiusdem* margo P.
η) *sunt alii qui melius dicunt quod.* – *sicut alii melius dicunt* PI; *melius* om. H.
θ) *tenendo.* – F et tertia; *tenendi.*
ι) *primis.* – *praemissis* P.
κ) *verba.* – *cum dicitur* addunt F et tertia.
λ) *ordinatur.* – *ordinantur* CEFGpH et *ac.*

dem, et principaliter, ad adipiscendam aeternam
* Vers. 19. hereditatem: secundum illud *Heb.* x *: *Habemus fiduciam in introitu sanctorum per sanguinem eius.* Et ad hoc designandum dicitur, *novi Testamenti et aeterni* [μ]. – Secundo, ad iustitiam gratiae, quae
* Vers. 25, 26. est per fidem: secundum illud *Rom.* III *: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius, ut sit ipse iustus, et iustificans eum qui ex fide est Iesu Christi.* Et quantum ad hoc subditur, *mysterium fidei.* – Tertio autem, ad removendum impedimenta utriusque praedictorum,
* Vers. 14. scilicet peccata: secundum illud *Heb.* IX *: *Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis,* idest a peccatis. Et quantum ad hoc subditur, *qui pro vobis et pro multis aliis* [ν] *effundetur in remissionem peccatorum.*

Ad primum ergo dicendum quod, cum dicitur, *Hic est calix sanguinis mei,* est locutio figurativa, et potest dupliciter intelligi. Uno modo, secundum metonymiam, quia [ξ] ponitur continens pro contento, ut sit sensus: *Hic est sanguis meus contentus in calice.* De quo fit hic mentio, quia sanguis Christi in hoc sacramento consecratur inquantum est potus fidelium, quod non importatur in ratione sanguinis: et ideo oportuit hic [o] designari per vas huic usui accommodatum.

Alio modo potest intelligi secundum metaphoram, prout per calicem similitudinarie intelligitur passio Christi, quae ad similitudinem calicis in-
* Vers. 15. ebriat, secundum illud *Thren.* III *, *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio:* unde et ipse Dominus passionem suam calicem nominat,
* Vers. 39. Matth. XXVI *, dicens, *Transeat a me calix iste;* – ut sit sensus: *Hic est calix passionis meae.* De qua fit mentio in sanguine seorsum a corpore consecrato, quia separatio sanguinis a corpore fuit per passionem.

Ad secundum dicendum quod quia, ut dictum
* Resp. ad 1; qu. LXXVI, art. 2, ad 1. est *, sanguis seorsum consecratus expresse passionem Christi repraesentat, ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de effectu passionis quam in consecratione corporis, quod est passionis subiectum. Quod etiam designatur in hoc quod Dominus dicit, *quod pro vobis tradetur:* quasi dicat, *quod pro vobis passioni subiicietur.*

Ad tertium dicendum quod testamentum est dispositio hereditatis. Hereditatem autem caelestem Deus disposuit hominibus dandam per virtutem sanguinis Iesu Christi: quia, ut dicitur
* Vers. 16. *Heb.* IX *: *Ubi est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris.* Sanguis autem Christi dupliciter est hominibus exhibitus. Primo quidem, in figura: quod pertinet ad vetus Testamentum. Et
* Vers. 18. ideo Apostolus ibidem * concludit: *Unde nec primum Testamentum sine sanguine dedicatum est:*
* Vers. 7, 8; *ad Heb.*, cap. IX, vers. 19, 20. quod patet ex hoc quod, sicut dicitur *Exod.* XXIV *, *lecto omni mandato legis a Moyse, omnem populum aspersit, dicens: Hic est sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus.*

Secundo autem est exhibitus in rei veritate: quod pertinet ad novum Testamentum. Et hoc est quod Apostolus ibidem * praemittit, dicens: * Vers. 15. *Ideo novi Testamenti mediator est Christus, ut, morte intercedente, repromissionem accipiant qui vocati sunt aeternae hereditatis.* Dicitur ergo hic *sanguis novi Testamenti,* quia iam non in figura, sed in veritate exhibetur. Unde subditur, *qui pro vobis effundetur.* – Interna autem inspiratio ex sanguinis [π] virtute procedit secundum quod passione Christi iustificamur.

Ad quartum dicendum quod hoc testamentum est novum ratione exhibitionis. Dicitur autem aeternum, tam ratione aeternae Dei praeordinationis; quam etiam ratione aeternae hereditatis, quae per hoc testamentum disponitur. Ipsa etiam persona Christi, cuius sanguine testamentum disponitur, est aeterna.

Ad quintum dicendum quod *mysterium* [ρ] hic ponitur, non quidem ad excludendum rei veritatem, sed ad ostendendum occultationem. Quia et ipse sanguis Christi occulto modo est in hoc sacramento; et ipsa passio Christi occulte fuit figurata in veteri Testamento.

Ad sextum dicendum quod dicitur *sacramentum* [σ] *fidei,* quasi fidei obiectum: quia quod sanguis Christi secundum rei veritatem sit in hoc sacramento, sola fide tenetur. Ipsa etiam passio Christi per fidem iustificat. Baptismus autem dicitur *sacramentum fidei* quia est quaedam fidei protestatio. – Hoc autem est *sacramentum caritatis* quasi figurativum et effectivum.

Ad septimum dicendum quod, sicut dictum est *, * Resp. ad 2. sanguis seorsum consecratus a corpore expressius repraesentat passionem Christi. Et ideo in consecratione sanguinis fit mentio de passione Christi et fructu ipsius, potius [τ] quam in consecratione corporis.

Ad octavum dicendum quod sanguis passionis Christi non solum habet efficaciam in Iudaeis electis, quibus exhibitus est sanguis veteris Testamenti, sed etiam in gentilibus; nec solum in sacerdotibus, qui hoc efficiunt [υ] sacramentum, vel aliis qui sumunt, sed etiam in illis pro quibus offertur. Et ideo signanter dicit, *pro vobis* Iudaeis, *et pro multis,* scilicet gentilibus: vel, *pro vobis* manducantibus, *et pro multis* pro quibus offertur.

Ad nonum dicendum quod Evangelistae non intendebant tradere formas sacramentorum, quas in primitiva Ecclesia oportebat esse occultas, ut dicit Dionysius, in fine *Ecclesiasticae Hierarchiae* *. * Cap. VII, § 10. Sed intenderunt historiam de Christo texere.

Et tamen omnia haec verba fere ex diversis Scripturae locis accipi possunt. Nam quod dici-

---

μ) *Testamenti et aeterni.* – *et aeterni Testamenti* PIsG.
ν) *aliis.* – Om. F et tertia. Cf. qu. LXXIX art. 7. δ.
ξ) *quia.* – *qua* PI.
o) *hic.* – *hoc* PFHI, vel *haec* H.
π) *sanguinis.* – *hac sanguinis* HpG et *bc, huius sanguinis* PFIsG.
ρ) *mysterium.* – *ministerium* ABpC.
σ) *sacramentum.* – *mysterium* F et tertia. – *quasi fidei* om. E. – *rei* om. tertia.
τ) *potius.* – *per* HpG, post *Et ideo* ponunt editiones.
υ) *efficiunt.* – *conficiunt* tertia.

tur, *Hic est calix,* habetur Luc. XXII * et I *Cor.* XI *. Matthaei autem XXVI ** dicitur, *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* – Quod autem additur, *aeterni,* et iterum, *mysterium* [ϙ] *fidei,* ex traditione Domini habetur, quae ad Ecclesiam per Apostolos pervenit *: secundum illud I *Cor.* XI *: *Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis.*

* Vers. 20. * Vers. 25. ** Vers. 28. * Cf. arg. *Sed cont.* * Vers. 23.

ϙ) *mysterium.* – *ministerium* ABCD.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM PRAEDICTIS VERBIS FORMARUM INSIT ALIQUA VIS CREATA EFFECTIVA CONSECRATIONIS

IV *Sent.*, dist. VIII, qu. II, art. 3; *In Matth.*, cap. XXVI.



AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod praedictis verbis formarum * non insit aliqua vis creata effectiva consecrationis. Dicit enim Damascenus, in IV libro *: *Sola virtute Spiritus Sancti fit conversio panis in corpus Christi.* Sed virtus Spiritus Sancti est virtus increata. Ergo nulla virtute creata horum verborum conficitur sacramentum hoc [α].

* Cf. art. 1-3. * *De Fide Orth.*, lib. IV, cap. XIII.

2. PRAETEREA, opera miraculosa non fiunt aliqua virtute creata, sed sola virtute divina, ut in Prima Parte * habitum est. Sed conversio panis et vini in corpus et sanguinem Christi est opus non minus miraculosum quam creatio rerum, vel etiam formatio corporis Christi in utero virginali, quae quidem nulla virtute creata fieri potuerunt. Ergo neque hoc sacramentum consecratur virtute creata aliqua [β] dictorum verborum.

* Qu. CX, art. 4.

3. PRAETEREA, praedicta verba non sunt simplicia, sed ex multis composita; nec simul, sed successive proferuntur. Conversio autem praedicta, ut supra * dictum est, fit in instanti: unde oportet quod fiat per simplicem virtutem. Non ergo fit per virtutem horum verborum.

* Qu. LXXV, art. 7.

SED CONTRA EST quod Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* *: *Si tanta est vis in sermone Domini Iesu ut inciperet esse quod non erat, quanto magis operativus* [γ] *est ut sint quae erant, et in aliud commutentur? Et * sic quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem, quia sermo Christi creaturam mutat.*

* Lib. IV, cap. IV. - Cf. can. *Panis est, de Consecr.*, dist. II. * Can. cit.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam * dixerunt nullam virtutem creatam esse nec in praedictis verbis ad transubstantiationem faciendam, nec etiam in aliis sacramentorum formis, vel etiam in ipsis sacramentis ad inducendos sacramentorum effectus. – Quod, sicut supra * dictum est, et dictis Sanctorum repugnat, et derogat dignitati sacramentorum novae legis. Unde, cum hoc sacramentum sit prae ceteris dignius, sicut supra * dictum est, consequens est quod in verbis formalibus huius sacramenti sit quaedam virtus creata ad conversionem huius sacramenti faciendam: instrumentalis tamen, sicut et in aliis sacramentis, sicut supra * dictum est. Cum enim haec verba ex persona Christi proferantur, ex eius mandato consequuntur virtutem instrumentalem a Christo: sicut et cetera eius facta vel dicta habent instrumentaliter salutiferam virtutem, ut supra * habitum est.

* Cf. qu. LXII, art. 1. * Ibid. * Qu. LXV, art. 3. * Qu. LXII, art. 3, 4. * Qu. XLVIII, art. 6; qu. LVI, art. 1, ad 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, cum dicitur sola virtute Spiritus Sancti panem in corpus Christi converti, non excluditur virtus instrumentalis quae est in forma huius sacramenti: sicut, cum dicitur quod solus faber facit cultellum, non excluditur virtus martelli.

AD SECUNDUM DICENDUM quod opera miraculosa nulla creatura potest facere quasi agens principale: potest tamen ea facere instrumentaliter, sicut ipse tactus manus Christi sanavit leprosum *. Et per hunc modum verba eius convertunt panem in corpus Christi. Quod quidem non [δ] potuit in conceptione corporis Christi, qua corpus Christi formabatur, ut aliquid a corpore Christi procedens haberet instrumentalem virtutem ad ipsius corporis formationem. In creatione etiam non fuit aliquod extremum in quod instrumentalis actio creaturae posset terminari. Unde non est simile.

* Matth. cap. VIII, vers. 3; Marc. cap. I, vers. 41, 42; Luc. cap. V, vers. 13.

AD TERTIUM DICENDUM quod praedicta verba quibus fit consecratio, sacramentaliter operantur. Unde vis conversiva quae est in formis horum sacramentorum, sequitur significationem, quae in prolatione ultimae dictionis terminatur. Et ideo in ultimo instanti prolationis verborum praedicta verba consequuntur hanc virtutem: in ordine tamen ad praecedentia. Et haec virtus est simplex ratione significati [ε]: licet in ipsis verbis exterius prolatis fit [ζ] quaedam compositio.

α) *sacramentum hoc.* – *hoc sacramentum* PGIa.
β) *virtute creata aliqua.* – *aliqua virtute b, aliqua virtute creata* F et cetera tertia.
γ) *operativus.* – *operatus* DF, *operatorius* P.
δ) *non.* – *fieri non* E et tertia.
ε) *significati.* – *simplicis significati* PFIsG.
ζ) *fit.* – *sit* EsDFI *a* et tertia, om. pl.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo quarto eiusdem quaestionis, quinque de virtute verborum sacramentalium notanda sunt, scilicet: an est; quid est *; cuius est factiva **; quando est ***; et qualis est *.

* Cf. num. II. ** Cf. num. III. *** Cf. num. IV. * Cf. num. V.

Virtutem habere verba consecrationis, licet sub opinione ponatur *, si perspexerimus tamen doctrinam in generali Concilio * traditam sub Eugenio IV, determinata haec quaestio videtur. Nam inter alia legitur ibi: *Sacerdos in per-*

* Cf. qu. LXII, art. 1, Comment. * Florent., in *Decret. pro Armen.*

sona Christi loquens hoc conficit sacramentum: nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur. Ubi clare vides virtutem verborum assertam a sacro Concilio.

* Qu. LXII, art. 4, Comment. num. III sqq.

II. Ut autem superius * diximus de virtute sacramentorum, sic consequenter nunc dicimus de virtute horum verborum, quod non est qualitas aliqua superaddita ut res quaedam distincta realiter ab ipsa oratione significante, sed est ipsa oratio significans ut instrumentum Dei ad consecrationem. Ita quod oratio ipsa, puta, *Hoc est corpus meum,* secundum se quidem non est aliud quam enuntiatio significans *hoc esse corpus meum;* sed ut assumpta a Christo in instrumentum ad consecrationem istam, est non solum enuntiatio significans, sed instrumentaliter efficiens; quod est habere virtutem, immo est esse virtutem.

Et quia esse virtutem est quoddam adventitium orationi absolute, ideo dicitur *orationem habere virtutem,* et *virtutem esse in verbis,* et *virtus verborum,* et similia. Et quia virtus adventitia qualitatis rationem ac nomen induit, ideo qualitas dicitur: cum tamen secundum rem nihil aliud sit quam orationem esse instrumentum Dei; quod nihil aliud est quam Deum uti oratione instrumentaliter ad talem effectum. Sicut enim omnis creatura est in potentia obedientiali ad hoc quod de ea fiat quidquid Deus vult, ita est etiam in potentia obedientiali ad hoc ut sit instrumentum Dei ad quodcumque faciendum Deus illa uti voluerit. Et sicut Deum in sacramento baptismi per Christi baptismum dedisse virtutem aquis inchoative dicimus *, nulla tamen qualitas superaddita propterea est aquis; et postmodum complete datur virtus aquae in actuali baptismo, per hoc quod Christus baptizans utitur illa aqua: ita in proposito verba ista potius quam alia ab ipso Christo sanctificata sunt inchoative, complete autem vim sortiuntur cum Christus per sacerdotem illa profert ad confectionem huius sacramenti. Talis enim usus verborum est constitutivus instrumentalis efficaciae in oratione qua utitur: nec oportet aliquam superapponere qualitatem.

* Cf. ibid.

Et hoc exemplo in artificialibus videtur manifestari. Nam manus assumi potest, et de facto assumitur a multis artibus in instrumentum: nec oportet artem sutoriam, aut fabrilem, aut musicam, aliquam qualitatem superaddere manui cum illa utitur; sed ex hoc ipso quod ars utitur manu, manus est quaedam vis artis illius. Et sic de aliis. Et hoc multo verius est referendo rem creatam ad divinam omnipotentiam utentem creatura assumendo illam in instrumentum: quanto efficacia divina maior in infinitum est, ut sit intima cuicumque creaturae.

III. Effectus autem virtutis verborum non est dispositio aliqua: sed, ut in allatis * verbis ex sacro Concilio clare patet, est *conversio panis in corpus Christi.* * Num. I.

Nec obstant obiectiones Scoti, in I distinctione * Quarti, de infinitate virtutis requisitae ad transubstantiationem, et de creatione. Primam enim solvit Auctor ad primum, et secundam ad secundum. Exigitur enim infinita virtus in agente principali tantummodo. – Et non est simile de creatione. Quia nulla res in creatione praesupponitur, quam instrumenti actio possit attingere. Hic autem invenitur substantia panis et vini, quae a virtute verborum attingitur, dum convertitur in corpus et sanguinem Christi. * Qu. V.

IV. Et quia verba consecrationis, ut conficiunt orationem significantem quod per sacramentum efficitur, in instrumentum divinae actionis assumuntur; ideo, quandiu utitur Deus per sacerdotis ministerium verbis sacramentalibus, tandiu est virtus sacramentalis, inchoative tamen et in fieri: sicut et ipsa oratio, dum proferuntur partes, inchoative et in fieri est usque ad terminationem. In ipsa namque terminatione orationis oratio perfecte significationem habet: et similiter ista virtus perfecte invenitur. Ideo non prius nec post, sed tunc cum oratio perfecte significans est, virtus instrumentalis praedicta perfecte est et operatur. Unde, cum oratio sit quoddam successivum, cuius existentia non requirit quidquid est eius esse simul, sed ex quocumque eius existente infertur; et significationem non sortiatur nisi in sui termino: propterea dixit Auctor * quod oratio in sui terminatione tantum significationem simul et virtutem sacramentalem sortitur. Cum quo stant supra dicta: alioquin non tota oratio esset instrumentum Dei; aut instrumentum in actu sine vi instrumentali esset per aliquod tempus. * Resp. ad 3.

V. Et sicut significatio huius orationis est quodammodo simplex et quodammodo composita, quoniam ex multis partialibus significationibus consurgit; et simplex esse significat, scilicet hoc esse corpus Christi, absque compositionis, admixtionis, informationis adiunctionisve modo quocumque: ita virtus ista ex parte orationis significantis est quodammodo composita, ex parte autem effectus dicitur simplex in littera, in responsione ad tertium.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM PRAEDICTAE LOCUTIONES SINT VERAE

IV *Sent.*, dist. VIII, qu. II, art. 1, qu[a] 4; *In Matth.*, cap. XXVI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. V.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod praedictae locutiones * non sunt verae. Cum enim dicitur, *Hoc est corpus meum,* ly *hoc* est demonstrativum substantiae. Sed secundum praedicta *, quando profertur hoc pronomen *hoc,* adhuc est substantia panis: quia transubstantiatio fit in ultimo [α] prolationis verborum. Sed haec est falsa, *Panis est corpus Christi.* Ergo etiam haec est falsa, *Hoc est corpus meum.*

* Cf. art. 1-3.
* Art. 1; art. 4, ad 3; qu. LXXV, art. 2, 7.

2. PRAETEREA, hoc pronomen *hoc* facit demonstrationem ad sensum. Sed species sensibiles quae sunt in hoc sacramento neque sunt ipsum corpus Christi, neque sunt accidentia corporis Christi. Ergo haec locutio non potest esse vera, *Hoc est corpus meum.*

3. PRAETEREA, haec verba, sicut supra * dictum est, sua significatione efficiunt conversionem panis in corpus Christi. Sed causa effectiva praeintelligitur effectui. Ergo significatio horum verborum praeintelligitur conversioni panis in corpus Christi. Sed ante conversionem haec est falsa, *Hoc est corpus meum.* Ergo simpliciter est iudicandum quod sit falsa. Et eadem ratio est de hac locutione, *Hic est calix sanguinis mei etc.* * Art. 4, ad 3.

SED CONTRA EST quod haec verba proferuntur ex persona Christi, qui de se dicit, Ioan. XIV *: *Ego sum veritas.* * Vers. 6.

RESPONDEO DICENDUM quod circa hoc multiplex fuit opinio. Quidam * enim dixerunt quod in hac locutione, *Hoc est corpus meum,* haec dictio *hoc* importat demonstrationem ut conceptam, non ut

* Innoc. III, *de S. Altar. Myster.* lib. IV, cap. XVII. – Cf. Praepositin. *Summ., de Eucharist.* (Codic. Vat. Latin. 1174, fol. 61, vers. 1).

α) *ultimo.* – *instanti* addunt Pa.

exercitam: quia tota ista locutio sumitur materialiter, cum recitative proferatur; recitat enim sacerdos Christum dixisse, *Hoc est corpus meum.*

Sed hoc stare non potest. Quia secundum hoc, verba non applicarentur ad materiam corporalem praesentem, et ita non perficeretur sacramentum: dicit enim Augustinus, *super Ioan.* *: *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum.* – Et [β] ex hoc totaliter non evitatur difficultas huius quaestionis: quia eaedem rationes manent circa primam prolationem qua Christus haec verba protulit; quia [γ] manifestum est quod non materialiter, sed significative sumebantur. Et ideo dicendum est quod etiam quando proferuntur a sacerdote, significative, et non tantum materialiter accipiuntur. – Nec obstat quod sacerdos etiam [δ] recitative profert quasi a Christo dicta. Quia propter infinitam virtutem Christi, sicut ex contactu carnis suae [ε] vis regenerativa pervenit non solum ad illas aquas quae Christum tetigerunt, sed ad omnes ubique terrarum * per omnia futura saecula; ita etiam ex prolatione ipsius Christi haec verba virtutem consecrativam sunt consecuta a quocumque sacerdote dicantur, ac si Christus ea praesentialiter proferret.

* Tract. LXXX, n. 3.

* Cf. qu. LXVI, art. 3, ad 4.

Et ideo alii * dixerunt quod haec dictio *hoc* in hac locutione facit demonstrationem, non ad sensum, sed ad intellectum: ut sit sensus, *Hoc est corpus meum*, idest, *Significatum per hoc* [ζ] *est corpus meum.*

* Cf. Halens. *Summ. Theol.*, p. IV, qu. X, memb. IV, art. 2, § 3.

Sed nec hoc stare potest. Quia, cum in sacramentis hoc efficiatur quod significatur [η], non fieret per hanc formam ut corpus Christi sit in hoc sacramento secundum veritatem, sed solum sicut in signo. Quod est haereticum, ut supra * dictum est.

* Qu. LXXV, art. 1.

Et ideo alii dixerunt quod haec dictio *hoc* facit demonstrationem ad sensum, sed intelligitur haec demonstratio non pro illo instanti locutionis quo profertur haec dictio, sed pro ultimo instanti locutionis: sicut, cum aliquis dicit, *Nunc taceo,* hoc adverbium *nunc* facit demonstrationem pro instanti immediate sequenti locutionem; est enim sensus, *Statim dictis his verbis, taceo.*

Sed nec hoc stare potest. Quia secundum hoc, huius locutionis est sensus, *Corpus meum est corpus meum.* Quod praedicta locutio non facit: quia hoc fuit etiam ante prolationem verborum. Unde neque hoc praedicta locutio significat.

Et ideo aliter dicendum est quod, sicut praedictum est *, haec locutio habet virtutem factivam conversionis panis in corpus Christi. Et ideo comparatur ad alias locutiones, quae habent solum vim significativam et non factivam, sicut comparatur conceptio intellectus practici, quae est factiva rei, conceptioni intellectus nostri speculativi, quae est accepta a rebus: nam *voces sunt signa intellectuum,* secundum Philosophum *. Et ideo, sicut conceptio intellectus practici non praesupponit rem conceptam, sed facit eam, ita veritas huius locutionis non praesupponit rem significatam, sed facit eam: sic enim se habet verbum Dei ad res factas per verbum. Haec autem conversio non fit successive, sed in instanti, sicut dictum est *. Et ideo oportet quidem intelligere praedictam locutionem secundum ultimum instans prolationis verborum: non tamen ita quod praesupponatur ex parte subiecti id quod est terminus conversionis, scilicet quod corpus Christi sit corpus Christi; neque etiam illud quod fuit ante conversionem, scilicet panis; sed id quod communiter se habet quantum ad utrumque, scilicet contentum in generali sub istis speciebus. Non enim faciunt haec verba quod corpus Christi sit corpus Christi; neque quod panis sit corpus Christi; sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi. Et ideo signanter non dicit Dominus, *Hic panis est corpus meum,* quod esset secundum intellectum secundae opinionis; neque, *Hoc corpus meum est corpus meum,* quod esset secundum intellectum tertiae; sed in generali, *Hoc est corpus meum,* nullo nomine apposito ex parte subiecti, sed solo pronomine, quod significat substantiam in communi sine qualitate, idest forma determinata.

* Art. praeced.

* *Peri Herm.* lib. I, cap. I, n. 2. - S. Th. lect. II.

* Qu. LXXV, art. 7.

Ad primum ergo dicendum quod haec dictio *hoc* demonstrat substantiam, sed absque determinatione propriae naturae, sicut dictum est *.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod hoc pronomen *hoc* non demonstrat ipsa accidentia, sed substantiam sub accidentibus contentam, quae primo fuit panis, et postea est corpus Christi: quod, licet non informetur his accidentibus, tamen sub eis continetur.

Ad tertium dicendum quod significatio huius locutionis praeintelligitur rei significatae ordine naturae, sicut causa naturaliter est prior effectu: non tamen ordine temporis, quia haec [θ] causa simul habet secum suum effectum. Et hoc sufficit ad veritatem locutionis.

β) *Et.* – *praeterea* (*propterea bc*) addit tertia.

γ) *quia.* – D; *quare.* – Pro *significative sumebantur, etiam significative sumuntur* F.

δ) *etiam.* – *etiam ea quae* F. *in (recitatione)* H, *ea* PI.

ε) *carnis suae.* – PEFI; *suae* ABC, *suo* D, *suae carnis* ed. *a*, *carnis suae mundissimae* GH*bc*. – *regenerativa* EF*a* et tertia; *generativa.*

ζ) *Significatum per hoc.* – PBFIc; *per hoc significatum per hoc* CE, *per hoc quod significatum per hoc* A, *per significatum hoc* ed. *a*, *per hoc significatum hoc* HpG et *b*, *significatum per hoc hoc* sG.

η) *significatur.* – EF et tertia; *significat.*

θ) *haec.* – *hic* BC, om. I.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo quinto eiusdem quaestionis tres difficultates tangendae sunt: prima, de veritate; secunda, de consignificatione *; tertia, de demonstratione **.

* Cf. num. II.
** Cf. num. IV.

De enuntiationis igitur huius sacramentalis, *Hoc est corpus meum*, veritate, scito aliquid esse certum, et aliquid in quaestionem verti. Nam certum est ipsam in quolibet instanti temporis quo est, esse veram vel falsam: quia aut sic est, et est vera; aut non sic est, et est falsa. In dubium autem vertitur an, prius natura quam conversio sit, sit vera aut falsa. Et est ratio dubii, quia sacramentalis haec oratio est conversiva: ac per hoc, prius natura est quam conversio, quae est suus effectus. Et propterea dubitatur an in illo priori naturae sit vera vel falsa.

Et Scotus quidem, in VIII distinctione * Quarti, declinavit in opinionem tertiam: quod nec ut vera, nec ut falsa, sed ut neutra se habet.

* Qu. II, art. 3.

Auctor autem in hoc articulo, tam in corpore quam in responsione ad tertium, tenet quod oratio ista ut vera, practice tamen seu causaliter, in illo priori naturae concurrit. De intellectu siquidem speculativo solo intelligendum est quod *ab eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa* *. Nam, licet de utroque intellectu verificetur quod ab eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa formaliter; practicus tamen intellectus, priusquam res sit, est verus practice seu causaliter, quia non praesupponit, sed facit rem esse unde denominatur verus formaliter.

* Aristot. *Categor.*, cap. IX, n. 6.

II. Circa consignificationem autem *, omnes convenire in hoc videntur quod haec locutio, *Hoc est corpus meum*, intelligitur secundum ultimum instans prolationis verborum. Sed diversitas opinionum est: quia alii putant contingere hoc ex virtute sermonis; alii autem opinantur non esse hoc ex virtute sermonis, sed ex intentione sacramentali. Et quoniam obscura ob confusionem redditur difficultas haec, distinguendum est, ut clara fiat.

* Cf. num. I, princip.

Distingue igitur de tempore seu instanti quo oratio significat: vel de tempore seu instanti pro quo oratio significat. Aliud est enim *quando oratio consignificat*, et aliud est *quando per orationem consignificatum*, ut patet dicendo, *Petrus crucifixus est:* quando enim oratio ista significat, tunc est cum profertur; sed *quando consignificatum* est tempus praeteritum, ut patet.

Significatio autem orationis non est nisi oratio sit integra integritate essentiali: quoniam oratio non essentialiter integra non est oratio, et consequenter non significat. Integra autem non est oratio nisi in termino prolationis. Et propterea oratio non significat nisi in termino suae prolationis. Et quia consignificare praesupponit significare, utpote adiacens illi, ideo oratio, sicut non significat, ita nec consignificat, nisi in termino suae prolationis.

Nec est hoc solum verum de tota oratione, sed et de partibus ut integrant totam. Et de copula quidem declaratur dupliciter. Tum ex eo quod ly *est* significat compositionem, quam sine extremis non est intelligere: non enim potest intelligi compositio prior his quae componuntur. – Tum quia experimur quod huius orationis, *Lignum est album,* postquam prolatae sunt primae dictiones, scilicet *Lignum est,* antequam proferatur ly *album,* ly *est* non significat compositionem ligni cum albo. Quod convincitur si ponamus orationem sistere: tunc enim manifeste apparet non praesignificatam esse compositionem dictam per ly *est.* Significat ergo ipsam compositionem, non quando profertur, sed quando coniungit praedicatum subiecto: quod nihil aliud est dicere quam cum oratio est integra. – Et quia prius natura significat quam consignificat, ideo ly *est,* sicut non significat compositionem ante integritatem orationis, ita nec consignificat tunc quando profertur, sed tunc quando integratur oratio.

De subiecto autem dupliciter etiam idem manifestatur in proposito. Tum quia *talia sunt subiecta qualia permittuntur a praedicatis.* Et propterea ante praedicata non habent suppositionem suam. – Tum quia clare perspicimus quod, dictis istis duabus dictionibus, *Homo est,* ut formetur propositio de tertio adiacente, nullus intellectus habetur tam subiecti quam copulae, sed variabitur utriusque sensus iuxta varietatem praedicati, ut patet formando duas propositiones quarum una sit, *Homo est albus,* et altera, *Homo est species:* clare enim in his liquet et subiectum et copulam praedicatum expectare, ita quod varietas praedicati varietatem inducit et in tota oratione, et in subiecto, et copula, ut patet discurrenti.

Et similiter oratio ista, *Hoc est corpus meum.* Ly *hoc* non demonstrat tunc cum profertur, neque ly *est* significat aut consignificat tunc cum profertur, compositionem seu coniunctionem inter ly *hoc* et corpus Christi: ut ex hoc convincitur quod, si quis subiungendo non apponeret *corpus meum,* sed ly *panis* aut ly *pronomen*, enuntiatio non esset falsa; quarum tamen utramque oporteret esse falsam si ly *est* significasset tunc cum proferebatur, coniunctionem inter *hoc* et corpus Christi.

Loquendo igitur de quando oratio seu verbalis copula significat aut consignificat, sentiendum est quod tunc primo significat aut consignificat cum primo oratio integratur. Et hoc non ex intentione proferentis, sed ex vi ipsius orationis: ut patere potest ex dictis. Nec istud *quando* significatur aut consignificatur per orationem seu copulam verbalem, sed est *quando* adiacens seu mensurans significationem et consignificationem: attenditur enim secundum mensuram orationis significantis et consignificantis, ut patet in orationibus de praeterito. Et, ut hoc concludamus, istud *quando* se tenet ex parte mensurae seu durationis enuntiationis significantis et consignificantis: illud vero *quando* quod per copulam seu orationem consignificatur, se tenet ex parte mensurae seu durationis rei significatae. Et propterea clare patet haec duo *quando* maxime ab invicem posse distare, quantum distat mensura integrae orationis a mensura rei significatae.

Et hinc patet commune esse omni enuntiationi significare et consignificare tunc cum integratur: quia tunc primo est oratio, et per hoc, tunc primo significat et consignificat. Sed, sicut orationes differunt inter se quantum ad res significatas, ita etiam differunt quantum ad *quando* seu tempora consignificata.

Et haec in communi dicta si perspexeris, ambiguitates per quas discurrit Scotus *, evanescent.

* Loc. cit. supra, num. I.

III. Descendendo autem ad propositum, advertendum est quod contingit ista duo *quando,* scilicet ex parte mensurae significationis et ex parte mensurae rei significatae, coincidere in unum et idem *quando,* ita quod illud idem tunc sit quando oratio significat et consignificat, et quando significatum consignificatur esse. Contingit autem hoc in proposito ex ratione in littera reddita: quia scilicet oratio ista, *Hoc est corpus meum,* est conversiva panis in corpus Christi in instanti, et oratio ista significat conversionem ipsam ut in termino. Ex re siquidem significata habetur quod ly *est* consignificat instans conversionis panis in corpus Christi, seu, et in idem redit, quo primo hoc est corpus Christi: et quia illud instans coincidit cum instanti quo haec oratio integratur, ideo dicitur, et bene, quod *oportet hanc orationem intelligere secundum ultimum instans prolationis.* Et quoniam consignificare instans conversionis convenit huic orationi ex natura sua, qua est oratio sacramentalis, seu factiva conversionis, seu conversiva panis in corpus Christi; ideo ex virtute sermonis talis, scilicet sacramentalis conversivi, habet haec oratio quod consignificet instans conversionis.

IV. Circa demonstrationem vero quam facit ly *hoc* cum dicitur, *Hoc est corpus meum* *, licet varia verba dicantur: quoniam in littera dicitur demonstrari *contentum in generali sub istis speciebus;* Scotus autem * specificando dicit demonstrari *individuum entis,* quia ly *hoc,* quantum est ex se, demonstrat individuum universalissimi, utpote

* Cf. num. I, princip.

* Loc. cit. conclus. 10. – Cf. num. seq., fin.

de quo possint omnia inquiri: – mihi tamen videtur quod demonstret *individuum substantiae,* idest, *hanc substantiam.*

Et quidem quod demonstret individuum, nulli est dubium: quoniam non universale, sed singulare aliquod est tam quod convertitur in corpus Christi, quam de quo enuntiatur corpus Christi.

Quod vero sit individuum substantiae, probatur. Tum ex eo quod ly *hoc* est pronomen demonstrativum substantiae. – Tum ex eo quod haec demonstratio debet esse certa. Demonstrando autem hanc substantiam, demonstratio est certissima: quoniam haec substantia est corpus Christi. Sed si demonstraret individuum entis, demonstratio remaneret ambigua, immo magis falsa appareret quam vera: nam ly *hoc ens* posset demonstrare tam accidens quam substantiam, cum utrumque sit hoc ens; et magis appareret demonstrari accidens, propter demonstrationem fieri ad sensum. – Tum quia, demonstrando individuum substantiae, demonstratio est simplicior et purior, non egens glossis. Nam, apposita ante sensus hostia, et dicendo, *Haec substantia est corpus meum,* non oportet ad glossas recurrere: *Quid est illud quod est conversum in corpus Christi?* aut, *Quid est illud quod hic adoramus?* et huiusmodi.

V. Est autem sententia haec etiam Auctoris. Nam expresse dicit, in responsione ad primum et secundum, quod ly *hoc* demonstrat *substantiam sine qualitate* *, idest, *sine determinatione alicuius propriae naturae* *, puta panis aut corporis Christi. – Et hoc idem intendit dicendo quod demonstrat *contentum in generali sub istis speciebus* *. Scivit enim quod non demonstratur universale aliquod: sed circumlocutus est individuum communioris seu generalioris ab accidentibus distincti, ac sub eis contenti. Dantur enim individua magis et minus universalia, sicut dantur naturae magis et minus universales: est enim intelligere Socratem in praedicamento substantiae esse non solum hunc hominem, sed hoc animal, hoc vivum, hoc corpus, hanc substantiam. Et sic haec substantia, demonstrata per ly *hoc,* est contenta sub istis accidentibus in generali, idest, communiter se habens ad panem et corpus Christi, pro quanto ab utroque abstrahendo significatur.

* In fine corp.
* Resp. ad 1.
* In fine corp.

Ad rationem autem Scoti * dicitur quod, licet primum nomen loco cuius potest poni *hoc*, sit individuum entis communissimi analogice etiam ad entia rationis; quia tamen certitudo demonstratae rei praeponderat, quoniam ad propriam certamque notitiam sacramenti huius spectat res demonstrata; ratio illa ad communia nominum ideo posthabenda est, ne in ambiguo nos demonstratio relinquat, sed certos demonstratio reddat quod *haec substantia est corpus Christi.*

* Num. praec.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM FORMA CONSECRATIONIS PANIS CONSEQUATUR EFFECTUM SUUM ANTEQUAM PERFICIATUR FORMA CONSECRATIONIS VINI

IV *Sent.*, dist. VIII, qu. II, art. 4, qu^a 1; dist. XI, qu. II, art. 1, qu^a 1, ad 4; *In Matth.*, cap. XXVI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. VI.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod forma consecrationis panis non consequatur effectum suum quousque perficiatur forma consecrationis vini. Sicut enim per consecrationem panis incipit esse corpus Christi sub hoc sacramento, ita per consecrationem vini incipit esse sanguis. Si ergo verba consecrationis panis haberent effectum suum ante consecrationem vini, sequeretur quod in hoc sacramento inciperet esse corpus Christi exsangue [α]. Quod est inconveniens.

2. PRAETEREA, unum sacramentum unum habet complementum: unde, licet in baptismo sint tres immersiones, non tamen prima immersio consequitur suum effectum quousque tertia fuerit terminata *. Sed totum hoc sacramentum est unum, ut supra * dictum est. Ergo verba quibus consecratur panis, non consequuntur suum effectum sine verbis sacramentalibus quibus consecratur vinum.

* Cf. qu. LXVI, art. 8.
* Qu. LXXIII, art. 2.

3. PRAETEREA, in ipsa [β] forma consecrationis panis sunt plura verba, quorum prima non consequuntur effectum nisi prolato ultimo, sicut dictum est *. Ergo, pari ratione, nec verba quibus consecratur corpus Christi habent effectum, nisi prolatis verbis quibus sanguis Christi consecratur.

* Art. 4, ad 3; art. 5, arg. 1; qu. LXXV, art. 2, 7.

SED CONTRA EST quod, statim dictis verbis consecrationis panis, hostia consecrata proponitur populo adoranda. Quod non fieret si non esset ibi corpus Christi: quia hoc [γ] ad idololatriam pertineret. Ergo verba consecrationis [δ] suum effectum consequuntur antequam proferantur verba consecrationis vini.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam antiqui doctores dixerunt quod hae duae formae, scilicet consecrationis panis et vini, se invicem expectant in agendo: ita scilicet quod prima non perficit suum effectum antequam secunda proferatur.

Sed hoc stare non potest. Quia, sicut dictum est *, ad veritatem huius locutionis, *Hoc est corpus meum,* requiritur, propter verbum praesentis temporis, quod res significata simul tempore sit cum ipsa significatione locutionis: alioquin, si in futurum expectaretur res significata, apponeretur verbum futuri temporis, non autem verbum praesentis; ita scilicet quod non diceretur, *Hoc est corpus meum,* sed, *Hoc erit corpus meum.* Significatio autem huius locutionis completur statim completa prolatione [ε] horum verborum. Et ideo oportet rem significatam statim adesse, quae quidem est effectus huius sacramenti: alioquin locutio non esset vera. – Est etiam haec positio contra ritum Ecclesiae, quae statim post prolationem verborum corpus Christi adorat.

* Art. 5, ad 3.

Unde dicendum est quod prima forma non expectat secundam in agendo, sed statim habet suum effectum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ex hac ratione

α) *exsangue.* – GH et per *Alias* margo P; *sine sanguine* editiones et *a*, *exsanguine* ceteri.
β) *in ipsa.* – *ipsa* PF.
γ) *hoc.* – *sic* editiones.
δ) *consecrationis.* – *panis* addunt FI et editiones.
ε) *completa prolatione.* – *locutione completa* bc, *completa locutione* P.

* In corpore. videntur fuisse decepti illi qui praedictam * positionem posuerunt. Unde intelligendum est quod, facta consecratione panis, est quidem corpus Christi ibi ex vi sacramenti, et sanguis ex reali concomitantia; sed postmodum, post ζ consecrationem vini, fit ibi e converso sanguis Christi ex vi sacramenti, corpus autem Christi ex reali concomitantia; ita quod totus Christus est sub utraque specie, sicut supra * dictum est. * Qu. LXXVI, art. 2.

Ad secundum dicendum quod hoc sacramentum est unum perfectione, sicut supra * dictum est: * Loc. cit. in arg. inquantum scilicet constituitur ex duobus, scilicet ex cibo et potu, quorum utrumque per se habet suam perfectionem. Sed tres immersiones baptismi ordinantur ad unum simplicem effectum. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum quod diversa verba quae sunt in forma consecrationis panis, constituunt veritatem unius locutionis: non autem verba diversarum formarum. Et ideo non est simile.

ζ) *post.* – *per* tertia praeter I.



QUAESTIO SEPTUAGESIMANONA

DE EFFECTIBUS HUIUS SACRAMENTI

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de effectibus huius sacramenti *.

* Cf. qu. LXXIII, Introd.

Et circa hoc quaeruntur octo.

Primo: utrum hoc sacramentum conferat gratiam.

Secundo: utrum effectus huius sacramenti sit adeptio gloriae.

Tertio: utrum effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis.

Quarto: utrum per hoc sacramentum remittatur peccatum veniale.

Quinto: utrum per hoc sacramentum tota poena peccati remittatur.

Sexto: utrum hoc sacramentum hominem praeservet a peccatis futuris.

Septimo: utrum hoc sacramentum prosit aliis quam sumentibus.

Octavo: de impedimentis effectus huius sacramenti.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM PER HOC SACRAMENTUM CONFERATUR GRATIA

IV *Sent.*, dist. XII, qu. II, art. 1, qu^a 1, arg. *Sed cont.* 2; art. 2, qu^a 1, ad 2.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per hoc sacramentum non conferatur gratia. Hoc enim sacramentum est nutrimentum spirituale. Nutrimentum autem non datur nisi viventi. Cum ergo vita spiritualis sit per gratiam, non competit hoc sacramentum nisi iam habenti gratiam. Non ergo per hoc sacramentum confertur gratia ut primo habeatur. Similiter etiam nec ad hoc quod augeatur: quia augmentum spirituale pertinet ad sacramentum confirmationis, ut dictum est *. Non ergo per hoc sacramentum gratia confertur.

* Qu. LXV, art. 1; qu. LXXII, art. 1.

2. PRAETEREA, hoc sacramentum assumitur [α] ut quaedam spiritualis refectio. Sed refectio spiritualis magis videtur pertinere ad usum gratiae quam ad gratiae consecutionem [β]. Ergo videtur quod per hoc sacramentum gratia non conferatur.

3. PRAETEREA, sicut supra * dictum est, in hoc sacramento *corpus Christi offertur pro salute corporis, sanguis autem pro salute animae.* Sed corpus non est subiectum gratiae, sed anima, ut in Secunda Parte * habitum est. Ergo ad minus quantum ad corpus per hoc sacramentum gratia non confertur.

* Qu. LXXIV, art. 1, ex Pseudo-Ambros.

* I^a II^ae, qu. CX, art. 4.

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Ioan. VI *: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Sed vita spiritualis est per gratiam. Ergo per hoc sacramentum gratia confertur.

* Vers. 52.

RESPONDEO DICENDUM quod effectus huius sacramenti debet considerari, primo quidem et principaliter, ex eo quod in hoc sacramento continetur, quod est Christus. Qui sicut, in mundum visibiliter veniens, contulit mundo vitam gratiae, secundum illud Ioan. I *, *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est;* ita, in hominem sacramentaliter veniens, vitam gratiae operatur, secundum illud Ioan. VI *: *Qui manducat me, vivit* [γ] *propter me.* Unde et Cyrillus dicit *: *Vivificativum Dei Verbum, uniens seipsum propriae carni, fecit ipsam vivificativam. Decebat ergo* [δ] *eum nostris quodammodo uniri corporibus per sacram eius carnem et pretiosum sanguinem, quae accipimus in benedictione vivificativa in pane et vino.*

* Vers. 17.

* Vers. 58.

* Comment. in Luc., cap. XXII, vers. 19, 20. - Cf. Caten. Aur. in Luc., cap. XXII, e.

Secundo consideratur ex eo quod per hoc sacramentum repraesentatur, quod est passio Christi, sicut supra * dictum est. Et ideo effectum quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentum facit in homine *. Unde super illud Ioan. XIX *, *Continuo exivit sanguis et aqua,* dicit Chrysostomus *: *Quia hinc suscipiunt principium sacra mysteria, cum accesseris ad tremendum calicem, vel* [ε] *ab ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas.* Unde et [ζ] ipse Dominus dicit, Matth. XXVI *: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.*

* Qu. LXXIV, art. 1; qu. LXXVI, art. 2, ad 1.

* D. 584.

* Vers. 34.

* Hom. LXXXV, al. LXXXIV, *in Ioan.*- Cf. *Caten. Aur. in Ioan.*, cap. XIX, *k*.

* Vers. 28.

Tertio consideratur effectus huius sacramenti ex modo quo traditur hoc sacramentum, quod traditur per modum cibi et potus. Et ideo omnem effectum quem cibus et potus materialis facit quantum ad vitam corporalem, quod scilicet sustentat, auget, reparat et delectat, hoc totum facit hoc sacramentum quantum ad vitam spiritualem. Unde Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* *: *Iste panis est vitae aeternae, qui animae*

* Lib. V, cap. IV.- Cf. can. *Non iste panis, de Consecr.*, dist. II.

α) *assumitur.* – *confertur* editiones.
β) *consecutionem.* – *consecrationem bc, collationem* P.
γ) *vivit.* – *vivet* P.
δ) *ergo.* – P; om. H, *enim* ceteri.
ε) *vel.* – *velut* I, *ut* P.
ζ) *Unde et.* – Tertia; *Ut et* ABD*a*, *Ut* CEF.

nostrae substantiam fulcit. Et Chrysostomus dicit, *supra Ioan.* * [* Hom. XLVI, al. XLV.]: *Praestat se* [η] *nobis desiderantibus et palpare et comedere et amplecti.* Unde et ipse Dominus dicit, Ioan. VI * [* Vers. 56.]: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

Quarto consideratur effectus huius sacramenti ex speciebus in quibus hoc traditur sacramentum. Unde et Augustinus, ibidem * [* In Ioan. Evang., tract. XXVI, n. 17.], dicit: *Dominus noster corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit quae ad unum aliquod rediguntur ex multis: namque* [θ] *aliud,* scilicet panis, *ex multis granis in unum constat, aliud,* scilicet vinum, *ex multis racemis confluit.* Et ideo ipse alibi dicit, *super Ioan.* * [* Ibid., n. 13.]: *O sacramentum pietatis, O signum unitatis, O vinculum caritatis.*

Et quia Christus et eius passio est causa gratiae, et spiritualis refectio et caritas sine gratia esse non potest, ex omnibus praemissis manifestum est quod hoc sacramentum gratiam confert.

Ad primum ergo dicendum quod hoc sacramentum ex seipso virtutem habet gratiam conferendi: nec aliquis habet gratiam ante susceptionem huius sacramenti nisi ex aliquali [ι] voto ipsius, vel per seipsum, sicut adulti, vel voto Ecclesiae, sicut parvuli, sicut supra * [* Qu. LXXIII, art. 3.] dictum est. Unde ex efficacia virtutis ipsius est quod etiam ex voto ipsius aliquis gratiam consequatur, per quam spiritualiter vivificetur. Restat igitur ut, cum ipsum sacramentum realiter sumitur, gratia augeatur, et vita spiritualis perficiatur. Aliter tamen quam per sacramentum confirmationis, in quo augetur et perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi. Per hoc autem sacramentum augetur gratia, et perficitur spiritualis vita, ad hoc quod homo in seipso perfectus existat per coniunctionem ad Deum.

Ad secundum dicendum quod hoc sacramentum confert gratiam spiritualiter, cum virtute caritatis. Unde Damascenus * [* De Fide Orth., lib. IV, cap. XIII.] comparat hoc sacramentum carboni quem Isaias vidit, Isaiae VI * [* Vers. 6.]: *Carbo enim lignum simplex non est, sed unitum igni: ita et panis communionis* [κ] *non simplex panis est, sed unitus divinitati.* Sicut autem Gregorius dicit, in Homilia Pentecostes * [* Homil. lib. II, hom. XXX.], *amor Dei non est otiosus: magna enim operatur, si est.* Et ideo per hoc sacramentum, quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiae et virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum: secundum illud II *Cor.* V * [* Vers. 14.]: *Caritas Christi urget nos.* Et inde est quod ex virtute huius sacramenti anima spiritualiter reficitur, per hoc quod anima delectatur [λ], et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinae: secundum illud *Cant.* V * [* Vers. 1.]: *Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi.*

Ad tertium dicendum quod, quia sacramenta operantur secundum similitudinem per quam [μ] significant, ideo per quandam assimilationem dicitur quod in hoc sacramento *corpus offertur pro salute corporis, et sanguis pro salute animae:* quamvis utrumque ad salutem utriusque operetur, cum sub utroque totus sit Christus, ut supra * [* Qu. LXXVI, art. 2.] dictum est. Et licet corpus non sit immediatum subiectum gratiae, ex anima tamen redundat effectus gratiae ad corpus: dum in praesenti *membra nostra exhibemus arma iustitiae Deo,* ut habetur *Rom.* VI * [* Vers. 13.]; et in futuro corpus [ν] nostrum sortietur incorruptionem et gloriam animae.

η) *se.* – Om. PFc.
θ) *namque.* – CE et tertia; *nam quod* ABD, *nam quod quidem* F. Pro *ex multis racemis, in unum ex multis racemis* (*acinis* P, sed cf. qu. LXXV. art. 2. arg. 3.) PGHc, *in unum acinis* I; ed. *a* legit: *nam quid aliud, scilicet panis, nisi quod ex multis granis in unum constat? et quid aliud, scilicet vinum, nisi quod ex multis racemis confluit?*
ι) *nisi ex aliquali.* – (*vel* P) *nisi ex aliquo* tertia praeter sG.
κ) *communionis.* – P; *communicationis.*
λ) *delectatur.* – *spiritualiter delectatur* editiones; *per hoc... delectatur* om. G.
μ) *secundum similitudinem per quam.* – *salutem quam* H et editiones, (*per similitudinem* sup. rasuram a scriptore) *quam* G cuius margo *salu* tenui correctoris scriptura.
ν) *corpus.* – D et tertia; *cor.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Circa effectus Eucharistiae in nobis, advertendum est quod in littera * [* In introductione quaestionis.] ponuntur numero sex, scilicet: adeptio gloriae, collatio gratiae, remissio peccati mortalis, remissio peccati venialis, remissio poenae pro peccatis debitae, et praeservatio a peccando. De quibus duo declaranda sunt, scilicet tempus et modus * [* Cf. num. IX.]. Cum quibus etiam simul declarabitur subiectum.

De tempore quidem aliquid clarum est, et aliquid ambiguum. Nam de primo effectu, scilicet vita aeterna, constat tempus executionis non oportere esse tempus sumptionis Eucharistiae: sumpta siquidem longe ante Eucharistia, contingit effectum aeternae vitae subsequi, iuxta verbum Domini * [* Ioan. cap. VI, vers. 59.], *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* – De aliis vero effectibus, in dubium vertitur an unum et idem sit tempus quo sumitur hoc sacramentum, et quo in executionem ponuntur illi effectus. Et propterea singillatim declarandi sunt * [* Cf. num. II, VIII.].

II. Secundus igitur effectus, qui est gratia gratum faciens, tres ramos habet, prout tripliciter * [* Cf. num. VI.] contingit consequi gratiam, scilicet: vel de novo acquirere ipsam vitam gratiae; vel, praesupposita gratia, acquirere de novo augmentum gratiae * [* Cf. num. III.]; vel acquirere de novo actualem delectationem ac refectionem spiritualem secundum vitam gratiae * [* Cf. num. VII.]. Haec enim tria comprehenduntur sub uno effectu Eucharistiae, cum dicitur quod confert gratiam. Potest siquidem intelligi quod confert gratiam habitualem vel primam; vel augmentando primam; aut gratiam actualem spiritualis refectionis ac delectationis in actu caritatis.

Et quia primam gratiam sumptio huius sacramenti non per se confert, sed per accidens, hoc est, propter contingentem sumentis dispositionem, quoniam per se praerequirit sumentem vivum, prima autem gratia mortuo datur: ideo tempus *primae gratiae* per accidens consideratur. Et videtur coincidere cum tempore sumptionis. Nam, si existens in peccato mortali sibi incognito, quando sumit hoc sacramentum non resuscitatur ad vitam, non apparet quare deinceps ex virtute huius sacramenti resuscitabitur.

Intelligo autem in tota hac materia per tempus sumptionis Eucharistiae, non illam solam morulam qua deglutitur: sed cum consequente temporis spatio quo Christi corpus sacramentaliter in sumente perseverat. Est enim tunc praesens corporaliter in nobis, ac per hoc, pascens et illuminans spiritualiter animam: ut sic etiam illud impleatur, *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi* * [* Ioan. cap. IX, vers. 5.]. Attestatur autem huic sententiae necessaria mentis occupatio communicantium, et praecipue sacerdotum, circa reverentiam exteriorem huius sacramenti, ne scilicet aut sanguis effundatur, aut partes hostiae dentibus aut palato haereant,

et huiusmodi: quo fit ut magis effectus sacramenti, puta contritio cum prima datur gratia, in tempore consequente sumptionem quam in ipsa sumptione appareat; et simile videtur de aliis effectibus actualibus.

Puto tamen posse contingere ut sumens sit ita dispositus quod nec consequatur vitam gratiae, nec de novo mortaliter peccet sumendo, sed ita excusetur a peccato in sumendo ut propinquior fiat vitae gratiae; ex qua appropinquatione, secundum aliquos actus attritionis et desiderii divinae gratiae, paulatim perducatur, divina duce misericordia, ad occasiones verae contritionis; ut tandem, alia forte vice sumendo, gratiam verae contritionis percipiat. Moveor autem ad hoc quia nullam apud me habeo rationem cogentem ad alterum horum, scilicet: existens in peccato mortali, facta diligenti quamvis non sufficienti sui probatione, communicando aut iustificatur; aut peccat mortaliter. Videtur enim, ut dictum est, posse dari medium, propter latitudinem quae datur in illa diligente non tamen sufficiente probatione sui: non enim consistit in indivisibili. Divinae quoque liberalitatis largitas, ex cuius abundantia hic effectus per accidens huic sacramento tribuitur, ad quantam ordinaverit indispositionem peccatoris se suppleturam, dicat qui novit.

III. De tempore vero *augmenti habitualis gratiae* * magis ambiguum est, secundum Auctoris doctrinam, ut patebit in processu. Auctor enim in IV *Sent.*, dist. XII, qu. II, art. 1 *, tenet augmentum gratiae impediri ex impedimento actualis conversionis animae ad Deum: ac per hoc, sentit quod idem est tempus sumptionis sacramenti, et tempus augmenti gratiae; quia illud idem constat esse tempus transformationis actualis animae in Deum.

* Cf. num. II, princip.
* Qu^a 3.

In hac autem quaestione, articulo ultimo *, verba litterae sonant oppositum, dum dicit quod mentis distractio per peccata venialia in actu tollit quidem actualem refectionem spiritualis dulcedinis, non autem augmentum gratiae habitualis. Et rursus in responsione ad primum inquit: *Ille qui cum actu venialis peccati ad hoc sacramentum accedit, habitualiter quidem manducat spiritualiter, sed non actualiter. Et ideo habitualem effectum huius sacramenti percipit, non autem actualem.*

* In corpore.

Quae Auctoris verba possunt tripliciter intelligi *. Primo, ut sonant secundum superficiem: ut per hoc sacramentum augeatur intensive habitualis gratia tunc cum sumitur, etiam si nullus interior caritatis actus, ob mentis distractionem, interveniat; et hoc ex virtute ipsius sacramenti causantis huiusmodi augmentum in anima nullum huic habituali augmento impedimentum praestante. Et hic sensus favorabilis est, et demulcens aures multitudinis innumerabilium sacerdotum, quasi quotidie aut frequentissime celebrantium, qui tamen seipsis meliores non quotidie fiunt.

* Cf. num. IV, V.

Mihi autem, hinc ordiendo, sensus iste verus non apparet. Si enim qualibet sumptione Eucharistiae augeretur gratia infinitorum pene sacerdotum, quos credimus vere in gratia celebrare, caritas iam esset maior intensive quam credi rationabile sit: cum tanta magnitudo caritatis in tanta multitudine otiosa appareat, quoniam nec extra apparent, nec intus de seipsis testantur actus similes ferventissimae caritati; et tamen certum est quod, sicut *amor Dei non est otiosus, sed operatur magna si est* *, ita tam magna augmentatio amoris Dei non est otiosa, sed operatur multo maiora quam prius proportionaliter si est. Et consequenter, si longe maiora operari renuit, longe maior caritas non est. Et tamen longe maior ponitur esse, si in singulis celebrationibus quantumcumque parum crevisset, caritas sacerdotis qui tot annis diebus fere singulis in gratia celebravit.

* S. Greg. *Homil. in Evang.* lib. II, homil. XXX. - Cf. resp. ad 2.

Praeter autem hanc ex experientia coniecturam, in promptu ratio cum auctoritate suffragatur. Sacramentum enim hoc, quia datur per modum cibi et potus, dicente Domino *, *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*, non auget, sicut nec nutrit, nisi per modum nutrimenti. Sed sine actu vitali nutriti tam cibus quam potus nec nutrit nec auget: ut patet in alimento corporali. Ergo sine operatione vitali spiritualis animae quae nutritur, cibus iste nec nutrit nec auget. – Auctoritas quoque, ex eodem fundamento, ex IV *Sententiarum* iam * allata est.

* Ioan. cap. VI, vers. 56.
* Supra, in princ. hui. num.

Nec obstat efficaciae huius rationis quod phreneticis in mortis articulo datur hoc sacramentum. Tum quia sacramenti effectus ex his quae per se concurrunt, considerandus ac iudicandus est: et non ex his quae in casu accidunt. – Tum quia phreneticis constat dari viaticum non ad primum et proprium Eucharistiae effectum, qui est actualis refectio spiritus: et consequenter nec ad nutriendum, nec ad augendum in hac vita gratiam. – Tum quia phreneticis datur viaticum propter vitam aeternam, et propter impugnationes daemonum, iuxta illud Ambrosii *: *Recedant procul a potentia praesentiae tuae* *.

* *Precat. I*, n. 8; inter Opp. Ambros. - Vide Missal. Rom. Orat. ante miss. in Sabbato.
* Cf. num. IX, fin.

IV. Aliter ergo intelliguntur verba litterae de perceptione habituali, ut sit sensus quod talis distractus non actualiter, sed habitualiter percipit effectum habitualem, seu augmentum gratiae spiritualis: sicut habitualiter manducationem spiritualem habet. Ita quod manducans habitualiter tantum, idest, habens habitum quo potest spiritualem manducationem actualiter habere, hoc est, habendo caritatem, sumens hoc sacramentum absque actuali interiori devotione, habet etiam habitum percipiendi augmentum. Et sicut non impeditur per peccata venialia, cum huiusmodi distractione, quin per hanc sumptionem mereatur augmentum caritatis, exequendum tamen tempore quo ad hoc erit dispositus; ita non impeditur quin ex hac sumptione percepturus sit augmentum caritatis, quando tamen ad hoc erit dispositus. Et secundum hunc sensum, tempus augmenti caritatis est quando sumens est dispositus ad augmentum, sive hoc sit tempore sumptionis sive post. Minorem tamen dispositionem require ad augmentum caritatis ex hoc sacramento quam ad augmentum sine sacramento: ut habeatur ratio virtutis sacramentalis, et praesertim huius sacramenti, in quo est ipse Christus.

Fovet autem hunc sensum quod Auctor intendit ponere differentiam inter refectionem spiritualem, consistentem in operatione, et augmentum habitus, quoad impediri a peccato veniali. Et sic salvatur differentia: quod refectio spiritualis ita tollitur per distractionem quod nunquam ex hac sumptione habebitur; augmentum vero habitus habendum relinquitur post, sicut et vita aeterna.

V. Tertius autem sensus consistit in declaratione terminorum: dicendo quod, duobus existentibus per se propriis huius sacramenti effectibus, scilicet operatione et habitu, Auctor utriusque latitudinis id quod praecipuum est, nominavit. Et in latitudine quidem operationum, nominavit spiritualem refectionem cum sua delectatione: in latitudine vero habitualium donorum, nominavit augmentum gratiae seu caritatis. Ut sic loqueretur de hoc sacramento secundum suam perfectionem, docendo ea quae ipsius sunt quatenus aut alterum, aut utrumque eorum confert. Et sic per actualem manducationem Auctor non intelligit quamcumque actualem devotionem: sed illam solam quae refectio est, quae spiritualis delectatio animae est.

Et secundum hunc sensum plana sunt omnia: et consonant dictis in IV *Sententiarum* *. Habent siquidem se hi duo effectus inter se non ut necessariam connexionem habentes, sed alter sine altero ex sacramento hoc haberi potest. Refectio siquidem spiritualis delectationis absque augmento habitualis gratiae in Christo fuit, quando sumpsit hoc sacramentum *. Augmentum vero habitualis gratiae ex hoc sacramento in valde multis credimus contingere, qui digne ad hoc sacramentum et devote accedunt, et tamen expertes sunt spiritualis dulcedinis, ita ut ipsorum vox ad caelestem Patrem sit: *Ecce, tot annis servio tibi, et nunquam dedisti mihi haedum, ut cum amicis meis epularer* *.

* Vid. num. III, princip.
* Qu. LXXI, art. 1, ad 3.
* Luc. cap. XV, vers. 29.

Non igitur docet haec littera quod sumens absque omni actuali devotione consequitur augmentum gratiae: sed quod sumens absque actuali refectione delectationis spiritualis, et hoc ex culpa sua veniali (quoniam non est ex defectu sacramenti), sic inquam sumens, sic mente distractus, si quoad alios actus devote accedit, habituale augmentum gratiae ex hoc non impeditur. Quod tamen posset aliunde impediri: puta ex tam parva devotione ut non sufficiat disponere ad augmentum gratiae.

Et haec expositio amplectenda videtur. Quoniam quoad rem, omnia consonant. Quoad expositionem vero nominum, nulla fit extorsio; sed applicatio communioris termini ad principale suppositum. – Et secundum hoc, tempus augmenti coincidit cum tempore sumptionis.

VI. Posset et quarto modo forte exponi locus iste de augmento habituali *extensivo:* ita quod sacramentum hoc sit extensivum gratiae ad actus confortativos spiritus; et hoc ipsum sit gratia sacramentalis, quam in anima per modum habitus sacramentum hoc efficiat etiam in mente distractis ex peccato veniali.

VII. De tempore autem *actualis gratiae* * quae homini confertur in hoc sacramento, nulla ambiguitas est quin sit tempus sumptionis sacramenti. Tunc enim praesens Christus excitat mentem dispositam ad sui ferventem amorem, atque ad sentiendam dulcedinem suae praesentiae. Sed *perfectorum est solidus hic cibus, eorum qui pro consuetudine,* etc. *

* Cf. num. II, princip.
* *Ad Heb.*, cap. V, vers. 14.

VIII. Tempus autem *remissionis peccati mortalis* * coincidit cum tempore sumptionis, ut patere potest ex supra * dictis: quoniam coincidit cum tempore infusionis primae gratiae.

* Cf. num. I.
* Num. II, *Et quia primam.*

Tempus quoque *remissionis venialium* idem est quod tempus sumptionis: quoniam coincidit cum tempore actualis fervoris caritatis *.

* Cf. num. praec.

Et similiter *tempus remissionis poenae:* si tamen ex actuali devotione aliqua remittitur. Poena enim, quia remittitur ex hoc sacramento non ut sacramentum, sed ut sacrificium est, tempore ipsius sacrificii remittitur: quoniam tunc Deo satisfit.

Praeservatio demum a peccando effectus est sacramenti a tempore sumptionis inchoans: et iuxta sumentium cooperationem, plus vel minus durat. Sicut etiam praeservatio quae fit per nutrimentum corporale unum et idem, in diversae dispositionis hominibus diversimode invenitur, uno magis sumente inde vires quam alio, etc. – Haec de tempore.

IX. Superest ut de modo eorundem effectuum dicatur *. Modus quo effectus isti in anima ab hoc sacramento fiunt, est quod omnes reliqui mediante primo fiunt. Primus autem effectus est actualis exercitatio caritatis: et mediante hoc, reliqui effectus proveniunt. Quod tripliciter apparet. Primo, ex communibus. Quia suavis dispositio * rationalis creaturae habet ut rationaliter iustificetur et perficiatur. Rationaliter autem perfici est, non per modum dormientis, sed per modum vigilantis, hoc est, ratione actualiter utentis, mutari et perfici: ut patet ex doctrina in secundo Libro * habita de iustificatione impii; et iustificatione Magdalenae, Latronis et Pauli. Semper enim dona sua Salvator, intervenientibus operationibus consequentium illa, largitus est. Et de Magdalena quidem operatio fidei et caritatis apparet, dicente Domino *: *Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum,* et iterum *: *Fides tua te salvam fecit.* Latronis fidei speique actum videmus: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* *. Paulum fidei, obedientiae devotionisque verba proferentem audivimus: *Domine, quid me vis facere?* * Ex quibus omnibus patet quod non solum dum regulariter, sed etiam dum miraculose convertuntur homines ad Deum, actualis operatio interioris hominis intervenit.

* Cf. num. I.
* Cf. *Sap.* cap. VIII, vers. 1.
* Iª IIªᵉ, qu. CXIII, art. 3. - Cf. qu. CXII, art. 2.
* Luc. cap. VII, vers. 47.
* Ibid., vers. 50.
* Luc. cap. XXIII, vers. 42.
* *Act.* cap. IX, vers. 6.

Secundo, apparet idem ex propriis huius sacramenti. Quia sacramentum hoc vivificat animam ut cibus: cibus autem, ut sic, non vivificat nisi viventem operatione aliqua vitali cibo utentem. Si enim circa cibum corporalem nullam haberet animal operationem vitalem intus, inutilis esset cibus tali animali. Immo non esset cibus nisi remote, seu in potentia: quoniam cibus materia et obiectum operationum potentiae vegetativae est.

Tertio, apparet hoc idem discurrendo singillatim per ipsos effectus. Eucharistia siquidem sacramentaliter sumpta ab homine, Christum corporali praesentia intus in homine ponens, ex parte quidem sui, pro primo contactu animae habet excitationem caritatis, ac actualem unionem seu transformationem animae amantis in Christum amatum. Ex parte vero animae, primus contactus est ipsa manducatio actualis, quae est actus caritatis *: et magnam latitudinem habet, iuxta latitudinem actuum caritatis et graduum illorum, et extendit se usque ad actum liberi arbitrii, qui tandem caritate perficitur, ita ut vera contritio sit. Mediante ergo actuali manducatione spirituali, effectus reliqui fiunt ab hoc sacramento. – Et de vita quidem aeterna verba Domini testantur, dicentis *: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* – De prima vero gratia et remissione peccati mortalis, quae tamen per accidens fit ab hoc sacramento, ex eo patet quod, nisi inchoative saltem manducaret carens gratia, illam non consequeretur: cibus enim non nisi manducatus vivificat. Unde et Auctor, in littera tertii articuli *, de hoc loquens, inquit: *Devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quae contritionem perficiet:* ubi tres operationes intervenire ponit, devotionem, reverentiam et contritionem, quae scilicet nova caritate informatur et fit contritio. – De augmento vero habitualis gratiae, et ex nunc dictis tam communibus quam propriis, et ex superius * discussis satis patere arbitror: non est enim intelligibile cibum augere absque actuali devotione, quam absque actuali manducatione etiam fingere non licet. – Refectio autem spiritualis manducatio quaedam est. – Remissio vero peccati venialis, et poenae, si fit, cum consequatur fervorem caritatis, manifeste manducationem sequitur: nam fervor ipse manducatio est. – Praeservatio demum ab offensis Dei, quia directe ad confirmationem cordis, idest voluntatis, spectat ex parte animae; panis autem non nisi manducatus *confirmat cor hominis* *: ideo mediante manducatione spirituali fit. Dixi autem *directe,* et *ex parte animae:* quoniam non est remotum quin ex parte Christi praesentis sub sacramento, praeservatio nonnulla fiat per modum custodiae; propter quam diximus * dari phreneticis in articulo mortis Eucharistiam.

* Cf. IV *Sent.*, dist. IX, art. 2, quª 4.
* Ioan. cap. VI, vers. 59.
* In corpore.
* Num. III sqq.
* Ps. CIII, vers. 15.
* Num. III, *Nec obstat.*

X. Nec ex his dictis accipias nos sentire nunquam conferri gratiam nisi actualiter ratione utentibus. Non enim hoc diximus: sed secundum communia suavis dispositionis creaturae rationalis sic fieri diximus. Cum quo tamen stat quod, secundum suavem dispositionem alicuius sacramenti, aliter conferatur gratia iustificans: ut patet in baptismo, qui, quoniam spiritualis est regeneratio, ex propriis habet ut absque cooperatione eius qui baptizatur, gratiam conferat in remissionem peccatorum. Generatio enim est *mutatio de non esse ad esse* *: nec praesupponitur, sed fit vivus qui generatur. Cibus autem vitam praesupponit, et non nisi manducanti prodest.

* Aristot. *Physic*, lib. V, cap. I, n. 7. - S. Th. lect. II.

XI. Dicta sunt autem haec ad fugandam illorum fiduciam qui putant se consequi semper novum gratiae habitualis augmentum, cum quantulacumque devotione celebrent, etiam distracte: ut vel sic ab huiusmodi negligentiae somno excitentur, pulsati saltem ex eo quod manducatio sacramentalis, quae actualiter fit, significat manducationem spiritualem, quae interius exerceri debet. Et ubi non nisi in sui principio, hoc est in habitu, salvatur, licet ad vitandum fictionis peccatum mortale sufficiat, ad nutriendum tamen animam nihil prodest. Immo hinc et anima malum venialis peccati, et corpus damnum infirmitatis, imbecillitatis, aut etiam mortis, quandoque incurrit, dicente Apostolo *: *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi.* Hanc ego poenam corporalem puto saepe a Deo infligi ob parvam praeparationem quae fit ad hoc sacramentum.

* I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 30.

In responsione ad primum primi articuli eiusdem quaestionis, adverte quod sacramentum hoc potest considerari dupliciter. Primo, secundum se, hoc est, secundum rem in ipso contentam et significatam. Et sic verificatur de ipso quod ex se virtutem habet collativam gratiae: ad differentiam reliquorum sacramentorum, quae ex alio, hoc est ex hoc sacramento, acquirunt virtutem gratiae collativam. Nam res significata et contenta in hoc sacramento est ipse Christus, cuius instrumenta sunt reliqua sacramenta cum virtutibus suis. Propter quod se habet ad reliqua sacramenta ut fons gratiae ad rivos gratiarum. Et

hinc verificatur et quod quilibet quodcumque sacramentum suscipiens actu, suscipit hoc sacramentum voto: et quod votum cuiusque sacramenti est votum istius sacramenti. Nam appetens seu sitiens ad fontis rivulum, seu bibens ex rivulo, ad fontem ipsum magis sitit, tanquam ad principium. Et propterea in littera dicitur quod sine huius sacramenti voto prima non habetur gratia. Et simile est hoc ei quod Dominus dicit *: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* loquitur enim Dominus de manducatione spirituali in voto seu in habitu, in quo continetur manducatio spiritualis actualis in voto.

* Ioan. cap. VI, vers. 54.

Si vero consideretur usus sacramenti huius, quo nobis sacramentaliter iungitur, sic prima gratia non est effectus huius sacramenti, nisi per accidens ex parte subiecti, ut praedictum est *: quia datur per modum nutrimenti, quod, quia non est nisi viventis, non facit primam gratiam, qua primo habetur vita spiritus, sed praesupponit illam. Unde in articulo tertio, ad tertium, Auctor, loquens de prima gratia, dicit: *Sic autem non datur in hoc sacramento.*

* Supra, num. II, *Et quia.*

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM EFFECTUS HUIUS SACRAMENTI SIT ADEPTIO GLORIAE

In Ioan., cap. VI, lect. VII.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod effectus huius sacramenti non sit adeptio gloriae. Effectus enim proportionatur suae causae. Sed hoc sacramentum competit viatoribus: unde et *viaticum* dicitur. Cum igitur viatores nondum sint capaces gloriae, videtur quod hoc sacramentum non causet adeptionem gloriae.

* Vid. Comment. Caiet. post art. I, num. I.

2. PRAETEREA, posita causa sufficienti, ponitur effectus. Sed multi accipiunt hoc sacramentum qui nunquam pervenient ad gloriam: ut patet per Augustinum, XXI *de Civ. Dei* *. Non ergo hoc sacramentum est causa adeptionis gloriae.

* Cap. XXV.

3. PRAETEREA, maius non efficitur a minori: quia nihil agit ultra suam speciem. Sed minus est percipere Christum sub specie aliena, quod fit in hoc sacramento, quam frui eo in specie propria, quod pertinet ad gloriam. Ergo hoc sacramentum non causat adeptionem gloriae.

SED CONTRA EST quod dicitur Ioan. VI *: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Sed vita aeterna est vita gloriae. Ergo effectus huius sacramenti est adeptio gloriae.

* Vers. 52.

RESPONDEO DICENDUM quod in hoc sacramento potest considerari et id ex quo habet effectum, scilicet ipse Christus contentus, et passio eius repraesentata; et id per quod habet effectum, scilicet usus sacramenti et species eius. Et quantum ad utrumque competit huic sacramento quod causet adeptionem vitae aeternae. Nam ipse Christus per suam passionem aperuit nobis aditum vitae aeternae: secundum illud *Heb.* IX *: *Novi Testamenti mediator est, ut, morte intercedente, qui vocati sunt accipiant repromissionem aeternae hereditatis.* Unde et in forma huius sacramenti dicitur: *Hic est calix sanguinis mei novi et aeterni Testamenti.*

* Vers. 15.

Similiter etiam refectio spiritualis cibi, et unitas significata per species panis et vini, habentur quidem in praesenti, sed imperfecte: perfecte autem in statu gloriae. Unde Augustinus dicit *, super illud Ioan. VI *, *Caro mea vere est cibus: Cum cibo et potu id appetant homines ut non esuriant neque sitiant, hoc veraciter non praestat nisi iste cibus et potus, qui eos a quibus sumitur immortales et incorruptibiles facit in societate sanctorum, ubi pax erit et unitas plena atque perfecta.*

* *In Ioan. Evang.* tract. XXVI, n. 17. — * Vers. 56.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut passio Christi, ex cuius virtute hoc sacramentum operatur, est quidem causa sufficiens gloriae, non tamen ita quod statim per ipsam introducamur in gloriam, sed oportet ut prius *simul compatiamur*, ut postea *simul glorificemur*, sicut dicitur *Rom.* VIII *: ita hoc sacramentum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis virtutem perveniendi ad gloriam. Et ideo *viaticum* dicitur. In cuius figuram, legitur III *Reg.* XIX *, quod Elias *comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.*

* Vers. 17. — * Vers. 8.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut passio Christi non habet suum effectum in his qui se ad eam non habent ut debent, ita et per hoc sacramentum non adipiscuntur gloriam qui indecenter ipsum suscipiunt. Unde Augustinus dicit, *super Ioan.* *, exponens illa verba **: *Aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Multi de altari accipiunt, et accipiendo moriuntur. Panem ergo caelestem spiritualiter manducate: innocentiam ad altare apportate.* Unde non est mirum si illi qui innocentiam non servant, effectum huius sacramenti non consequuntur.

* Loc. cit. in corp., n. 11. — ** Ioan. cap. VI, vers. 49, *Patres vestri* etc.

AD TERTIUM DICENDUM quod hoc quod Christus sub aliena specie sumitur, pertinet ad rationem sacramenti, quod instrumentaliter agit. Nihil autem prohibet causam instrumentalem producere potiorem effectum, ut ex supra * dictis patet.

* Qu. LXXVII, art. 3, ad 3.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM EFFECTUS HUIUS SACRAMENTI SIT REMISSIO PECCATI MORTALIS

IV *Sent.*, dist. IX, art. 3, qu[a] 2; dist. XII, qu. II, art. 2, qu[a] 2.

* Vid. Comment. Caiet. post art. 1, num. VIII.
* Postcommun. *pro Vivis et Defunct.*

D TERTIUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis. Dicitur enim in quadam collecta *: *Sit hoc sacramentum ablutio scelerum.* Sed scelera dicuntur peccata mortalia. Ergo per hoc sacramentum peccata mortalia abluuntur.

* Qu. LXIX, art. 1.

2. PRAETEREA, hoc sacramentum agit in virtute passionis Christi, sicut et baptismus. Sed per baptismum dimittuntur peccata mortalia, ut supra * dictum est. Ergo et per hoc sacramentum: praesertim cum in forma huius sacramenti dicatur: *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

* Art. 1.
* Vers. 24.

3. PRAETEREA, per hoc sacramentum gratia confertur, ut dictum est *. Sed per gratiam iustificatur homo a peccatis mortalibus: secundum illud *Rom.* III *: *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Ergo per hoc sacramentum remittuntur peccata mortalia.

* Vers. 29.
* Lombardi.

SED CONTRA EST quod dicitur I *Cor.* XI *: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.* Dicit autem Glossa * ibidem quod *ille manducat et bibit indigne qui in crimine est, vel irreverenter tractat: et talis manducat et bibit sibi iudicium, idest damnationem.* Ergo ille qui est in peccato mortali, per hoc quod accipit hoc sacramentum, magis accumulat sibi peccatum, quam remissionem sui peccati consequatur.

RESPONDEO DICENDUM quod virtus huius sacramenti potest considerari dupliciter. Uno modo, secundum se. Et sic hoc sacramentum habet virtutem ad remittendum quaecumque peccata, ex passione Christi, quae est fons et causa remissionis peccatorum.

α

Alio modo potest considerari per comparationem ad eum qui recipit hoc sacramentum, prout in eo invenitur vel non invenitur impedimentum percipiendi hoc sacramentum [α]. Quicumque autem habet conscientiam peccati mortalis, habet in se impedimentum percipiendi effectum huius sacramenti, eo quod non est conveniens susceptor huius sacramenti: tum quia non vivit spiritualiter, et ita non debet spirituale nutrimentum suscipere, quod non est nisi viventis; tum quia non potest uniri Christo, quod fit per hoc sacramentum, dum est in affectu peccandi mortaliter. Et ideo, ut dicitur in libro *de Ecclesiasticis Dogmat.* *, *si mens in affectu* [β] *peccandi est, gravatur magis Eucharistiae perceptione quam purificetur.* Unde hoc sacramentum in eo qui ipsum percipit cum conscientia peccati mortalis, non operatur remissionem peccati.

* Cap. XXIII, al. LIII. - Inter Opp. Aug.

β

Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati dupliciter. Uno modo, non perceptum actu, sed voto: sicut cum quis primo [γ] iustificatur a peccato. – Alio modo, etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cuius conscientiam et affectum non habet. Forte enim primo non fuit sufficienter contritus: sed, devote et reverenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati.

γ

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod petimus quod illud sacramentum nobis sit *ablutio scelerum:* vel eorum quorum conscientiam non habemus, secundum illud Psalmi *, *Ab occultis meis munda me, Domine;* vel ut contritio in nobis perficiatur ad scelerum remissionem; vel etiam ut robur nobis detur contra [δ] scelera vitanda.

* Ps. XVIII, vers. 13.

δ

AD SECUNDUM DICENDUM quod baptismus est spiritualis generatio, quae est mutatio de non esse spirituali in esse spirituale; et datur per modum ablutionis. Et ideo, quantum ad utrumque, non inconvenienter accedit ad baptismum qui habet conscientiam peccati mortalis. Sed per hoc sacramentum homo sumit in se Christum per modum spiritualis nutrimenti: quod non competit mortuo in peccatis. Et ideo non est similis ratio.

AD TERTIUM DICENDUM quod gratia est sufficiens causa remissionis peccati mortalis, non tamen actu remittit peccatum mortale nisi cum primo datur peccatori. Sic autem non datur in hoc sacramento *. Unde ratio non sequitur.

* Cf. Comment. Caiet. post art. 1, fin.

α) *hoc sacramentum.* – *effectum* I, *huius sacramenti effectum* G et editiones; *hoc... percipiendi* om. H.
β) *affectu.* – *actu* P.
γ) *primo.* – *prius* editiones.
δ) *contra.* – *ad* editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo tertio, in responsione ad primum, nota, Novitie, trium expositionum ibi allatarum secundam differre a prima in hoc, quod perfectio contritionis refertur ad scelera cognita, in prima autem ad occulta: quoad utraque enim petitur ablutio per contritionem perfectam.

II. In responsione ad secundum eiusdem articuli, dubium occurrit de veritate differentiae positae inter suscipientem baptismum et suscipientem Eucharistiam, quoad hoc quod est esse vel non esse in peccato mortali. Et est ratio dubii quia utrobique suscipiens cum conscientia et affectu peccati mortalis, indigne suscipit, nec gratiam tunc consequitur. Immo de novo peccat peccato sacrilegii, membrum Christi ipso se sacramento fingens.

Ad hoc dicitur quod differentia salvatur et ex parte sacramenti, et ex parte suscipientis. Ex sacramento quidem, quia sacramentum Eucharistiae ex proprio usu habet rationem nutrimenti: ac per hoc, convenientis vivis et non mortuis. Baptismus autem ex propria ratione habet

rationem regenerationis et ablutionis: generatio autem non praesupponit, sed facit ens et vivum; et similiter ablutio non praesupponit mundum, sed mundat. Et propterea, ex propriis considerata, haec sacramenta suscipientes dispares habent: Eucharistia quidem vivum; baptismus non-vivum et immundum. Et haec differentia in littera ponitur.

* Qu. LXIX, art. 9, 10. - Cf. Comment.
* Pseudo-Ambr. in Ep. *ad Rom.*, cap. XI, vers. 29.

Ex parte autem suscipientis differentia est quod suscipienti baptismum sufficit non ponere obicem, ad hoc ut divinam consequatur gratiam, ut ex supra * habitis patet: quia baptismus *omnia condonat* *. Suscipienti autem Eucharistiam non sufficit non ponere obicem, sed oportet *probare seipsum, et sic de pane illo edere* *.

* I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 28.

Nec Auctor in littera dicit convenienter accedere ad baptismum habentem *conscientiam et affectum* peccati mortalis. Magna est enim inter utrumque differentia. Nam habens affectum peccati mortalis, ponit obicem, et fictus accederet ad baptismum: habens autem eiusdem conscientiam et non affectum, obicem non ponit baptismo, licet mortuus et immundus, vivificandus et abluendus per baptismum, accedat. Quod per Eucharistiae sumptionem non est expectandum.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM PER HOC SACRAMENTUM REMITTANTUR PECCATA VENIALIA

Infra, qu. LXXXVII, art. 3; IV *Sent.*, dist. XII, qu. II, art. 1, qu^a 1; art. 2, qu^a 1.

* Vid. Comment. Caiet. post art. 1, num. VIII.
* Tract. XXVI, n. 13.
* I^a II^ae, qu. LXXXVIII, art. 1, 2; II^a II^ae, qu. XXIV, art. 8, ad 2; art. 10.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod per hoc sacramentum non remittantur peccata venialia. Hoc enim sacramentum, ut Augustinus dicit, *super Ioan.* *, est *sacramentum caritatis*. Sed venialia peccata non contrariantur caritati, ut in Secunda Parte * habitum est. Cum ergo contrarium tollatur per suum contrarium, videtur quod peccata venialia per hoc sacramentum non remittantur.

2. PRAETEREA, si peccata venialia per hoc sacramentum remittantur, qua ratione unum remittitur, et omnia remittentur α. Sed non videtur quod omnia remittantur: quia sic frequenter aliquis esset absque omni peccato veniali, quod est contra id quod dicitur I Ioan. I *: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Non ergo per hoc sacramentum remittitur aliquod peccatum veniale.

* Vers. 8.

* Cf. Arist. *Physic.* lib. VIII, cap. VIII, n. 1, s. Th. lect. XVI; *de Cael.* lib. II, cap. III, n. 3, s. Th. lect. IV.
* *In Ioan. Evang.* tract. XXVI, n. 11 (super vers. 49). - Cf. can. *Panem de altari*, *de Consecr.*, dist. II.
* Vers. 50, 52.
* *De S. Alt. Myster.* lib. IV, cap. XLIV.

3. PRAETEREA, contraria mutuo se expellunt *. Sed peccata venialia non prohibent a perceptione huius sacramenti: dicit enim Augustinus *, super illud Ioan. VI *, *Si quis ex ipso manducaverit, non morietur in aeternum* β: *Innocentiam*, inquit, *ad altare apportate: peccata, etsi sint quotidiana, non sint mortifera.* Ergo neque peccata venialia per hoc sacramentum tolluntur.

SED CONTRA EST quod Innocentius III dicit *, quod hoc sacramentum *veniale delet et cavet mortalia.*

RESPONDEO DICENDUM quod in hoc sacramento duo possunt considerari: scilicet ipsum sacramentum, et res sacramenti. Et ex utroque apparet quod hoc sacramentum habet virtutem ad remissionem venialium peccatorum. Nam hoc sacramentum sumitur sub specie cibi nutrientis. Nutrimentum autem cibi necessarium est corpori ad restaurandum id quod quotidie deperditur ex calore naturali γ. Spiritualiter autem quotidie in nobis aliquid deperditur ex calore concupiscentiae per peccata venialia, quae diminuunt fervorem caritatis, ut in Secunda Parte * habitum est. Et ideo competit huic sacramento ut remittat peccata venialia. Unde et Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* *, quod iste panis quotidianus sumitur *in remedium quotidianae infirmitatis.*

* II^a II^ae, qu. XXIV, art. 10; qu. LIV, art. 3.
* Mag. IV *Sent.*, dist. XII, cap. *Institutum est.* - Cf. Ambr. *de Sacram.* lib. V, cap. IV.

Res autem huius sacramenti est caritas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui δ excitatur in hoc sacramento: per quod peccata venialia solvuntur. Unde manifestum est quod virtute huius sacramenti remittuntur peccata venialia.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod peccata venialia, etsi non contrarientur caritati quantum ad habitum, contrariantur tamen ei quantum ad fervorem actus, qui excitatur per hoc sacramentum. Ratione cuius peccata venialia tolluntur.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illud verbum non est intelligendum quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis: sed quia vitam istam sancti non ducunt sine peccatis venialibus.

AD TERTIUM DICENDUM quod maior est virtus caritatis, cuius est hoc sacramentum, quam venialium peccatorum: nam caritas tollit per suum actum peccata venialia, quae tamen non possunt totaliter impedire actum caritatis. Et eadem ratio est de hoc sacramento.

α) *et omnia remittentur.* – *remittuntur et omnia* tertia.
β) *Si quis... aeternum.* – *Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt* P; cf. art. 8. α et qu. LXXX. art. 3. ε. – *Innocentiam* FsD *a* et tertia praeter G qui om.; *Innocentia* ceteri.
γ) *ex calore naturali.* – GHbc; *per actionem* (*ex actione* PI) *caloris naturalis* PFI, *ex caloris naturalis concupiscentia* ceteri; cf. mox *ex calore concupiscentiae.*
δ) *qui.* – Fa et tertia; *quod.* – Statim ad *quod*, *Al. quem* margo P.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM PER HOC SACRAMENTUM TOTA POENA PECCATI REMITTATUR

IV *Sent.*, dist. IV, qu. II, art. 1, qu^a 2, ad 3; dist. XII, qu. II, art. 2, qu^a 3.

* Vid. Comment. Caiet. post art. 1, num. VIII.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod per hoc sacramentum tota poena peccati remittatur. Homo enim per hoc sacramentum suscipit in se effectum passionis Christi, ut dictum est *, sicut et per baptismum. Sed per baptismum percipit homo remissionem omnis poenae virtute passionis Christi, quae sufficienter satisfecit pro omnibus peccatis, ut ex supra * dictis patet. Ergo videtur quod per hoc sacramentum homini remittatur totus reatus poenae.

* Art. 1, 2.

* Qu. LXIX, art. 2.

2. PRAETEREA, Alexander Papa * dicit: *Nihil in sacrificiis maius esse potest quam corpus et sanguis Christi.* Sed per sacrificia veteris legis homo satisfaciebat pro peccatis suis: dicitur enim *Levit.* IV et V: *Si peccaverit homo, offeret* (hoc vel illud) *pro peccato suo, et remittetur ei.* Ergo multo magis hoc sacramentum valet ad remissionem omnis poenae.

* Primus. - Epist. ad Omn. Orthodox. - Cf. can. *Nihil in sacrificiis*, *de Consecr.*, dist. II.

3. PRAETEREA, constat quod per hoc sacramentum aliquid de reatu poenae dimittitur: unde et in satisfactione quibusdam iniungitur quod pro se faciant missas celebrare. Sed qua ratione una pars poenae dimittitur, eadem ratione et alia: cum virtus Christi, quae in hoc sacramento continetur, sit infinita. Ergo videtur quod per hoc sacramentum tota poena tollatur.

SED CONTRA EST quod, secundum hoc, non esset homini alia poena iniungenda: sicut nec baptizato iniungitur *.

* Cf. qu. LXVIII, art. 5.

RESPONDEO DICENDUM quod hoc sacramentum simul est et sacrificium et sacramentum: sed rationem sacrificii habet inquantum offertur; rationem autem sacramenti inquantum sumitur. Et ideo effectum sacramenti habet in eo qui sumit: effectum autem sacrificii in eo qui offert, vel in his pro quibus offertur.

Si igitur consideretur ut sacramentum, habet dupliciter effectum: uno modo, directe ex vi sacramenti; alio modo, quasi ex quadam concomitantia; sicut et circa continentiam α sacramenti dictum est *. Ex vi quidem sacramenti, directe habet illum effectum ad quem est institutum. Non est autem institutum ad satisfaciendum: sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum et ad membra eius, sicut et nutrimentum unitur nutrito. Sed quia haec unitas fit per caritatem, ex cuius fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpae, sed etiam poenae; inde est quod ex consequenti, per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo consequitur remissionem poenae; non quidem totius, sed secundum modum suae devotionis et fervoris.

* Qu. LXXVI, art. 1, 2.

Inquantum vero est sacrificium, habet vim satisfactivam. Sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis quam quantitas oblationis: unde et Dominus dixit, Luc. XXI *, de vidua quae obtulit duo aera, quod *plus omnibus misit.* Quamvis igitur haec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suae devotionis, et non pro tota poena.

* Marc. cap. XII, vers. 43; Luc. cap. XXI, vers. 4.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod sacramentum baptismi directe ordinatur ad remissionem culpae et poenae, non autem Eucharistia: quia baptismus datur homini quasi commorienti Christo; Eucharistia autem quasi nutriendo et perficiendo per Christum. Unde non est similis ratio.

AD SECUNDUM DICENDUM quod alia sacrificia et oblationes non operabantur β remissionem totius poenae, neque quantum ad quantitatem oblati, sicut hoc sacrificium; neque quantum ad devotionem hominis, ex qua contingit quod etiam hic non tollitur tota poena.

AD TERTIUM DICENDUM quod hoc quod tollitur pars poenae et non tota γ per hoc sacramentum, non contingit ex defectu virtutis Christi, sed ex defectu devotionis humanae.

α) *continentiam.* – *concomitantiam* GH*bc*.
β) *operabantur.* – *operantur* PFl.
γ) *tota.* – *poena* addunt *a* et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo quinto duo valde notabilia sunt. Primum est quod oblatio Eucharistiae, ex sui quantitate, sufficit ad satisfaciendum pro omni poena. – Secundum est quod haec oblatio fit satisfactoria offerentibus, vel pro quibus offertur, secundum quantitatem suae devotionis.

Ex primo dicto habes quod una missa, ex parte sui, est satisfactoria pro poenis omnium peccatorum tam viventium quam mortuorum: quoniam, ut sic, est valoris infiniti, quoniam Christus offertur.

Ex secundo autem dicto habes quod una missa non perdit vim satisfactionis suae pro primo offerente, ex hoc quod pro secundo, tertio, quarto, quinto, etc., offertur: sicut quantitas devotionis unius nihil tollit de quantitate devotionis alterius. Unde arguendi instruendique simul sunt homines ignoranter petentes vel exigentes pro sua eleemosyna totam sibi missam dari, aut suo defuncto. Nihil enim minus ipse habebit si mille alii petant eandem missam pro seipsis et aliis defunctis, quam si pro ipso solo celebrari dicatur. Immo ex huiusmodi indevotione sic petentis damnum videtur incurrere quod minus sibi proderit.

Diffusius autem forte hic scriberemus de hac re, nisi in primo Quolibeto nostro *, iam edito, diffuse haec veritas declarata fuisset, ex auctoritate huius litterae, cum multis aliis, etc.

* Opusc. Caiet. *de Celebrat. Missar.*, qu. II.

Et haec de quaestione septuagesimanona sufficiant.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM PER HOC SACRAMENTUM PRAESERVETUR HOMO A PECCATIS FUTURIS

IV *Sent.*, dist. XII, qu. II, art. 2, qu^a^ 2, ad 1.

* Vid. Comment. Caiet. post art. 1, num. VIII.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod per hoc sacramentum non praeservetur homo a peccatis futuris. Multi enim digne sumentes hoc sacramentum postea in peccatum cadent [α]. Quod non accideret si hoc sacramentum praeservaret a peccatis futuris. Non ergo effectus huius sacramenti est a peccatis futuris praeservare.

* Art. 4, arg. 1; qu. LXXIII, art. 3, ad 3; qu. LXXIV, art. 4, ad 3; qu. LXXVIII, art. 3, ad 6.
* IIa IIae, qu. XXIV, art. 11.

2. PRAETEREA, Eucharistia est *sacramentum caritatis,* ut supra * dictum est. Sed caritas non videtur praeservare a peccatis futuris: quia semel habita potest amitti per peccatum, ut in Secunda Parte * habitum est. Ergo videtur quod nec hoc sacramentum praeservet hominem a peccato.

* Vers. 23.

3. PRAETEREA, origo peccati in nobis est *lex peccati, quae est in membris nostris:* ut patet per Apostolum, *Rom.* VII *. Sed mitigatio fomitis, qui est lex peccati, non ponitur effectus huius sacramenti, sed magis baptismi. Ergo praeservare a peccatis futuris non est effectus huius sacramenti.

* Vers. 50.

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Ioan. VI *: *Hic est panis de caelo descendens, ut, si quis ex eo manducaverit, non moriatur* [β]. Quod quidem manifestum est non intelligi de morte corporali. Ergo intelligitur quod hoc sacramentum praeservet a morte spirituali, quae est per peccatum [γ].

RESPONDEO DICENDUM quod peccatum est quaedam mors spiritualis animae. Unde hoc modo praeservatur aliquis a peccato futuro, quo praeservatur corpus a morte futura. Quod quidem fit dupliciter. Uno modo, inquantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiva: et sic praeservatur a morte per cibum et medicinam. Alio modo, per hoc quod munitur contra exteriores impugnationes: et sic praeservatur per arma, quibus munitur corpus.

Utroque autem modo hoc sacramentum praeservat a peccato. Nam primo quidem, per hoc quod Christo coniungit per gratiam, roborat spiritualem vitam hominis, tanquam spiritualis cibus et spiritualis medicina: secundum illud Psalmi *: *Panis cor hominis confirmat.* Et Augustinus dicit, *super Ioan.* *: *Securus accede: panis est, non venenum.*

* Ps. CIII, vers. 15.
* Tract. XXVI, num. 11.

Alio modo, inquantum signum est passionis Christi, per quam victi sunt daemones: repellit enim [δ] omnem daemonum impugnationem. Unde Chrysostomus dicit, *super Ioan.* *: *Ut leones flammam* [ε] *spirantes, sic ab illa mensa discedimus, terribiles effecti diabolo.*

* Homil. XLVI, al. XLV, n. 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod effectus huius sacramenti recipitur in homine secundum hominis conditionem: sicut contingit de qualibet causa activa quod eius effectus recipitur in materia secundum modum materiae. Homo autem in statu viae est huius conditionis quod liberum arbitrium eius potest flecti in bonum et in malum. Unde, licet hoc sacramentum, quantum est de se, habeat virtutem praeservativam a peccato, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi.

AD SECUNDUM DICENDUM quod etiam caritas, quantum est de se, praeservat hominem a peccato: secundum illud *Rom.* XIII [ζ] *: *Dilectio proximi malum non operatur.* Sed ex mutabilitate liberi arbitrii contingit quod aliquis post habitam caritatem peccat: sicut et post susceptionem huius sacramenti.

* Vers. 10.

AD TERTIUM DICENDUM quod, licet hoc sacramentum non directe ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, inquantum auget caritatem: quia, sicut Augustinus dicit, in libro *Octogintatrium Quaestionum* *, *augmentum caritatis est diminutio cupiditatis.* Directe autem confirmat cor hominis in bono. Per quod etiam praeservatur homo a peccato.

* Qu. XXXVI.

α) *cadent.* – *cadn̄s* E, *cadeunt* F, *cadunt* Da et tertia praeter I qui om. *postea... hoc sacramentum.*

β) *ut, si... moriatur.* – PI; *si... moriatur* ABCD, *si... moritur* E, *si... morietur* Fa, *ut si... morietur* GH*bc*.

γ) *per peccatum.* – *per fcm̄* E, *peccatum* H et editiones; *alias quae est per peccatum* margo P.

δ) *enim.* – Om. PI.

ε) *flammam.* – DF et tertia; *flamma.*

ζ) *Rom. XIII.* – PI; *Cor. XIII bc*, *I Cor. VIII* ceteri, pro *I Cor. XIII* ut videtur.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM HOC SACRAMENTUM PROSIT ALIIS QUAM SUMENTIBUS

Supra, art. 5; qu. LXXVIII, art. 3, ad 8; IV *Sent.*, dist. XII, qu. II, art. 2, qu^a^ 2, ad 4; dist. XLV, qu. II, art. 3, qu^a^ 1, ad 3; *In Ioan.*, cap. VI, lect. VI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. VI.

AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod hoc sacramentum non prosit nisi sumenti. Hoc enim sacramentum est unius generis cum aliis sacramentis, utpote aliis condivisum. Sed alia sacramenta non prosunt nisi sumentibus: sicut effectum baptismi non suscipit nisi baptizatus. Ergo nec hoc sacramentum prodest aliis nisi sumenti.

2. PRAETEREA, effectus huius sacramenti est adeptio gratiae et gloriae, et remissio culpae, ad

minus venialis. Si ergo hoc sacramentum haberet effectum in aliis quam in sumentibus, posset contingere quod aliquis adipisceretur gloriam et gratiam et remissionem culpae absque actione et passione propria, alio offerente vel sumente hoc sacramentum.

3. Praeterea, multiplicata causa, multiplicatur effectus. Si ergo hoc sacramentum prodest aliis quam sumentibus, sequeretur quod magis prodesset alicui si sumeret [α] hoc sacramentum in multis hostiis in una missa consecratis, quod non habet Ecclesiae consuetudo: ut scilicet multi communicent pro alicuius salute. Non ergo videtur quod hoc sacramentum prosit nisi sumenti.

Sed contra est quod in celebratione huius sacramenti fit pro multis aliis deprecatio. Quod frustra fieret nisi hoc sacramentum aliis prodesset. Ergo hoc sacramentum non solum sumentibus prodest.

Respondeo dicendum quod, sicut prius * dictum est, hoc sacramentum non solum est sacramentum, sed etiam est sacrificium. Inquantum enim in hoc sacramento repraesentatur passio Christi, qua Christus *obtulit se hostiam Deo,* ut dicitur *Ephes.* v *, habet rationem sacrificii: inquantum vero in hoc sacramento traditur invisibiliter gratia sub visibili specie, habet rationem sacramenti. Sic igitur hoc sacramentum sumentibus quidem prodest per modum sacramenti et per modum sacrificii, quia pro omnibus sumentibus offertur: dicitur enim [β] in canone missae: *Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum corpus et sanguinem Filii tui sumpserimus, omni benedictione caelesti et gratia repleamur.* Sed aliis, qui non sumunt, prodest per modum sacrificii, inquantum pro salute eorum offertur: unde et in canone missae dicitur: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt* [γ], *hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae.* Et utrumque modum [δ] Dominus exprimit, dicens, Matth. xxvi *: *Qui pro vobis,* scilicet sumentibus, *et pro multis* aliis, *effundetur in remissionem peccatorum.*

Ad primum ergo dicendum quod hoc sacramentum prae aliis habet quod est sacrificium. Et ideo non est similis ratio.

Ad secundum dicendum quod, sicut passio Christi prodest quidem omnibus [ε] ad remissionem culpae et adeptionem gratiae et gloriae, sed effectum non habet nisi in illis qui passioni Christi coniunguntur per fidem et caritatem; ita etiam hoc sacrificium, quod est memoriale Dominicae passionis, non habet effectum nisi in illis qui coniunguntur huic sacramento per fidem et caritatem. Unde et Augustinus dicit, *ad Renatum* *: *Quis offerat corpus Christi nisi pro his qui sunt membra Christi?* Unde et in canone missae non oratur pro his qui sunt extra Ecclesiam. Illis tamen prodest plus vel minus, secundum modum devotionis eorum.

Ad tertium dicendum quod sumptio pertinet ad rationem sacramenti: sed oblatio pertinet ad rationem sacrificii. Et ideo ex hoc quod aliquis sumit corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit aliis aliquod iuvamentum. Similiter etiam neque [ζ] ex hoc quod sacerdos plures hostias consecrat in una missa, non multiplicatur effectus huius sacramenti, quia non est nisi unum sacrificium: nihil enim virtutis plus est in multis hostiis consecratis quam in una, cum sub omnibus et sub una non sit nisi totus Christus. Unde nec si aliquis simul in una missa multas hostias consecratas sumat, participabit maiorem effectum sacramenti. – In pluribus vero missis multiplicatur sacrificii oblatio. Et ideo multiplicatur effectus sacrificii et sacramenti.

Marginal notes: * Art. 5. — * Vers. 2. — * Vers. 28. - Cf. Luc. cap. xxii, vers. 20. — * De Anima et eius orig. lib. I, cap. ix.

α) *sumeret.* – *multi sumerunt* PFI. – Pro *in multis, multis* PI.
β) *enim.* – PIsG et *a*; *autem.* – *Filii tui* ante *corpus* ponit tertia.
γ) *vel qui tibi offerunt.* – P; post *laudis* ponit F, om. ceteri.
δ) *modum.* – *proficiendi* addit tertia. Pro *exprimit, expressit* PI. P post *Matth. XXVI* addit *et Luc. XXV,* et ante *aliis, scilicet.*
ε) *omnibus.* – *quantum ad sufficientiam et* addit tertia.
ζ) *neque.* – Om. P.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM PER VENIALE PECCATUM IMPEDIATUR EFFECTUS HUIUS SACRAMENTI

IV *Sent.*, dist. xii, qu. ii, art. 1, qu^a 3; art. 2, qu^a 1, ad 2.



Ad octavum sic proceditur *. Videtur quod per veniale peccatum non impediatur effectus huius sacramenti. Dicit enim Augustinus *, super illud Ioan. vi **, *Si quis ex ipso manducaverit* [α] etc.: *Panem caelestem spiritualiter manducate; innocentiam ad altare portate; peccata, etsi sint quotidiana, non sint mortifera.* Ex quo patet quod quotidiana peccata, quae dicuntur venialia [β], spiritualem manducationem non impediunt. Sed spiritualiter manducantes effectum huius sacramenti percipiunt. Ergo peccata venialia non impediunt effectum huius sacramenti.

2. Praeterea, hoc sacramentum non est minoris virtutis quam baptismus. Sed effectum baptismi, sicut supra * dictum est, impedit sola

Marginal notes: * Vid. Comment. Caiet. post art. 1, num. iii sqq. — * *In Ioan. Evang.* tract. XXVI, n. 11 (super vers. 49). - Cf. can. *Panem de altari, de Consecr.*, dist. II. — ** Vers. 50, 52. — * Qu. lxix, art. 9, 10.

α) *Si... manducaverit.* – *Patres vestri manducaverunt manna* P; cf. art. 4. β.
β) *quotidiana... venialia.* – *venialia peccata quae quotidiana vocantur* tertia.

fictio: ad quam non pertinent peccata venialia, quia, sicut *Sap.* I * dicitur, *Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum,* qui tamen per peccata venialia non fugatur. Ergo neque effectum huius sacramenti impediunt peccata venialia.

* Vers. 5.

3. Praeterea, nihil quod removetur per actionem alicuius causae, potest impedire eius effectum. Sed peccata venialia tolluntur per hoc sacramentum. Ergo non impediunt eius effectum.

Sed contra est quod Damascenus dicit, in IV libro *: *Ignis eius quod in nobis est desiderii, assumens eam quae ex carbone,* idest hoc sacramento, *ignitionem, comburet nostra peccata, et illuminabit* γ *nostra corda, ut participatione divini ignis igniamur et deificemur.* Sed ignis nostri desiderii vel amoris impeditur per peccata venialia, quae impediunt fervorem caritatis, ut in Secunda Parte * habitum est. Ergo peccata venialia impediunt effectum huius sacramenti.

* *De Fide Orth.,* lib. IV, cap. XIII.

* IIa IIae, qu. XXIV, art. 10; qu. LIV, art. 3.

Respondeo dicendum quod peccata venialia dupliciter accipi possunt: uno modo, prout sunt praeterita; alio modo, prout sunt actu exercita. Primo quidem modo, peccata venialia nullo modo impediunt effectum huius sacramenti. Potest enim contingere quod aliquis post multa peccata commissa venialia δ, devote accedat ad hoc sacramentum, et plenarie huius sacramenti consequetur effectum.

Secundo autem modo, peccata venialia non ex toto impediunt effectum huius sacramenti, sed in parte. Dictum est enim * quod effectus huius sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiae vel caritatis, sed etiam quaedam actualis refectio spiritualis dulcedinis. Quae quidem impeditur si aliquis accedat ad hoc sacramentum mente distracta ε per peccata venialia. Non autem tollitur augmentum gratiae habitualis vel caritatis.

* Art. 1.

Ad primum ergo dicendum quod ille qui cum actu venialis peccati ad hoc sacramentum accedit, habitualiter quidem manducat spiritualiter, sed non actualiter. Et ideo habitualem effectum huius sacramenti percipit, non autem actualem.

Ad secundum dicendum quod baptismus non ita ordinatur ad actualem effectum, idest ad fervorem caritatis, sicut hoc sacramentum. Nam baptismus est spiritualis regeneratio, per quam acquiritur prima perfectio, quae est habitus vel forma: hoc autem sacramentum est spiritualis manducatio, quae habet actualem delectationem.

Ad tertium dicendum quod illa ratio procedit de venialibus praeteritis, quae per hoc sacramentum tolluntur.

γ) *comburet... illuminabit.* – *comburat... illuminet* P.
δ) *commissa venialia.* – *venialia commissa* PF. Pro *consequetur, consequitur* CF, *consequatur* G et editiones.
ε) *mente distracta.* – (*mente* Pc) *distractus* post *venialia* editiones.



QUAESTIO OCTOGESIMA

DE USU SIVE SUMPTIONE HUIUS SACRAMENTI

IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LXXIII, Introd.
* Qu. LXXXI.

DEINDE considerandum est de usu sive sumptione huius sacramenti *. Et primo, in communi; secundo, quomodo Christus est usus hoc sacramento *.

Circa primum quaeruntur duodecim.

Primo: utrum sint duo modi manducandi hoc sacramentum, scilicet sacramentaliter et spiritualiter.

Secundo: utrum soli homini conveniat manducare spiritualiter.

Tertio: utrum solius hominis iusti sit manducare sacramentaliter.

Quarto: utrum peccator manducans sacramentaliter peccet.

Quinto: de quantitate huius peccati.

Sexto: utrum peccator accedens ad hoc sacramentum sit repellendus.

Septimo: utrum nocturna pollutio impediat hominem a sumptione huius sacramenti.

Octavo: utrum sit solum a ieiunis sumendum.

Nono: utrum sit exhibendum non habentibus usum rationis.

Decimo: utrum sit quotidie sumendum.

Undecimo: utrum liceat omnino abstinere.

Duodecimo: utrum liceat percipere corpus sine sanguine.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM DEBEANT DISTINGUI DUO MODI MANDUCANDI CORPUS CHRISTI, SCILICET SPIRITUALITER ET SACRAMENTALITER

IV *Sent.*, dist. IX, art. 1, qu^a 3; *De Ven. Sacram. Alt.*, serm. XVII; *In Ioan.*, cap. VI, lect. VI, VII; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. VII.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non debeant distingui duo modi manducandi corpus Christi, scilicet spiritualiter et sacramentaliter [α]. Sicut enim baptismus est spiritualis regeneratio, secundum illud Ioan. III *, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto* etc., ita etiam hoc sacramentum est cibus spiritualis: unde Dominus, loquens de hoc sacramento, dicit, Ioan. VI *: *Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Sed circa baptismum non distinguitur duplex modus sumendi, scilicet sacramentalis et spiritualis. Ergo neque circa hoc sacramentum debet haec distinctio adhiberi.

* Vers. 5.
* Vers. 64.

2. PRAETEREA, ea quorum unum est propter alterum, non debent ad invicem dividi: quia unum ab alio speciem trahit. Sed sacramentalis manducatio ordinatur ad spiritualem sicut ad finem. Non ergo debet sacramentalis manducatio contra spiritualem dividi.

3. PRAETEREA, ea quorum unum non potest esse sine altero, non debent contra se dividi. Sed videtur quod nullus possit manducare spiritualiter nisi etiam sacramentaliter manducet: alioquin antiqui Patres hoc sacramentum spiritualiter manducassent. Frustra etiam esset sacramentalis manducatio, si sine ea spiritualis esse posset. Non ergo convenienter distinguitur duplex [β] manducatio, scilicet sacramentalis et spiritualis.

SED CONTRA EST quod, super illud I *Cor.* XI *, *Qui manducat et bibit indigne* etc., dicit Glossa *: *Duos dicimus esse modos manducandi: unum sacramentalem, et alium spiritualem.*

* Vers. 29.
* Ord. et Lomb.

RESPONDEO DICENDUM quod in sumptione huius sacramenti duo sunt consideranda: scilicet ipsum sacramentum, et effectus ipsius, de quorum utroque supra * iam dictum est. Perfectus igitur modus sumendi hoc sacramentum est quando aliquis ita hoc sacramentum suscipit quod percipit eius effectum. Contingit autem quandoque, sicut supra * dictum est, quod aliquis impeditur a percipiendo effectum huius sacramenti: et talis sumptio huius sacramenti est imperfecta. Sicut igitur perfectum contra imperfectum dividitur, ita sacramentalis manducatio, per quam sumitur solum sacramentum sine effectu ipsius, dividitur contra spiritualem manducationem, per quam aliquis percipit effectum huius sacramenti, quo spiritualiter homo Christo coniungitur per fidem et caritatem.

* Qu. LXXIII - LXXIX.
* Qu. LXXIX, art. 3, 8.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod etiam circa baptismum, et alia huiusmodi sacramenta, similis distinctio adhibetur: nam quidam suscipiunt tantum sacramentum, quidam vero sacramentum et rem sacramenti. Hic [γ] tamen differt quia, cum alia sacramenta perficiantur in usu materiae, percipere sacramentum est ipsa perfectio sacramenti: hoc autem sacramentum perficitur in consecra-

α) *spiritualiter et sacramentaliter.* – *sacramentaliter et spiritualiter* editiones.

β) *distinguitur duplex.* – *distingui debet* bc, *distinguitur circa hoc sacramentum duplex* PF.

γ) *Hic.* – E; *In hoc* (*tamen differunt* P) Gla et editiones, *Et hoc* H, *Hoc* ceteri. Pro *quia*, *quod* GI.

tione materiae, et ideo uterque usus est consequens hoc sacramentum. In baptismo autem [δ], et aliis sacramentis characterem imprimentibus, illi qui accipiunt sacramentum, recipiunt aliquem spiritualem effectum, scilicet characterem: quod non accidit in hoc sacramento. Et ideo magis in hoc sacramento distinguitur usus sacramentalis a spirituali quam in baptismo.

Ad secundum dicendum quod sacramentalis manducatio quae pertingit ad spiritualem, non dividitur contra spiritualem, sed includitur ab ea. Sed illa sacramentalis manducatio contra spiritualem dividitur quae effectum non consequitur: sicut imperfectum quod non pertingit ad perfectionem speciei, dividitur contra perfectum.

Ad tertium dicendum quod, sicut supra * dictum est, effectus sacramenti potest ab aliquo percipi, si sacramentum habeatur in voto, quamvis non habeatur [ε] in re. Et ideo, sicut aliqui baptizantur baptismo flaminis, propter desiderium baptismi, antequam baptizentur baptismo aquae; ita etiam aliqui manducant spiritualiter hoc sacramentum antequam sacramentaliter sumant. Sed hoc contingit dupliciter. Uno modo, propter desiderium sumendi ipsum sacramentum: et hoc modo dicuntur baptizari et manducare spiritualiter et non sacramentaliter, illi qui desiderant sumere haec sacramenta iam instituta. Alio modo, propter figuram: sicut dicit Apostolus, I *Cor.* x *, quod antiqui Patres *baptizati sunt in nube et in mari*, et quod *spiritualem escam manducaverunt et spiritualem potum biberunt*. – Nec tamen frustra adhibetur sacramentalis manducatio: quia plenius inducit sacramenti effectum ipsa sacramenti susceptio quam solum desiderium, sicut supra * circa baptismum dictum est.

* Qu. LXVIII, art. 2; qu. LXXIII, art. 3.
* Vers. 2 sqq.
* Qu. LXIX, art. 4, ad 2.

δ) *autem.* – *etiam* P.

ε) *habeatur... habeatur.* – *habeat... accipiat* P, *habeatur... accipiatur* cetera tertia. – Pro *aliqui, antiqui* GH.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM SOLIUS HOMINIS SIT HOC SACRAMENTUM SUMERE SPIRITUALITER, VEL ETIAM ANGELORUM

IV *Sent.*, dist. IX, art. 2, qu[a] 4, 5.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non solius hominis sit hoc sacramentum sumere spiritualiter, sed etiam angelorum. Quia super illud Psalmi *, *Panem angelorum manducavit homo*, dicit Glossa *: *idest, corpus Christi, qui est vere cibus angelorum.* Sed hoc non esset si angeli spiritualiter Christum non manducarent. Ergo angeli spiritualiter Christum manducant.

2. Praeterea, Augustinus dicit, *super Ioan.* *: *Hunc cibum et potum societatem* [α] *vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est Ecclesia in praedestinatis.* Sed ad istam societatem non solum pertinent homines, sed etiam sancti angeli. Ergo etiam sancti angeli spiritualiter manducant.

3. Praeterea, Augustinus, in libro *de Verbis Domini* *, dicit: *Spiritualiter manducandus est Christus: quomodo* [β] *ipse dicit, « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo ».* Sed hoc convenit non solum hominibus, sed etiam sanctis angelis, in quibus per caritatem est Christus, et ipsi in eo. Ergo videtur quod spiritualiter manducare non solum sit hominum, sed etiam angelorum.

Sed contra est quod Augustinus dicit, *super Ioan.* *: *Panem de altari spiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate.* Sed angelorum non est accedere ad altare, tanquam aliquid inde sumpturi. Ergo angelorum non est spiritualiter manducare.

Respondeo dicendum quod in hoc sacramento continetur ipse Christus, non quidem in specie propria, sed in specie sacramenti. Dupliciter ergo contingit manducare spiritualiter. Uno modo, ipsum Christum prout in sua specie [γ] consistit. Et hoc modo angeli spiritualiter manducant ipsum Christum, inquantum ei uniuntur fruitione caritatis perfectae et visione manifesta (quem panem expectamus in patria): non [δ] per fidem, sicut nos hic ei unimur.

Alio modo contingit spiritualiter manducare Christum prout est sub speciebus huius sacramenti: inquantum scilicet aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc sacramentum. Et hoc non solum est manducare Christum spiritualiter, sed etiam spiritualiter manducare hoc sacramentum. Quod non competit angelis. Et ideo angeli, etsi [ε] spiritualiter manducent Christum, non convenit tamen eis spiritualiter manducare hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum quod sumptio Christi sub hoc sacramento ordinatur, sicut ad finem, ad fruitionem patriae, qua [ζ] angeli eo fruuntur. Et quia ea quae sunt ad finem, derivantur a fine, inde est quod ista manducatio Christi qua eum sumimus sub hoc sacramento, quodammodo derivatur ab illa manducatione qua angeli fruuntur Christo in patria. Et ideo dicitur homo manducare *panem angelorum*: quia primo et principaliter est angelorum, qui eo fruuntur

* Ps. LXXVII, vers. 25.
* Lomb.
* Tract. XXVI, n. 15.
* Serm. CXLII, al. *de Verb. Dom.* XLVI. - Cf. can. *Quid est, de Consecr.*, dist. II.
* Tract. XXVI, n. 11. - Cf. can. *Panem de altari, de Consecr.*, dist. II.

α) *societatem.* – Tertia; *sacietatem* F, om. ceteri. – Pro *quod, quae* P; *Alias quod* margo P.
β) *quomodo.* – *quando* FH, *quo* Ib, *quoniam* Pac.
γ) *Uno... specie.* – *ipsum Christum: uno modo prout in specie* P.
δ) *non.* – PFI; *nunc.*

ε) *angeli, etsi.* – *licet angeli* P.
ζ) *patriae, qua.* – PI; *patriae quo* FsG, (*ordinatur ad fruitionem*) *patriae* (*sicut ad finem*) *eo modo quo* bc, *panis quo* ed. a, *pane quo* ceteri.

in propria specie; secundario autem est hominum, qui Christum sub sacramento accipiunt.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ad societatem corporis mystici pertinent quidem et homines [η] per fidem, angeli autem per manifestam visionem. Sacramenta autem proportionantur fidei, per quam veritas videtur *in speculo et in aenigmate* *.

* I *ad Cor.*, cap. XIII, vers. 12.

Et ideo hic [θ], proprie loquendo, non angelis, sed hominibus proprie convenit manducare spiritualiter hoc sacramentum.

AD TERTIUM DICENDUM quod Christus manet in hominibus secundum praesentem statum per fidem: sed in angelis beatis est per manifestam visionem. Et ideo non est simile, sicut dictum est *.

* Resp. ad 2.

η) *homines.* – *et angeli sed* (*sed* om. I) *homines* addunt PFIsG. – Pro *angeli autem, et angeli bc.*

θ) *hic.* – *hoc* GH*bc*, om. PI. – *proprie* altero loco om. F et tertia.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SOLUS HOMO IUSTUS POSSIT MANDUCARE CHRISTUM SACRAMENTALITER

IV *Sent.*, dist. IX, art. 2, qu[a] 1, 2, 3; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. VII.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod nullus possit manducare Christum sacramentaliter nisi homo iustus. Dicit enim Augustinus, in libro *de Remedio Poenitentiae* *: *Ut quid paras dentem et ventrem? Crede, et manducasti. Credere enim in eum, hoc est panem vivum manducare.* Sed peccator non credit in eum: quia non habet fidem formatam, ad quam pertinet credere *in Deum*, ut in Secunda Parte * habitum est. Ergo peccator non potest manducare hoc sacramentum, qui [α] est *panis vivus* *.

* Cf. can. *Ut quid paras*, *de Consecr.*, dist. II; Aug. *in Ioan.* tr. XXV, n. 12; tr. XXVI, n. 1.

* II[a] II[ae], qu. II, art. 2; qu. IV, art. 5.

* Ioan. cap. VI, vers. 41, 51.

2. PRAETEREA, hoc sacramentum dicitur esse maxime *sacramentum caritatis*, ut supra * dictum est. Sed, sicut infideles privantur fide, ita omnes peccatores sunt privati [β] caritate. Infideles autem non videntur sacramentaliter posse sumere hoc sacramentum: cum in forma huius sacramenti dicatur, *mysterium fidei*. Ergo, pari ratione, nec aliquis peccatorum [γ] potest corpus Christi sacramentaliter manducare.

* Qu. LXXIII, art. 3, ad 3; qu. LXXIV, art. 4, arg. 3; qu. LXXVIII, art. 3, ad 6.

3. PRAETEREA, peccator magis est abominabilis Deo quam creatura irrationalis: dicitur enim in Psalmo * de homine peccatore: *Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Sed animal brutum, puta mus [δ] aut canis, non potest sumere hoc sacramentum: sicut etiam non potest sumere sacramentum baptismi. Ergo videtur quod, pari ratione, neque peccatores hoc sacramentum manducent.

* Ps. XLVIII, vers. 21.

SED CONTRA EST quod super illud Ioan. VI *, *ut si quis manducaverit non moriatur* [ε], dicit Augustinus *: *Multi de altari accipiunt, et accipiendo moriuntur: unde dicit Apostolus, « Iudicium sibi manducat et bibit ».* Sed non moriuntur sumendo nisi peccatores. Ergo peccatores corpus Christi sacramentaliter manducant, et non solum iusti.

* Vers. 50.

* *In Ioan. Evang.* tract. XXVI, n. 11 (super vers. 49).

RESPONDEO DICENDUM quod circa hoc quidam antiqui erraverunt, dicentes quod corpus Christi nec etiam a peccatoribus sacramentaliter [ζ] sumitur, sed, quam cito labiis peccatoris [η] figitur, tam cito sub speciebus sacramentalibus desinit esse corpus Christi. – Sed hoc est erroneum. Derogat enim veritati huius sacramenti, ad quam pertinet, sicut supra * dictum est, quod, manentibus speciebus, corpus Christi sub eis esse non desinat. Species autem manent [θ] quandiu substantia panis maneret si ibi adesset, ut supra * dictum est. Manifestum est autem quod substantia panis assumpta a peccatore non statim esse desinit, sed manet quandiu per calorem naturalem digeratur. Unde tandiu corpus Christi sub speciebus sacramentalibus manet a peccatoribus sumptis. Unde dicendum est quod peccator sacramentaliter corpus Christi manducare potest, et non solum iustus.

* Qu. LXXVI, art. 6, ad 3; qu. LXXVII, art. 8.

* Qu. LXXVII, art. 4.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod verba illa, et similia, sunt intelligenda de spirituali manducatione, quae peccatoribus non convenit. Et ideo ex pravo intellectu horum verborum videtur praedictus error * processisse, dum nescierunt distinguere inter corporalem et spiritualem manducationem.

* Cf. corp. princ.

AD SECUNDUM DICENDUM quod etiam si infidelis sumat species sacramentales, corpus Christi sub sacramento sumit. Unde manducat Christum sacramentaliter, si ly *sacramentaliter* determinat verbum ex parte manducati. Si autem ex parte manducantis, tunc, proprie loquendo, non manducat sacramentaliter: quia non utitur eo quod accipit ut sacramento, sed ut simplici cibo. Nisi forte infidelis intenderet recipere id quod Ecclesia confert, licet non haberet fidem veram circa alios articulos, vel circa [ι] hoc sacramentum.

AD TERTIUM DICENDUM quod, etiam si mus aut

α) *qui.* – *quod* editiones.
β) *sunt privati.* – *privantur* PBFc.
γ) *peccatorum.* – *peccator* PFIsG et *a.*
δ) *mus.* – *iumentum* F; idem in solutione primo loco.
ε) *ut si... moriatur.* – *ut* (om. F) *si... morietur* omnes praeter P, quae *Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt.* Cf. qu. praeced. art. 4. β.

ζ) *a peccatoribus sacramentaliter.* – *sacramentaliter a peccatoribus* tertia.
η) *peccatoris.* – *peccatorum* F*a*, *peccatoribus* P. Pro *figitur*, *cingitur* D, *coniungitur* ed. *a*, *contingitur* tertia.
θ) *manent.* – D et tertia; *remanet* F, *manet* ceteri. – *maneret* tertia; *manet.*
ι) *circa.* – *etiam circa* GI*bc*, *etiam* P.

canis hostiam consecratam manducet, substantia corporis Christi non desinet esse sub speciebus quandiu species illae manent, hoc est, quandiu substantia panis maneret: sicut etiam si proiiceretur in lutum. Nec hoc vergit in detrimentum dignitatis Christi [x], qui voluit a peccatoribus crucifigi absque diminutione suae dignitatis: praesertim cum mus aut canis non tangat ipsum corpus Christi secundum propriam speciem, sed solum secundum species sacramentales.

Quidam * autem dixerunt quod, statim cum sacramentum tangitur a mure vel cane, desinit ibi esse corpus Christi. Quod etiam derogat veritati sacramenti, sicut supra * dictum est.

Nec tamen dicendum est quod animal brutum sacramentaliter corpus Christi manducet: quia non est natum uti eo ut sacramento. Unde non sacramentaliter, sed per accidens corpus Christi manducat: sicut manducaret ille qui sumeret hostiam consecratam quia [λ] nesciens eam esse consecratam. Et quia id quod est per accidens non cadit in divisione alicuius generis, ideo hic modus manducandi corpus Christi non ponitur tertius, praeter sacramentalem et spiritualem.

* Guitmundus, *de Verit. Corp. et Sang. Christi in Eucharist.*, lib. II; Abael. *Epit. Theolog.*, cap. XXIX; Mag., IV *Sent.*, dist. XIII, cap. *Solet etiam quaeri.*

* In corpore.

x) *Christi.* – *corporis Christi* P.

λ) *quia.* – Om. F et tertia; *quia... consecratam* om. DE.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM PECCATOR SUMENS CORPUS CHRISTI SACRAMENTALITER PECCET

Supra, qu. LXXIX, art. 3; IV *Sent.*, dist. IX, art. 3, qu[a] 1, 2; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. VII.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod peccator sumens corpus Christi sacramentaliter non peccet. Non enim est maioris dignitatis Christus sub specie sacramenti quam sub specie propria. Sed peccatores tangentes corpus Christi in substantia propria non peccabant: quin immo veniam peccatorum consequebantur, sicut legitur Luc. VII * de muliere peccatrice; et Matth. XIV * dicitur, *Quicumque tetigerunt fimbriam vestimenti eius, salvi facti sunt.* Ergo non peccant, sed magis salutem consequuntur, sacramentum corporis Christi sumendo.

2. PRAETEREA, hoc sacramentum, sicut et alia, est quaedam spiritualis medicina. Sed medicina datur infirmis ad salutem: secundum illud Matth. IX *: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Infirmi autem vel male habentes spiritualiter sunt peccatores. Ergo hoc sacramentum sumi potest absque culpa [α].

3. PRAETEREA, hoc sacramentum, cum in se Christum contineat, est de maximis bonis. Maxima autem bona sunt, secundum Augustinum, in libro *de Lib. Arbit.* *, *quibus nullus male potest uti.* Nullus autem peccat nisi per abusum alicuius rei. Ergo nullus peccator sumens hoc sacramentum peccat.

4. PRAETEREA, sicut hoc sacramentum sentitur gustu et tactu, ita et visu. Si ergo peccator peccet ex eo quod sumit hoc sacramentum gustu et tactu [β], videtur quod etiam peccaret videndo. Quod patet esse falsum: cum Ecclesia omnibus hoc sacramentum videndum et adorandum proponat. Ergo peccator non peccat ex hoc quod manducat hoc sacramentum.

5. PRAETEREA, contingit quandoque quod aliquis peccator non habet conscientiam sui peccati. Nec tamen talis peccare videtur corpus Christi sumendo: quia, secundum hoc, omnes peccarent qui sumunt, quasi periculo se exponentes; cum Apostolus dicit, I *Cor.* IV *: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Non ergo videtur quod peccatori cedat in culpam si hoc sacramentum sumat.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, I *Cor.* XI *: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit* [γ]. Dicit autem Glossa * ibidem: *Indigne manducat et bibit qui in crimine est, vel irreverenter tractat.* Ergo qui est in peccato mortali, si hoc sacramentum accipiat, damnationem acquirit, mortaliter peccans.

RESPONDEO DICENDUM quod in hoc sacramento, sicut in aliis, id quod est sacramentum est signum eius quod est res sacramenti. Duplex autem est res huius sacramenti, sicut supra * dictum est: una quidem quae est significata et contenta, scilicet ipse Christus; alia autem est significata et non contenta, scilicet corpus Christi mysticum, quod est societas sanctorum. Quicumque ergo hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo unitum et membris eius incorporatum. Quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo manifestum est quod quicumque cum peccato mortali hoc sacramentum sumit, falsitatem in hoc sacramento committit. Et ideo incurrit sacrilegium, tanquam sacramenti violator. Et propter hoc mortaliter peccat.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus in propria specie apparens non exhibebat se tangendum hominibus in signum spiritualis unionis ad ipsum, sicut exhibetur sumendus in hoc sacramento. Et ideo peccatores eum in propria specie tangentes non incurrebant crimen falsitatis

* Vers. 36 sqq. — * Vers. 36. — * Vers. 12. — * Lib. II, cap. XIX. — * Vers. 4. — * Vers. 29. — * Lomb. — * Qu. LX, art. 3, arg. *Sed cont.*; qu. LXXIII, art. 6.

α) *sumi potest absque culpa.* – *corporaliter sumi potest absque culpa* GHbc, *absque culpa sumi potest* I, *absque culpa sumere possunt* P; *alias, ergo hoc sacramentum corporaliter absque culpa sumi potest* margo P.

β) *gustu et tactu.* – Om. tertia praeter I.

γ) *bibit.* – *idest condemnationem* addunt PI. – *Dicit autem* PGI; *et (ibidem Glossa) dicit* ed. *a*, *Dicit enim* ceteri.

circa divina, sicut peccatores sumentes hoc sacramentum.

Et praeterea Christus adhuc gerebat *similitudinem carnis peccati* *: et ideo convenienter se peccatoribus tangendum exhibebat. Sed, remota similitudine carnis peccati per gloriam resurrectionis, se tangi prohibuit a muliere, quae defectum fidei circa ipsum patiebatur: secundum illud Ioan. xx *: *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum*, scilicet *in corde tuo*, ut Augustinus exponit *. Et ideo peccatores, qui defectum fidei patiuntur formatae [δ] circa ipsum, repelluntur a contactu huius sacramenti.

* *Ad Rom.*, cap. VIII, vers. 7.
* Vers. 17.
* *In Ioan. Evang.* tract. CXXI, n. 3.

Ad secundum dicendum quod non quaelibet medicina competit secundum quemlibet statum [ε]. Nam medicina quae datur iam liberatis a febre ad confortationem, noceret si daretur adhuc febricitantibus. Ita etiam baptismus et poenitentia sunt [ζ] medicinae purgativae, quae dantur ad tollendam febrem peccati. Hoc autem sacramentum est medicina confortativa, quae non debet dari nisi liberatis a peccato.

Ad tertium dicendum quod *maxima bona* ibi intelligit Augustinus virtutes animae, *quibus nullus male utitur* quasi principiis mali usus. Utitur tamen eis aliquis male quasi obiectis mali usus: ut patet in his qui de virtutibus superbiunt. Ita et hoc sacramentum, quantum est ex se, non est principium mali usus, sed obiectum. Unde Augustinus dicit *: *Multi indigne accipiunt corpus Domini: per quod docemur quam cavendum sit male* [η] *accipere bonum. Ecce enim, factum est malum dum male accipitur bonum: sicut e contra Apostolo factum est bonum cum bene accipitur malum, scilicet cum stimulus Satanae patienter portatur* [θ].

* *In Ioan. Evang.* tract. LXII, n. 1. - Cf. Mag. IV *Sent.*, dist. IX, cap. *Haec verba*.

Ad quartum dicendum quod per visum non accipitur ipsum corpus Christi, sed solum sacramentum eius: quia scilicet non pertingit visus ad substantiam corporis Christi, sed solum ad species sacramentales, ut supra * dictum est. Sed ille qui manducat, non solum sumit species sacramentales, sed etiam Christum, qui est sub eis. Et ideo a visione corporis Christi nullus prohibetur qui sit sacramentum Christi consecutus, scilicet baptismum: non-baptizati autem non sunt admittendi etiam ad inspectionem huius sacramenti, ut patet per Dionysium, in libro *Eccles. Hier.* * Sed ad manducationem non sunt admittendi nisi soli illi qui non solum sacramentaliter, sed etiam realiter sunt Christo coniuncti.

* Qu. LXXVI, art. 7.
* Cap. VII, § 3.

Ad quintum dicendum quod hoc quod non habet aliquis conscientiam sui peccati, potest contingere dupliciter. Uno modo, per culpam suam: vel quia per ignorantiam iuris, quae non excusat *, reputat non esse peccatum quod est peccatum, puta si aliquis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale; vel quia negligens est in examinatione sui ipsius, contra id quod Apostolus dicit, I *Cor.* XI *, *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.* Et sic nihilominus peccat peccator sumens corpus Christi, licet non habeat conscientiam peccati: quia ipsa ignorantia est ei peccatum.

* Can. *Turbatur*, caus. 1, qu. IV, append. Grat. (cf. *Reg. Iur.* in Sexto, reg. XIII).
* Vers. 28.

Alio modo potest contingere sine culpa ipsius: puta, cum doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus. Et in tali casu non peccat sumendo corpus Christi: quia homo per certitudinem scire non potest utrum sit vere contritus. Sufficit tamen [ι] si in se signa contritionis inveniat: puta ut *doleat de praeteritis* et proponat *cavere de futuris* *.

Si vero ignorat hoc quod fecit esse actum peccati propter ignorantiam facti, quae excusat *, puta si accessit ad non suam quam credebat esse suam, non est ex hoc dicendus peccator. Similiter etiam, si totaliter est peccatum oblitus, sufficit ad eius deletionem generalis contritio, ut infra * dicetur. Unde iam non est dicendus peccator.

* Cf. Aug. Epist. CCX, al. LXXXVII, *ad Sanctimoniales*, n. 16.
* Cf. loc. cit. in princ. resp.
* Cf. *Supplem.*, qu. II, art. 3, ad 2.

δ) *fidei patiuntur formatae.* – *fidei patiuntur forte* CE, *patiuntur fidei formatae* (*forte* pl) FI, *fidei formatae patiuntur* Pc.
ε) *statum.* – *infirmitatis* addunt F et tertia.
ζ) *sunt.* – *quasi* addit tertia.
η) *male.* – F et tertia; om. Cf. qu. seq. art. 2. arg. 3. – Ante *factum est* primo loco addunt *per bonum* PF, altero loco *per malum* P. – Pro *accipitur, accipiatur* I, *accepit* P.
θ) *stimulus... portatur.* – *stimulos... portat* I, *stimulum... portavit* P.
ι) *tamen.* – *enim* PB. – Pro *ut doleat, ut si doleat* bc, *si doleat* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

* Integrum Comment. om. P.

* In quaestionis octogesimae articulo quarto, dubium occurrit, an contritus, non autem confessus, de peccato mortali, habita copia confessoris idonei, sumens Eucharistiam peccet mortaliter. Et est ratio dubii, quia communiter dicitur quod, habita copia confessoris, tenetur confiteri mortale contritus ante sumptionem Eucharistiae: non tamen communiter asseritur quod teneatur sub peccato mortali.

II. Ad huius quaestionis difficultatem aperiendam, sciendum est quod teneri sub vinculo peccati mortalis, vel non sic teneri ad confessionem huiusmodi ante Eucharistiam, oportet accipere vel ex iure divino, vel ex ratione naturali, vel ex iure positivo.

Et ab ultimo inchoando, ius positivum nullum apparet praecipiens confessionem ante sumptionem Eucharistiae.

Ratio autem ex naturali discursu a doctoribus sacris allata ad hoc, est quia distributio Eucharistiae spectat ad ministros Ecclesiae; ac per hoc, sumpturus Eucharistiam debet esse mundus iudicio Ecclesiae. Quam quidem rationem ipsimet doctores sacri non tanti faciunt ut necessario ipsam concludere dicant: nam dicunt ipsam habere locum, non simpliciter et absolute, sed quando adest copia confessoris. Et revera ratio ista non cogit nec ius statuit: quoniam facile solvi potest dicendo quod sumpturus per ministros Ecclesiae Eucharistiam, debet esse mundus iudicio ministrorum, *vel iudicio Domini ipsorum ministrorum.* Contritus autem mundus est iudicio Dei, membrumque est formatum etiam militantis Ecclesiae.

Ex divino vero iure praeceptum hoc non apparet. Quin potius insinuatur oppositum, dum, I *ad Cor.* XI *, Apostolus dicit: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat.* Ubi duo dicit. Primo, quod *homo probet seipsum*, quod pertinet ad contritionem: et non dicit quod *probetur a confessore.* Et quamvis locus ab auctoritate negative parum aut nihil valeat, ex secundo tamen dicto affirmativo videtur negatio ista fulciri. Subiungitur enim: *et sic*

* Vers. 28.

de pane illo edat. Hoc enim subiunctum monstrat sufficere ad sumendam Eucharistiam quod homo probet seipsum: nam, si probare seipsum non sufficeret, Apostolus non subiunxisset documentum dispositionis hominis communicaturi quale subiunxit dicens *et sic,* idest *probato seipso, de pane illo edat,* etc.

III. Quocirca videtur mihi, ex hoc Apostoli documento, et ex ratione subiungenda, quod contritus sumens Eucharistiam non peccat mortaliter, etiam confessoris habita copia. Ratio autem me movens est, quia constat actum istum qui est contritum de peccato mortali non confesso sumere Eucharistiam, non esse ex suo genere peccatum mortale. Quod ex eo evidenter probatur quod, si esset mortale ex suo genere, in nullo casu esset licitus: ut patet discurrendo per omnes actus qui ex suo genere sunt peccata mortalia. Constat autem actum istum esse quandoque licitum, ut omnes fatentur: quando scilicet deest copia confessoris.

Amplius, duobus existentibus praeceptis, et utroque affirmativo, ac per hoc ambobus obligantibus, quantum est ex natura sua, solum tempore necessitatis; perspicimus manifestam differentiam in hoc, quod sumptio Eucharistiae determinat tempus necessarium respectu praecepti contritionis, et non determinat tempus necessarium respectu praecepti confessionis: nam sumptio Eucharistiae praeexigit absoluta necessitate ut *probet seipsum homo* per contritionem, et non praeexigit absoluta necessitate ut probetur homo a confessore. Ergo confessio ante communionem non est in praecepto: quia tunc non est tempus necessitatis absolute; nec fit tempus necessitatis ex sumptione Eucharistiae, sicut ex eadem fit tempus necessitatis respectu contritionis.

Ex hoc igitur quod, absolute loquendo, contritum absque confessione peccati mortalis sumere Eucharistiam non est ex suo genere peccatum mortale, non est sacrilegium, seu mortale peccatum sacrilegii; consequens est ut ex differentia illa, scilicet, habita vel non habita copia confessoris *, cum utrumque eorum per accidens se habeat ad actum istum, non fiat actus iste ex non mortali mortalis, aut ex mortali non mortalis; oportet enim iudicium de humanis actibus ex his quae sunt per se sumere. (* Cf. num. II, *Ratio autem.*)

Et confirmatur. Quia immiscere se sacris actibus sacramentalibus, qui sacrilegi essent si in peccato mortali exercerentur, cum contritione sola peccatorum mortalium, non est peccatum mortale: sufficit enim sacerdoti ministranti sacramentum poenitentiae aut baptismi, extremae unctionis aut viatici, sola contritio. Immo suscipere etiam alia sacramenta cum sola contritione nullibi videtur prohibitum: et quod Patrum auctoritate non est sancitum, non est superstitiosa novitate praecipiendum.

IV. Et licet ex his sic credendum censeam, consulendum tamen omnibus est ut, habita confessoris commoditate, non solum *probet seipsum homo,* sed clavibus Ecclesiae seipsum subiiciat, antequam *de pane illo edat et de calice bibat.* Propter hoc enim Ecclesia consuevit confessionem ad quam singuli tenentur semel in anno *, in Quadragesima facere: ut mundi, non solum apud Deum, sed etiam secundum iudicium ministrorum Ecclesiae, ad Eucharistiam fideles accedant in Pascha. (* Cap. *Omnis utriusque, de Poenit. et Remiss.*)

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM ACCEDERE AD HOC SACRAMENTUM CUM CONSCIENTIA PECCATI SIT GRAVISSIMUM OMNIUM PECCATORUM

IV *Sent.*, dist. IX, art. 3, qu[a] 3; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. VII.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati sit gravissimum omnium peccatorum. Dicit enim Apostolus, I *Cor.* XI *: *Quicumque manducaverit panem et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini:* Glossa * ibidem [α]: *Ac si Christum occiderit, punietur.* Sed peccatum Christum occidentium videtur fuisse gravissimum. Ergo et hoc peccatum, quo aliquis cum conscientia peccati ad mensam Domini accedit, videtur esse gravissimum. (* Vers. 27. — * Lomb.)

2. PRAETEREA, Hieronymus dicit, in quadam Epistola *: *Quid tibi cum feminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Dic, sacerdos, dic, clerice, qualiter cum eisdem labiis Filium Dei oscularis quibus osculatus es filiam [β] meretricis. O Iuda, osculo Filium hominis tradis!* Et sic videtur fornicator ad mensam Christi accedens peccare sicut Iudas peccavit, cuius peccatum fuit gravissimum. Sed multa alia peccata sunt graviora quam peccatum fornicationis: et praecipue peccatum infidelitatis. Ergo cuiuslibet peccatoris ad mensam Christi accedentis peccatum est gravissimum. (* Ep. XLII, *ad Ocean.*, usque ad *fabularis.* - Vide Halens. IV *Sent.*, qu. XI, memb. 2, art. 2, § 2, ult. arg. *Contra.*)

3. PRAETEREA, magis est abominabilis Deo immunditia spiritualis quam corporalis. Sed si quis proiiceret corpus Christi in lutum vel sterquilinium, gravissimum reputaretur esse [γ] peccatum. Ergo gravius peccat si ipsum sumat cum peccato, quod est immunditia spiritualis. Ergo hoc peccatum est gravissimum.

SED CONTRA EST quod, super illud Ioan. XV *, *Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent,* dicit Augustinus * hoc esse intelligendum de peccato infidelitatis, *quo retinentur* [δ] *cuncta peccata.* Et ita videtur hoc peccatum non esse gravissimum, sed magis peccatum infidelitatis. (* Vers. 22. — * *In Ioan. Evang.*, tract. LXXXIX, num. 1.)

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte * habitum est, dupliciter aliquod peccatum potest dici gravius alio: uno modo, per se; alio modo, per accidens. Per se quidem, secundum rationem suae speciei, quae attenditur ex parte obiecti. Et secundum hoc, quanto id contra quod peccatur est maius, tanto peccatum est gravius. Et quia divinitas Christi est maior humanitate ipsius; et ipsa humanitas est potior quam sacramenta humanitatis: inde est quod gravissima peccata sunt quae committuntur in ipsam divinitatem, sicut est peccatum infidelitatis et blasphemiae. Secundario autem sunt gravia peccata (* I[a] II[ae], qu. LXXIII, art. 3, 6. - Cf. II[am] II[ae], qu. LXXIII, art. 3.)

α) *ibidem.* – *bc*; om. F, *idest* I, *ibidem dicit est* ed. *a*, *ibidem hoc est* P, *ibidem est* ceteri.
β) *filiam.* – *similia (meretricia)* D, *labia* editiones.
γ) *esse.* – *eius* tertia (post *peccatum* I), om. E.
δ) *quo retinentur.* – *(in bc) quo continentur* Ibc, *quo tenentur* P.

quae committuntur in humanitatem Christi: unde Matth. XII * dicitur: *Qui dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.* Tertio autem loco sunt peccata quae committuntur contra sacramenta, quae pertinent ad humanitatem Christi. Et post hoc sunt alia peccata, contra puras creaturas.

* Vers. 32.

Per accidens autem unum peccatum est gravius alio ex parte peccantis: puta, peccatum quod est ex ignorantia vel infirmitate, est levius peccato quod est ex contemptu vel ex certa scientia; et eadem ratio est de aliis circumstantiis. Et secundum hoc, illud peccatum in quibusdam potest esse gravius, sicut in his qui ex actuali contemptu cum conscientia peccati ad hoc sacramentum accedunt; in quibusdam vero minus grave, puta in his qui ex quodam timore ne deprehendantur in peccato, cum conscientia peccati ad hoc sacramentum accedunt.

Sic igitur patet quod hoc peccatum est multis aliis gravius secundum suam speciem, non tamen omnium gravissimum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod peccatum indigne sumentium hoc sacramentum comparatur peccato occidentium Christum secundum similitudinem, quia utrumque committitur contra corpus Christi: non tamen secundum criminis quantitatem. Peccatum enim occidentium Christum fuit multo gravius. Primo quidem, quia illud peccatum fuit contra corpus Christi in sua specie propria: hoc autem est contra corpus Christi in specie sacramenti. Secundo, quia illud peccatum processit ex intentione nocendi Christo: non autem hoc peccatum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod fornicator accipiens corpus Christi comparatur Iudae Christum osculanti, quantum ad similitudinem criminis, quia uterque ex signo caritatis Christum offendit: non tamen quantum ad criminis quantitatem, sicut et prius * dictum est. Haec tamen similitudo non minus competit aliis peccatoribus quam fornicatoribus: nam et per alia peccata mortalia agitur contra caritatem Christi, cuius signum est hoc sacramentum; et tanto magis quanto ε peccata sunt graviora. Secundum quid tamen peccatum fornicationis magis reddit hominem ineptum ad perceptionem huius sacramenti: inquantum scilicet per hoc peccatum spiritus maxime carni subiicitur, et ita impeditur fervor dilectionis, qui requiritur in hoc sacramento.

* Resp. ad 1.

Plus tamen ponderat impedimentum ipsius caritatis quam fervoris eius. Unde etiam peccatum infidelitatis, quod funditus separat hominem ab Ecclesiae unitate, simpliciter loquendo, maxime hominem ineptum reddit ad susceptionem huius sacramenti, quod est sacramentum ecclesiasticae unitatis, ut dictum est *. Unde et gravius peccat infidelis accipiens hoc sacramentum quam peccator fidelis; et magis contemnit Christum secundum quod est sub hoc sacramento, praesertim si non credat Christum vere sub hoc sacramento esse: quia, quantum est in se, diminuit sanctitatem huius sacramenti, et virtutem Christi operantis in hoc sacramento, quod est contemnere ipsum sacramentum in seipso. Fidelis autem qui cum conscientia peccati sumit, contemnit hoc sacramentum non in seipso, sed quantum ad usum, indigne accipiens. Unde et Apostolus, I *Cor.* XI *, assignans rationem huius peccati, dicit: *non diiudicans corpus Domini,* idest, *non discernens ipsum ab aliis cibis* *: quod maxime facit ille qui non credit Christum esse sub hoc sacramento.

* Qu. LXVII, art. 2; qu. LXXIII, art. 2, arg. *Sed cont.;* art. 4.

* Vers. 29.

* Gloss. Lomb.

AD TERTIUM DICENDUM quod ille qui proiiceret hoc sacramentum in lutum, gravius ζ peccaret quam ille qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc sacramentum accedit. Primo quidem, quia ille hoc faceret ex intentione iniuriam inferendi η huic sacramento: quod non intendit peccator indigne corpus Christi accipiens.

Secundo, quia homo peccator capax est gratiae: unde etiam magis est aptus ad suscipiendum hoc sacramentum quam quaecumque alia irrationalis creatura. Unde maxime inordinate uteretur hoc sacramento qui proiiceret ipsum canibus ad manducandum, vel qui proiiceret in lutum conculcandum θ.

ε) *quanto.* – Tertia; om. DpE, *quanto magis* ceteri.
ζ) *gravius.* – *multo gravius* F et tertia, *gravius peccatum* E.
η) *inferendi.* – *faciendi et inferendi* ed. *a*, *faciendi* editiones.
θ) *conculcandum.* – *ad conculcandum* F.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo quinto eiusdem quaestionis, Durandus occurrit, in IV *Sent.*, dist. IX, qu. II, art. 2 *, obiiciens contra rationem et conclusionem Auctoris, in hoc quod dicit sacrilegium indigne communicantium esse gravius peccatum omnibus peccatis quae sunt contra puras creaturas. Et contra conclusionem quidem, dicit satis grave videri plus peccare irreverenter sumentem Eucharistiam quam iniuste occidentem proximum.

* Al. qu. IV, ad 2m principale.

Contra rationem autem, quia propositio dicens, *Sicut se habet obiectum ad obiectum, ita se habet actus ad actum,* non est necessaria quando actus sunt diversarum rationum, sed solum quando sunt unius rationis. Gravius est enim contumelia dehonorare principem quam civem: sed gravius est occidere civem quam verbo dehonorare principem.

II. Ad hoc dicitur quod propositio est necessaria in utrisque actibus: intellecta tamen ut in littera exponitur, et communiter etiam intelligitur, scilicet de gravitate peccatorum ex proprio genere; haec enim ex obiecto, unde habet speciem actus, pensatur. Et veritas eius patet ex eo quod dicimus maius esse peccatum secundum suum genus blasphemiam Dei quam homicidium: et tamen isti actus sunt diversarum rationum. Et ad hoc possent multa exempla adduci.

Nec grave videtur sapientibus maius esse peccatum secundum suum genus hoc sacrilegium quam simplex homicidium. Quoniam intelligunt homicidium esse gravius aliunde: scilicet ex damno vitae illato, et aliis huiusmodi.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM SACERDOS DEBEAT DENEGARE CORPUS CHRISTI PECCATORI PETENTI

Infra, qu. LXXXI, art. 2; IV *Sent.*, dist. IX, art. 5, qᵃ 1; dist. XI, qu. III, art. 2, qᵃ 1; *Quodl.* V, qu. VI, art. 2.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti. Non est enim faciendum contra Christi praeceptum propter vitandum scandalum, neque propter vitandum[α] infamiam alicuius. Sed Dominus praecepit, Matth. VII * [Vers. 6.]: *Nolite sanctum dare canibus.* Maxime autem datur sanctum canibus cum hoc sacramentum peccatoribus exhibetur. Ergo neque propter vitandum scandalum, neque propter vitandam infamiam alicuius, debet hoc sacramentum peccatori petenti dari.

2. PRAETEREA, de duobus malis est minus malum eligendum. Sed minus malum esse videtur si peccator infametur, vel etiam si ei hostia non consecrata detur, quam si sumens corpus Christi mortaliter peccet. Ergo videtur hoc potius eligendum, quod vel infametur peccator petens corpus Christi, vel etiam detur ei hostia non consecrata.

3. PRAETEREA, corpus Christi interdum datur suspectis de crimine ad eorum manifestationem: legitur enim in Decretis, II, qu. IV * [Al. qu. v. can. *Saepe contingit.*]: *Saepe contingit ut in monasteriis monachorum furta perpetrentur. Idcirco statuimus ut, quando ipsi fratres de talibus expurgare se debent, missa ab abbate celebretur vel*[β] *ab aliquo ex praesentibus fratribus, et sic, expleta missa, omnes communicent in haec verba, « Corpus Christi sit tibi hodie ad probationem ».* Et infra * [Can. *Si episcopo.*]: *Si episcopo vel presbytero aliquod maleficium fuerit imputatum, in singulis missa celebrari debet et communicari, et de singulis sibi imputatis innocentem se ostendere.* Sed peccatores occultos non oportet manifestari: quia, si frontem verecundiae abiecerint, liberius peccabunt, ut Augustinus dicit, in libro *de Verbis Domini* * [Cf. serm. LXXXII, al. *de Verb. Dom.* XVI, cap. IV.]. Ergo peccatoribus occultis non est corpus Christi dandum, etiam si petant.

SED CONTRA EST quod, super illud Psalmi * [Ps. XXI, vers. 30.], *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae*, dicit Augustinus * [Gloss. Ord. et Lomb. - Cf. Aug. Serm. I *in Ps.* XLVIII, vers. 3; Can. *Non prohibeat, de Consecr.*, dist. II.]: *Non prohibeat dispensator pingues terrae*, idest peccatores, *mensam Domini manducare.*

RESPONDEO DICENDUM quod circa peccatores distinguendum est. Quidam enim sunt occulti: quidam vero manifesti; scilicet per evidentiam facti, sicut publici usurarii aut publici raptores; vel etiam per aliquod iudicium ecclesiasticum vel saeculare. Manifestis ergo peccatoribus non debet, etiam petentibus, sacra communio dari. Unde Cyprianus * [Ep. LXI, *ad Euchratium.*] scribit ad quendam: *Pro dilectione tua consulendum me existimasti quid mihi videatur de histrionibus, et mago illo qui, apud vos constitutus, adhuc in artis suae dedecore perseverat, an talibus sacra communio cum ceteris Christianis debeat dari. Puto nec maiestati divinae, nec evangelicae disciplinae congruere ut pudor et honor Ecclesiae tam turpi et infami contagione foedetur.*

Si vero non sunt manifesti peccatores sed occulti, non potest eis petentibus sacra communio denegari. Cum enim quilibet Christianus, ex hoc ipso quod est baptizatus, sit admissus ad mensam Dominicam, non potest eis[γ] ius suum tolli nisi pro aliqua causa manifesta. Unde super illud I *Cor.* V * [Vers. 11.], *Si is qui frater inter vos nominatur* etc., dicit Glossa Augustini * [Apud. Lomb.]: *Nos a communione quemquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio vel ecclesiastico vel saeculari nominatum atque convictum.*

Potest tamen sacerdos qui est conscius criminis, occulte monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant antequam poeniteant[δ] et Ecclesiae reconcilientur. Nam post poenitentiam et reconciliationem, etiam publicis peccatoribus non est communio deneganda: praecipue in mortis articulo. Unde in concilio Carthaginensi * [III, can. XXXV. - Cf. can. *Scenicis, de Consecr.*, dist. II.] legitur: *Scenicis atque histrionibus ceterisque huiusmodi personis, vel apostatis, conversis ad Deum reconciliatio non negetur.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod sancta prohibentur dari *canibus*, idest peccatoribus manifestis. Sed occulta non possunt publice puniri, sed sunt divino iudicio reservanda.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, licet peius sit peccatori occulto peccare mortaliter sumendo corpus Christi quam infamari, tamen sacerdoti ministranti corpus Christi peius est peccare mortaliter infamando iniuste[ε] peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet: quia nullus debet peccatum mortale committere ut alium liberet a peccato. Unde Augustinus dicit, in libro *Quaestionum super Gen.* * [Qu. XLII.]: *Periculosissime admittitur haec compensatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat.* Peccator tamen occultus potius deberet[ζ] eligere infamari quam indigne ad mensam Christi accedere.

Hostia tamen non consecrata nullo modo debet dari loco consecratae: quia sacerdos hoc faciens, quantum est in se, facit[η] idololatrare illos qui credunt hostiam consecratam * [D. 717.], sive alios praesentes, sive etiam ipsum sumentem; quia, ut Augustinus dicit * [*In Ps.* XCVIII, vers. 5.], *nemo carnem Christi manducet nisi*

α) *neque propter vitandum.* – *vel* PI.
β) *ab abbate celebretur vel.* – *ad altare celebretur* E. – *tibi* EFa et tertia; *ibi.* – Ad *in singulis... communicari, Alias pro singulis missam debet celebrare et communicare* margo P.
γ) *eis.* – *ei* Fa et tertia.
δ) *poeniteant.* – *de peccatis poeniteant* tertia.
ε) *iniuste.* – FsD *a* et tertia praeter H; *iuste.*
ζ) *deberet.* – Pa; *debet* DFIsG, *debeant* vel *deberent* E, *debeat* ceteri.
η) *facit.* – Fa et tertia; *fecit.*

prius adoret *. Unde Extra, *de Celebratione Missarum*, cap. *De* [θ] *homine*, dicitur: *Licet is qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter si se ingerat, tamen gravius videtur offendere qui fraudulenter illud praesumpserit simulare.*

* D. 580, 717.

Ad tertium dicendum quod decreta illa sunt abrogata per contraria documenta Romanorum Pontificum. Dicit enim Stephanus Papa *: *Ferri candentis vel aquae ferventis* [ι] *examinatione confessionem extorqueri a quolibet sacri canones non concedunt. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata, delicta commissa sunt regimini* [κ] *nostro iudicare: occulta vero et incognita illi sunt relinquenda qui solus novit corda filiorum hominum.* Et idem habetur Extra, de *Purgationibus*, cap. *Ex tuarum.* In omnibus enim talibus videtur Dei esse tentatio: unde sine peccato fieri non possunt. Et gravius videretur si in hoc sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret iudicium mortis. Unde nullo modo corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine quasi ad examinationem.

* Quintus. - Cf. can. *Consuluisti*, caus. II, qu. v.

θ) *De.* – PsB et *c*; *ex.*
ι) *ferventis.* – F et tertia.; *bulientis* ed. *a*, *fluentis* ceteri.
κ) *regimini.* – F et tertia; *regni* Ea, *regi* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo sexto, adverte Durandum, in lib. IV, dist. ix, art. ult., limitare dictum Auctoris hic, scilicet, *Occultis peccatoribus petentibus non potest sacra communio denegari.* Distinguit enim de sacerdote curato seu eius vicario, seu curam [non] gerente: et similiter de tempore generalis communionis aut infirmitatis, vel tempore alio. Putatque non gerentem curam animarum debere negare communionem, ex eo quod non tenetur illum communicare, etiam cum licentia curati: curatum autem, extra tempus generalis communionis, persuasorie, sine scandalo tamen, negare communionem debere.

II. Mihi autem videtur quod, licet cauta sit distinctio Durandi, ut petens communionem non exequatur sacrilegium quod intendit; debitum tamen nullum video negandi occulto peccatori publice se communioni ingerenti, sive sit sacerdos curatus sive non, modo stet paratus in altari communicans quoscumque. Et ratio est quia *Christi actio nostra est instructio* *. Constat autem quod Dominus non tenebatur tunc ad communicandum Apostolos; et de facili, modicum supersedendo, potuisset sine scandalo evitare Iudam, instituendo sacramentum post datam intinctam buccellam, qua sumpta exivit foras *.

* *Instruct. Sacerdot.*, cap. vi (inter Opp. Bern.); Innoc. III, Serm. XXII *de Temp.*

* Ioan. cap. xiii, vers. 30.

Et confirmatur. Quia Iudas non petiit communionem: et tamen Dominus, Apostolicum chorum communicans, ipsum cum ceteris invitavit, dicens: *Comedite*, seu, *Bibite ex hoc omnes* *.

* Matth. cap. xxvi, vers. 26, 27.

III. Quocirca Durandi distinctio locum habere videtur quando ad partem, coram aliis tamen, peteret aliquis ut sacerdos vellet celebrare et ipsum communicare. Tum enim qui non tenetur communicare illum occultum peccatorem, debet, si sine scandalo potest, suum negare ministerium. Dico autem, *sine scandalo:* quia si negatio in damnum vergeret famae ipsius petentis, par esset ratio in hoc casu et in casu quo staret paratus ad communicandum. Posset enim, ne actus negationis suae detraheret famae proximi, communicare ipsum, relinquendo ipsi peccatori curam suimet.

IV. Item in eodem articulo *, caute nota in nullo casu dandam aut accipiendam esse hostiam non consecratam, quasi loco communionis. Dico autem hoc quia, etiam sciente tam communicante quam accipiente hostiam non esse consecratam, propter praesentes, qui indistincte adorant, vel adorare possunt, quamlibet hostiam quam deferri vel dari conspiciunt, illicitum est: – nam, si nullus esset omnino praesens, non fingeret accipiens se communicare, sed abstineret omnino.

* Resp. ad 2.

V. In responsione ad tertium eiusdem articuli, nota quod decreta illa quae corpus Christi quasi ad examinationem ordinarunt, non fuerunt per concilia universalia facta: sed fuit concilium particulare, ut patet II, qu. iv *. Et propterea non est mirum si erravit.

* Al. qu. v, locis citat. in arg.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM NOCTURNA POLLUTIO IMPEDIAT ALIQUEM A SUMPTIONE CORPORIS CHRISTI

IV *Sent.*, dist. ix, art. 4, qu^a 2.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod nocturna pollutio non impediat aliquem a sumptione corporis Christi. Nullus enim impeditur a sumptione corporis Christi nisi propter peccatum. Sed nocturna pollutio accidit sine peccato: dicit enim Augustinus, XII *super Gen. ad litt.* *: *Ipsa phantasia quae fit in cogitatione sermocinantis, cum expressa fuerit in visione somniantis, ut inter illam et veram coniunctionem corporum non discernatur, continue movetur* [α] *caro et sequitur quod eum motum sequi solet, cum hoc tam sine peccato fiat quam sine peccato a vigilantibus dicitur quod, ut diceretur, procul dubio cogitatum est.* Ergo nocturna pollutio non impedit hominem ab huius sacramenti perceptione.

* Cap. xv.

2. Praeterea, Gregorius dicit, in Epistola *ad Augustinum Episcopum Anglorum* *: *Si quis sua coniuge, non cupidine voluptatis raptus, sed tantum creandorum liberorum gratia utitur, ille profecto, sive de ingressu ecclesiae seu de sumendo corporis Dominici mysterio, suo est iudicio relinquendus: quia prohiberi a nobis non debet accipere qui, in igne positus, nescit ardere.* Ex quo patet quod carnalis pollutio etiam vigilantis, si sit sine peccato, non prohibet hominem a sumptione corporis Christi. Multo igitur minus prohibet nocturna pollutio dormientis.

* Regist. lib. XI, Epist. LXIV, al. XXXI, ad interrog. x. - Cf. can. *Vir cum propria*, Caus. XXXIII, qu. iv.

α) *continue movetur.* – *continuo iuditio b, continuo movetur* Pc.

3. Praeterea, nocturna pollutio videtur solam immunditiam corporalem habere. Sed aliae immunditiae corporales, quae secundum legem impediebant ab ingressu sanctorum *, in nova lege non impediunt a sumptione corporis Christi: sicut de muliere pariente, vel menstruata, vel fluxum sanguinis patiente, scribit beatus Gregorius Augustino Anglorum Episcopo *. Ergo videtur quod neque etiam nocturna pollutio impediat hominem a sumptione huius sacramenti.

* *Levit.* cap. XII, XV.

* Loc. cit.

4. Praeterea, peccatum veniale non impedit hominem a sumptione huius sacramenti: sed nec etiam peccatum mortale post poenitentiam. Sed, dato quod nocturna pollutio provenerit ex aliquo peccato praecedenti sive crapulae sive turpium cogitationum, plerumque tale peccatum est veniale: et, si aliquando sit mortale, potest contingere quod de mane poenitet et peccatum suum confitetur. Ergo videtur quod non debeat impediri a sumptione huius sacramenti.

5. Praeterea, gravius peccatum est homicidii quam fornicationis. Sed si aliquis de nocte somniet homicidium perpetrare aut furtum, vel quodcumque aliud peccatum, non propter hoc impeditur a sumptione corporis Christi. Ergo videtur quod multo minus fornicatio somniata, cum pollutione subsequente, impediat a susceptione huius sacramenti.

Sed contra est quod *Levit.* xv * dicitur: *Vir a quocumque* [β] *egreditur semen coitus, immundus erit usque ad vesperam.* Sed immundis non patet aditus ad sacramenta. Ergo videtur quod propter pollutionem nocturnam aliquis impeditur a sumptione huius sacramenti, quod est maximum sacramentum.

* Vers. 16.

Respondeo dicendum quod circa pollutionem nocturnam duo possunt considerari: unum quidem ratione cuius ex necessitate impedit hominem a sumptione huius sacramenti; aliud autem ratione cuius non ex necessitate impedit hominem, sed ex quadam congruentia.

Ex necessitate quidem impedit hominem ab huius sacramenti perceptione solum mortale peccatum. Et quamvis ipsa nocturna pollutio, secundum se considerata, peccatum mortale esse non possit, nihilominus tamen, ratione suae causae, quandoque habet peccatum mortale annexum. Et ideo consideranda est causa pollutionis nocturnae. Quandoque enim provenit ex causa extrinseca spirituali, scilicet daemonum illusione, qui, sicut in Prima Parte * habitum est, phantasmata commovere possunt, ex quorum apparitione pollutio interdum subsequitur. Quandoque vero provenit pollutio ex causa intrinseca spirituali, scilicet ex praecedentibus cogitationibus. Aliquando autem ex causa intrinseca corporali: seu ex superfluitate sive debilitate naturae; seu etiam ex superfluitate cibi et potus. Quaelibet autem harum trium causarum potest et sine peccato, et cum peccato veniali vel mortali existere. Et si quidem sit sine peccato, vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem huius sacramenti, ita scilicet quod homo sumendo sit *reus corporis et sanguinis Domini* *. Si vero sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate.

* Qu. CXI, art. 3.

* I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 27.

Illusio enim daemonum quandoque provenit ex praecedenti negligentia praeparationis ad devotionem [γ], quae potest esse vel mortale vel veniale peccatum. – Quandoque vero provenit ex sola nequitia daemonum volentium impedire hominem a sumptione huius sacramenti. Unde legitur in *Collationibus Patrum* * quod, cum quidam [δ] pollutionem pateretur semper in festis in quibus erat communicandum, seniores, comperto quod nulla causa ab ipso praecesserat, decreverunt quod propter hoc a communione non cessaret: et ita cessavit illusio daemonum.

* Cassian., *Collat.* XXII, cap. VI.

Similiter etiam praecedentes cogitationes lascivae quandoque possunt esse omnino sine peccato: puta cum aliquis causa lectionis vel disputationis cogitur de talibus cogitare. Et si hoc sit sine concupiscentia et delectatione, non erunt cogitationes immundae, sed honestae: ex quibus tamen pollutio sequi potest, sicut patet ex auctoritate Augustini inducta *. – Quandoque vero praecedentes cogitationes sunt cum concupiscentia et delectatione: et, si adsit consensus, peccatum mortale erit; sin autem [ε], veniale.

* Arg. 1.

Similiter etiam et causa corporalis quandoque est sine peccato: puta cum est ex infirmitate naturae, unde et quidam vigilando absque peccato fluxum seminis patiuntur; vel etiam si [ζ] sit ex superfluitate naturae, sicut enim contingit sanguinem superfluere [η] absque peccato, ita et semen, quod est superfluitas sanguinis, secundum Philosophum *. – Quandoque vero est cum peccato: puta cum provenit ex superfluitate cibi vel potus. Et hoc etiam potest esse peccatum veniale vel mortale: licet frequentius peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes, propter facilitatem consensus, quam circa sumptionem cibi et potus. Unde Gregorius, scribens Augustino Anglorum Episcopo *, dicit cessandum esse a communione quando ex turpibus cogitationibus provenit, non autem quando provenit ex superfluitate cibi [θ] et potus, praesertim si necessitas adsit.

* *De Generat. Animal.*, lib. I, cap. XIX.

* Loc. cit., ad interrog. XI.

Sic igitur ex causa pollutionis considerari potest utrum nocturna pollutio ex necessitate impediat sumptionem huius sacramenti.

Ex quadam vero congruentia impedit quantum ad duo. Quorum unum semper accidit, scilicet quaedam foeditas corporalis: cum qua, propter reverentiam sacramenti, non decet ad altare

β) *a quocunque.* – *de quo* P, *a quo* cetera tertia; cf. qu. LXXXII. art. 5. α.
γ) *devotionem.* – *orationem et devotionem* I et per *Alias* margo P.
δ) *quidam.* – *frater* addunt PFI.
ε) *sin autem.* – *sin* (*si* P) *autem desit erit* editiones; *sin autem veniale* om. H.
ζ) *etiam si.* – Tertia et *a*; *etiam* F, *si etiam* ceteri.
η) *superfluere.* – *fluere* Fa et editiones.
θ) *superfluitate cibi.* – *infirmitate cibi* BpC et *a*, *infirmitate naturae vel ex superfluitate naturae vel ex superfluitate cibi* F.

accedere, unde et volentes tangere aliquid sacrum manus lavant; nisi forte talis immunditia perpetua sit vel diuturna, sicut est lepra vel fluxus sanguinis vel aliquid huiusmodi. – Aliud autem est evagatio mentis, quae sequitur pollutionem nocturnam, praecipue quando cum turpi imaginatione contingit.

Hoc tamen impedimentum quod ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem: puta, ut Gregorius dicit *, *cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhibere ministerium, pro eo quod sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit.*

* Ibid.

Ad primum ergo dicendum quod ex necessitate quidem non impeditur homo a sumptione huius sacramenti nisi propter peccatum mortale: sed ex quadam congruentia potest homo impediri propter alias causas, sicut dictum est *.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod coitus coniugalis, si sit sine peccato, puta si fiat causa prolis generandae vel causa reddendi debitum, non alia ratione impedit sumptionem sacramenti nisi sicut dictum est * de pollutione nocturna quae accidit sine peccato, scilicet propter immunditiam corporalem et mentis distractionem. Ratione cuius Hieronymus dicit, *super Matth.* *: *Si panes propositionis ab his qui uxores tetigerant comedi non poterant, quanto magis panis qui de caelo descendit, non potest ab his qui coniugalibus paulo ante haesere* [ι] *amplexibus, violari atque contingi! Non quod nuptias condemnemus: sed quod, eo tempore quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare a* [κ] *carnalibus operibus debeamus.* Sed quia hoc secundum congruitatem, et non secundum necessitatem est intelligendum, Gregorius dicit * quod talis *est suo iudicio relinquendus. – Si vero non amor procreandae sobolis, sed voluptas dominatur in opere,* ut ibidem Gregorius subdit *, tunc prohiberi debet ne accedat ad hoc sacramentum.

* Ibid.
* Epist. XXVIII, inter Opp. Hieron. - Cf. can. *Sciatis*, Caus. XXXIII, qu. IV.
* Loc. cit. in arg.
* Cf. can. *Vir cum propria*, Caus. XXXIII, qu. IV.

Ad tertium dicendum quod, sicut Gregorius dicit, in Epistola supra * dicta *ad Augustinum Anglorum Episcopum* *, in veteri Testamento aliqui polluti dicebantur figuraliter, quod populus novae legis spiritualiter intelligit. Unde huiusmodi corporales immunditiae, si sint perpetuae vel diuturnae, non impediunt sumptionem huius sacramenti salutaris, sicut impediebant accessum ad sacramenta [λ] figuralia. Si vero cito transeunt, sicut immunditia pollutionis nocturnae, ex quadam congruentia impedit [μ] sumptionem huius sacramenti per illum diem quo hoc accidit. Unde et *Deut.* XXIII * dicitur: *Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio* [ν], *egredietur extra castra, et non revertetur priusquam ad vesperam lavetur aqua.*

* Arg. 2.
* Ad interrog. X.
* Vers. 10, 11.

Ad quartum dicendum quod, licet per contritionem et confessionem auferatur reatus culpae, non tamen aufertur corporalis immunditia et distractio mentis ex pollutione consecuta.

Ad quintum dicendum quod somnium homicidii non inducit corporalem immunditiam, nec etiam tantam distractionem mentis sicut fornicatio [ξ], propter intensionem delectationis. Si tamen somnium homicidii proveniat ex causa quae est peccatum, praesertim mortale, impedit a sumptione huius sacramenti ratione suae causae.

ι) *haesere.* – *haerere* F, *adhaesere* sup. ras. G, *exhaerere* H, *habuere* bc, *vacavere* P; pro *amplexibus*, *complexionibus* HpG, *complexibus* sG; *Alias haesere complexibus* margo P.
κ) *a.* – FIsE; om.; pro *debeamus*, *debemus* F, *non debeamus* GHa, *non debemus* editiones.
λ) *sacramenta.* – PAI; *sacra.*
μ) *impedit.* – *impediunt* PF.
ν) *somnio.* – Tertia praeter G; *somno.*
ξ) *fornicatio.* – *somniata* addunt PIsEG.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM CIBUS VEL POTUS PRAEASSUMPTUS IMPEDIAT SUMPTIONEM HUIUS SACRAMENTI

II[a] II[ae], qu. CXLVII, art. 6, ad 2; IV *Sent.*, dist. VIII, qu. I, art. 4, qu[a] 1, 2; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. IV.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod cibus vel potus praeassumptus non impediat sumptionem huius sacramenti. Hoc enim sacramentum est a Domino institutum in Cena. Sed Dominus, *postquam cenavit,* hoc sacramentum discipulis tradidit: sicut patet Luc. XXII * et I *Cor.* XI **. Ergo videtur quod etiam post alios cibos assumptos nos debeamus sumere hoc sacramentum.

* Vers. 20.
** Vers. 25.

2. Praeterea, I *Cor.* XI * dicitur: *Cum convenitis ad manducandum,* scilicet corpus Domini, *invicem expectate: si quis autem esurit, domi manducet.* Et ita videtur quod, postquam aliquis domi manducavit, possit in ecclesia corpus Christi manducare.

* Vers. 33, 34.

3. Praeterea, in concilio Carthaginensi * legitur, et habetur *de Consecr.*, dist. I *: *Sacramenta altaris non nisi a ieiunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario quo Cena Domini celebratur.* Ergo saltem illo die potest corpus Christi aliquis post alios cibos sumere.

* III, can. XXIX.
* Can. *Sacramenta altaris.*

4. Praeterea, sumptio aquae vel medicinae, vel alterius cibi vel potus in minima quantitate, vel etiam reliquiarum cibi in ore remanentium, neque ieiunium Ecclesiae solvit, neque sobrietatem tollit, quae exigitur ad hoc quod aliquis reverenter hoc sacramentum sumat. Ergo per praedicta non impeditur aliquis a sumptione huius sacramenti.

5. Praeterea, quidam de nocte profunda comedunt aut bibunt, aut [α] forte totam noctem insomnem ducentes, de mane percipiunt sacra mys-

α) *aut.* – *et* tertia.

teria, nondum plene digesti. Minus autem impediretur sobrietas hominis si in mane parum comederet, et postea circa nonam sumeret hoc sacramentum: cum etiam sit quandoque maior distantia temporis. Ergo videtur quod talis cibi praeassumptio non impediat hominem ab hoc sacramento.

6. Praeterea, non minor reverentia debetur huic sacramento iam sumpto quam ante sumptionem. Sed, sumpto sacramento, licet cibum aut potum sumere. Ergo et ante sumptionem.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro *Responsionum ad Ianuarium* *: *Placuit Spiritui Sancto ut, in honorem tanti sacramenti, prius in os Christiani Dominicum corpus intraret quam ceteri cibi.*

* Lib. I (Ep. LIV, al. CXVIII), cap. VI.

Respondeo dicendum quod aliquid impedit sumptionem huius sacramenti dupliciter. Uno modo, secundum se: sicut peccatum mortale, quod habet repugnantiam ad significatum huius sacramenti, ut supra * dictum est.

* Art. 4.

Alio modo, propter prohibitionem Ecclesiae. Et sic impeditur aliquis a sumptione huius sacramenti post cibum vel potum assumptum, triplici ratione. Primo quidem, sicut Augustinus dicit *, *in honorem huius sacramenti:* ut scilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo vel potu infectum. – Secundo, propter significationem: ut scilicet detur intelligi quod Christus, qui est res huius sacramenti, et caritas eius, debet primo fundari in cordibus nostris; secundum illud Matth. VI *: *Primo quaerite regnum Dei.* – Tertio, propter periculum vomitus et ebrietatis, quae quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinate cibis utuntur: sicut et Apostolus dicit, I *Cor.* XI *: *Alius quidem esurit, alius vero ebrius est.*

* Loc. cit. — * Vers. 33. — * Vers. 21.

Ab hac tamen generali regula excipiuntur infirmi, qui statim communicandi sunt, etiam post cibum, si de eorum periculo dubitetur, ne sine communione decedant: quia *necessitas legem non habet* *. Unde dicitur *de Consecr.*, dist. II **: *Presbyter infirmum statim communicet, ne sine communione moriatur.*

* Cf. *de Reg. Iur.* cap. IV. — ** Can. *Presbyter.*

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Augustinus in eodem libro * dicit, *neque, quia post cibum Dominus dedit, propterea pransi aut cenati fratres ad hoc sacramentum accipiendum convenire debeant, aut mensis suis miscere, sicut faciebant quos Apostolus arguit et emendat. Namque Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriae discipulorum. Et ideo non praecepit ut deinceps tali ordine sumeretur: ut Apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, servaret* [β] *hunc locum.*

* Loc. cit. in arg. *Sed cont.*

Ad secundum dicendum quod illud verbum in Glossa * sic exponitur: *Si quis esurit, et impatiens non vult expectare alios, manducet domi suos cibos, idest, pane terreno pascatur: nec post Eucharistiam sumat.*

* Lombardi.

Ad tertium dicendum quod capitulum illud loquitur secundum consuetudinem aliquando apud aliquos observatam, ut, in repraesentationem Dominicae Cenae, illo die a non ieiunis corpus Christi sumeretur. Sed nunc hoc est abrogatum. Nam, sicut Augustinus in libro praedicto * dicit, *per universum orbem mos iste servatur,* ut scilicet corpus Christi a ieiunis sumatur.

* Loc. cit.

Ad quartum dicendum quod, sicut in Secunda Parte * habitum est, duplex est ieiunium. Primum est ieiunium naturae: quod importat privationem cuiuscumque praeassumpti per modum cibi vel potus. Et tale ieiunium requiritur ad hoc sacramentum, propter praedicta *. Et ideo neque post assumptionem aquae vel alterius cibi aut potus, vel etiam medicinae, in quantumcumque parva quantitate, licet accipere hoc sacramentum. Nec refert utrum aliquid huiusmodi nutriat vel non nutriat, aut per se aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi vel potus. – Reliquiae tamen cibi remanentes [γ] in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem huius sacramenti: quia non traiiciuntur per modum cibi, sed per modum salivae. Et eadem ratio est de reliquiis aquae vel vini quibus os abluitur: dummodo traiiciantur non in magna quantitate, sed permixtae salivae, quod vitari non potest.

* IIª IIªᵉ, qu. CXLVII, art. 6, ad 2. — * In corpore.

Aliud autem est ieiunium Ecclesiae, quod instituitur ad carnis macerationem. Et tale ieiunium per praedicta non impeditur: quia praedicta non multum nutriunt, sed magis ad alterandum sumuntur.

Ad quintum dicendum quod, cum dicitur, *Hoc* [δ] *sacramentum prius quam alii cibi debet mitti in os Christiani* *, non est intelligendum absolute respectu totius temporis: alioquin qui semel comedisset et bibisset, nunquam postea posset hoc sacramentum accipere. Sed est intelligendum quantum ad eundem diem. Et licet principium diei secundum diversos diversimode sumatur, nam quidam a meridie, quidam ab occasu, quidam a media nocte, quidam ab ortu solis diem incipiunt [ε]; Ecclesia tamen, secundum Romanos [ζ] *, diem a media nocte incipit. Et ideo, si post mediam noctem aliquis sumpserit aliquid per modum cibi vel potus, non potest eadem die hoc sumere sacramentum: potest vero si ante mediam noctem.

* Cf. arg. *Sed contra.* — * Cap. *Consuluit, de Offic. et Pot. Iud. del.*; Dig. II, XII, *de Feriis etc.*

Nec refert utrum post cibum vel potum [η] dormierit, aut etiam digestus sit, quantum ad rationem praecepti. Refert autem quantum ad perturbationem mentis quam patiuntur homines propter insomnietatem vel indigestionem: ex quibus si mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad sumptionem huius sacramenti.

β) *ut Apostolis... servaret.* – *ab Apostolis... servaret* I, *ut Apostoli... servarent bc.* – Ad *locum, Al. modum* margo P.

γ) *cibi remanentes.* – PFGHI; *remanentes bc, cibi remanentium* ceteri.

δ) *Hoc.* – *quod hoc* tertia. Pro *mitti, intrare* post *Christiani* tertia.

ε) *incipiunt.* – PF*a*; *incipiant.*

ζ) *secundum Romanos.* – FIsG et *c*; om. *ab, vero* H, *Romana* P, *sero* ceteri.

η) *potum.* – *assumptum* addunt IsG et editiones.

Ad sextum dicendum quod maxima devotio requiritur in ipsa sumptione sacramenti: quia tunc percipitur sacramenti effectus. Quae quidem devotio magis impeditur per praecedentia quam per sequentia. Et ideo magis est institutum quod homines ieiunent ante sumptionem huius sacramenti quam post. Debet tamen esse aliqua mora inter sumptionem huius sacramenti et reliquos cibos. Unde et in missa oratio gratiarum actionis post communionem dicitur; et communicantes etiam suas privatas orationes dicunt [θ].

Secundum tamen antiquos canones statutum fuit a papa Clemente *, ut habetur de *Consecr.*; dist. II *: *Si mane Dominica portio editur, usque ad sextam ieiunent ministri qui eam sumpserunt: et si tertia vel quarta acceperint, ieiunent usque ad vesperum.* Antiquitus enim rarius missarum solemnia celebrabantur, et cum maiori praeparatione. Nunc autem, quia oportet frequentius sacra mysteria celebrare, non posset de facili observari. Et ideo per contrariam consuetudinem est abrogatum.

* Clem. I, Ep. II. — * Can. *Tribus gradibus.*

θ) *dicunt.* – *dicant* GHbc.

ARTICULUS NONUS

UTRUM NON HABENTES USUM RATIONIS DEBEANT HOC SACRAMENTUM ACCIPERE

IV *Sent.*, dist. IX, art. 5, qu^a 3, 4; dist. XXIII, qu. II, art. 2, qu^a 3, 4; *In Ioan.*, cap. VI, lect. VII.

Ad nonum sic proceditur. Videtur quod non habentes usum rationis non debeant hoc sacramentum accipere. Requiritur enim quod aliquis ad hoc sacramentum cum devotione et praecedenti sui examinatione accedat: secundum illud I *Cor.* XI*: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.* Sed hoc non potest esse in his qui carent usu rationis. Ergo non debet eis hoc sacramentum dari.

* Vers. 28.

2. Praeterea, inter alios qui carent usu rationis, sunt etiam arreptitii, qui energumeni dicuntur. Sed tales etiam ab inspectione huius sacramenti arcentur, secundum Dionysium, in libro *Eccles. Hier.* * Ergo carentibus usu rationis hoc sacramentum dari non debet.

* Cap. III.

3. Praeterea, inter alios carentes usu rationis maxime pueri videntur esse innocentes. Sed pueris hoc sacramentum non exhibetur. Ergo multo minus aliis carentibus usu rationis.

Sed contra est quod legitur in concilio Arausico *, et habetur in Decretis, XXVI, qu. VI **: *Amentibus quaecumque sunt pietatis, sunt conferenda.* Et ita est [α] conferendum hoc sacramentum, quod est *sacramentum pietatis* *.

* I, can. XIII. ** Can. *Qui recedunt.* * Aug. *In Ioan. Evangel.*, tract. XXVI, num. 13.

Respondeo dicendum quod aliqui dicuntur non habere usum rationis dupliciter. Uno modo, quia habent debilem usum rationis: sicut dicitur non videns qui male videt. Et quia tales possunt aliquam devotionem concipere [β] huius sacramenti, non est eis hoc sacramentum denegandum.

Alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter usum rationis. Aut igitur nunquam habuerunt usum rationis, sed sic a nativitate permanserunt: et sic talibus non est hoc sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo praecessit huius sacramenti devotio. – Aut non semper caruerunt usu rationis. Et tunc, si prius, quando erant suae [γ] mentis compotes, apparuit in eis huius sacramenti devotio, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus vel exspuitionis. Unde legitur in concilio Carthaginensi IV *, et habetur in Decretis, XXVI, qu. VI *: *Is qui in infirmitate poenitentiam petit, si casu, dum* [δ] *ad eum invitatus sacerdos venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat poenitentiam, et, si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem et infundatur ori eius Eucharistia.*

* Can. LXXVI. * Can. *Is qui poenitentiam.*

Ad primum ergo dicendum quod carentes usu rationis possunt devotionem ad sacramentum habere, quantum ad aliquos quidem praesentem, quantum ad alios autem praeteritam.

Ad secundum dicendum quod Dionysius loquitur ibi de energumenis nondum baptizatis, in quibus scilicet nondum est vis daemonis extincta, quae viget in eis per originale peccatum. Sed de baptizatis qui corporaliter ab immundis spiritibus vexantur, est eadem ratio et de aliis amentibus. Unde Cassianus dicit *: *Eis*, qui ab immundis vexantur spiritibus, *communionem sacrosanctam a senioribus nostris nunquam meminimus interdictam.*

* *Collat.* VII, cap. XXX.

Ad tertium dicendum quod eadem ratio est de pueris recenter natis, et de amentibus qui nunquam habuerunt usum rationis *. Unde talibus non sunt sacra mysteria danda: quamvis quidam Graeci contrarium faciant, propter hoc quod Dionysius, II cap. * *Eccles. Hier.*, dicit baptizatis esse sacram communionem dandam, non intelligentes quod Dionysius ibi loquitur de baptismo adultorum. – Nec tamen per hoc aliquod detrimentum vitae patiuntur, propter hoc quod Dominus dicit, Ioan. VI *, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* quia, sicut Augustinus scribit Bo-

* Cf. corp. art. * Part. II, § 7. * Vers. 54.

α) *est.* – *eis* addunt F et tertia.
β) *concipere.* – *accipere* DEGHpB et *bc*, *concipere* post *sacramenti* P.
γ) *suae.* – *sanae* F.
δ) *dum.* – Tertia; om. – *et accipiat poenitentiam* om. BDEFpC et *a*.

* Pseudo-Beda, Comment. in I ad Cor., cap. x, vers. 17. - Cf. can. *Nulli est*, de Consecr., dist. IV.

nifacio *, *tunc unusquisque fidelium corporis et sanguinis Domini particeps fit*, scilicet spiritualiter, *quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur.*

Sed quando iam pueri incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere huius sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo nono, in responsione ad ultimum, adverte circa communionem puerorum et puellarum, *cum ad annos discretionis pervenerint,* iuxta cap. *Utriusque sexus* *, quod iudicium de initio discretionis debet a parentibus et confessore fieri. A parentibus quidem, quoniam continua conversatione experiuntur an filius seu filia discernere sciat panem spiritualem a materiali, et cum devotione praeparare se ad sacramentum. A confessore vero, quoniam in ipsa confessione potest advertere quantum discretionis aut devotionis possit inesse.

* Cap. *Omnis utriusque sexus*, de Poenit. et Remiss.

Et videtur nimia cautela adhiberi a parentibus non exponentibus puellas decem annorum ad communionem. Dicunt enim quod sunt nimis parvae: cum tamen sufficientem habeant et discretionem et devotionem. Et licet ipsi pueri ac puellae videantur excusari, retrahentibus parentibus et confessore non praecipiente, quoniam disciplina aetatis illius exigit ut maioribus suis plus quam sibi ipsis et credant et pareant; parentes tamen non excusantur.

ARTICULUS DECIMUS

UTRUM LICEAT QUOTIDIE HOC SACRAMENTUM SUSCIPERE

IV *Sent.*, dist. XII, qu. III, art. I; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. VII.

Ad decimum sic proceditur. Videtur quod non liceat quotidie hoc sacramentum suscipere. Sicut enim baptismus repraesentat Dominicam passionem, ita et hoc sacramentum. Sed non licet pluries baptizari, sed semel tantum, quia *Christus semel tantum pro peccatis nostris mortuus est*, ut dicitur I Pet. III *. Ergo videtur quod non liceat hoc sacramentum quotidie suscipere.

* Vers. 18.

2. Praeterea, veritas debet respondere figurae. Sed agnus paschalis, qui fuit figura praecipua huius sacramenti, ut supra * dictum est, non manducabatur nisi semel in anno. Sed Ecclesia semel in anno [α] celebrat Christi passionem, cuius hoc sacramentum est memoriale. Ergo videtur quod non licet quotidie sumere hoc sacramentum, sed semel [β] in anno.

* Qu. LXXIII, art. 6.

3. Praeterea, huic sacramento, in quo totus Christus continetur, maxima reverentia debetur. Ad reverentiam autem pertinet quod aliquis ab hoc sacramento abstineat: unde et laudatur Centurio, qui dixit, Matth. VIII *, *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum;* et Petrus, qui dixit, Luc. V *, *Exi a me, Domine, quia homo peccator ego sum.* Ergo non est laudabile quod homo quotidie hoc sacramentum suscipiat.

* Vers. 8.

* Vers. 8.

4. Praeterea, si laudabile esset frequenter hoc sacramentum suscipere, quanto frequentius sumeretur, tanto esset laudabilius. Sed maior esset frequentia si homo pluries in die sumeret hoc sacramentum. Ergo esset laudabile quod homo pluries in die communicaret. Quod tamen non habet Ecclesiae consuetudo. Non ergo videtur esse laudabile quod aliquis quotidie hoc sacramentum accipiat.

5. Praeterea, Ecclesia intendit suis statutis fidelium utilitati providere. Sed ex statuto Ecclesiae fideles tenentur solum semel communicare in anno: unde dicitur Extra, *de Poenit. et Remiss.* *: *Omnis utriusque sexus fidelis suscipiat reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum: nisi forte, de proprii* [γ] *sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum.* Non ergo est laudabile quod quotidie hoc sacramentum sumatur.

* Cap. *Omnis utriusque sexus.*

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro *de Verbis Domini* *: *Iste panis quotidianus est: accipe* [δ] *quotidie quod quotidie tibi prosit.*

* Serm. LXXXIV inter Opp. Aug., al. *de Verb. Dom.* Serm. XXVIII. - Cf. can. *Non iste*, de Consecr., dist. II; *Caten. in Luc.* cap. I, *a.*

Respondeo dicendum quod circa usum huius sacramenti duo possunt considerari. Unum quidem ex parte ipsius sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris. Et ideo utile est quotidie ipsum suscipere, ut homo quotidie eius fructum percipiat. Unde Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* *: *Si quoties effunditur* [ε] *sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur* [ζ], *debeo semper accipere, qui semper pecco, debeo semper habere medicinam.*

* Lib. IV, cap. VI, num. 28. - Cf. can. *Si quotiescumque*, de Consecr., dist. II.

Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur quod cum magna devotione et reverentia ad hoc sacramentum accedat. Et ideo, si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat. Unde Augustinus, cum dixisset *, *Accipe quod quotidie tibi prosit,* subiungit: *Sic vive ut quotidie merearis accipere.* Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animae, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed quotiescumque se homo ad illud paratum invenerit. Unde in libro *de Ecclesiasticis Dogmat.* * dicitur: *Quo-*

* Loc. cit.

* Cap. XXIII, al. LIII. - Inter Opp. Aug.

α) *Sed... anno.* – *Ecclesia* I, *Semel etiam in anno Ecclesia* P.
β) *semel.* – *solum semel* PI.
γ) *proprii.* – *a* et tertia praeter I; *proprio.*
δ) *accipe.* – AsG *a* et editiones; *accipere.* Pro *quod, ut* editiones.
ε) *effunditur.* – F et tertia praeter H; *effundis* H, *effundetur* ceteri.
ζ) *effunditur.* – PFsG et *c*; om. – *pecco* om. F; *accipere... debeo semper* om. I; *semper* tertio loco om. omnes praeter P.

tidie Eucharistiae communionem accipere nec laudo nec vitupero.

Ad primum ergo dicendum quod per sacramentum baptismi configuratur homo morti Christi, in se suscipiens eius characterem: et ideo, sicut Christus *semel mortuus est,* ita solum semel debet homo baptizari. Sed per hoc sacramentum non recipit homo Christi characterem, sed ipsum Christum, cuius virtus manet in aeternum: unde, *ad Heb.* x *, *una oblatione consummavit sanctificatos in sempiternum.* Et ideo, quia quotidie [η] homo indiget salutifera Christi virtute, quotidie potest laudabiliter hoc sacramentum percipere.

* Vers. 14.

Et quia praecipue baptismus est spiritualis regeneratio, ideo, sicut homo semel carnaliter nascitur, ita debet semel spiritualiter renasci per baptismum: ut Augustinus dicit *, super illud Ioan. iii *, *Quomodo potest homo nasci cum sit senex?* Sed hoc sacramentum est cibus spiritualis: unde, sicut cibus corporalis quotidie sumitur, ita et hoc sacramentum quotidie sumere laudabile est. Unde Dominus, Luc. xi *, docet petere, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* in cuius expositione Augustinus dicit, in libro *de Verbis Domini* *: *Si quotidie acceperis,* scilicet hoc sacramentum, *quotidie tibi est hodie, tibi Christus quotidie resurgit: hodie enim est quando Christus resurgit.*

* In Ioan. Evang. tract. XI, num. 6.
* Vers. 4.
* Vers. 3.
* Loc. cit. in arg. *Sed cont.*

Ad secundum dicendum quod agnus paschalis praecipue [θ] fuit figura huius sacramenti quantum ad passionem Christi, quae repraesentatur per hoc sacramentum. Et ideo semel tantum in anno sumebatur, quia *Christus semel mortuus est* *. Et propter hoc etiam Ecclesia semel in anno celebrat memoriam passionis Christi. Sed in hoc sacramento traditur nobis memoriale passionis Christi per modum cibi, qui quotidie sumitur. Et ideo quantum ad hoc significatur per manna, quod quotidie populo dabatur in deserto *.

* I Petr., cap. iii, vers. 18.
* *Exod.* cap. xvi, vers. 12 sqq.

Ad tertium dicendum quod reverentia huius sacramenti habet timorem amori coniunctum: unde timor reverentiae ad Deum dicitur timor filialis, ut in Secunda Parte * dictum est. Ex amore enim provocatur desiderium sumendi: ex timore autem consurgit humilitas reverendi. Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam huius sacramenti, et quod quotidie sumatur, et quod aliquando abstineatur. Unde Augustinus dicit *: *Si* [ι] *dixerit quispiam non quotidie accipiendam Eucharistiam, alius affirmat quotidie: faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neque enim litigaverunt inter se Zacchaeus et ille Centurio, cum alter eorum gaudens susceperit Dominum, alter dixerit, « Non sum dignus ut intres sub tectum meum », ambo Salvatorem honorificantes, quamvis non uno modo.* Amor tamen et spes, ad quae semper Scriptura nos provocat, praeferuntur timori: unde et, cum Petrus dixisset, *Exi a me, Domine, quia peccator homo ego* [κ] *sum,* respondit Iesus *: *Noli timere.*

* Iª IIªᵉ, qu. lxvii, art. 4, ad 2; IIª IIªᵉ, qu. xix, art. 9, 11, 12.
* *Ad Inquisit. Ianuar.* lib. I (Ep. LIV, al. CXVIII), cap. iii. - Cf. can. *Quotidie, de Consecrat.,* dist. IV.
* Vers. 10.

Ad quartum [λ] dicendum quod, quia Dominus dicit *, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* non est pluries in die communicandum: ut saltem per hoc quod aliquis semel in die communicat, repraesentetur unitas passionis Christi.

* Cf. resp. ad 1, fin.

Ad quintum dicendum quod, secundum statum [μ] diversum Ecclesiae, diversa circa hoc statuta emanarunt. Nam in primitiva Ecclesia, quando magis [ν] vigebat devotio fidei Christianae, statutum fuit ut quotidie fideles communicarent. Unde Anacletus Papa dicit *: *Peracta consecratione, omnes communicent qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus* [ξ]*: sic enim et Apostoli statuerunt, et sancta Romana tenet Ecclesia.* Postmodum vero, diminuto fidei fervore, Fabianus Papa * indulsit *ut, si non frequentius, saltem ter in anno omnes communicent,* scilicet *in Pascha, in Pentecoste et in Nativitate Domini.* Soter etiam Papa * *in Cena Domini* dicit esse communicandum: ut habetur in Decretis, *de Consecr., dist.* II *. Postmodum vero, *propter iniquitatis abundantiam refrigescente caritate multorum* *, statuit Innocentius III * ut *saltem semel in anno,* scilicet *in Pascha,* fideles communicent. – Consulitur tamen in libro *de Ecclesiasticis Dogmat.* *, *omnibus diebus Dominicis communicandum.*

* Ep. I. - Cf. can. *Episcopus Deo, de Consecr.,* dist. I; can. *Peracta, de Consecr.,* dist. II.
* Concil. Turon. III, can. l. - Cf. Can. *Etsi non frequentius, de Consecr.,* dist. II.
* Concil. Cabil. II, can. xlvii.
* Can. *In Cena Dom.*
* Matth. cap. xxiv, vers. 12.
* Cap. *Omnis utriusque sexus, de Poenit. et Remiss.*
* Loc. cit. in corp.

η) *quotidie.* – *tota die* BCDE*a*.
θ) *praecipue.* – Om. BCDEF*a*.
ι) *Si.* – P; om. I, *licet* ceteri. Pro *affirmat quotidie, contra* P.
κ) *peccator homo ego.* – *homo peccator ego* ed. *a*, *peccator ego* Ebc, *homo peccator* PI. Cf. qu. lxxxii. art. 5. ad 2. *peccator sacerdos.*
λ) *Ad quartum.* – Ordinem solutionum *Ad quartum* et *Ad quintum* invertunt omnes praeter P*a*.
μ) *statum.* – *statutum* BCD, post *diversum* ponunt PI.
ν) *magis.* – *magna* editiones.
ξ) *liminibus.* – Ga et editiones; spat. vac. H, *luminibus* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

* In corpore.

In articulo decimo, circa quotidianam celebrationem, nota * Augustini verbum: *Sic vive ut quotidie merearis accipere.* Quoniam per *sic vivere* intelligendum est spiritualem vitam sic ducere ut quotidiana communione semper augeatur: alioquin non sic vivitur ut quotidie mereamur accipere. Nam qui quotidie meretur accipere, debet quotidie sic esse dispositus ut fructum Eucharistiae percipiat: fructus autem spiritualis huius cibi est non solum actualis refectio spiritus, sed augmentum gratiae; quoniam per totum tempus praesentis vitae sumus in statu augmenti.

Propter quod, crebro aut quotidie celebrantes discutiant in seipsis fructum praeteritae celebrationis: et secundum profectum vel defectum quem experiuntur in se, prosequantur vel a prosecutione desistant. Qui enim, multis celebrationibus peractis, ad actus virtutum non melius se habet quam prius, passionibusque non minus subiicitur quam prius, parum aut nihil celebrando profecit. Dico autem, *parum:* quia forte quoad aliquam actualem devotionem profecit. Dixi quoque, *post multas celebrationes:* quoniam non audeo asserere in qualibet celebratione oportere celebrantem esse dispositum sic ut per quamlibet celebrationem augeatur habitus gratiae. Dicet enim forte quispiam quod etiam puer, in statu augmenti, non ex quolibet sumpto cibo singillatim augetur. Quamvis hoc non multum urgere videatur: quia augmentum corporale a virtute naturali determinata ad naturalem dispositionem fit; augmentum autem caritatis a divina fit virtute, quandocumque anima ad hoc se sufficienter praeparaverit.

ARTICULUS UNDECIMUS

UTRUM LICEAT CESSARE OMNINO A COMMUNIONE

IV *Sent.*, dist. XII, qu. III, art. 2, qu^a 1; *In Ioan.*, cap. VI, lect. VII.

AD UNDECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod liceat cessare omnino a communione. Laudatur enim Centurio de hoc quod dicit [α], Matth. VIII *: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Cui comparatur ille qui reputat sibi a communione esse abstinendum, ut dictum est *. Cum ergo nunquam legatur Christum in eius domum venisse, videtur quod liceat alicui toto tempore vitae suae a communione abstinere.

* Vers. 8.
* Art. 10, ad 3.

2. PRAETEREA, cuilibet licet abstinere ab his quae non sunt de necessitate salutis. Sed hoc sacramentum non est de necessitate salutis, ut supra * dictum est. Ergo licet a susceptione huius sacramenti omnino cessare.

* Qu. LXXIII, art. 3.

3. PRAETEREA, peccatores non tenentur communicare: unde Fabianus Papa *, cum dixisset, *Ter in anno omnes communicent*, adiunxit: *nisi forte quis maioribus criminibus impediatur.* Si ergo illi qui non sunt in peccato, tenentur communicare, videtur quod melioris conditionis sint peccatores quam iusti: quod est inconveniens. Ergo videtur quod etiam iustis liceat a communione cessare.

* Cf. loc. cit. art. praeced., ad 5.

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Ioan. VI *: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

* Vers. 54.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, duplex est modus percipiendi hoc sacramentum, spiritualis scilicet et sacramentalis. Manifestum est autem quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare: quia hoc est Christo incorporari, ut supra * dictum est. Spiritualis autem manducatio includit votum seu desiderium percipiendi hoc sacramentum, ut supra * dictum est. Et ideo sine voto percipiendi hoc sacramentum, non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum nisi impleretur quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est quod homo tenetur hoc sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiae *, sed etiam ex mandato Domini, dicentis, Matth. XXVI [β] *: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ex statuto autem Ecclesiae sunt determinata tempora exequendi Christi praeceptum.

* Art. 1.
* Art. 9, ad 3; qu. LXXIII, art. 3, ad 1.
* Art. 1, ad 3; art. 2.
* Cap. *Omnis utriusque sexus, de Poenit. et Remiss.*
* Luc. XXII, vers. 19: I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 24, 25.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Gregorius dicit, in *Pastorali* *, *illa est vera humilitas, cum ad respuendum hoc quod utiliter praecipitur, pertinax non est.* Et ideo non potest esse laudabilis humilitas si contra praeceptum Christi et Ecclesiae aliquis [γ] a communione abstineat. Neque enim Centurioni praeceptum fuit ut Christum in sua domo reciperet.

* Part. I, cap. VI.

AD SECUNDUM DICENDUM quod hoc sacramentum dicitur non esse necessitatis sicut baptismus, quantum ad pueros, quibus potest esse salus sine hoc sacramento, non autem sine sacramento baptismi. Quantum vero ad adultos, utrumque est necessitatis.

AD TERTIUM DICENDUM quod peccatores magnum detrimentum patiuntur ex hoc quod repelluntur a perceptione huius sacramenti: unde per hoc non sunt melioris conditionis. Et licet in peccatis permanentes non excusentur propter hoc a transgressione praecepti, poenitens tamen, qui, ut Innocentius * dicit, *secundum consilium sacerdotis abstinet* [δ], excusatur.

* Tertius. - Cap. *Omnis utriusque, de Poenit. et Remiss.*

α) *quod dicit.* – Ed. *a*; *quod dixit* I, om. P, *quod dicitur* ceteri.
β) *Matth. XXVI.* – *Luc. XXII* Pa. Cf. qu. LXXIII. art. 5. α.
γ) *si... aliquis.* – *sed... aliquis* A, *sed... si aliquis* BCD*a*, *sed... est si aliquis* E, *sed... si aliquis omnino* HpG et *bc*, *si... aliquis omnino* PFIsG.
δ) *abstinet.* – F; *si abstineret* A, *si abstinet* BCDE, *si abstineat* ed. *a*, *(Poenitentes* PIsG et *bc...) abstinent (excusantur)* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo undecimo eiusdem quaestionis, circa illud *, *Frustra autem esset votum nisi impleretur quando opportunitas adesset*, adverte quod opportunitas non sumitur hic pro commoditate sola, sed iuncta necessitati: ac si diceretur, *quando opus esset.* Dico autem hoc quia constat communionem non esse in praecepto quoties commoditas communicandi adest: cum sit praeceptum affirmativum, obligans ex natura sua tempore, non commoditatis, sed necessitatis.

* In corpore.

Quod autem sit illud tempus necessitatis, cum Ecclesia iam determinaverit ad *semel in anno* *, non oportet sollicitum esse. Curiosus tamen disputator ex his quae de tempore urgente adultos ad baptismum scripta sunt *, inveniet.

* Cap. *Omnis utriusque, de Poenit. et Remiss.*
* Qu. LXVIII, art. 3, Comment.

II. Adverte hoc in loco hanc materiam non apparere usquequaque claram. Quoniam multi doctores, et Auctor in IV *Sent.*, dist. IX, qu. I, art. 1 *, tenent communionem non esse ex Christi, sed Ecclesiae praecepto necessariam. Et rationes in littera allatae inferentes communionem esse sub praecepto Christi, probabiles sunt. Nam prima ex communiter confessis, scilicet quod manducatio spiritualis huius sacramenti sit de necessitate salutis, procedit; secunda autem ex mandato Domini, *Hoc facite in meam commemorationem.* Non oportet propterea accipere has rationes ut coactivas. Quoniam primam posset quis subterfugere dicendo quod, licet manducatio spiritualis huius sacramenti claudat in se votum manducationis sacramentalis, non oportet tamen quod *manducatio spiritualis Christi* claudat in se votum manducationis sacramentalis. Angeli enim manducant spiritualiter Christum: et non manducant spiritualiter hoc sacramentum, nec habent votum manducandi sacramentaliter. Et similiter habens baptismum in voto tantum, manducat spiritualiter Christum: et non nisi remotissime habet in voto manducationem sacramentalem. Doctores autem, communiter loquendo, indistincte vocant spiritualem manducationem Christi, et spiritualem manducationem sacramenti Eucharistiae, ac si unum et idem essent, communi nomine appellando utramque *spiritualem manducationem corporis et sanguinis Domini:* cum tamen, formaliter loquendo, distinguantur formaliter, quoniam una respicit corpus Christi mysticum absolute, altera vero idem

* Qu^a 2.

corpus Christi mysticum ut sacramento Eucharistiae significatur et confertur. Prima fit fide formata absolute, vel visione beata: secunda fit fide formata desiderante hoc sacramentum.

Secunda autem ratio evadi potest dicendo praeceptum Domini cadere non super hoc facere, sed super relationem ipsius facere ad suam commemorationem: iuxta interpretationem Ecclesiae utentis hoc Domini mandato sub his verbis *: *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Et idem sensus habetur I *ad Cor.* XI *, cum de calice subditur: *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* * In can. Missae. * Vers. 25.

Tutior proinde apparet via Auctoris hic, quamvis cogens ratio non appareat.

ARTICULUS DUODECIMUS

UTRUM LICEAT SUMERE CORPUS DOMINI SINE SANGUINE

IV *Sent.*, dist. XII, qu. III, art. 2, qu^a 2; *In Ioan.*, cap. VI, lect. VII.

AD DUODECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non liceat sumere corpus Domini sine sanguine. Dicit enim Gelasius Papa *, et habetur *de Consecrat., dist.* II **: *Comperimus quod quidam, sumpta tantummodo* [α] *corporis sacri portione, a calice sacrati cruoris abstinent. Qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur.* Non ergo licet corpus Christi sumere sine sanguine.

* Primus. ** Can. *Comperimus.* α

2. PRAETEREA, ad perfectionem huius sacramenti concurrit manducatio corporis et potatio sanguinis, ut supra * habitum est. Si ergo sumatur corpus sine sanguine, erit sacramentum imperfectum. Quod ad sacrilegium pertinere videtur. Unde ibidem * Gelasius subdit: *quia divisio unius eiusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.*

* Qu. LXXIII, art. 2. * Cf. arg. 1.

3. PRAETEREA, hoc sacramentum celebratur in memoriam Dominicae passionis, ut supra * habitum est, et sumitur pro animae salute. Sed passio Christi magis exprimitur in sanguine quam in corpore: sanguis etiam pro salute animae offertur, ut supra * habitum est. Ergo potius esset abstinendum a sumptione corporis quam a sumptione sanguinis. Non ergo accedentes ad hoc sacramentum debent sumere corpus [β] sine eius sanguine.

* Qu. LXVI, art. 9, ad 5; qu. LXXIII, art. 4, 5; qu. LXXIV, art. 1. * Qu. LXXIV, art. 1; qu. LXXVI, art. 2, ad 1. β

SED CONTRA EST multarum ecclesiarum usus, in quibus populo communicanti datur corpus Christi sumendum, non autem sanguis.

RESPONDEO DICENDUM quod circa usum huius sacramenti duo possunt considerari: unum ex parte ipsius sacramenti; aliud ex parte sumentium. Ex parte ipsius sacramenti convenit quod utrumque sumatur, scilicet et corpus et sanguis: quia in utroque consistit perfectio sacramenti. Et ideo, quia ad sacerdotem pertinet hoc sacramentum consecrare et perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine.

Ex parte autem sumentium requiritur summa reverentia, et cautela ne aliquid accidat quod vergat in iniuriam tanti mysterii. Quod praecipue posset accidere in sanguinis sumptione, qui quidem, si incaute sumeretur, de facili posset effundi. Et quia, crescente multitudine [γ] populi Christiani, in qua continentur senes et iuvenes et parvuli, quorum quidam non sunt tantae discretionis ut cautelam debitam circa usum huius sacramenti adhiberent [δ], ideo provide in quibusdam ecclesiis observatur ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a sacerdote sumatur. γ δ

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Gelasius Papa loquitur quantum ad sacerdotes, qui, sicut totum consecrant sacramentum, ita etiam toti [ε] communicare debent. Ut enim legitur in concilio Toletano *: *Quale erit sacrificium, ubi nec ipse sacrificans esse* [ζ] *dignoscitur?* ε * XII. - Can. *Relatum est, de Consecr.*, dist. II. ζ

AD SECUNDUM DICENDUM quod perfectio huius sacramenti non est in usu fidelium, sed in consecratione materiae. Et ideo nihil derogat perfectioni huius sacramenti si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo sacerdos consecrans sumat utrumque.

AD TERTIUM DICENDUM quod repraesentatio Dominicae passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari. Potest autem a populo corpus sine sanguine sumi: nec exinde aliquod sequitur detrimentum. Quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert et sumit: et sub utraque specie totus Christus continetur, ut supra * habitum est. * Qu. LXXVI, art. 2.

α) *tantummodo.* – PlsB; *omnimoda* Gbc, *omnimodo* ceteri. – *cruoris* PlsB; *corporis.* – Pro *arceantur, adstringantur* GHb.
β) *corpus.* – *Christi* addunt PlpE.
γ) *crescente multitudine.* – *crevit multitudo* P.
δ) *adhiberent.* – *adhibeant* P.
ε) *toti.* – *totum* abc.
ζ) *ubi... esse.* – *ubi... participans esse* sB, *cui... particeps esse* PsG. Cf. qu. LXXXII. art. 4. corp.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo duodecimo, circa communionem sub utraque specie, advertendum est esse duos extremos errores vitandos: alter est eorum qui tenent oportere populum communicare sub utraque specie; alter est eorum qui tenent populum communicantem sub utraque specie peccare. Utrique errant: primi quidem, damnando eos qui non communicant sub utraque specie; alii autem, damnando communicantes sub utraque specie.

Sancta autem mater Ecclesia media via incedendum docet, et utrumque posse fieri licite tradit. Quoniam, si ad sacramentum spectatur, communio sub utraque specie licita habetur: et si ad reverentiam sacramento debitam spectetur, licite a communione sanguinis populus abstinet, ut in littera dicitur.

Et haec intellige, loquendo absolute de sacramento et ipsius reverentia. Nam descendendo ad ritus consuetudi-

nesque ecclesiarum, videtur servandus in qualibet ecclesia mos in ea ab antiquo servatus, si debita sacramento reverentia tuta est ibi, nec novitate aliqua perturbandus. Praesumptionis siquidem vitio non careret introducere communionem sub utraque specie ubi non est consueta. Immo a schismatis nota non esset alienum: propterea quod apud solos schismaticos in partibus occidentalibus hic mos vigere videtur.

Quaestio prima. – An communio sub utraque specie sit in praecepto.

Occurrit hic circa communionem sub utraque specie triplex quaestio perspicaciter discutienda propter novitates: scilicet de necessitate, de utilitate *, et de congruentia *.

* Qu. Secunda.
* Qu. Tertia.

Quaeritur enim primo, an communio sub utraque specie sit in praecepto. Videtur enim quod sic. *Primo* *, ex verbis Domini, Ioan. vi *: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* ubi manifeste de necessitate salutis explicatur esse manducare carnem et bibere sanguinem Christi.

* Cf. num. xi.
* Vers. 54.

Si dicatur quod textus iste non loquitur de manducatione sacramentali, sed spirituali: habetur nihilominus intentum. Quoniam manducare spiritualiter claudit in se votum manducandi sacramentaliter; et similiter bibere spiritualiter claudit in se votum bibendi sacramentaliter. Hinc enim manifeste sequitur quod, si est de necessitate salutis manducare et bibere hoc sacramentum spiritualiter, oportet de necessitate quoque salutis esse manducare et bibere illud sacramentaliter: alioquin frustra essent huiusmodi vota seu desideria, quae nunquam oporteret implere. – Et declaratur vis huius processus ex simili in baptismo flaminis, quod claudit in se votum baptismi fluminis: ut patet applicanti.

Secundo *, ex praecepto Domini, Luc. xxii **: *Hoc facite in meam commemorationem.* Monstrat enim ly *hoc* quod ipse Dominus fecit, scilicet consecrare et tradere sub utraque specie.

* Cf. num. xii.
** Vers. 19.

Tertio *, ex perfectione sacramenti. Cadit enim sub divino praecepto perfectio sacramenti. Constat autem sacramentum hoc integrari ex utraque specie: quoniam est unum sacramentum unitate perfectionis; ex cibo enim et potu constat alimentum perfectum.

* Cf. num. xiii.

Si dicatur quod, quamvis sub divino praecepto cadat perfectio sacramenti, non tamen perfectio usus, ubi sacramentum distinguitur ab illius usu, ut contingit in proposito: – contra. Sacramentum hoc est propter ipsius usum: alimentum enim est propter alendum. Ergo, si perfectio sacramenti est praecepta, multo magis praecepta est perfectio ipsius usus: quanto magis finis est magis intentus quam id quod est ad finem.

In oppositum est communis doctorum auctoritas, cum consuetudine Romanae Ecclesiae, cum omnibus fere occidentalibus ecclesiis.

II. In hac quaestione sex sunt agenda: primo, narrabitur varia circa hoc observatio; secundo, distinguentur difficultates quatuor circa hoc *; tertio, tractabitur prima difficultas *; quarto, tractabitur secunda **; quinto, tractabitur tertia *; sexto, tractabitur quarta **.

* Num. iii.
* Num. iv.
** Num. v.
* Num. ix
** Num. x.

Quoad primum, Nestorius et Pelagius, cum sequacibus, adstruxerunt universaliter servandam communionem sub utraque specie, diversa tamen ratione moti *. Nestorius enim putavit sub specie panis corpus tantum Christi esse, et sub specie vini sanguinem tantum, quia in morte Christi sanguis fuit separatus a corpore. Et propterea sub utraque specie oportebat sacramentum sumi, ut integer Christus sumeretur, in memoriam mortis eius.

* Cf. Orat. beati Ioan. de Ragus. in Concil. Basil. - Labb. XII, 1072, 1073.

Pelagius autem, motus ex verbis Domini, Ioan. vi *, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, utramque sacramenti speciem etiam ad infantes baptizatos extendit, dogmatizando quod, si infans non posset sacramentalem panem sumere, deberet panis contritus cum sanguine infundi in os infantis, et, si quidpiam eiectum esset, esse illud comburendum, iuxta praeceptum antiquum de agno paschali, *Si quid residuum fuerit, igne comburetis* *.

* Vers. 54.
* *Exod.* cap. xii, vers. 10.

Et hinc forte olim Graecorum illorum quos Auctor in littera noni articuli * nominavit, et similiter paulo ante centum annos Bohemorum abusus in communicando infantes ortus est, quodam Iacobello novitatem communionis sub utraque specie Bohemis suggerente *. – Haec de primo.

* Resp. ad 3.
* Cf. Maurit. de Praga, contra Iacobum de Misa, al. Iacobellum, tract. 2 (Mansi XXVIII, 447 sqq.); Concil. Constant. Sess. XIII, decr. Martini V (Mansi XXVII, 726-728).

III. Quoad secundum *, tres sunt differentiae considerandae: prima est inter infantes et adultos; secunda est inter sacerdotes et alios adultos; tertia est inter conficientes hoc sacramentum et non conficientes. Emergunt siquidem ex his tribus differentiis quatuor speciales difficultates. Prima est, an communio sub utraque specie sit necessaria omnibus, comprehendendo etiam infantes *. Secunda est, an sit necessaria omnibus adultis *. Tertia est, an sit necessaria omnibus sacerdotibus *. Quarta est, an sit necessaria omnibus conficientibus *. Quaelibet enim harum difficultatum habet opinantes pro utraque parte. – Haec de secundo.

* Cf. num. praec.
* Cf. num. seq.
* Cf. num. v.
* Cf. num. ix.
* Cf. num. x.

IV. Quoad tertium, circa primam difficultatem, an scilicet communio sub utraque specie sit necessaria etiam infantibus *: – quidquid garrire possint haeretici tenentes partem affirmativam; aut quicumque errantes communicantes sub una tantum specie infantes; clara luce manifestum est infantibus neutro modo sacramentum hoc esse exhibendum.

* Cf. num. ii, init.; num. iii.

Tum quia fundamentum ex Scriptura sumptum a Pelagio, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, pro eis non facit. Quoniam, intellectum de sacramentali manducatione, haeresim inducit manifestam, scilicet quod baptismus non sufficiat infantibus ad vitam aeternam. Si enim ad baptizatos infantes dicitur, *Nisi sumpseritis hoc sacramentum Eucharistiae, non habebitis vitam in vobis*, consequens est quod ex baptismo non habeant vitam: et consequenter, si cum solo baptismo decederent, non haberent vitam aeternam; quod constat haeresim esse damnatam *.

* In Conc. Vienn. - Clem. cap. *Fid. Cath., de Summ. Trin. et Fid. Cathol.* Cf. Concil. Florent. *Decret. pro Armen.*

Tum quia sacramentum Eucharistiae datur ut alimentum animae: propterea enim datur sub specie panis et vini. Alimentum autem, sicut non datur nisi viventi (non enim potest sumi a mortuis), ita non datur nisi habenti aliquam operationem vitalem: frustra enim alimentum poneretur in os impotentis illo quovis modo uti, nam nihil prodest alimentum alicui qui ad illud ut mortuus se habet. Sed infans baptizatus nullam habet operationem vitalem secundum vitam spiritualem. Ergo ei non convenit sumere alimentum spirituale.

At si contra hanc rationem obiiciatur falsum assumere, quia Ecclesia consuevit infirmis adultis in extremo vitae insensibiliter constitutis, vel etiam phrenesim patientibus Eucharistiam tribuere, sine omni operatione vitali interioris spiritus: – facile excluditur obiectio, animadvertendo quod, licet tales adulti in extremo constituti nullam habeant pro tunc vitalem spiritus operationem, habuerunt tamen eam ante, petendo implicite vel explicite hoc sacramentum. Et propterea negatur amentibus a nativitate, sicut et infantibus, quoniam utrique nec pro tunc nec antea actum aliquem spiritus habuerunt.

Si vero obiecerit quispiam falsum in adducta ratione subsumi, eo quod infantes habent vitales spiritus operationes, scilicet *credere* et *abrenuntiare Satanae,* etsi non spiritu proprio, spiritu tamen Ecclesiae, ut patet cum baptizantur: – facile quoque haec obiectio excluditur. Quoniam, si sic esset, accommodasset Ecclesia has operationes vitales pueris in susceptione Eucharistiae, sicut accommodavit eis in susceptione baptismi. Et cum huiusmodi accommodatio nullibi facta sit respectu Eucharistiae, consequens est ut non nisi propria voluntate fingatur. In promptu enim ratio est quare in baptismo habeat locum huiusmodi accommodatio, et non potest habere locum in Eucharistia. Per baptismum enim generatur infans in filium Dei; generatio autem non exigit cooperationem eius qui generatur; et propterea accommodatio Ecclesiae non necessitatis, sed solemnitatis caeremonialis est in baptismo. Per Eucharistiam autem nutritur sumens illam; nutritio

autem exigit cooperationem vitalem eius qui nutritur; et propterea accommodatio caeremonialis non suppleret actus personales necessarios sumenti Eucharistiam. – Unde stat ratio solida.

Tum quia hoc etiam verbis Domini repugnat cum primo tradidit hoc sacramentum. Dixit enim, *Accipite et manducate* *: docens per hoc quod illis tantum est tribuendum qui possunt, aut potuerunt, manducare corporaliter. Ita quod, sicut non regeneratur baptismo nisi carnaliter natus, ita non sumitur hoc sacramentum nisi carnaliter manducatum. Et propterea infans, qui nunquam potuit nec potest manducare carnaliter panem, ab ipso Domino excluditur a manducatione sacramentali. – Haec de tertio.

* I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 24.

V. Quoad quartum, an communio sub utraque specie necessaria sit omnibus fidelibus adultis *, ex argumentis in principio * adductis apparet pars affirmativa vera. Ex usu autem Ecclesiae monstratur falsa. Et quoniam maxima vis fit in saepe dictis verbis Domini Ioan. VI, ideo subtilius discutienda sunt.

* Cf. num. II, init.; num. III.
* Num. I.

Et in primis notandum, ultra duos manducandi modos qui consueverunt distingui circa hoc sacramentum, inveniri alium modum manducandi, non sacramentum, sed Christum. Ita quod conficiuntur tres modi manducandi Christum, scilicet: vel sacramentaliter; vel spiritualiter, sub sacramento tamen in re aut in voto; vel pure spiritualiter. Et ut clarius percipiatur quod dicimus, declarandum ex convenientia et differentia, et deinde * probandum ex Scriptura est quod dicimus.

* Num. VI.

Conveniunt siquidem hi duo modi manducandi Christum spiritualiter in hoc quod uterque ponit manducantem esse Christi membrum vivum.

Differunt autem primo, in hoc quod manducare Christum est ex suo genere manducatio pure spiritualis: manducare autem spiritualiter Christum in Eucharistia est manducatio alligata ad sacramentum re vel voto. Et hoc quidem testatus est Auctor in secundo huius quaestionis articulo, cum dixit: *Alio modo contingit spiritualiter manducare Christum prout est sub speciebus huius sacramenti, inquantum scilicet aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc sacramentum:* ubi manifeste apparet spiritualem manducationem Eucharistiae claudere in se ordinem ad sacramentum. Manducatio autem Christi absolute quod sit ex suo genere pure spiritualis, ex eo patet quod huiusmodi manducatio terminari potest et ad deitatem secundum se, iuxta illud Luc. XXII *, *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*, ibi enim nulla erit ratio sacramenti, sed pure spiritualiter edent et bibent Deum sicuti est, sicut ipsa Christi anima Deo fruitur; et ad spiritualia dona gratiae, iuxta illud Ioan. IV *, *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum*, etc.

* Vers. 29, 30.
* Vers. 13.

Et hinc differunt secundo, in hoc quod manducare spiritualiter Christum sub sacramento proprium est viatoribus in novo Testamento adultis: manducare autem pure spiritualiter Christum commune est comprehensoribus et viatoribus, scriptum est enim *, *Panem angelorum manducavit homo;* commune quoque est novi et veteris Testamenti iustis, scriptum est enim * quod *non aliud nomen datum est sub caelo in quo oportet homines salvos fieri;* et demum commune est iustificatis infantibus et adultis, per baptismum enim Christi membra viva etiam infantes fiunt.

* Ps. LXXVII, vers. 25.
* *Act.* cap. IV, vers. 12.

Probatur autem hic modus comedendi Christum spiritualiter, quod non sit confictus aut noviter adinventus, tum ex eo quod omnes fatemur Christum esse panem angelorum et hominum. – Tum ex eo quod huiusmodi manducatio millies habetur in Scriptura: et nulla est ratio quare non possit terminari ad Christum, sicut terminatur ad alia et superius inducta et quae possent induci, ut est illud *Proverb.* IX * in persona Sapientiae, *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis*, etc.

* Vers. 5.

Nec propterea arguendi sunt doctores insufficientiae, qui duos tantum modos manducandi distinxerunt. Quoniam de modis manducandi Christum sub sacramento tractabant: tales autem modi non sunt nisi duo. Nos autem ex ipsis sacris doctoribus apposuimus hunc alium modum spiritualiter manducandi, non sacramentum, sed Christum, ut hinc clariorem redderemus sensum Evangelii et sanctorum doctorum.

VI. His itaque praemissis, dicimus quod saepe dicta Domini verba, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, intelliguntur ad litteram de manducatione spirituali Christi, abstrahendo tam a manducatione sacramentali quam a manducatione spirituali sacramenti in re vel in voto. Probaturque tripliciter: primo, ex textu Evangelii; secundo, ex contextu eiusdem *; tertio, auctoritate Sanctorum **.

* Num. VII.
** Num. VIII.

Textus in primis ipse, dum dicit, *Nisi manducaveritis, non habebitis vitam in vobis*, manifeste monstrat quod de illa manducatione et bibitione loquitur sine qua non potest esse vita spiritualis in nobis. Sed sola manducatio spiritualis Christi est illa sine qua non potest esse vita in nobis. Ergo de ipsa sola loquitur textus Evangelicus. – Maior est nota per se. – Minor autem, propter dictionem exclusivam, habet duas partes. Alteram affirmativam; scilicet: *Manducatio spiritualis Christi est illa sine qua non possumus habere vitam.* Et haec etiam est per se nota intelligentibus terminos: quoniam manducare spiritualiter Christum est esse Christi membrum vivum; constat enim quod, nisi simus Christi membra viva, non possumus habere vitam spiritus in nobis. Alteram negativam, scilicet: *Nulla alia manducatio est sine qua non est vita in nobis.* Et haec probatur ex eo quod tam sine manducatione sacramentali, quam sine manducatione spirituali sacramenti huius in re vel in voto, potest esse et de facto est vita in nobis: ut testatur vita infantium baptizatorum, quibus firmiter credimus baptisma solum, absque aliquo alio sacramento, sufficere ad vitam aeternam. – * Et hinc apparet quod idem sit dicere haec Domini verba intelligi de manducatione sacramentali vel spirituali ipsius sacramenti, et dicere quod baptismus non sufficit ad vitam spiritualem in nobis habendam.

* *Et hinc... habendam* om. P.

Nec mihi aliquis occurrat dicendo quod baptismus habet annexum votum sacramenti Eucharistiae. Quoniam huiusmodi sententia, cum in sacris invenitur doctoribus *, venerabiliter suscipienda est, in suo tamen ordine: hoc est, ut adaptatio quaedam; et non ut inde argumentum sumatur efficax ad firmandam veritatem eorum quae in quaestione fidei versantur. Secundum namque veritatem, baptismus ex se solo sufficit ad vitam aeternam, et non mendicat hoc ex aliquo annexo voto alterius sacramenti. Si enim hoc ex annexo voto haberet, non ipsi baptismo, sed illi alteri sacramento infantium baptizatorum salus attribueretur et attribuenda esset: cum tamen non solum Ecclesia universalis cum sanctis doctoribus, sed etiam Dominus ipse baptismo attribuat vitam spiritus; ut patet Ioan. III, ubi, cum dixisset Nicodemo *, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei*, statim subdidit effectum huius regenerationis esse vitam spiritus, dicens *, *Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* – Et confirmatur hoc. Quia in idem redit dicere baptismum dare vitam ex voto alterius sacramenti, et dicere baptismum non sufficere ad vitam: et hoc, si proprie et formaliter loquimur, ut loqui debemus et Scripturae intelligendae sunt.

* Cf. art. II; qu. LXXIII, art. 3, ad 1.
* Vers. 5.
* Vers. 6.

Patet autem non intendi a sacris doctoribus per huiusmodi adaptationem baptismum habere in voto manducare carnem Filii hominis et bibere eius sanguinem in sacramento, ex hoc quod ipsi sacri doctores tenent huiusmodi votum non esse de necessitate salutis. Quoniam tenent quod communicare sub utraque specie non est de necessitate salutis. Cuius oppositum esset verum si in baptismo manducaretur spiritualiter panis sacramentalis et biberetur spiritualiter sanguis sacramentalis: nam quod tunc fit voto, necesse est postea exequi in re, quando opportunitas aderit.

Stat ergo solida fundata ratio super textu Evangelico, qui est lex generalissima a Christo promulgata, et non

minus necessaria quam illa alia lex, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Nec oportet laborare ad hoc probandum: quoniam aperta sunt utrobique verba Domini, et, ad litteram intellecta, haec continent.

* Ioan. cap. VI, vers. 24-59. - Cf. num. VI, init.

VII. Deinde probatur hoc idem ex contextu Evangelii *. Ubi advertendum est quod doctrina ista Domini incoepit occasionaliter: sicut doctrina quam Dominus dedit Samaritanae de aqua viva, occasione sumpta ex aqua naturali, ut patet Ioan. IV *. Iudaei enim, post miraculum de quinque panibus et duobus piscibus, quaerentes Iesum, audierunt ab ipso: *Quaeritis me quia manducastis ex panibus et saturati estis.* Et statim subdidit Dominus: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam.* Et sic inchoato sermone de cibo spirituali, quaesierunt Iudaei, intelligentes per cibum spiritualem opera sancta: *Quid faciemus ut operemur opera Dei?* Et audierunt a Domino, *ut crederent in ipsum:* declarando quod cibus spiritualis ac opus Dei esset credere in ipsum. Quo audito, Iudaei quaesierunt ab eo signum, ut sic crederent ipsi, commemorantes signum mannae in deserto, tanquam panis caelestis: quasi dicerent, ut Augustinus exponit *: *Si vis ut credamus tibi, fac plus nobis quam fuerit factum patribus nostris, qui manducaverunt manna in deserto.* Et tunc Dominus, ubi prius de cibo locutus fuerat, ad cibi speciem descendit, proponens panem spiritualem. Et primo quidem, proponit panem verum esse, non quemcumque, sed eum *qui de caelo descendit et dat vitam mundo.* Et subdit *se esse panem vitae et de caelo descendisse.* Manifestatque horum duorum primum ex actibus spiritualibus: scilicet quod venire ad ipsum, et credere in ipsum, tollit totaliter famem et sitim mentis, et tandem etiam corporis. Et, interposita murmuratione Iudaeorum de secundo, scilicet quod descendit de caelo, et eorum repressione, manifestat secundum, de quo murmuraverant, ex spiritualibus quoque actibus, scilicet quod *credere in ipsum est habere vitam aeternam;* et ex differentia inter manducantes manna et ipsum, quia *illi mortui sunt, si quis autem manducaverit ex ipso, non morietur, sed vivet in aeternum.* Et in calce, amplius explanans Dominus panem de quo loquebatur, ad carnem descendit, dicens: *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quo audito, *litigabant Iudaei ad invicem: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Et tunc dixit eis Iesus: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ubi, diligenter advertendo, clara luce patet quod, cum totus praecedens sermo fuerit de actibus pure spiritualibus, de spirituali quoque manducatione et potatione ipsius Christi carnis et sanguinis sermo praesens, ad litteram, est. * In cuius signum, nunquam in toto illo capitulo fit mentio de speciebus sacramentalibus: sed, post panes materiales, primo de cibo spirituali; deinde de pane caelesti, quia Iudaei, obiicientes manna, adduxerunt Scripturam, *Panem de caelo dedit eis manducare;* et postea de carne et sanguine. Et iterum rediens Dominus ad panem qui de caelo descendit et ipsius excellentiam supra manna, conclusit sermonem, * ut ex ipso contextu intelligeres quod non meminit panis ut traderet speciem sacramentalem, sed ut responderet Iudaeis de pane dato de caelo, et monstraret se, et non manna, esse panem verum qui de caelo descendit. Carnis quoque et sanguinis meminit, * non ut species sacramentales traderet, quoniam, ut patet, sacramentum non celebratur sub specie carnis et sanguinis: sed ut doceret non sufficere ad vitam nostram credere in ipsum Christum, panem qui de caelo descendit, hoc est, Deum et hominem; sed oportet etiam credere ipsius pro mundi vita passionem et mortem, in qua sanguis separatus fuit a carne. Hoc enim est quod aperte Dominus subdidit cum dixit, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* caro enim sua pro mundi vita fuit caro passa et occisa pro mundi vita, morte enim sua vivificavit mundum. Unde et, litigantibus de hoc Iudaeis, statim de carne et sanguine, et non de speciebus sacramentalibus, subdidit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem,* etc. Et sine intervallo declaravit quid sit manducare eius carnem et bibere eius sanguinem, subdens: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die:* ubi etiam vitam corporis consequendam, non tunc tamen, sed in novissimo die, a manducantibus eius carnem et bibentibus eius sanguinem, explanavit.

* Vers. 7 sqq.

* In Ioan. Evang. tract. XXV, n. 12.

* In cuius .... sacramentalibus sed om. P; et *enim* inserit ante *materiales.*

* *ut... sacramentalem sed* om. P.

* *non ut... sanguinis sed* om. P.

Quocirca, cum ex solo sensu litterali trahatur efficax argumentum; et sensus litteralis ex contextu praecipue pendeat; et, ad litteram, tam ex textu quam ex contextu de spiritualibus actibus solummodo * sermo sit: consequens est ut textus iste de spirituali manducatione Christi carnis et sanguinis, hoc est, de fide in ipsum et mortem eius, * et non de sacramenti Eucharistiae spirituali aut sacramentali manducatione, sermo sit.

* *solummodo* om. P.

* *et non... manducatione* om. P.

Et si quaeratur quare Christus nostram in ipsum et mortem eius fidem sub metaphora manducationis et bibitionis docuerit, in promptu est ratio multiplex. Primo, ut monstraretur quod nostra in Christum coniunctio per fidem formatam esset participatio caelestis beatitudinis, de qua scriptum est *: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos.* – Secundo, ut monstraretur se esse Patris Sapientiam, quae dixerat, *Proverb.* IX *: *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* – Tertio, ut monstraretur quod etiam caro sua occisa, et sanguis suus etiam separatus a carne, haberent vim satiativam mentis humanae: et hinc disceremus carnis et sanguinis Christi coniunctionem ad deitatem, ex qua vim satiativam intellectus et affectus habent. – Quarto, ut sic fundamenta iacerentur ad manducationem et bibitionem sacramentalem. Nam ex hoc quod credere in Christum et mortem eius est satietas mentis, et refectio sapientiae, et participatio quaedam caelestis felicitatis, facile discere possumus quod digne sumere sacramenta corporis et sanguinis Domini est et caelestis participatio convivii, et in Sapientiae mensa edere et bibere, etc.

* Ps. XXXV, vers. 9.

* Vers. .

Et hinc processit ut a doctoribus sacris extendatur quandoque textus istius capituli ad sacramentum Eucharistiae, et manducandum et bibendum sacramentaliter, digne tamen, Christum seu carnem et sanguinem eius. Quamvis et multiplex alia sit huius ratio: scilicet, quia res de qua est sermo in textu isto, est res significata sacramento Eucharistiae; familiare est enim signati conditiones signo attribuere. Et quia unus atque idem secundum substantiam est panis spiritualis et panis sacramentalis. Et manducare ac bibere spiritualiter Christum, et manducare ac bibere spiritualiter sacramentum, sunt unum et idem secundum substantiam, sola relatione ad sacramentum sensibile differentia. Hinc enim fit ut, tam in scriptis quam in sermonibus in quibus huiusmodi differentia propositum non variat, frequentissimo usu unum pro alio ponamus aut exponamus.

VIII. Tertio, probatur idem auctoritate Sanctorum *. Et primo, quod haec sit communis Sanctorum et theologorum expositio: quoniam communiter exponitur de spirituali manducatione carnis, et spirituali potu sanguinis Christi. * Et quod per hoc intendant spiritualem sumptionem ut abstrahit a sacramentali in re vel in voto, probatur ex eo quod ideo exponunt de spiritualiter manducare et bibere, ut apud totam Ecclesiam universalis, indubitatus et effugativus quaestionum sensus litteralis habeatur. Constat namque quod, si de sacramentali sumptione in re aut in voto exponatur, nec universalis nec indubitatus sensus habetur, sed multae emergunt inde quaestiones. Quoniam aut non includuntur omnes baptizati: aut dubia de baptismo infantum surgunt. Et rursus, aut * omnes sunt sub utraque specie communicandi: aut bibere sacramentaliter est idem quod comedere sacramentaliter. Oportet quaerere et discutere: et inde variae opiniones aut sectae fiunt. Quae omnia a Sanctorum et communi theologorum intentione longe sunt.

* Cf. num. VI, init.

* *Et quod... sectis aut opinionibus* (post med. num.) om. P.

* Margo AB: *vel an.*

Quocirca diligens lector attendat quod, si legit exponi textum hunc de manducare et bibere spiritualiter carnem et sanguinem Christi, clare habetur veritas. Si vero quandoque legit exponi illum de manducare et bibere spiritua-

liter sacramentum corporis et sanguinis, intelligat eandem veritatem minus caute forsan significatam: designando vel partem a toto, nam in spirituali sumptione Eucharistiae clauditur et spiritualis sumptio Christi et spiritualis sumptio Christi sub sacramento; vel signatum a signo, nam res non contenta sed significata sacramento Eucharistiae est unitas mystici Christi corporis vivi, quam manducando spiritualiter Christum assequimur; vel purum intelligibile seu spirituale a partim intelligibili et partim sensibili, nam manducatio spiritualis Christi est pure intelligibilis seu spiritualis, manducatio autem spiritualis Eucharistiae in re vel in voto est partim spiritualis et intelligibilis, quia consistit in interioribus actibus fidei et caritatis, et partim sensibilis, quia tendit ad sacramentum sensibile. Et procul dubio rationis ordo poscit ut, existentibus duabus expositionibus quarum una sit indubie vera et plana et absque quaestionibus, alia vero dubia et multas ingerens difficultates, illa quae indubie est vera et plane consonat absque glossis litterae, acceptanda sit pro sensu litterali: et tanto magis in proposito quanto indubitata expositio universalissime, ut sonat, salvat Christi legem et totius Ecclesiae Catholicae usum; altera vero particularibus tantum consonat sectis aut opinionibus.

Deinde probatur idem sensus auctoritate Augustini, *ad Bonifacium* *, exponentis hanc Domini legem adimpleri in infantibus baptizatis, dicendo: *Tunc unusquisque fidelium corporis et sanguinis Domini particeps fit, quando in baptismo membrum Christi efficitur.* Ubi videre potes utrumque: scilicet quod de manducare et bibere spiritualiter corpus et sanguinem Christi intelligitur lex Domini; et quod lex illa extendit se ad omnes, sicut et illa *, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu,* etc. – Et eundem sensum explicat idem Augustinus *super Ioannem,* dicens *: *Hunc cibum et potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est Ecclesia,* etc.

* Cf. can. *Nulli est de Consecr.,* dist. IV.
* Ioan. cap. III, vers. 5.
* Tract. XXVI, num. 15.

Ex quibus omnibus, coniunctis cum dicendis in solutione argumentorum *, manifestum relinquitur quod communio sub utraque specie non est necessaria adultis omnibus: cum nullum ad hoc habeatur praeceptum; nullaque ad hoc ratio cogat; et innumerae Christi ecclesiae, cum *ecclesiarum omnium magistra Romana Ecclesia* *, oppositum doceant ac faciant. – Haec de quarto.

* Num. XI sqq.
* Can. *Denique,* dist. XXI. - Cf. cap. *Damnamus, de Summ. Trin. et Fid. Cathol.;* can. *A recta fide,* Caus. XXIV, qu. I.

IX. Quoad quintum, an communio sub utraque specie sit necessaria omnibus sacerdotibus *: quia hoc coincidit cum quaestione illa, an quilibet sacerdos teneatur quandoque celebrare; et hoc ex proposito tractabitur inferius in articulo ultimo quaestionis octogesimaesecundae; ideo nunc pertranseundum est, ne idem saepius repetatur. – Haec de quinto.

* Cf. num. II, init.; num. III.

X. Quoad sextum, an communio sub utraque specie sit necessaria omnibus consecrantibus *, clare patet quaestionis solutio ex decreto Gelasii Papae, *de Consecr.,* dist. II, cap. *Comperimus,* ubi *grande sacrilegium* esse dicitur celebrantem sumere sub altera tantum specie; et in capite praecedenti damnantur celebrantes et in nulla specie sumentes. Et quoniam hoc in dubium non vertitur, ideo haec de sexto sufficiant.

* Cf. num. II, init.; num. III.

XI. Ad primum ergo in oppositum * ex dictis ** patere potest responsio, consistens in hoc, quod praeceptum Domini intelligitur de cibo et potu spirituali carnis et sanguinis Domini. Et licet manducare spiritualiter sacramentum corporis et sanguinis Christi claudat in se votum manducandi et bibendi sacramentaliter, non est tamen verum quod manducare et bibere spiritualiter carnem et sanguinem Christi claudat in se votum manducandi et bibendi sacramentaliter: sed claudit in se beneficium quod significatur et confertur corporis et sanguinis sacramento, scilicet esse Christi et Ecclesiae membrum vivum.

* Num. I.
** Cf. num. VI, init.

XII. Ad secundum *, de Christi mandato, *Hoc facite in meam commemorationem,* respondetur, ad hoc ut omnis cavillatio tollatur, quadrupliciter. *Primo,* quod illa verba Domini habent triplicem vim. Sunt enim institutoria celebrationis Eucharistiae in Ecclesia, ut patet. Sunt et collativa potestatis sacerdotalis ad consecrandam Eucharistiam: communiter enim fatemur per haec verba Apostolos esse ordinatos in sacerdotes. Sunt et praeceptiva, non ipsius operis, sed ordinis ad suam commemorationem, quod est praecipere ordinem operis in sui memoriam: ut Ecclesia attestatur, utens his Domini verbis in missa sub hac forma, *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis;* ubi manifeste explicatur praecipi non opus ipsum, sed ordinationem operis in sui memoriam.

* Num. I, *Secundo.*

Et si arguat quis ex vi institutoria: scilicet quod ex hoc ipso quod Dominus instituit hoc sacramentum sub utraque specie, obligamur ad servandum eius institutionem: – facile patet nullitas argumenti. Tum quia sufficit quod hoc servetur ab aliquibus de Ecclesia, hoc est a sacerdotibus celebrantibus, ad quos solos in Apostolis sermo Dominicus tunc dirigebatur: ut ex hoc patet quod soli sacerdotes possunt hoc facere quod Christus fecit, scilicet consecrare sacramentum corporis et sanguinis Domini. – Tum quia ad obligandos singulos de Ecclesia sub praecepto, plus requiritur quam institutio sacramenti: ut patet de sacramento confirmationis et extremae unctionis, quorum neutrum est de necessitate salutis; quamvis eorum contemptus esset damnabilis.

Et sic ex his verbis Domini non habetur praeceptum sumendi sub utraque specie: sed quod sumentes sumant in sui memoriam, hoc est, si sumimus, in ipsius memoriam sumamus; iuxta Ecclesiae expositionem, *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

Secundo dicitur quod, posito quod praecipiatur per haec Domini verba ipsum opus, non propterea argumentum urget. Quoniam ly *hoc* non demonstrat utrumque opus quod Christus legitur fecisse, scilicet consecrare et tradere sumendum. Et ratio est quia, si ly *hoc* demonstraret utrumque opus ut praeceptum a Domino, sequeretur quod quilibet celebrans teneretur sub praecepto Domini ad tradendum hoc sacramentum aliis. Quod omnium ecclesiarum pias aures offendit: cum constet multos sanctos sacerdotes, carentes cura animarum, et in monasteriis et extra, saepe celebrasse et nunquam tradidisse; et quotidie sic fiat ab innumeris sacerdotibus irreprehensibiliter. Et secundum hoc, non habetur hinc praeceptum traditionis sub utraque specie. Ac per hoc, non habetur hinc praeceptum suscipiendi ab aliis sub utraque specie: nam noncelebrantium sumptio traditionem praesupponit, cum nullus talium sumat nisi sibi traditam Eucharistiam.

Tertio dicitur quod, dato quod ly *hoc* demonstraret omne opus, scilicet consecrare, sumere et tradere sub utraque specie; et quod intelligatur praecipi omne huiusmodi opus: adhuc argumentum non cogit. Quoniam, cum praeceptum hoc sit affirmativum; et praecepta affirmativa obligent semper sed non pro semper, sed pro tempore necessitatis: consequens est ut ex hoc Domini praecepto sacerdotes non teneantur tradere sub utraque specie nisi necessitas communicandi sub utraque specie advenerit. Ac per hoc, si huiusmodi necessitas alicubi nunquam intervenit, nunquam sacerdos reus violati praecepti est. Exemplum. Praeceptum de honorandis parentibus facto, quia est affirmativum, intelligitur tempore necessitatis: et propterea, si nunquam contingit parentes meos necessitatem habere subventionis meae, nunquam ego reus praecepti sum. Et quia in innumeris Christi ecclesiis, Romanam Ecclesiam imitantibus, nunquam contingit alicui non celebranti necessitas communicandi sub utraque specie, quoniam, docente Spiritu Sancto, contenti sunt communione sub specie panis: ideo nullus sacerdos in huiusmodi ecclesiis reus est violati praecepti Dominici.

Quarto dicitur, ex ipso ordine textus Evangelici, quod hoc Domini praeceptum nullibi invenitur a Domino traditum nisi respectu sacramenti sub specie panis tantum: ita quod ly *hoc* nihil demonstrat de pertinentibus ad calicem. Et propterea ex isto praecepto argumentum sumptum, si efficax est, gladius est Goliath *: quoniam hinc sequitur quod sola panis sancti communio praecepta est tradenda. Et probatur quod dicimus, primo, ex auctoritate Evangelii. Solus enim inter Evangelistas Lucas verba haec posuit, in cap. XXII *, ubi expresse refert Dominum, ante consecrationem calicis, post tamen consecrationem panis,

* I *Reg.,* cap. XVII, vers. 51.
* Vers. 19.

dixisse, *Hoc facite in meam commemorationem.* – Secundo, auctoritate Pauli Apostoli, I *ad Cor.* xi *, ubi refert Dominum dixisse: *Accipite et comedite; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem.* Post consecrationem autem calicis, Lucas de hoc nihil refert: Paulus autem Apostolus refert * Christum dixisse: *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* Ubi ex ipsa diversitate verborum a Paulo narratorum, manifeste apparet quod de sacramento sub specie panis Dominus dixit absolute, *Hoc facite in meam commemorationem:* de eodem autem sacramento sub specie vini non dixit absolute, *Hoc facite,* sed dixit quod hoc facerent, *quotiescumque biberent,* in suam commemorationem. Ubi meridiana luce clarius patet quod non praecipitur bibere, sed quod, quotiescumque bibimus, in suam commemorationem hoc faciamus. – Et hinc sequitur quod, si ex hoc praecepto Domini, *Hoc facite in meam commemorationem,* efficax argumentum ad communionem populi sumitur, optime sequitur, absque ulla controversia, quod non est praecepta communio populi nisi sub specie panis. – Et confirmatur iste sensus ex eo quod in numero singulari dicitur, *Hoc facite,* et non dixit, *Haec facite:* sicut per oppositum Ecclesia, volens utramque significare speciem sacramenti, explicat in numero plurali, dicens, *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

* Vers. 24.
* Vers. 25.

XIII. Ad tertium argumentum * dicitur concedendo quod tam perfectio sacramenti in consecratione, quam perfectio eiusdem in usu, est sub praecepto; et hoc propter allatam obiiciendo rationem, scilicet quod sacramentum hoc suapte natura est propter usum, et perfectio sacramenti est propter perfectionem usus; unde et *grande sacrilegium* esse dixit Gelasius * dividere mysterium hoc quoad usum. Sed non propterea argumentum hinc sumptum urget ad usum utriusque speciei in communione populi. Et ratio est quia perfectio sacramenti secundum usum non dependet nisi a per se concurrente ad sacramentum illud: quemadmodum ceterarum rerum perfectiones non attenduntur secundum ea quae sunt per accidens, sed in ordine ad ea quae concurrunt per se; alioquin nunquam res aliqua suam perfectionem sortiretur. Solus autem sacerdos concurrit per se ad perfectionem huius sacramenti, tam consecrando quam utendo. Et propterea, sicut sacrilegus esset sacerdos consecrando panem et non vinum, ita sacrilegii reus esset sumendo panem sanctum et non sumendo calicem.

* Num. 1, *Tertio.*
* id. num. x.

Et quidem quod sacerdos concurrat per se ad consecrationem et usum huius sacramenti, clare patet. Quod autem solus concurrat per se, patet tum ex eo quod solus sufficit ad perfectionem sacramenti, tam consecrando quam utendo. – Tum ex eo quod populi communio post consummatum sacrificium atque sacramentum, tam quoad consecrationem quam quoad oblationem et usum, supervenit: sacerdos enim per seipsum perficit haec omnia. Quod autem supervenit alicui post illius perfectionem, non est de concurrentibus per se ad illius perfectionem. – Tum ex eo quod accidentaliter coniungitur perfecto usui huius sacramenti quod aliquis circumstantium sit communicandus. Quod ex eo patet quod nihil minus perfectum est sacramentum, et in se et in usu, si nullus circumstantium communicet: si enim perfectio usus dependeret ab aliorum communione, non posset absque sacrilegii vitio sacramenti huius usus esse nisi aliquis ex circumstantibus communicaret; sicut non potest absque sacrilegio eius usus a celebrante omitti aut dividi.

Quocirca manifestum est quod ex perfectione huius sacramenti, tam quoad consecrationem quam quoad usum, per se (*ea enim quae sunt per accidens, et ab arte et a scientia relinquuntur* *) non habetur necessitas communicandi populum sub utraque specie, sed necessitas communicandi seipsum celebrantem sub utraque specie.

* Aristot. *Metaphys.* lib. V, cap. ii, n. 2, 8. - S. Th. lib. VI, lect. ii.

Et haec de prima quaestione dicta sufficiant.

Quaestio secunda. – An utilius sit sumere Eucharistiam sub utraque specie quam sub specie panis tantum.

Quaeritur secundo, an utilius sit sumere Eucharistiam sub utraque specie quam sub specie panis tantum.

Et videtur quod sic. Primo, ex parte sacramenti *. Quia utilius est sumere sacramentum integrum, seu integre, quam imperfectum, seu partialiter.

* Cf. num. xiii.

Et si dicatur quod non est hic differentia secundum perfectum et imperfectum, integrum aut diminutum, totum vel partem, nisi in significando, contra: – *Sacramenta efficiunt quod significant* *. Ergo imperfectio in significando redundat in imperfectionem in conferendo: alioquin aliud efficeret et aliud significaret, dum significaret partem et efficeret totum.

* Cf. qu. lxii, art. 1, ad 1.

II. Secundo, ex parte quoque sacramenti *. Utilius est tangi a Christo pluribus diversarum rationum instrumentis quam uno tantum. Sed communicans sub utraque specie tangitur a Christo instrumentis diversarum rationum: communicans autem sub altera tantum tangitur a Christo uno tantum instrumento. Ergo.

* Cf. num. xiv.

Maior est per se nota. Quoniam diversarum rationum instrumenta ad diversas utilitates per se ordinantur: ut patet in artificialibus.

Minor autem manifestatur. Quia species vini, vel saltem potatio ipsa, instrumentum est quoddam ipsius Christi ad laetificandum animam *; et similiter species panis, vel saltem manducatio ipsa, instrumentum est Christi ad confirmandum hominis animum *; sicut de aqua baptismi Augustinus dicit * quod *corpus tangit et cor abluit.* – Et confirmatur. Quia potus sacramentalis significat potum spiritualem. Regula autem generalis est quod sacramentales actus sunt instrumenta, aut quasi instrumenta, divinae virtutis. – Et confirmatur rursus ex eo quod, si significatus effectus per sumptionem Eucharistiae non provenit in sumentem, dicimus quod hoc non est ex defectu sacramenti, quin conferret quod significaret, sicut et cetera sacramenta conferunt quod significant, sed ex indispositione sumentis. – Haec enim omnia attestantur quod huiusmodi sacramentalibus Christus utitur ut instrumentis: quod erat assumptum. Constat enim haec, scilicet speciem panis et vini, seu manducationem et bibitionem sacramentales, diversarum esse rationum: sicut diversarum sunt rationum in esse naturali.

* Ps. ciii, vers. 15.
* Ibid.
* *In Ioan. Evang.* tract. LXXX.

III. Tertio, ex effectuum differentia *. Utilius est comedere spiritualiter et bibere spiritualiter sacramentum hoc, quam illud spiritualiter comedere tantum.

* Cf. num. xv.

Et si dicatur quod comedere spiritualiter et bibere spiritualiter sunt idem: – contra. Tum quia comedere spiritualiter est actus intellectus, utpote spectans ad fidem et contemplationem: iuxta illud *Eccli.* xv *, *Cibavit illum pane vitae et intellectus,* et illud Augustini *, *Crede et manducasti.* Bibere vero est actus affectivae partis, utpote spectans ad dulcedinem caritatis et delectationem spiritus: iuxta illud, *Et vinum laetificat cor hominis* *, et rursus, *Torrente voluptatis tuae potabis eos* *.

* Vers. 3.
* *In Ioan. Evang.* tract. XXV, num. 12. - Cf. can. *Ut quid, de Consecrat.,* dist. II.
* Ps. ciii, vers. 15.
* Ps. xxxv, vers. 9.

Et confirmatur hoc ex ipsa diversitate signorum. Diversa enim signa sacramentalia oportet diversa quoque habere significata. Et propterea, quia manducare et bibere sunt diversa signa sacramentalia, consequens est ut diversa quoque habeant significata. Si enim idem significarent, alterum superfluum esset in significando.

Et confirmatur rursus ex proprietate attributorum signatorum. Nam calici sacramentali attribuitur quod significat expresse mortem Christi, redemptionemque per illius sanguinem peractam, vitam animae, laetitiam cordis, etc.

IV. Quarto arguitur ducendo ad inconveniens *. Sacerdos celebrans, sumpto sacramento sub specie panis, quae-

* Cf. num. xvi.

ritur an postea, sumendo sub specie vini, aliquid utilitatis spiritualis acquirat, aut nihil? Si dicatur quod acquirit aliquid spiritualis utilitatis intus in anima, habetur intentum, scilicet quod utilius est sumere sub utraque specie quam sub altera tantum. Et rursus, cum par sit ratio, proportionaliter tamen, de sacerdote et laico digne sumente, utilius erit laico digne sumenti sumere sub utraque specie quam sub altera tantum.

Si dicatur quod nihil spiritualis fructus acquirit ex calice, sequitur quod potus ille sacramentalis non confert sacerdoti quod significat. Et cum infructuositas ista non proveniat ex parte sacramenti, quoniam calix ille est calix vitae non solum contentivus sed collativus; nec proveniat ex parte sacerdotis, quoniam supponimus ipsum digne celebrare: consequens est quod non nisi temere et voluntarie negatur fructus sumptionis sub secunda specie.

V. In oppositum est Auctor in littera huius duodecimi articuli, in calce, dicens: *Potest autem a populo corpus sine sanguine sumi: nec exinde sequitur aliquod detrimentum, quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert et sumit, et sub utraque specie totus Christus continetur.* Ubi clare vides dictum, *nec exinde sequitur aliquod detrimentum.* Quod falsum esset si damnum spiritualis fructus populus incurreret sumendo corpus et non sumendo calicem.

VI. Ad evidentiam veritatis quaestionis huius, tria agenda sunt: primo, declarandae sunt duae radices difficultatis;
* Num. vii. secundo, prosequemur primam radicem *; et tertio, pro-
* Num. xi. sequemur secundam *.

Quoad primum, sciendum est quod, quia sacramenta novae legis conferunt quod significant, ideo in duplici consueverunt locari genere: quatenus enim conferunt, locantur in genere causae instrumentalis, aut quasi instrumentalis; quatenus vero significant, locantur in genere signi sensibilis. Et propterea de sacramentis dupliciter loqui contingit: vel ut habent rationem causae; vel ut habent rationem signi. Cum enim de virtute sacramentorum est sermo, ad causalitatem sacramenti spectatur: virtus enim causalitatem sonat. Et similiter, cum de sacramentali medicina est sermo, ad causalitatem quoque spectatur: inter causas enim medicina locatur *. Et, breviter, cum de efficacia aut effectu alicuius sacramenti agitur, ad causalitatem spectatur. Quando autem de significato aut significatione sacramenti est sermo, clare liquet quod sacramentum inquantum signum tractatur.

* Aristot. *Physic.* lib. II, cap. III, n. 3, s. Th. lect. v; *Metaphys.* lib. IV, cap. II, n. 3, s. Th. lib. V, lect. II.

Duabus igitur in sacramento inventis conditionibus, scilicet quod est causa et quod est signum, quod confert et quod significat, difficultas in proposita quaestione ex utraque oritur. Nam ex eo quod Dominicus calix non minorem habet virtutem quam sacra hostia, nec minus natus est conferre quam sacra hostia confert; rationi consentaneum est ut, quemadmodum sacrae hostiae esus proprium habet fructum spiritus in anima edentis, ita sacri calicis potus proprium habeat fructum spiritus in anima bibentis. Ac per hoc, duplex fructus utiliorem monstrat sumptionem sacramenti sub utraque specie quam sub altera tantum.

Similiter, quia non minus Dominicus calix, cum eius potu sacramentali, significat interiorem fructum spiritus, quam sacra hostia, cum eius esu, significat interiorem spiritus fructum; consequens est ut, sicut donum spiritus significatum esu sacrae hostiae absque dubio acquiritur, ita donum spiritus significatum potu sacri calicis absque dubio habeatur a digne bibente. Et sic ex multiplicato dono iuxta diversitatem signi, utilius concluditur communicare sub utraque specie quam sub altera tantum.

Oritur ergo tota huius quaestionis difficultas ex diversitate sacramentalis causae, vel sacramentalis signi, aut utriusque. Et propterea diligenter excutienda est, primo,
* Num. seq. virtus atque causalitas huius sacramenti *; et deinde signi-
* Num. xi. ficatio *. His enim patefactis, facile erit nodum solvere
* Cf. num. xii. quaestionis *. – Haec de primo.

* Cf. num. praec. VII. Quoad secundum *, ut clare appareat veritas, et cognoscatur quid in Eucharistiae sacramento est causa, et quomodo causat, declaranda per ordinem sunt tria. Primum est quod causans non est virtus aliqua in sacramento, aut divina assistentia: sed est res contenta in Eucharistia. Secundum * est quod huiusmodi res contenta causans * Cf. num. viii.
non est minus res concomitanter contenta, quam res contenta ex vi conversionis. Tertium * est quod res contenta * Cf. num. ix.
in hoc sacramento causat absque aliquo sensibili instrumento.

Primum horum, scilicet quod res causans seu conferens spiritualem fructum in sumptione Eucharistiae est res contenta in Eucharistia, ab omnibus est confessum qui confitentur Christum realiter contineri sub hoc sacramento: ipse enim Christus, *perfectus Deus et perfectus homo* *, * Symb. S. Athanas.
est largitor omnis fructus gratiae, et est res contenta sub hoc sacramento. Et hinc absque controversia habetur quod non oportet recurrere in usu huius sacramenti ad virtutem aliquam in sacramento positam per modum intentionis, aut ad divinam assistentiam, sicut in aliorum sacramentorum usu et in huius sacramenti consecratione recurritur. Singulare est enim in hoc sacramento, in quo solo usus a consecratione separatur, quod ipsum fontem gratiae praesentialiter habeat ut rem in sacramento contentam. Et ex hac singulari excellentia provenit ut, sicut per seipsum in seipso fons gratiae sub sacramento continetur, ita per seipsum conferat sacramenti fructum.

VIII. Secundum * autem, scilicet quod non minus ad * Cf. num. praec.
conferendum fructum huius sacramenti concurrit res contenta concomitanter quam res contenta ex vi sacramenti seu conversionis, declaratur recolendo quod dupliciter res aliqua continetur sub hoc sacramento. Vel ex vi sacramenti seu conversionis: et sic sub hostia continetur corpus Christi tantum, ita quod nec sanguis nec anima nec deitas sic continetur sub hostia; et similiter in calice ex vi sacramenti solus sanguis continetur, ita quod nec Christi corpus nec anima nec deitas sic continetur sub specie vini. Vel concomitanter: et sic sub hostia continetur tam sanguis Christi quam eius anima et deitas; et similiter sub specie vini continentur concomitanter Christi corpus, anima et deitas. Ex his enim constat quod nec sub specie panis nec sub specie vini continetur Christi anima, et similiter deitas, nisi concomitanter.

Quo stante, declaratur propositum sic. Spiritualis fructus Eucharistiae non minus causatur a Christi anima et ab eius deitate quam a Christi corpore seu sanguine. Sed tam deitas quam anima Christi est res concomitanter existens sub sacramento. Ergo non minus causat fructum spiritualem Eucharistiae res concomitanter contenta quam res ex vi sacramenti contenta.

Processus totus est clarus, cum minore iam declarata. – Prima autem propositio per se evidens est. Tum quia deitas praesens personaliter est, quae maxime confert fructum hunc spiritualem. – Tum quia Christus in hoc sacramento praesens confert voluntarie dona sui Spiritus. Voluntaria autem collatio principaliter et maxime pendet a voluntate, quae est in anima. – Tum quia plus est quam quod dixi: nam tam sanguis quam corpus Christi vim cibandi atque potandi habet ex coniunctione ad deitatem; nisi enim esset corpus Verbi et sanguis Verbi, quod *in principio erat Deus* *, non conferret vitam aeternam. * Ioan. cap. I, vers. I.

IX. Tertium * autem, scilicet quod Christus in hoc sa- * Cf. num. vii.
cramento contentus confert per seipsum, et non per aliquod sensibile instrumentum, spiritualem fructum, declaratur tripliciter. Primo quia, ubi est praesens agens sufficiens per seipsum, non est opus instrumento, nec consuevit adhiberi instrumentum.

Secundo, quia sic se habet esus et potus sacramentalis ad hoc alimentum spiritus, sicut se habet tam manducatio quam potus naturalis ad alimentum corporale. Sed in nutritione corporali panis et vinum non per instrumenta, sed secundum seipsa alunt: quoniam, ut dicitur in II *de Anima* *, alimentum secundum suam substantiam nutrit. * Cap. IV, n. 13. - S. Th. lect. IX.
Et similiter edere et bibere non sunt instrumenta alimenti corporalis ad alendum corpus, sed comedere concurrit ut adducens alimentum siccum, et bibere ut adducens alimentum humidum: constat autem secundum philosophiam quod adproximatio agentis et patientis, alimenti et aliti,

non locatur inter instrumenta. Relinquitur igitur, ex hoc quod Christus continetur in hoc sacramento ut alimentum, ut species panis et vini attestantur, quod ipse secundum seipsum nutriat spiritum sumentium: et similiter, ex hoc quod ad sumentium animas pervenit eo ipso quod manducatur et bibitur sacramentaliter, quod esu et potu sacramentali non utitur ut instrumentis, sed ut approximationibus alimenti ad hominem qui alendus est.

Tertio, quia de divinis sacramentis oportet *sapere ad sobrietatem* *, non excedendo limites patrum nostrorum **. Accepimus autem ex Ecclesiae doctrina incomprehensibilem ac ineffabilem coniunctionem Christi et specierum sacramentalium sub ratione continentis et contenti veraciter praesentis, et signi et signati, et huiusmodi: et non secundum rationem agentis et instrumenti. Et propterea voces huiusmodi tanquam profanae novitates vitandae sunt.

* *Ad Rom.*, cap. XII, vers. 3.
** *Proverb.* cap. XXII, vers. 28.

X. Ex quibus omnibus infertur primo, quod in calice et hostia non sunt diversae virtutes collativae spiritualis gratiae: sed una tantum est res utrobique conferens, scilicet Christus ipse, secundum seipsum et non per virtutes medias.

Infertur secundo, quod in hostia et calice Christus non utitur diversis instrumentis ad conferendum fructum spiritus: quia utrobique nullo utitur sensibili instrumento ad huiusmodi collationem.

Et quia, exclusa omni virtute media, et excluso omni instrumento medio, nulla remanet ex parte Christi praesentis differentia causandi, distribuendi seu conferendi sub utraque specie, nisi voluntas *dividens singulis prout vult* *; ideo infertur tertio, quod quaecumque argumenta ad probandam diversitatem fructuum spiritualium in sumptione utriusque speciei ex diversitate virtutum sacramentalium, vel sacramentalium instrumentorum, vel modorum conferendi, et aliorum eiusmodi, ex falso procedunt principio, nihilque valent, utpote absque fundamento erecta.

* I *ad Cor.*, cap. XII, vers. 11.

Quo fit ut, considerando sacramentum Eucharistiae infra latitudinem causae, prout est collativum spiritualis gratiae, nutritivum animae, et medicina eiusdem, nulla sit differentia inter species ipsas inter se; et similiter nulla sit differentia inter utramque simul et alteram tantum. Quoniam, ut ex dictis patet, una et eadem omnino, absque omni virtute media, absque omni sensibili instrumento medio, est utrobique et in altera tantum cuiuscumque spiritualis doni causa, scilicet Christus ipse personaliter praesens secundum deitatem et humanitatem. – Haec de secundo *.

* Cf. num. VI.

XI. Quoad tertium *, advertendum est quod diversitas in significando quae ingerit difficultatem, dupliciter invenitur in hoc sacramento. Invenitur siquidem et diversitas signi, quia aliud signum est species panis cum ipsius esu, et aliud signum est species vini cum eius potu: et diversitas modi significandi. Et haec invenitur dupliciter: hoc est, comparando species inter se, sicut expressius significat redemptionem nostram per Christi mortem calix, in quo ut separatus monstratur sanguis a corpore, quam hostia; et comparando utramque simul speciem sacramenti ad alteram tantum, nam utraque simul significat integre refectionem spiritualem, singulae autem species imperfecte repraesentant illam, una scilicet ut cibum et altera ut potum.

* Ibid.

Nulla autem harum diversitatum, si diligenter perspexerimus, diversitatem aliquam in fructu spirituali huius sacramenti arguit. Quod quadrupliciter manifestatur. *Primo,* ex communibus. Quoniam nec signorum diversitas, nec diversus modus significandi, diversitatem arguit in re signata: sed una eademque res omnino immutata et diversis signis et diversimode potest signari; ut patet cum unus idemque homo repraesentatur per imaginem in speculo, et per statuam, picturam, etc., et ab una perfectius et ab alia imperfectius repraesentatur; ex his enim diversitatibus in signis et significationibus nulla circa rem signatam varietas monstratur.

Secundo, declaratur exemplo in baptismo. Immersio siquidem quae in celebratione baptismi fit, significat eum qui baptizatur consepeliri Christo, et emersio significat resurgere eundem cum Christo in novitatem vitae, iuxta illud Apostoli, *ad Rom.* VI *: *Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus surrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Si tamen aliquis baptizatur non per modum immersionis, sed per modum effusionis aut aspersionis, deficit tunc baptismo dictus modus significandi; et non propterea is qui baptizatur minus est consepultus Christo, aut minus resurgit in novitatem vitae, quam ille qui baptizatus est per immersionem. Hinc enim manifeste habes quod non solum in communi loquendo, diversitas seu defectus in modo significandi nullam varietatem arguit in re signata: sed etiam in speciali de sacramentalibus signis loquendo, defectus in significando nihil adimit de fructu sacramenti, et plenitudo in significando nihil adiungit ad fructum sacramenti. Aequale siquidem donum ex baptismo recipiunt baptizatus per immersionem et baptizatus per aspersionem, quamvis magna sit diversitas utrobique in significando.

* Vers 4.

Tertio, ex ratione. Quia aliud est diminute seu partialiter significare: et aliud est significare diminutum seu partem. Primum invenitur in singulis seorsum huius sacramenti speciebus: secundum autem non; et, ut patet, non sequitur ex primo. Similiter aliud est plenius seu expressius significare: et aliud est pleniorem fructum significare. Et similiter aliud est integre significare: et aliud est totaliter significare *. Et similiter aliud est diversis signis significari: et aliud est diversa significari. Diversitas namque tam signorum quam modorum significandi in signis ipsis sistit, et non pertransit ad rem signatam: sunt enim conditiones signorum, et non rei signatae. Et propterea inter signa et signorum conditiones advertenda est differentia haec, quod signo quidem respondet signatum, sed diversitati signorum non respondet diversitas rei signatae; et similiter modo signandi non respondet modus rei signatae. Et ratio est quia una et eadem omnino immutata res potest et diversis signis et diversimode signari.

* Cf. infra, *Nec obstat.*

Quarto, declaratur descendendo ad propositum sacramentum exemplariter. Diversa in primis signa, scilicet hostia comesta et calix bibitus, non diversos sacramenti fructus, sed unum atque eundem spiritualem fructum significant: nam manducare et bibere spiritualiter unum et idem sunt, ut testatur Augustinus, *super Ioan.*, Homil. * XXV, super illo textu, *Qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet in aeternum*, Ioan. VI *. Inquit enim: *Qui venit ad me, hoc est quod ait, Qui credit in me. Et quod dixit, Non esuriet, hoc intelligendum est, Et non sitiet unquam: utroque enim illa significatur aeterna satietas ubi nulla est egestas.* Ubi, ex hoc quod sitire et esurire ponitur idem, manifeste patet quod manducare et bibere sunt idem: et quod alimentum satians esu, et alimentum satians potu, sunt idem, secundum rectum philosophiae iudicium; iuxta illud III *Physic.* *: *Si posse sanari et posse infirmari sunt idem, sanari et infirmari sunt quoque idem*, et similiter sanitas et infirmitas sunt idem.

* Al. *Tract.*
* Vers. 35.
* Cap. I, n. 10. – S. Th. lect. II.

Diversi deinde modi significandi non diversos fructus spiritualis modos significant: sed excellentem illum fructum diversimode significari decet, ut, sic significante uno, et sic repraesentante alio, et sic repraesentante utroque, unus et idem fructus, inadaequatus omnibus et singulis signis, utpote superexcedens quaecumque huiusmodi signa quocumque modo illum significantia, utcumque innotescat, et in summa veneratione habeatur, et toto corde desideretur.

Consentaneum autem rationi esse patet ut diversa signa sensibilia, et diversimode significantia, ad unum spiritualem intelligibilis ordinis fructum repraesentandum sint instituta a divina Sapientia *disponente omnia suaviter* *. Sensibilia enim valde defective repraesentant excellentiam intelligibilium rerum: et praecipue tam excelsam rem quae est hoc sacramento signata et est illius fructus, interna scilicet satietas spiritus secundum participationem aeternae satietatis. Unde non solum ex ipsis sacramentalibus signis,

* *Sap.* cap. VIII, vers. 1.

sed et ex aliis innumeris defective significatur huius sacramenti fructus.

Nec obstat quod dicatur Eucharistiam sub utraque specie integre repraesentare internam refectionem. Quoniam huiusmodi integritas seu totalitas repraesentandi non simpliciter et absolute, sed respective ad singulas species intelligitur: tanquam si diceretur quod totum Eucharistiae sacramentum repraesentat internam refectionem, non partialiter ut species panis, nec partialiter ut species vini, sed complectendo utrumque. Cum quo stat quod utrumque simul imperfecte illam repraesentat, sed non ita imperfecte sicut alterum tantum. Singulae enim species, et ambae simul, repraesentant non partem, sed totam internam refectionem spiritus: sed non repraesentatur totaliter ab aliqua earum, nec ab ambabus simul, nec ab innumeris aliis.

Patet ergo diversitatem sacramentalium signorum et modorum significandi in hoc Eucharistiae sacramento nullam inferre diversitatem in fructu spirituali significato.

Nec ex admixto conferendi actu diversificari significatum sacramenti fructum putes. Nam si diversitas signi et modi significandi non redundat in signatum, quod per se respicit signum, multo minus huiusmodi diversitas redundabit in collatum, quod per accidens, seu per quandam annexionem respicit. – Et confirmatur. Quia, sicut communiter fatemur sacramentis novae legis conferri quod significatur, ita communiter abhorremus quod modus conferendi commensuretur modo significandi.

XII. Ex quibus omnibus collige quod, quatuor inventis in Eucharistiae sacramento integro, scilicet re contenta, qui Christus est; modo continendi, scilicet ex vi sacramenti et concomitanter; signis, significatione, cum modo significandi; et collatione: cum constet quod maior utilitas spiritus spectet ad maiorem collationem a re contenta procedentem, et non ad modum continentiae nec ad diversitatem signorum, significationum aut modorum significandi; et res contenta sub utraque specie sit omnino una et eadem, et non magis conferat spiritualem fructum sub una quam sub alia, aut sub utraque quam sub una, utpote nullo mediante instrumento, nullaque mediante virtute utens in huiusmodi collatione; consequens est ut nulla maior utilitas spiritualis fructus proveniat in sumente sacramentum sub utraque specie, quam proveniat in sumente sacramentum sub altera tantum specie. Et hoc intellige, ceteris paribus. Ita quod, ut exemplariter dicatur, si sunt hic duo aequaliter dispositi ad communionem, et unus communicet sub specie panis tantum, alter vero sub utraque specie, non plus prodest, quoad gratiam et spiritualem fructum, sacramentum Eucharistiae communicanti sub utraque specie, quam communicanti sub specie panis tantum. Et ratio est dicta: quia non intervenit maior collatio, quamvis interveniat maior significatio. – Haec de tertio.

XIII. Ad argumenta in oppositum respondendo, dicitur
* Num. I. ad primum * quod sine dubio utilius est sumere totum fructum sacramenti quam partem fructus eiusdem: non tamen utilius est sumere totum sacramentum quam partem sacramenti, ubi tota vis sacramenti non minus est in parte quam in toto, sicut est in proposito. Quoniam totus Christus continetur in toto sacramento et in qualibet eius parte: nec est differentia nisi in significando, non totum vel partem, perfectum vel imperfectum, sed in significando partialiter vel integre, perfecte vel imperfecte.

Unde cum instatur quod sacramenti pars aliud significaret et aliud conferret, quia significaret partem et conferret totum: duplex defectus committitur. Primus est qui dictus est, quod pars sacramenti significet partem fructus. Significat enim totum fructum, sed partialiter. – Secundus est quod, dato quod significaret partem et conferret totum, non propterea derogaretur regulae sacramentali qua dicitur, *Sacramenta conferunt quod significant*. Quoniam verificaretur quod conferret id quod significat, quamvis, ultra hoc, conferret aliquid plus. Multum enim inter se distant haec, *conferre aliud*, et, *conferre illud et aliquid plus*. Unde ex hoc quod pars sacramenti confert quidquid confert totum, et affirmatur quod confert quod significat, et quod confert plus quam explicite significet.

XIV. Ad secundum * dicitur quod minor est falsa. Non * Num. II.
sunt enim instrumenta Christi contenti in Eucharistia species sacramentales aut usus earum, *vere et proprie loquendo*. Quod ideo addo, quoniam, si alicubi scriptum inveniatur quod haec sunt instrumenta aut quasi instrumenta divina, pie exponendum est: vel de instrumento ad excitandam devotionem, et non ad conferendum sacramenti fructum; vel instrumenti nomine intelligendum est *id sine quo non*. Secundum enim huiusmodi extensionem nominum verificatur quod species et earum usus sunt instrumenta ad fructum sacramenti: quia sine eis in re vel in voto non confertur sacramenti fructus a re contenta sub sacramento.

Ubi scito quod huiusmodi species et usus earum conveniunt cum aliis sacramentis non solum in significando, sed etiam in conferendo. Et propterea, sicut aqua baptismi *corpus tangit et cor abluit*, sic hostia sacra corpus tangit et cor alit. Sed multum differunt in modo conferendi. Quoniam in aliis sacramentis Christus mediante virtute sacramentali confert effectum: hic autem immediate per seipsum fructum confert sacramenti. Et propterea esto cautus cum obiiciuntur huiusmodi similitudines.

Ad confirmationem dicitur quod actus sacramentales sunt in duplici differentia. Quidam enim sunt qui interveniunt in ipsa confectione sacramenti. Et de his verificatur quod sunt actus instrumentales. – Quidam vero sunt qui, post confectum sacramentum, ad usum solummodo spectant sacramenti. Et hi non sunt actus instrumentales ad conferendum sacramenti fructum: sed, ut dictum est *, * Num. x, *Secundo*.
se habent ut approximationes nutrimenti ad id quod nutritur. Tales autem sunt de quibus est sermo praesens.

Ad aliam confirmationem dicitur quod non ideo simile reddimus iudicium de Eucharistia et baptismo et aliis sacramentis, dicendo quod non provenit ex defectu sacramenti si infructuose quandoque suscipiuntur, quasi eodem modo Christus operetur in hoc sacramento et in aliis: cum constet quod non eodem modo Christus est in hoc sacramento et in aliis; quoniam hic est per seipsum praesens, in aliis per suam virtutem vel assistentiam. Sed hoc ideo dicitur quia quantum ad collationem spiritualis gratiae idem est iudicium: in omnibus enim confertur spirituale donum si digne suscipiuntur.

XV. Ad tertium * dicitur quod, ceteris paribus, non * Num. III.
est utilius spiritualiter comedere et bibere sacramentum quam comedere tantum: quia comedere et bibere spiritualiter Christum sunt unum et idem inter se; et non differunt a comedere et bibere spiritualiter Eucharistiam nisi sola relatione ad sacramentum. Constat enim quod utilitas graduatur secundum interiorem spiritus fructum, et non secundum relationem ad sacramentum: quoniam relatio huiusmodi non facit melius, sed solam habitudinem ad sensibile signum in quo Christus continetur apponit. – Quod autem comedere et bibere spiritualiter idem sint, manifestat Dominus, Ioan. VI, dum ter unum et eundem fructum attribuit manducationi carnis suae et potui sanguinis sui: primo, cum dicit *, *Nisi manducaveritis car-* * Vers. 54.
nem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; secundo, cum dicit *, *Qui manducat* * Vers. 55.
meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; tertio, cum dicit *, *Qui manducat meam carnem* * Vers. 57.
et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Ubi patet quod semper unicus manducationi et potui appositus est fructus: primo, vita in nobis; secundo, vita aeterna; tertio, mansio in Christo et e contra.

Ad instantiam autem quod manducare est actus intellectus et bibere actus affectus, respondetur quod haec sunt vera secundum quandam appropriationem, et non secundum proprietatem. Et hoc tam in via quam in patria. Nam in via tam manducare quam bibere spiritualiter spectat ad credere in Christum *, qui actus, cum sit fidei formatae, et * Ioan. cap. VI, vers. 35; cf. supra, in qu. prima, num. VII.
intellectus et affectus est. In patria autem fruitio beata utriusque quoque partis perfectio est. In cuius signum, cum dictum esset quod *cibaret illum pane vitae et intellectus*, subiunctum est, *et aqua sapientia potavit illum*: ut monstraretur sapientia ad intellectum pertinens et cibus

et potus. Et similiter non solum dictum est, *Torrente voluptatis tuae potabis eos,* sed, *inebriabuntur ab ubertate domus tuae:* ubi tam ubertas domus quam voluptas ad potum relata est, ut monstraretur identitas cibi et potus.

Ad confirmationem vero de diversitate signorum, dicitur quod non oportet diversis signis sensibilibus respondere diversa signata intelligibilia. Nec propter hoc quod multa signa unum et idem signatum significant, aliquod superfluit. Tum quia inadaequate singula repraesentant illud intelligibile. Tum quia sapienter divina providentia huiusmodi signa instituit, ad nostram eruditionem, exercitationem, humiliationem, conformitatem, etc.

Ad ultimam confirmationem, de appropriatis, respondetur distinguendo de significatione, vel collatione; et similiter de proprio, vel appropriato. Et dicitur quod, respectu actus significandi explicite (de tali enim significandi modo loquor), aliquid est proprium uni speciei, et aliquid proprium alteri: respectu autem actus conferendi, nihil est alicui proprium, quoniam totum quod confertur a Christo sub una specie, confertur etiam ab eodem sub alia. – Appropriatum tamen inveniri potest respectu utriusque actus. Nam redemptio per Christi mortem appropriatur calici in repraesentando, et vita animae appropriatur eidem in conferendo, sicut vita corporis appropriatur in conferendo hostiae: iuxta illud *, *Ut duplicis substantiae totum cibaret hominem.* Et similiter laetitia appropriatur calici in conferendo, et firmitas hostiae: iuxta illud *, *Dedit fragilibus corporis ferculum: dedit et tristibus sanguinis poculum.* Sed huiusmodi appropriationes, tam in significando quam in conferendo, in nullo variant fructum sacramenti, quin totus, et ita plene et perfecte, conferatur sub una specie, sicut sub utraque: sicut in divinis ex hoc quod Patri appropriatur potentia et Filio sapientia et Spiritui Sancto bonitas, non minus singula quaeque persona est sapientia, potentia, bonitas.

* S. Th. hymnus *Verbum supernum,* ad Laudes Festi Corporis Christi.

* Eiusd. hymnus *Sacris solemniis,* ad Matut. in eodem festo.

Et per hoc patet responsio ad quaecumque similia possunt obiici de appropriatis fructibus calicis. Nihil enim minus omnium fructuum appropriatorum calici percipitur ex sacra hostia. Et ratio iam dicta est: quia haec non sunt propria, sed appropriata.

XVI. Ad quartum argumentum * dicitur declinando utrumque extremum quaestionis propositae arguendo, et media via incedendo, et distinguendo de dispositione sacerdotis in Dei gratia celebrantis. Dupliciter siquidem potest inveniri dispositus post sumptum sacramentum sub specie panis: vel sine augmento spirituali *; vel cum augmento spirituali. Et si quidem invenitur dispositus cum augmento spirituali, ita ut dignior sit suscipiendo sub secunda specie quam fuerit suscipiendo primam, recipit procul dubio, sumendo calicem, spiritualem fructum sacramenti qui gratia maior est intensive aut extensive. Et sic dispositis nullus unquam dubitavit utilius esse communicare sub utraque specie quam sub altera tantum.

* Num. IV.

* Cf. qu. LXXIX, art. 1, Comment. num. III sqq.

Si vero invenitur sine spirituali augmento dispositus, nihil spiritualis fructus ex sumptione calicis percipit: quoniam idem est utrobique agens, et idem patiens aequaliter utrobique dispositum. Et perinde, quoad interiorem fructum, se habet ac si post sumptam hostiam unam aliam sumeret, ut contingit sumentibus reliquias sacramenti. Unde infructuositas ista non est ex parte rei contentae sub specie vini, sed est ex aequali dispositione communicantis, et identitate numerali rei contentae sub utraque specie, per seipsam immediate conferentis fructum sacramenti: haec enim simul concurrentia efficiunt quod non magis fructuosa est communio sub utraque specie quam sub prima tantum.

Et si his adiunxeris quod populus communiter non est tantae perfectionis ut ad haec incrementa se praeparet, videbis consequenter quod non est utilius populo communicare sub utraque specie quam communicare sub altera tantum. In cuius signum, non apparent meliores homines in partibus ubi communicant sub utraque specie, hominibus alibi seu ibi communicantibus sub altera tantum specie.

Haec de secunda quaestione.

Quaestio tertia. – Utrum expediat Ecclesiae Christi quod populus communicet sub utraque specie.

Quaeritur tertio, utrum expediat Ecclesiae Christi quod populus communicet sub utraque specie.

Videtur enim quod sic. *Primo,* exemplo Christi *: qui etiam Iudam communicavit sub utraque specie *, et immediate ante dixerat *, *Exemplum enim meum dedi vobis,* etc.

* Cf. num. III.

* Marc. cap. XIV, vers. 22, 23. - Cf. qu. LXXXI, art. 2.

* Ioan. cap. XIII, vers. 15.

Secundo, exemplo primitivae Ecclesiae *. Tunc enim populus communicabat sub utraque specie, ut patet I *ad Cor.* XI *.

* Cf. num. IV.

* Vers. 26 sqq.

Tertio, exemplo diuturnae prosecutionis *. Nam huiusmodi consuetudo perseveravit non solum tempore martyrum, quos Cyprianus Dominico poculo praeconfortandos censuit *, sed etiam tempore pacis Ecclesiae: cum legamus factas non solum patenas, sed etiam calices *ministeriales* *. Quare enim ministeriales dicti sunt, nisi quia non ad offerendum, sed ad ministrandum populo Christi sanguinem deserviebant?

* Cf. num. IV.

* *Epist. Synodic. de lapsis.,* Concil. Carthag. an. 252.

* Anastas. Bibliothec. *Vitae Rom. Pontif.,* s. Sylvest. XXXIV, 13; XLI, 10; XLIII, 14, et alibi; s. Hilar. LXX, 12.

Et si amplius perspectum fuerit quod in ordine Cisterciensi alicubi communio fieri legitur sub utraque specie *, apparebit quod tempore institutionis ordinis Cisterciensis perseverabat consuetudo communicandi sub utraque specie. Quoniam non est verisimile, si consuetudo illa cessaverat, quod monasterium aliquod praesumpsisset abolitam consuetudinem renovare.

* Cf. Bona, *Rerum Liturg.* lib. II, cap. XVIII, n. 1.

Et confirmatur. Quia tam actio quam doctrina priscorum Sanctorum praefertur actioni et doctrinae posteriorum. Ac per hoc, expediens videtur Ecclesiae Christi sequi vestigia priscorum Patrum, et imitari eos quantum possumus.

Praeterea *, duorum licitorum illud ut magis expediens est eligendum quod clarius et tutius et magis consentaneum est. Sed communicare sub utraque specie est clarius, tutius et magis consentaneum. Ergo. – Declaratur minor. Quod sit quidem clarius, quia nullam habet obscuritatem difficultatum quas habet communio sub una specie. Quod vero sit tutius, quia nullius omissionis periculo se exponit: cui se exponit communicans sub altera specie tantum, omittendo communionem alterius. Quod sit autem magis consentaneum, quia consonat institutioni sacramenti et integritati ipsius, et integritati sensibilis refectionis.

* Cf. num. V.

Praeterea *, quod congruit ex his quae sunt per se, est magis expediens eo quod congruit ex his quae sunt per accidens. Sed communio sub utraque specie congruit ex his quae sunt per se: quia congruit ex ipsa perfectione sacramenti. Communio autem sub specie panis tantum congruit ex his quae sunt per accidens: quia oritur ex ineptia quorundam communicantium. Ergo magis expedit Ecclesiae Christi communicare populum sub utraque specie quam sub specie panis tantum.

* Cf. num. VI.

In oppositum est consuetudo innumerarum ecclesiarum.

II. Ad evidentiam huius quaestionis, sciendum est quod usus Eucharistiae medius est inter utentem et sacramentum: et propterea consonus utrique debet esse. Sed, cum duplex sit Eucharistiae usus, vel primarius, spectans ad consecrantem, vel secundarius, spectans ad populum; haec est, quantum ad propositum spectat, inter utrumque usum differentia, quod usus primarius debet consonare speciebus sacramenti, eo quod perfectio usus primarii spectat ad perfectionem sacramenti ut finis (et propterea, ut praedictum est *, sacrilegii reus esset sacerdos celebrans omittendo communionem calicis): usus autem secundarius de congruo decet quod consonet speciebus sacramenti, quia in ipso non consistit perfectio sacramenti, ut praedictum est *.

* Supra in qu. prima, num. XIII.

* Ibid.

Et quia communio populi in usu secundario huius sacramenti consistit, ideo ex parte sacramenti decet talem usum, idest communionem populi, congruere speciebus sacramentalibus, hoc est, quod fiat sub utraque specie. Ex parte vero utentis populi, debetur huic usui reverentia: tenetur enim populus communicare absque irreverentia; immo et cum reverentia debita tanto sacramento.

Duobus igitur congruentibus populari usui huius sacramenti, altero ex parte signorum sacramentalium, altero ex parte populi communicantis; si utrumque nequit prudenter fieri, *appendenda sunt in statera* hinc et inde servanda et omittenda, ut discernatur quid magis expedit. Et ex una quidem parte appendenda est communio popularis sub utraque specie cum periculo irreverentiae in spargendo sanguinem Christi; ex altera vero parte appendenda est communio popularis sub specie panis tantum cum tuta reverentia sacramenti; et sic, perspiciendo conditiones utriusque partis, discernetur veritas. Apparet autem, diligenter considerando, quod communio popularis sub utraque specie cum periculo irreverentiae habet peccatum sacrilegii annexum, imputandum non solum irreverentiam committenti, sed populo et Ecclesiae rectoribus: communio autem popularis sub specie panis tantum nullum habet annexum peccatum, nullumve damnum.

Declaro singula. Et primo, primum. Quod enim popularis communio sub utraque specie habeat annexam irreverentiam sacramenti, experientia testari potest, et ratio monstrat. Nam in populis tanta est diversitas communicantium ut impossibile sit, humano more de impossibili loquendo, fieri communionem tot populorum sub utraque specie absque effusione sanguinis sub specie vini. – Quod vero huiusmodi irreverentia sit sacrilegii peccatum, per se notum est: quoniam est irreverentia rei sacratissimae. – Nec excusatur a sacrilegii vitio propterea quod non ex proposito, sed ex incautela aut incuria huiusmodi irreverentia accidit. Quoniam species peccati ex obiecto sumitur, et non ex occasione peccandi: sicut nec blasphemia Dei a sua recedit specie quia incaute prolata est; huiusmodi enim circumstantiae excusant a tanto, sed non a toto. – Quod autem sacrilegium hoc imputetur populo et rectoribus Ecclesiae, ex eo patet quod huiusmodi sacrilegium non est inter casus inopinatos aut raro contingentes, sicut inter casus raro contingentes est quod sacerdos celebrans, dum seipsum communicat, aliquid spargat sanguinis Christi. Imprudentiae autem rectoris imputatur defectus non rarus, si potest providere et non providet. Et similiter populo qui mavult casum sacrilegii non rarum accidere quam abstinere a communione sub utraque specie, rationabiliter imputatur.

Deinde declaratur secundum. Quod enim in communione populari sub specie panis tantum nullum interveniat peccatum, ex eo convincitur quod, si communio sub specie panis tantum esset peccatum, nunquam esset licita. Constat autem quod in Parasceve sacerdos sub specie tantum panis communicat, non solum licite, sed sancte. Non est igitur communio sub altera specie tantum peccatum. – Quod etiam non habeat annexum damnum, ex superius dictis * iam patet: quia, ceteris paribus, non est minus fructuosa communio sub altera specie tantum quam sub utraque.

* In qu. secunda.

Ex quibus manifeste apparet magis expedire Christi Ecclesiae communionem populi sub specie panis tantum quam sub utraque. Et, si perspicacius consideratum fuerit, invenietur ex praedictis quod utilior est populo Christiano communio sub specie panis tantum quam sub utraque specie. Quoniam reverentia tuta, cui innititur populus communicatus sub specie panis tantum, *non caret mercede sua:* et prudenter communicare fructuosius est spiritui quam minus prudenter. Et forte in poenam huiusmodi imprudentiae, incautelae ac sacrilegii emergentis, divino iudicio schismatici sunt populi communicantes hodie sub utraque specie.

Expedit igitur Christianis populis communicare sub specie panis tantum: et ad evitandum sacrilegii periculum; et ad meritum tam obedientiae, praelatis Sedis Apostolicae communionem habentibus parendo; quam reverentiae, magnificando plus sacramentum hoc quam affectum proprium ad utramque speciem.

III. Ad primum ergo in oppositum, de exemplo Christi *, dicitur quod Spiritus Sanctus docuit et docet Ecclesiam non expedire illi imitari omnes conditiones quae intervenerunt in actionibus Christi. Nec haec ego somnio. Sed manifeste patet Christum in prima huius sacramenti consecratione et traditione duo servasse, scilicet quod post cenam * consecratio et communio facta est, et quod sub utraque specie * communicaverunt omnes. Ecclesia autem non post cenam, sed ieiuna, consecrationem et communionem perficit, non imitando Christum in hoc: et procul dubio ratione reverentiae ieiuna communicat. Si igitur Christi actio, quoad hanc conditionem, non solum licite, sed meritorie omittitur ob reverentiam tanti sacramenti; par est, ob reverentiam eiusdem sacramenti, omittere etiam alteram conditionem, scilicet, sub utraque specie. Immo magis communio popularis exigit omissionem utriusque speciei, quam communio sacerdotis omissionem sobriae manducationis: quoniam hic nullum est nisi ex Ecclesiae statuto * peccati periculum; ibi autem intervenit sacrilegii periculum ex conditione sumentium. Unde, sicut Ecclesia provide statuit ut ieiuni communicemus, ita provide quoque servat ut sub specie panis tantum populus communicet. Et in utroque obedit Christo, non secundum similitudinem actionis, sed secundum intentionem agentis: de intentione siquidem Christi est reverentia magis quam exterior similitudo operis.

* Num. I.

* Luc. cap. XXII, vers. 20; I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 25.

* Matth. cap. XXVI, vers. 26, 27; Marc. cap. XIV, vers. 22, 23; Luc. cap. XXII, vers. 19, 20.

* Cf. can. *Liquido, de Consecr.*, dist. II.

IV. Ad secundum, de exemplo primitivae Ecclesiae *, dicitur quod, ratione paucitatis Christianorum, fiebat tunc absque periculo sacrilegii communio sub utraque specie. Nunc autem, quia non potest absque sacrilegii periculo tanta multitudo populi communicare sub utraque specie, non expedit imitari in hoc primitivam Ecclesiam. – Et cum hac responsione satis fit argumentis omnibus ex imitatione priscorum, et tam diuturnae consuetudinis antiquae *.

* Num. I, *Secundo.*

* Ibid., *Tertio.*

Posset tamen aliter, et forte verius, utendo etiam ratione dictae responsionis, dici quod nunquam fuit universalis consuetudo in tota Ecclesia communicandi populum sub utraque specie: sed alicubi fuit hoc consuetum, et alicubi non. In cuius veritatis signum, in primitiva Ecclesia aliter legimus factam communionem Hierosolymis, et aliter in ecclesia Corinthiorum: apud Corinthios enim communicabant sub utraque specie, ut patet I *ad Cor.* XI *; Hierosolymis vero sola sub specie panis communio legitur, ut patet *Act.* II *, ubi dicitur: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.* Post successum quoque temporum, utrumque quoque legimus in sacris canonibus: nam invenitur *communio laica* *, quae communio sub specie panis tantum interpretatur; et invenitur quod poenitentibus in extremo *Eucharistia infundatur* *, quod ad communionem calicis spectare constat, quoniam infundi liquorum est. Unde videtur quod argumentum ex universali consuetudine supponit falsum. Immo ex exordio primitivae Ecclesiae, quando omnes simul erant Apostoli, argumentum sumitur ad oppositum, ex hoc ipso quod Hierosolymis, ubi erat magna multitudo fidelium *, sola communio sub specie panis tradita populo legitur. Hinc enim, tam vehementer aucta multitudine fidelium, imitamur doctrinam omnium Apostolorum, communicando populum sub specie panis tantum.

* Vers. 26 sqq.

* Vers. 42.

* Can. *Si Episcopus.* et *Si quis viduam*, dist. L; can. *Si evangelica*, dist. LV; Concil. Elibertin., al. Illiberitan., can. LXXVI; Sardicens., can. I, II.

* Conc. Carthag. IV, cap. LXXVI.

* *Act.* cap. II, vers. 41; cap. IV, vers. 4.

Et licet ratio sumpta ex tanta multiplicatione Christiani populi sit solidum ac praecipuum fundamentum consuetudinis communicandi populum sub specie panis tantum, posset nihilominus secundaria ratio assignari quare ecclesiae quae olim sub utraque specie communionem faciebant, destiterunt ab illa consuetudine: ex defectu scilicet fervoris et devotionis in populis. Ut enim in praecedenti quaestione * dictum est, communio sub utraque specie si fructuosior esse debet quam communio sub specie panis tantum, duplicata debent esse incrementa spiritus. Quae cum defecerint, provide tam pastor Ecclesiae quam populus abstinendum a communione sub utraque specie censuit, recognoscendo communicantium imperfectionem.

* Num. XVI.

Et quod huiusmodi imperfectionem Christianae incurrerint ecclesiae, ex hoc apparet quod vix populus simplicem praeparationem facit pro communione semel in anno. Quod vero olim excellens fuerit profectus spiritus, patet et ex eo quod quotidie, aut quasi quotidie, communica-

* Cf. *Act.* cap. II, vers. 46.

* Cf. Greg. M. *Dialog.* lib. II, cap. XXIII.

bant *: et ex eo quod sacri canones excludebant ab auditione missae omnes non communicantes, ut patet *de Consecr.*, dist. II, cap. *Peracta* *. Hinc enim rationabiliter conicere possumus quod sicut, recognoscendo imperfectionem posteriorum, destitit Ecclesia a quotidiana communione populi et ab expellendo a missa non-communicantes; ita, recognoscendo imperfectionem communem, destitit a communione sub utraque specie, utpote reddita infructuosa ac periculosa communi populo.

Et per haec patet responsio ad tria prima argumenta.

* Num. I, *Praeterea duorum.*

V. Ad quartum * vero dicitur quod maior distinguenda est: *simpliciter,* vel *secundum quid.* Et si simpliciter et absolute intelligitur, vera est, ceteris paribus. Si vero secundum quid, est falsa manifeste.

Intellecta igitur maiore absolute et simpliciter, in sensu quo verificatur, dicitur quod minor est falsa. Et ut singillatim manifestetur in singulis partibus eius, dicitur quod, licet communicare sub utraque specie populum sit clarius secundum sensum et quoad nos, non tamen est clarius secundum intellectum, et ex parte rei contentae. Difficultates siquidem quae occurrunt, ex parte nostri, et non ex parte rei; et ex signis sensibilibus, non ex re contenta consurgunt.

Quod autem sit tutius, falsissimum est. Et cum dicitur quod nullius omissionis periculo se exponit, respondetur quod, licet non omittat signum sensibile, omittit tamen popularis communio prudentiam debitam in cavendo ab irreverentia sacramenti, et exponit se periculo commissionis sacrilegii: a quibus tuta est communio populi sub specie panis tantum.

Quod vero dicitur de magis consentaneo: – oporteret dicere, *magis consentaneo rationi rectae,* aut *praecepto Christi.* Communio siquidem populi sub specie utraque licet sit magis consentanea per modum assimilationis institutioni sacramenti, et integritati sacramenti, et integritati sensibilis refectionis; communio tamen populi sub panis specie tantum est magis consentanea et praecepto Christi, *Hoc facite in meam commemorationem,* ut praedeclaratum est * ex ordine litterae Evangelicae; et rationi rectae, curam gerenti de reverentia huius sacramenti. Et illud quidem spectat ad consentaneum secundum quid, hoc autem ad consentaneum simpliciter et absolute: quia hoc consurgit *ex omnibus consideratis;* illud autem ad similitudinem exteriorem tantum respiciendo.

* In qu. prima, num. XII, *Quarto dicitur.*

VI. Ad quintum * autem dicitur quod falsum subsumit; scilicet, tenentia se ex parte sumentis concurrere per accidens ad usum huius sacramenti. Usus enim, licet sit huius sacramenti ut rei qua utimur, hoc est, materiae; est tamen utentis ut proprius actus seu operatio. Non accidit autem operationi rectitudo ex parte operantis. Immo adeo per se ex hac parte exigit rectitudinem ut, nisi operatio recta sit ex parte operantis, non possit esse recta simpliciter et absolute loquendo. Et in proposito plus invenitur: scilicet quod conditio de qua loquimur ex parte utentis, non sistit in ipso utente, sed redundat in sacramentum; quoniam attenditur secundum reverentiam vel irreverentiam ad sacramentum. Et propterea undique ruit argumentum.

* Num. I, *Praeterea quod congruit.*

Et haec de communione populari sub utraque specie dicta pro nunc sufficiant.



QUAESTIO OCTOGESIMAPRIMA

DE USU HUIUS SACRAMENTI QUO CHRISTUS USUS EST IN PRIMA SUI INSTITUTIONE

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de usu huius sacramenti quo Christus usus est in prima sui institutione *.

* Cf. qu. LXXX, Introd.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum ipse Christus sumpserit corpus et sanguinem suum.

Secundo: utrum Iudae dederit.

Tertio: quale corpus sumpserit aut dederit, scilicet passibile vel impassibile.

Quarto: quomodo se habuisset Christus sub hoc sacramento si fuisset in triduo mortis reservatum, aut etiam consecratum.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTUS SUMPSERIT SUUM CORPUS ET SANGUINEM

Infra, qu. LXXXIV, art. 7, ad 4; IV *Sent.*, dist. XI, qu. III, art. 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christus non sumpserit corpus suum et sanguinem. Non enim de factis Christi et dictis asseri debet quod auctoritate sacrae Scripturae non traditur. Sed in Evangeliis non habetur quod Christus corpus suum manducaverit aut sanguinem biberit. Non ergo est hoc asserendum.

2. Praeterea, nihil potest esse in seipso, nisi forte ratione partium, prout scilicet una pars eius est in alia: ut habetur in IV *Physic.* * Sed illud quod manducatur et bibitur, est in manducante et bibente. Cum ergo totus Christus sit in [α] utraque specie sacramenti *, videtur impossibile fuisse quod ipse sumpserit hoc sacramentum.

* Cap. IV, n. 5. - S. Th. lect. V.

* Cf. qu. LXXVI, art. 2.

3. Praeterea, duplex est assumptio [β] huius sacramenti, scilicet spiritualis et sacramentalis. Sed spiritualis non competebat Christo: quia nihil a sacramento accepit. Et per consequens nec sacramentalis, quae sine spirituali est imperfecta, ut supra * habitum est. Ergo Christus nullo modo hoc sacramentum sumpsit.

* Qu. LXXX, art. 1.

Sed contra est quod Hieronymus dicit, *ad Heldibiam* *: *Dominus Iesus ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur.*

* Ad Hedibiam, Ep. CXX, al. CL, cap. II, al. ad qu. II. - Cf. can. *Nec Moyses, de Consecr.*, dist. II.

Respondeo dicendum quod quidam * dixerunt quod Christus in Cena corpus et sanguinem suum discipulis tradidit, non tamen ipse sumpsit. Sed hoc non videtur convenienter dici. Quia Christus ea quae ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit, unde et ipse prius baptizari voluit quam aliis baptismum imponeret: secundum illud *Act.* I *: *Coepit Iesus facere et docere.* Unde et ipse primo corpus suum et sanguinem sumpsit, et postea discipulis suis tradidit sumendum. Et hoc est quod, *Ruth* III, super illud *, *Cumque comedisset et bibisset* etc., dicit Glossa *, quod *Christus comedit et bibit in Cena, cum corporis et sanguinis sui sacramentum discipulis tradidit. Unde, « quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse participavit eisdem »* *.

* Petr. Pictav. V *Sent.*, cap. XIII.

* Vers. 1.

* Vers. 7.

* Ord. sine nom.

* *Ad Heb.*, cap. II, vers. 14.

Ad primum ergo dicendum quod in Evangeliis legitur quod Christus *accepit panem et calicem* *. Non est autem intelligendum quod acceperit solum in manibus, ut quidam dicunt: sed eo modo accepit quo aliis accipiendum tradidit. Unde, cum discipulis dixerit, *Accipite et comedite* *, et iterum, *Accipite et bibite* *, intelligendum est quod ipse Dominus accipiens comederit et biberit. Unde et quidam metrice dixerunt: *Rex sedet in Cena: Turba cinctus duodena: Se tenet in manibus: Se cibat ipse cibus.*

* Matth. cap. XXVI, vers. 26, 27; Marc. cap. XIV, vers. 22, 23; Luc. cap. XXII, vers. 19, 20. - Cf. I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 23 sqq.

* Matth. cap. XXVI, vers. 26.

* Cf. ibid., vers. 27.

Ad secundum dicendum quod, sicut supra * dictum est, Christus, secundum quod est sub hoc sacramento, comparatur ad locum non secundum proprias dimensiones, sed secundum dimensiones specierum sacramentalium, ita quod in quocumque loco ubi sunt illae species, est ipse Christus. Et quia species illae potuerunt esse in manibus et in ore Christi, ipse totus Christus potuit esse in suis manibus et in suo ore. Non autem potuisset hoc esse secundum quod comparatur ad locum secundum proprias species [γ].

* Qu. LXXVI, art. 5.

Ad tertium dicendum quod, sicut supra * dictum est, effectus huius sacramenti est non solum augmentum habitualis gratiae, sed etiam actualis [δ] delectatio spiritualis dulcedinis. Quamvis autem Christo gratia non fuerit augmentata ex susceptione huius sacramenti, habuit tamen quandam spiritualem delectationem in nova institutione huius sacramenti: unde ipse dicebat, Luc. XXII *: *Desiderio desideravi manducare hoc*

* Qu. LXXIX, art. 1, ad 2.

* Vers. 15.

α) *in.* – *sub* I et editiones, om. HpG.
β) *assumptio.* – *sumptio* sF *a* et tertia.
γ) *species.* – *dimensiones* P.
δ) *actualis.* – *quaedam actualis* tertia.

* Caesariens., *de Solemnit. Pasch.*

pascha vobiscum, quod Eusebius * exponit de novo mysterio huius [ε] novi Testamenti quod tradebat discipulis. Et ideo spiritualiter manducavit, et similiter sacramentaliter: inquantum corpus suum sub sacramento sumpsit, quod sacramentum sui corporis intellexit et disposuit. Aliter tamen quam ceteri sacramentaliter et spiritualiter sumant, qui augmentum gratiae suscipiunt, et [ζ] sacramentalibus signis indigent ad veritatis perceptionem.

ε) *huius.* – Om. tertia.

ζ) *et.* – *in* DF, *sub* PH; ante *indigent* P addit *quibus;* margo P per *Alias* ut nos.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUS IUDAE DEDERIT CORPUS SUUM

IV *Sent.*, dist. XI, qu. III, art. 2, qu[a] 1, 2; *In Matth.*, cap. XXVI; *In Ioan.*, cap. XIII, lect. III, IV.



AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus Iudae non dederit corpus suum. Ut enim legitur Matth. XXVI *, postquam Dominus dederat corpus suum et sanguinem discipulis, dixit eis: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Ex quo videtur quod illi quibus corpus suum et sanguinem dederat, cum eo essent iterum bibituri. Sed Iudas postea cum ipso non bibit. Ergo non accepit cum aliis discipulis corpus Christi et sanguinem.

* Vers. 29.

2. PRAETEREA, Dominus implevit quod praecepit: secundum illud *Act.* I *: *Coepit Iesus facere et docere.* Sed ipse praecepit, Matth. VII *: *Nolite sanctum dare canibus.* Cum ergo ipse cognosceret Iudam peccatorem esse, videtur quod ei corpus suum et sanguinem non dederit.

* Vers. 1. * Vers. 6.

3. PRAETEREA, Christus specialiter legitur Iudae *panem intinctum* porrexisse, Ioan. XIII *. Si ergo corpus suum ei dederit, videtur quod sub buccella ei dederit: praecipue cum legatur ibidem *, *Et post buccellam introivit in eum Satanas;* ubi [α] Augustinus dicit *: *Hinc nos docemur quam sit cavendum male accipere bonum. Si enim corripitur qui « non diiudicat », idest, non discernit corpus Domini a ceteris cibis, quomodo* [β] *damnabitur qui ad eius mensam, fingens se amicum, accedit inimicus?* Sed cum buccella intincta non accepit corpus Christi, ut Augustinus dicit *, super illud Ioan. XIII *, *Cum intinxisset panem, dedit Iudae Simonis Iscariotis: Non, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas solus* [γ] *corpus Christi accepit.* Ergo videtur quod Iudas corpus Christi non acceperit.

* Vers. 26. * Vers. 27. * *In Ioan. Evang.* tract. LXII, n. 1. * Ibid., num. 3. * Vers. 26.

SED CONTRA EST quod Chrysostomus dicit *: *Iudas, particeps existens mysteriorum, conversus non est. Unde fit scelus eius utrinque immanius: tum quia tali proposito imbutus adiit mysteria; tum quia adiens melior factus non fuit, nec metu nec beneficio nec honore.*

* *In Matth.* homil. LXXXII, al. LXXXIII, n. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod Hilarius posuit, *super Matth.* *, quod Christus Iudae corpus suum et sanguinem non dedit. Et hoc quidem conveniens fuisset, considerata malitia Iudae. Sed quia Christus debuit nobis esse exemplum iustitiae, non conveniebat eius magisterio ut Iudam, occultum peccatorem, sine accusatore et evidenti probatione, ab aliorum communione separaret: ne per hoc daretur exemplum praelatis Ecclesiae similia faciendi; et ipse Iudas, inde exasperatus [δ], sumeret occasionem peccandi. Et ideo dicendum est quod Iudas cum aliis discipulis corpus Domini et sanguinem suscepit: ut dicit Dionysius, in libro *Eccles. Hier.* *, et Augustinus, *super Ioannem* **.

* Cap. XXX, num. 2, in Matth. cap. XXVI, vers. 17 sqq. * Cap. III, p. III, § 1. – Cf. Pachymer. ibid. ** *In Ioan. Ev.*, tract. LXII, n. 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illa est ratio Hilarii ad ostendendum quod Iudas corpus Christi non sumpsit. Non tamen cogit. Quia Christus loquitur discipulis, a quorum collegio Iudas se separavit, non autem Christus eum exclusit. Et ideo Christus, quantum est in se, etiam cum Iuda vinum in regno Dei bibit: sed hoc convivium ipse Iudas repudiavit.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Christo nota erat Iudae iniquitas sicut Deo: non autem erat sibi nota per modum quo hominibus innotescit. Et ideo Christus Iudam non repulit a communione, ut daret exemplum tales peccatores occultos non esse ab aliis sacerdotibus repellendos.

AD TERTIUM DICENDUM quod sine dubio Iudas sub pane intincto corpus Christi non sumpsit, sed simplicem panem. *Significatur autem fortassis,* ut Augustinus dicit ibidem *, *per panis intinctionem fictio Iudae: ut enim inficiantur, nonnulla tinguntur. Si autem bonum aliquod hic significat tinctio,* scilicet dulcedinem bonitatis divinae, quia panis ex intinctione sapidior redditur, *eidem bono ingratum non immerito secuta est damnatio.* Et propter hanc ingratitudinem *id quod est bonum, factum est ei malum* *: sicut accidit circa sumentes corpus Christi indigne.

* Loc. prox. cit. * Cf. ibid., num. 1.

Et, sicut Augustinus dicit ibidem *, *intelligendum est quod Dominus iam antea distribuerat omnibus discipulis suis* sacramentum corporis et sanguinis sui, *ubi et ipse Iudas erat, sicut Lucas narrat* *. *Ac deinde ad hoc ventum est, ubi, secundum narrationem Ioannis, Dominus per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit proditorem.*

* Num. 3. * Cap. XXII, vers. 19 sqq.

α) *ubi.* – F et tertia (praeter I?); *ut.*
β) *quomodo.* – *quomodo non* P, om. G.

γ) *solus.* – Om. P.
δ) *inde exasperatus.* – *exasperatus inde* (*exinde* I) tertia.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS SUMPSERIT ET DEDERIT CORPUS SUUM DISCIPULIS IMPASSIBILE

IV *Sent.*, dist. XI, qu. III, art. 3.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus sumpserit et dederit corpus suum discipulis impassibile. Quia super illud Matth. XVII *: *Transfiguratus est ante illos*, dicit quaedam glossa *: *Illud corpus quod habuit per naturam, dedit discipulis in Cena, non mortale et passibile.* Et *Levit.* II, super illud *, *Si oblatio tua fuerit de sartagine*, dicit Glossa *: *Crux, super omnia fortis, carnem Christi, quae ante passionem non videbatur esui apta, post aptam fecit.* Sed Christus dedit corpus suum ut aptum ad manducandum. Ergo dedit tale quale habuit post passionem, scilicet impassibile et immortale.

* Vers. 2.
* Ord.
* Vers. 5.
* Ord. Hesychii.

2. PRAETEREA, omne corpus passibile per contactum et manducationem patitur. Si ergo corpus Christi erat passibile, per contactum et comestionem discipulorum passum fuisset.

3. PRAETEREA, verba sacramentalia non sunt modo maioris virtutis quando proferuntur a sacerdote in persona Christi, quam tunc quando fuerunt prolata ab ipso Christo. Sed nunc virtute verborum sacramentalium in altari consecratur corpus Christi impassibile et immortale. Ergo multo magis tunc.

SED CONTRA EST quod, sicut Innocentius III dicit *, *tale corpus tunc dedit discipulis quale habuit.* Habuit autem tunc corpus passibile et mortale. Ergo corpus passibile et mortale discipulis dedit.

* *De S. Altar. Myster.* lib. IV, cap. XII. - Vide tom. XI huius Leoninae edit., Praefat., *de Citat.*, not. ad qu. XXVIII, art. 2, ad 3.

RESPONDEO DICENDUM quod Hugo de Sancto Victore * posuit quod Christus ante passionem diversis temporibus quatuor dotes corporis glorificati assumpsit: scilicet subtilitatem in nativitate, quando exivit de clauso utero Virginis; agilitatem, quando siccis pedibus super mare ambulavit; claritatem, in transfiguratione; impassibilitatem, in Cena, quando corpus suum tradidit discipulis ad manducandum. Et secundum hoc, dedit discipulis suis corpus impassibile et immortale.

* Innoc. III, ibid.; Serm. XIV *de Temp.*

Sed, quidquid sit de aliis, de quibus supra * dictum est quid sentiri debeat, circa impassibilitatem tamen impossibile est esse [α] quod dicitur. Manifestum est enim quod idem verum [β] corpus Christi erat quod a discipulis tunc in propria specie videbatur, et in specie sacramenti sumebatur. Non autem erat impassibile secundum quod in propria specie videbatur: quinimmo erat passioni paratum. Unde nec ipsum corpus quod in specie sacramenti dabatur, impassibile erat.

* Qu. XXVIII, art. 2, ad 3; qu. XLV, art. 2.

Impassibili tamen modo erat sub specie sacramenti quod in se erat passibile: sicut invisibiliter quod in se erat visibile [γ]. Sicut enim visio requirit contactum corporis quod videtur ad circumstans [δ] medium visionis, ita passio requirit contactum corporis quod patitur ad ea quae agunt. Corpus autem Christi, secundum quod est sub sacramento, ut supra * dictum est, non comparatur ad ea quae circumstant mediantibus propriis dimensionibus, quibus corpora se tangunt, sed mediantibus dimensionibus specierum panis et vini. Et ideo species illae sunt quae patiuntur et videntur, non autem ipsum corpus Christi.

* Art. 1, ad 2; qu. LXXVI, art. 5.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus dicitur non dedisse in Cena [ε] corpus suum mortale et passibile, quia non dedit corporali et passibili modo. – Crux autem facit [ζ] carnem Christi aptam manducationi, inquantum hoc sacramentum repraesentat passionem Christi.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ratio illa procederet si corpus Christi, sicut erat passibile, ita passibili modo fuisset [η] sub sacramento.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento ex reali concomitantia, non autem ex vi sacramenti, ex qua est ibi substantia corporis Christi. Et ideo virtus verborum sacramentalium ad hoc se extendit ut sit sub hoc sacramento corpus, Christi scilicet, quibuscumque accidentibus realiter in eo existentibus.

* Qu. LXXVI, art. 4.

α) *esse.* – *esse necesse* HpG, *esse necessario bc*, *esse verum* sG.
β) *verum.* – Om. Pc.
γ) *Impassibili... visibile.* – P et omisso *dabatur... specie sacramenti* I; *semper sicut invisibile quod in se erat visibile* sG, *tamen modo erat sub specie sacramenti quod in se erat impassibile sicut invisibile quod in se erat visibile b, Impassibili* (*Impassibile* ACH*a*) *tamen modo erat sub specie sacramenti quod in se erat visibile* (*passibile* F) ceteri.
δ) *ad circumstans.* – F et tertia; *a circumstantia.*
ε) *in Cena.* – Om. editiones. – Pro *corporali*, *mortali* Pl.
ζ) *facit.* – *fecit* P.
η) *fuisset.* – Pc; *sit.*

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM, SI HOC SACRAMENTUM TEMPORE MORTIS CHRISTI FUISSET SERVATUM IN PYXIDE, VEL AB ALIQUO APOSTOLORUM CONSECRATUM, IBI MORERETUR

IV *Sent.*, dist. x, art. 2, qu^a 1; dist. xi, qu. iii, art. 4, qu^a 1, 2; IV *Cont. Gent.*, cap. lxiv; *Quodl.* V, qu. vi, art. 1, ad 1; *In Ioan.*, lect. vi; I *ad Cor.*, cap. xi, lect. vi.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod, si hoc sacramentum tempore mortis Christi fuisset servatum in pyxide, vel ab aliquo Apostolorum consecratum, non ibi moreretur. Mors enim Christi accidit per eius passionem. Sed Christus impassibili modo etiam tunc erat in hoc sacramento. Ergo non poterat mori in hoc sacramento.

2. PRAETEREA, in morte Christi separatus fuit sanguis eius a corpore. Sed in hoc sacramento simul est corpus Christi et sanguis. Ergo Christus in hoc sacramento non moreretur.

3. PRAETEREA, mors accidit per separationem animae a corpore. Sed in hoc sacramento continetur tam corpus Christi quam anima. Ergo in hoc sacramento non poterat Christus mori.

SED CONTRA EST quod idem Christus qui erat in cruce, fuisset in sacramento. Sed in cruce moriebatur. Ergo et in sacramento conservato moreretur.

RESPONDEO DICENDUM quod corpus Christi idem in substantia est in hoc sacramento et in propria specie, sed non eodem modo: nam in propria specie contingit circumstantia corpora per proprias dimensiones, non autem prout est in hoc sacramento, ut supra * dictum est. Et ideo quidquid pertinet ad Christum secundum quod est in se, potest attribui ei et in propria specie et in sacramento existenti: sicut vivere, mori, dolere, animatum vel inanimatum esse, et cetera huiusmodi. Quaecumque vero conveniunt ei per comparationem ad corpora extrinseca, possunt ei attribui in propria specie existenti, non autem prout est in sacramento: sicut irrideri, conspui, crucifigi, flagellari, et cetera huiusmodi. Unde quidam metrice dixerunt: *Pyxide servato poteris* [α] *sociare dolorem Innatum, sed non illatus convenit illi.*

* Art. 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut dictum est *, passio convenit corpori passo per comparationem ad agens extrinsecum. Et ideo Christus, secundum quod est sub sacramento, pati non potest. Potest tamen mori.

* In corpore.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, sub specie panis est corpus Christi ex vi consecrationis, sanguis autem sub specie vini. Sed nunc quidem, quando realiter sanguis Christi non est separatus ab eius corpore, ex reali concomitantia et sanguis Christi est sub specie panis simul cum corpore, et corpus sub specie vini simul cum sanguine. Sed, si in tempore passionis Christi, quando realiter sanguis fuit separatus a corpore, fuisset hoc sacramentum consecratum, sub specie panis fuisset solum corpus, et sub specie vini fuisset solus sanguis.

* Qu. lxxvi, art. 2.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, anima Christi est in hoc sacramento ex reali concomitantia, quia non est sine corpore: non autem ex vi consecrationis. Et ideo, si tunc fuisset hoc sacramentum consecratum [β] vel servatum quando anima erat a corpore realiter separata, non fuisset anima Christi sub hoc sacramento: non propter defectum virtutis verborum, sed propter aliam dispositionem rei.

* Qu. lxxvi, art. 1, ad 1.

α) *poteris.* – P; *poterit* – Pro *sociare, signare* ABa, *conare* D, *sonare* E, om. pG.

β) *consecratum.* – Om. F. Pro *servatum, paratum* pG, *peractum* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

In tota quaestione octogesimaprima hoc solum occurrit, circa quarti articuli materiam, recolendum, quod Scotica chimaera superius * relata hinc apparet ut est. Nihil enim minus corpus Christi sub sacramento nihil fuisset, si Christi corpus in propria specie annihilatum fuisset, quam in triduo corpus Christi sub sacramento fuisset mortuum quia in propria specie fuit mortuum: cum tamen Scotus hoc concedat * et primum neget **. Utrumque enim, scilicet esse mortuum et esse nihil, sunt de numero eorum quae conveniunt, seu quae convenirent Christi corpori absolute et non in ordine ad extrinseca, ut clare patet. Et propterea quodcumque eorum Christi corpori in propria specie contingeret, asserendum esset de eodem sub sacramento.

* Qu. lxxvi, art. 2, Comment.

* IV *Sent.*, dist. xi, qu. iii, art 2 principali, art. 2.
** Ibid., dist. x, qu. iv.



QUAESTIO OCTOGESIMASECUNDA

DE MINISTRO HUIUS SACRAMENTI

IN DECEM ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LXXIII, Introd.

Deinde considerandum est de ministro huius sacramenti *.

Et circa hoc quaeruntur decem.

Primo: utrum consecrare hoc sacramentum sit proprium sacerdotis.

Secundo: utrum plures sacerdotes simul possent eandem hostiam consecrare.

Tertio: utrum dispensatio huius sacramenti pertineat ad solum sacerdotem.

Quarto: utrum liceat sacerdoti consecranti a communione abstinere.

Quinto: utrum liceat sacerdoti omnino a celebratione abstinere [α].

Sexto: utrum sacerdos peccator possit conficere hoc sacramentum.

Septimo: utrum missa mali sacerdotis minus valeat quam boni.

Octavo: utrum haeretici, schismatici vel excommunicati possint conficere hoc sacramentum.

Nono: utrum degradati.

Decimo: utrum peccent a talibus communionem recipientes.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CONSECRATIO HUIUS SACRAMENTI PROPRIE SIT SACERDOTIS

Supra, qu. LXVII, art. 2; IV *Sent.*, dist. XIII, art. 1, qu^a 1, 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod consecratio huius sacramenti non proprie sit sacerdotis. Dictum est enim supra * quod hoc sacramentum consecratur virtute verborum quae sunt forma huius sacramenti. Sed illa verba non mutantur sive dicantur a sacerdote sive a quocumque alio. Ergo videtur quod non solus sacerdos, sed etiam quilibet alius possit hoc sacramentum consecrare.

* Qu. LXXVIII, art. 4.

2. Praeterea, sacerdos hoc sacramentum conficit in persona Christi. Sed laicus sanctus est unitus Christo per caritatem. Ergo videtur quod etiam laicus possit hoc sacramentum conficere. Unde et Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, quod *omnis sanctus est sacerdos.*

* *Op. Imperf. in Matth.*, homil. XLIII. - Inter Opp. Chrys.

3. Praeterea, sicut baptismus ordinatur ad hominum salutem, ita et hoc sacramentum, ut ex supra * dictis patet. Sed etiam laicus potest baptizare, ut supra * habitum est. Ergo non est proprium sacerdotis conficere hoc sacramentum.

* Qu. LXXIV, art. 1; qu. LXXIX, art. 2.
* Qu. LXVII, art. 3.

4. Praeterea, hoc sacramentum perficitur in consecratione materiae. Sed alias materias consecrare, scilicet chrisma et oleum sanctum et oleum benedictum, pertinet ad solum episcopum: quarum tamen consecratio non est tantae dignitatis sicut consecratio Eucharistiae, in qua est totus Christus. Ergo non est proprium sacerdotis, sed solius episcopi, hoc sacramentum conficere.

Sed contra est quod Isidorus dicit, in quadam Epistola *, et habetur in Decretis, dist. XXV **: *Ad presbyterum pertinet sacramentum corporis et sanguinis Domini in altari Dei conficere.*

* *Ad Ludifred.*
** Can. *Perlectis.*

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, hoc sacramentum tantae est dignitatis quod non conficitur nisi in persona Christi. Quicumque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Sicut autem baptizato conceditur a Christo potestas sumendi hoc sacramentum, ita sacerdoti, cum ordinatur, confertur potestas hoc sacramentum consecrandi in persona Christi: per hoc enim ponitur in gradu eorum quibus dictum est a Domino, *Hoc facite in meam commemorationem* *. Et ideo dicendum est quod proprium est sacerdotum conficere hoc sacramentum.

* Qu. LXXVIII, art. 1, 4.
* Luc. cap. XXII, vers. 19.

Ad primum ergo dicendum quod virtus sacramentalis in pluribus consistit, et non in uno tantum: sicut virtus baptismi consistit et in verbis [β] et in aqua. Unde et virtus consecrativa non solum consistit in ipsis verbis, sed etiam in potestate sacerdoti tradita in sua consecratione vel [γ] ordinatione, cum ei dicitur ab episcopo: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia tam pro vivis quam pro mortuis.* Nam et virtus instrumentalis in pluribus instrumentis consistit, per quae agit principale agens.

Ad secundum dicendum quod laicus iustus unitus est Christo unione spirituali per fidem et caritatem, non autem per sacramentalem potesta-

---

α) *Quinto... abstinere.* – Decimo loco, ut in Articulis, ponit tertia mutatis ordinalibus; HI*b* tamen in Indice ut quinto loco quaesitum recensent (Index I non est in manu scriptoris textus). Pro *abstinere, cessare* in omnibus Indicibus praeter G.

β) *et in verbis.* – *in verbis* FI, *in ipsis verbis* cetera tertia.

γ) *consecratione vel.* – Om. I, *consecratione et* cetera tertia. – *cum ei dicitur* editiones et *a*; *cum dicitur* F, *dicitur enim sacerdoti* sG, om. I, *cum enim dicitur* ceteri.

tem. Et ideo habet spirituale sacerdotium ad offerendum spirituales hostias, de quibus dicitur in Psalmo *, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus;* et *Rom.* XII *, *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem.* Unde et I Petri II * dicitur: *Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias.*

* Ps. L, vers. 19.
* Vers. 1.
* Vers. 5.

Ad tertium dicendum quod perceptio huius sacramenti non est tantae necessitatis sicut perceptio baptismi, ut ex supra * dictis patet. Et ideo, licet in necessitatis articulo laicus possit baptizare, non tamen potest hoc sacramentum conficere.

* Qu. LXV, art. 3, 4; qu. LXXX, art. 11, ad 2.

Ad quartum dicendum quod episcopus accipit potestatem ut agat in persona Christi supra corpus eius mysticum, idest super Ecclesiam: quam quidem potestatem non accipit sacerdos in sua consecratione, licet possit eam habere ex episcopi commissione. Et ideo ea quae non pertinent ad dispositionem corporis mystici, non reservantur episcopo: sicut consecratio huius sacramenti. Ad episcopum vero pertinet non solum tradere populo, sed etiam sacerdotibus, ea ex quibus possunt propriis officiis uti. Et quia benedictio chrismatis et olei sancti et olei infirmorum, et aliorum quae consecrantur, puta altaris, ecclesiae, vestium et vasorum, praestat [δ] quandam idoneitatem ad sacramenta perficienda quae pertinent ad officium sacerdotum, ideo tales consecrationes episcopo reservantur, tanquam principi [ε] totius ecclesiastici ordinis. δ ε

δ) *praestat.* – Tertia; *praestant* Fa, *prar̄* (altero *r* pro *t* scripto est *praestant*) ceteri.

ε) *principi.* – Ed. *a* et tertia praeter l; *principio* Fl, *principia* ceteri.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM PLURES SACERDOTES POSSINT UNAM ET EANDEM HOSTIAM CONSECRARE

IV *Sent.*, dist. XIII, qu. 1, art. 2, quª 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod plures sacerdotes non possunt unam et eandem hostiam consecrare. Dictum est enim supra * quod plures non possunt unum baptizare. Sed non minor vis est sacerdotis consecrantis quam hominis baptizantis. Ergo etiam non possunt simul plures unam hostiam consecrare.

* Qu. LXVII, art. 6.

2. Praeterea, quod potest fieri per unum, superflue fit per multos. In sacramentis autem Christi nihil debet esse superfluum. Cum igitur unus sufficiat ad consecrandum, videtur quod plures non possunt unam hostiam consecrare.

3. Praeterea, sicut Augustinus dicit, *super Ioan.* *, hoc sacramentum est *sacramentum unitatis.* Sed contrarium unitati videtur esse multitudo. Ergo non videtur conveniens esse huic sacramento quod plures sacerdotes eandem hostiam consecrent.

* Tract. XXVI, num. 13.

Sed contra est quod, secundum consuetudinem quarundam ecclesiarum, sacerdotes, cum de novo ordinantur, concelebrant episcopo ordinanti.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, sacerdos, cum ordinatur, constituitur in gradu eorum qui a Domino acceperunt potestatem consecrandi in Cena. Et ideo, secundum consuetudinem quarundam ecclesiarum, sicut Apostoli Christo cenanti concenaverunt, ita novi ordinati episcopo ordinanti concelebrant. Nec per hoc iteratur consecratio super eandem hostiam: quia, sicut Innocentius III dicit *, omnium intentio debet ferri ad idem instans consecrationis.

* Art. 1.
* *De S. Altar. Myster.* lib. IV, cap. XXV.

Ad primum ergo dicendum quod Christus non legitur simul baptizasse cum Apostolis quando iniunxit eis officium baptizandi *. Et ideo non est similis ratio.

* Matth. cap. XXVIII, vers. 19. – Cf. Ioan. cap. IV, vers. 2.

Ad secundum dicendum quod, si quilibet sacerdotum operaretur in virtute propria, superfluerent alii celebrantes, uno sufficienter celebrante. Sed quia sacerdos non consecrat nisi in persona Christi, multi autem sunt *unum in Christo* *, ideo non refert utrum per unum vel per multos hoc sacramentum consecraretur: nisi quod oportet ritum Ecclesiae servari.

* *Ad Galat.*, cap. III, vers. 28.

Ad tertium dicendum quod Eucharistia est sacramentum unitatis ecclesiasticae, quae attenditur secundum hoc quod multi sunt *unum in Christo* *.

* Cf. resp. ad 2.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo secundo quaestionis octogesimaesecundae, circa pluralitatem simul concelebrantium, Durandus occurrit, in Quarto, dist. XIII *, contrarius valde huic pluralitati, et rationibus et auctoritatibus pro ea. Putat enim quod consuetudo ista *est periculosa, et magis est abolenda quam servanda.* – Confutat autem rationem in littera ab Auctore allatam, ab Innocentio sumptam, de concenatione Apostolorum cum Christo: quia, licet concenaverint, non tamen concelebrarunt. – Confutat applicationem omnium verborum ad unum instans: quia vix aut nunquam fieri potest quod omnes simul proferant. – Nec recipit specialem providentiam Spiritus Sancti in huiusmodi quae sunt particularium ecclesiarum, et non omnium.

* Qu. 3.

II. Quocirca, duabus existentibus opinionibus extremis de hac pluralitate; altera Innocentii, quam sequitur Auctor; altera Durandi, totaliter contraria: – et pro via Innocentii maxime urget antiqua consuetudo plurium ecclesiarum, et specialiter Romanae *. Pro via autem Durandi ratio urgere videtur. Nam secundum veritatem, ratio de concenantibus discipulis Christo potius adaptatio quam ratio est: cum ipsi non consecraverint. Et similiter quod verba consecrationis dicta ante vel post instans quo eadem complentur

* Cf. Innoc. loc. cit. in art.

ab episcopo, referantur ad illud idem instans, voluntarie dicitur: meminisse enim oportet quod, dum tractaretur * de pluribus baptizantibus unum, utroque dicente et abluente, conclusum est quod, si non simul baptizant, primus solus baptizat; et similiter hic dicendum est, si secundum rectam rationem iudicandum est: – posset media via teneri, dicendo ex ecclesiastico statuto seu more esse quod novi sacerdotes concelebrent dicendo simul cum episcopo consecrationis verba; ex abusione autem intervenire quod unus prius, alter post, verba consecrationis proferat. Probaturque hoc ex Pontificali Romano, ubi dicitur: *Curet pontifex ut morose et alte canonem dicat;* et subditur quod eodem momento debent ab ordinatis verba consecrationis dici quo dicuntur ab episcopo.

* Qu. LXVII, art. 6.

III. Sed via haec minus vera videtur. Tum quia, licet hoc statutum inveniatur in Pontificali Romano a tempore Innocentii VIII, in antiquis tamen Pontificalibus hoc non habetur.

Tum quia Auctor in littera, ex Innocentio III, expresse satagit ad salvandum verba prolata non simul, dum dicit quod non reiteratur consecratio super eadem materia propter intentionem omnium ad unum instans: ubi, nisi supponeret unum prius et alterum post consecrationis verba dicere, vanus esset labor et recursus ad intentionem pro eodem instanti. De his enim quae simul proferuntur, nulla est quaestio reiterationis.

Tum quia statutum hoc est quodammodo impossibile. Quoniam, quantulacumque minima morula verba unius praefinirentur antequam alter terminaret, in reiterationem superfluitatemque incideretur: quoniam, ut patet ex supra * dictis, in instanti fit consecratio seu conversio.

* Qu. LXXV, art. 7.

Et scito quod omnes referre intentionem suam ad instans unum quo episcopus consecrat, salvat quidem quod non formaliter sit reiteratio consecrationis super materia eadem, quia non ex intentione hac dicuntur verba ut iteretur consecratio: sed non excludit quin sit iteratio consecrationis materialiter, quia prolatio exterior consecrativa superadditur a post dicentibus, si quilibet concelebrat, ut supponunt.

* IV. Quocirca videretur mihi, si fas est, aliter dicendum, distinguendo inter id quod est de facto, et id quod est de possibili: et dicendo quod de possibili ita possunt plures sacerdotes eandem hostiam consecrare, sicut possunt plures simul unum baptizare, quolibet abluente et verba dicente; de facto autem sacerdotes novos non consecrare, sed ex consuetudine dicere tantum verba consecrationis cum reliquo canone. Ita quod solus episcopus et dicit et consecrat: alii vero dicunt tantum, et non consecrant.

* Integrum num. IV om. P.

Moveor autem ad hoc, tum quia iuxta hanc viam nullo est opus miraculo; nullum difficillimum aut quasi impossibile usui Ecclesiae attribuitur; omniaque facilia, absque superfluitate quacumque, inveniuntur.

Tum quia Ecclesia non adorat tam hostiam quam calicem donec per episcopum fuerit consecratio facta. Cuius oppositum deberet fieri quando aliquis de ordinatis praevenit episcopum.

Nec parvipendenda sunt verba Pontificalis Romani antiqui, dicentis de noviter ordinatis presbyteris: *Dicant omnia quae sunt in missali sicut si celebrarent.* Insinuatur enim hinc quod ipsi non celebrant, ac per hoc, non concelebrant episcopo, sed dicunt tantun totum canonem. Unde in novis Pontificalibus statutum illud praerecitatum * appositum videtur ex communi opinione sequentium expositionem Innocentii III, qui interpretatus est illam canonis prolationem quae ab ordinatis fieri consuevit, esse concelebrationem. Super hoc enim praesupposito doctores locuti sunt, sive defendendo sive reprehendendo.

* Num. II.

V. Ex quibus omnibus, tutiorem partem eligendo, duo in facto servanda sunt. Primum est circa prolationem exteriorem: quod quilibet ordinatus servet ritum illius ecclesiae, dicendo totum canonem.

Secundum est circa intentionem: quod non habeat determinate intentionem consecrandi; et similiter non habeat determinate intentionem non consecrandi; sed habeat intentionem debitam, hoc est, proponat apud se, *Intendo dicere cum ea intentione qua debeo dicere.* Sic enim tutissima via omnes ordinati incedunt, et soli episcopo relinquunt intentionem determinatam ad consecrandum: nullaque relinquitur difficultatibus quaestio, dum, dubiis existentibus actibus, tutior pars electa est.

His enim servatis, satisfit utrique opinioni: scilicet tenentium quod ordinati concelebrant; et tenentium quod ordinati non concelebrant, sed dicunt tantum.

VI. Et haec quidem de ordinatis presbyteris. De consecrato autem episcopo secus dicendum absque dubio est. Quoniam Romanum Pontificale antiquum expresse habet quod consecratori pontifici celebranti debet consecratus *concelebrare,* et subditur quod *legat et faciat* omnia quae sunt in canone missae. De his enim dicendum est quod de facto ambo consecrant eandem materiam simul: quoniam in eodem altari mutuo se expectantes concelebrant; quod non continet difficultatem, aut quasi impossibilitatem, quae contingit in multitudine presbyterorum qui simul ordinantur.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM PERTINEAT SOLUM AD SACERDOTEM DISPENSATIO HUIUS SACRAMENTI

IV *Sent.*, dist. XIII, qu. I, art. 3, qu^a^ 1, 2.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non pertineat solum ad sacerdotem dispensatio huius sacramenti. Sanguis enim Christi non minus pertinet ad hoc sacramentum quam corpus. Sed sanguis Christi dispensatur per diacones: unde et beatus Laurentius dixit beato Sixto *: *Experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.* Ergo, pari ratione, dispensatio Dominici corporis non pertinet ad solos sacerdotes.

* Cf. *Ecclesiast. Offic. secundum Ord. FF. Praed.* an. 1254, in fest. s. Laurent. resp. 2 ad Matutin.; Brev. Rom. ibid., resp. 4.

2. PRAETEREA, sacerdotes constituuntur ministri sacramentorum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiae, non in usu, ad quem pertinet dispensatio. Ergo videtur quod non pertineat ad sacerdotem corpus Domini dispensare.

3. PRAETEREA, Dionysius dicit, in libro *Eccles. Hier.* *, quod hoc sacramentum habet *perfectivam virtutem,* sicut et chrisma. Sed signare chrismate baptizatos non pertinet ad sacerdotem, sed ad episcopum. Ergo etiam dispensare hoc sacramentum pertinet ad episcopum, non ad sacerdotem.

* Cap. III, § 1; cap. IV, § 1.

SED CONTRA EST quod dicitur *de Consecr.*, dist. II *: *Pervenit ad notitiam nostram quod quidam presbyteri laico aut feminae corpus Domini tradunt ad deferendum infirmis. Ergo interdicit synodus ne talis praesumptio ulterius fiat: sed presbyter per semetipsum infirmos communicet.*

* Can. *Pervenit ad notitiam.*

RESPONDEO DICENDUM quod ad sacerdotem pertinet dispensatio corporis Christi, propter tria. Primo quidem quia, sicut dictum est *, ipse con-

* Art. 1.

secrat in persona Christi. Ipse autem Christus, sicut consecravit corpus suum in Cena, ita et aliis sumendum dedit *. Unde, sicut ad sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio.

* Matth. cap. xxvi, vers. 26, 27; Marc. cap. xiv, vers. 22, 23; Luc. cap. xxii, vers. 19, 20: I *ad Cor.*, cap. xi, vers. 23 sqq.

Secundo, quia sacerdos constituitur medius inter Deum et populum *. Unde, sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere.

* *Ad Heb.* cap. v, vers. 1.

Tertio quia, in reverentiam huius sacramenti, a nulla re contingitur nisi consecrata: unde et corporale et calix consecrantur, similiter et manus sacerdotis, ad tangendum hoc sacramentum. Unde nulli alii tangere licet: nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in aliquo alio necessitatis casu.

Ad primum ergo dicendum quod diaconus, quasi propinquus ordini sacerdotali, aliquid participat de eius officio, ut scilicet dispenset sanguinem: non autem corpus, nisi in necessitate, iubente episcopo vel presbytero. Primo quidem, quia sanguis Christi continetur in vase. Unde non oportet quod tangatur a dispensante, sicut tangitur corpus Christi. – Secundo, quia sanguis designat redemptionem a Christo in populum derivatam: unde et sanguini admiscetur aqua, quae significat populum. Et quia diaconi sunt inter sacerdotem et populum, magis convenit diaconibus dispensatio sanguinis quam dispensatio corporis.

Ad secundum dicendum quod eiusdem est hoc sacramentum dispensare et consecrare, ratione iam * dicta.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod, sicut diaconus in aliquo participat *illuminativam virtutem* sacerdotis *, inquantum dispensat sanguinem; ita sacerdos participat *perfectivam dispensationem* episcopi *, inquantum dispensat hoc sacramentum, quo perficitur homo secundum se per coniunctionem [α] ad Christum. Aliae autem perfectiones, quibus homo perficitur per comparationem ad alios, episcopo reservantur.

* *Eccles. Hier.* cap. v, § 5, 6.

* Cf. ibid.

α) *coniunctionem.* – *comparationem* PACHIa.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM SACERDOS CONSECRANS TENEATUR SUMERE HOC SACRAMENTUM

IV *Sent.*, dist. x, art. 4, qua 3, ad 2; dist. xii, qu. iii, art. 2, qua 2.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod sacerdos consecrans non teneatur sumere hoc sacramentum. In aliis enim consecrationibus ille qui consecrat materiam, non utitur ea: sicut episcopus consecrans chrisma non linitur eodem. Sed hoc sacramentum consistit in consecratione materiae. Ergo sacerdos perficiens hoc sacramentum non necesse habet uti eodem, sed potest licite a sumptione eius abstinere.

2. Praeterea, in aliis sacramentis minister non praebet sacramentum sibi ipsi: nullus enim baptizare seipsum potest, ut supra * habitum est. Sed, sicut baptismus ordinate dispensatur, ita et hoc sacramentum. Ergo sacerdos perficiens hoc sacramentum non debet ipsum sumere a seipso.

* Qu. lxvi, art. 5, ad 4.

3. Praeterea, contingit quandoque quod miraculose corpus Christi in altari apparet sub specie carnis, et sanguis sub specie sanguinis. Quae non sunt apta cibo vel potui: unde, sicut supra * dictum est, propter hoc sub alia specie traduntur, ne sint horrori sumentibus. Ergo sacerdos consecrans non semper tenetur sumere hoc sacramentum.

* Qu. lxxv, art. 5.

Sed contra est quod in Concilio Toletano * legitur, et habetur *de Consecr.*, dist. II, cap. *Relatum* [α]: *Modis omnibus tenendum est ut, quotiescumque sacrificans corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altario immolat, toties perceptione corporis et sanguinis* [β] *participem se praebeat.*

* XII, can. v.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, Eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium. Quicumque autem sacrificium offert, debet fieri sacrificii particeps. Quia exterius sacrificium quod offert, signum est interioris sacrificii quo quis seipsum offert Deo: ut Augustinus dicit, X *de Civ. Dei* *. Unde per hoc quod participat sacrificio, ostendit ad se sacrificium interius pertinere.

* Qu. lxxix, art. 5, 7.

* Cap. v, vi.

Similiter [γ] etiam per hoc quod sacrificium populo dispensat, ostendit se esse dispensatorem divinorum populo [δ]. Quorum ipse primo debet esse particeps: sicut Dionysius dicit, in libro *Eccles. Hier.* * Et ideo ipse ante sumere debet quam populo dispenset. Unde in praedicto * capite legitur: *Quale est sacrificium cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?*

* Cap. iii, § 14.

* Arg. *Sed cont.*

Per hoc autem fit particeps quod de sacrificio sumit: secundum illud Apostoli, I *Cor.* x *: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Et ideo necesse est quod sacerdos, quotiescumque consecrat, sumat hoc sacramentum integre.

* Vers. 18.

α) *Relatum.* – P; *Praelatum* F, *Perlatum* ceteri.
β) *perceptione corporis et sanguinis.* – *perceptionis corporis et sanguinis Christi* P, *perceptionem corporis et sanguinis Christi (participare se probat)* H; *Christi* etiam lbc.
γ) *Similiter.* – Pa; *Simul.*
δ) *populo.* – Om. PDF.

Ad primum ergo dicendum quod consecratio chrismatis, vel cuiuscumque alterius materiae, non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiae. Et ideo non est similis ratio.

Ad secundum dicendum quod sacramentum baptismi perficitur in ipso usu materiae. Et ideo nullus potest baptizare seipsum: quia in sacramento non potest esse idem agens et patiens. Unde nec in hoc sacramento sacerdos consecrat seipsum, sed panem et vinum, in qua consecratione conficitur hoc sacramentum. Usus autem sacramenti est consequenter se habens ad hoc sacramentum. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum quod, si miraculose corpus Christi in altari sub specie carnis appareat, aut sanguis sub specie sanguinis, non est sumendum. Dicit enim Hieronymus, *super Levit.* *: *De hac quidem hostia quae in Christi commemoratione mirabiliter fit* [ε], *de illa vero quam Christus in ara crucis obtulit secundum se, nulli edere licet.* Nec propter hoc sacerdos transgressor efficitur: quia ea quae miraculose fiunt, legibus non subduntur. – Consulendum tamen esset sacerdoti quod iteratò corpus et sanguinem Domini consecraret et sumeret.

* Can. *De hac quidem*, *de Consecr.*, dist. II.

ε) *fit.* – Om. BDE, *edere licet* addunt F et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In calce quarti articuli, adverte sacerdotem posse quidem de consilio iterum consecrare et sumere, quando sub specie carnis aut sanguinis sacramentum apparet, non teneri tamen ad hoc: quoniam Actor miraculi sacerdotem a lege sumendi absolvit. Et propterea Auctor in littera prius libertatem sacerdotis dixit, deinde consilium dedit.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM MALUS SACERDOS EUCHARISTIAM CONSECRARE POSSIT

Supra, qu. lxiv, art. 5.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod malus sacerdos Eucharistiam consecrare non possit. Dicit enim Hieronymus, *super Sophoniam* *: *Sacerdotes, qui Eucharistiae serviunt et sanguinem Domini dividunt* [α], *impie agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam precantis facere verba, non vitam; et necessariam esse solemnem orationem, et non sacerdotis merita. De quibus dicitur: Sacerdos, in quocumque fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domino.* Sed sacerdos peccator, cum sit maculosus, nec vitam habet nec merita huic convenientia sacramento. Ergo sacerdos peccator non potest consecrare Eucharistiam.

* Cap. III, vers. 4.

2. Praeterea, Damascenus dicit, in IV libro *, quod *panis et vinum, per adventum Sancti Spiritus, supernaturaliter transit in corpus Domini et sanguinem.* Sed Gelasius Papa * dicit, et habetur in Decretis, I, qu. 1, cap. *Sacrosancta: Quomodo ad divini mysterii consecrationem caelestis Spiritus invocatus adveniet* [β], *si sacerdos qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus comprobetur?* Ergo per malum sacerdotem non potest Eucharistia consecrari.

* *De Fide Orth.*, lib. IV, cap. XIII.

* Primus. - Epist. *ad Elphidium.*

3. Praeterea, hoc sacramentum sacerdotis benedictione consecratur. Sed benedictio sacerdotis peccatoris non est efficax ad consecrationem huius sacramenti: cum scriptum sit [γ] *: *Maledicam benedictionibus vestris.* Et Dionysius dicit, in Epistola *ad Demophilum Monachum* *: *Perfecte cecidit* [δ] *a sacerdotali ordine qui non est illuminatus: et audax quidem mihi videtur talis, sacerdotalibus manum apponens; et audet immundas infamias, non enim dicam orationes, super divina symbola Christiformiter enuntiare.*

* Malach. cap. II, vers. 2.

* Epist. VIII.

Sed contra est quod Augustinus * dicit, in libro *de Corpore Domini* *: *Intra Ecclesiam Catholicam, in mysterio corporis et sanguinis Domini, nihil a bono maius, nihil a malo minus perficitur sacerdote: quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris, et in virtute Spiritus Sancti.*

* Paschasius.

* Cap. XII. - Cf. can. *Intra Ecclesiam*, Caus. I, qu. I.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, sacerdos consecrat hoc sacramentum non in virtute propria, sed sicut minister Christi, in cuius persona consecrat hoc sacramentum. Non autem ex hoc ipso desinit aliquis esse minister Christi quod est malus: habet enim Dominus bonos et malos ministros seu servos. Unde, Matth. xxiv *, Dominus dicit, *Quis, putas, est fidelis servus et prudens*, etc.; et postea * subdit: *Si autem dixerit malus ille servus in corde suo*, etc. Et Apostolus dicit, I *Cor.* iv *: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi:* et tamen postea subdit *: *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum.* Erat ergo certus se esse ministrum

* Art. 1; art. 2, ad 2; art. 3.

* Vers. 45.

* Vers. 48.

* Vers. 1.

* Vers. 4.

α) *dividunt.* – *populis dividunt* F et tertia. – *legem* I; *lege.* – *non* ante *sacerdotis* om. P. – Pro *quocumque, quacumque* BDEsC et editiones. Cf. qu. lxxx art. 7. β.

β) *adveniet.* – Tertia; *advenit.* Cf. solutionem.

γ) *sit.* – *Malach. II* addit tertia. – Pro *benedictionibus, maledictionibus* FGH.

δ) *cecidit.* – Tertia praeter G; *decidit* FG, *cedit* ceteri. Ante *mihi* addit *nimium* P. – *et audet* F et tertia; *audet.* – *Christiformiter* PGHI; *Christi frucc̄u* E, *Christi conformiter* F, *Christi firmiter* ceteri.

Christi: non tamen erat certus se esse iustum. Potest ergo aliquis esse minister Christi etiam si iustus non sit. Et hoc ad excellentiam Christi pertinet, cui, sicut vero Deo, serviunt non solum bona, sed etiam mala, quae per ipsius providentiam in eius gloriam ordinantur. Unde manifestum est quod sacerdotes, etiam si non sint iusti, sed peccatores, possunt Eucharistiam consecrare.

Ad primum ergo dicendum quod Hieronymus per illa verba improbat errorem sacerdotum qui credebant se digne posse Eucharistiam consecrare ex hoc solo quod sunt sacerdotes, etiam si sint peccatores. Quod improbat Hieronymus per hoc quod maculosi ad altare accedere prohibentur *. Non tamen removetur quin, si accesserint, sit verum sacrificium quod offerunt.

* *Levit.* cap. xxi, vers. 17 sqq.

Ad secundum dicendum quod ante illa verba Gelasius Papa praemittit: *Sacrosancta religio, quae Catholicam continet disciplinam, tantam sibi reverentiam vindicat ut ad eam quilibet nisi pura conscientia non audeat pervenire.* Ex quo manifeste apparet eius intentionis esse quod peccator sacerdos non debet accedere ad hoc sacramentum. Unde per hoc quod subdit, *Quomodo caelestis Spiritus advocatus adveniet,* intelligi oportet quod non advenit ex merito sacerdotis, sed ex virtute Christi, cuius verba profert sacerdos.

Ad tertium dicendum quod, sicut eadem actio, inquantum fit ex prava intentione ministri, potest esse mala, bona autem inquantum fit ex bona intentione domini; ita benedictio sacerdotis peccatoris, inquantum ab ipso indigne fit, est maledictione digna, et quasi infamia seu blasphemia, et non [ε] oratio reputatur; inquantum autem [ζ] profertur ex persona Christi, est sancta et efficax. Unde signanter dicitur: *Maledicam benedictionibus vestris.*

ε) *non.* – F et tertia; *ideo non.*

ζ) *autem.* – FsD et tertia praeter I; *est* I, *tamen* ed. *a*, om. ceteri. – Post *efficax* tertia addit *ad sanctificandum.*

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM MISSA SACERDOTIS MALI MINUS VALEAT QUAM MISSA SACERDOTIS BONI

IV *Sent.*, dist. xiii, qu. i, art. 1, qu[a] 5.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod missa sacerdotis mali non minus valeat quam missa sacerdotis boni. Dicit enim Gregorius, in *Registro* *: *Heu, in quam magnum laqueum incidunt qui divina et occulta mysteria plus ab aliis sanctificata fieri posse credunt: cum unus idemque Spiritus Sanctus ea mysteria occulte atque invisibiliter operando sanctificet!* Sed haec occulta mysteria celebrantur in missa. Ergo missa mali sacerdotis non minus valet quam missa boni.

* Cf. can. *Multi saecularium*, Caus. I, qu. 1.

2. Praeterea, sicut baptismus traditur a ministro in virtute Christi, qui baptizat, ita et hoc sacramentum, quod [α] in persona Christi consecratur. Sed non melior baptismus datur a meliori ministro, ut supra * habitum est. Ergo neque etiam melior missa est quae celebratur a meliori sacerdote.

* Qu. lxiv, art. 1, ad 2.

3. Praeterea, sicut merita sacerdotum differunt per bonum et melius, ita etiam differunt per bonum et malum. Si ergo missa melioris sacerdotis est melior, sequitur quod missa mali sacerdotis sit mala. Quod est inconveniens: quia malitia ministrorum non potest redundare in Christi mysteria; sicut Augustinus dicit, in libro *de Baptismo* *. Ergo neque missa melioris sacerdotis est melior.

* *Cont. Donat.*, cap. xii; *Cont. Epist. Parmen.*, lib. II, cap. xii; *Cont. lit. Petil.*, lib. II, cap. xlvii.

Sed contra est quod habetur [β] I, qu. i *: *Quanto sacerdotes fuerint digniores, tanto facilius in necessitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur.*

* Can. *Ipsi sacerdotes.*

Respondeo dicendum quod in missa duo est considerare; scilicet ipsum sacramentum, quod est principale; et orationes quae in missa fiunt pro vivis et mortuis. Quantum ergo ad sacramentum, non minus valet missa mali sacerdotis quam boni: quia utrobique idem conficitur sacramentum.

Oratio etiam quae fit in missa, potest considerari dupliciter. Uno modo, inquantum habet efficaciam ex devotione sacerdotis orantis. Et sic non est dubium quod missa melioris sacerdotis magis est fructuosa. – Alio modo, inquantum oratio in missa profertur a sacerdote in persona totius Ecclesiae, cuius sacerdos est minister. Quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet, sicut supra * dictum est de ministerio Christi. Unde quantum [γ] ad hoc, est fructuosa non solum oratio sacerdotis peccatoris in missa, sed etiam omnes aliae [δ] eius orationes quas facit in ecclesiasticis officiis, in quibus gerit personam Ecclesiae *. Sed orationes eius privatae non sunt [ε] fructuosae: secundum illud *Proverb.* xxviii *: *Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.*

* Art. praeced.

* D. 959, 1141.

* Vers. 9.

α) *quod.* – Om. HpG et editiones.

β) *habetur.* – *in decretis* addit P. – *facilius* F et tertia; om. – Pro *clamant, clamavit* H, *clamabant* P.

γ) *quantum.* – *et quantum* BEF, *inquantum* pD, *etiam quantum* tertia.

δ) *aliae.* – Om. editiones. – Pro *facit, faciet* AC.

ε) *Sed... sunt.* – *licet... sint* tertia.

Ad primum ergo dicendum quod Gregorius loquitur ibi quantum ad sanctitatem divini sacramenti.

Ad secundum dicendum quod in sacramento baptismi non fiunt solemnes orationes pro omnibus fidelibus, sicut in missa. Et ideo quantum ad hoc non est simile. Est autem simile quantum ad effectum sacramenti.

Ad tertium dicendum quod propter virtutem Spiritus Sancti, qui per unitatem caritatis communicat invicem bona membrorum Christi, fit quod bonum privatum quod est in missa sacerdotis boni, est fructuosum aliis. Malum autem privatum unius hominis non potest alteri nocere, nisi per aliqualem ζ consensum: ut Augustinus dicit, in libro *contra Parmenianum* *. * Lib. II, cap. xvii, xxi. ζ

ζ) *aliqualem.* – *aliquem* PE.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo sexto, circa illud, *Oratio a sacerdote malo prolata in persona totius Ecclesiae est fructuosa,* duo sunt advertenda. Primum, quod minus dicitur quam intendatur. Nam intenditur non solum quod est fructuosa: sed etiam quod non est minus fructuosa, quoad alios, quam boni sacerdotis. Et ratio in littera innuitur: quia ministerium in persona Ecclesiae non est minus fructuosum quam ministerium in persona Christi. Minister autem Christi, sive bonus sive malus, aeque sanctificat. Igitur minister Ecclesiae, sive bonus sive malus, aeque impetrat.

* Ad arg. 3. II. Alterum est quod Scotus, in qu. ult. * xiii dist. IV *Sent.*, in oppositam partem declinat: ea ratione quia meritum quod dicitur esse in celebratione missae ut missa est, non est abstractum, sicut idea Platonis. Ergo oportet quod sit realiter aliquod meritum. Ergo totius Ecclesiae, vel alicuius membri. Sed non est totius Ecclesiae nisi quia alicuius partis. Non est autem partis malae et mortuae in toto sicut esset partis vivae, idest existentis et operantis in caritate. Ergo in missa non est tantum meritum cuiuscumque quando est mali, sicut quando est boni.

Ad hoc dicitur quod, si ratio ista contra aequalem valorem missae inquantum in persona Ecclesiae oratur, affertur, solvenda est dicendo quod meritum Ecclesiae non est abstractum, sed ipsius Ecclesiae ratione partium suarum vivarum in ipsa: et non ratione illius partis suae mortuae quae ministrat tunc. Et cum dicitur, *Pars mortua non meretur sicut viva,* verum est quoad meritum ex persona propria: sed secus est quoad meritum ex persona Ecclesiae. Cum quo stat quod, parte viva ministrante, melior sit simpliciter missa: quia undique tunc concurrit meritum, scilicet ex persona Ecclesiae et ex persona propria.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM HAERETICI ET SCHISMATICI ET EXCOMMUNICATI CONSECRARE POSSINT

Supra, qu. lxiv, art. 9, ad 2; IV *Sent.*, dist. xiii, qu. i, art. 1, qu^a 3; Expos. litt.; dist. xix, qu. i, art. 2, qu^a 3, ad 1; *Quodl.* XII, qu. xi, art. 1.

α Ad septimum sic proceditur. Videtur quod haeretici et schismatici et excommunicati consecrare α non possunt. Dicit enim Augustinus * quod *extra Ecclesiam Catholicam non est locus veri sacrificii.* Et Leo Papa * dicit, et habetur in Decretis, I, qu. i **: *Aliter*, (scilicet quam *in Ecclesia, quae corpus Christi est*) *nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia.* Sed haeretici, schismatici, et excommunicati sunt ab Ecclesia separati. Ergo non possunt verum sacrificium conficere.

* Lib. *Sentent. Prosper.*, Sent. xv. - Inter Opp. Aug. * Primus.-Epist. LXXX, al. LX, cap. ii. ** Can. *In Ecclesia Dei.*

2. Praeterea, sicut legitur ibidem *, Innocentius Papa * dicit: *Arianos* β, *ceterasque huiusmodi pestes, quia laicos eorum sub imagine poenitentiae suscipimus, non videntur clerici eorum cum sacerdotii aut cuiuspiam mysterii suscipiendi dignitate esse, quibus solum baptisma ratum esse permittimus.* Sed non potest aliquis consecrare Eucharistiam nisi sit cum sacerdotii dignitate. Ergo haeretici, et ceteri huiusmodi, non possunt Eucharistiam conficere γ. γ

* Caus. I, qu. i, can. *Arianos.* * Primus.-Epist. LVIII, *ad Alexandr.* β

3. Praeterea, ille qui est extra Ecclesiam, non videtur aliquid posse agere in persona totius Ecclesiae. Sed sacerdos consecrans Eucharistiam hoc agit in persona totius Ecclesiae: quod patet ex hoc quod omnes orationes proponit in persona Ecclesiae. Ergo videtur quod illi qui sunt extra Ecclesiam, scilicet haeretici et schismatici et excommunicati, non possunt consecrare Eucharistiam.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in II *contra Parmen.* *: *Sicut baptismus in eis,* scilicet haereticis, schismaticis δ et excommunicatis, *ita ordinatio mansit integra.* Sed ex vi ordinationis sacerdos potest consecrare Eucharistiam. Ergo haeretici, schismatici et excommunicati, cum in eis maneat ordinatio integra, videtur quod possint consecrare Eucharistiam. * Cap. xiii, num. 28. δ

Respondeo dicendum quod quidam * dixerunt quod haeretici, schismatici et excommunicati, quia sunt extra Ecclesiam, non possunt conficere hoc sacramentum. * Hugo a S. Vict. *Summ. Sent.* tr. VI, cap. ix; Mag. IV *Sent.*, dist. xiii, cap. *Solet etiam quaeri.*; Petr. Pict. *Sent.* lib. V, cap. xiii.

Sed in hoc decipiuntur. Quia, sicut Augustinus dicit, in II *contra Parmen.* *, *aliud est aliquid omnino non habere, aliud autem non recte habere:* et similiter *est etiam aliud non dare, et aliud non* * Cap. xiii, num. 30.

α) *consecrare.* – *Eucharistiam consecrare* I et inverso ordine P.
β) *Arianos.* – Tertia praeter I; *Arianus* I, *Arianas* ceteri.
γ) *conficere.* – *consecrare* tertia.
δ) *schismaticis.* – Om. BDEpG, *et schismaticis* (om. *et excommunicatis*) FI.

ε ζ *recte dare* [ε]. Illi igitur qui, intra Ecclesiam constituti, receperunt potestatem consecrandi [ζ] in ordinatione sacerdotii, recte quidem habent potestatem, sed non recte ea utuntur, si postmodum per haeresim aut schisma vel excommunicationem ab Ecclesia separentur. Qui autem sic separati ordinantur, nec recte habent potestatem, nec recte utuntur. Quod tamen utrique potestatem habeant, per hoc patet quod, sicut Augustinus ibidem * dicit, cum redeunt ad unitatem Ecclesiae, non reordinantur, sed recipiuntur in suis ordinibus. Et quia consecratio Eucharistiae est actus consequens ordinis potestatem, illi qui sunt ab Ecclesia separati per haeresim aut schisma vel excommunicationem, possunt quidem consecrare Eucharistiam, quae ab eis consecrata verum corpus Christi et sanguinem continet: non tamen recte hoc faciunt, sed peccant facientes. Et ideo fructum sacrificii non percipiunt, quod est sacrificium spirituale.

* Num. 28.

η AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod auctoritas illa [η] et similes intelligendae sunt quantum ad hoc quod non recte extra Ecclesiam sacrificium offertur [θ]. Unde extra Ecclesiam non potest esse spirituale sacrificium, quod est verum veritate fructus, licet sit verum veritate sacramenti: sicut etiam supra * dictum est quod peccator sumit corpus Christi sacramentaliter, sed non spiritualiter. θ

* Qu. LXXX, art. 3.

AD SECUNDUM DICENDUM quod solus baptismus permittitur esse ratus haereticis et schismaticis, quia possunt licite baptizare in articulo necessitatis. In nullo autem casu licite possunt Eucharistiam consecrare, vel alia sacramenta conferre.

AD TERTIUM DICENDUM quod sacerdos in missa in orationibus quidem loquitur in persona Ecclesiae, in cuius unitate consistit. Sed in consecratione sacramenti loquitur in persona Christi, cuius vicem in hoc gerit per ordinis potestatem. Et ideo, si sacerdos ab unitate Ecclesiae praecisus missam celebret, quia potestatem ordinis non amittit, consecrat verum corpus et sanguinem Christi: sed quia est ab Ecclesiae unitate separatus, orationes eius efficaciam non habent *.

* D. 959.

ε) *non recte dare.* – Editiones; (*non* expungit) *recte non dare* C, *dare non recte* ed. *a*, *recte non dare* ceteri.
ζ) *consecrandi.* – *Eucharistiam* addunt F et tertia.
η) *auctoritas illa.* – *auctoritates illae* B et tertia, sed B se corrigit.
θ) *offertur.* – F et tertia; *offeruntur* ACEpD, *offerunt* BsD et *a.*

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM SACERDOS DEGRADATUS POSSIT HOC SACRAMENTUM CONFICERE

IV *Sent.*, dist. XIII, qu. I, art. 1, qu[a] 4; *Quodl.* XII, qu. XI, art. 1.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacerdos degradatus non possit hoc sacramentum conficere. Nullus enim conficit hoc sacramentum nisi per potestatem consecrandi quam habet. Sed *degradatus non habet potestatem consecrandi, licet habeat potestatem baptizandi:* ut dicit canon. [α] * Ergo videtur quod presbyter degradatus non possit Eucharistiam consecrare.

α * App. Gratiani ad can. *Quod quidam*, Caus. I, qu. I.

2. PRAETEREA, ille qui aliquid dat, potest etiam auferre. Sed episcopus dat presbytero potestatem consecrandi ordinando ipsum. Ergo etiam potest ei auferre degradando ipsum.

3. PRAETEREA, sacerdos per degradationem aut amittit potestatem consecrandi, aut solam executionem. Sed non solam executionem: quia sic non plus amitteret degradatus quam excommunicatus, qui [β] executione caret. Ergo videtur quod amittit potestatem consecrandi. Et ita videtur quod non possit conficere hoc sacramentum.

β

SED CONTRA EST quod Augustinus, in II *contra Parmen.* *, probat quod *apostatae* [γ] a fide *non carent baptismate*, per hoc quod *per poenitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo non posse amitti iudicatur.* Sed similiter degradatus, si reconcilietur, non est iterum ordinandus. Ergo non amisit potestatem consecrandi. Et ita sacerdos degradatus potest conficere hoc sacramentum.

* Cap. XIII, num. 29. γ

RESPONDEO DICENDUM quod potestas consecrandi Eucharistiam pertinet ad characterem sacerdotalis ordinis. Character autem quilibet, quia cum quadam consecratione datur, indelebilis est, ut supra * dictum est: sicut et quarumcumque rerum consecrationes perpetuae sunt, nec amitti nec reiterari possunt. Unde manifestum est quod potestas consecrandi non amittitur per degradationem. Dicit enim Augustinus, in II *contra Parmen.* *: *Utrumque,* scilicet baptismus et ordo, *sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur: et illud cum baptizatur, et illud cum ordinatur. Ideo non licet a Catholicis utrumque iterari.* Et sic patet quod sacerdos degradatus potest conficere hoc sacramentum.

* Qu. LXIII, art. 5.
* Cap. XIII, num. 28.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod canon ille non loquitur assertive, sed inquisitive: sicut ex circumstantia litterae haberi potest.

AD SECUNDUM DICENDUM quod episcopus non dat potestatem sacerdotalis ordinis propria virtute, sed instrumentaliter, sicut minister Dei: cuius effectus per hominem tolli non potest, secundum illud Matth. XIX *: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Et ideo episcopus non potest hanc po-

* Vers. 6.

α) *canon.* – *I. q. I. c. quidam* addunt Pc et margo I (*quod* pro *c.*) et codices Brixiensis et Ambrosianus; cf. Vol. XI. Praef. n. 24.
β) *qui.* – *etiam* addunt F et tertia.
γ) *apostatae.* – Fa et tertia; *a potestate.* – *redeuntibus non restituitur* PIsG; *redeuntes* (*redeuntibus* HpG) *non restituuntur.* – Pro *iudicatur, iudicantur bc.*

testatem auferre: sicut nec ille qui baptizat potest auferre characterem baptismalem.

AD TERTIUM DICENDUM quod excommunicatio est medicinalis. Et ideo excommunicatis non aufertur executio sacerdotalis potestatis quasi in perpetuum, sed ad correctionem, usque ad tempus. Degradatis autem aufertur executio quasi in perpetuum condemnatis.

ARTICULUS NONUS

UTRUM ALIQUIS LICITE POSSIT COMMUNIONEM RECIPERE A SACERDOTIBUS HAERETICIS VEL EXCOMMUNICATIS, VEL ETIAM PECCATORIBUS, ET AB EIS MISSAM AUDIRE

Supra, qu. LXIV, art. 9, ad 3; IV *Sent.*, dist. XIII, qu. 1, art. 3, qu^a^ 3; dist. XXIV, qu. 1, art. 3, qu^a^ 5, ad 3, 4; *Quodl.* XI, qu. VIII, art. 1, 2.

D NONUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod aliquis licite possit communionem recipere a sacerdotibus haereticis vel excommunicatis, vel etiam peccatoribus, et ab eis missam audire. Sicut enim Augustinus, *contra Petilianum* [α] *, dicit, *neque in homine bono neque in homine malo aliquis Dei fugiat sacramenta.* Sed sacerdotes, quamvis sint peccatores et haeretici vel excommunicati, verum conficiunt sacramentum. Ergo videtur quod non sit vitandum ab eis communionem accipere vel eorum missam audire.

(* Lib. III, cap. IX. – Cf. can. *Neque in homine,* Caus. I, qu. 1.)

2. PRAETEREA, corpus Christi verum figurativum est corporis mystici, sicut supra * dictum est. Sed a praedictis sacerdotibus verum corpus Christi consecratur. Ergo videtur quod illi qui sunt de corpore mystico, possint eorum sacrificiis communicare.

(* Cf. qu. LXVII, art. 2; qu. LXXIII, art. 1, arg. 2.)

3. PRAETEREA, multa peccata sunt graviora quam fornicatio. Sed non est prohibitum audire missas sacerdotum aliter peccantium. Ergo etiam non debet esse prohibitum audire missas sacerdotum fornicariorum.

SED CONTRA EST quod canon dicit, XXXII dist. *: *Nullus audiat missam sacerdotis quem indubitanter concubinam novit habere.* – Et Gregorius dicit, in III *Dialog.* *, quod *pater perfidus Arianum episcopum misit ad filium, ut ex eius manu sacrilegae consecrationis communionem acciperet: sed vir Deo devotus* [β] *Ariano episcopo venienti exprobravit ut debuit.*

(* Can. *Nullus missam.*)
(* Cap. XXXI. – Cf. can. *Superveniente,* Caus. I, qu. 1.)

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, sacerdotes, si sint haeretici vel schismatici vel excommunicati, vel etiam peccatores, quamvis habeant potestatem consecrandi Eucharistiam, non tamen ea recte utuntur, sed peccant utentes. Quicumque autem communicat alicui in peccato, ipse particeps peccati efficitur: unde et in Secunda Canonica Ioannis * legitur quod *qui dixerit ei, Ave,* scilicet haeretico, *communicat operibus illius malignis.* Et ideo non licet a praedictis communionem accipere aut eorum missam audire.

(* Art. 5, ad 1; art. 7.)
(* Vers. 11.)

Differt tamen inter praedictas sectas. Nam haeretici et schismatici et excommunicati sunt per sententiam Ecclesiae executione consecrandi privati. Et ideo peccat quicumque eorum missam audit vel ab eis accipit sacramenta. – Sed non omnes peccatores sunt per sententiam Ecclesiae executione huius potestatis privati. Et sic, quamvis sint suspensi quantum est [γ] ex sententia divina, non tamen quantum ad alios ex sententia Ecclesiae. Et ideo, usque ad sententiam Ecclesiae, licet ab eis communionem accipere et eorum missam audire. Unde super illud I *Cor.* v *, *Cum huiusmodi nec cibum sumere,* dicit Glossa Augustini *: *Hoc dicendo, noluit hominem* [δ] *ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato iudicio: sed potius ex lege Dei, secundum ordinem Ecclesiae, sive ultro confessum, vel accusatum et convictum.*

(* Vers. 11.)
(* Apud Lomb.)

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod in hoc quod refugimus audire talium sacerdotum missam aut ab eis communionem recipere, non refugimus Dei sacramenta, sed potius ea veneramur: unde hostia a talibus sacerdotibus consecrata est adoranda, et, si reservetur, licite potest sumi a sacerdote legitimo. Sed refugimus culpam indigne ministrantium.

AD SECUNDUM DICENDUM quod unitas corporis mystici est fructus corporis veri percepti. Illi autem qui indigne percipiunt vel ministrant, privantur fructu, ut supra * dictum est. Et ideo non est sumendum ex eorum dispensatione sacramentum ab eis qui sunt [ε] in unitate Ecclesiae.

(* Art. 7; qu. LXXX, art. 4.)

AD TERTIUM DICENDUM quod, licet fornicatio non sit gravior ceteris peccatis, tamen ad eam sunt homines proniores, propter carnis concupiscentiam. Et ideo specialiter hoc peccatum a [ζ] sacerdotibus prohibitum est ab Ecclesia, ne aliquis audiat missam concubinarii sacerdotis *. – Sed hoc intelligendum est de notorio: vel *per sententiam* quae fertur in convictum, vel *confessionem in iure factam,* vel [η] quando *non potest peccatum aliqua tergiversatione celari* *.

(* Cf. arg. *Sed cont.*)
(* Cap. *Quaesitum est, de Cohabit. Cleric. et Mul.*)

α) *Petilianum.* – Tertia; *Celicianum* E, *Cecilianum* ceteri.
β) *devotus.* – *deditus* P.
γ) *est.* – *ad se* Pl.
δ) *hominem.* – FsB et tertia; om.
ε) *sunt.* – *non sunt* FGHsD et *abc.*
ζ) *a.* – Om. PF. Pro *ne, et ne* P.
η) *vel.* – PsBG; om.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo nono, adverte disputationes, investigationes et canones de participantibus in sacramentorum perceptione et ceteris divinis cum excommunicatis, suspensis, etc., hodie vacare, propter statutum in Concilio Constantiensi, quo concessum est omnibus Christi fidelibus participare cum excommunicatis, etc., nisi in duobus casibus, scilicet, si fuerint nominatim denuntiati, vel notorie percusserint clericum: ut refert Archiepiscopus Florentinus *, in Tertia Parte *Summae* suae, tit. xxviii **.

* S. Antoninus. ** Al. tit. xxv, cap. 2, § 2. - Cf. supra, qu. lxiv, art. 6, Comm. num. vii.

ARTICULUS DECIMUS

UTRUM LICEAT SACERDOTI OMNINO A CONSECRATIONE EUCHARISTIAE ABSTINERE

IV *Sent.*, dist. xiii, qu. i, art. 2, qu^a 1.

* Vide post qu. lxxx, art. 12, qu. primam Caiet., num. ix.

Ad decimum sic proceditur *. Videtur quod liceat sacerdoti omnino a consecratione Eucharistiae abstinere. Sicut enim ad officium sacerdotis pertinet Eucharistiam consecrare, ita etiam baptizare et in aliis sacramentis ministrare. Sed sacerdos non tenetur ministrare in aliis sacramentis, nisi propter curam animarum susceptam. Ergo videtur quod nec etiam teneatur Eucharistiam consecrare, si curam non habeat animarum.

2. Praeterea, nullus tenetur facere quod sibi non licet: alioquin esset perplexus. Sed sacerdoti peccatori, vel etiam excommunicato, non licet Eucharistiam consecrare, ut ex supra * dictis patet. Ergo videtur quod tales non teneantur ad celebrandum. Et ita nec alii: alioquin ex sua culpa commodum reportarent.

* Art. 5, ad 1; art. 7.

3. Praeterea, dignitas sacerdotalis non perditur per subsequentem infirmitatem: dicit enim Gelasius Papa *, et habetur in *Decretis,* dist. LV **: *Praecepta canonum* [α] *sicut non patiuntur venire ad sacerdotium debiles corpore, ita, si quis in eo fuerit constitutus ac tunc fuerit sauciatus, amittere non potest quod tempore suae sinceritatis accepit.* Contingit autem quandoque quod ordinati in sacerdotes incurrunt aliquos defectus ex quibus a celebratione impediuntur: sicut est [β] lepra, vel morbus caducus, vel aliquid huiusmodi. Non ergo videtur quod sacerdotes ad celebrandum teneantur.

* Primus. ** Can. *Praecepta canonum.*

Sed contra est quod Ambrosius dicit, in quadam Oratione *: *Grave est quod ad mensam tuam mundo corde et manibus innocentibus non venimus: sed gravius est si, dum peccata* [γ] *metuimus, etiam sacrificium non reddamus.*

* Anselm. *Orat.* xxxiii.

Respondeo dicendum quod quidam dixerunt quod sacerdos potest omnino licite [δ] a consecratione abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare pro populo et sacramenta praebere.

Sed hoc irrationabiliter dicitur. Quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data cum fuerit opportunum: secundum illud II *Cor.* vi *: *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui in consecratione huius sacramenti sacrificium offertur. Unde sacerdoti, etiam si non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare: sed saltem videtur quod celebrare tenetur in praecipuis festis, et maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt. Et hinc est quod II [ε] *Machab.* iv * dicitur contra quosdam sacerdotes quod *iam non circa altaris officia dediti erant, contempto Templo et sacrificiis neglectis.*

* Vers. 1. * Vers. 14.

Ad primum ergo dicendum quod alia sacramenta perficiuntur in usu fidelium. Et ideo in illis [ζ] ministrare non tenetur nisi ille qui super fideles suscipit curam. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiae, in qua sacrificium Deo offertur: ad quod sacerdos obligatur [η] ex ordine iam suscepto.

Ad secundum dicendum quod sacerdos peccator, si per sententiam Ecclesiae sit executione ordinis privatus vel simpliciter vel ad tempus, redditus est impotens ad sacrificium offerendum: et ideo obligatio tollitur. Hoc autem cedit sibi in detrimentum spiritualis fructus, magis quam in emolumentum. – Si vero non sit privatus potestate celebrandi, non solvitur obligatio. Nec tamen est perplexus: quia potest de peccato poenitere et celebrare.

Ad tertium dicendum quod debilitas vel aegritudo superveniens ordini sacerdotali ordinem non tollit: executionem tamen ordinis impedit [θ] quantum ad consecrationem Eucharistiae. Quandoque quidem propter impossibilitatem executionis: sicut si privetur oculis aut digitis, aut usu linguae. – Quandoque autem propter periculum: sicut patet de eo qui patitur morbum caducum, vel etiam quamcumque alienationem mentis. – Quandoque propter abominationem: sicut patet de leproso, qui non debet publice celebrare. Potest tamen dicere missam occulte: nisi lepra adeo invaluerit quod per corrosionem membrorum eum ad hoc reddiderit impotentem.

α) *canonum.* – Ed. *a*; *canonica* P, *canoñ* ceteri. – *sauciatus* FIsG et editiones; *sanatus.* – Pro *sinceritatis, sanitatis* Fabc.

β) *est.* – PFsG et *a*; *enim* HI, *etiam* ceteri. – Pro *aliquid, aliquid aliud* tertia.

γ) *dum peccata.* – Tertia; *cum peccato* F, *de peccatis* ceteri.

δ) *licite.* – Ante *abstinere* ponit tertia praeter G.

ε) *II.* – FsG *a* et editiones; om.

ζ) *illis.* – *aliis* H et editiones.

η) *obligatur.* – *Deo* addit P.

θ) *ordinis impedit.* – *tollit ordinis* GHbc et mutato ordine P.

Commentaria Cardinalis Caietani

* P: *scito hanc esse difficultatem, an*. Cf. num. seq.

* *Ad Heb.* cap. v, vers. 1.

* Num. II om. P.

In articulo decimo scito duas esse difficultates. Prima est, an * sacerdoti liceat totaliter a celebratione abstinere. Et haec bene solvitur in littera negative. Exigit siquidem recta ratio, cum potentia sit propter actum, et gratia sit propter usum, ut, commoditate oblata, cessanteque omni impedimento, homo quandoque potentia gratiaque *in his quae ad Deum sunt* * utatur.

II *. Altera difficultas est, an peccatum huiusmodi omissionis sit peccatum mortale. Et est ratio dubii quia nec omne praeceptum affirmativum, nec omne praeceptum negativum obligat ad mortale: nec apparet qua ratione caritati contrarietur talis omissio; quamvis appareat quod contrariatur fervori caritatis; ex negligentia enim quadam, quae in tepore caritatis consistere videtur, talis provenit omissio.

Breviter, apparet mihi peccatum hoc esse secundum se veniale, utpote oppositum non ipsi caritati, sed eius fervori. Attestatur autem huic sententiae diversitas opinionum de licita vel illicita hac omissione. Parum enim a licito discedere videtur quod creditum est a doctoribus esse licitum.



QUAESTIO OCTOGESIMATERTIA

DE RITU HUIUS SACRAMENTI

IN SEX ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LXXXIII, Introd.

DEINDE considerandum est de ritu huius sacramenti *.
Et circa hoc quaeruntur sex.
Primo: utrum in celebratione huius mysterii Christus immoletur.
Secundo: de tempore celebrationis.
Tertio: de loco, et aliis quae pertinent ad apparatum [α] huius celebrationis.
Quarto: de his quae in celebratione huius mysterii dicuntur.
Quinto: de his quae circa celebrationem huius mysterii fiunt.
Sexto: de defectibus [β] qui circa celebrationem huius sacramenti occurrunt.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM IN CELEBRATIONE HUIUS SACRAMENTI CHRISTUS IMMOLETUR

Supra, qu. XXII, art. 3, ad 2; qu. LXXIII, art. 4; IV *Sent.*, dist. XII, Expos. litt.; *Ad Heb.*, cap. X, lect. 1.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in celebratione huius sacramenti Christus non immoletur. Dicitur enim *Hebr.* X *, quod Christus *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Sed illa oblatio fuit eius immolatio. Ergo Christus non immolatur in celebratione huius sacramenti.

* Vers. 14.

2. PRAETEREA, immolatio Christi facta est in cruce, in qua *tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis,* ut dicitur *Ephes.* V *. Sed in celebratione huius mysterii Christus non crucifigitur. Ergo nec immolatur.

* Vers. 2.

3. PRAETEREA, sicut Augustinus dicit, IV *de Trin.* *, in immolatione Christi idem est sacerdos et hostia. Sed in celebratione huius sacramenti non est idem sacerdos et hostia. Ergo celebratio huius sacramenti non est Christi immolatio.

* Cap. XIV. - Cf. *Enarr. II in Ps.* XXVI, num. 2.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *Sententiarum Prosperi* *: *Semel immolatus est in semetipso Christus, et tamen quotidie immolatur in sacramento.*

* Epist. XCVIII, aliter XXIII, *ad Bonifac.*, num. 9. - Cf. can. *Semel immolatus*, *de Consecr.*, dist. II.

RESPONDEO DICENDUM quod duplici ratione celebratio huius sacramenti dicitur Christi immolatio. Primo quidem quia, sicut Augustinus dicit, *ad Simplicianum* *, *solent imagines earum rerum nominibus appellari quarum imagines sunt: sicut cum, intuentes tabulam aut parietem pictum, dicimus, Ille Cicero est, Ille Sallustius.* Celebratio autem huius sacramenti, sicut supra * dictum est, imago est quaedam repraesentativa passionis Christi, quae est vera immolatio [γ]. Unde Ambrosius dicit, super Epistolam *ad Heb.* *: *In Christo semel oblata est hostia ad salutem sempiternam potens. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus ad* [δ] *recordationem mortis eius?*

* Lib. II, qu. III. - Cf. *De Octo Dulcit. Quaest.*, qu. VI.

* Qu. LXXVI, art. 2, ad 1; qu. LXXIX, art. 1.

* Cap. X (inter Opp. Ambr.). - Cf. can. *In Christo semel*, *de Consecr.*, dist. II.

Alio modo, quantum ad effectum passionis: quia scilicet per hoc sacramentum participes efficimur fructus Dominicae passionis *. Unde et in quadam Dominicali oratione secreta * dicitur: *Quoties huius hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur.*

* D. 584.

* Dom. IX post Pentecost.

Quantum igitur ad primum modum, poterat Christus dici immolari etiam in figuris veteris Testamenti: unde et in *Apoc.* XIII * dicitur: *Quorum nomina non sunt scripta in libro vitae Agni, qui occisus est ab origine mundi.* Sed quantum ad modum secundum, proprium est huic sacramento quod in eius celebratione Christus immoletur.

* Vers. 8.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Ambrosius ibidem * dicit, *una est hostia,* quam scilicet Christus obtulit et nos offerimus, *et non multae, quia semel oblatus est Christus, hoc autem sacrificium exemplum est illius. Sicut enim quod ubique offertur unum est corpus et non multa corpora, ita et unum sacrificium.*

* Cf. corp.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut celebratio huius sacramenti est imago repraesentativa passionis Christi, ita altare est repraesentativum crucis ipsius, in qua Christus in propria specie immolatus est.

AD TERTIUM DICENDUM quod, per eandem rationem *, etiam sacerdos gerit imaginem Christi, in cuius persona et virtute verba pronuntiat ad consecrandum, ut ex supra * dictis patet. Et ita quodammodo idem est sacerdos et hostia.

* Cf. resp. ad 2.

* Qu. LXXXII, art. 1, 3.

α) *apparatum.* – *aptitudinem* HpG et *bc* et margo P per *Alias.*
β) *de defectibus.* – HsDG et editiones; *defectibus* pG et *a*, *de effectibus* ceteri. – *occurrunt* tertia et *a*; *concurrunt.*
γ) *immolatio.* – *(eius* P*) immolatio et ideo celebratio huius sacramenti dicitur Christi immolatio (immolatio Christi bc)* tertia.
δ) *ad.* – *sed ad* PI.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CONVENIENTER SIT DETERMINATUM TEMPUS CELEBRATIONIS HUIUS MYSTERII

IV *Sent.*, dist. XIII, qu. I, art. 2, qu^a 3, 4.



AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod inconvenienter sit determinatum tempus celebrationis huius mysterii. Hoc enim sacramentum est repraesentativum Dominicae passionis, ut dictum est *. Sed commemoratio Dominicae passionis fit in Ecclesia semel in anno: dicit enim Augustinus, *super Psalmos* *: *Quoties Pascha celebratur, nunquid toties Christus occiditur? Sed tamen anniversaria recordatio repraesentat quod olim factum est, et sic nos facit moveri tanquam videamus Dominum in cruce praesentem* [α]. Ergo hoc sacramentum non debet celebrari nisi semel in anno.

* Art. praeced.
* *Enarr. II in Ps.* XXI, num. 1.
α

2. PRAETEREA, passio Christi commemoratur in Ecclesia sexta feria ante Pascha, non autem in festo Natalis. Cum ergo hoc sacramentum sit commemorativum Dominicae passionis, videtur inconveniens quod in die Natalis ter celebratur hoc sacramentum, in Parasceve autem totaliter intermittitur.

3. PRAETEREA, in celebratione huius sacramenti Ecclesia debet imitari institutionem Christi. Sed Christus consecravit hoc sacramentum hora serotina *. Ergo videtur quod tali hora debeat hoc sacramentum celebrari.

*Matth. cap. XXVI, vers. 20; Marc. cap. XIV, vers. 17; Luc. cap. XXII, vers. 14; I *ad Cor.* cap. XI, vers. 23.

4. PRAETEREA, sicut habetur *de Consecr.*, dist. I *, Leo Papa * scribit Dioscoro Alexandrino Episcopo, quod *in prima parte diei* missas celebrare licet. Sed dies incipit a media nocte, ut supra * dictum est. Ergo videtur quod etiam post mediam noctem liceat celebrare.

* Can. *Necesse est autem.*
* Primus. - Epist. IX, al. XI, cap. II.
* Qu. LXXX, art. 8, ad 5.

5. PRAETEREA, in quadam Dominicali oratione secreta * dicitur: *Concede nobis, Domine, quaesumus, haec frequentare mysteria.* Sed maior erit frequentia si etiam pluribus horis in die sacerdos celebret. Ergo videtur quod non debeat prohiberi sacerdos pluries celebrare in die.

* Dom. IX post Pentecost.

SED IN CONTRARIUM EST consuetudo quam servat Ecclesia secundum canonum statuta *.

* Cf. respp. ad obiecta.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, in celebratione huius mysterii attenditur et repraesentatio Dominicae passionis, et participatio fructus eius. Et secundum utrumque oportuit determinare tempus aptum celebrationi huius sacramenti. Quia enim fructu Dominicae passionis quotidie indigemus propter quotidianos defectus, quotidie in Ecclesia regulariter hoc sacramentum offertur. Unde et Dominus nos petere docet, Luc. XI *, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* quod exponens Augustinus, in libro *de Verbis Domini* *, dicit: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumas, quemadmodum Graeci in oriente facere consueverunt? Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit.* – Quia vero Dominica passio celebrata est a tertia hora usque ad nonam *, ideo regulariter in illa parte diei solemniter celebratur in Ecclesia hoc sacramentum.

* Art. praeced.
* Vers. 3.
* Serm. LXXXIV, al. *de Verb. Dom.* XXVIII. - Inter Opp. Aug.
* Cf. resp. ad 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod in hoc sacramento recolitur passio Christi secundum quod eius effectus ad fideles derivatur. Sed tempore passionis recolitur passio Christi solum secundum quod in ipso capite nostro fuit perfecta. Quod quidem factum est semel: quotidie autem fructum Dominicae passionis fideles percipiunt. Et ideo sola commemoratio [β] fit semel in anno: hoc autem quotidie, et propter fructum et propter iugem memoriam.

β

AD SECUNDUM DICENDUM quod, veniente veritate, cessat figura. Hoc autem sacramentum est figura quaedam et exemplum passionis Dominicae, sicut dictum est *. Et ideo in die quo ipsa passio Domini recolitur prout realiter gesta est, non celebratur consecratio huius sacramenti. Ne tamen Ecclesia eo etiam die sit sine fructu passionis per hoc sacramentum nobis exhibito [γ], corpus Christi consecratum in die praecedenti reservatur sumendum in illa die. Non autem sanguis, propter periculum: et quia sanguis specialius est imago Dominicae passionis, ut supra * dictum est. Nec etiam verum est, quod quidam * dicunt, quod per immissionem particulae corporis in vinum, convertatur vinum in sanguinem. Hoc enim aliter fieri non potest quam per consecrationem factam sub debita forma verborum.

* In corpore.
γ
* Qu. LXXVIII, art. 3, ad 2.
* *De Divin. Offic.* part. IX, cap. XVIII. - Inter Opp. Alcuini.

In die autem Nativitatis plures missae celebrantur, propter triplicem Christi nativitatem. Quarum una est aeterna: quae, quantum ad nos, est occulta. Et ideo una missa cantatur in nocte: in cuius introitu dicitur, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* – Alia autem est temporalis, sed spiritualis: qua scilicet Christus *oritur tanquam Lucifer in cordibus nostris,* ut dicitur II Pet. I *. Et propter hoc cantatur missa in aurora: in cuius introitu dicitur, *Lux fulgebit* [δ] *super nos.* – Tertia est Christi nativitas temporalis et corporalis, secundum quam visibilis nobis processit ex utero virginali carne indutus. Et ob hoc cantatur tertia missa in plena [ε] luce: in cuius introitu dicitur, *Puer natus est nobis.* – Licet e converso posset dici quod nativitas aeterna, secundum se, est in plena luce: et ob hoc in Evangelio tertiae missae fit mentio de nativitate aeterna. Secundum autem nativi-

* Vers. 19.
δ
ε

α) *Dominum in cruce praesentem.* – *in cruce pendentem Dominum* P.

β) *sola commemoratio.* – *illa commemoratio* sB et tertia, *illa comestio* F.

γ) *exhibito.* – PsG; *exhibitum etiam* B, *exhibita* H, *exhibitum* ceteri.

δ) *fulgebit.* – *hodie* addit tertia.

ε) *plena.* – *prima* FpG (*luce* om. F), *clara* sG et editiones.

tatem corporalem, ad litteram, natus est de nocte, in signum quod veniebat ad tenebras infirmitatis nostrae: unde et in missa nocturna dicitur Evangelium de corporali Christi nativitate.

Sicut etiam et in aliis diebus in quibus occurrunt plura Christi [ζ] beneficia vel recolenda vel expetenda, plures missae celebrantur in die: puta una pro festo, et alia pro ieiunio vel pro mortuis.

Ad tertium dicendum quod, sicut supra * dictum est, Christus voluit ultimo hoc sacramentum discipulis tradere, ut fortius eorum cordibus imprimeretur. Et ideo post cenam et [η] in fine diei hoc sacramentum consecravit et discipulis tradidit. A nobis autem celebratur hora Dominicae passionis: scilicet vel in diebus festis in tertia, quando crucifixus est linguis Iudaeorum, ut dicitur Marc. xv *, et quando Spiritus Sanctus descendit super discipulos *; vel diebus profestis in sexta, quando crucifixus est manibus militum, ut habetur Ioan. xix *; vel diebus ieiuniorum in nona, quando *voce magna clamans emisit spiritum*, ut dicitur Matth. xxvii *.

Potest tamen tardari: maxime quando sunt ordines faciendi, et praecipue in Sabbato Sancto; tum propter prolixitatem officii; tum etiam quia ordines pertinent ad diem Dominicum [θ], ut habetur in *Decretis*, dist. LXXV, cap. *Quod a patribus*.

Possunt tamen etiam missae celebrari *in prima parte diei* propter aliquam necessitatem: ut habetur *de Consecr.*, dist. I, cap. *Necesse est* etc.

Ad quartum dicendum quod regulariter missa debet celebrari in die, et non in nocte: quia ipse Christus est praesens in hoc sacramento, qui dicit, Ioan. ix *: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. Quandiu in mundo sum, lux sum mundi.* Ita tamen quod principium diei sumatur non a media nocte; nec etiam ab ortu solis, idest quando substantia solis apparet super terram; sed quando incipit apparere aurora. Tunc enim quodammodo dicitur sol ortus, inquantum claritas radiorum eius apparet. Unde et Marc. xvi * dicitur quod mulieres venerunt ad monumentum *orto iam sole;* cum tamen venerint, *cum adhuc tenebrae essent*, ad monumentum, ut dicitur Ioan. xx *; sic enim hanc contrarietatem solvit Augustinus, in libro *de Consensu Evangelistarum* *.

Specialiter tamen in nocte Natalis missa celebratur, propter hoc quod Dominus nocte natus est: ut habetur *de Consecr.*, dist. I, cap. *Nocte* etc. – Et similiter etiam in Sabbato Sancto circa noctis principium: propter hoc quod Dominus nocte surrexit, idest, *cum adhuc tenebrae essent,* ante manifestum solis ortum.

Ad quintum dicendum quod, sicut habetur *de Consecr.*, dist. I *, ex Decreto Alexandri Papae **, *sufficit sacerdoti in die unam missam celebrare: quia Christus semel passus est et totum mundum redemit; et valde felix est qui unam digne celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt et alteram diei, si necesse est. Qui vero pro pecunia aut adulationibus saecularium uno die praesumunt plures celebrare missas, non aestimo evadere damnationem* *. Et Extra, *de Celebr.* **, dicit Innocentius III quod, *excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suaderet, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare.*

* Qu. lxxiii, art. 5.
* Vers. 25. - Cf. qu. xlvi, art. 9, ad 2.
* *Act.* cap. ii, vers. 15. - Cf. can. *Nocte, de Consecr.*, dist. I.
* Vers. 14; Luc. cap. xxiii, vers. 44.
* Vers. 46, 50.
* Vers. 4, 5.
* Vers. 2.
* Vers. 1.
* Lib. III, cap. xxiv, num. 65.
* Can. *Sufficit.*
** Secundi.
* D. 581 *a.*
** Cap. *Consuluisti nos, de Celebrat. Missar.*

ζ) *Christi.* – *Dei* pB (scriptor se ipse corrigit) et tertia.
η) *et.* – Om. DF*a* et tertia.
θ) *Dominicum.* – *Dominicam* tertia.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM OPORTEAT HOC SACRAMENTUM CELEBRARE IN DOMO ET VASIS SACRIS

IV *Sent.*, dist. xiii, qu. 1, art. 2, qu[a] 5, 6; dist. xxiv, qu. ii, art. 2, ad 9.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non oporteat hoc sacramentum celebrare [α] in domo et vasis sacris. Hoc enim sacramentum est repraesentativum Dominicae passionis. Sed Christus non est passus in domo, sed extra portam civitatis: secundum illud *Heb.* ult. *: *Iesus, ut per suum sanguinem sanctificaret populum, extra portam passus est.* Ergo videtur quod hoc sacramentum non debeat celebrari in domo, sed magis sub divo.

2. Praeterea, in celebratione huius sacramenti debet Ecclesia imitari morem Christi et Apostolorum. Sed domus in qua Christus primo hoc sacramentum confecit, non fuit consecrata: sed fuit quoddam commune cenaculum a quodam patrefamilias praeparatum, ut habetur Luc. xxii *. Legitur etiam *Act.* ii * quod Apostoli erant *perdurantes unanimiter in Templo; et frangentes circa domos panem, sumebant* [β] *cum exultatione.* Ergo nec modo oportet domos esse consecratas in quibus hoc sacramentum celebratur.

3. Praeterea, nihil fieri frustra in Ecclesia debet, quae Spiritu Sancto gubernatur. Sed frustra videtur adhiberi consecratio ecclesiae vel altari, et [γ] huiusmodi rebus inanimatis, quae non sunt susceptiva gratiae vel spiritualis virtutis. Inconvenienter igitur huiusmodi consecrationes in Ecclesia fiunt.

* Vers. 12.
* Vers. 11, 12.
* Vers. 46.

α) *celebrare.* – *celebrari* PI. – *in domo et* tertia; *et in domo et* ABCD, *et in domo et in* ed. *a*, *in domo et in* EF.
β) *sumebant.* – *et sumebant cibum* P.
γ) *altari, et.* – PI; *altaris vel* B, *altaris in* ceteri. – Pro *susceptiva*, *susceptivae* editiones.

4. Praeterea, solum divina opera debent recoli cum quadam solemnitate: secundum illud Psalmi *: *In operibus manuum tuarum exultabo.* Sed ecclesia vel altare opere humano consecratur: sicut et calix et ministri et alia huiusmodi. Sed horum consecrationes non recoluntur celebriter in Ecclesia. Ergo neque consecratio ecclesiae vel altaris cum solemnitate recoli debet.

* Ps. xci, vers. 5.

5. Praeterea, veritas debet respondere figurae. Sed in veteri Testamento, quod gerebat figuram novi, non fiebat altare de lapidibus sectis: dicitur enim *Exod.* xx *: *Altare de terra facietis mihi. Quod si altare lapideum feceritis mihi, non aedificabitis illud de sectis lapidibus. Exodi* etiam xxvii * mandatur fieri *altare de lignis settim*, vestitis *aere*; vel etiam *auro*, ut habetur *Exod.* xxv. Ergo videtur inconvenienter observari in Ecclesia quod altare fiat solum de lapidibus.

* Vers. 24, 25.

* Vers. 1, 2. - Cf. cap. xxxviii, vers. 1, 2.

6. Praeterea, calix cum patena repraesentat sepulcrum Christi. Quod fuit *excisum in petra*, ut in Evangeliis * habetur. Ergo calix debet de petra fieri, et non solum de argento vel auro, vel etiam de [δ] stanno.

* Matth. cap. xxvii, vers. 60; Marc. cap. xv, vers. 46; Luc. cap. xxiii, vers. 53.

7. Praeterea, sicut aurum pretiosius est inter materias vasorum, ita panni serici pretiosiores sunt inter alios pannos. Ergo, sicut calix fit de auro, ita pallae altaris debent fieri de serico, et non solum de panno lineo.

8. Praeterea, dispensatio sacramentorum et ordinatio eorum ad ministros Ecclesiae pertinet, sicut dispensatio rerum temporalium subiacet ordinationi principum saecularium: unde Apostolus dicit, I *Cor.* iv *: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Sed si circa dispensationem rerum temporalium aliquid fieret contra statuta principum, habetur irritum. Ergo, si haec quae dicta sunt, convenienter sunt statuta per praelatos Ecclesiae, videtur quod sine his confici [ε] non possit. Et sic videtur sequi quod verba Christi non sint sufficientia ad hoc sacramentum conficiendum: quod est inconveniens. Non ergo videtur conveniens fuisse quod haec circa celebrationem sacramenti statuerentur.

* Vers. 1.

Sed contra est quod ea quae per Ecclesiam statuuntur, ab ipso Christo ordinantur, qui dicit, Matth. xviii *: *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

* Vers. 20.

Respondeo dicendum quod in his quae circumstant hoc sacramentum, duo considerantur: quorum unum pertinet ad repraesentationem eorum quae circa Dominicam passionem sunt acta; aliud autem pertinet ad reverentiam huius sacramenti, in quo Christus secundum veritatem continetur, et non solum sicut in figura. Unde et consecrationes adhibentur his rebus quae veniunt in usum huius sacramenti: tum propter reverentiam sacramenti; tum [ζ] ad repraesentandum effectum sanctitatis [η] qui ex passione Christi provenit, secundum illud *Heb.* ult. *: *Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum*, etc.

* Vers. 12.

Ad primum ergo dicendum quod regulariter hoc sacramentum celebrari debet in domo, per quam significatur Ecclesia, secundum illud I *Tim.* iii *: *Scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi. Extra Ecclesiam* enim *locus non est veri sacrificii*, ut Augustinus dicit *. Et quia Ecclesia non erat concludenda sub finibus gentis Iudaicae, sed erat in universo mundo fundanda, ideo passio Christi non est celebrata infra civitatem Iudaeorum, sed sub divo, ut sic totus mundus haberet se ad passionem Christi ut domus.

* Vers. 15.

* Prosper., *Lib. Sentent.*, sent. xv. - Inter Opp. Aug.

Et tamen, ut dicitur *de Consecr.*, dist. I, cap. *Concedimus: In itinere positis, si ecclesia defuerit, sub divo vel sub tentorio, si tabula consecrata ceteraque sacra mysteria ad id officium pertinentia ibi affuerint, missarum solennia celebrari concedimus.*

Ad secundum dicendum quod, quia [θ] domus in qua hoc sacramentum celebratur, Ecclesiam significat, sicut et *ecclesia* nominatur, convenienter consecratur: tum ad repraesentandum sanctificationem quam Ecclesia consecuta est per passionem Christi; tum etiam ad significandum sanctitatem quae requiritur in his qui hoc sacramentum suscipere debent. – Per altare autem significatur ipse Christus, de quo dicit Apostolus, *Heb.* ult. *: *Per ipsum offeramus hostiam laudis Deo.* Unde et consecratio altaris significat sanctitatem Christi, de qua dicitur Luc. i *: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Unde *de Consecr.*, dist. I *, dicitur: *Altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.*

* Vers. 15.

* Vers. 35.

* Can. *Altaria.*

Et ideo regulariter non licet celebrare hoc sacramentum nisi in domibus consecratis. Unde sic habetur *de Consecr.*, dist. I *: *Nullus presbyter missam celebrare praesumat nisi in sacratis ab episcopo locis.* Propter quod etiam, quia pagani non sunt de Ecclesia nec alii infideles, ideo eadem distinctione * legitur: *Ecclesiam in qua cadavera mortuorum infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet: sed, si apta videtur ad consecrandum, inde evulsis corporibus, et rasis parietibus vel tignis eius loci, reaedificetur. Sed si haec consecrata prius fuerit, missas in ea celebrare licet: tamen si fideles fuerunt qui in ea sepulti sunt.*

* Can. *Nullus presbyter.*

* Can. *Ecclesiam in qua mortuorum.*

Propter necessitatem tamen potest hoc sacramentum peragi in domibus non consecratis, vel violatis: sed tamen de consensu episcopi. Unde in eadem distinctione * legitur: *Missarum solennia non ubicumque, sed in locis ab episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda censemus.*

* Can. *Missarum solemnia.*

δ) *etiam de.* – Om. *a* et tertia.

ε) *confici.* – *corpus Christi confici* PIsG; pro *possit*, *possunt* Ha, *possint bc.*

ζ) *propter reverentiam sacramenti; tum.* – *propter sacramenti reverentiam tum* F et tertia, om. ceteri (ed. *a* om. insuper *tum* praecedens).

η) *sanctitatis.* – *sacramenti* tertia praeter I; *Alias sanctitatis* margo P.

θ) *quia.* – I; om.; pro *convenienter*, *quae convenienter* PD, *convenienter tamen* ed. *a*, *convenienter et* F.

Non tamen sine altari portatili consecrato: unde in eadem distinctione * legitur: *Concedimus, si* ι *ecclesiae fuerint incensae vel combustae, in capellis, cum tabula consecrata, missas celebrare.* Quia enim sanctitas Christi fons est totius sanctitatis ecclesiasticae, ideo in necessitate sufficit ad peragendum hoc sacramentum altare sanctificatum. Propter quod etiam ecclesia nunquam sine altari consecratur: tamen sine ecclesia quandoque consecratur altare, cum reliquiis sanctorum, quorum *vita abscondita est cum Christo in Deo* *. Unde in eadem distinctione * legitur: *Placuit ut altaria in quibus nullum corpus aut reliquiae martyris conditae comprobantur, ab episcopis qui eisdem locis praesunt, si fieri potest, evertantur.*

* Can. *Concedimus.*
* *Ad Coloss.*, cap. III, vers. 3.
* Can. *Placuit.*

Ad tertium dicendum quod ecclesia et altare et alia huiusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiae susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quandam spiritualem virtutem per quam apta redduntur divino cultui: ut scilicet homines devotionem quandam exinde percipiant ϰ, ut sint paratiores ad divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur. Unde et in II *Machab.* III * dicitur: *Vere Dei virtus quaedam est in loco: nam ipse qui habet in caelis habitationem, visitator et adiutor est loci illius.*

* Vers. 38, 39.

Et inde est quod huiusmodi ante consecrationem emundantur et exorcizantur, ut exinde virtus inimici pellatur. Et eadem ratione ecclesiae *quae sanguinis effusione aut cuiuscumque semine pollutae fuerint* *, reconciliantur λ: quia per peccatum ibi commissum apparet ibi aliqua operatio inimici. Propter quod etiam in eadem distinctione * legitur: *Ecclesias Arianorum ubicumque inveneritis, Catholicas ecclesias* μ *divinis precibus et operibus absque ulla mora consecrate.*

* Can. *Ecclesiis semel, de Consecr.*, dist. I.
* Can. *Ecclesias Arianorum.*

Unde et quidam probabiliter dicunt quod per ingressum ecclesiae consecratae homo consequitur remissionem peccatorum venialium, sicut et per aspersionem aquae benedictae: inducentes quod in Psalmo * dicitur: *Benedixisti, Domine, terram tuam, remisisti iniquitatem plebis tuae.*

* Ps. LXXXIV, vers. 2, 3.

Et ideo, propter virtutem quam ex consecratione acquirit ν, consecratio ecclesiae non iteratur. Unde in eadem distinctione*, ex concilio Nicaeno *, legitur: *Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustae, aut sanguinis effusione, aut cuiusquam semine pollutae fuerint: quia, sicut infans a qualicumque sacerdote in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti semel baptizatus, non debet iterum baptizari, ita nec locus Deo dedicatus est iterum consecrandus, nisi propter causas quas superius nominavimus; si tamen fidem sanctae Trinitatis tenuerunt qui consecraverunt.* Alioquin, qui sunt extra Ecclesiam, consecrare non possunt. Sed, sicut in eadem distinctione * legitur: *Ecclesiae vel altaria quae ambigua sunt de consecratione, consecrentur.*

* Can. *Ecclesiis semel.*
* Cap. incert. - Cf. Friedberg., dist. LXVIII, not. 28.
* Can. *Ecclesiae vel altaria, de Consecr.*, dist. I.

Propter hoc etiam quod aliquam spiritualem virtutem adipiscuntur per consecrationem, in eadem distinctione * legitur statutum: *Ligna ecclesiae dedicatae non debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam ecclesiam, vel igni comburenda, vel ad profectum in monasterio fratribus: in laicorum autem opera non debent admitti.* Et ibidem * legitur: *Altaris palla, cathedra, candelabrum et velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur: cineres quoque eorum in baptisterio inferantur, aut in pariete aut in fossis pavimentorum iactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur.*

* Can. *Ligna ecclesiae.*
* Can. *Altaris palla.*

Ad quartum dicendum quod, quia consecratio altaris repraesentat sanctitatem Christi, consecratio vero domus sanctitatem totius Ecclesiae, ideo convenientius recolitur cum solemnitate ξ consecratio ecclesiae vel altaris. Propter quod etiam ο octo diebus solemnitas dedicationis agitur, ad significandam beatam resurrectionem Christi et membrorum Ecclesiae. Nec est π opus solius hominis consecratio ecclesiae et altaris: cum habeat spiritualem virtutem. Unde *de Consecr.*, distinctione eadem *, dicitur: *Solemnitates ecclesiarum dedicationum per singulos annos solemniter sunt celebrandae. Quod autem octo diebus encaenia sint celebranda,* III ρ *libro Regum, perlecta dedicatione Templi, reperies,* scilicet VIII *.

* Can XVII, *Solemnitates dedicat. ecclesiar. sunt solemniter.*
* Vers. 66.

Ad quintum dicendum quod, sicut legitur *de Consecr.*, dist. I *: *Altaria, si non sint lapidea, chrismatis unctione non consecrentur.* Quod quidem competit et significationi huius sacramenti: tum quia altare significat Christum, dicitur autem I *Cor.* X *, *Petra autem erat Christus;* tum etiam quia corpus Christi in sepulcro lapideo fuit reconditum *. Competit etiam quoad usum sacramenti: lapis enim et solidus est, et de facili potest inveniri ubique. Quod non erat necessarium in veteri lege, ubi fiebat in uno loco altare *. – Quod autem mandatur altare fieri de terra vel de lapidibus insectis, fuit ad idololatriam removendam *.

* Can. *Altaria si non.*
* Vers. 4.
* Matth. cap. XXVII, vers. 60; Marc. cap. XV, vers. 46; Luc. cap. XXXIII, vers. 53.
* Cf. *Deut.* cap. XII, vers. 13, 14; *Iosue*, cap. XXII, vers. 20.
* Cf. Iam IIae, qu. CII, art. 4, ad 7.

Ad sextum dicendum quod, sicut in distinctione eadem dicitur, cap. *Vasa: Quondam sacerdotes non aureis, sed ligneis calicibus utebantur; Zephyrinus autem Papa patenis vitreis missas celebrari instituit; deinde Urbanus omnia fecit argentea.* Postmodum autem statutum est * *ut calix Domini, cum patena, sive ex auro* σ *sive ex argento fiat: vel saltem stanneus calix habeatur. De aere autem aut ex aurichalco non fiat: quia hoc*

* Can. *Ut calix Domini, de Consecr.*, dist. I.

ι) *si.* – P; *ut si.* Pro *celebrare, iterum consecrari et celebrare* G, *tm̃ consecrari et celebrari* H, *iterum celebrari* PI.

ϰ) *percipiant.* – F et tertia; *(homo...) percipiat* ed. *a*, *participant* ceteri. – Pro *irreverentiam, reverentiam* BGH*bc*.

λ) *reconciliantur.* – P; *reconcilientur.*

μ) *ecclesias.* – *eas* P.

ν) *quam ex consecratione acquirit.* – *quam in consecratione acquirit ecclesia (non iteratur consecratio. Unde)* ed. *a*, *quae ex consecratione ecclesiae acquiritur* P*c*; *ecclesiae* etiam *b*.

ξ) *solemnitate.* – *sanctitate et solemnitate* tertia praeter I. – Pro *vel altaris, quam altaris* E, *vel altaris vel* (*quam* tertia) *aliorum quae consecrantur* F et tertia.

ο) *etiam.* – PI*c*; *etiam in* F, om. GH*b*, *in* ceteri.

π) *Nec est.* – Editiones; *et* DH, *non est autem* F, *quam non est* I, *non est* ed. *a*, *est* ceteri. – *et altaris* sG et editiones; *vel altaris* FI*a*, *altaris* ceteri.

ρ) *III.* – Ed. *a*; *in.* – *perlecta* F*a* et tertia praeter P; *perfecta* P, *perlecta de* ceteri. – Pro *scilicet VIII, scilicet III* (*in III* F, om. I) *Reg. VIII* F et tertia.

σ) *auro.* – *omnino* addit tertia praeter I.

vini virtute aeruginem, pariter et [τ] *vomitum provocat. Nullus autem in ligneo seu vitreo calice cantare praesumat missam:* quia scilicet lignum porosum est, et sanguis consecratus in eo remaneret; vitrum autem fragile est, et posset fractionis periculum imminere. Et eadem ratio est de lapide. Et ideo, propter reverentiam sacramenti, statutum est ut ex praedictis materiis calix fiat.

Ad septimum dicendum quod, ubi potuit sine periculo fieri, Ecclesia statuit circa hoc sacramentum id quod expressius repraesentat passionem Christi. Non autem erat tantum periculum circa corpus, quod ponitur in corporali, sicut circa sanguinem, qui continetur in calice. Et ideo, licet calix non fiat de petra, corporale tamen fit de panno lineo, quo corpus Christi fuit involutum *. Unde in Epistola Silvestri Papae, in eadem distinctione *, legitur: *Consulto omnium constituimus ut sacrificium altaris non in serico panno, aut intincto quisquam celebrare praesumat missam* [υ], *sed in puro lineo ab episcopo consecrato: sicut corpus Christi in sindone linea munda sepultum fuit.* – Competit etiam pannus lineus, propter sui munditiam, ad significandum conscientiae puritatem; et, propter multiplicem laborem quo talis pannus praeparatur, ad significandam passionem Christi.

* Matth. cap. xxvii, vers. 59; Marc. cap. xv, vers. 46; Luc. cap. xxiii, vers. 53; Ioan. cap. xix, vers. 40.
* Can. *Consulto.*

Ad octavum dicendum quod dispensatio sacramentorum pertinet ad ministros Ecclesiae, sed consecratio eorum est ab ipso Deo. Et ideo ministri Ecclesiae non habent aliquid statuere circa formam consecrationis: sed circa usum sacramenti et modum [φ] celebrandi. Et ideo, si sacerdos verba consecrationis proferat super materia debita cum intentione consecrandi, absque omnibus praedictis, scilicet domo et altari, calice et corporali consecratis, et ceteris huiusmodi per Ecclesiam institutis, consecrat quidem in rei veritate corpus Christi, peccat tamen graviter, ritum Ecclesiae non servans.

τ) *pariter et.* – *parit et* FG*a*, *paritur et* H, *(virtutem et per aeruginem) pariter* I, *parit pariterque* P.

υ) *praesumat missam.* – *missam praesumat* P. Pro *puro*, *panno* FsG et editiones.

φ) *et modum.* – Tertia; *et commodum.*

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo tertio quaestionis octogesimaetertiae, ad tertium, dubium occurrit de virtute altaris, ecclesiae, et aliorum inanimatorum consecratorum: an sit solum ex parte nostri, qui inde concipimus reverentiam ac devotionem; an ex parte rei. Et si ex parte rei, an sit in ipsis rebus virtus aliqua spiritualis; an sola divina assistentia. Et an generali modo tantum; an speciali quodam modo divina ibi virtus assistat.

II. Ad horum evidentiam, sciendum est quod sunt in hac re modi dicendi duo extremi. Alter, quod huiusmodi consecrationes ab Ecclesia adinventae ex parte tantum nostra se tenent: ita quod devotio nostra est quae effectus divinae virtutis provocat apparere ibi magis quam alibi; quoniam Deus nullo speciali modo est in his post consecrationem quo prius non erat. Et ratio est quia consecrationes istae sunt humana opera, nihil conferentes rei consecratae secundum rem.

Alter, quod per huiusmodi consecrationes adipiscuntur res ipsae quandam virtutem spiritualem, quae est quaedam qualitas intentionalis, velut intentio coloris in aere. Et super verba litterae huius fundatur.

III. Uterque autem modus vitandus videtur. Et, media via progrediendo, dicendum est quod per huiusmodi consecrationes adipiscuntur consecratae res spiritualem virtutem *inchoative:* et in hoc ipso sortiuntur divinam praesentiam speciali modo. Consecrationes siquidem ecclesiasticae non sunt humana tantum opera, sed sunt efficaces ex Christi sacerdotio: a quo sicut per seipsum efficaciam habent sacramentales operationes quia ab ipso immediate sunt instituta sacramenta, ita participatum in ministris suis efficaciam praebet consecrationibus quae ab ipsis fiunt. Ita quod ex Christi sacerdotio diffuso et participato in nobis res consecratae habiles redduntur ad excitandam in nobis reverentiam et devotionem: sicut aquae ex tactu carnis Christi redditae sunt habiles ad baptismum *. Et huiusmodi habilitas vocatur spiritualis virtus inchoative.

* Qu. lxvi, art. 3, arg. 4 cum resp.

Et hinc apparet quod Deus, qui ante consecrationem erat ecclesiae praesens, sicut aliis rebus, per praesentiam, essentiam et potentiam, fit postea praesens altari, ecclesiae et aliis huiusmodi speciali modo, sicut novo instrumento ad excitandam reverentiam et devotionem circa divinum cultum. Perducitur autem ad complementum huiusmodi virtus cum divina huiusmodi assistentia actualiter utitur re consecrata ad excitandam devotionem, reverentiam, vel aliquem alium effectum ad quem res consecrata est facienda.

Consonare autem doctrinam hanc supra * dictis, et litterae huic, et his quae communiter opinamur de rebus inanimatis consecratis, facile patet applicando: praeter hoc quod probabilis valde est.

* Qu. lxii, art. 4, Comment.

Et haec de Eucharistia dicta pro nunc sufficiant.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CONVENIENTER ORDINENTUR EA QUAE CIRCA HOC SACRAMENTUM DICUNTUR

IV *Sent.*, dist. i, qu. i, art. 5, qu^a^ 1, ad 2; dist. viii, Expos. litt.; dist. xiii, Expos. litt.; dist. xv, qu. iv, art. 3, qu^a^ 1; I *ad Tim.*, cap. ii, lect. 1.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter ordinentur ea quae circa hoc sacramentum dicuntur. Hoc enim sacramentum verbis Christi consecratur: ut Ambrosius dicit, in libro *de Sacramentis* *. Non ergo debent aliqua alia in hoc sacramento dici quam verba Christi.

* Lib. IV, cap. iv. - Cf. can. *Panis est, de Consecr.*, dist. ii.

2. Praeterea, verba et facta Christi nobis per Evangelium innotescunt. Sed quaedam dicuntur circa consecrationem huius sacramenti quae in Evangeliis non ponuntur. Non enim legitur in Evangelio quod Christus in institutione huius sacramenti oculos ad caelum levaverit; similiter etiam in Evangeliis * dicitur, *Accipite et come-*

* Matt. cap. xxvi, vers. 26. - Cf. I *ad Cor.*, cap. xi, vers. 24.

dite, nec ponitur *omnes:* cum in celebratione huius sacramenti dicatur, *elevatis oculis in caelum,* et iterum, *Accipite et manducate ex hoc omnes.* Inconvenienter ergo huiusmodi verba dicuntur in celebratione huius sacramenti.

3. PRAETEREA, omnia alia [α] sacramenta ordinantur ad salutem omnium fidelium. Sed in celebratione aliorum sacramentorum non fit communis oratio pro salute omnium [β] fidelium et defunctorum. Ergo inconvenienter fit in hoc sacramento.

4. PRAETEREA, baptismus dicitur specialiter *fidei sacramentum* *. Ea ergo quae pertinent ad instructionem fidei, magis debent circa baptismum tradi quam circa hoc sacramentum: sicut doctrina Apostolica et Evangelica.

* Ambr. *De Spirit. Sanct.* lib. I, cap. III, num. 42; Aug. Epist. XCVIII, aliter XXIII, *ad Bonifac.*, num. 9.

5. PRAETEREA, in omni sacramento exigitur devotio fidelium. Non ergo magis in hoc sacramento quam in aliis deberet devotio fidelium excitari per laudes divinas et per admonitiones: puta cum dicitur, *Sursum corda.*

6. PRAETEREA, minister huius sacramenti est sacerdos, ut dictum est *. Omnia ergo quae in hoc sacramento dicuntur, a sacerdote dici deberent: et non quaedam a ministris, quaedam a choro.

* Qu. LXXXII, art. 1.

7. PRAETEREA, hoc sacramentum per certitudinem operatur virtus divina. Superflue igitur sacerdos petit huius sacramenti perfectionem, cum dicit: *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus,* etc.

8. PRAETEREA, sacrificium novae legis multo est excellentius quam sacrificium antiquorum Patrum. Inconvenienter ergo sacerdos petit quod hoc sacrificium habeatur sicut sacrificium Abel, Abrahae et Melchisedech.

9. PRAETEREA, corpus Christi, sicut non incoepit [γ] esse in hoc sacramento per loci mutationem, ut supra * dictum est, ita etiam nec esse desinit. Inconvenienter ergo sacerdos petit: *Iube haec perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum.*

* Qu. LXXV, art. 2.

SED CONTRA EST quod dicitur *de Consecr.*, dist. I *: *Iacobus frater Domini secundum carnem, et Basilius Caesariensis episcopus, ediderunt* [δ] *missae celebrationem.* Ex quorum auctoritate patet convenienter singula circa hoc dici.

* Can. *Iacobus frater.*

RESPONDEO DICENDUM quod, quia in hoc sacramento totum mysterium nostrae salutis comprehenditur, ideo prae ceteris sacramentis cum maiori solemnitate agitur. Et quia scriptum est *Eccle.* IV *, *Custodi pedem tuum ingrediens domum Domini,* et *Eccli.* XVIII *, *Ante orationem praepara animam tuam,* ideo ante celebrationem huius mysterii, primo quidem praemittitur praeparatio quaedam ad digne agenda ea quae sequuntur. Cuius praeparationis prima pars est laus divina, quae fit in *introitu:* secundum illud Psalmi *: *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Et sumitur hoc, ut pluries, de Psalmis [ε], vel saltem cum Psalmo cantatur: quia, ut Dionysius dicit, in III cap. * *Eccles. Hier.*, Psalmi comprehendunt per modum laudis quidquid in sacra Scriptura continetur. – Secunda pars continet commemorationem praesentis miseriae, dum misericordia petitur, dicendo *Kyrie eleison* ter pro persona Patris; ter pro persona Filii, cum dicitur *Christe eleison;* et ter pro persona Spiritus Sancti, cum subditur *Kyrie eleison;* contra triplicem miseriam ignorantiae, culpae et poenae; vel ad significandum quod omnes Personae sunt in se invicem. – Tertia autem pars commemorat caelestem gloriam, ad quam tendimus post praesentem miseriam [ζ], dicendo, *Gloria in excelsis Deo.* Quae cantatur in festis, in quibus commemoratur caelestis gloria: intermittitur autem in officiis luctuosis, quae ad commemorationem miseriae pertinent. – Quarta autem pars continet *orationem,* quam sacerdos pro populo facit, ut digni habeantur tantis mysteriis.

* Vers. 17.
* Vers. 23.
* Ps. XLIX, vers. 23.
* § 4, 5.

Secundo autem praemittitur instructio fidelis populi: quia hoc sacramentum est *mysterium fidei,* ut supra * habitum est. Quae quidem instructio dispositive quidem fit per doctrinam Prophetarum et Apostolorum, quae in ecclesia legitur per lectores et subdiacones. Post quam *lectionem,* cantatur a choro *graduale,* quod significat profectum vitae; et *alleluia,* quod significat [η] spiritualem exultationem; vel *tractus,* in officiis luctuosis, qui significat spiritualem gemitum. Haec enim consequi debent in populo ex praedicta doctrina. – Perfecte autem populus instruitur per doctrinam Christi in *Evangelio* contentam: quae a summis ministris legitur, scilicet a diaconibus. Et quia Christo credimus tanquam divinae veritati, secundum illud Ioan. VIII *, *Si veritatem dico vobis, quare vos non creditis mihi?*, lecto Evangelio, *symbolum fidei* cantatur, in quo populus ostendit se per fidem doctrinae Christi assentire. Cantatur autem hoc symbolum in festis de quibus fit aliqua mentio in hoc symbolo, sicut in festis Christi et Beatae Virginis, et Apostolorum, qui hanc fidem fundaverunt, et in aliis huiusmodi.

* Qu. LXXVIII, art. 3, ad 5.
* Vers. 46.

Sic igitur populo praeparato et instructo, acceditur [θ] ad celebrationem mysterii. Quod quidem et offertur ut sacrificium, et consecratur et sumitur ut sacramentum: primo enim [ι] peragitur oblatio; secundo, consecratio materiae oblatae; tertio, perceptio eiusdem. Circa oblationem vero duo aguntur: scilicet laus populi, in cantu *offertorii,* per quod significatur laetitia offerentium;

α) *alia.* – Om. P. – *omnium* om. PI.
β) *omnium.* – Om. editiones; pro *et defunctorum, maxime defunctorum* sG, *vivorum et defunctorum* Ia, *defunctorum* F et editiones.
γ) *incoepit.* – *incipit* PDI et G vel sG.
δ) *ediderunt.* – *addiderunt* I; *Alias in scripturis addiderunt nobis* margo P.
ε) *Psalmis.* – P; *psalmo* plene I, *ps*o H, *psalterio* ed. *a,* $\overline{ps}$ ceteri. – Pro *Psalmo* quod plene AC*a*, *ps*o DE, *ps*s BG, *psalmus* P, $\overline{ps}$ ceteri. – Pro *Psalmi,* $\overline{ps}$ F, *in psalmis (comprehenditur).* ed. *a.*
ζ) *miseriam..* – *vitam et miseriam* editiones.
η) *profectum... significat.* – FIsG et editiones; om.
θ) *acceditur.* – *consequenter acceditur* F et tertia.
ι) *primo enim.* – *primo* Hbc, *unde primo* PFI, *(et sumitur; et secundum hoc) primo quidem* ed. *a.*

et *oratio* sacerdotis, qui petit ut oblatio populi sit Deo accepta. Unde, I *Paralip.* ϰ *, dixit David: *Ego in simplicitate cordis mei obtuli universa haec, et populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria:* et postea * orat, dicens: *Domine Deus, custodi hanc voluntatem.*

[ϰ * Cap. XXIX, vers. 17.] [* Vers. 18.]

Deinde, circa consecrationem, quae supernaturali virtute agitur, primo excitatur populus ad devotionem in *praefatione:* unde et monetur *sursum corda habere ad Dominum.* Et ideo, finita praefatione, populus cum devotione λ laudat divinitatem Christi cum angelis *, dicens, *Sanctus, Sanctus, Sanctus;* et humanitatem cum pueris *, dicens, *Benedictus qui venit.* – Deinde sacerdos secreto *commemorat,* primo quidem, illos pro quibus hoc sacrificium offertur, scilicet pro universali Ecclesia, et pro his qui *in sublimitate sunt constituti,* I *Tim.* II *; et specialiter quosdam *qui offerunt vel pro quibus offertur.* – Secundo, *commemorat sanctos,* quorum patrocinia implorat pro praedictis, cum dicit, *Communicantes et memoriam venerantes,* etc. – Tertio, petitionem concludit, cum dicit, *Hanc igitur oblationem* etc., ut fiat oblatio μ pro quibus offertur salutaris.

[λ] [* Isai. cap. VI, vers. 3.] [* Matth. cap. XXI, vers. 9, 15.] [* Vers. 2.] [μ]

Deinde accedit ad ipsam consecrationem. In qua primo petit consecrationis effectum, cum dicit, *Quam oblationem tu Deus.* – Secundo, consecrationem peragit per verba Salvatoris, cum dicit, *Qui pridie,* etc. – Tertio, excusat praesumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, cum dicit, *Unde et memores.* – Quarto, petit hoc sacrificium peractum esse Deo acceptum, cum dicit, *Supra quae propitio,* etc. – Quinto, petit huius sacrificii et sacramenti effectum: primo quidem, quantum ad ipsos sumentes, cum dicit, *Supplices te rogamus;* secundo, quantum ad mortuos, qui iam sumere non possunt, cum dicit, *Memento etiam, Domine,* etc.; tertio, specialiter quantum ad ipsos sacerdotes offerentes, cum dicit, *Nobis quoque peccatoribus* etc.

Deinde agitur de perceptione sacramenti. Et primo quidem, praeparatur populus ad percipiendum. Primo quidem, per orationem communem totius populi, quae est *Oratio Dominica,* in qua petimus *panem nostrum quotidianum nobis dari;* et etiam privatam, quam specialiter sacerdos pro populo offert, cum dicit, *Libera nos, quaesumus, Domine.* – Secundo, praeparatur populus per pacem, quae datur dicendo, *Agnus Dei:* est enim hoc sacramentum unitatis et pacis, ut supra * dictum est. In missis autem defunctorum, in quibus hoc sacrificium offertur non pro pace praesenti, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur.

[* Qu. LXVII, art. 2; qu. LXXIII, art. 3, ad 3; art. 4; qu. LXXIX, art. 1.]

Deinde sequitur perceptio sacramenti: primo percipiente sacerdote, et postmodum aliis dante; quia, ut dicit Dionysius, III cap. * *Eccles. Hier.,* qui aliis divina tradit, primo debet ipse particeps esse.

[* § 14.]

Ultimo autem tota missae celebratio in gratiarum actione terminatur: populo exultante pro sumptione mysterii, quod significat cantus post communionem; et sacerdote per orationem gratias offerente: sicut et Christus, celebrata Cena cum discipulis, *hymnum dixit,* ut dicitur Matth. XXVI *.

[* Vers. 30; Marc. cap. XIV, vers. 26.]

Ad primum ergo dicendum quod consecratio solis verbis Christi conficitur. Alia vero necesse fuit addere ad praeparationem populi sumentis, ut dictum est *.

[* In corpore.]

Ad secundum dicendum quod, sicut dicitur Ioan. ult. *, multa sunt a Domino facta vel dicta quae Evangelistae non scripserunt. Inter quae fuit hoc quod Dominus oculos levavit in caelum in Cena: quod tamen Ecclesia ex traditione Apostolorum habuit *. Rationabile enim videtur ut qui in suscitatione Lazari, ut habetur Ioan. XI *, et in oratione quam pro discipulis fecit, Ioan. XVII *, oculos levavit ad Patrem, in huius sacramenti institutione multo magis hoc fecerit, tanquam in re potiori.

[* Vers. 25; cap. XX, vers. 30.] [* Cf. cap. *Cum Marthae, de Celebrat. Missar.*] [* Vers. 41.] [* Vers. 1.]

Quod autem dicitur *manducate,* et non *comedite* ν, non differt quantum ad sensum. Nec multum refert quid dicatur: praesertim cum verba illa non sint de forma, ut supra * dictum est.

[ν] [* Qu. LXXVIII, art. 1, ad 2, 4.]

Quod autem additur *omnes,* intelligitur in verbis Evangelii, licet non exprimatur: quia ipse dixerat, Ioan. VI *: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

[* Vers. 54.]

Ad tertium dicendum quod Eucharistia est sacramentum totius ecclesiasticae unitatis *. Et ideo specialiter in hoc sacramento, magis quam in aliis, debet fieri mentio de omnibus quae pertinent ad salutem totius Ecclesiae.

[* Cf. loca cit. in corp., *Deinde agitur.*]

Ad quartum dicendum quod duplex est instructio ξ. Una, quae fit noviter imbuendis, scilicet catechumenis. Et talis instructio fit circa ο baptismum.

[ξ] [ο]

Alia autem est instructio in qua instruitur fidelis populus, qui communicat huic mysterio. Et talis instructio fit in hoc sacramento. – Et tamen ab hac instructione non repelluntur etiam catechumeni et infideles. Unde dicitur *de Consecr.,* dist. I *: *Episcopus nullum prohibeat ecclesiam ingredi et audire verbum Dei, sive gentilem sive haereticum sive Iudaeum, usque ad missam catechumenorum,* in qua scilicet continetur instructio fidei.

[* Can. *Episcopus nullum.*]

Ad quintum dicendum quod in hoc sacramento maior devotio requiritur quam in aliis sacramentis, propter hoc quod in hoc sacramento totus Christus continetur. Et etiam communior: quia

---

ϰ) *Paralip.* – *XXIX* addunt F et tertia. – Ante *obtuli* addunt *diletus* H, *laetus* cetera tertia.

λ) *cum devotione.* – *devotione concepta* I, *concepta devotione* sG, *devote* H et editiones.

μ) *Hanc igitur oblationem etc., ut fiat oblatio.* – *haec oblatio sit* F, *ut haec oblatio* Ic, *ut haec oblatio sit illis* P, (*ut* super ras.) *haec oblatio sit illis (pro quibus offertur salutaris) cum dicit Hanc igitur* sG, *haec oblatio* ceteri.

ν) *manducate, et non comedite.* – *bibite et manducate* F, *manducate et comedite* tertia praeter G. – *quid dicatur* D et tertia; *quod dicatur.*

ξ) *instructio.* – *fidei* addunt F et tertia (*instructio fidei est duplex* editiones).

ο) *circa.* – *per* H et editiones; *Alias circa* margo P.

in hoc sacramento requiritur devotio totius populi, pro quo [π] sacrificium offertur, et non solum percipientium sacramentum, sicut in aliis sacramentis. Et ideo, sicut Cyprianus dicit *, *sacerdos, praefatione praemissa, parat fratrum mentes, dicendo, Sursum corda, ut, dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se cogitare quam Deum* [ρ].

* *De Orat. Dominic.*, num. 31.

Ad sextum dicendum quod in hoc sacramento, sicut dictum est *, tanguntur ea quae pertinent ad totam Ecclesiam. Et ideo quaedam dicuntur a choro, quae pertinent ad populum. Quorum quaedam chorus totaliter prosequitur: quae scilicet toti populo inspirantur. – Quaedam vero populus prosequitur, sacerdote inchoante, qui personam Dei gerit: in signum quod talia pervenerunt ad populum ex revelatione divina, sicut fides et gloria caelestis [σ]. Et ideo sacerdos inchoat symbolum fidei et *Gloria in excelsis Deo*. – Quaedam vero dicuntur per ministros, sicut doctrina novi et veteris [τ] Testamenti: in signum quod per ministros a Deo missos est haec doctrina populis nuntiata.

* Resp. ad 3.

Quaedam vero sacerdos solus prosequitur: quae scilicet ad proprium officium sacerdotis pertinent, *ut* scilicet *dona et preces offerat pro populo,* sicut dicitur Heb. v *. In his tamen quaedam dicit publice: quae scilicet pertinent et ad sacerdotem et ad populum, sicut sunt orationes communes. – Quaedam vero pertinent ad solum sacerdotem, sicut oblatio et consecratio. Et ideo quae circa haec sunt dicenda, occulte a sacerdote dicuntur. – In utrisque tamen excitat attentionem populi, dicendo, *Dominus vobiscum;* et expectat assensum dicentium, *Amen.* Et ideo in his quae secreto dicuntur, publice praemittit, *Dominus vobiscum,* et subiungit, *Per omnia saecula saeculorum.* – Vel secrete aliqua sacerdos dicit in signum quod, circa Christi passionem, discipuli non nisi occulte Christum confitebantur.

* Vers. 1.

Ad septimum dicendum quod efficacia verborum sacramentalium impediri potest per intentionem sacerdotis. – Nec tamen est inconveniens quod a Deo petamus id quod certissime scimus ipsum facturum: sicut Christus, Ioan. xvii *, petiit suam clarificationem.

* Vers. 1, 5.

Non tamen ibi videtur sacerdos orare ut consecratio impleatur, sed ut nobis fiat fructuosa: unde signanter dicit, *ut nobis corpus et sanguis fiat.* Et hoc significant verba quae praemittit dicens: *Hanc oblationem facere digneris benedictam,* secundum Augustinum *, idest, *per quam benedicimur* [υ], scilicet per gratiam; *adscriptam,* idest, *per quam in caelo adscribimur; ratam,* idest, *per quam visceribus Christi censeamur; rationabilem,* idest, *per quam a bestiali sensu exuamur; acceptabilem,* idest, *ut, qui nobis ipsis displicemus, per hanc acceptabiles eius unico Filio simus.*

* Paschas. *lib. de Corp. et Sang. Dom.*, cap. xii. - Cf. can. *Utrum sub figura*, de *Consecr.*, dist. II.

Ad octavum dicendum quod, licet hoc sacrificium ex seipso praeferatur omnibus antiquis sacrificiis, tamen sacrificia antiquorum fuerunt Deo acceptissima ex eorum devotione. Petit ergo sacerdos ut hoc sacrificium acceptetur Deo [φ] ex devotione offerentium, sicut illa accepta fuerunt Deo.

Ad nonum dicendum quod sacerdos non petit quod [χ] species sacramentales deferantur in caelum; neque corpus Christi verum, quod ibi esse non desinit. Sed petit hoc pro corpore mystico, quod scilicet in hoc sacramento significatur: ut scilicet orationes et populi et sacerdotis angelus assistens divinis mysteriis Deo repraesentet; secundum illud *Apoc.* viii *: *Ascendit fumus incensorum de oblationibus sanctorum de manu angeli.* – *Sublime* autem *altare Dei* dicitur vel ipsa Ecclesia triumphans, in quam transferri petimus: vel ipse Deus, cuius participationem petimus; de hoc enim [ψ] altari dicitur *Exod.* xx *: *Non ascendes ad altare meum per gradus,* idest, *In Trinitate gradus non facies* *.

* Vers. 4.

* Vers. 26.

* Gloss. Interlin.

Vel per angelum intelligitur ipse Christus, qui est *magni consilii Angelus* *, qui corpus suum mysticum Deo Patri coniungit et Ecclesiae triumphanti.

* Isai. cap. ix, vers. 6, sec. LXX Interp.

Et propter hoc etiam *missa* nominatur. Quia per angelum sacerdos preces ad Deum *mittit:* sicut populus per sacerdotem. Vel quia Christus est hostia [ω] nobis *missa.* Unde et in fine missae diaconus in festis diebus populum licentiat, dicens: *Ite, missa est,* scilicet hostia ad Deum per angelum, ut scilicet sit Deo accepta.

π) *pro quo.* – Haec et cetera huius solutionis H*b* ponunt in corpore articuli versus finem ante *Deinde agitur de perceptione sacramenti;* neutro loco ea habet *c.*

ρ) *se cogitare quam Deum.* – *cogitare quam Deum* F, *se quam Deum cogitare debere* PI.

σ) *caelestis.* – Tertia; om. D, *in excelsis* ceteri.

τ) *novi et veteris.* – *novae legis et veteris* F, *novi vel veteris* G, *veteris vel novi* H*b*, *veteris et novi* PIc.

υ) *benedicimur.* – *benedicamur* PI. Pro *adscribimur, adscribuntur* DEFpG, *adscribamur* P; *scilicet... adscribimur* om. I. Pro *visceribus Christi, de visceribus Christi esse* P.

φ) *Deo.* – *a Deo* P.

χ) *quod.* – *videlicet quod* HpG et *bc*, *neque quod* P.

ψ) *enim.* – Tertia; *autem.*

ω) *est hostia.* – *est hostia est* ABC, *hostia est* Ia. – Post *missa* F et tertia addunt *a Deo.*

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM EA QUAE IN CELEBRATIONE HUIUS SACRAMENTI AGUNTUR, SINT CONVENIENTIA

IV *Sent.*, dist. XII, Expos. litt.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ea quae in celebratione huius sacramenti aguntur, non sunt convenientia. Hoc enim sacramentum ad novum Testamentum pertinet, ut ex forma ipsius apparet. In novo autem Testamento non sunt observandae caeremoniae veteris Testamenti. Ad quas pertinebat quod sacerdos et ministri aqua lavabantur quando accedebant ad offerendum: legi-
* Vers. 19, 20. α tur enim *Exod.* XXX [α] *: *Lavabunt Aaron et filii eius manus suas ac pedes quando ingressuri sunt ad altare.* Non est ergo conveniens quod sacerdos lavet manus suas inter missarum solemnia.

* Vers. 7. 2. PRAETEREA, ibidem * Dominus mandavit
β quod sacerdos [β] *adoleret incensum suave fragrans* super altare quod erat ante propitiatorium. Quod etiam pertinebat ad caeremoniam veteris Testamenti. Inconvenienter ergo sacerdos in missa thurificatione utitur.

3. PRAETEREA, ea quae in sacramentis Ecclesiae aguntur, non sunt iteranda. Inconvenienter
γ ergo sacerdos iterat [γ] crucesignationes super hoc sacramentum.

* Vers. 7. 4. PRAETEREA, Apostolus dicit, *Heb.* VII *: *Sine ulla contradictione, quod minus est a maiori benedicitur.* Sed Christus, qui est in hoc sacramento post consecrationem, est multo maior sacerdote. Inconvenienter igitur sacerdos post consecrationem benedicit hoc sacramentum cruce signando.

5. PRAETEREA, in sacramento Ecclesiae nihil debet fieri quod ridiculosum videatur. Videtur autem ridiculosum gesticulationes facere: ad quas pertinere videtur quod sacerdos quandoque brachia extendit, manus iungit, digitos complicat,
δ et seipsum incurvat [δ]. Ergo hoc non debet fieri in hoc sacramento.

6. PRAETEREA, ridiculosum etiam videtur quod sacerdos multoties se ad populum vertit, multo-
ε ties etiam populum salutat [ε]. Non ergo debent haec fieri in celebratione huius sacramenti.

* Vers. 13. 7. PRAETEREA, Apostolus, I *Cor.* I *, pro inconvenienti habet quod *Christus sit divisus.* Sed post consecrationem Christus est in hoc sacramento. Inconvenienter igitur hostia frangitur a sacerdote.

8. PRAETEREA, ea quae in hoc sacramento aguntur, passionem Christi repraesentant. Sed in passione Christi corpus fuit divisum in locis quinque vulnerum. Ergo corpus Christi in quinque partes frangi debet, magis quam in tres.

9. PRAETEREA, totum corpus Christi in hoc sacramento seorsum consecratur a sanguine. Inconvenienter igitur una pars eius sanguini miscetur.

10. PRAETEREA, sicut corpus Christi proponitur in hoc sacramento ut cibus, ita et sanguis Christi ut potus. Sed sumptioni corporis Christi non adiungitur in celebratione missae alius corporalis cibus. Inconvenienter igitur sacerdos, post sumptionem sanguinis Christi, vinum non consecratum sumit.

11. PRAETEREA, veritas debet respondere figurae. Sed de agno paschali, qui fuit figura huius sacramenti, mandatur quod *non remaneret ex eo quidquam usque mane* *. Inconvenienter ergo ho- * *Exod.* cap. XII, vers. 10.
stiae consecratae reservantur, et non statim sumuntur.

12. PRAETEREA, sacerdos pluraliter loquitur audientibus: puta cum dicit, *Dominus vobiscum*, et, *Gratias agamus.* Sed inconveniens videtur pluraliter loqui uni soli, et maxime minori. Ergo inconveniens videtur quod sacerdos, uno tantum ministro praesente, celebret missam.

Sic igitur videtur quod inconvenienter aliqua agantur in celebratione huius sacramenti.

SED IN CONTRARIUM EST Ecclesiae consuetudo, quae errare non potest, utpote Spiritu Sancto instructa.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum * Qu. LX, art. 6.
est, in sacramentis aliquid dupliciter significatur, scilicet verbis et factis, ad hoc quod sit perfectior significatio. Significantur autem verbis in celebratione huius sacramenti quaedam pertinentia ad passionem Christi, quae repraesentatur in hoc sacramento; vel etiam ad corpus mysticum, quod significatur in hoc sacramento; et quae-
dam pertinentia ad usum sacramenti, qui debet [ζ] ζ
esse cum devotione et reverentia. Et ideo in celebratione huius mysterii quaedam aguntur ad repraesentandum passionem Christi; vel etiam dispositionem corporis mystici; et quaedam aguntur pertinentia ad devotionem et reverentiam
usus [η] huius sacramenti. η

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ablutio manuum fit in celebratione missae propter reverentiam huius sacramenti. Et hoc dupliciter. Primo quidem, quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus nisi manibus ablutis. Unde indecens videtur quod ad tantum sacramentum aliquis accedat manibus, etiam corporaliter, inquinatis.

Secundo, propter significationem. Quia, ut Dionysius dicit, III cap. * *Eccles. Hier.*, extremitatum * § 10.
ablutio significat emundationem etiam a minimis

α) *XXX.* – P; *XXIX* (cf. vers. 4). – Post *ingressuri sunt* PFIsG addunt *tabernaculum testimonii et quando accessuri sunt.*

β) *sacerdos.* – *scilicet Aaron* F, *Aaron* P. – Pro *caeremoniam*, *caeremonias* F et tertia.

γ) *iterat.* – *multoties iterat* F et tertia.

δ) *incurvat.* – *inclinat* editiones; *Alias incurvat* margo P.

ε) *multoties etiam populum salutat.* – *multoties salutat* F, *et multoties populum salutet* P.

ζ) *qui debet.* – PI; *quae debent* GHabc, *quae debet* ceteri.

η) *usus.* – Om. FHpG et editiones.

* Vers. 10. peccatis: secundum illud Ioan. XIII *: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* Et talis emundatio requiritur ab eo qui accedit ad hoc sacramentum. Quod etiam significatur per confessionem quae fit ante introitum missae. Et hoc idem significabat ablutio sacerdotum in veteri lege: ut ibidem Dionysius dicit.

Nec tamen Ecclesia hoc servat tanquam caeremoniale veteris legis praeceptum, sed quasi ab Ecclesia institutum, sicut [θ] quiddam secundum se conveniens. Et ideo non eodem modo observatur sicut tunc. Praetermittitur enim pedum ablutio, et servatur ablutio manuum, quae potest fieri magis in promptu, et quae [ι] sufficit ad significandam perfectam munditiam. Cum enim manus sit *organum organorum*, ut dicitur in III *de Anima* *, omnia [κ] opera attribuuntur manibus. Unde et in Psalmo * dicitur: *Lavabo inter innocentes manus meas.*

* Cap. VIII, n. 2. - S. Th. lect. XIII.
* Ps. XXV, vers. 6.

Ad secundum dicendum quod thurificatione non utimur quasi caeremoniali praecepto legis, sed sicut Ecclesiae statuto. Unde non eodem modo utimur sicut in veteri lege erat statutum.

Pertinet autem ad duo. Primo quidem, ad reverentiam huius sacramenti: ut scilicet per bonum odorem depellatur si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem.

Secundo, pertinet ad repraesentandum effectum gratiae, qua, sicut bono odore, Christus plenus fuit, secundum illud *Gen.* XXVII *, *Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni;* et a Christo derivatur ad fideles officio ministrorum, secundum illud II *Cor.* II *, *Odorem notitiae suae spargit per nos in omni loco.* Et ideo, undique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem.

* Vers. 27.
* Vers. 14.

Ad tertium dicendum quod sacerdos in celebratione missae utitur crucesignatione ad exprimendam passionem Christi, quae ad crucem est terminata. Est autem passio Christi quibusdam quasi gradibus peracta. Nam primo fuit Christi traditio: quae facta est a Deo [λ], a Iuda, et a Iudaeis. Quod significat trina crucesignatio super illa verba: *Haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata.*

Secundo fuit Christi venditio. Est autem venditus sacerdotibus, scribis et pharisaeis. Ad quod significandum fit iterum trina crucesignatio super illa verba, *benedictam, adscriptam, ratam.* – Vel ad ostendendum pretium venditionis, scilicet triginta denarios. – Additur autem et duplex super illa verba, *ut nobis corpus et sanguis*, etc., ad designandam personam Iudae venditoris et Christi venditi [μ].

Tertio autem fuit praesignatio passionis Christi facta in Cena. Ad quod designandum, fiunt tertio duae cruces, una in consecratione corporis, alia in consecratione sanguinis, ubi utrobique dicitur *benedixit.*

Quarto autem fuit ipsa passio Christi. Unde, ad repraesentandum quinque plagas, fit quarto quintuplex crucesignatio super illa verba, *hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitae aeternae, et calicem salutis perpetuae.*

Quinto, repraesentatur extensio corporis, et effusio sanguinis, et fructus passionis, per trinam crucesignationem quae fit super illis verbis, *corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione* etc.

Sexto, repraesentatur triplex oratio quam fecit in cruce: unam pro persecutoribus, cum dixit, *Pater, ignosce illis;* secundam pro liberatione a morte, cum dixit, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* tertia pertinet ad adeptionem gloriae, cum dixit, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Et ad hoc significandum, fit trina crucesignatio super illa verba, *sanctificas, vivificas, benedicis,* etc.

Septimo, repraesentantur tres horae quibus pependit in cruce, scilicet a sexta hora usque ad nonam. Et ad hoc significandum, fit iterum trina crucesignatio ad illa verba, *per ipsum, et cum ipso, et in ipso.*

Octavo autem, repraesentatur separatio animae a corpore, per duas cruces subsequentes extra calicem factas.

Nono autem, repraesentatur resurrectio tertia die facta, per tres cruces quae fiunt ad illa verba, *Pax Domini sit semper vobiscum.*

Potest autem brevius dici quod consecratio huius sacramenti, et acceptio sacrificii, et fructus eius, procedit ex virtute crucis Christi. Et ideo, ubicumque fit mentio de aliquo horum, sacerdos crucesignatione utitur.

Ad quartum dicendum quod sacerdos post consecrationem non utitur crucesignatione ad benedicendum et consecrandum: sed solum ad commemorandum virtutem crucis et modum passionis Christi, ut ex dictis * patet. * Resp. ad 3.

Ad quintum dicendum quod ea quae sacerdos in missa facit, non sunt ridiculosae gesticulationes: fiunt enim ad aliquid repraesentandum. Quod enim sacerdos brachia extendit post consecrationem, significat extensionem brachiorum Christi in cruce.

Levat etiam manus orando, ad designandum quod oratio eius pro populo dirigitur ad Deum: secundum illud *Thren.* III *: *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in caelum.* Et *Exod.* XVII * dicitur quod, *cum levaret Moyses manus, vincebat Israel.*

* Vers. 41.
* Vers. 11.

Quod autem manus interdum iungit, et inclinat se, suppliciter et humiliter orans [ν], designat

θ) *sicut.* – PFsG et *c*; *sed in (quodam)* E, *et non* I, *et est* ed. *a*, *sed est* ceteri.
ι) *et quae.* – *quae magis* pG, *et quae magis* HsG et *bc*; in G lectio primae manus restituitur; *Alias, quae magis sufficit* margo P. – Pro *munditiam, mundationem* editiones.
κ) *de Anima, omnia.* – *de Anima* CDEHpG et *abc*, *de omnia* F.
λ) *a Deo.* – PFI et recenti manu B; om.
μ) *et Christi venditi.* – F et tertia; *et venditi* recenti manu B, om. ceteri.
ν) *suppliciter et humiliter orans.* – *est suppliciter et humiliter orantis et* PI.

humilitatem et obedientiam Christi, ex qua passus est.

Digitos autem iungit post consecrationem, scilicet pollicem cum indice, quibus corpus Christi consecratum tetigerat, ut, si qua particula digitis adhaeserat, non dispergatur. Quod pertinet ad reverentiam sacramenti.

AD SEXTUM DICENDUM quod quinquies se sacerdos vertit ad populum, ad designandum quod Dominus die resurrectionis quinquies se manifestavit, ut supra * dictum est in tractatu de resurrectione Christi.

* Qu. LV, art. 3, arg. 3.

Salutat autem septies populum, scilicet quinque vicibus quando se convertit ad populum, et bis quando se non convertit, scilicet ante praefationem cum dicit, *Dominus vobiscum*, et cum dicit, *Pax Domini sit semper vobiscum:* ad designandum septiformem gratiam Spiritus Sancti. – Episcopus autem celebrans in festis in prima salutatione dicit, *Pax vobis*, quod post resurrectionem dixit Dominus *, cuius personam repraesentat episcopus praecipue [ξ].

* Luc. cap. XXIV, vers. 36; Ioan. cap. XX, vers. 19, 21, 26.

AD SEPTIMUM DICENDUM quod fractio hostiae tria significat: primo quidem, ipsam divisionem corporis Christi, quae facta est in passione; secundo, distinctionem corporis mystici secundum diversos status; tertio, distributionem gratiarum procedentium ex passione Christi, ut Dionysius dicit, III cap. * *Eccles. Hier.* Unde talis fractio non inducit divisionem Christi.

* § 13.

AD OCTAVUM DICENDUM quod, sicut Sergius Papa dicit, et habetur in Decretis, *de Consecr.*, dist. II *: *Triforme est corpus Domini. Pars oblata in calicem missa corpus Christi quod iam resurrexit, demonstrat:* scilicet ipsum Christum, et Beatam Virginem, vel si qui alii sancti cum corporibus sunt [o] in gloria. *Pars comesta ambulans adhuc super terram:* quia scilicet viventes in terra sacramento uniuntur [π]; et passionibus conteruntur, sicut panis comestus atteritur dentibus. *Pars in altari usque ad finem missae remanens est corpus Christi* [ρ] *in sepulcro remanens: quia usque in finem saeculi corpora sanctorum in sepulcris erunt:* quorum tamen animae sunt vel in purgatorio vel in caelo. Hic tamen ritus non servatur modo: ut scilicet una pars servetur usque in finem missae [σ]. Manet tamen eadem significatio partium. Quam quidam metrice expresserunt, dicentes: *Hostia dividitur in partes, tincta beatos Plene, sicca notat vivos, servata sepultos.*

* Can. *Triforme est.* - Cf. Friedberg, ibid., not. 251.

Quidam * tamen dicunt quod pars in calicem missa significat eos qui vivunt in hoc mundo; pars autem extra calicem servata significat plene beatos quantum ad animam et corpus; pars autem comesta significat ceteros.

* Autissiodorens. *Summ.* lib. IV, *de Euchar.*, cap. *de Fractione form.*, qu. 3.

AD NONUM DICENDUM quod per calicem duo possunt significari. Uno modo, ipsa passio *, quae repraesentatur in hoc sacramento. Et secundum hoc, per partem in calicem missam significantur illi qui adhuc sunt participes passionum Christi.

* Matth. cap. XXVI, vers. 39, 42; Marc. cap. XIV, vers. 36; Luc. cap. XXII, vers. 42; Ioan. cap. XVIII, vers. 11.

Alio modo, potest significari fruitio beata *, quae etiam in hoc sacramento praefiguratur. Et ideo illi quorum corpora iam sunt in plena beatitudine, significantur per partem in calicem missam.

* Ps. XXII, vers. 5.

Et est notandum quod pars in calicem missa non debet populo dari in supplementum communionis: quia *panem intinctum* non porrexit Christus nisi Iudae proditori *.

* Ioan. cap. XIII, vers. 26.

AD DECIMUM DICENDUM quod vinum, ratione suae humiditatis, est ablutivum. Et ideo sumitur post perceptionem huius sacramenti, ad abluendum os, ne aliquae reliquiae remaneant: quod pertinet ad reverentiam sacramenti. Unde Extra, *de Celebrat. Miss.*, cap. *Ex parte* *: *Sacerdos vino os perfundere debet postquam totum percepit sacramentum: nisi cum eodem die missam aliam debuerit celebrare, ne, si forte vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret.* – Et eadem ratione perfundit vino digitos quibus corpus Christi tetigerat.

* *Ex parte vestra.*

AD UNDECIMUM DICENDUM quod veritas quantum ad aliquid debet respondere figurae: quia scilicet non debet pars hostiae consecratae de qua sacerdos et ministri, vel etiam populus communicat, in crastinum reservari. Unde, ut habetur *de Consecr.* dist. II *, Clemens Papa statuit: *Tanta holocausta in altario offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore et tremore clericorum diligentia consumantur.*

* Can. *Tribus gradibus.* - Cf. Friedberg. ibid. not. 257.

Quia tamen hoc sacramentum quotidie sumendum est, non autem agnus paschalis quotidie sumebatur; ideo oportet alias hostias consecratas pro infirmis conservare. Unde in eadem distinctione * legitur: *Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam: ut, quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.*

* Can. *Presbyter.*

AD DUODECIMUM DICENDUM quod in solemni celebratione missae plures debent adesse. Unde Soter Papa dicit, ut habetur *de Consecr.*, dist. I *: *Hoc quoque statutum est, ut nullus presbyterorum missarum solemnia celebrare praesumat, nisi, duobus praesentibus sibique respondentibus, ipse tertius habeatur: quia, cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, et illud in secretis, Orate pro me, apertissime convenit ut ipsi* [τ] *respondeatur salutationi.* Unde et, ad maiorem solemnitatem, ibidem * statutum legitur quod episcopus cum pluribus missarum solemnia peragat.

* Can. *Hoc quoque.*

* Can. *Episcopus Deo.*

In missis tamen privatis sufficit unum habere ministrum, qui gerit personam totius populi Catholici, ex cuius persona sacerdoti pluraliter respondet.

ξ) *praecipue.* – Om. FGH, ante *repraesentat* ponunt Pc.

o) *sunt.* – *iam sunt* tertia.

π) *uniuntur.* – *utuntur* PIsG; *Alias uniuntur* margo P. – Pro *atteritur, conteritur* editiones et *a*.

ρ) *est corpus Christi.* – *est corpus* I, *corpus* P; *remanens* om. tertia; *usque in finem saeculi* ut nos post *quia* tertia, ante et post F, ante ceteri; pro *sanctorum, mortuorum sanctorum* GH*bc*.

σ) *missae.* – *propter periculum* addunt PIsG et *c*.

τ) *ipsi.* – *ipsius* PFIc, *ad ipsam (respondeatur salutationem) b*.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM POSSIT SUFFICIENTER OCCURRI DEFECTIBUS QUI CIRCA CELEBRATIONEM HUIUS SACRAMENTI OCCURRUNT, STATUTA ECCLESIAE OBSERVANDO

IV *Sent.*, dist. XI, Expos. litt.; dist. XIII, Expos. litt.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non possit sufficienter occurri defectibus qui circa celebrationem huius sacramenti occurrunt, statuta Ecclesiae observando. Contingit enim quandoque quod sacerdos, ante consecrationem vel post, moritur vel alienatur, vel aliqua alia infirmitate praepeditur [α] ne sacramentum sumere possit et missam perficere. Ergo videtur quod non possit impleri statutum Ecclesiae quo praecipitur quod sacerdos consecrans suo sacrificio communicet *.

* Cf. qu. LXXX, art. 12.

2. PRAETEREA, contingit quandoque quod sacerdos, ante consecrationem vel post, recolit se aliquid comedisse vel bibisse, vel alicui mortali peccato subiacere, vel etiam excommunicationi, cuius prius memoriam non habebat. Necesse est ergo quod ille qui est in tali articulo constitutus, peccet mortaliter contra statutum Ecclesiae faciens [β], sive sumat sive non sumat.

3. PRAETEREA, contingit quandoque quod in calicem [γ] musca aut aranea vel aliquod animal venenosum cadit post consecrationem; vel etiam cognoscit sacerdos calici venenum esse immissum ab aliquo malevolo causa occidendi ipsum. In quo casu, si sumat, videtur peccare mortaliter, se occidendo vel Deum tentando. Similiter, si non sumat, peccat, contra statutum Ecclesiae faciens. Ergo videtur esse perplexus et subiectus necessitati peccandi. Quod est inconveniens.

4. PRAETEREA, contingit [δ] quod per negligentiam ministri aut aqua non ponitur in calice, aut etiam nec vinum, et hoc sacerdos advertit. Ergo in hoc etiam casu videtur esse perplexus: sive sumat corpus sine sanguine, quasi imperfectum faciens sacrificium [ε]; sive non sumens nec corpus nec sanguinem.

5. PRAETEREA, contingit [ζ] quod sacerdos non recolit se dixisse verba consecrationis, vel etiam alia quae in consecratione huius sacramenti dicuntur. Videtur ergo peccare in hoc casu, sive reiteret verba super eandem materiam, quae forte iam dixerat; sive utatur pane et vino non consecratis quasi consecratis.

6. PRAETEREA, contingit quandoque, propter frigus, quod sacerdoti dilabitur hostia in calicem, sive ante fractionem sive post. In hoc ergo casu non poterit sacerdos implere ritum ecclesiae vel de ipsa fractione, vel etiam de hoc quod sola tertia pars mittatur in calicem.

7. PRAETEREA, contingit quandoque quod per negligentiam sacerdotis sanguis Christi effunditur; vel etiam quod sacerdos sacramentum sumptum vomit; aut quod etiam hostiae consecratae tandiu conserventur quod putrefiant; vel etiam quod a muribus corrodantur; vel etiam qualitercumque perdantur. In quibus casibus non videtur posse huic sacramento debita reverentia exhiberi secundum Ecclesiae statuta. Non videtur ergo quod his defectibus seu periculis occurri possit, salvis Ecclesiae statutis.

SED CONTRA EST quod, sicut Deus, sic Ecclesia *non praecipit aliquid impossibile* *.

* Cf. *Explanat. Symb., ad Damas.* (Ep. XVI inter Opp. Hieron.); *De Regulis Iuris*, reg. VI, in Sexto.

RESPONDEO DICENDUM quod periculis seu defectibus circa hoc sacramentum evenientibus dupliciter potest occurri. Uno modo, praeveniendo: ne scilicet periculum accidat. Alio modo, subsequendo: ut scilicet id quod accidit emendetur, vel adhibendo remedium, vel saltem per poenitentiam eius qui negligenter egit circa hoc sacramentum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, si sacerdos morte aut infirmitate gravi occupetur ante consecrationem corporis et sanguinis Domini, non oportet ut per alium suppleatur.

Si vero post incoeptam consecrationem hoc acciderit, puta consecrato corpore ante consecrationem sanguinis, vel etiam consecrato utroque, debet missae celebritas per alium expleri. Unde, ut habetur in Decretis, VII, qu. I, cap. *Nihil* *, in Toletano Concilio * legitur: *Censuimus convenire ut, cum a sacerdotibus missarum tempore sacra mysteria consecrantur* [η], *si aegritudinis accidit cuiuslibet eventus quo coeptum nequeat expleri mysterium, sit liberum episcopo vel presbytero alteri consecrationem exequi incoepti officii. Non enim aliud competit ad supplementum initiatis mysteriis* [θ] *quam aut incipientis aut subsequentis benedictione sint completa sacerdotis: quia nec perfecta videri possunt nisi perfecto ordine compleantur. Cum enim omnes simus unum in Christo, nihil contrarium diversitas personarum format, ubi efficaciam prosperitatis unitas fidei repraesentat. Nec* [ι] *tamen quod naturae languoris causa consulitur, in praesumptionis perniciem convertatur.*

* *Nihil contra ordinis.*

* VII, can. II.

α) *praepeditur.* – *impeditur* DI et editiones.

β) *faciens.* – D et tertia; om.

γ) *in calicem musca... cadit.* – Tertia praeter I; *musca... cadit in calicem* sI, *post consecrationem musca... cadit in calicem* (om. *post consecrationem*) F, *in calicem musca... cadit in calicem* ceteri.

δ) *contingit.* – *quandoque* addunt F et tertia.

ε) *sacrificium.* – *sacramentum* P; *Alias sacrificium* margo P. – Pro *sumens, sumat* FG et editiones.

ζ) *contingit.* – *quandoque* addunt F et tertia. – Pro *in consecratione, in consuetudine* F, *etiam* (om. PIc) *in celebratione* tertia.

η) *ut, cum... consecrantur.* – P; *ut cum... consecrentur* IsG et c, *ut... consecrentur* ceteri. – *alteri* PIsG; *alterius.*

θ) *mysteriis.* – Tertia; *scilicet mysteriis.* – Pro *quam aut... sint completa, quam ut aut... sint completa* P, *quam aut... completa* ceteri. – *possunt* F et tertia; *possint.*

ι) *Nec.* – *Ne* I et editiones. – *naturae* PGI; *nre* (idest *nostrae*) F, *vere* ceteri.

Nullus, absque patenti proventu [κ] *molestiae, minister vel sacerdos, cum coeperit, imperfecta officia praesumat omnino relinquere. Si quis hoc temerarie praesumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.*

Ad secundum dicendum quod, ubi difficultas occurrit, semper est accipiendum illud quod habet minus de periculo. Maxime autem periculosum circa hoc sacramentum est quod est contra perfectionem ipsius sacramenti: quia hoc est immane sacrilegium. Minus autem est illud quod pertinet ad qualitatem sumentis. Et ideo, si sacerdos, post consecrationem incoeptam, recordetur aliquid comedisse vel bibisse, nihilominus debet perficere sacrificium et sumere sacramentum. – Similiter, si recordetur se peccatum aliquod commisisse, debet poenitere cum proposito confitendi et satisfaciendi: et sic non indigne, sed fructuose sumere sacramentum. – Et eadem ratio est si se meminerit excommunicationi cuicumque subiacere. Debet enim assumere propositum [λ] absolutionem petendi: et sic per invisibilem Pontificem, Iesum Christum, absolutionem consequitur quantum ad hunc actum, quod peragat divina mysteria.

Si vero ante consecrationem alicuius praedictorum sit memor, tutius reputarem, maxime in casu manducationis et excommunicationis, quod missam incoeptam desereret, nisi grave scandalum timeretur.

Ad tertium dicendum quod, si musca vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehenderit esse immissum, debet effundi, et, abluto calice, denuo aliud vinum poni consecrandum. – Si vero aliquid horum post consecrationem acciderit, debet animal caute capi, et diligenter lavari, et comburi, et ablutio, simul [μ] cum cineribus, in sacrarium mitti.

Si vero venenum ibi adesse deprehenderit immissum, nullo modo debet sumere nec alii dare, ne calix vitae vertatur in mortem: sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum reliquiis conservari. Et, ne sacramentum remaneat imperfectum, debet vinum [ν] apponere in calice, et denuo resumere a consecratione sanguinis, et sacrificium perficere.

Ad quartum dicendum quod, si sacerdos, ante consecrationem sanguinis et post consecrationem corporis, percipiat aut vinum aut aquam non esse in calice, debet statim apponere et consecrare. – Si vero hoc [ξ] post consecrationis verba perceperit, quod aqua desit, debet nihilominus procedere: quia appositio aquae, ut supra * [Qu. LXXIV, art. 7.] dictum est, non est de necessitate sacramenti. Debet tamen puniri ille ex cuius negligentia hoc contingit. Nullo autem modo debet aqua vino iam consecrato misceri: quia sequeretur corruptio sacramenti pro aliqua parte, ut supra * [Qu. LXXVII, art. 8.] dictum est.

Si vero percipiat post verba consecrationis quod vinum non fuerit positum in calice, si quidem hoc percipiat ante sumptionem corporis, debet, deposita aqua si ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, et resumere a verbis consecrationis sanguinis. – Si vero hoc perceperit post sumptionem corporis, debet apponere aliam hostiam iterum simul consecrandam cum sanguine. Quod ideo dico quia, si diceret sola verba consecrationis sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi: et, sicut dicitur in praedicto * [Resp. ad 1.] capitulo Toletani Concilii, *perfecta videri non possunt sacrificia nisi perfecto ordine compleantur.* Si vero inciperet a consecratione sanguinis et repeteret omnia verba consequentia, non competerent [ο] nisi adesset hostia consecrata: cum in verbis illis occurrant quaedam dicenda et fienda non solum circa sanguinem, sed etiam circa corpus. Et debet in fine sumere hostiam iterum [π] consecratam et sanguinem, non obstante etiam si prius sumpserit aquam quae erat in calice: quia praeceptum de perfectione sacramenti maioris est ponderis quam praeceptum quod hoc sacramentum a ieiunis sumatur, ut supra * [Resp. ad 2.] dictum est.

Ad quintum dicendum quod, licet sacerdos non recolat se dixisse aliqua eorum quae dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari. Non enim qui multa dicit, recolit omnium quae dixit: nisi forte in dicendo aliquid apprehenderit sub ratione iam dicti; sic enim aliquid efficitur memorabile [ρ]. Unde, si aliquis attente cogitet illud quod dicit, non tamen cogitet se dicere illud, non multum recolit postea se dixisse. Sic enim fit aliquid obiectum memoria, inquantum accipitur sub ratione praeteriti: sicut dicitur in libro *de Memoria* * [Al. *de Mem. et Remin.*, cap. 1; S. Th. lect. 1.].

Si tamen sacerdoti probabiliter constet se aliqua omisisse, si quidem non sunt de necessitate sacramenti, non aestimo quod propter hoc debeat resumere immutando ordinem sacrificii, sed debet ulterius procedere. – Si vero certificetur se omisisse aliquid eorum quae sunt de necessitate sacramenti, scilicet formam [σ] consecrationis, cum forma sit de necessitate sacramenti sicut et materia, idem videtur faciendum quod dictum est * [Resp. ad 4.] in defectu materiae: ut scilicet resumatur a forma consecrationis, et cetera per ordinem reiterentur, ne mutetur ordo sacrificii.

Ad sextum dicendum quod fractio hostiae consecratae, et quod pars una sola mittatur in calicem, respicit corpus mysticum: sicut et admixtio aquae significat populum * [Qu. LXXIV, art. 6.]. Et ideo horum praetermissio non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem huius sacramenti.

κ) *patenti proventu.* – *praeventu patentis* P.
λ) *propositum.* – *humiliter* addunt F et tertia. – Pro *consequitur*, *consequetur* editiones.
μ) *simul.* – Om. Pc.
ν) *vinum.* – *aliud vinum* tertia.
ξ) *hoc.* – Om. Pc.
ο) *competerent.* – *competeret* Pl.
π) *iterum.* – Ante *sumere* ponit P.
ρ) *memorabile.* – PHc; *memoriale* Fl*a*, *memoriabile* G*b*, *memo*[le] ceteri.
σ) *formam.* – *formas* tertia; *consecrationis* post sequens *sacramenti* ponunt GH*b*, utroque loco *c*, ante et post *cum forma* P.

* Can. *Si per negligentiam.* ** Primi.

AD SEPTIMUM DICENDUM quod, sicut legitur *de Consecr.*, dist. II *, ex Decreto Pii Papae **: *Si per negligentiam aliquid stillaverit de sanguine in tabula quae terrae adhaeret, lingua lambetur et tabula radetur. Si vero non fuerit tabula, terra radetur, et igni comburetur, et cinis intra altare condetur. Et sacerdos quadraginta dies poeniteat. – Si autem super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam. Et tribus diebus poeniteat. – Si super linteum altaris, et ad aliud stilla pervenerit, quatuor* [τ] *diebus poeniteat. Si usque ad tertium, novem diebus poeniteat. Si usque ad quartum, viginti diebus poeniteat. Et linteamina quae stilla tetigit, tribus vicibus lavet minister, calice subtus posito, et aqua ablutionis sumatur et iuxta altare recondatur.* Posset etiam sumi in potu a ministro, nisi propter abominationem dimitteretur. Quidam autem ulterius partem illam liteaminum incidunt et comburunt, et cinerem in altario vel sacrario reponunt.

* Can. *Si quis per ebrietatem.* ** Al. lib. *de Remediis Peccat.*, cap. *de Ebrietate.* - Inter dubia Bedae.

Subditur autem ibidem *, ex Poenitentiali ** Bedae Presbyteri: *Si quis per ebrietatem vel voracitatem Eucharistiam evomuerit, quadraginta diebus poeniteat* [υ]; *clerici vel monachi, seu diaconi vel presbyteri, sexaginta diebus; episcopus nonaginta. Si autem infirmitatis causa evomuerit, septem diebus poeniteat,*

* Can. *Qui bene.* - Cf. Friedberg. ibid., not. 1478.

Et in eadem distinctione * legitur, ex Concilio Aurelianensi [φ]: *Qui non bene custodierit sacrificium, et mus vel aliquod aliud animal in ecclesia comederit, quadraginta diebus poeniteat. – Qui autem perdiderit illud in ecclesia, aut pars eius ceciderit et non inventa fuerit, triginta diebus poeniteat.* – Et eadem poenitentia videtur dignus sacerdos per cuius negligentiam hostiae consecratae putrefiunt.

Praedictis autem diebus debet poenitens ieiunare et a communione cessare. Pensatis tamen conditionibus negotii et personae, potest minui vel addi ad poenitentiam praedictam.

Hoc tamen observandum est, quod, ubicumque species integrae inveniuntur, sunt reverenter observandae [χ], vel etiam sumendae: quia, manentibus speciebus, manet ibi corpus Christi, ut supra * dictum est. Ea vero in quibus inveniuntur, comburenda sunt si commode fieri potest, cinere in sacrario recondito: sicut de rasura tabulae dictum est.

* Qu. LXXVI, art. 6, ad 3; qu. LXXVII, art. 4, 5.

τ) *quatuor.* – *decem* editiones.
υ) *poeniteat.* – *si laicus est* addit P. – *sexaginta* D; *septuaginta* P, *quadraginta* ceteri (sed *a* om. *clerici... diebus*).
φ) *Aurelianensi.* – *Arelatensi* P. Pro *sacrificium*, *sacramentum* editiones, om. E; *alias sacrificium* margo P. Pro *in ecclesia*, *illud* P et recenti manu super ras. B.
χ) *observandae.* – *conservandae* PI.



QUAESTIO OCTOGESIMAQUARTA

DE POENITENTIA SECUNDUM QUOD EST SACRAMENTUM

IN DECEM ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LXVI, Introd. * Qu. LXXXVI. ** Qu. XC. * Supplement., qu. XVI. α * Ibid., qu. XVII. β * Ibid., qu. XXVIII.

CONSEQUENTER considerandum est de sacramento poenitentiae *. Circa quod primo considerandum est de ipsa poenitentia; secundo, de effectu ipsius *; tertio, de partibus eius **; quarto, de suscipientibus hoc sacramentum *; quinto, de potestate ministrorum α *; sexto, de solemni ritu β huius sacramenti *.

Circa primum duo sunt consideranda: primo, de poenitentia secundum quod est sacramentum; secundo, de poenitentia secundum quod est virtus *.

* Qu. LXXXV.

Circa primum quaeruntur decem.

Primo: utrum poenitentia sit sacramentum.
Secundo: de propria materia eius.
Tertio: de forma ipsius.
Quarto: utrum impositio manus requiratur ad hoc sacramentum.
Quinto: utrum hoc sacramentum sit de necessitate salutis.
Sexto: de ordine eius ad alia sacramenta.
Septimo: de institutione eius.
Octavo: de duratione ipsius.
Nono: de continuitate eius.
Decimo: utrum possit iterari.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM POENITENTIA SIT SACRAMENTUM

Supra, qu. LXV, art. 1; IV *Sent.*, dist. XIV, qu. 1, art. 1, qu[a] 1; dist. XXII, qu. II, art. 1.

* Vide Comment. Caiet. post art. 2. * Isidor. *Etymol.* lib. VI, cap. XIX. * Can. *Multi saecularium.*

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod poenitentia non sit sacramentum. Gregorius * enim dicit, et habetur in Decretis, I, qu. I *: *Sacramenta sunt baptisma, chrisma, corpus et sanguis Christi: quae ob id sacramenta dicuntur quia sub tegumento corporalium rerum divina virtus secretius operatur salutem.* Sed hoc non contingit in poenitentia: quia non adhibentur aliquae res corporales sub quibus divina virtus operetur salutem. Ergo poenitentia non est sacramentum.

* Vers. 1.

2. PRAETEREA, sacramenta Ecclesiae a ministris Christi exhibentur: secundum illud I *Cor.* IV *: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Sed poenitentia non exhibetur a ministris Christi, sed interius a Deo hominibus inspiratur: secundum illud Ierem. XXXI *: *Postquam convertisti me, egi poenitentiam.* Ergo videtur quod poenitentia non sit sacramentum.

* Vers. 19.

* Qu. LXVI sqq. * Qu. LXVI, art. 1; qu. LXXIII, art. 1, ad 3.

3. PRAETEREA, in sacramentis de quibus supra * diximus, est aliquid quod est *sacramentum tantum*, aliquid quod est *res et sacramentum*, aliquid vero quod est *res tantum*: ut ex praemissis * patet. Sed hoc non invenitur in poenitentia. Ergo poenitentia non est sacramentum.

* Vers. 22.

SED CONTRA EST quod, sicut baptismus adhibetur ad purificandum a peccato, ita et poenitentia: unde et Petrus dixit Simoni, *Act.* VIII *: *Poenitentiam age ab hac nequitia tua.* Sed baptismus est sacramentum, ut supra * dictum est. Ergo pari ratione et poenitentia.

* Qu. LXV, art. 1.

* Isidorus. * Arg. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Gregorius * dicit, in capite supra * dicto, *sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita fit ut aliquid significative accipiamus quod sancte accipiendum est.* Manifestum est autem quod in poenitentia ita res gesta fit quod aliquid sanctum significatur, tam ex parte peccatoris poenitentis, quam ex parte sacerdotis absolventis: nam peccator poenitens per ea quae agit γ et dicit, significat γ
cor suum a peccato recessisse; similiter etiam sacerdos per ea quae agit et dicit circa poenitentem, significat opus Dei remittentis peccatum. Unde manifestum est quod poenitentia quae in Ecclesia agitur, est sacramentum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod nomine corporalium rerum intelliguntur large etiam ipsi exteriores actus sensibiles, qui ita se habent in hoc sacramento sicut aqua in baptismo vel chrisma in confirmatione. Est autem attendendum quod in illis sacramentis in quibus confertur excellens gratia, quae superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exterius; sicut in baptismo, ubi fit plena remissio peccatorum et quantum ad culpam et quantum ad poenam; et in confirmatione, ubi datur Spiritus Sancti plenitudo; et in extrema unctione, ubi confertur perfecta sanitas δ spiritualis; quae δ
provenit ex virtute Christi quasi ex quodam ex-

α) *ministrorum.* – *quae ad claves pertinet* addit tertia.
β) *solemni ritu.* – *solemnitate* P.
γ) *agit.* – *facit* tertia. – *et dicit* FsB et tertia; *et dicit circa poenitentem* ACDEpB, *et dicit se poenitere* ed. *a.* – Pro *significat, ostendit* tertia.
δ) *sanitas.* – Tertia et *a*; *sanctitas.* – Pro *provenit, proveniunt* tertia.

trinseco principio. Unde si qui actus humani sunt in talibus sacramentis, non sunt de essentia materiae [ε] sacramentorum, sed dispositive se habent ad sacramenta. In illis autem sacramentis quae habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sensibiles [ζ] sunt loco materiae: ut accidit in poenitentia et matrimonio. Sicut etiam in medicinis corporalibus quaedam sunt res exterius adhibitae, sicut emplastra et electuaria; quaedam vero sunt actus sanandorum, puta exercitationes quaedam.

Ad secundum dicendum quod in sacramentis quae habent corporalem materiam, oportet quod illa materia adhibeatur a ministro Ecclesiae, qui gerit personam Christi, in signum quod excellentia virtutis in sacramento operantis est a Christo. In sacramento autem poenitentiae, sicut dictum est *, sunt actus humani pro materia, qui proveniunt ex inspiratione interna. Unde materia non adhibetur a ministro, sed a Deo interius operante: sed complementum sacramenti exhibet minister, dum poenitentem absolvit.

* Resp. ad 1.

Ad tertium dicendum quod etiam in poenitentia est aliquid quod est sacramentum tantum, scilicet actus exercitus [η] tam per peccatorem poenitentem, quam etiam per sacerdotem absolventem. Res autem et sacramentum est poenitentia interior peccatoris. Res autem tantum et non sacramentum est remissio peccati. Quorum primum totum simul sumptum est causa secundi; primum autem et secundum sunt [θ] causa tertii.

ε) *materiae.* – Om. tertia (I om. *sunt in talibus... ipsi actus humani*).
ζ) *sensibiles.* – Om. P; *Alias actus humani sensibiles* margo P.
η) *exercitus.* – *exterius exercitus* tertia. – *tam per peccatorem* F et tertia; *per peccatorem tam.*
θ) *sunt.* – *quodammodo* addit tertia. Cf. art. 3. κ.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM PECCATA SINT PROPRIA MATERIA HUIUS SACRAMENTI

Infra, qu. xc, art. 1, ad 3.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod peccata non sint propria materia huius sacramenti. Materia enim in aliis sacramentis per aliqua verba [α] sanctificatur, et sanctificata effectum sacramenti operatur. Peccata autem non possunt sanctificari: eo quod contrariantur effectui sacramenti, qui est gratia remittens peccata. Ergo peccata non sunt materia propria huius sacramenti.

2. Praeterea, Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* *: *Nullus potest inchoare novam vitam nisi eum veteris vitae poeniteat.* Sed ad vetustatem vitae pertinent non solum peccata, sed etiam poenalitates praesentis vitae. Non ergo peccata sunt propria materia poenitentiae.

* Serm. CCCLI, alias ult. inter Quinquag. homil., cap. II.

3. Praeterea, peccatorum quoddam est originale, quoddam mortale, quoddam veniale. Sed poenitentiae sacramentum non ordinatur contra originale peccatum, quod tollitur per baptismum; neque [β] etiam contra veniale, quod tollitur per tunsionem pectoris, et aquam benedictam, et alia huiusmodi. Ergo peccata non sunt propria materia poenitentiae.

Sed contra est quod Apostolus dicit, II *Cor.* xii *: *Non egerunt poenitentiam super immunditia et fornicatione et impudicitia quam gesserunt.*

* Vers. 21.

Respondeo dicendum quod duplex est materia, scilicet proxima et remota: sicut statuae proxima [γ] materia est metallum, remota vero aqua. Dictum est * autem quod proxima materia huius sacramenti sunt actus poenitentis: cuius materia sunt peccata, de quibus dolet, et quae confitetur, et pro quibus satisfacit. Unde relinquitur quod remota materia poenitentiae sunt peccata, non attentanda [δ], sed detestanda et destruenda.

* Art. praeced., ad 1, 2.

Ad primum ergo dicendum quod ratio illa procedit de proxima materia sacramenti.

Ad secundum dicendum quod vetus et mortalis vita est obiectum poenitentiae, non ratione poenae, sed ratione culpae annexae.

Ad tertium dicendum quod poenitentia quodammodo est de quolibet peccatorum genere, non tamen eodem modo. Nam de peccato actuali mortali est poenitentia proprie et principaliter: proprie quidem, quia proprie dicimur poenitere de his quae nostra voluntate commisimus; principaliter autem, quia ad deletionem peccati mortalis hoc sacramentum est institutum [ε]. – De peccatis autem venialibus est quaedam [ζ] poenitentia proprie, inquantum sunt nostra voluntate facta: non tamen contra haec principaliter est hoc sacramentum institutum. – De peccato vero originali poenitentia nec principaliter est, quia contra ipsum non ordinatur hoc sacramentum, sed magis baptismus: nec etiam proprie, quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum; nisi forte inquantum voluntas Adae reputatur nostra, secundum modum loquendi quo Apostolus dicit, *Rom.* v *, *In quo omnes peccaverunt* [η]. Inquantum tamen accipitur poenitentia large pro quacumque detestatione rei praeteritae, potest dici poenitentia de peccato originali: sicut loquitur Augustinus in libro *de Poenitentia* *.

* Vers. 12.

* Serm. cit. in arg. 2.

α) *verba.* – *prolata* addunt FI et editiones.
β) *neque.* – *contra peccatum mortale quod tollitur per confessionem peccatoris nec* addit P.
γ) *proxima.* – Ed. *a* et tertia praeter I; *propria.* – Pro *aqua, alia* I.
δ) *attentanda.* – *acceptanda* BDEF et tertia, *attestanda* ed. *a.* Pro *sed, et* B.
ε) *institutum.* – *principaliter institutum* tertia.
ζ) *quaedam.* – *quidem* tertia. – Pro *proprie, propria* F.
η) *peccaverunt.* – P; *peccamus* B, *peccavimus* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

* Cf. num. II, IV.

In primis duobus articulis tria dicenda occurrunt *. Primum, de materia sacramenti poenitentiae, ex qua cum forma constituitur sacramentum: an scilicet hoc sacramentum habeat materiam ex qua constituatur. Et movetur hoc dubium propter Scotum, in Quarto, dist. XVI, qu. I, dicentem huius sacramenti nullam partem esse actum poenitentis, sed sacramentum hoc essentialiter consistere in absolutione; ita quod secundum eum sacramentum poenitentiae non constituitur ex materia et forma; contra communem doctrinam, in I distinctione * IV *Sent.*; immo contra doctrinam sacri Concilii sub Eugenio IV *, ubi dicitur quod *omnia sacramenta constant ex rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma,* et specialiter de sacramento poenitentiae dicitur, *cuius quasi materia sunt actus poenitentis.*

* Cap. *Sunt autem.*
* Conc. Florent., in *Decret. pro Armen.*

Nec ratio Scoti valet, scilicet, quia nullus actus poenitentis est aliquid sententiae sacerdotis: quoniam supponit haec ratio sacramentum hoc consistere essentialiter in sola absolutione.

Quocirca, sequendo et communem et sacri Concilii doctrinam, dicendum est sacramentum poenitentiae constare ex verbis absolutionis ut forma, et actu seu actibus poenitentis ut materia proxima. Nec alia quaerenda est de hoc ratio nisi auctoritas utraque iam adducta, et consonantia: quia scilicet consonant conditiones sacramenti huic toti constituto ex actu poenitentis et absolutione, et in significando, et in causando, et in passiva institutione divina.

II. Secundum est circa rem huius sacramenti, quae scilicet est et res et sacramentum *: an scilicet sit interior poenitentia, an *ornatus* aliquis *. Et quoniam magna videtur altercatio de ornatu; nec intentionis meae est scribere ad contradicendum aliis: dimissa unicuique probabilitate suae opinionis, dicam quid secundum Auctorem et rationem rectam videtur sentiendum.

* Cf. art. I, ad 3.
* Cf. Hal. *Sum. Theol.* p. IV, qu. V, m. 3, art. 5, § 1; m. 4, art. 1; Durand. IV *Sent.*, dist. I, qu. IV; Scot. ibid., qu. V.

De sacramentis nil aliud sentiendum est nisi quod accepimus. Ex acceptis autem, tam ex parte causalitatis attributae sacramento, quam ex parte rei et sacramenti, quam etiam ex parte subiecti disponendi ad gratiam, ultimum sacramenti effectum, nec necessario nec probabiliter ornatus ponitur.

Nam causalitas sacramenti sufficienter salvatur respectu gratiae, etiam si nihil aliud causaret.

Res vero et sacramentum sufficienter salvatur hic per interiorem poenitentiam.

Dispositio autem ad gratiam, quae tamen tantum ponderatur a ponentibus ornatum, tripliciter monstratur aliena ab ornatu. Primo, ex parte gratiae. Quoniam gratia non est talis forma in anima ut egeat alia forma praedisponente ad ipsam. Fallax siquidem imaginatio est putare quod, sicut lignum, si debet igniri, debet prius calefieri, ut calor disponat ad formam ignis, ita anima, si debet per gratiam fieri deiformis, debet prius ornari. Nullam siquidem talem dispositionem gratia exigit: ut patet in infantibus baptizatis, quibus infunditur gratia absque aliqua alia forma praedisponente. – Nec obstat character. Quoniam, ut ex supra * dictis patet, character non ponitur ut disponat ad gratiam. Quod eius subiectum, quod est intellectus, testatur: dispositio enim ad gratiam, quae est in essentia animae, non est in intellectu, ut de se patet.

* Qu. LXIII, art. 4, Comment. num. II, III.

Secundo, ex parte adultorum, quibus tantum confertur sacramentum poenitentiae. Nam in adultis dispositio ad gratiam est proprius actus ipsius adulti: iuxta illud, *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te* *; et iuxta supra dicta in Secundo Libro * de iustificatione impii.

* Aug. Serm. *ad Popul.* CLXIX, al. *de Verb. Dom.* XV, cap. XI.
* I^a II^ae, qu. CXII, art. 2; qu. CXIII, art. 3.

Tertio, ex parte poenitentis. Poenitens enim, inquantum poenitens, non disponitur nisi per actus poenitentiae: omnis enim alia dispositio per accidens se haberet ad poenitentem. Et propterea, si ornatus poneretur disponere, non nisi per accidens concurreret ad disponendum poenitentem. Quod autem est per accidens, non est per se tribuendum sacramento poenitentiae.

Commentitius ergo videtur ornatus huiusmodi: sed, ut in littera dicitur *, interior poenitentia est res et sacramentum.

* Art. I, ad 3.

III. Et si modum quaeris ac sufficientem rationem, distingue trifariam posse inveniri poenitentem. Primo, ut sit ita attritus quod eius attritio, cum sacramento poenitentiae in voto, sufficiat ad remissionem peccatorum: ita quod attritio sua est tanta quod ex sacramento in voto fit contritio, iuxta illud *, *Dixi, Confitebor: et tu remisisti impietatem peccati mei.* Secundo, quod attritio sit tam modica ut cum sacramento in voto non fiat contritio, sed tamen sit tanta quod cum sacramento in re fiat contritio: plus enim operatur sacramentum in re quam in voto. Tertio, posset esse tam exigua attritio ut nec etiam cum sacramento in re fieret contritio: et talis non susciperet remissionem peccatorum ex sacramento poenitentiae. Ubi apparet nullo esse opus ornatu ad hoc ut ex vi sacramenti attritus fiat contritus.

* Ps. XXXI, vers. 5.

Modus autem quo hoc fit, est quod Deus utrinque operatur. Concurrit siquidem ex parte poenitentis ad interiorem poenitentiam, inspirando illam, ut in littera * dicitur, non solum secundum se, sed etiam in ordine ad sacramentum: quod ex eo patet quod ex interiori motu poenitens subiicit se clavibus. Et rursus concurrit Deus ex parte sacramenti, ordinando sacramentales actus exteriores ad interiorem poenitentiam, dum utitur sacramento ipso ad excitandum et perficiendum interiorem actum poenitentis: sic enim excitando et perficiendo facit de attrito contritum, dum, mediante sacramento, utitur etiam interiori actu poenitentis ad remissionem peccatorum; per hoc enim fit interior poenitentis actus res et sacramentum.

* Art. I, ad 2.

Et per hoc apparet quod sacramentum significat et causat interiorem poenitentiam; et interior poenitentia sic causata significat et causat remissionem peccatorum. Sunt enim haec instrumenta subordinata principali agenti, Deo scilicet: sicut baculus quo moveo lapidem, est instrumentum subordinatum alteri instrumento, puta manui, qua moveo baculum, etc.

IV. Tertium est quod Auctor, seipso doctior, cum in IV *Sent.* * putasset solam formam in sacramento poenitentiae habere causalitatem, sicut in sacramento Eucharistiae; et verificasset quod totum sacramentum, compositum ex materia et forma, causat ratione partis, scilicet formae: hoc in loco altius sentit, ut expressius declarat inferius in articulo ultimo quaestionis octogesimaesextae, scilicet quod totum sacramentum poenitentiae, compositum scilicet ex materia et forma, idest ex actu poenitentis et absolutione (fit enim ex his unum sacramentum), causat remissionem peccatorum ratione utriusque partis, principalius quidem ratione formae, secundario autem ratione materiae, hoc est, actuum poenitentis ut subordinantur clavibus Ecclesiae; hoc est quod actu poenitentis, ex hoc ipso quod pars efficitur sacramenti, utitur Deus ut parte materiali sui instrumenti ad causandam remissionem peccatorum; sicut ex hoc ipso quod aqua assumitur ad baptizandum, utitur illa Deus ut parte materiali sui instrumenti ad regenerandum filios suos.

* Dist. XXII, qu. II, art. 1, qu^a 2.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM HAEC SIT FORMA HUIUS SACRAMENTI, *EGO TE ABSOLVO*

IV *Sent.*, dist. XXII, qu. II, art. 2, qª 3; Opusc. *De Form. Absolut.*

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod haec non sit forma huius sacramenti, *Ego te absolvo.* Formae enim sacramentorum ex institutione Christi et usu Ecclesiae habentur. Sed Christus non legitur hanc formam instituisse. Neque etiam in communi usu habetur: quinimmo in quibusdam absolutionibus quae in Ecclesia publice fiunt, sicut in prima et completorio et in Cena Domini, absolvens [α] non utitur oratione indicativa, ut dicat, *Ego vos absolvo,* sed oratione deprecativa, cum dicit, *Misereatur vestri omnipotens Deus,* vel, *Absolutionem* [β] *tribuat vobis omnipotens Deus.* Ergo haec non est forma huius sacramenti, *Ego te absolvo.*

2. PRAETEREA, Leo Papa * dicit: *Indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequit obtineri.* Loquitur autem de indulgentia Dei quae praestatur poenitentibus. Ergo forma huius sacramenti debet esse per modum deprecationis.

[* Primus. - Epistola CVIII, aliter LXXXIII, *ad Theodor.*, cap. II. - Cf. can. *Multiplex, de Poenitent.*, dist. I.]

3. PRAETEREA, idem est absolvere a peccato quod peccatum remittere. Sed *solus Deus peccatum remittit, qui etiam solus interius a peccato mundat:* ut Augustinus dicit, *super Ioan.* * Ergo videtur quod solus Deus a peccato absolvat. Non ergo debet dicere sacerdos, *Ego te absolvo,* sicut non dicit, *Ego tibi peccata remitto.*

[* Mag. IV *Sent.*, dist. XVIII, cap. *Nec ideo tamen.* - Cf. Aug. *Cont. Donatist.* lib. V, cap. XXI.]

4. PRAETEREA, sicut Dominus dedit potestatem discipulis absolvendi a peccatis *, ita etiam dedit eis potestatem curandi infirmitates, scilicet [γ] *ut daemonia eiicerent et ut languores curarent,* ut habetur Matth. X * et Luc. IX **. Sed sanando infirmos Apostoli non utebantur his verbis, *Ego te sano,* sed, *Sanet te Dominus Iesus Christus* [δ] *. Ergo videtur quod sacerdotes, habentes potestatem Apostolis a Christo traditam, non debeant uti hac forma verborum, *Ego te absolvo,* sed, *Absolutionem praebeat* [ε] *tibi Christus.*

[* Ioan. cap. XX, vers. 23. — * Vers. 1. — ** Vers. 1. — * *Act.* cap. IX, vers. 34.]

5. PRAETEREA, quidam hac forma utentes sic eam exponunt: *Ego te absolvo, idest, absolutum ostendo* *. Sed neque hoc [ζ] sacerdos facere potest, nisi ei divinitus reveletur. Unde, ut legitur Matth. XVI, antequam Petro diceretur *, *Quodcumque solveris super terram, erit* etc., dictum est ei *, *Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est.* Ergo videtur quod sacerdos cui non est facta revelatio, praesumptuose dicat, *Ego te absolvo,* etiam si exponatur, *idest, absolutum ostendo.*

[* Cf. Opusc. s. Th. *De Forma Absolut.*, cap. III; Mag. IV *Sent.*, dist. XVIII, cap. *Non autem hoc.* — * Vers. 19. — * Vers. 17.]

SED CONTRA EST quod, sicut Dominus dixit discipulis, Matth. ult. *, *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos,* ita dixit Petro, Matth. XVI *, *Quodcumque solveris* [η]. Sed sacerdos, auctoritate illorum verborum Christi fretus, dicit, *Ego te baptizo.* Ergo, eadem auctoritate, dicere debet in hoc sacramento, *Ego te absolvo.*

[* Vers. 19. — * Vers. 19.]

RESPONDEO DICENDUM quod in qualibet re perfectio attribuitur formae. Dictum est autem supra * quod hoc sacramentum perficitur per ea quae sunt ex parte sacerdotis. Unde oportet quod ea quae sunt ex parte poenitentis, sive sint verba sive facta, sint quaedam materia huius sacramenti: ea vero quae sunt ex parte sacerdotis, se habent [θ] per modum formae. Cum autem sacramenta novae legis *efficiant quod figurant,* ut supra * dictum est; oportet quod forma sacramenti significet id quod in sacramento agitur, proportionaliter materiae sacramenti. Unde forma baptismi est, *Ego te baptizo,* et forma confirmationis, *Consigno te signo crucis et confirmo te chrismate salutis,* eo quod huiusmodi sacramenta perficiuntur in usu materiae. In sacramento autem Eucharistiae, quod consistit in ipsa consecratione materiae, exprimitur veritas consecrationis, cum dicitur, *Hoc est corpus meum.* Hoc autem sacramentum, scilicet poenitentiae, non consistit in consecratione alicuius materiae, nec in usu alicuius materiae [ι] sanctificatae: sed magis in remotione cuiusdam materiae, scilicet peccati, prout peccata dicuntur esse materia poenitentiae, ut ex supra * dictis patet. Talis autem remotio significatur a sacerdote cum dicitur, *Ego te absolvo:* nam peccata sunt quaedam vincula, secundum illud *Proverb.* V *, *Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* Unde patet quod haec est convenientissima forma huius sacramenti, *Ego te absolvo.*

[* Art. I, ad 2. — * Qu. LXII, art. I, ad I. — * Art. praeced. — * Vers. 22.]

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ista forma sumitur ex ipsis verbis Christi quibus Petro dixit *: *Quodcumque solveris super terram,* etc. Et tali forma utitur Ecclesia in sacramentali absolutione. Huiusmodi autem absolutiones in publico factae non sunt sacramentales: sed sunt orationes quaedam ordinatae ad remissionem venialium peccatorum. Unde in sacramentali absolutione non sufficeret dicere, *Misereatur tui omnipotens Deus,* vel, *Absolutionem et remissionem tribuat tibi Deus:* quia per haec verba sacerdos absolutionem non significat fieri, sed petit ut fiat. – Praemittitur tamen etiam in sacramentali absolutione talis oratio, ne impediatur effectus sacramenti ex parte

[* Matth. cap. XVI, vers. 19.]

α) *absolvens.* – F et tertia; *Ecclesia* sE, om. ceteri.
β) *Absolutionem.* – *et remissionem* addunt PI.
γ) *scilicet.* – *et* Pc, om. F et cetera tertia. – Pro *curarent, sanarent* tertia.
δ) *Christus.* – *sicut Petrus dixit paralytico ut habetur Act. IX* addit tertia. – *Apostolis* tertia; *ab Apostolis.*
ε) *praebeat.* – *tribuat* PG.
ζ) *hoc.* – *etiam* ABCD, *etiam et* ed. *a*, *etiam in* E, *hoc etiam* F et tertia.
η) *solveris.* – *super terram* addit tertia.
θ) *habent.* – *habeant* P.
ι) *nec... materiae.* – Tertia; om.

ϰ poenitentis, cuius actus materialiter ϰ se habent in hoc sacramento, non autem in baptismo vel in confirmatione.

Ad secundum dicendum quod verbum Leonis Papae est intelligendum quantum ad deprecationem quae praemittitur absolutioni. Non autem removet quin sacerdotes absolvant.

Ad tertium dicendum quod solus Deus per auctoritatem et a peccato absolvit et peccata remittit. Sacerdotes autem utrumque faciunt per
* D. 1004. ministerium *: inquantum scilicet verba sacerdotis in hoc sacramento instrumentaliter operan-
λ tur λ, sicut etiam in aliis sacramentis; nam virtus divina est quae interius operatur in omnibus sacramentalibus signis, sive sint res sive sint verba,
* Qu. LXII, art. 1; qu. LXIV, art. 1. sicut ex supra * dictis patet. Unde et Dominus
* Vers. 19. utrumque expressit: nam Matth. XVI * dixit Petro, *Quodcumque solveris super terram*, etc.; et Ioan.
* Vers. 23. XX * dixit discipulis, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ideo tamen sacerdos potius dicit, *Ego te absolvo*, quam, *Ego tibi peccata remitto*, quia hoc magis congruit verbis quae Dominus dixit virtutem clavium ostendens, per quas sacerdotes absolvunt.

Quia tamen sacerdos sicut minister absolvit, convenienter apponitur aliquid quod pertineat ad primam auctoritatem Dei, scilicet ut dicatur: *Ego te absolvo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, vel, *per virtutem passionis Christi*, vel, *auctoritate Dei:* sicut Dionysius exponit, XIII cap.
* § 4. - Cf. *Eccl. Hier.*, cap. VII, § 7. *Caelest. Hier.* * Quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in baptismo, talis appositio relinquitur arbitrio sacerdotis.

Ad quartum dicendum quod Apostolis non est data potestas ut ipsi sanarent infirmos, sed ut ad eorum orationem infirmi sanarentur. Est autem eis collata potestas operandi instrumentaliter, sive ministerialiter, in sacramentis. Et ideo magis possunt in formis sacramentalibus exprimere actum suum quam in sanationibus infirmitatum. – In quibus tamen non semper utebantur modo deprecativo, sed quandoque etiam modo indicativo et imperativo: sicut *Act.* III * legitur quod * Vers. 6.
Petrus dixit claudo: *Quod habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi, surge et ambula.*

Ad quintum dicendum quod ista expositio, *Ego te absolvo, idest, absolutum ostendo*, quantum ad aliquid quidem vera est, non tamen est perfecta. Sacramenta enim novae legis non solum significant, sed etiam *faciunt quod significant* *. Unde * Cf. corp. art.
sicut sacerdos, baptizando aliquem, ostendit hominem interius ablutum per verba et facta, non solum significative, sed etiam effective; ita etiam cum dicit, *Ego te absolvo*, ostendit hominem absolutum non solum significative, sed etiam effective. – Nec tamen loquitur quasi de re incerta. Quia sicut alia sacramenta novae legis habent de se certum effectum ex virtute passionis Christi, licet possit impediri ex parte recipientis, ita etiam est et in hoc sacramento. Unde Augustinus dicit, in libro *de Adult. Coniug.* *: *Non est turpis* * Lib. II, cap. IX.
nec difficilis post patrata et purgata adulteria reconciliatio coniugii, ubi per claves regni caelorum non dubitatur fieri remissio peccatorum. Unde nec sacerdos indiget speciali revelatione sibi facta: sed sufficit generalis revelatio fidei, per quam remittuntur peccata. Unde revelatio fidei dicitur Petro facta fuisse.

Esset autem perfectior expositio: *Ego te absolvo, idest, Sacramentum absolutionis tibi impendo.*

ϰ) *materialiter.* – *quodammodo* addunt editiones.

λ) *operantur.* – *in virtute divina* addit tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo tertio eiusdem quaestionis, in responsione ad tertium, circa formam absolutionis, adverte quod, licet forma absolutionis consistat in illis duobus verbis, scilicet, *Absolvo te*, ut in littera dicitur, et habetur ex Concilio
* In *Decret. pro Armen.* Florentino sub Eugenio IV *; nihilominus, si quis aliis verbis uteretur, puta, *Remitto tibi peccata*, sacramentum esset perfectum.

Quod et ratione et auctoritate monstratur. Ratione quidem, quia virtus sacramentalis non est a Deo obligata ita
* Cf. qu. LX, art. 7, Comment. his verbis quin sit etiam collata aequipollentibus *.

Auctoritas autem sumitur, primo, ex Evangelio. Quia Dominus, instituendo confessores, dixit: *Quorum remise-*
* Ioan. cap. XX, vers. 23. *ritis peccata, remittuntur eis* *. – Secundo, ex Auctore in hac littera comparante istas duas formas, scilicet per *absolvere* vel *remittere*, quarum utraque ex verbis Domini sumitur, et dicente quod illa quae fit per *absolvere* est magis congrua, quia magis congruit verbis Domini dum de virtute clavium loquebatur. Differentia autem secundum magis vel minus congruum non tollit virtutem sacramenti.

* Art. 2. Accedit ad hoc Scotus, in Quarto, dist. XIV, qu. IV *. Qui tamen forte nimis late locutus est, dicens quod sufficit quod exprimatur actus sententiae absolventis.

II. In responsione ad quartum, ubi dicitur quod *Apostolis non est data potestas ut sanarent infirmos*, etc., intellige *regulariter*. Non enim est concessum Apostolis ut regulariter sanarent ex potestate infirmos: quamvis hoc fuerit eis quandoque concessum. Et hoc sufficit ad differentiam in littera intentam inter potestatem sacramentalem et potestatem faciendi miracula: quia potestate sacramentali ordinarie possumus remittere peccata; potestate autem miracula faciendi non poterant ordinarie sanare infirmos auctoritative, sed deprecative.

III. In responsione ad quintum, circa ultimam expositionem, ubi dicitur, *Ego te absolvo, idest, Sacramentum absolutionis tibi impendo*, adverte quod huiusmodi expositio, ex forma verborum, non importat formam absolutionis in actu exercito, sicut significat illam haec enuntiatio, *Ego absolvo te.* Hac enim sacerdos ipse exercet ipsam absolutionem, faciendo quod significat: sacramentum enim *efficit quod significat.* Dicendo autem, *Sacramentum absolutionis tibi impendo*, non significat se absolutionis actum exercere: sicut, si diceretur, *Ego baptismi sacramentum tibi impendo*, non significaretur, ex forma verborum, quod ego exercerem actum baptizandi. Sed utrobique significatur actus ut materia sacramenti impensi, seu actus impendendi.

Si autem considerentur dicta verba secundum sensum, sic conveniens ac perfecta invenitur expositio: quoniam aequipollet huic, *Sacramentaliter absolvo te.* Idem est enim impendere sacramentum absolutionis, et sacramentaliter absolvere. Et per hanc expositionem excluditur ex parte ministri praesumptio seu usurpatio divinae potestatis; et ex parte effectus ambiguitas. Nam ly *sacramentaliter*

distinguit a duobus, scilicet a *principaliter* et a *pure spiritualiter:* solus enim Deus est qui principaliter absolvit a peccatis; et similiter solus Deus pure spiritualiter absolvit a peccatis; sacramento vero homo absolvit instrumentaliter et signo sensibili, ut patet. Et hinc fit ut effectus sacramenti, scilicet absolutio interior a peccatis, qui ex parte sacramenti est certissimus, non significetur in ambiguo, etiam si ex parte poenitentis male dispositi impediatur: quoniam non significatur absolutio ut recipitur interius in poenitente, sed ut exit exterius a ministro sacramenti; ex qua parte constat absolutionem esse certissimam.

Et si novitius hoc non penetrat, fingat Deum dicere Petro, *Absolvo te,* et confessorem dicere Ioanni, *Absolvo te,* et videat differentiam: quod absolutio Petri est utrinque certa, quia Deus non diceret, *Absolvo te,* nisi etiam vere intus absolveretur; absolutio vero Ioannis est et significatur certa ex parte confessoris tantum, quia sacramentum absolutionis impendit, quia sacramentaliter absolvit; et intus potest impedimentum invenire ex fictione poenitentis.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM IMPOSITIO MANUUM SACERDOTIS REQUIRATUR AD HOC SACRAMENTUM

Opusc. *De Form. Absolut.*, cap. IV.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod impositio manuum sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum. Dicitur enim Marc. ult.*: (* Vers. 18.) *Super aegros manus imponent, et bene habebunt.* Aegri autem spiritualiter sunt peccatores, qui recipiunt bonam habitudinem per hoc sacramentum. Ergo in hoc sacramento est manus impositio facienda.

2. PRAETEREA, in sacramento poenitentiae recuperat homo Spiritum Sanctum amissum: unde ex persona poenitentis dicitur in Psalmo* (* Ps. L, vers. 14.): *Redde mihi laetitiam salutaris tui, et Spiritu principali confirma me.* Sed Spiritus Sanctus datur per impositionem manuum: legitur enim *Act.* VIII* (* Vers. 17.), quod Apostoli *imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum;* et Matth. XIX* (* Vers. 13.) dicitur quod *oblati sunt Domino parvuli ut eis manus imponeret.* Ergo in hoc sacramento est manus impositio facienda.

3. PRAETEREA, verba sacerdotis in hoc sacramento non sunt maioris efficaciae quam in aliis sacramentis. Sed in aliis sacramentis non [α] sufficiunt verba ministri, nisi aliquem actum exerceret: sicut in baptismo, simul cum hoc quod dicit sacerdos, *Ego te baptizo,* requiritur corporalis ablutio. Ergo etiam, simul cum hoc quod dicit sacerdos, *Ego te absolvo,* oportet quod aliquem actum exerceat circa poenitentem, imponendo ei manus.

SED CONTRA EST quod Dominus dixit Petro* (* Matth. cap. XVI, vers. 19.), *Quodcumque solveris super terram, erit* etc., nullam mentionem de manus impositione faciens [β]. Neque etiam cum omnibus Apostolis simul dixit* (* Ioan. cap. XX, vers. 23.): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Non ergo ad hoc sacramentum requiritur impositio manuum.

RESPONDEO DICENDUM quod impositio manuum in sacramentis Ecclesiae fit ad designandum aliquem copiosum effectum gratiae, quo illi quibus manus imponitur, quodammodo continuantur per quandam similitudinem ministris, in quibus copia [γ] esse debet. Et ideo manus impositio fit in sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti; et in sacramento ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis in divinis ministeriis [δ]; unde et II *Tim.* I* (* Vers. 6.) dicitur: *Resuscites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum mearum.* Sacramentum autem poenitentiae non ordinatur ad consequendum aliquam excellentiam gratiae, sed ad remissionem [ε] peccatorum. Et ideo ad hoc sacramentum non requiritur impositio: sicut etiam nec ad baptismum, in quo tamen fit plenior remissio peccatorum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illa manus impositio non est sacramentalis, sed ordinatur ad miracula facienda: ut scilicet per contactum manus hominis sanctificati etiam corporalis infirmitas tollatur. Sicut etiam legitur de Domino, Marci VI* (* Vers. 5.), quod *infirmos impositis manibus curavit;* et Matth. VIII* (* Vers. 3.) legitur quod per contactum leprosum mundavit.

AD SECUNDUM DICENDUM quod non quaelibet acceptio Spiritus Sancti requirit manus impositionem: quia etiam in baptismo accipit homo Spiritum Sanctum, nec tamen fit ibi manus impositio. Sed acceptio Spiritus Sancti cum plenitudine requirit manus impositionem: quod pertinet ad confirmationem.

AD TERTIUM DICENDUM quod in sacramentis quae perficiuntur in usu materiae, minister habet aliquem corporalem actum exercere circa eum qui suscipit sacramentum: sicut in baptismo et confirmatione et extrema unctione. Sed hoc sacramentum non consistit in usu alicuius materiae exterius appositae, sed loco materiae se habent ea quae sunt ex parte poenitentis. Unde, sicut in Eucharistia sacerdos sola prolatione verborum super materiam [ζ] perficit sacramentum, ita etiam sola verba sacerdotis absolventis super poeniten-

α) *Sed... non.* – PFI; *Non autem* ed. *a, Non enim* ceteri. – Pro *exerceret, exerceat* P.
β) *quod Dominus... faciens.* – *quod Dominus... fecit* I, *quod cum Dominus... fecit* cetera tertia.
γ) *copia.* – *gratiae* addunt F et tertia.
δ) *ministeriis.* – *mysteriis* PF.
ε) *remissionem.* – *remotionem* PI. – Pro *impositio, impositio manus* F, *manus impositio* IsG, *manuum impositio* P.
ζ) *materiam.* – *materia* Pc.

tem perficiunt absolutionis sacramentum. Et si aliquis actus corporalis esset ex parte sacerdotis[η], non minus competeret crucesignatio, quae adhibetur in Eucharistia, quam manus impositio, in signum quod per sanguinem crucis Christi remittuntur peccata. Et tamen non est de necessitate sacramenti[θ], sicut nec de necessitate Eucharistiae.

η) *sacerdotis.* – *necessarius* addit P. – Pro *crucesignatio, crucis signatio* P.

θ) *sacramenti.* – *huius sacramenti* P.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM HOC SACRAMENTUM SIT DE NECESSITATE SALUTIS

Supra, qu. LXV, art. 4; IV *Sent.*, dist. XIV, qu. II, art. 5 et Expos. litt.; dist. XVII, qu. III, art. 3, qu[a] 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXII.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod hoc sacramentum non sit de necessitate salutis. Quia super illud Psalmi * [* Ps. CXXV, vers. 5.], *Qui seminant*[α] *in lacrimis* etc., dicit Glossa * [* Lomb. ex Aug.]: *Noli esse tristis, si adsit tibi bona voluntas, unde metitur pax.* Sed tristitia est de ratione poenitentiae: secundum illud II *Cor.* VII * [* Vers. 10.]: *Quae secundum Deum est tristitia, poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Ergo bona voluntas, sine poenitentia, sufficit ad salutem.

2. PRAETEREA, *Proverb.* X * [* Vers. 12.] dicitur: *Universa delicta operit caritas;* et infra, XV * [* Vers. 27.]: *Per misericordiam et fidem purgantur peccata.* Sed hoc sacramentum non est nisi ad purgandum peccata. Ergo, habendo caritatem et fidem et misericordiam, potest quisque salutem consequi, etiam sine poenitentiae sacramento.

3. PRAETEREA, sacramenta Ecclesiae initium habent ab institutione Christi. Sed, sicut legitur Ioan. VIII * [* Vers. 11.], Christus mulierem adulteram absolvit absque poenitentia. Ergo videtur quod poenitentia non sit de necessitate salutis.

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Luc. XIII * [* Vers. 5.]: *Si poenitentiam non egeritis*[β], *omnes simul peribitis.*

RESPONDEO DICENDUM quod aliquid est necessarium ad salutem dupliciter: uno modo, absolute; alio modo, ex suppositione. Absolute quidem necessarium est[γ] illud sine quo nullus salutem consequi potest: sicut gratia Christi, et sacramentum baptismi, per quod aliquis in Christo renascitur. Ex suppositione autem est necessarium sacramentum poenitentiae: quod quidem necessarium non est omnibus, sed peccato subiacentibus; dicitur enim in II *Paralip.* ult. * [* Vide *Orat. Manass.*]: *Et tu, Domine iustorum, non posuisti poenitentiam iustis, Abraham, Isaac et Iacob, his qui tibi non peccaverunt.*

Peccatum autem, *cum consummatum fuerit, generat mortem,* ut dicitur Iac. I * [* Vers. 15.]. Et ideo necessarium est ad salutem peccatoris quod peccatum removeatur ab eo. Quod quidem fieri non potest sine poenitentiae sacramento, in quo operatur virtus passionis Christi per absolutionem sacerdotis simul cum opere poenitentis, qui cooperatur gratiae ad destructionem peccati: sicut enim dicit Augustinus, *super Ioan.* * [* Serm. CLXIX, al. *de Verb. Apost.* XV, cap. XI.], *qui creavit te sine te, non iustificabit te sine te.* Unde patet quod sacramentum poenitentiae est necessarium ad salutem post peccatum: sicut medicatio corporalis postquam homo in morbum periculosum inciderit.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod glossa illa videtur intelligenda de eo cui adest bona voluntas sine interpolatione quae fit per peccatum: tales autem non habent[δ] tristitiae causam. Sed ex quo bona voluntas tollitur per peccatum, non potest restitui sine tristitia, qua quis dolet de peccato praeterito: quod pertinet ad poenitentiam.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ex quo aliquis peccatum incurrit, caritas et fides et misericordia non liberant hominem a peccato sine poenitentia. Requirit enim caritas quod homo doleat de offensa in amicum commissa, et quod amico homo reconciliari[ε] studeat. Requirit etiam ipsa fides ut per virtutem passionis Christi, quae in sacramentis Ecclesiae operatur, quaerat iustificari a peccatis. Requirit etiam ipsa misericordia ordinata ut homo subveniat poenitendo suae miseriae, quam per peccatum incurrit, secundum illud *Proverb.* XIV * [* Vers. 34.], *Miseros facit populos peccatum:* unde et *Eccli.* XXX * [* Vers. 24.] dicitur: *Miserere animae tuae placens Deo.*

AD TERTIUM DICENDUM quod ad potestatem excellentiae, quam solus Christus habuit, ut supra * [* Qu. LXIV, art. 4, ad 1, 3; qu. LXXII, art. 1, ad 1.] dictum est, pertinuit quod Christus effectum sacramenti poenitentiae, qui est remissio peccatorum, contulit mulieri adulterae sine poenitentiae[ζ] sacramento: licet non sine interiori poenitentia, quam ipse in ea per gratiam est operatus.

α) *seminant.* – PAI; *seminat.* – Pro *etc.*, *in exultatione metent* F.
β) *egeritis.* – *habueritis* P.
γ) *est.* – *ad salutem* addit tertia.
δ) *tales autem non habent.* – *talis enim* (*autem* G) *non habet* tertia, *tales autem non habet* E.
ε) *reconciliari.* – Om. HpG, *satisfacere* I et post *studeat* sG et editiones.
ζ) *poenitentiae.* – *exterioris poenitentiae* tertia.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM POENITENTIA SIT *SECUNDA TABULA POST NAUFRAGIUM*

IV *Sent.*, dist. II, qu. I, art. 3, ad 5; dist. XIV, qu. I, art. 2, qu^a 4; dist. XVI, qu. IV, art. I, qu^a I, ad I.

D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod poenitentia non sit *secunda tabula post naufragium*. Quia super illud Isaiae III *, *Peccatum suum sicut Sodoma praedicaverunt,* dicit Glossa *: *Secunda tabula post naufragium est peccata abscondere.* Poenitentia autem non abscondit peccata, sed magis ea revelat. Ergo poenitentia non est secunda tabula.

* Vers. 9. — * Interl. Hieron.

2. PRAETEREA, fundamentum in aedificio non tenet secundum, sed primum locum. Poenitentia autem in spirituali aedificio est fundamentum: secundum illud *Heb.* VI *: *Non rursum iacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis.* Unde et praecedit ipsum baptismum: secundum illud *Act.* II *: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Ergo poenitentia non debet dici secunda tabula.

* Vers. 1. — * Vers. 38.

3. PRAETEREA, omnia sacramenta sunt quaedam tabulae, idest remedia contra peccatum. Sed poenitentia non tenet secundum locum inter sacramenta, sed magis quartum, ut ex supra * dictis patet. Ergo poenitentia non debet dici secunda tabula post naufragium.

* Qu. LXV, art. 2.

SED CONTRA EST quod Hieronymus dicit * quod *secunda tabula post naufragium est poenitentia.*

* Ep. CXXX, al. VIII, *ad Demetriad.*, *de Virginit.*

RESPONDEO DICENDUM quod id quod est per se, naturaliter prius est eo quod est per accidens *: sicut et substantia prior est accidente. Sacramenta autem quaedam per se [α] ordinantur ad salutem hominis: sicut baptismus, qui est spiritualis generatio, et confirmatio, quae est spirituale augmentum, et Eucharistia, quae est spirituale nutrimentum. Poenitentia autem ordinatur ad salutem hominis quasi per accidens, supposito quodam, scilicet ex suppositione peccati. Nisi enim homo peccaret actualiter, poenitentia non indigeret, indigeret tamen baptismo et confirmatione et Eucharistia: sicut et in vita corporali non indigeret homo medicatione nisi infirmaretur, indiget [β] autem homo per se ad vitam generatione, augmento et nutrimento. Et ideo poenitentia tenet secundum locum respectu status integritatis, qui confertur et conservatur per sacramenta praedicta. Unde metaphorice dicitur *secunda tabula post naufragium.* Nam primum remedium mare transeuntibus est ut conserventur in navi integra: secundum autem remedium est, post navim fractam, ut [γ] aliquis tabulae adhaereat. Ita etiam primum remedium in mari huius vitae est quod homo integritatem servet: secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdiderit, quod per poenitentiam redeat.

* Cf. Arist. *Physic.* lib. VIII, cap. V, n. 7; s. Th. lect. XI; *Metaphys.* lib. X, cap. VIII, n. 9; s. Th. lib. XI, lect. VIII.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod abscondere peccata contingit dupliciter. Uno modo, dum ipsa peccata fiunt. Est autem peius peccare publice quam occulte: tum quia peccator publicus videtur ex contemptu maiori peccare; tum etiam quia peccat cum scandalo aliorum. Et ideo est quoddam remedium in peccatis quod aliquis in occulto [δ] peccet. Et secundum hoc dicit Glossa quod *secunda tabula post naufragium est peccata abscondere:* non quod per hoc tollatur peccatum, sicut per poenitentiam; sed quia per hoc peccatum fit minus.

Alio modo, aliquis abscondit peccatum prius factum per negligentiam confessionis. Et hoc contrariatur poenitentiae. Et sic abscondere peccatum non est secunda tabula, sed magis contrarium tabulae: dicitur enim *Proverb.* XXVIII *: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.*

* Vers. 13.

AD SECUNDUM DICENDUM quod poenitentia non potest dici fundamentum spiritualis aedificii simpliciter, idest in prima aedificatione: sed est fundamentum in secunda reaedificatione *, quae fit post [ε] destructionem peccati; nam primo redeuntibus ad Deum occurrit poenitentia. Apostolus tamen ibi loquitur de fundamento spiritualis doctrinae. – Poenitentia autem quae baptismum praecedit, non est poenitentiae sacramentum.

* D. 657.

AD TERTIUM DICENDUM quod tria praecedentia sacramenta pertinent ad navem integram, idest ad statum integritatis: respectu cuius poenitentia dicitur secunda tabula.

α) *per se.* – P; post *homines* ponunt FsG, om. ceteri.
β) *indiget.* – *indigeret* omnes.
γ) *post navim fractam, ut.* – DE*a* et tertia; *ut post navim fractam ut* ABC, *ut post navim fractam* F.
δ) *in occulto.* – E et editiones; *in occulte* FI, *in occultis* ceteri.
ε) *post.* – *per* tertia praeter I.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM HOC SACRAMENTUM FUERIT CONVENIENTER INSTITUTUM IN NOVA LEGE

IV *Sent.*, dist. XXII, qu. II, art. 3.

AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod hoc sacramentum non fuerit convenienter institutum in nova lege. Ea enim quae sunt de iure naturali, institutione non indigent. Sed poenitere de malis quae quis gessit, est de iure naturali: non enim potest aliquis bonum diligere quin de contrario doleat. Ergo non est poenitentia convenienter instituta in nova lege.

2. PRAETEREA, illud quod fuit in veteri lege, instituendum non fuit [α]. Sed etiam in veteri lege fuit poenitentia: unde et Dominus conqueritur, Ierem. VIII * [Vers. 6.], dicens: *Nullus est qui agat poenitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci?* Ergo poenitentia non debuit institui in nova lege.

3. PRAETEREA, poenitentia consequenter se habet ad baptismum: cum sit *secunda tabula*, ut supra * [Art. praeced.] dictum est. Sed poenitentia videtur a Domino instituta ante baptismum: nam in principio praedicationis suae legitur Dominus dixisse, Matth. IV * [Vers. 17.]: *Poenitentiam agite: appropinquabit enim regnum caelorum.* Ergo hoc sacramentum non fuit convenienter institutum in nova lege.

4. PRAETEREA, sacramenta novae legis institutionem habent a Christo, ex cuius virtute operantur, ut supra * [Qu. LXII, art. 5; qu. LXIV, art. 3.] dictum est. Sed Christus non videtur instituisse hoc sacramentum: cum ipse non sit usus eo, sicut aliis sacramentis quae ipse instituit. Ergo hoc sacramentum non fuit convenienter institutum in nova lege [β].

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Luc. ult. * [Vers. 46, 47.]: *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis die tertia, et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est * [Art. 1, ad 1, 2; art. 2.], in hoc sacramento actus poenitentis se habet sicut materia; id autem quod est ex parte sacerdotis, qui operatur ut minister Christi, se habet ut formale et completivum sacramenti. Materia vero, etiam in aliis sacramentis, praeexistit a natura, ut aqua, vel ab aliqua [γ] arte, ut panis: sed quod talis materia ad sacramentum assumatur, indiget institutione hoc determinante. Sed forma sacramenti, et virtus ipsius, totaliter est ex institutione Christi, ex cuius passione procedit virtus sacramentorum. Sic igitur materia [δ] praeexistit a natura, ex naturali enim ratione homo movetur ad poenitendum de malis quae fecit: sed quod hoc vel illo modo homo poenitentiam agat, est ex institutione divina.

Unde et Dominus, in principio praedicationis suae, indixit [ε] hominibus ut non solum poeniterent, sed etiam *poenitentiam agerent* * [Cf. arg. 3.], significans determinatos modos actuum qui requiruntur ad hoc sacramentum. Sed id quod pertinet ad officium ministrorum, determinavit Matth. XVI * [Vers. 19.], ubi dixit Petro: *Tibi dabo claves regni caelorum*, etc. Efficaciam autem huius sacramenti, et originem virtutis eius, manifestavit post resurrectionem, Luc. ult. * [Cf. arg. *Sed contra.*], ubi dixit quod *oportebat praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes,* praemisso de passione et resurrectione: virtute enim nominis Iesu Christi patientis et resurgentis hoc sacramentum efficaciam habet ad remissionem peccatorum. Et sic patet convenienter hoc sacramentum in nova lege fuisse institutum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod de iure naturali est quod aliquis poeniteat de malis quae fecit, quantum ad hoc quod doleat se fecisse, et doloris remedium quaerat per aliquem modum, et quod etiam aliqua signa doloris ostendat: sicut Ninivitae fecerunt, ut legitur Ionae III * [Vers. 4 sqq.]. In quibus tamen aliquid fuit adiunctum fidei quam ceperant [ζ] ex praedicatione Ionae: ut scilicet hoc agerent sub spe veniae consequendae a Deo, secundum illud quod legitur ibi * [Vers. 9.]: *Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et revertatur a furore irae suae, et non peribimus?* Sed, sicut alia quae sunt de iure naturali determinationem acceperunt ex institutione legis divinae, ut in Secunda Parte * [Iª IIªᵉ, qu. CV, art. 11. - Cf. supra, qu. LX, art. 5, ad 3; qu. LXI, art. 3, ad 2.] dictum est, ita etiam et poenitentia.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ea quae sunt iuris naturalis diversimode determinationem accipiunt in veteri et nova lege, secundum quod congruit imperfectioni veteris legis et perfectioni novae. Unde et poenitentia in veteri lege aliquam determinationem habuit. Quantum quidem ad dolorem, ut esset magis in corde quam in exterioribus signis: secundum illud Ioel II * [Vers. 13.], *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Quantum autem ad remedium doloris quaerendum, ut aliquo modo ministris Dei peccata sua confiterentur, ad minus in generali: unde Dominus, *Levit.* V * [Vers. 17, 18.], dicit: *Anima quae peccaverit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, iuxta mensuram aestimationemque peccati: qui orabit pro eo quod nesciens fecerit, et dimittetur ei;* in hoc enim ipso quod oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo peccatum suum sacerdoti confitebatur; et secundum hoc dicitur *Proverb.* XXVIII * [Vers. 13.]: *Qui abscondit*

α) *fuit.* – *in nova* addunt editiones; *in nova lege* ante *instituendum* addunt FsG; *instituendum... veteri lege* om. FHI.

β) *Praeterea, sacramenta... lege.* – Tertia et *a* (sed *a* pro *ut supra* legit *ut saepe* et om. *ipse* primo loco); om.

γ) *aliqua.* – Om. tertia.

δ) *materia.* – *huius sacramenti materia* F et tertia. – *ratione* FsE et editiones; *positione.*

ε) *indixit.* – *dixit* ABpG, *induxit* I.

ζ) *ceperant.* – *acceperant* D, *conceperant* F et tertia.

scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.

Nondum autem instituta erat potestas clavium, quae a passione Christi derivatur [η]. Et per consequens nondum erat institutum quod aliquis doleret de peccato cum proposito subiiciendi se per confessionem et satisfactionem clavibus Ecclesiae, sub spe consequendae veniae virtute passionis Christi.

Ad tertium dicendum quod, si quis recte consideret ea quae Dominus dixit de necessitate baptismi, Ioan. III *, tempore praecesserunt ea quae dixit, Matth. IV, de necessitate poenitentiae. Nam id quod dixit Nicodemo de baptismo, fuit ante incarcerationem Ioannis, de quo postea subditur * quod baptizabat: illud vero quod de poenitentia dixit, Matth. IV, fuit post incarcerationem Ioannis *. – Si tamen prius ad poenitentiam induxisset quam ad baptismum, hoc ideo esset quia ante baptismum etiam requiritur quaedam poenitentia: sicut et Petrus dixit, *Act.* II *: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.*

* Vers. 3 sqq. — * Vers. 23, 24. — * Vers. 12. — * Vers. 38.

Ad quartum dicendum quod Christus non est usus baptismo quem ipse instituit, sed est baptizatus baptismo Ioannis, ut supra * dictum est. Sed nec active usus est suo ministerio: quia *ipse non baptizabat* communiter, *sed discipuli eius,* ut dicitur Ioan. IV *; quamvis credendum videtur [θ] quod discipulos baptizaverit, ut Augustinus dicit, *ad Seleucianum* *.

* Qu. XXXIX, art. 2. — * Vers. 2. — * Ep. CCLXV, aliter CVIII, *ad Seleucianum.*

Usus autem huius sacramenti, ab eo instituti, nullo modo competebat [ι]: neque quantum ad hoc quod ipse poeniteret, in quo peccatum non fuit; neque quantum ad hoc quod hoc sacramentum aliis praeberet, quia, ad ostendendum misericordiam et virtutem suam, effectum huius sacramenti sine sacramento praebebat, ut supra * dictum est.

* Art. 5, ad 3.

Sacramentum autem Eucharistiae et ipse sumpsit, et aliis dedit. Tum ad commendandam excellentiam huius sacramenti. Tum quia hoc sacramentum est memoriale suae passionis, inquantum [κ] Christus est sacerdos et hostia.

η) *derivatur.* – sF *a* et tertia (et vetus Escurialis); *derivans* D, *derivantur* ceteri.

θ) *videtur.* – *sit* tertia. – Pro *Seleucianum* (cf. qu. XXXVIII. art. 6. ad 2.), *sceleucianum* I, *cellēcianum* pG, *celestinum* F, *celeucianum* editiones, *celestia* D, *celestianum* ceteri.

ι) *competebat.* – *ei competebat* ed. *a*, *sibi competebat* tertia.

κ) *inquantum.* – *in qua* PI.

Commentaria Cardinalis Caietani

* Resp. ad 1.

In articulo septimo, circa illud *, quod poenitentia est de iure naturali quoad dolorem et doloris remedium et aliquod signum doloris, adverte quod dupliciter possunt haec verba intelligi. Primo, simpliciter et absolute, ut sonant. Et sic magnam habent difficultatem, si non sunt falsa. Tum quia, si peccatum non fuit scandalosum seu manifestum aliis, nulla apparet ratio naturalis ad signa doloris.

Tum quia, abstrahendo a documentis fidei, dolor seu tristitia de praeterito peccato nullam videtur habere rationem remedii. Et propterea superfluum videtur dolere de malis praeteritis.

Accedit ad haec quod difficile est nosse quid homo, infra ius naturae solum stando, cognosceret de abolitione peccati per aliud quam per cessationem a peccando.

II. Alio autem modo intelliguntur, *supposita in homine cognitione fidei:* ita quod, supposita fide, non ex fide, sed ex ratione naturali provenit quod homo doleat de peccatis commissis, et quod dolorem in remedium assumat, et quod aliquod signum doloris ostendat: quamvis hoc tertium intelligendum sit, sicut de exteriori religionis cultu videtur, quod in communi sit de iure naturae. Dictat enim naturalis ratio homini fideli ut doleat de offensa Creatoris: et, quia nullum aliud ex nobis est remedium nisi *cor humilitatum* *, ideo huiusmodi humiliationem *in remedium doloris,* hoc est, peccati dolendi, quaerat.

* Ps. L, vers. 19.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM POENITENTIA DEBEAT DURARE USQUE AD FINEM VITAE

Infra, art. 9, ad 1; IV *Sent.*, dist. XIV, qu. I, art. 4, qa 1; dist. XVII, qu. II, art. 4, qa 1.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod poenitentia non debeat durare usque ad finem vitae. Poenitentia enim ordinatur ad deletionem peccati. Sed poenitens statim consequitur remissionem peccatorum: secundum illud Ezech. XVIII *: *Si poenitentiam egerit impius ab omnibus peccatis suis quae operatus est, vita vivet et non morietur.* Ergo non oportet ulterius poenitentiam protendi.

* Vers. 21.

2. Praeterea, agere poenitentiam pertinet ad statum incipientium. Sed homo de hoc statu debet procedere ad statum proficientium, et ulterius ad statum perfectorum *. Ergo non debet homo poenitentiam agere usque ad finem vitae.

* Cf. IIam IIae, qu. XXIV, art. 9.

3. Praeterea, sicut in aliis sacramentis homo debet conservare [α] statuta Ecclesiae, ita et in hoc sacramento. Sed secundum canones determinata sunt tempora poenitendi: ut scilicet ille qui hoc vel illud peccatum commiserit, tot annis poeniteat. Ergo videtur quod non sit poenitentia extendenda usque ad finem vitae.

Sed contra est quod dicit Augustinus, in libro *de Poenitentia* *: *Quid restat nobis nisi dolere in vita? Ubi enim dolor finitur, deficit poenitentia. Si vero poenitentia finitur, quid derelinquitur de venia?*

* *De Vera et falsa Poenit.*, cap. XIII. - Inter Opp. Aug.

Respondeo dicendum quod duplex est poenitentia: scilicet interior, et exterior. Interior qui-

α) *conservare.* – *servare* F et tertia.

dem poenitentia est qua quis dolet de peccato commisso. Et talis poenitentia debet durare usque ad finem vitae. Semper enim debet homini displicere quod peccavit: si enim ei placeret peccasse, iam ex hoc ipso peccatum incurreret,
β et fructus [β] veniae perderet. Displicentia autem dolorem causat in eo qui est susceptivus doloris, qualis est homo in hac vita. – Post hanc vitam autem sancti non sunt susceptivi doloris. Unde displicebunt eis peccata praeterita sine omni tristitia: secundum illud Isaiae LXV *: *Oblivioni traditae sunt angustiae priores.*

* Vers. 16.

Poenitentia vero exterior est qua quis exteriora signa doloris ostendit, et verbotenus confitetur peccata sua sacerdoti absolventi, et iuxta eius arbitrium satisfacit [γ]. Et talis poenitentia non oportet quod duret usque ad finem vitae, sed usque ad determinatum tempus, secundum mensuram peccati.

Ad primum ergo dicendum quod vera poenitentia non solum removet [δ] peccata praeterita, sed etiam praeservat eum a peccatis futuris. Quamvis igitur homo in primo instanti verae poenitentiae remissionem consequatur praeteritorum peccatorum, oportet tamen in homine perseverare poenitentiam, ne iterum incidat in peccatum.

Ad secundum dicendum quod agere poenitentiam interiorem simul et exteriorem pertinet ad statum incipientium, qui scilicet de novo redeunt a peccato. Sed poenitentia interior habet locum etiam in proficientibus et perfectis: secundum illud Psalmi *: *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrimarum.* Unde et ipse Paulus dicebat, I *Cor.* XV *: *Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.*

* Ps. LXXXIII, vers. 6, 7.
* Vers. 9.

Ad tertium dicendum quod illa tempora praefiguntur poenitentibus quantum ad actionem exterioris poenitentiae.

β) *fructus.* – *fructum* tertia.
γ) *et... satisfacit.* – F et tertia; *ut... satisfaciat* ed. *a*, *et... satisfaciat* ceteri.
δ) *removet.* – *ab homine* addit sG; pro *eum*, *hominem* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulis octavo et nono adverte quod *displicere* dupliciter sumitur: scilicet contrarie, vel negative. Et quando sumitur contrarie, significat actum contrarium ad *placere:* quando vero sumitur negative, non significat aliquem actum, sed solummodo *non placere.* Cum ergo in littera dicitur quod *semper debet homini displicere quod peccavit* *, vel aliquid simile, sufficit quod intelligatur negative, idest *non placere.*

* Art. 8, in corp.

Et patet hunc esse sensum litterae, quia contra *displicere* distinguit *placere*, dum subdit: *Si enim ei placeret peccasse*, etc. Nisi enim *displicere* ita communiter sumptum fuisset, scilicet sive contrarie sive negative, non licuisset pro ratione reddere: *Si enim placeret ei peccasse,* etc. Nam potuisset dici quod nec displicet nec habet actum placendi, sed *non placet* peccasse.

Et hinc habes quod sufficit ad necessariam poenitentiam post habitam contritionem, quod non placeat peccasse: nec est opus exire in actum displicentiae novae.

ARTICULUS NONUS

UTRUM POENITENTIA POSSIT ESSE CONTINUA

IV *Sent.*, dist. XIV, qu. I, art. 4, qu^a 2; dist. XVII, qu. II, art. 4, qu^a 2.

* Vide Comment. Caiet. post art. 8.
* Vers. 16.

Ad nonum sic proceditur *. Videtur quod poenitentia non possit esse continua. Dicitur enim Ierem. XXXI *: *Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrimis.* Sed hoc esse non posset si poenitentia continuaretur, quae consistit in ploratu et lacrimis. Ergo poenitentia non potest continuari.

* Ps. XCIX, vers. 2.

2. Praeterea, de quolibet bono opere debet homo gaudere: secundum illud Psalmi *: *Servite Domino in laetitia.* Sed agere poenitentiam est bonum opus. Ergo de hoc ipso debet homo gaudere. Sed *non potest homo simul tristari et gaudere:* ut patet per Philosophum, IX *Ethic.* * Ergo non potest esse quod poenitens simul [α] tristetur de peccatis praeteritis, quod pertinet ad rationem poenitentiae [β].

* Cap. IV, n. 10. – S. Th. lect. IV.
* Vers. 7.

3. Praeterea, II *ad Cor.* II *, Apostolus dicit: *Consolemini,* scilicet poenitentem, *ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui est huiusmodi.* Sed consolatio depellit tristitiam, quae pertinet ad rationem poenitentiae. Ergo poenitentia non debet esse continua.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* *: *Dolor in poenitentia continue custodiatur.*

* *De Vera et falsa Poenit.*, cap. XIII. – Inter Opp. Aug.

Respondeo dicendum quod poenitere dicitur dupliciter: scilicet secundum actum, et secundum habitum. Actu quidem impossibile est quod homo continue poeniteat: quia necesse est quod actus poenitentis, sive interior sive exterior, interpoletur, ad minus somno et aliis quae ad necessitatem corporis pertinent.

Alio modo dicitur poenitere secundum habitum. Et sic oportet quod homo continue poeniteat: et quantum ad hoc quod homo nunquam aliquid contrarium faciat poenitentiae, per quod habitualis dispositio poenitentis tollatur; et quantum ad hoc quod debet in proposito gerere quod semper sibi peccata praeterita displiceant.

Ad primum ergo dicendum quod ploratus et lacrimae ad actum exterioris poenitentiae pertinent: qui non solum non debet esse continuus, sed nec etiam oportet quod duret usque ad finem vitae, ut dictum est *. Unde et signanter

* Art. 8.

α) *simul.* – *semper* FIsEG, *continuo b*, *continue* Pc.
β) *poenitentiae.* – *Ergo poenitentia non debet* (*potest* P) *esse continua* addunt F et tertia praeter I.

ibi subditur quod *est merces operi tuo.* Est autem merces operis poenitentis plena remissio peccati et quantum ad culpam et quantum ad poenam: post cuius consecutionem non est necesse quod homo ulterius exteriorem poenitentiam agat. Per hoc tamen non excluditur continuitas poenitentiae qualis dicta est *.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod de dolore et gaudio dupliciter loqui possumus. Uno modo, secundum quod sunt passiones appetitus sensitivi. Et sic nullo modo possunt esse simul: eo quod sunt omnino contrariae, vel ex parte obiecti, puta cum sunt de eodem; vel saltem ex parte motus cordis, nam gaudium est cum dilatatione cordis, tristitia vero cum constrictione. Et hoc modo loquitur Philosophus in IX *Ethicorum.*

Alio modo loqui possumus de gaudio et tristitia secundum quod consistunt in simplici actu voluntatis, cui aliquid placet vel displicet *. Et secundum hoc, non possunt habere contrarietatem nisi ex parte obiecti, puta cum sunt de eodem et secundum idem. Et sic non possunt simul esse gaudium et tristitia: quia non potest simul idem secundum idem placere et displicere. Si vero gaudium et tristitia sic accepta non sint de eodem et secundum idem, sed vel de diversis vel de eodem secundum diversa, sic non est contrarietas gaudii et tristitiae. Unde nihil prohibet hominem simul gaudere et tristari: puta, si videamus iustum affligi, simul placet nobis eius iustitia, et displicet afflictio. Et hoc modo potest alicui displicere quod peccavit, et placere quod hoc ei displicet cum spe veniae, ita quod ipsa tristitia sit materia gaudii. Unde et Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* *: *Semper doleat poenitens, et de dolore gaudeat.* – Si tamen tristitia nullo modo compateretur sibi gaudium, per hoc non tolleretur habitualis continuitas poenitentiae, sed actualis.

* D. 530.

* Loc. cit. supra.

Ad tertium dicendum quod, secundum Philosophum, in II *Ethic.* *, ad virtutem pertinet tenere medium in passionibus. Tristitia autem quae in appetitu poenitentis sensitivo consequitur ex displicentia voluntatis, passio quaedam est. Unde moderanda est secundum virtutem: et eius superfluitas est vitiosa, quia inducit in desperationem. Quod significat Apostolus ibidem dicens: *ne maiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est.* Et sic consolatio de qua ibi Apostolus loquitur, est moderativa tristitiae, non autem totaliter ablativa.

* Cap. vi, n. 9 sqq. - S. Th. lect. vi, vii.

ARTICULUS DECIMUS

UTRUM SACRAMENTUM POENITENTIAE DEBEAT ITERARI

IV *Sent.*, dist. xiv, qu. 1, art. 4, qu^a 3; *Ad Heb.*, cap. vi, lect. 1.

Ad decimum sic proceditur. Videtur quod sacramentum poenitentiae non debeat iterari. Dicit enim Apostolus, *Heb.* vi *: *Impossibile est eos qui semel illuminati sunt, et gustaverunt donum caeleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam.* Sed quicumque poenituerunt, sunt illuminati, et acceperunt donum Spiritus Sancti. Ergo quicumque peccat post poenitentiam, non potest iterato poenitere.

* Vers. 4, 6.

2. Praeterea, Ambrosius dicit, in libro *de Poenitentia* *: *Reperiuntur qui saepius agendam poenitentiam putant. Qui luxuriantur in Christo. Nam, si vere poenitentiam agerent, iterandam postea non putarent: quia, sicut unum est baptisma, ita una poenitentia.* Sed baptismus non iteratur. Ergo nec poenitentia.

* Lib. II, cap. x. - Cf. can. *Reperiuntur, de Poenit.*, dist. III.

3. Praeterea, miracula quibus Dominus infirmitates corporales sanavit, significant sanationes spiritualium infirmitatum, quibus scilicet homines liberantur a peccatis. Sed non legitur quod Dominus aliquem caecum bis illuminaverit, vel aliquem leprosum bis mundaverit, aut aliquem mortuum bis suscitaverit. Ergo videtur quod nec alicui peccatori bis per poenitentiam veniam largiatur.

4. Praeterea, Gregorius dicit, in Homilia Quadragesimae *: *Poenitentia est anteacta peccata deflere, et flenda iterum non committere.* Et Isidorus dicit, in libro *de Summo Bono* *: *Irrisor est, et non poenitens, qui adhuc agit quod poenitet.* Si ergo aliquis vere poeniteat, iterum non peccabit. Ergo non potest [α] quod poenitentia iteretur.

* Aliter Homil. XXXIV *in Evangel.*, n. 15. - Cf. Ambros. Serm. XXV, n. 1; can. *Poenitentiam agere, de Poenit.*, dist. III.
* Al. *Sentent.* lib. II, cap. xvi.

α

5. Praeterea, sicut baptismus habet efficaciam ex passione Christi, ita et poenitentia. Sed baptismus non iteratur, propter unitatem passionis et mortis Christi. Ergo pari ratione et poenitentia non iteratur.

6. Praeterea, Gregorius [β] * dicit: *Facilitas veniae incentivum praebet delinquendi.* Si ergo Deus frequenter veniam praebet per poenitentiam, videtur quod ipse incentivum praebeat hominibus delinquendi: et sic videtur delectari in peccatis. Quod eius bonitati non congruit. Non ergo potest poenitentia iterari.

β

* Ambr. *Exposit. Psalmi* CXVIII, ad vers. 58, serm. viii, n. 26.

Sed contra est quod homo inducitur ad misericordiam exemplo divinae misericordiae: secundum illud Luc. vi *: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Sed Dominus hanc misericordiam discipulis imponit, ut saepius remittant [γ] fratribus contra se peccantibus: unde, sicut dicitur Matth. xviii *, Petro quaerenti, *Quoties peccaverit in me frater meus, dimittam* [δ] *ei usque septies?* respondit Iesus: *Non dico tibi us-*

* Vers. 36.

γ

* Vers. 21, 22.

δ

α) *potest.* – *potest esse* Fa et tertia, *oportet* Vatic. Palat. 358.
β) *Gregorius.* – *Ambrosius* P.
γ) *remittant.* – DEF et tertia; *remittat.*
δ) *peccaverit... dimittam.* – *peccabit... et demittam* tertia.

que septies, sed usque septuagesies septies. Ergo etiam Deus saepius per poenitentiam veniam peccantibus praebet: praesertim cum doceat nos petere, *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* *.

* Matth. cap. VI, vers. 12.

RESPONDEO DICENDUM quod circa poenitentiam erraverunt quidam dicentes non posse hominem per poenitentiam secundo consequi veniam peccatorum. Quorum quidam [ε], scilicet Novatiani, hoc in tantum extenderunt quod dixerunt post primam poenitentiam quae agitur in baptismo, peccantes non posse per poenitentiam iterato restitui *. – Alii vero fuerunt haeretici, ut Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* *, qui post baptismum dicebant quidem esse utilem poenitentiam, non tamen pluries, sed semel tantum.

* Cf. s. Athanas. Ep. IV, *ad Serapion.*, n. 13; s. Aug. Ep. CCLXV, al. CVIII, *ad Seleucianam.*
* *De Vera et falsa Poenit.*, cap. V. - Inter Opp. Aug.

Videntur autem huiusmodi errores ex duobus processisse. Primo quidem, ex eo quod errabant circa rationem verae poenitentiae. Cum enim ad veram poenitentiam caritas requiratur, sine qua non delentur peccata, credebant quod caritas semel habita non possit amitti: et per consequens quod poenitentia, si sit [ζ] vera, nunquam per peccatum tollatur, ut sit necesse eam iterari. – Sed hoc improbatum est in Secunda Parte *, ubi ostensum est quod caritas semel habita, propter libertatem arbitrii, potest amitti; et per consequens post [η] veram poenitentiam potest aliquis peccare mortaliter.

* IIª IIªᵉ, qu. XXIV, art. 11.

Secundo, ex eo quod errabant circa aestimationem gravitatis peccati. Putabant enim adeo grave esse peccatum quod aliquis committit post veniam impetratam, quod non sit possibile ipsum remitti. In quo quidem errabant et ex parte peccati, quod, etiam post remissionem consecutam, potest esse et gravius et levius etiam [θ] quam fuerit ipsum primum peccatum remissum: et multo magis contra infinitatem divinae misericordiae, quae est super [ι] omnem numerum et magnitudinem peccatorum, secundum illud Psalmi *: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam: et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Unde reprobatur verbum Caini dicentis, *Genes.* IV *: *Maior est iniquitas mea quam ut veniam merear.* Et ideo misericordia Dei peccantibus per poenitentiam veniam praebet absque ullo termino. Unde dicitur II *Paralip.* ult. *: *Immensa et investigabilis misericordia promissionis tuae super malitias hominum.* Unde manifestum est quod poenitentia est pluries iterabilis.

* Ps. L, vers. 3 (al. vers. 1).
* Vers. 13.
* Vide *Orat. Manassae.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quia apud Iudaeos erant secundum legem quaedam lavacra instituta, quibus pluries se ab immunditiis purgabant *, credebant aliqui Iudaeorum quod etiam per lavacrum baptismi aliquis pluries purificari possit. Ad quod excludendum, Apostolus scribit Hebraeis quod impossibile est *eos qui semel sunt illuminati,* scilicet per baptismum, *rursum renovari ad poenitentiam,* scilicet per baptismum, qui est *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti,* ut dicitur *ad Tit.* III *. Et rationem assignat ex hoc quod per baptismum homo Christo commoritur [κ] *: unde sequitur *, *rursum crucifigentes in semetipsis Filium Dei.*

* Cf. *Levit.* cap. XV; Marc. cap. VII, vers. 3, 4.
* Vers. 5.
* Loc. cit. in arg.
* Cf. *ad Rom.* cap. VI, vers. 3 sqq.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Ambrosius loquitur de poenitentia solemni, quae in Ecclesia non iteratur, ut infra * dicetur.

* Cf. *Supplem.*, qu. XXVIII, art. 2.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* *, *multos caecos in* [λ] *diverso tempore Dominus illuminavit, et multos debiles confortavit, ostendens in diversis illis eadem* [μ] *saepe peccata dimitti: ut quem prius sanavit leprosum, alio tempore illuminat caecum. Ideo enim tot sanavit caecos, claudos et aridos, ne desperet saepe* [ν] *peccator. Ideo non scribitur aliquem nisi semel sanasse, ut quisque timeat se iungi peccato. Medicum se vocat, et non sanis, sed male habentibus opportunum: sed qualis hic medicus qui malum iteratum nesciret curare? Medicorum enim est centies infirmum centies curare. Qui ceteris minor esset, si alii possibilia ignoraret.*

* Loc. cit. in corp.

AD QUARTUM DICENDUM quod poenitere est anteacta peccata deflere et flenda non committere *simul* [ξ] *dum flet,* vel actu vel proposito. Ille enim est irrisor et non poenitens qui, *simul dum poenitet,* agit quod poenitet: proponit enim [ο] iterum se facturum quod gessit, vel etiam actualiter peccat eodem vel alio genere peccati. Quod autem aliquis postea peccat, vel actu vel proposito, non excludit quin prima poenitentia vera fuerit. Nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem: sicut enim vere cucurrit [π] qui postea sedet, ita vere poenituit qui postea peccat.

AD QUINTUM DICENDUM quod baptismus habet virtutem ex passione Christi sicut quaedam spiritualis regeneratio, cum spirituali morte praecedentis vitae. *Statutum est* autem *hominibus semel mori* *, et semel nasci. Et ideo semel tantum debet homo baptizari. Sed poenitentia habet virtutem ex passione Christi sicut spiritualis medicatio, quae frequenter iterari potest.

* *Ad Heb.*, cap. IX, vers. 27.

AD SEXTUM DICENDUM quod Augustinus, in libro *de Poenitentia* *, dicit quod *constat* [ρ] *Deo multum displicere peccata, qui semper praesto est ea destruere, ne solvatur quod creavit, ne corrumpatur quod amavit,* scilicet per desperationem.

* Loc. cit. in corp.

ε) *quidam.* – PIsG; om. (*a* om. *quorum quidam scilicet Novatiani*). Pro *quod dixerunt, quod* (*ut* P) *dicerent* tertia.

ζ) *si sit.* – *sit* ABC. – Pro *ut sit, ut sic sit* I et editiones.

η) *et per consequens post.* – D et tertia praeter I; *per sequens peccatum et consequens post* I, *et per consequens* (*sequens* sF) *peccatum et per consequens post* ceteri.

θ) *etiam.* – Om. editiones. – Pro *ipsum, post* I, om. cetera tertia.

ι) *est super.* – *superat* tertia.

κ) *commoritur.* – F et tertia; *moritur.* – Tertia prosequitur: *Unde subdit* (*subditur* P) *rursus crucifigentes sibimetipsis.*

λ) *in.* – *et in* tertia. – Pro *confortavit, confirmavit* P.

μ) *eadem.* – F; *idem b, eisdem c, eidem* ceteri. – Pro *illuminat, illuminavit* DEF*abc*, *illuminet* PI.

ν) *saepe.* – *se* C, *de se* P. Pro *Ideo non, Ideo enim* ABC*a*. Pro *se iungi, iungi* tertia praeter sG. Pro *opportunum, operativum* ACDpE et *a*, *optimum* F. Pro *alii, aliis* PFI.

ξ) *simul.* – *scilicet simul* PFIsG.

ο) *proponit enim.* – *vel proponit* editiones.

π) *cucurrit.* – Tertia praeter H; *currit.* Cf. qu. XV. art. 1. κ.

ρ) *Augustinus... dicit quod constat.* – *secundum Augustinum... quod* (*quod* om. P) *constat* PI.

QUAESTIO OCTOGESIMAQUINTA

DE POENITENTIA SECUNDUM QUOD EST VIRTUS

IN SEX ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LXXXIV, Introd.

DEINDE considerandum est de poenitentia secundum quod est virtus *.
Et circa hoc quaeruntur sex.
Primo: utrum poenitentia sit virtus.
Secundo: utrum sit virtus specialis.
Tertio: sub qua specie virtutis contineatur.
Quarto: de subiecto eius.
Quinto: de causa ipsius.
Sexto: de ordine eius ad alias virtutes.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM POENITENTIA SIT VIRTUS

IV *Sent.*, dist. XIV, qu. 1, art. 1, qu^a 2.



AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod poenitentia non sit virtus. Poenitentia enim est quoddam sacramentum aliis sacramentis connumeratum, ut ex supra * dictis patet. Sed nullum aliud sacramentorum est virtus. Ergo neque poenitentia est virtus.

* Qu. LXV, art. 1; qu. LXXXIV, art. 1.

2. PRAETEREA, secundum Philosophum, in IV *Ethic.* *, verecundia non est virtus, tum quia est passio habens corporalem immutationem; tum etiam quia non est *dispositio perfecti* *, cum sit de turpi acto, quod non habet locum in homine virtuoso. Sed similiter poenitentia est quaedam passio habens corporalem immutationem, scilicet ploratum: sicut Gregorius dicit * quod *poenitere est peccata praeterita plangere*. Est etiam de turpibus factis, scilicet de peccatis, quae non habent locum in homine virtuoso. Ergo poenitentia non est virtus.

* Cap. IX, n. 1. - S. Th. lect. XVII.

* Arist. *Physic.*, lib. VII, text. comm. 17 (Ed. Prantl.). - S. Th. lect. V.

* Homil. XXXIV *in Evang.*, n. 15. - Cf. Ambr. Serm. XXV, n. 1; can. *Poenitent. agere*, *de Poenit.*, dist. III.

3. PRAETEREA, secundum Philosophum, in IV *Ethic.* *, *nullus est stultus eorum qui sunt secundum virtutem*. Sed stultum videtur dolere de commisso praeterito, quod non potest non esse: quod tamen pertinet ad poenitentiam. Ergo poenitentia non est virtus.

* Cap. III, n. 3. - S. Th. lect. VIII.

SED CONTRA EST quod praecepta legis dantur de actibus virtutum: quia *legislator intendit cives facere virtuosos,* ut dicitur in II *Ethic.* * Sed praeceptum divinae legis est de poenitentia: secundum illud Matth. III *: *Poenitentiam agite,* etc. Ergo poenitentia est virtus.

* Cap. I, n. 5. - S. Th. lect. I.

* Vers. 2; cap. IV, vers. 17.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut ex dictis * patet, poenitere est de aliquo a se prius facto dolere. Dictum est autem supra * quod dolor vel tristitia dupliciter dicitur. Uno modo, secundum quod est passio quaedam appetitus sensitivi. Et quantum ad hoc, poenitentia non est virtus, sed passio. Alio modo, secundum quod consistit in voluntate *. Et hoc modo est cum quadam electione. Quae quidem si sit recta, necesse est quod sit actus virtutis: dicitur enim in II *Ethic.* * quod virtus est *habitus electivus secundum rationem rectam*. Pertinet autem ad rationem rectam quod aliquis doleat de quo dolendum est [α]. Quod quidem observatur in poenitentia de qua nunc loquimur: nam poenitens assumit moderatum dolorem de peccatis praeteritis, cum intentione removendi ea. Unde manifestum est quod poenitentia de qua nunc loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis.

* Qu. LXXXIV, art. 8; art. 10, ad 4.

* Ibid., art. 9, ad 2.

* D. 530.

* Cap. VI, n. 15. - S. Th. lect. VII.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut dictum est *, in sacramento poenitentiae materialiter se habent actus humani: quod non contingit in baptismo vel confirmatione. Et ideo, cum virtus sit principium alicuius actus, potius poenitentia est virtus, vel cum virtute, quam baptismus vel confirmatio.

* Qu. LXXXIV, art. 1, ad 1, 2; art. 2, 7.

AD SECUNDUM DICENDUM quod poenitentia, secundum quod est passio, non est virtus, ut dictum est *. Sic autem habet corporalem transmutationem adiunctam. Est autem [β] virtus secundum quod habet ex parte voluntatis electionem rectam.

* In corpore.

Quod tamen magis potest dici de poenitentia quam de verecundia. Nam verecundia respicit turpe factum ut praesens: poenitentia vero respicit turpe factum ut praeteritum [γ]. Est autem contra perfectionem virtutis quod aliquis in praesenti habeat turpe factum, de quo oporteat eum verecundari. Non autem est contra perfectionem virtutis quod aliquis prius commiserit turpia facta, de quibus oporteat eum poenitere, cum ex vitioso fiat aliquis virtuosus.

α) *dolendum est. – et eo modo et fine quo dolendum est* addunt PI.
β) *autem. – tamen* PI, *enim* CDEF et cetera tertia.
γ) *ut praesens... ut praeteritum. –* Ed. *a*; *praesens poenitentia ut praeteritum* F, *ut proprie est poenitentia respicit turpe factum ut praeteritum* sE, *ut praesens pro quo timet confundi poenitentia vero (sed poenitentia respicit turpe factum* sG) *ut praeteritum* PIsG, *ut peccatum b, ut praeteritum* ceteri.

AD TERTIUM DICENDUM quod dolere de eo quod prius factum est cum hac intentione conandi ad hoc quod factum non fuerit, esset stultum. Hoc autem non intendit poenitens: sed dolor eius est displicentia seu reprobatio facti praeteriti cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei et reatum poenae. Et hoc non est stultum.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM POENITENTIA SIT SPECIALIS VIRTUS

IV *Sent.*, dist. XIV, qu. I, art. 1, qu[a] 3.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod poenitentia non sit specialis virtus. Eiusdem enim rationis videtur esse gaudere de bonis prius actis, et dolere de malis perpetratis. Sed gaudium de bono prius facto non est specialis virtus, sed est quidam *affectus laudabilis ex caritate proveniens,* ut patet per Augustinum, XIV *de Civ. Dei* *: unde et Apostolus, I *Cor.* XIII *, dicit quod *caritas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Ergo pari ratione poenitentia, quae est dolor de peccatis praeteritis, non est specialis virtus, sed est quidam affectus ex caritate proveniens.

* Cap. IX.
* Vers. 6.

2. PRAETEREA, quaelibet virtus specialis habet materiam specialem: quia habitus distinguuntur per actus, et actus per obiecta. Sed poenitentia non habet materiam specialem: sunt enim eius materia peccata praeterita circa quamcumque materiam. Ergo poenitentia non est specialis virtus.

3. PRAETEREA, nihil expellitur nisi a suo contrario. Sed poenitentia expellit omnia peccata. Ergo contrariatur omnibus peccatis. Non est ergo specialis virtus.

SED CONTRA EST quod de ea datur speciale legis praeceptum, ut supra * habitum est.

* Art. praeced., arg. *Sed cont.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte * habitum est, species habituum distinguuntur secundum species actuum: et ideo ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem quod in poenitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati praeteriti inquantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere quod poenitentia sit specialis virtus.

* I[a] II[ae], qu. LIV, art. 2, 3; II[a] II[ae], qu. LVIII, art. 1.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod a caritate derivatur aliquis actus dupliciter. Uno modo, sicut ab ea elicitus. Et talis actus virtuosus non requirit aliam virtutem praeter caritatem: sicut diligere bonum et gaudere de eo, et tristari de opposito. – Alio modo aliquis actus a caritate procedit quasi a caritate imperatus. Et sic, quia ipsa imperat omnibus virtutibus, utpote ordinans eas ad finem suum, actus a caritate procedens potest etiam ad aliam virtutem specialem pertinere.

Si ergo in actu poenitentis consideretur sola displicentia peccati praeteriti, hoc immediate ad caritatem pertinet, sicut et gaudere de bonis praeteritis. Sed intentio operandi ad deletionem peccati praeteriti requirit specialem virtutem sub caritate.

AD SECUNDUM DICENDUM quod poenitentia habet quidem realiter generalem materiam, inquantum respicit omnia peccata: sed tamen [α] sub ratione speciali, inquantum sunt emendabilia per actum hominis cooperantis Deo ad suam iustificationem.

AD TERTIUM DICENDUM quod quaelibet virtus specialis expellit [β] habitum vitii oppositi: sicut albedo expellit nigredinem ab eodem subiecto. Sed poenitentia expellit omne peccatum effective, inquantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia homine cooperante. Unde non sequitur quod sit virtus generalis.

α) *sed tamen.* – sF et tertia; *tamen* pF, *et tamen* ceteri. – Post *inquantum* tertia addit *scilicet.*

β) *expellit.* – *corporaliter expellit* I, *formaliter expellit* F et cetera tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

DUBIUM occurrit magnum circa materiam secundi articuli, an poenitentia virtus sit vere et proprie una specialis virtus distincta a ceteris virtutibus. Et est ratio dubii non sola varietas opinionum, sed quoniam utrinque ratio urget.

Nam quod sit una virtus distincta ab aliis, Auctoris ratio in littera concludit, dicens: Operari ad deletionem peccati praeteriti, inquantum est offensa Dei, per quandam recompensationem *, habet specialem rationem actus laudabilis non pertinentem ad rationem alterius virtutis. Ergo poenitentia, cui iste actus attribuitur, est specialis virtus.

* Cf. art. seq.

II. Ad partem autem negativam urget duplex ratio *. Una ex propriis. Quia nulla virtus exigit aut praeexigit habentem ipsam sub illius contrario. Sed poenitentia praeexigit poenitentem fuisse sub peccato, quod contrariatur poenitentiae. Ergo poenitentia non est specialis virtus. – Et haec ratio convincit intellectum meum.

* Cf. num. III.

Quae et confirmatur. Quia virtutum semina sunt ita nobis insita ut possint a nobis acquiri, cum auxilio divino, et recta ratione, etc.: ut non sit necesse nos peccare si omnes habendae sunt virtutes in actu. Sed ad poenitentiae virtutem habendam in actu impossibile est nos pervenire nisi peccatum interveniat. Igitur non est virtus specialis. – Nec evaditur haec confirmatio ex hoc quod poenitentia poneretur virtus non acquisita, sed infusa: quoniam simile est de utrisque iudicium quoad hoc quod non oportet peccare ut virtutes habeamus in actu.

Et confirmatur iterum ex parte subiecti. Quia in Chri-

sto fuerunt omnes virtutes. Et tamen in ipso non fuit poenitentia.

III. Altera ratio est ex parte obiecti. Quia scilicet obiectum hoc, scilicet offensa ut recompensabilis per actum proprium, etc., non requirit propriam virtutem. Quod ex duobus apparet. Primo, ex eo quod inter homines obiectum hoc laudabili actu voluntario attingitur: ut patet cum is qui aliquem offendit, humiliat se illi, confitendo se male fecisse, dolendo de offensa, et subiiciendo se illi ad recompensandam offensam; per hos enim actus recuperat etiam offensi gratiam, iuxta illud *, *Parcere subiectis et debellare superbos*. Et tamen nulla virtus specialis ponitur propter actum aut obiectum istud. Proportionaliter igitur loquendo, nulla est ponenda specialis virtus ad recompensandam Dei offensam.

* Virgil. *Aeneid.* lib. VI, vers. 853.

Secundo, ex eo quod ad huiusmodi recompensationem invenitur alia virtus sufficiens, scilicet religio. Religionis enim actus est subiicere se Deo, reddereque debitum Deo, non minus offenso quam benefactori. Ita quod, sicut reddere Deo debitum ob beneficia suscepta non exigit specialem virtutem ultra religionem, eadem ratione reddere Deo debitum ob offensam in eum ad religionem quoque spectabit: cadunt enim hae speciales rationes debiti, scilicet pro beneficiis vel pro offensis, sub illa communi ratione debiti quam attendit religio.

Et confirmatur. Quia praecipuus actus poenitentiae coincidit cum actu primo religionis. Subiectio enim hominis ad Deum est praecipuum quod poenitentiae virtus offert Deo in recompensam. Quam eandem offert religio: secundum actum quidem devotionis, absolute; secundum vero actum gratitudinis, pro beneficiis receptis; secundum actum poenitentiae, pro offensa commissa. Unde, sicut religionis quidam actus est recompensare beneficia, ita recompensare peccata.

Et confirmatur hoc. Quia in lege veteri actu religionis expiabatur peccatum *: et David *cor contritum et humiliatum,* quod est ipsa emenda pro peccato, *sacrificium* appellat *.

* Cf. qu. LXXXIV, art. 7, ad 2.
* Ps. L, vers. 19.

IV. Ad evidentiam huius difficultatis, recolendum est quod non vertitur in dubium an actus poenitentiae sit actus laudabilis et virtuosus: sed, an exigat virtutem specialem, ita quod habitus eius sit virtus distincta a reliquis virtutibus. Et mihi quidem videtur quod non sit virtus distincta, propter primas rationes allatas * ex parte subiecti et obiecti; sed quod actus poenitentiae est actus religionis.

* Num. II, III.

Quod ut clarius percipiatur, distingue duos actus poenitentiae: alterum, ad recompensandum offensam; alterum, ad recompensandum indulgentiam; nam peccando et Deum offendimus, et nobis plus indulsimus quam fas erat. Et primum, quod est praecipuum in poenitentia, vocatur satisfacere quoad culpam: secundum, satisfacere quoad poenam *. Horum autem actuum, ut ex his quae inter homines videmus ad divina ascendamus, primus consistit in tribus, scilicet displicentia de offensa, confessione peccati, et submissione sui ad offensum: cum his enim tribus recurrit homo ad hominem pro venia; et si his non placatur offensus, nulla restat recta via obtinendi reconciliationem offensi. Secunda autem satisfactio consistit in luendo poenam, ut clare patet.

* Cf. num. V.

Ex his autem ad divinam reconciliationem ascendendo, eadem tria sufficere credimus ad divinam misericordiam provocandam. Horum autem nullum aliam virtutem quam caritatem religionemque requirit. Nam displicentia offensae in Deum actus est caritatis, cuius est gaudere et complacere in bono divino. Confessio autem peccati, non solum exterior sed etiam interior, actus est religionis absque alia virtute media imperatus rationi, cuius est enuntiare peccatum. Submissio autem sui ad Deum religionis actus est: nec aliquid addit ratio poenitentiae nisi causam, scilicet *pro offensa;* sicut ratio gratitudinis addit *pro beneficio.*

Et probatur ratione. Quia religionis actus est quo excellentiam divinam, nostramque subiectionem ad Deum profitemur. Sed uterque istorum actuum, scilicet interior confessio et voluntaria submissio, in utriusque professione consistit: nam qui *confitetur Deo adversus se iniustitiam suam* * submittendo se, et confessione et submissione subiectionem suam fatetur; simul et excellentiam divinam, cui se submittit, cuius excellentissima omnipotentia *parcendo manifestatur* *, cuique *proprium est misereri semper et parcere* *. Est igitur velle operari ad recompensationem offensae proprie Deo, religionis actus elicitus.

* Ps. XXXI, vers. 5.
* Collect. Dom. X post Pentec.
* Collect. *in die Obitus.*

Et confirmatur. Quia virtus poenitentiae non est virtus, ut infra * patebit, acquisita, sed infusa; non ex ratione naturali, sed ex lumine divinae revelationis vim habens; eodemque cursu quo religio currit accepta. In cuius signum, inter praecepta religionis ita sunt sacrificia et orationes pro peccatis sicut pro beneficiis.

* Art. 6, Comment. num. II sqq.

Nec propterea arguimus Auctorem. Quoniam verum est poenitentiam esse specialem virtutem, latiori vocabulo utendo. Nec hoc mirum videatur alicui, aut novum in doctrina Auctoris: quoniam in praecedenti Libro * simile quid apparet, dum posita est virginitas specialis virtus, quae tamen non est nisi religio determinata ad tam excellentem materiam.

* IIª IIªe, qu. CLII, art. 3.

V. Reliquus vero actus poenitentiae, scilicet satisfacere quoad poenam *, potest poni actus religionis imperatus mediante virtute vindicativae iustitiae participatae in subdito, ita quod peccator puniat se quasi minister Dei vindicantis.

* Cf. num. IV, *Quod ut.*

Potest etiam poni actus religionis immediate, pro quanto religio ipsa debitam poenam exsolvit, ut perficiatur satisfactio debita a filio servoque Domino ac Patri: hoc enim iustum secundum quid religio attendit inter hominem et Deum, cum iustum simpliciter esse nequeat.

Potes autem percipere hanc quoque satisfactionem spectare ad religionem, ex eo quod nonnullus cultus est divinae excellentiae ex nostra subiectione, ut voluntarie huiusmodi poenas offeramus ei pro usurpatis contra aut praeter voluntatem divinam.

VI. Et haec de hac difficultate dicta sufficiant. Prosequemur in sequentibus tractatum de poenitentia ea dicendo quae stant cum utraque opinione: scilicet quod poenitentia sit una virtus per se distincta a reliquis; et quod poenitentia coincidat cum religione totaliter aut principaliter, et cum iustitia forte vindicativa seu commutativa quoad actum secundarium.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM VIRTUS POENITENTIAE SIT SPECIES IUSTITIAE

IV *Sent.*, dist. XIV, qu. I, art. 1, quª 4, ad 4; quª 5.



AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod virtus poenitentiae non sit species iustitiae. Iustitia enim non est virtus theologica, sed moralis, ut in Secunda Parte * patet. Poenitentia autem videtur virtus esse theologica, quia habet Deum pro obiecto: satisfacit enim Deo, cui etiam reconciliat peccatorem. Ergo videtur quod poenitentia non sit pars [α] iustitiae.

* Iª IIªe, qu. LIX, art. 5; qu. LXII, art. 2, 3.

2. PRAETEREA, iustitia, cum sit virtus moralis, consistit in medio *. Sed poenitentia non consistit

* Cf. Arist. *Ethic.* lib. II, cap. VI, n. 15. - S. Th. lect. VII.

α) *pars.* – *species* P.

in medio, sed in quodam excessu: secundum illud Ierem. VI *: *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* Ergo poenitentia non est species iustitiae.

* Vers. 26.

3. PRAETEREA, duae sunt species iustitiae, ut dicitur in V *Ethic.* *, scilicet *distributiva* et *commutativa.* Sed sub neutra videtur poenitentia contineri. Ergo videtur quod poenitentia non sit species iustitiae.

* Cap. II, n. 12. - S. Th. lect. IV.

4. PRAETEREA, super illud Luc. VI *, *Beati qui nunc fletis,* dicit Glossa *: *Ecce prudentia, per quam ostenditur quam haec terrena sint misera, et quam beata caelestia.* Sed flere est actus poenitentiae. Ergo poenitentia magis est prudentiae [β] quam iustitiae.

* Vers. 21.
* Ord. sine nom.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* *: *Poenitentia est quaedam dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolet se commisisse.* Sed facere vindictam pertinet ad iustitiam: unde Tullius, in sua *Rhetorica* *, ponit *vindicativam* unam speciem iustitiae. Ergo videtur quod poenitentia sit species iustitiae.

* *De Vera et Falsa Poenit.*, cap. VIII, XIX. - Inter Opp. Aug.
* *De Invent. Rhetor.* lib. II, cap. LIII.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, poenitentia non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo quod dolet de malo perpetrato, ad hoc enim sufficeret caritas: sed ex eo quod poenitens dolet de peccato commisso inquantum est offensa Dei, cum emendationis proposito. Emendatio autem offensae contra aliquem commissae fit non per solam cessationem offensae, sed exigitur ulterius quaedam recompensatio, quae habet locum in offensis in alterum commissis sicut et retributio: nisi quod recompensatio est ex parte eius qui offendit, ut puta cum satisfactione; retributio autem est ex parte eius in quem fuit offensa commissa. Utrumque autem ad materiam iustitiae pertinet: quia utrumque est commutatio quaedam. Unde manifestum est quod poenitentia, secundum quod est virtus, est pars iustitiae *.

* Art. praeced.
* D. 1017.

Sciendum tamen quod, secundum Philosophum, in V *Ethic.* *, dupliciter dicitur iustum: scilicet simpliciter, et secundum quid. Simpliciter quidem iustum est inter aequales: eo quod iustitia est aequalitas quaedam. Quod ipse vocat *iustum politicum* vel *civile:* eo quod omnes cives aequales sunt, quantum ad hoc quod immediate sunt sub principe, sicut liberi existentes.

* Cap. VI, n. 4. - S. Th. lect. XI.

Iustum autem secundum quid dicitur quod est inter illos quorum unus est sub potestate alterius: sicut servus sub domino, filius sub patre *, uxor sub viro *. Et tale iustum consideratur in poenitentia. Unde poenitens recurrit ad Deum, cum emendationis proposito, sicut servus ad dominum, secundum illud Psalmi *, *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri;* et sicut filius ad patrem, secundum illud Luc. XV *, *Pater, peccavi in caelum et coram te;* et sicut uxor ad virum, secundum illud Ierem. III *, *Fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus.*

* D. 803.
* Arist. loc. prox. cit. n. 8, 9.
* Ps. CXXII, vers. 2.
* Vers. 18.
* Vers. 1.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut in V *Ethic.* * dicitur, iustitia est [γ] *ad alterum.* Ille autem ad quem est iustitia, non dicitur esse materia iustitiae: sed magis res quae distribuuntur vel commutantur. Unde et materia poenitentiae non est Deus, sed actus humani quibus Deus offenditur vel placatur: sed Deus se habet sicut ille ad quem est iustitia. Ex quo patet quod poenitentia [δ] non est virtus theologica: quia non habet Deum pro materia vel pro obiecto.

* Cap. I, n. 15 sqq. - S. Th. lect. II.

AD SECUNDUM DICENDUM quod medium iustitiae est aequalitas quae constituitur inter illos inter quos est iustitia, ut dicitur in V *Ethic.* * In quibusdam autem non potest perfecta aequalitas constitui, propter alterius excellentiam: sicut inter filium et patrem, inter hominem et Deum, ut Philosophus dicit, in VIII *Ethic.* * Unde in talibus ille qui est deficiens, debet facere quidquid potest, nec tamen hoc erit sufficiens [ε], sed solum secundum acceptationem superioris. Et hoc significatur per excessum qui attribuitur poenitentiae.

* Cap. V, n. 17. - S. Th. lect. X.
* Cap. XIV, n. 4. - S. Th. lect. XIV.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut est commutatio quaedam in beneficiis, cum scilicet aliquis pro beneficio recepto gratiam rependit, ita etiam est commutatio in offensis: cum aliquis pro offensa in alterum commissa vel invitus punitur, quod pertinet ad vindicativam iustitiam; vel voluntarie recompensat emendam, quod pertinet ad poenitentiam, quae respicit personam peccatoris sicut iustitia vindicativa personam iudicis. Unde manifestum est quod utraque sub iustitia commutativa continetur.

AD QUARTUM DICENDUM quod poenitentia, licet directe sit species iustitiae, comprehendit tamen quodammodo ea quae pertinent ad omnes virtutes. Inquantum enim est iustitia quaedam hominis ad Deum, oportet quod participet ea quae sunt virtutum theologicarum, quae habent Deum pro obiecto. Unde poenitentia est cum fide passionis Christi, per quam iustificamur a peccatis; et cum spe veniae; et cum odio vitiorum, quod pertinet ad caritatem. – Inquantum vero est virtus moralis, participat aliquid prudentiae, quae est directiva omnium virtutum moralium. – Sed ex ipsa ratione iustitiae non solum habet id quod iustitiae est, sed etiam ea quae sunt temperantiae et fortitudinis: inquantum scilicet ea quae delectationem causant ad temperantiam pertinentem, vel [ζ] terrorem incutiunt, quem fortitudo moderatur, in commutationem iustitiae veniunt. Et secundum hoc ad iustitiam pertinet et abstinere a delectabilibus, quod pertinet ad temperantiam; et sustinere dura, quod pertinet ad fortitudinem.

β) *est prudentiae.* – *est species* pF, *est species prudentiae* PsFG et *a*, *prudentiae (quam iustitiae) est actus* I; *Ergo... iustitiae* om. E.

γ) *est.* – *virtus* addunt F et tertia. – *est iustitia* PFGHI; *dicitur iustitia bc, iustitia dicitur (non est materia)* ed. *a*, *iustitia* ceteri.

δ) *poenitentia.* – Ed. *a* et per *Alias* margo P; *iustitia.*

ε) *sufficiens.* – *simpliciter* addit tertia.

ζ) *pertinentem, vel.* – F et tertia praeter P; *pertinent vel* P, *pertinentem* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo tertio tria advertenda occurrunt. Primum est de actu poenitentiae: an contineatur sub commutativa iustitia. – Secundum est: an sistat in commutativa iustitia. – Tertium est: an reddat aequale simpliciter, vel secundum acceptationem Dei tantum.

Et primum quidem propter Scotum, qui, in IV *Sent.*, dist. XIV, qu. II *, posuit actum poenitentiae esse actum iustitiae punitivae, quae distinguitur contra iustitiam commutativam. Tenuit enim poenitentem ut ministrum iudicis punire se, ut culpa ordinetur per poenam. Ac per hoc, cum actus iudicis sit vindicare, seu velle infligere poenam pro peccato, qui est actus iustitiae vindicativae, idem actus erit in poenitente, tanquam exequente contra seipsum vindictam a iudice statutam.

* Art. 1 principali. - Cf. num. III.

Secundum vero dubium motum est propter Durandum *, dist. XIV, art. II, ubi ponit poenitentiam esse idem quod iustitia commutativa: quia ordinat hominem ad alterum, idest Deum, in ratione debiti propter offensam.

* IV *Sent.*

Tertium autem movetur propter Scotum, ubi supra, qu. III *, tenentem quod aequale ex natura rei posset reddi, ita quod poena esset aequalis culpae: ut sic culpa sufficienter ordinetur per poenam.

* Ad arg. 2 principale.

II. Ad horum evidentiam, notandum est primo, quod Auctor loquitur de poenitentia ut est recompensativa Deo tam pro culpa quam pro poena. Scotus vero solam poenae rationem habuit: nec posuit poenitentiam ad reconciliandum Deum offensum, sed solummodo ad puniendam culpam commissam.

Unde adverte secundo, quod Auctor posuit poenitentem ut alterum extremum respectu Dei. Scotus vero posuit poenitentem in utroque extremo: dum ponit ipsum ex una parte ut ministrum iudicis vindicantem; et ex altera parte ponit ipsum ut reum in quem fit vindicta, constituendo aequalitatem poenae ad culpam. Et propterea non est mirum si varia dicuntur ab istis.

Verum si diligentius perspectum fuerit, et praecipuus poenitentiae actus consideratus fuerit, apparebit quod prima poenitentiae intentio est operari ad reconciliationem offensi per recognitionem peccati et submissionem sui: iuxta illud *: *Dixi, Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei;* ubi *impietatem* dixit, non *poenam,* monstrans per hoc quod huiusmodi sui ipsius accusatio apud Deum remissioni offensae cooperatur, utpote ad illam ordinata.

* Ps. XXXI, vers. 5.

Et hinc sequitur quod poenitens, ut poenitens, non tenet personam ministri et rei: sed rei tantummodo, non puniendi tantum, sed principalius reconciliandi per proprium opus ad divinam misericordiam accedentis.

III. Unde ad primum dubium * dicitur quod, licet poenitentia quoad actum secundarium, qui est solutio poenae, sit forte actus iustitiae vindicativae: quia tamen vindicta fit secundum aequale iustitiae commutativae, ex hoc ipso non excluditur iustitia commutativa, sed includitur, sicut genus includitur in specie. Nec enim aliter distinguitur vindicativa contra commutativam nisi sicut species distinguitur a genere.

* Num. I.

Ad secundum vero dubium dicitur quod, cum inter Deum et hominem non sit iustum simpliciter sed secundum quid, non videtur erudite dictum quod poenitentia coincidit cum iustitia absolute. Nec ratio allata hoc infert: quoniam oportet addere quod reddit debitum *aequale;* quod hic non salvatur.

Ad tertium autem dicendum, puto, quod in aequivoco laboramus. Quoniam nos de aequali ad totum quod debetur ex peccati ratione, loquimur: et dicimus non posse reddi aequale Deo. Ille vero de aequali ad solam poenam temporalem, quae post reconciliationem solvenda restat, loqui videtur: quam aequalitatem fieri posse non videtur negandum, cum Iob dicat *: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera: quasi arena maris haec gravior appareret.*

* Cap. VI, vers. 2, 3.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM SUBIECTUM POENITENTIAE SIT PROPRIE VOLUNTAS

IV *Sent.*, dist. XIV, qu. I, art. 3, qu^a^ 1.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod subiectum poenitentiae non sit proprie voluntas. Poenitentia enim est tristitiae species. Sed tristitia est in concupiscibili, sicut et gaudium. Ergo poenitentia est in concupiscibili.

2. Praeterea, poenitentia est *vindicta quaedam,* ut Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* *. Sed vindicta videtur ad irascibilem pertinere: quia ira est *appetitus vindictae* *. Ergo videtur quod poenitentia sit in irascibili.

* Loc. cit. in art. 3, arg. *Sed Cont.*

* Aristot. *Rhetor.* lib. II, cap. II, n. 1. - Cf. Gloss. Ord. *Levit.* cap. XIX, vers. 17.

3. Praeterea, praeteritum est proprium obiectum memoriae, secundum Philosophum, in libro *de Memoria* *. Sed poenitentia est de praeterito, ut dictum est *. Ergo poenitentia est in memoria sicuti in subiecto.

* Al. *de Mem. et Remin.*, cap. I. - S. Th. lect. 1.
* Art. 1, ad 2, 3.

4. Praeterea, nihil agit ubi non est. Sed poenitentia excludit peccata [α] ab omnibus viribus animae. Ergo poenitentia est in qualibet vi animae, et non in voluntate tantum.

Sed contra, poenitentia est sacrificium quoddam: secundum illud Psalmi *: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Sed offerre sacrificium est actus voluntatis: secundum illud Psalmi *: *Voluntarie sacrificabo tibi.* Ergo poenitentia est in voluntate.

* Ps. L, vers. 19.
* Ps. LIII, vers. 8.

Respondeo dicendum quod de poenitentia dupliciter loqui possumus. Uno modo, secundum quod est passio quaedam. Et sic, cum sit species tristitiae, est in concupiscibili sicut in subiecto.

Alio modo, secundum quod est virtus. Et sic, sicut dictum est *, est species iustitiae **. Iustitia autem, ut in Secunda Parte * dictum est, habet pro subiecto appetitum rationis, qui est voluntas. Unde manifestum est quod poenitentia, secundum quod est virtus, est in voluntate sicut

* Art. praeced.
** D. 1017.
* II^a^ II^ae^, qu. LVIII, art. 4. - Cf. I^am^ II^ae^, qu. LVI, art. 6.

α) *peccata.* – *peccatum* PFc.

in subiecto. Et proprius eius actus est propositum emendandi Deo quod contra eum commissum est.

Ad primum ergo dicendum quod ratio illa procedit de poenitentia secundum quod est passio.

β Ad secundum dicendum quod vindictam expetere β ex passione de alio pertinet ad irascibilem. Sed appetere vel facere vindictam ex ratione de se vel de alio, pertinet ad voluntatem.

Ad tertium dicendum quod memoria est vis apprehensiva praeteriti. Poenitentia autem non pertinet ad vim apprehensivam, sed ad appetitivam, quae praesupponit actum apprehensivae. Unde poenitentia non est in memoria, sed supponit eam.

Ad quartum dicendum quod voluntas, sicut in Prima Parte * habitum est, movet omnes alias potentias animae. Et ideo non est inconveniens si poenitentia, in voluntate existens, aliquid in singulis potentiis animae operatur.

* Qu. lxxxii, art. 4; Iª IIªe, qu. ix, art. 1.

β) *expetere.* – *appetere* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo quarto intellige, Novitie, quod, sicut iustitia est *voluntas ius suum unicuique tribuens* *, ita poenitentia est voluntas tribuens Deo ius suum pro peccato contra eum commisso. Est enim, sive sit idem quod religio sive non *, talis voluntas, quoniam pars est iustitiae, quae in actu voluntatis consistit. Reddit autem poenitentia Deo ius suum pro offensa, confitendo, detestando, ac submittendo se peccatorem Deo offenso, hoc enim est aequale secundum quid, quod ab homine reddi potest: quoad poenam vero, affligendo se, etc.

* Dig. I, I, *de Iustit. et Iure*, 10; Instit. I, I, eod. tit.

* Cf. art. II, Comment. num. VI.

Et quoniam huiusmodi voluntas ex maiori vel minori potest affectu procedere, ideo varia invenitur dispositio vere poenitentium: maior minorque fructus divinae gratiae inde percipitur.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM PRINCIPIUM POENITENTIAE SIT EX TIMORE

IV *Sent.*, dist. xiv, qu. 1, art. 2, quª 1.

* Vid. Comment. Caiet. post art. 6.

Ad quintum sic proceditur *. Videtur quod principium poenitentiae non sit ex timore. Poenitentia enim incipit in displicentia peccatorum. Sed hoc pertinet ad caritatem, ut supra * dictum est. Ergo poenitentia magis oritur ex amore quam ex timore.

* Art. 2, ad 1; art. 3.

2. Praeterea, ad poenitentiam homines provocantur per expectationem regni caelestis: secundum illud Matth. iv *: *Poenitentiam agite: appropinquabit enim regnum caelorum.* Sed regnum caelorum est obiectum spei. Ergo poenitentia magis procedit ex spe quam ex timore.

* Vers. 17; cap. III, vers. 2.

α β 3. Praeterea, timor est interior actus α hominis. Poenitentia autem non videtur esse β ex opere hominis, sed ex opere Dei: secundum illud Ierem. xxxi *: *Postquam convertisti me, egi poenitentiam.* Ergo poenitentia non procedit ex timore.

* Vers. 19.

Sed contra est quod Isaiae xxvi * dicitur: *Sicut quae concipit* γ, *cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus,* scilicet per poenitentiam: et postea subditur, secundum aliam litteram *: *A timore tuo, Domine, concepimus, et parturivimus* δ, *et peperimus spiritum salutis,* idest poenitentiae salutaris, ut per praemissa * patet. Ergo poenitentia procedit ex timore.

* Vers. 17. γ

* LXX Interpret. δ

* In eod. cap.

Respondeo dicendum quod de poenitentia loqui possumus dupliciter. Uno modo, quantum ad habitum. Et sic immediate a Deo infunditur, *sine nobis* * principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus.

* Cf. Magist. II *Sent.*, dist. xxvii, cap. *Hic videndum;* Iam IIae, qu. lv, art. 4.

Alio modo possumus loqui de poenitentia quantum ad actus quibus Deo operanti in poenitentia ε cooperamur. Quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor: secundum illud *Thren.* ult. *: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* – Secundus actus est motus fidei. – Tertius actus est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur. – Quartus actus est motus spei, quo quis, sub spe veniae consequendae, assumit propositum emendandi. – Quintus actus est motus caritatis, quo ζ alicui peccatum displicet secundum seipsum, et non iam propter supplicia. – Sextus actus est motus timoris filialis, quo, propter reverentiam Dei, aliquis emendam Deo voluntarius offert. ε ζ

* *Orat. Ierem.*, vers. 21.

Sic igitur patet quod actus poenitentiae a timore servili procedit sicut a primo motu affectus ad hoc ordinante η: a timore autem filiali sicut ab immediato et proximo principio. η

Ad primum ergo dicendum quod peccatum prius incipit homini displicere, maxime peccatori, propter supplicia, quae respicit timor servilis, quam propter Dei offensam vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad caritatem.

Ad secundum dicendum quod in *regno caelorum appropinquante* intelligitur adventus regis non solum praemiantis, sed etiam punientis. Unde

α) *interior actus.* – *actus* E, *quidam interior actus* F, *quidam actus interior* tertia.
β) *esse.* – *in nobis esse* tertia.
γ) *concipit.* – *concepit* PB.
δ) *parturivimus.* – *quasi parturivimus* tertia.
ε) *poenitentia.* – DFa et tertia; *poenitentiam.*
ζ) *quo.* – DFa et tertia; *vel quo.*
η) *ordinante.* – *ordinate* H, *ordinanto* b, *ordinato* Pc.

* Vers. 7. et, Matth. III *, Ioannes Baptista dicebat: *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?*

Ad tertium dicendum quod etiam ipse motus timoris procedit ex actu Dei convertentis cor: unde dicitur *Deuteron.* v *: *Quis det eos talem habere mentem ut timeant me?* Et ideo per hoc quod poenitentia a timore procedit, non excluditur quin procedat ex actu Dei convertentis cor. * Vers. 29.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM POENITENTIA SIT PRIMA VIRTUTUM

IV *Sent.*, dist. XIV, qu. I, art. 2, qa 2.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod poenitentia sit prima virtutum. Quia super illud Matth. III *, *Poenitentiam agite,* dicit Glossa *: *Prima virtus est per poenitentiam punire veterem hominem et vitia odire* α.

* Vers. 2. * Ord.

2. Praeterea, recedere a termino prius esse videtur quam accedere ad terminum. Sed omnes aliae virtutes pertinere videntur ad accessum ad terminum: quia per omnes homo ordinatur ad bonum agendum. Poenitentia autem videtur ordinari ad recessum a malo. Ergo poenitentia videtur prior esse omnibus aliis virtutibus.

3. Praeterea, ante poenitentiam est peccatum in anima. Sed simul cum peccato nulla virtus animae inest. Ergo nulla virtus est ante poenitentiam, sed ipsa videtur esse prima, quae aliis aditum β aperit excludendo peccatum.

Sed contra est quod poenitentia procedit ex fide, spe et caritate, sicut iam * dictum est. Non ergo poenitentia est prima virtutum. * Art. praeced.

Respondeo dicendum quod in virtutibus non attenditur ordo temporis quantum ad habitus: quia, cum virtutes sint connexae, ut in Secunda Parte * habitum est, omnes simul incipiunt esse in anima. Sed dicitur una earum esse prior altera ordine naturae, qui consideratur ex ordine actuum: secundum scilicet quod actus unius virtutis praesupponit actum alterius virtutis *. * Ia IIae, qu. LXV, art. 3. * D. 1177.

Secundum hoc ergo dicendum est quod actus quidam laudabiles etiam tempore praecedere possunt actum et habitum poenitentiae: sicut actus fidei et spei informium, et actus timoris servilis. Actus autem et habitus caritatis simul sunt tempore cum actu et habitu poenitentiae, et cum habitibus aliarum virtutum: nam, sicut in Secunda Parte * habitum est, in iustificatione impii simul est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei per caritatem formatus, et motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus poenitentiae. Horum tamen duorum actuum primus naturaliter praecedit secundum: nam actus poenitentiae virtutis γ est contra peccatum ex amore Dei, unde primus actus est ratio et causa secundi. Sic igitur poenitentia non est simpliciter prima virtutum, nec ordine temporis nec ordine naturae: quia ordine naturae simpliciter praecedunt ipsam virtutes theologicae *. * Ia IIae, qu. CXIII, art. 7, 8. * D. 1018.

Sed quantum ad aliquid est prima inter ceteras virtutes ordine temporis, quantum ad actum eius qui primus occurit in iustificatione impii. Sed ordine naturae videntur esse aliae virtutes priores, sicut quod est per se prius est δ eo quod est per accidens: nam aliae virtutes per se videntur esse necessariae ad bonum hominis, poenitentia autem supposito quodam, scilicet peccato praeexistenti; sicut etiam dictum est * circa ordinem sacramenti poenitentiae ad alia sacramenta praedicta. * Qu. LXV, art. 4.

Ad primum ergo dicendum quod glossa illa loquitur quantum ad hoc quod actus poenitentiae primus est tempore inter actus aliarum virtutum ε.

Ad secundum dicendum quod in motibus successivis recedere a termino est prius tempore quam pervenire ad terminum; et prius natura quantum est ex parte subiecti, sive secundum ordinem causae materialis. Sed secundum ordinem causae agentis et finalis, prius est pervenire ad terminum: hoc enim est quod primo agens intendit. Et hic ordo praecipue attenditur in actibus animae ζ, ut dicitur in II *Physicorum* *. * Cap. IX, n. 3. - S. Th. lect. XV.

Ad tertium dicendum quod poenitentia aperit aditum virtutibus expellendo peccatum per virtutem fidei et caritatis, quae sunt naturaliter priores. Ita tamen aperit eis aditum quod ipsae simul intrant cum ipsa: nam in iustificatione impii simul cum motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum, est remissio culpae et infusio gratiae, cum qua simul infunduntur omnes virtutes, ut in Secunda Parte * habitum est. * Ia IIae, qu. LXV, art. 3, 5.

α) *odire.* – *odisse* P, *odire ergo etc.* ed. *a.*
β) *aditum.* – P; *ianuam* F, *animam* ceteri.
γ) *poenitentiae virtutis.* – *virtutis poenitentiae* P.
δ) *prius est.* – FIa; *est prius* cetera tertia, *prius* ceteri. – *per se* ante et post *videntur esse* habent ABC.
ε) *virtutum.* – *moralium* addunt F et tertia.
ζ) *animae.* – D et editiones; om. C, *animi* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulis quinto et sexto simul, ne fallaris, Novitie, intelligens actus quibus Deo in poenitentia cooperamur, esse actus procedentes a virtute poenitentiae. Hoc enim falsum est: cum multi actus illi, scilicet qui sine caritate esse possunt, praecedant poenitentiam ut est virtus, et tamen sunt actus boni, quibus Deo cooperamur ad poenitentiam consequendam. Nec te turbet actus timoris servilis: quoniam pro timore poenarum sumitur, et est bonus; et non pro timore poenarum tantum.

II. In eodem articulo sexto dubium occurrit ex Scoto et Durando, an poenitentia sit virtus acquisita. Nam Scotus, ubi supra *, qu. III **, tenet poenitentiam esse virtutem acquisitam: quia voluntas ex frequentatis actibus poenitendi potest generare in se habitum inclinantem ad similes actus; et ille erit vere virtus, quia rectissimae rationi consonus. – Et amplius sentit quod potest esse informis: quia potest manere cum peccato mortali.

* Art. 3, Comment. num. I.
** Qu. II, ad ult. arg. principale.

Durandus autem, ubi supra *, negat ipsam esse virtutem infusam: quia nulla talis est praeter theologicas.

* Art. 3, Comment. num. I.

III. Ad huius evidentiam, sciendum est quod esse virtutem infusam contingit dupliciter: vel per se, vel per accidens. Per se quidem virtus infusa est quae nec ex natura nec ex acquisitione, sed sola infusione haberi potest, ut caritas. Per accidens autem est quae ex suo genere nata est acquiri, sed accidit quod in hoc sit infusa: ut cum Deus infundit alicui habitum scientiae moralis vel naturalis, aut habitum temperantiae seu fortitudinis.

Rursus sciendum est quod aliud est habere aliquem *habitum electivum secundum rationem rectam* *: et aliud est habere similem habitum secundum rationem virtutis. Verbi gratia, aliud est habere habitum amoris acquisitum ex frequentibus actibus amandi Deum et proximum, etiam secundum regulas fidei: et aliud est habere virtutem caritatis. Habere enim virtutem caritatis est habere habitum infusum ***dividentem filios Dei a filiis perditionis*** *: habere autem habitum acquisitae caritatis non est habere huiusmodi virtutem, quae est donum Dei, ut ex se patet.

* Aristot. *Ethic.* lib. II, cap. VI, n. 15. – S. Th. lect. VII.

* Aug. *de Trin.* lib. XIV, cap. XVIII.

IV. His praemissis, dicitur quod, quia poenitentia est per se virtus infusa, quantumcunque ex frequentatis poenitendi actibus similis habitus generari possit, nunquam perveniet ad plenam rationem virtutis poenitentiae: quia nunquam perveniet ad hoc quod sit donum reconcilians Deo offenso.

Quod autem poenitentia sit virtus per se infusa, ex eo patet quod omnes illae virtutes quae ex suo genere ordinant hominem secundum statum vitae gratiae, sunt ex suo genere infusae, utpote excedentes statum vitae quae est secundum naturam et rationem naturalem. Sed virtutem poenitentiae constat ad statum vitae quae est secundum gratiam Dei pertinere: sicut et religionem ut est circa sacramenta, circa venerationem Dei unius et trini, etc.

Unde apparet falsum esse solas theologales virtutes esse infusas; et virtutem poenitentiae posse esse informem, seu cum peccato mortali; optimeque Auctorem dixisse * quod *actus et habitus caritatis simul sunt tempore cum actu et habitu poenitentiae,* cum iustificatur impius.

* In corpore.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.



QUAESTIO OCTOGESIMASEXTA

DE EFFECTU POENITENTIAE QUANTUM AD REMISSIONEM PECCATORUM MORTALIUM

IN SEX ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LXXXIV, Introd. DEINDE considerandum est de effectu poenitentiae *. Et primo, quantum ad remissionem peccatorum mortalium; secundo, quantum ad remissionem peccatorum venialium *; tertio, quantum ad reditum peccatorum dimissorum *; quarto, quantum ad restitutionem virtutum *. Circa primum quaeruntur sex.

* Qu. LXXXVII. * Qu. LXXXVIII. * Qu. LXXXIX.

α Primo: utrum peccata [α] mortalia per poenitentiam auferantur.

Secundo: utrum possint sine poenitentia tolli.

Tertio: utrum possit remitti unum sine alio.

Quarto: utrum poenitentia auferat culpam remanente reatu.

Quinto: utrum remaneant reliquiae peccatorum.

Sexto: utrum auferre peccatum sit effectus poenitentiae inquantum est virtus, vel inquantum est sacramentum.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM PER POENITENTIAM REMOVEANTUR OMNIA PECCATA

IIª IIªᵉ, qu. XIV, art. 3; IV *Sent.*, dist. XIV, qu. II, art. 1, quª 1; III *Cont. Gent.*, cap. CLVI.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per poenitentiam non removeantur omnia peccata. Dicit enim Apostolus, *Heb.* XII *, quod Esau *non invenit locum poenitentiae, quamvis cum lacrimis inquisisset eam:* Glossa *: *idest* [β], *non invenit locum veniae et benedictionis per poenitentiam.* Et II *Machab.* IX * dicitur de Antiocho: *Orabat scelestus ille Dominum, a quo non erat misericordiam consecuturus.* Non ergo videtur quod per poenitentiam omnia peccata tollantur.

* Vers. 17. * Interl. et Lomb. β * Vers. 13.

2. PRAETEREA, dicit Augustinus, in libro *de Sermone Dom. in Monte* *, quod *tanta est labes illius peccati* (scilicet, *cum post agnitionem Dei per gratiam Christi, oppugnat aliquis fraternitatem, et adversus ipsam gratiam invidiae facibus agitatur*), *ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum suum mala conscientia agnoscere et annuntiare cogatur.* Non ergo omne peccatum potest per poenitentiam tolli *.

* Lib. I, cap. XXII, n. 72, 73. * D. 1005.

3. PRAETEREA, Dominus dicit, Matth. XII *: *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum verbum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.* Non ergo omne peccatum remitti potest per poenitentiam.

* Vers. 32.

SED CONTRA EST quod dicitur Ezech XVIII *: *Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor amplius.*

* Vers. 22.

RESPONDEO DICENDUM quod hoc quod aliquod peccatum per poenitentiam tolli non possit, posset [γ] contingere dupliciter: uno modo, quia aliquis de peccato poenitere non posset; alio modo, quia poenitentia non posset delere peccatum. Et primo [δ] quidem modo, non possunt deleri peccata daemonum, et etiam hominum damnatorum: quia affectus eorum sunt in malo confirmati *, ita quod non potest eis displicere peccatum inquantum est culpa, sed solum displicet eis inquantum est [ε] poena quam patiuntur; ratione cuius aliquam poenitentiam, sed infructuosam habent, secundum illud *Sap.* V *: *Poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes.* Unde talis poenitentia non est cum spe veniae, sed cum desperatione.

γ δ * D. 151. ε * Vers. 3.

Tale autem non potest esse peccatum aliquod hominis viatoris *, cuius liberum arbitrium flexibile est ad bonum et ad malum. Unde dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita de quo aliquis poenitere non possit, est erroneum. Primo quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. – Secundo, quia derogaretur [ζ] virtuti gratiae, per quam moveri potest cor cuiuscumque peccatoris ad poenitendum: secundum illud *Proverb.* XXI *: *Cor regis in manu Dei, et quocumque voluerit vertet illud.*

* D. 1019. ζ * Vers. 1.

Quod autem secundo modo non possit per veram poenitentiam aliquod peccatum remitti, est etiam erroneum. Primo quidem, quia repugnat divinae misericordiae, de qua dicitur, Ioel II *, quod *benignus et misericors est, et* [η] *multae misericordiae, et praestabilis super malitia.* Vinceretur quodammodo enim [θ] Deus ab homine, si

* Vers. 13. η θ

α) *peccata.* – *omnia peccata* tertia.
β) *Glossa: idest.* – F et tertia; om.
γ) *posset.* – *possit* H, *potest* editiones.
δ) *Et primo.* – *Primo* F et tertia, *Et hoc primo* ceteri. – Ante *deleri* F et tertia addunt *per poenitentiam.*
ε) *inquantum est.* – *inquantum* DEpC, om. tertia.
ζ) *derogaretur.* – *per hoc derogaretur* PI.
η) *et.* – *et patiens et* PGc, *patiens et* I, *et patiens b.*
θ) *quodammodo enim.* – *enim quodammodo* Fa et tertia.

homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet. – Secundo, quia hoc derogaret virtuti passionis Christi, per quam poenitentia operatur, sicut et cetera sacramenta: cum scriptum sit, I Ioan. II *: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non solum nostris, sed etiam totius mundi.*

* Vers. 2.

Unde simpliciter dicendum est quod omne peccatum in hac vita per poenitentiam ι deleri potest.

Ad primum ergo dicendum quod Esau non vere poenituit. Quod patet ex hoc quod dixit: *Venient dies luctus patris mei, et occidam Iacob fratrem meum* *.

* Gen. cap. XXVII, vers. 41.

Similiter etiam nec Antiochus vere poenituit. Dolebat enim de culpa praeterita non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem quam patiebatur *.

* II Machab. cap. IX, vers. 5 sqq.

Ad secundum dicendum quod illud verbum Augustini sic est intelligendum: *Tanta est labes illius peccati ut deprecandi humilitatem subire non possit,* scilicet, *de facili:* secundum quod dicitur ille non posse sanari qui non potest de facili sanari. Potest tamen hoc fieri per virtutem divinae gratiae, quae etiam interdum *in profundum maris convertit,* ut dicitur in Psalmo *.

* Ps. LXVII, vers. 23.

Ad tertium dicendum quod illud *verbum* vel *blasphemia* * contra Spiritum Sanctum est finalis impoenitentia, ut Augustinus dicit, in libro *de Verbis Domini* *: quae penitus irremissibilis est, quia post finem huius vitae non est remissio peccatorum.

* Cf. loc. cit. in arg., vers. 31.

* Serm. LXXI, al. *de Verb. Dom.* XI, cap. XII, XIII, XXI.

Vel, si intelligatur per blasphemiam Spiritus Sancti peccatum quod fit ex certa malitia, vel etiam ipsa blasphemia Spiritus Sancti, dicitur non remitti, scilicet *de facili,* quia tale ϰ non habet in se causam excusationis; vel quia pro tali peccato punitur aliquis et in hoc saeculo et in futuro; ut in Secunda Parte * expositum est.

* IIa IIae, qu. XIV, art. 3.

ι) *poenitentiam.* – *veram* addit tertia praeter *b.*

ϰ) *tale.* – *talis* F, *tale peccatum* tertia.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM SINE POENITENTIA PECCATUM REMITTI POSSIT

Infra, qu. LXXXVII, art. 1; IV *Sent.*, dist. XIV, qu. II, art. 5.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod sine poenitentia peccatum remitti possit. Non enim est minor virtus Dei circa adultos quam circa pueros. Sed pueris peccata dimittit sine poenitentia. Ergo etiam et adultis.

2. Praeterea, *Deus virtutem suam sacramentis non alligavit* *. Sed poenitentia est quoddam sacramentum. Ergo virtute divina possunt peccata sine poenitentia dimitti.

* Mag. IV *Sent.*, dist. IV, cap. *His autem.*

3. Praeterea, maior est misericordia Dei quam misericordia hominis. Sed homo interdum remittit offensam suam homini etiam non poenitenti: unde et ipse Dominus mandat, Matth. V *: *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos.* Ergo multo magis Deus dimittit offensam suam hominibus non poenitentibus.

* Vers. 44.

Sed contra est quod Dominus dicit, Ierem. XVIII *: *Si poenitentiam egerit gens illa a malo quod fecit, agam et ego poenitentiam a malo quod cogitavi ut facerem ei.* Et sic e converso videtur quod, si homo poenitentiam non agat, quod Deus ei non remittat offensam.

* Vers. 8.

Respondeo dicendum quod impossibile est peccatum actuale mortale sine poenitentia remitti, loquendo de poenitentia quae est virtus. Cum enim peccatum sit Dei offensa, eo modo Deus peccatum remittit quo remittit offensam in se commissam. Offensa autem directe opponitur gratiae: ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus, quod repellit eum a gratia sua. Sicut autem habitum est in Secunda Parte *, hoc interest inter gratiam Dei et gratiam hominis, quod gratia hominis non causat, sed praesupponit bonitatem, veram vel apparentem, in homine grato: sed gratia Dei causat bonitatem in homine grato, eo quod bona voluntas Dei, quae in nomine gratiae intelligitur, est causa boni α creati. Unde potest contingere quod homo remittat offensam qua offensus est alicui, absque aliqua immutatione voluntatis eius: non autem potest contingere quod Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis eius. Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem divinae offensae quod voluntas hominis sic immutetur quod convertatur ad Deum, cum detestatione praedictae conversionis et proposito emendae. Quod pertinet ad rationem poenitentiae secundum quod est virtus. Et ideo impossibile est quod peccatum alicui remittatur sine poenitentia secundum quod est virtus.

* Ia IIae, qu. CX, art. 1.

Sacramentum autem poenitentiae, sicut supra* dictum est, perficitur per officium sacerdotis ligantis et solventis. Sine quo potest Deus peccatum remittere: sicut remisit Christus mulieri adulterae, ut legitur Ioan. VIII *, et peccatrici, ut legitur Luc. VII *. Quibus tamen non remisit peccata sine virtute poenitentiae: nam, sicut Gregorius dicit, in Homilia *, *per gratiam traxit* β *intus,* scilicet ad poenitentiam, *quam per misericordiam suscepit foris.*

* Qu. LXXXIV, art. 1, ad 2; art. 3.

* Vers. 11.

* Vers. 47, 48.

* Hom. XXXIII in Evang.

α) *boni.* – *omnis boni* F et tertia.

β) *traxit.* – *trahit* BCDE.

Ad primum ergo dicendum quod in pueris non est nisi peccatum originale, quod non consistit in actuali deordinatione voluntatis, sed in quadam habituali deordinatione naturae, ut in Secunda Parte * habitum est. Et ideo remittitur eis peccatum cum habituali immutatione per infusionem gratiae et virtutum, non autem cum actuali. Sed adulto in quo sunt actualia peccata, quae consistunt in deordinatione actuali voluntatis, non remittuntur peccata, etiam in baptismo, sine actuali immutatione voluntatis: quod fit per poenitentiam.

* Ia IIae, qu. LXXXII, art. 1.

Ad secundum dicendum quod ratio illa procedit de poenitentia secundum quod est sacramentum.

Ad tertium dicendum quod misericordia Dei est maioris virtutis quam misericordia hominis in hoc, quod immutat voluntatem hominis ad poenitendum: quod misericordia hominis facere non potest.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo secundo quaestionis octogesimaesextae, circa illud, *Offensa directe opponitur gratiae,* et eius rationem, *Ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus, quod repellit eum a gratia sua,* dubium occurrit. Tum quia falsum est offensam directe opponi gratiae: cum offensa sit in voluntate, gratia autem, secundum Auctorem *, in essentia animae. Non est ergo directe oppositio, sive privativa sive contraria: cum utraque requirat identitatem subiecti *.

* Supra, qu. LXII, art. 2; Ia IIae, qu. CX, art. 4.

* Cf. num. seq.

Tum quia falsum est quod assumitur pro ratione *. Nam ex parte offensi haec duo, scilicet esse offensum et abiicere a sua gratia offendentem, nec sunt idem, nec secundum est ratio primi, sed primum se habet ut causa secundi: ut patet in exemplo. Prius enim offendor contumelia a Petro, et ex hac denominor offensus passive; deinde per actum propriae voluntatis meae abiicio Petrum a mea gratia quia prius offendit me: ubi manifeste patet non ex hoc dici me offensum quia abiicio Petrum a mea gratia; sed e contra, causaliter tamen, ideo me abiicere Petrum a mea gratia quia offensus sum.

* Cf. ibid., *Ad secundum.*

Tum quia haec duo, scilicet esse offensum et abiicere a sua gratia offendentem, non sunt inseparabiliter connexa *: sed stat aliquem esse offensum, et tamen non abiicere a sua gratia offendentem; ut saepe contingere videtur inter virum et uxorem adulteram, seu inter patrem et filium ingratum; offensi enim retinent adhuc uxorem seu filium in sua gratia. Ruit ergo fundamentum hoc in littera positum.

* Cf. ibid.

II. Ad hoc dicitur quod offensa potest dupliciter considerari. Primo, ex parte actus quo infertur offensa. Et sic offensa directe opponitur caritatis rectitudini in actu debitae: est enim deformitas actus privans perfectione caritativa. – Alio modo, ex parte suppositi offendentis: persona enim est quae primo offendit; actus autem quo offendit quasi instrumentum personae est. Et sic proprie et formaliter consideratur offensa. Et sic offensa directe opponitur gratiae, demeritorie tamen. Nam offendens, eo ipso quod offendit, demeretur, et, quantum in se est, privat se gratia eius quem offendit. Unde, quia offendens, ut sic, quantum in se est abiicit a se gratiam offensi, recte dicitur quod offensa directe gratiae opponitur, privative, demeritorie. – Ubi etiam videre potes salvari identitatem subiecti primi denominati tam a gratia quam ab offensa: nam persona est quae primo offendit, et quae primo grata est.

Ad secundum vero dicitur quod procedit ex malo intellectu litterae. Aliud est enim, formaliter loquendo, esse offensum ab aliquo: et aliud est, ultra hoc quod est esse offensum, habere se ut offensum. Primum enim, scilicet esse offensum, nihil ponit aut tollit in offenso, sed solam denominationem: secundum autem addit actum quo se habet ut offensus. Obiectiones igitur secundo et tertio loco inductae acceperunt esse offensum quoad primum: littera vero utitur esse seu dici offensum quoad utrumque, scilicet et ad esse offensum et quoad habere se ut offensum. Constat autem quod in hoc consistit offensum habere se ut offensum, quod abiicit a sua gratia offendentem: quantumcumque enim offensus quis sit, nisi abiiciat offendentem a sua gratia, non se habet ut offensus. Et ad hoc forte denotandum usurpavit Auctor novam constructionem grammaticaliter, dicens, *offensum alteri abiicere eum a sua gratia:* dicendo *offensus alteri,* intelligi voluit, *habens se ut offensum ad alterum.* Et iuxta hunc sensum intellecta littera omnes excludit obiectiones: quoniam omnes in aequivoco laborant.

Et ex hoc sensu patet ratio solutionis ad primum. Nam offensa, ut sic, meretur ut offensus se habeat ut offensus. Quod nihil aliud est quam quod offensus repellat a sua gratia offendentem.

III. In eodem articulo, adverte quod dupliciter loqui possumus de possibili seu impossibili in hac materia, dum dicitur quod *impossibile est peccatum alicui remitti sine poenitentiae virtute,* et similiter quod *non potest contingere quod Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis eius:* vel de possibili secundum potentiam ordinariam; vel de possibili secundum potentiam absolutam. Et si quidem sit sermo de possibili secundum potentiam ordinariam, nulla relinquitur difficultatis diversa opinio: omnes enim fatemur quod *qui creavit te sine te, non salvabit te sine te* *.

* Aug. Serm. CLXIX, al. *de Verb. Apostol.* XV, cap. XI.

Sed si de possibili absolute sit sermo, accedit quaestio cum Scoto, tractata a nobis superius in Commentariis super Primam Secundae, qu. CXIII, art. 2 *. Et ideo nunc repetendam hanc difficultatem non puto: sed pro praesenti proposito sufficit verificare ea quae in littera dicuntur secundum possibile vel impossibile penes potentiam ordinariam.

* Comm. num. VIII sqq.

IV. In eodem articulo, et specialiter in responsione ad primum, pro quanto ad omnem remissionem peccatorum actualium actualis immutatio voluntatis concurrens attribuitur poenitentiae etiam in baptismo, dubium occurrit, quoniam falsum hoc videtur. Quia propositum emendae, in qua ratio formalis poenitentiae dicitur consistere *, non habet locum in adulto consequente per baptismum plenam remissionem omnium peccatorum: quoniam, ut Ambrosius docuit *, *baptismus omnia condonat, nullumque luctum,* etc., *requirit.*

* Cf. qu. LXXXV, art. 2, 3.

* *Comment. in Ep. ad Rom.*, ad cap. XI, vers. 29. - Inter Opp. Ambros.

Ad hoc dicitur quod baptismus non praesupponit, sed affert secum actum poenitentiae virtutis perfectum. Quoniam, sicut baptismus datur in remissionem peccatorum, ita qui baptizatur suscipit illum in remissionem peccatorum: ac per hoc, in ipsa susceptione baptismi, subiiciendo se illi, et fatetur se peccasse, et detestatur priorem vitam moriendo illi, et subiicit se Deo ut novum Christi membrum. Et quia hoc totum eligit in remissionem peccatorum, evidenter constat intervenire in baptismo propositum emendae, non futurae, sed praesentis, quae magis voluntas ac electio emendae dicenda est: eligere siquidem haec in remissionem peccatorum est eligere emendam pro peccatis quoad culpam et quoad poenam ratione tanti beneficii quantum est baptisma. Non igitur est intelligendum baptismum omnia condonare sic quod nullum actum in adulto requirat: sed sic quod opportunos actus secum affert, nec eget adminiculo alieno. Et hic est optimus modus omnia condonandi.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM POSSIT PER POENITENTIAM UNUM PECCATUM SINE ALIO REMITTI

Iª IIªᵉ, qu. LXXIII, art. 1; IV *Sent.*, dist. XV, qu. I, art. 3, quª 1; dist. XVIII, qu. II, art. 5, quª 3, ad 1.

* Vers. 7. — α — *Lib. I, hom. X. - Cf. can. *Pluit Dominus*, de Poenit. dist. III.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod possit per poenitentiam unum peccatum sine alio remitti. Dicitur enim Amos IV *: *Plui* [α] *super unam civitatem, et super alteram non plui: pars una compluta est, et pars super quam non plui, aruit.* Quod exponens Gregorius, *super Ezech.* *, dicit: *Cum ille qui proximum odit ab aliis vitiis se corrigit, una et eadem civitas ex parte compluitur, et ex parte arida manet: quia sunt qui, cum quaedam vitia resecant, in aliis graviter perdurant.* Ergo potest unum peccatum per poenitentiam remitti sine alio.

β — * Serm. XVIII (post Comm. in vers. 136). - Cf. can. *Prima consolatio*, de Poenit., dist. III.

2. PRAETEREA, Ambrosius dicit, super [β] *Beati immaculati* *: *Prima consolatio est, quia non obliviscitur misereri Deus: secunda per punitionem, ubi, et si fides desit, poena satisfacit et relevat.* Potest ergo aliquis relevari ab aliquo peccato manente peccato infidelitatis.

* Iª IIªᵉ, qu. LXXIII, art. 1.

3. PRAETEREA, eorum quae non necesse est esse simul, unum potest auferri sine alio. Sed peccata, ut in Secunda Parte * habitum est, non sunt connexa, et ita unum eorum potest esse sine alio. Ergo unum eorum potest remitti sine alio per poenitentiam.

4. PRAETEREA, peccata sunt debita quae nobis relaxari petimus cum dicimus in oratione Dominica: *Dimitte nobis debita nostra.* Sed homo quandoque dimittit debitum unum sine alio. Ergo etiam Deus per poenitentiam dimittit unum peccatum sine alio.

* Vers. 3.

5. PRAETEREA, per dilectionem Dei relaxantur hominibus peccata: secundum illud Ierem. XXXI *: *In caritate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans.* Sed nihil prohibet quin Deus diligat hominem quantum ad unum, et sit ei offensus quantum ad aliud: sicut peccatorem diligit quantum ad naturam, odit autem quantum ad culpam. Ergo videtur possibile quod Deus per poenitentiam remittat unum peccatum sine alio.

* De Vera et Falsa Poenit., cap. IX. - Inter Opp. Aug.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* *: *Sunt plures quos poenitet peccasse, sed non omnino, reservantes sibi quaedam in quibus delectentur, non animadvertentes Dominum simul mutum et surdum a daemonio liberasse, per hoc docens nos nunquam nisi de omnibus sanari.*

* Iª IIªᵉ, qu. CIX, art. 7; qu. CXIII, art. 2. — * D. 1013. — * Art. praeced.

RESPONDEO DICENDUM quod impossibile est per poenitentiam unum peccatum sine alio remitti. Primo quidem, quia peccatum remittitur inquantum tollitur Dei offensa per gratiam: unde in Secunda Parte * habitum est quod nullum peccatum potest remitti sine gratia. Omne autem peccatum mortale contrariatur gratiae, et excludit eam. Unde impossibile est quod unum peccatum sine alio remittatur *.

γ — δ

Secundo quia, sicut ostensum est *, peccatum mortale non potest sine vera poenitentia remitti, ad quam pertinet deserere peccatum inquantum est contra Deum. Quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus. Ubi autem eadem ratio est, et idem effectus. Unde non potest esse vere poenitens qui de uno peccato poenitet et non de alio. Si enim displiceret ei illud peccatum quia [γ] est contra Deum super omnia dilectum, quod requiritur ad rationem verae poenitentiae, sequeretur quod de omnibus peccatis poeniteret. Unde sequitur quod impossibile sit unum peccatum remitti [δ] sine alio.

* Vers. 4. — * Loc. cit. in arg. *Sed cont.* - Cf. can. *Sunt plures*, de Poenit., dist. III.

Tertio, quia hoc esset contra perfectionem misericordiae Dei, cuius *perfecta sunt opera*, ut dicitur *Deut.* XXXII *. Unde cuius miseretur, totaliter miseretur. Et hoc est quod Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* *: *Quaedam impietas infidelitatis est ab illo qui iustus et iustitia est, dimidiam sperare veniam.*

ε

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod verbum illud Gregorii non est intelligendum quantum ad remissionem culpae, sed quantum ad cessationem ab actu: quia interdum ille qui plura peccata consuevit committere, deserit [ε] unum, non tamen aliud. Quod quidem fit auxilio divino, quod tamen non pertingit usque ad remissionem culpae.

* Vers. 22. - *In Ioan. Evang.*, tract. LXXXIX.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in verbo illo Ambrosii *fides* non potest accipi qua creditur in Christum: quia, ut Augustinus dicit, super illud Ioan. XV *, *Si non venissem et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*, scilicet infidelitatis: *Hoc enim est peccatum quo tenentur cuncta peccata.* Sed accipitur fides pro *conscientia:* quia interdum per poenas quas quis patienter sustinet, consequitur remissionem peccati cuius conscientiam non habet.

AD TERTIUM DICENDUM quod peccata, quamvis non sint connexa quantum ad conversionem ad bonum commutabile, sunt tamen connexa quantum ad aversionem a bono incommutabili, in qua conveniunt omnia peccata mortalia. Et ex hac parte habent rationem offensae, quam oportet per poenitentiam tolli.

AD QUARTUM DICENDUM quod debitum exterioris rei, puta pecuniae, non contrariatur amicitiae,

---

α) *Plui.* – P; *Pluit.* Ita secundo et tertio loco, sed DpCG om. *pars una... plui.*
β) *super.* – *super psalmum* BEF, *super illum psalmum* ed. a. Post *immaculati* addit *in via* tertia praeter I.
γ) *displiceret... quia.* – Tertia; *displicet... quod.*
δ) *remitti.* – *per poenitentiam remitti* tertia.
ε) *deserit.* – Tertia (*dixerit* scribit I); *desinit.*

ex qua debitum remittitur. Et ideo potest unum dimitti sine alio. Sed debitum culpae contrariatur amicitiae. Et ideo una culpa vel offensa non remittitur sine altera. Ridiculum etiam videretur quod [ζ] aliquis ab homine veniam peteret de una offensa et non de alia.

Ad quintum dicendum quod dilectio qua Deus diligit hominis naturam, non ordinatur ad bonum gloriae, a qua impeditur homo per quodlibet mortale peccatum. Sed dilectio gratiae, per quam fit remissio peccati mortalis, ordinat hominem ad vitam aeternam: secundum illud *Rom.* VI *: *Gratia Dei vita aeterna.* Unde non est similis ratio. * Vers. 23.

ζ) *etiam videretur quod.* – Ed. *a*; *etiam videretur quod etiam* ADE, *videretur quod etiam* BCH*bc*, *enim videretur* (*videtur* PF) *quod etiam* PFGI. – *aliquis* post *homine* ponit P, om. cetera tertia.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM, REMISSA CULPA PER POENITENTIAM, REMANEAT REATUS POENAE

Ia IIae, qu. LXXXVII, art. 6; IV *Sent.*, dist. XIV, qu. II, art. 1, qua 2; III *Cont. Gent.*, cap. CLVIII; *Ad Rom.*, cap. XI, lect. IV.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod, remissa culpa per poenitentiam, non remaneat reatus poenae. Remota enim causa, removetur effectus. Sed culpa est causa reatus poenae: ideo enim est aliquis dignus poena quia culpam commisit. Ergo, remissa culpa, non potest remanere reatus poenae.

* Vers. 15 sqq. 2. Praeterea, sicut Apostolus dicit, *Rom.* v *, donum Christi est efficacius quam peccatum. Sed peccando homo simul incurrit culpam [α] et poenae reatum. Ergo multo magis per donum gratiae simul remittitur culpa et tollitur poenae reatus.

3. Praeterea, remissio peccatorum fit in poenitentia per virtutem passionis Christi: secundum illud *Rom.* III *: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, propter remissionem praecedentium delictorum.* Sed passio Christi sufficienter est satisfactoria pro omnibus peccatis, ut supra * habitum est. Non ergo post remissionem culpae remanet aliquis reatus poenae. (* Vers. 25. * Qu. XLVIII, art. 2; qu. XLIX, art. 3.)

* Vers. 13, 14. Sed contra est quod, II *Reg.* XII *, dicitur quod, cum David poenitens dixisset ad Nathan, *Peccavi Domino,* dixit Nathan [β] ad illum: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. Veruntamen filius qui natus est tibi, morte morietur:* quod fuit in poenam praecedentis peccati, ut ibidem dicitur. Ergo, remissa culpa, remanet reatus alicuius poenae.

Respondeo dicendum quod, sicut in Secunda Parte * habitum est, in peccato mortali sunt duo: scilicet aversio ab incommutabili bono, et conversio ad commutabile bonum inordinata. Ex parte igitur aversionis ab incommutabili bono, consequitur peccatum mortale reatus poenae aeternae: ut qui contra aeternum bonum peccavit, in aeternum puniatur. Ex parte etiam conversionis ad bonum commutabile, inquantum est inordinata, consequitur peccatum mortale reatus alicuius poenae: quia inordinatio culpae non reducitur ad ordinem iustitiae nisi per poenam; iustum est enim ut qui voluntati suae plus indulsit quam debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur, sic enim erit aequalitas; unde et *Apoc.* XVIII * dicitur: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Quia tamen conversio ad bonum commutabile finita est, non habet ex hac parte peccatum mortale [γ] quod debeatur ei poena aeterna. Unde, si sit inordinata conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, sicut est in peccatis venialibus *, non debetur peccato poena aeterna, sed temporalis. (* Ia IIae, qu. LXXXVII, art. 4. * Vers. 7. * D. 259.)

Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur aversio animae a Deo, inquantum per gratiam anima Deo coniungitur. Unde et per consequens simul tollitur reatus poenae aeternae. Potest tamen remanere reatus alicuius poenae temporalis.

Ad primum ergo dicendum quod culpa mortalis utrumque habet, et aversionem a Deo et conversionem ad bonum creatum: sed, sicut in Secunda Parte * habitum est, aversio a Deo est ibi sicut formale, conversio autem ad bonum creatum est ibi sicut materiale. Remoto autem formali cuiuscumque rei, tollitur species: sicut, remoto rationali, tollitur species humana. Et ideo ex hoc ipso dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur aversio mentis a Deo, simul cum reatu poenae aeternae. Remanet tamen id quod est materiale, scilicet inordinata conversio ad bonum creatum. Pro qua debetur reatus poenae temporalis [δ]. (* Ia IIae, qu. LXXI, art. 6.)

Ad secundum dicendum quod, sicut in Secunda Parte * habitum est, ad gratiam pertinet operari in homine iustificando [ε] a peccato, et cooperari homini ad recte operandum. Remissio igitur culpae et reatus poenae aeternae pertinet ad gratiam operantem: sed remissio reatus poenae temporalis pertinet ad gratiam cooperantem, inquantum scilicet homo, cum auxilio divinae gratiae, patienter poenas tolerando, absolvitur etiam a (* Ia IIae, qu. CXI, art. 2.)

α) *culpam.* – Tertia; *peccatum.*
β) *Peccavi Domino, dixit Nathan.* – F et tertia; *Peccavi Domino dixit quoque Nathan* sB manu non antiqua, om. ceteri.
γ) *mortale.* – Om. tertia praeter I.
δ) *temporalis.* – sBE et tertia praeter I; *(non debetur...) aeternae sed temporalis* F, *aeternae* ceteri.
ε) *iustificando.* – *ipsum* addunt PFIsG.

reatu poenae temporalis. Sicut igitur prius est effectus gratiae operantis quam cooperantis, ita etiam prius est remissio culpae et poenae aeternae quam plena absolutio a poena temporali: utrumque enim est a gratia, sed primum a gratia sola, secundum ex gratia et ex libero arbitrio.

Ad tertium dicendum est quod passio Christi de se sufficiens est ad tollendum omnem reatum poenae non solum aeternae, sed etiam temporalis: et secundum modum quo homo participat virtutem passionis Christi, percipit etiam absolutionem a reatu poenae. In baptismo autem homo participat totaliter virtutem passionis Christi [ζ], utpote per aquam et Spiritum Christo commortuus peccato et in eo regeneratus ad novam vitam *. Et ideo in baptismo homo consequitur remissionem reatus totius poenae. In poenitentia vero consequitur virtutem passionis Christi secundum modum propriorum actuum, qui sunt materia poenitentiae, sicut aqua baptismi, ut supra * dictum est. Et ideo non statim per primum actum poenitentiae, quo remittitur culpa, solvitur reatus totius poenae, sed completis omnibus poenitentiae actibus.

ζ

* Ioan. cap. III, vers 5; *Ad Rom.*, cap. VI, vers. 4 sqq.

* Qu. LXXXIV, art. 1, ad 1.

ζ) *passionis Christi.* – Om. CE.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo quarto eiusdem quaestionis, in responsione ad primum, pro quanto ibi dicitur quod, remisso peccato mortali, *remanet inordinata conversio ad commutabile bonum, pro qua debetur reatus poenae temporalis*, adverte sententiam hanc intelligi de possibili, et quoad inordinationem. Non enim necesse est remanere huiusmodi conversionem, sed potest simul totum tolli. Et similiter, dato quod non totum sit sublatum, non est necesse remanere ipsam conversionem: sed inordinationem quae fuit ipsius conversionis. Potest enim qui peccato avaritiae deliquit, ante remissionem peccati, dimissis avaritiae actibus et inclinationibus, in oppositos actus converti. Et tunc apparet quod, adveniente gratia remittente peccatum prioris avaritiae, non remanet conversio illius habitualis ad commutabile bonum: sed inordinatio ipsius incursa, per poenam temporalem ordinanda. Ratione siquidem illius inordinationis, remanet reatus poenae temporalis tandiu quousque culpabilis inordinatio ordinata sufficienter fuerit per poenam.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM, REMISSA CULPA MORTALI, TOLLANTUR OMNES RELIQUIAE PECCATI

Infra, qu. LXXXIX, art. 1, ad 3; II *Sent.*, dist. XXXII, qu. I, art. 1; IV, dist. XIV, qu. II, art. 1, qu^a 3.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod, remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiae peccati. Dicit enim Augustinus, in libro *de Poenitentia* *: *Nunquam* [α] *Dominus aliquem sanavit quem omnino non liberavit: totum enim hominem sanavit in Sabbato, quia corpus ab omni infirmitate, et animam ab omni contagione.* Sed reliquiae peccati pertinent ad infirmitatem peccati. Ergo non videtur possibile quod, remissa culpa, remaneant reliquiae peccati.

* *De Vera et Falsa Poenit.*, cap. IX. – Inter Opp. Aug.

α

2. Praeterea, secundum Dionysium, IV cap. *de Div. Nom.* *, bonum est efficacius quam malum: quia malum non agit nisi in virtute boni. Sed homo peccando simul totam infectionem peccati contrahit [β]. Ergo multo magis poenitendo liberatur etiam ab omnibus peccati reliquiis.

* S. Th. lect. XVI.

β

3. Praeterea, opus Dei est efficacius quam opus hominis. Sed per exercitium humanorum operum ad bonum tolluntur reliquiae peccati contrarii. Ergo multo magis tolluntur per remissionem culpae, quae est opus Dei.

Sed contra est quod Marci VIII * legitur quod caecus illuminatus a Domino, primo restitutus est ad imperfectum visum, unde ait, *Video homines velut arbores ambulare* [γ]; deinde restitutus est perfecte, *ita ut videret clare omnia.* Illuminatio autem caeci significat liberationem peccatoris. Post primam ergo [δ] remissionem culpae, qua peccator restituitur ad visum spiritualem, adhuc remanent in eo reliquiae aliquae peccati praeteriti.

* Vers. 22 sqq.

γ

δ

Respondeo dicendum quod peccatum mortale ex parte conversionis inordinatae ad bonum commutabile quandam dispositionem causat in anima; vel etiam habitum, si actus frequenter iteretur. Sicut autem dictum est *, culpa mortalis peccati remittitur inquantum tollitur per gratiam aversio mentis a Deo. Sublato autem eo quod est ex parte aversionis, nihilominus remanere potest id quod est ex parte conversionis inordinatae: cum hanc contingat esse sine illa *, sicut prius ** dictum est. Et ideo nihil prohibet quin, remissa culpa, remaneant dispositiones ex praecedentibus actibus causatae, quae dicuntur peccati reliquiae. Remanent tamen debilitatae et diminutae, ita quod homini non dominentur. Et hoc [ε] magis per modum dispositionum quam per modum habituum: sicut etiam remanet fomes post baptismum.

* Art. 4, ad 1.

* D. 259.
** Loc. cit.

ε

α) *Nunquam.* – Fa et tertia; *Nunquam enim.* – Pro *corpus ab omni, et corpus ab* tertia.
β) *contrahit.* – *incurrit* PFI.
γ) *ambulare.* – *ambulantes* tertia.
δ) *Post primam ergo.* – *Alias post poenitentiam ergo etcet.* margo P; ex quo dele *cet.*, quod in antiquiorum editionum margine non invenitur.
ε) *Et hoc.* – Om. I et per *Alias* margo P.

Ad primum ergo dicendum quod Deus totum hominem perfecte curat: sed quandoque subito, sicut socrum Petri statim restituit perfectae sanitati, ita ut *surgens ministraret ei,* ut legitur Luc. IV *; quandoque autem successive, sicut dictum est de caeco illuminato, Marci VIII *. Et ita etiam spiritualiter quandoque tanta commotione convertit cor hominis ut subito perfecte consequatur sanitatem spiritualem, non solum remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquiis: ut patet de Magdalena, Luc. VII *. Quandoque autem prius remittit culpam per gratiam operantem, et postea per gratiam cooperantem successive tollit peccati reliquias.

* Vers. 39. - Cf. Matth. cap. VIII, vers. 15.
* Vid. arg. *Sed contra.* - Cf. qu. XLIV, art. 3, ad 2.
* Vers. 47 sqq.

Ad secundum dicendum quod peccatum ζ etiam quandoque statim inducit debilem dispositionem, utpote per unum actum causatam: quandoque autem fortiorem, causatam η per multos actus.

Ad tertium dicendum quod uno actu humano non tolluntur omnes reliquiae peccati: quia, ut dicitur in *Praedicamentis* *, *pravus, ad meliores exercitationes deductus* θ, *ad modicum aliquid proficiet, ut melior sit:* multiplicato autem exercitio, ad hoc pervenit ut sit bonus virtute acquisita. Hoc autem multo efficacius facit divina gratia, sive uno sive pluribus actibus.

* Aristot. *Categ.*, cap. VIII, vers. 17.

ζ) *peccatum.* – PlsG et *c*; *peccatum post baptismum* F, *poenitentiam b, post baptismum* ceteri.
η) *fortiorem, causatam.* – FsE et tertia; *fortiorem utpote causatam* ed. *a*, *fortior est causativa* ceteri.
θ) *deductus.* – Tertia; *perductus.* – *proficiet* tertia; *proficeret* F, *faciet* ceteri.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM REMISSIO CULPAE SIT EFFECTUS POENITENTIAE SECUNDUM QUOD EST VIRTUS

IV *Sent.*, dist. XIV, qu. II, art. 1, qu^a 1; *Qq. Dispp. de Verit.*, qu. XXVIII, art. 8, ad 2; *Quodl.* IV, qu. VII, art. 1.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod remissio culpae non sit effectus poenitentiae secundum quod est virtus. Dicitur enim poenitentia virtus secundum quod est principium humani actus. Sed humani actus non operantur ad remissionem culpae, quae est effectus gratiae operantis. Ergo remissio culpae non est effectus poenitentiae secundum quod est virtus.

2. Praeterea, quaedam aliae virtutes sunt excellentiores poenitentia. Sed remissio culpae non dicitur effectus alicuius alterius virtutis. Ergo etiam non est effectus poenitentiae secundum quod est virtus.

3. Praeterea, remissio culpae non est nisi ex virtute passionis Christi: secundum illud *Heb.* IX *: *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Sed poenitentia inquantum est sacramentum, operatur in virtute passionis Christi, sicut et cetera sacramenta, ut ex supra * dictis patet. Ergo remissio culpae non est effectus poenitentiae inquantum est virtus, sed inquantum est sacramentum.

* Vers. 22.
* Art. 4, ad 3; qu. LXII, art. 5.

Sed contra, illud est proprie causa alicuius sine quo esse non potest: omnis enim effectus dependet a sua causa. Sed remissio culpae potest esse a Deo sine poenitentiae sacramento, non autem sine poenitentia secundum quod est virtus, ut supra * dictum est. Unde et ante sacramenta novae legis poenitentibus Deus peccata remittebat. Ergo remissio culpae est α effectus poenitentiae secundum quod est virtus.

* Art. 2; qu. LXXXIV, art. 5, ad 3.

Respondeo dicendum quod poenitentia est virtus secundum quod est principium quorundam actuum humanorum. Actus autem humani qui sunt ex parte peccatoris, materialiter se habent in sacramento poenitentiae. Omne autem sacramentum producit effectum suum non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae: ex utroque enim est unum sacramentum, ut supra * habitum est. Unde, sicut remissio culpae fit in baptismo non solum virtute formae β, ex qua et ipsa aqua virtutem recipit; ita etiam remissio culpae est effectus poenitentiae, principalius quidem ex virtute clavium, quam γ habent ministri, ex quorum parte accipitur id quod est formale in hoc sacramento, ut supra * dictum est; secundario autem ex vi actuum poenitentis pertinentium ad virtutem poenitentiae, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiae. Et sic patet quod remissio culpae est effectus poenitentiae secundum quod est virtus: principalius tamen secundum quod est sacramentum.

* Qu. LX, art. 6, ad 2.
* Qu. LXXXIV, art. 3.

Ad primum ergo dicendum quod effectus gratiae operantis est iustificatio impii, ut in Secunda Parte * dictum est. In qua, ut ibidem dictum est, non solum est gratiae infusio et remissio culpae, sed etiam motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei formatae, et motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus poenitentiae. Hi tamen actus humani sunt ibi ut effectus gratiae operantis simul producti cum remissione culpae. Unde remissio culpae non fit sine actu poenitentiae virtutis, licet sit effectus gratiae operantis.

* I^a II^ae, qu. CXI, art. 2; qu. CXIII.

Ad secundum dicendum quod in iustificatione impii non solum est actus poenitentiae, sed etiam

α) *est.* – *praecipue* addit tertia.
β) *formae.* – *sed etiam virtute materiae scilicet aquae principalius tamen virtute formae* addunt PlsG.
γ) *quam.* – *quas* tertia.

* Resp. ad 2; Ia IIae, qu. CXIII, art. 4.

actus fidei, ut dictum est *. Et ideo remissio culpae non ponitur effectus solum poenitentiae virtutis: sed principalius fidei et caritatis.

AD TERTIUM DICENDUM quod ad passionem Christi ordinatur actus poenitentiae virtutis et per fidem et per ordinem ad claves Ecclesiae. Et ideo utroque modo causat remissionem culpae virtute passionis Christi.

AD ID AUTEM QUOD IN CONTRARIUM obiicitur, dicendum est quod actus poenitentiae virtutis habet quod sine eo non possit fieri remissio culpae, inquantum est inseparabilis effectus gratiae, per quam principaliter culpa remittitur, quae etiam operatur in omnibus sacramentis. Et ideo per hoc non potest concludi nisi quod gratia est principalior causa remissionis culpae quam poenitentiae sacramentum.

Sciendum tamen quod etiam in veteri lege et in lege naturae erat aliqualiter sacramentum poenitentiae, ut supra * dictum est.

* Qu. LXXXIV, art. 7, ad 1, 2.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo sexto eiusdem quaestionis, pro quanto remissio culpae ponitur effectus poenitentiae secundum quod est virtus, idest virtutis seu virtuosus actus, dubium occurrit, quoniam hoc videtur repugnare ante dictis ab Auctore. Nam si remissio culpae est effectus poenitentiae ut est actus virtuosus, oportet quod sit effectus non solius gratiae, sed gratiae et liberi arbitrii: quoniam actus huiusmodi virtuosus liberi arbitrii actus est. Oppositum autem dixit Auctor in hac eadem quaestione, articulo quarto, ad secundum, dicendo de remissione culpae et de plena absolutione quod *utrumque est a gratia, sed primum a gratia sola, secundum ex gratia et libero arbitrio.* Si enim est a sola gratia ut distinguitur contra liberum arbitrium, sequitur quod non sit a gratia et a liberi arbitrii actu virtuoso.

II. Ad hoc dicitur quod, quidquid alii forte somnient distinguendo in proposito concursum liberi arbitrii active vel pure passive, actus liberi arbitrii in iustificatione impii concurrentes, sive in Deum sive in peccatum, sunt vere actus non solum liberi arbitrii, sed a libero arbitrio. *Suaviter* enim *omnia disponens* divina Sapientia * – quae *creavit me sine me* *, non passive, quoniam creatio in me terminata est, sed sine me cooperante: *non salvat me sine me* * cooperante – movet per gratiam suam liberum arbitrium ad obsequendum gratiae, per hoc quod utitur illa secundum illam operando. Et propterea actus liberi arbitrii, tam respectu Dei quam respectu peccati, in iustificatione inventi sunt effectus gratiae operantis, et non ponunt in numerum cum ipsa gratia operante. Et propterea dictio exclusiva addita gratiae non excludit huiusmodi actus liberi arbitrii, utpote suos effectus. Cum enim dicitur, *Sola causa facit hoc,* non excluditur quin faciat illud mediante aliquo suo effectu. – Et hunc esse sensum Auctoris apparet in calce huius articuli *, ubi dicitur quod *actus poenitentiae virtutis habet quod sine eo non possit fieri remissio culpae, inquantum est inseparabilis effectus gratiae.*

* *Sap.* cap. VIII, vers. 1.
* August. Serm. CLXIX, al. *de Verb. Apost.* XV, cap. XI.
* Ibid.
* *Ad id autem quod in contrarium.*

Nec obstant allegata in oppositum. Quoniam ibi loquitur de gratia ut distinguitur contra liberum arbitrium absolute: et non contra liberum arbitrium ut est effectus ipsius gratiae. Unde opposito modo videntur se habere actus liberi arbitrii et gratia penes operandum et cooperandum. Nam in gratia operante liberum arbitrium se habet ut cooperans: in gratia vero cooperante liberum arbitrium se habet quasi ut operans, et propterea connumeratur gratiae.



QUAESTIO OCTOGESIMASEPTIMA

DE REMISSIONE VENIALIUM PECCATORUM

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LXXXVI, Introd.

DEINDE considerandum est de remissione venialium peccatorum *.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum sine poenitentia peccatum veniale possit dimitti.

Secundo: utrum possit dimitti sine gratiae infusione.

Tertio: utrum peccata venialia remittantur per aspersionem aquae benedictae [α], et tunsionem pectoris, et orationem Dominicam, et alia huiusmodi.

Quarto: utrum veniale possit dimitti sine mortali.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM VENIALE PECCATUM POSSIT REMITTI SINE POENITENTIA

Art. seq., ad 2; IV *Sent.*, dist. XVI, qu. II, art. 2, qu[a] 2.

* Qu. LXXXIV, art. 10, ad 4.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod veniale peccatum possit remitti sine poenitentia. Pertinet enim, ut supra * dictum est, ad rationem verae poenitentiae quod non solum homo doleat de peccato praeterito, sed etiam proponat cavere de futuro. Sed sine tali proposito peccata venialia dimittuntur: cum certum sit homini quod sine peccatis venialibus praesentem vitam ducere non possit [β]. Ergo peccata venialia possunt remitti sine poenitentia.

2. PRAETEREA, poenitentia non est sine actuali displicentia peccatorum. Sed peccata venialia possunt dimitti sine displicentia [γ] eorum: sicut patet in eo qui dormiens occideretur propter Christum; statim enim evolaret, quod non contingit manentibus peccatis venialibus. Ergo peccata venialia possunt remitti sine poenitentia.

* IIa IIae, qu. LIV, art. 3.

3. PRAETEREA, peccata venialia opponuntur fervori caritatis, ut in Secunda Parte * dictum est. Sed unum oppositorum tollitur per aliud. Ergo per fervorem caritatis, quem contingit esse sine actuali displicentia peccati venialis, fit remissio peccatorum venialium.

* Ep. CCLXV, al. CVIII, *ad Seleucianam*, n. 8; Mag. IV *Sent.*, dist. XVI, cap. *Praedictis vero*. - Cf. can. *Tres sunt, de Poenit.*, dist. I.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* *, quod *est quaedam poenitentia quae quotidie agitur in Ecclesia pro peccatis venialibus*. Quae frustra esset si sine poenitentia peccata venialia possunt dimitti [δ].

* Qu. LXXXVI, art. 4.

RESPONDEO DICENDUM quod remissio culpae, sicut dictum est *, fit per coniunctionem [ε] ad Deum, a quo aliqualiter separat culpa. Sed haec separatio perfecte quidem fit per peccatum mortale, imperfecte autem per peccatum veniale: nam per peccatum mortale mens omnino a Deo avertitur, utpote contra caritatem agens; per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis ne prompte in Deum feratur. Et ideo utrumque peccatum per poenitentiam quidem remittitur *, quia per utrumque deordinatur voluntas hominis per immoderatam conversionem ad bonum creatum: sicut enim peccatum mortale remitti non potest quandiu voluntas peccato adhaeret, ita etiam nec peccatum veniale, quia, manente causa, manet effectus. Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis perfectior poenitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur quantum in ipso est: ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum. Non tamen sufficit habitualis displicentia, quae habetur per habitum caritatis vel poenitentiae virtutis: quia sic caritas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum. Unde sequitur quod requiratur quaedam virtualis displicentia: puta cum aliquis fertur hoc modo secundum affectum in Deum et res divinas ut quidquid ei occurrat quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se hoc commisisse, etiam si actu de illo non cogitaret. Quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.

* D. 1019.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod homo in gratia constitutus potest vitare omnia peccata mortalia et singula; potest etiam vitare singula peccata venialia, sed non omnia; ut patet ex his

α) *benedictae. – et episcopalem benedictionem* addit P.
β) *homini quod... ducere non possit. – hominem... non posse ducere* F, *quod homo... ducere non potest* P; *potest* etiam Gl.
γ) *displicentia. – actuali* addit P.
δ) *possunt dimitti. – possent dimitti* EFa, *possent dimitti videtur ergo quod peccata venialia non possint sine poenitentia dimitti* tertia.
ε) *coniunctionem. – hominis* addit tertia.

* Iª IIªᵉ, qu. LXXIV, art. 3, ad 2; qu. CIX, art. 8.

quae in Secunda Parte * dicta sunt. Et ideo poenitentia de peccatis mortalibus requirit quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis peccatis mortalibus. Sed ad poenitentiam peccatorum venialium requiritur quod proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus *: quia hoc infirmitas huius vitae non patitur. Debet tamen habere propositum se praeparandi ad peccata venialia minuenda: alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quae sunt peccata venialia.

* D. 397.

Ad secundum dicendum quod passio pro Christo suscepta, sicut supra * dictum est, obtinet vim baptismi. Et ideo purgat ab omni culpa et mortali et veniali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhaerentem.

* Qu. LXVI, art. 11.

Ad tertium dicendum quod fervor caritatis virtualiter implicat displicentiam venialium peccatorum, ut supra * dictum est.

* In corpore.

Commentaria Cardinalis Caietani

* Cf. num. III.

In primo articulo quaestionis octogesimaeseptimae dubium duplex occurrit. Primum * circa litteram, ubi dicitur: *Exigitur ad remissionem peccati mortalis ut homo actualiter singula mortalia detestetur.* Videtur enim hoc falsum. Tum quia detestatio universalis sufficit ad gratiam. Alioquin non posset homo peccator subito ingemiscendo consequi gratiam *: cum non possit homo tam subito rememorari singula peccata. – Tum quia detestari singula mortalia aut intelligitur singulariter, aut in universali. Sed singulariter non potest intelligi: cum ridiculum videatur, etiam in confessione, de singulis singillatim confiteri. Si autem intelligitur universaliter, sequitur quod non erit opus rememorari singula.

* Cf. Ezech. cap. XXXIII, vers. 12. – Vide Mag. IV *Sent.*, dist. XVII, cap. I.

* Cf. num. IV.

Alterum dubium * est circa illud, scilicet: *Virtualis displicentia non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad oblita.* Videtur enim hoc esse falsum. Quoniam, ex Domini sententia *, *dimissa sunt peccatrici peccata multa quoniam dilexit multum:* constat enim quod dilectio non est nisi virtualis displicentia.

* Luc. cap. VII, vers. 47.

II. Ad horum evidentiam, duplici utendum est distinctione. Prima, de remissione peccatorum dupliciter: hoc est, plena; vel quoad culpam tantum. Et regulariter; vel ex speciali gratia.

Secunda est de displicentia peccati formali, vel virtuali: et formali generali, vel universali. Vocatur autem displicentia formalis quae formaliter est displicentia. Quae potest dupliciter contingere. Scilicet, ut sit universalis, comprehendens scilicet omnia peccata commissa, cum vera voluntate ab omnibus et singulis abstinendi. Et hoc potest esse in momento. Et est contritio sufficiens ad remissionem infinitorum peccatorum mortalium: quia sufficit ad gratiam habendam, quantum est ex parte hominis, iuxta illud Ezech. *: *In quacumque hora ingemuerit peccator,* etc. Et talis displicentia videtur fuisse in Latrone *: et crebro accidere creditur his qui vere convertuntur ad Deum post multa crimina. – Alio autem modo contingit displicentia formalis cum homini displicet se peccasse, ita quod et omnia et singula sua peccata in generali sibi displicent, et vellet in ea amplius non incidere; non tamen pervenit ad hoc quod vere vult seu proponit amplius non incidere. Et haec non sufficit ad remissionem peccati mortalis.

* Loc. cit. num. I.
* Luc. cap. XXIII, vers. 40 sqq.

Virtualis autem displicentia vocatur quae non est formaliter displicentia, sed est formaliter alius actus: puta dilectio Dei tantae vis ut ex eo nata sit sequi displicentia peccati, ita quod, si tunc occurreret memoria peccati, ex vi illius actus sequeretur formalis displicentia peccati. Et sic omnis actus dilectionis Dei ex caritate procedens potest dici virtualiter displicentia peccati mortalis.

* Num. I.

III. His praelibatis, ad primum dubium * dicitur quod verba Auctoris vera sunt de peccati mortalis remissione plena et regulari: quoniam regulariter non fit remissio peccati mortalis, quoad culpam et omnem poenam, nisi homo, quantum in se est, detestetur singula mortalia, sicut in singulis plus sibi indulsit quam debuit.

Cum autem quaeritur: An de singulis singillatim, etc.? respondetur quod hoc potest dupliciter intelligi. Vel quod cuilibet peccato singillatim debeatur sua propria detestatio, ita quod, quot fuerunt peccata, tot oporteat esse detestationes et satisfactiones. Et hoc est ridiculum asserere: cum nec etiam confitendo oporteat tot esse actus in confitendo quot sunt peccata; contingit enim unico actu confiteri mille fornicationes. – Vel quod quodlibet peccatum terminet detestationem seu satisfactionem. Et hic est sensus litterae. Ita quod, sicut in confessione dum peccator dicit, *Peccavi millies in fornicatione,* iste unicus confessionis actus terminatur actualiter ad singulas mille fornicationum; ita, quoad actus interiores, dum peccatori displicent mille fornicationes, actualiter detestatur singulas illo uno et eodem actu. Et ad hoc servit *inquisitio diligens ad rememorandum* cuius littera meminit. Nam oblita seu non occurrentia peccata in seipsis, sicut actualiter non adsunt ante mentem peccatoris, ita nec actualiter terminant detestationem seu displicentiam. Et haec non actualis terminatio suppletur, quoad plenam remissionem, ex universali displicentia, detestatione ac satisfactione, quae virtualiter includeret satisfactionem quae debetur huiusmodi non occurrentibus.

* Num. I, *Alterum.*

IV. Ad secundum dubium * dicitur quod Auctor loquitur de plena remissione, et regulariter: quoniam plena remissio regulariter exigit contritionem et confessionem singulorum, ubi oportet adesse displicentiam formalem, et non solum virtualem. Magdalenae autem displicentiam formalem licet non legamus, sed virtualem tantum in actu dilectionis et fidei, lacrimae tamen formali displicentiae attestantur *. In cuius signum, cum, post resurrectionem Lazari, *pedes Domini* iterum *ungeret et capillis tergeret* *, lacrimae non affuerunt, quia iam peccatrix non erat. Dominus autem, originalem seu principalem actum, qui est causa displicentiae formalis, pro causa remissionis adducens, non exclusit proximum actum displicentiae formalis. Quamvis, si ex speciali dono Dei sola displicentia virtualis affuisset, sufficienter salvatur concursus poenitentiae implicite et virtualiter.

* Loc. cit. in dubio, vers. 38.
* Ioan. cap. XII, vers. 3.

V. In responsione ad secundum, adverte idem esse iudicium de dormiente occiso pro Christo, vel baptizato. Quod intelligo secundum merita secundarum causarum. Nam si quis iisset dormitum cum proposito dicendi mane mendacium officiosum, et interim dormiens occideretur pro Christo, crediderim ego ex divina largitate etiam illius peccati plenissimam remissionem per martyrium consequi: quamvis per baptismum illius remissionem non consequeretur, propter voluntatem actualiter, actualitate virtuali, peccato inhaerentem.

VI. In responsione ad tertium, circa materiam argumenti, scilicet peccatum veniale opponi fervori caritatis, Durandus, in IV *Sent.*, dist. XVI, qu. I, art. 2 *, occurrit, dicens hoc esse falsum. Tum quia nec formaliter, nec consecutive opponitur fervori caritatis. Et quod non formaliter, probat, quia nec mortale peccatum opponitur formaliter caritati. Quoniam consistit utrumque in deordinatione actus: cui formaliter opponitur reordinatio actus. – Quod vero nec consecutive, probat ex differentia inter mortale et veniale in hoc, quia mortale non stat cum caritate, et ideo opponitur consecutive illi: veniale autem stat cum caritatis fervore, et ideo nec consecutive opponitur illi.

* Al., dist. XVI, qu. II.

Tum quia caritatis fervor non delet veniale sine displicentia. Sola autem displicentia, sine tali fervore, illud delet *. * Cf. num. VIII.

VII. Ad hoc dicitur quod argumentum supponit unum falsum, scilicet peccatum mortale non opponi formaliter caritati. Nam, licet caritati habituali peccatum mortale non opponatur formaliter, quia actus non opponitur formaliter habitui, sed demeritorie, quia peccans mortaliter meretur privari caritatis habitu; idem tamen mortale peccatum, quatenus divino opponitur bono, actusque est inimicitiae ad Deum, formaliter opponitur amicitiae ad Deum. Et propterea, sicut actualis inimicitia opponitur formaliter actuali amicitiae, ita peccatum mortale opponitur formaliter actui caritatis, qui est actualis amicitia ad Deum. Unde deordinatio actus peccati mortalis primo importat deordinationem contrarie respectu divinae amicitiae, quia hinc primo habet rationem peccati mortalis, ut patet ex hostili poena hinc sibi debita: et secundario habet deordinationem respectu moralis ordinis. Ac per hoc, ordinatio cui formaliter opponitur mortale peccatum, est ordinatio amicitiae divinae: quam constat esse caritatem. Quocirca peccatum veniale, cum in hoc differat a mortali quod mortale est contra divinam amicitiam, veniale autem est praeter illam, bene dictum est ab Auctore quod opponitur fervori caritatis, pro quanto retardat affectum hominis ab his quae sunt promptae amicitiae officia.

Et cum obiicitur quod compatitur secum fervorem caritatis, respondetur quod, licet compatiatur secum aliquem fervorem caritatis, non tamen omnem. In cuius signum, fervor patriae nullum compatitur veniale.

Et si instetur: Quis est ille fervor in hac vita qui non compatitur secum veniale? respondetur quod est ille qui virtualiter claudit in se displicentiam omnis retrahentis a divinae ardore amicitiae, sive caritas habitualis sit magna sive parva. Quod patet ex eo quod talis actualis fervor affectus ex caritate, si vere habetur, delet omne veniale: ita quod pro tunc sic affectus homo est sine omni veniali quoad culpam.

VIII. Ad secundam autem obiectionem * dicitur quod non est ex insufficientia fervoris caritatis quod mediante displicentia deleat veniale: sed hoc est ex ordine causarum et effectuum. Sicut non est ex insufficientia caritatis quod mediante poenitentia deleat mortale. * Num. VI, *Tum quia.*

Quod autem dicitur quod sola displicentia sine tali fervore delet veniale, potest bene et male intelligi. Si enim intelligatur sine fervore actus eliciti a caritate, tunc quodammodo est verum et quodammodo falsum. Verum quidem quoad hoc, quia sine tali fervore causante displicentia a caritate imperata delet veniale. Falsum autem quoad hoc, quod huiusmodi displicentia omnino sit absoluta a tali fervore: quoniam disponit seu parat affectum promptiorem ad talem caritatis fervorem, sicut veniale retardabat ab huiusmodi fervore. – Si vero intelligatur per fervorem talem fervor cuiuscumque actus a caritate quomodolibet procedentis, sic male intelligitur: quia displicentia non nisi caritate informata delet veniale, ut inferius articulo quarto patet. Huiusmodi enim displicentia, qua deletur veniale, quidam caritatis fervor est: fervet enim per eum caritas ad consumptionem venialium impedientium seu retardantium affectum a motu erga ea quae Dei sunt.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM AD REMISSIONEM VENIALIUM PECCATORUM REQUIRATUR GRATIAE INFUSIO

Art. seq.; art. 4, ad 2; IV *Sent.*, dist. XVI, qu. II, art. 2, qª 1; dist. XXI, qu. II, art. 1; *Qu. Dispp., de Malo,* qu. VII, art. 11.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratiae infusio. Effectus enim non est sine propria causa. Sed propria causa remissionis peccatorum est gratia: non enim ex meritis propriis hominis peccata propria [α] remittuntur; unde dicitur *Ephes.* II *: *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo* [β], *cuius gratia salvati estis.* Ergo peccata venialia non remittuntur sine gratiae infusione. * Vers. 4, 5.

2. PRAETEREA, peccata venialia non remittuntur sine poenitentia. Sed in poenitentia infunditur gratia: sicut et in aliis sacramentis novae legis. Ergo peccata venialia non remittuntur sine gratiae infusione.

3. PRAETEREA, peccatum veniale maculam quandam animae infert. Sed macula non aufertur nisi per gratiam, quae est spiritualis animae decor. Ergo videtur quod peccata venialia non remittantur sine gratiae infusione.

SED CONTRA est quod peccatum veniale adveniens non tollit gratiam, neque etiam diminuit eam, ut in Secunda Parte * habitum est. Ergo, pari ratione, ad hoc quod peccatum veniale remittatur, non requiritur novae gratiae infusio. * IIª IIªᵉ, qu. XXIV, art. 10.

RESPONDEO DICENDUM quod unumquodque tollitur per suum oppositum. Peccatum autem veniale non contrariatur habituali gratiae vel caritati, sed retardat actum eius, inquantum nimis haeret [γ] homo bono creato, licet non contra Deum, ut in Secunda Parte * habitum est. Et ideo ad hoc quod peccatum [δ] tollatur, non requiritur aliqua habitualis gratia, sed sufficit aliquis motus gratiae vel caritatis ad eius remissionem. * Iª IIªᵉ, qu. LXXXVII, art. 5; qu. LXXXIX, art. 2.

Quia tamen in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solum possunt esse peccata venialia *, non contingit esse infusionem gratiae sine actuali motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum; ideo, quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur. * Cf. Iªᵐ IIªᵉ, qu. LXXXIX, art. 6.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod etiam remissio peccatorum venialium est effectus gratiae, per actum scilicet quem de novo elicit: non autem per aliquid habituale de novo animae infusum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod veniale peccatum nunquam remittitur sine aliquali actu poenitentiae virtutis, explicito scilicet vel implicito, ut supra * dictum est. Potest tamen remitti veniale * Art. praeced.

α) *hominis peccata propria.* – *peccata hominis* tertia.
β) *in Christo.* – F et tertia; *Christo* ed. *a, Christus* ceteri. – *salvati* PI; *sanati.*
γ) *haeret.* – *haberet* CpE, *adhaeret* Fa, *inhaeret* tertia praeter pG, om. pD.
δ) *peccatum.* – *veniale* addunt PF; post *requiritur* tertia addit *quod infundatur.*

peccatum sine poenitentiae sacramento, quod in absolutione sacerdotis formaliter perficitur, ut supra * dictum est. Et ideo non sequitur quod ad remissionem venialis [ε] requiratur gratiae infusio, quae licet sit in quolibet sacramento, non tamen [ζ] in quolibet actu virtutis.

* Qu. LXXXIV, art. 1, ad 2; art. 3; qu. LXXXVI, art. 2.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter, uno modo per privationem eius quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris aut debitae proportionis membrorum, alio modo per superinductionem alicuius impedientis decorem, puta luti aut pulveris; ita etiam in anima [η] inducitur macula uno modo per privationem decoris gratiae per peccatum mortale, alio modo per inclinationem inordinatam affectus ad aliquid temporale; et hoc fit per peccatum veniale. Et ideo ad tollendam maculam mortalis peccati requiritur infusio gratiae: sed ad tollendam maculam peccati venialis, requiritur aliquis actus procedens a gratia per quem [θ] removeatur inordinata adhaesio ad rem temporalem.

ε) *venialis.* – *peccati* addunt tertia et *a.*
ζ) *tamen.* – *est* addit tertia.
η) *in anima.* – *animae* tertia.
θ) *quem.* – *quam* FH et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo secundo eiusdem quaestionis aliquid occurrit notandum, et aliquid dubitandum *. Diligenter siquidem notandum est ab Auctore hic expresse haberi quod superius * diximus de effectu Eucharistiae, scilicet quod non infunditur nova gratia nec augetur per illam sine actu liberi arbitrii disponente ad susceptionem seu augmentum. Dicitur enim hic quod *non contingit esse infusionem gratiae in adultis sine actuali motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum:* et proportionaliter intelligendum est de augmento gratiae.

* Cf. num. seq.
* Qu. LXXIX, art. 1, Comm. num. III-IX.

II. Dubitandum autem occurrit de illata ex praedicta sententia conclusione, scilicet: *Ideo, quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur.* Et est ratio dubii, tum quia non omnis actus caritatis remittit peccata venialia. Tum quia non omnis detestatio peccati remittit peccata venialia. Utrumque tamen videtur sequi ex hac illatione, si bona est: quoniam ex concursu actus liberi arbitrii in Deum et in peccatum infertur quod infusio gratiae remittit venialia.

III. Ad horum evidentiam, sciendum est ad remissionem venialium quatuor concurrere, duo ex parte causae, et duo ex parte effectus *. Exigitur enim ad remissionem venialium ex parte causae, et quod homo sit in gratia, et quod actualiter utatur illa. Et primum quidem habes ab Auctore in articulo ultimo huius quaestionis: quia sola gratia Dei est remissiva peccati. Secundum autem habetur in articulo praecedenti, et pluries repetitur in hac quaestione. Et quoniam primum potest esse sine secundo, ideo gratia compatitur secum peccata venialia. Secundum autem, quod non potest esse sine primo, non sic accipiendum est quasi quilibet actus caritatis deleat venialia: quoniam hoc esse falsum ex eo probatur quod sequeretur peccata venialia regulariter deleri sine displicentia tam actuali quam virtuali; multi enim sunt actus caritatis neutram displicentiam annexam habentes, quales sunt actus non ferventes religionis, etc., ab habente caritatem eliciti. Intelligendum est ergo quod ad deletionem venialium, ultra habitum gratiae, requiritur actus caritatis virtualiter vel formaliter inferens displicentiam venialium: ut ex primo articulo quaestionis huius habere potes. Et propterea quaecumque remissiva dicuntur peccatorum venialium, ad dictam displicentiam conducunt: ut patet etiam inducendo per illa tria quae in tertio articulo numerantur remissiva venialium; nam in tertio subintelligitur displicentia virtualis; in secundo displicentia formalis; in primo autem displicentia formalis communiter videtur si gratia infunditur, aut virtualis si gratia augetur.

* Cf. num. seq.

IV. Ex parte autem effectus consideratur primo remissio culpae; et secundario remissio poenae. Et culpa quidem remittitur, secundum Auctorem, in tertio, ad tertium, *tum virtute alicuius satisfactionis; tum virtute caritatis, cuius actus excitatur.* Quod sic intelligo. Per *satisfactionem* enim *aliquam* intelligo aliquem illorum actuum quos poenitentiae virtus Deo reddit pro recompensatione peccati quoad culpam, puta displicentiam seu dolorem, confessionem interiorem, vel subiectionem, vel aliquid huiusmodi: non enim tam exacta requiritur poenitentia in remissione culpae venialis qualis de remissione mortalium superius * descripta est.

* Art. 1. - Cf. Comment.

Poenae vero remissio iuxta quantitatem fervoris in littera eadem * quantificatur ab Auctore. Et bene. Ita tamen ut per fervorem intelligas non solum fervorem actus eliciti a caritate, sed etiam actus imperati ab eadem: puta displicentiae seu detestationis peccati. Iuxta fervorem siquidem alterius eorum, quicumque sit ille, plus vel minus remittitur poena venialium.

* Art. 3, ad 3.

V. Ad obiectionem in oppositum * dicitur quod ex littera non sequitur id quod obiiciendo infertur: sed solummodo quod detestatio peccati et actus caritatis intervenientes in infusione gratiae, delent venialia. Constat autem quod detestatio quae assequitur infusionem gratiae, non est qualiscumque detestatio: sed talis et tanta ut divinae mereatur praesentiam gratiae. Et similiter actus caritatis, seu fidei formatae in Deum, non est quicumque caritatis actus: sed ex tali ac tanto conatu proveniens ut divinae adsit infusio gratiae. In huiusmodi enim detestatione peccati et motu in Deum intervenit, saltem virtualiter, detestatio et venialium graviorum, quae disposuerunt ad mortalia, et venialium quae impedierunt accessum ad *hanc mutationem dexterae Excelsi* *. Et communiter intervenire etiam videtur dolor de offensa Dei in communi: in quo clauditur detestatio venialium in genere. Raro enim vel nunquam accidere videtur accedentibus ad sacramenta ut doleant praecise de mortali peccato: communiter enim in communi peccatorum dolor occurrit.

* Num. II.
* Ps. LXXVI, vers. 11.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM PECCATA VENIALIA REMITTANTUR PER ASPERSIONEM AQUAE BENEDICTAE, ET EPISCOPALEM BENEDICTIONEM, ET ALIA HUIUSMODI

Supra, qu. LXV, art. 1, ad 6, 8; qu. LXXXIII, art. 3, ad 3;
IV *Sent.*, dist. XVI, qu. II, art. 2, qu^a^ 4; dist. XVII, qu. III, art. 3, qu^a^ 3; dist. XXI, qu. II, art. 1, 2; *Qu. Dispp., de Malo,* qu. VII, art. 12.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod peccata venialia non remittantur per aspersionem aquae benedictae, et episcopalem benedictionem, et alia huiusmodi. Peccata enim venialia non remittuntur sine poenitentia, ut dictum est *. Sed poenitentia per se sufficit ad remissionem venialium peccatorum. Ergo ista nihil operantur ad huiusmodi remissionem.

* Art. 1.

2. PRAETEREA, quodlibet istorum relationem [α] habet ad unum peccatum veniale, et ad omnia. Si ergo per aliquod istorum remittitur peccatum [β] veniale, sequetur quod pari ratione remittantur omnia. Et ita per unam tunsionem pectoris, vel per unam aspersionem aquae benedictae, redderetur homo immunis ab omnibus peccatis venialibus. Quod videtur inconveniens.

3. PRAETEREA, peccata venialia inducunt reatum alicuius poenae, licet temporalis: dicitur enim, I *Cor.* III *, de eo qui *superaedificat lignum, faenum et stipulam,* quod *salvus erit, sic tamen quasi* [γ] *per ignem.* Sed huiusmodi per quae dicitur peccatum veniale remitti, vel nullam vel minimam poenam in se habent. Ergo non sufficiunt ad plenam remissionem venialium peccatorum.

* Vers. 12, 15.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* *, quod pro levibus peccatis *pectora nostra tundimus, et dicimus, Dimitte nobis debita nostra.* Et ita videtur quod tunsio pectoris et oratio Dominica causent remissionem peccatorum [δ]. Et eadem ratio videtur esse de aliis.

* Ep. CCLXV, al. CVIII, *ad Seleucianam*, n. 8; Mag. IV *Sent.*, dist. XVI, cap. *Praedictis vero.* - Cf. can. *Tres sunt, de Poenit.*, dist. I.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, ad remissionem venialis peccati non requiritur novae gratiae infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia quo homo detestetur peccatum [ε] vel explicite, vel saltem implicite, sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum. Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. Uno modo, inquantum in eis infunditur gratia: quia per infusionem gratiae tolluntur peccata venialia, ut supra * dictum est. Et hoc modo per Eucharistiam et extremam unctionem, et universaliter per omnia sacramenta novae legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur.

* Art. 2. — * Ibid.

Secundo, inquantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum. Et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris, et oratio Dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum: nam in oratione Dominica petimus: *Dimitte nobis debita nostra.*

Tertio, inquantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum et ad res divinas. Et hoc modo benedictio episcopalis, aspersio aquae benedictae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata, et si qua alia sunt huiusmodi, operantur ad remissionem peccatorum [ζ].

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod omnia ista causant remissionem peccatorum venialium inquantum inclinant animam ad motum poenitentiae, qui est detestatio peccatorum, vel implicite vel explicite.

AD SECUNDUM DICENDUM quod omnia ista, quantum est de se, operantur ad remissionem omnium venialium peccatorum. Potest tamen impediri remissio quantum ad aliqua peccata venialia, quibus mens actualiter inhaeret: sicut etiam per fictionem impeditur aliquando [η] effectus baptismi.

AD TERTIUM DICENDUM quod per praedicta tolluntur quidem peccata venialia quantum ad culpam, tum virtute alicuius sanctificationis [θ], tum etiam virtute caritatis, cuius motus per praedicta excitatur. Non autem per quodlibet praedictorum semper tollitur totus reatus poenae: quia sic qui esset omnino immunis a peccato mortali, aspersus aqua benedicta statim evolaret. Sed reatus poenae remittitur per praedicta secundum motum [ι] fervoris in Deum, qui per praedicta excitatur quandoque magis, quandoque minus.

α) *relationem.* – *eandem relationem* F et tertia.
β) *peccatum.* – *aliquod peccatum* F et tertia.
γ) *sic tamen quasi.* – FsD et tertia (I om. *per*); *sic tamen* ABCpD, *si tamen* E, *sed tamen* ed. *a.*
δ) *peccatorum.* – *peccatorum venialium* F*a*, *omnium venialium* GH*bc*, *venialium peccatorum* PI.
ε) *peccatum.* – *veniale* addunt F et tertia.
ζ) *peccatorum.* – *venialium* addunt F*a*, praemittit P.
η) *impeditur aliquando.* – *impeditur interdum* F, *aliquando impeditur* G, *interdum impeditur* cetera tertia.
θ) *sanctificationis.* – *satisfactionis* Pc.
ι) *motum.* – *modum* P.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM VENIALE PECCATUM POSSIT REMITTI SINE MORTALI

IV *Sent.*, dist. xvi, qu. ii, art. 1, qu[a] 3.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod veniale peccatum possit remitti sine mortali. Quia super illud Ioan. viii *, *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat,* dicit quaedam glossa * quod *omnes illi erant in peccato mortali: venialia enim eis dimittebantur per caeremonias.* Ergo veniale peccatum potest remitti sine mortali.

* Vers. 7.
* Ex Pseudo-Aug. *de Vera et Falsa Poenit.*, cap. xx.

2. Praeterea, ad remissionem peccati venialis non requiritur gratiae infusio. Requiritur autem ad remissionem mortalis. Ergo veniale peccatum potest remitti sine mortali.

3. Praeterea, plus distat veniale peccatum a mortali quam ab alio veniali. Sed unum veniale potest dimitti sine alio, ut dictum est *. Ergo veniale potest dimitti sine mortali.

* Art. 3, ad 2.

Sed contra est quod dicitur Matth. v *: *Non exibis* [α] *inde,* scilicet de *carcere,* in quem introducitur homo pro peccato mortali, *donec reddas novissimum quadrantem,* per quem significatur veniale peccatum. Ergo veniale peccatum non remittitur sine mortali.

* Vers. 25, 26.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, remissio culpae cuiuscumque nunquam fit nisi per virtutem gratiae: quia, ut Apostolus dicit, *Rom.* iv *, ad gratiam Dei pertinet quod Deus alicui *non imputat peccatum,* quod Glossa * ibi exponit de veniali. Ille autem qui est in peccato mortali, caret gratia Dei. Unde nullum peccatum veniale sibi remittitur.

* Qu. lxxxvi, art. 3.
* Vers. 2 sqq. - Cf. Ps. xxxi, vers. 1, 2.
* Interl. et Lomb.

Ad primum ergo dicendum quod venialia ibi dicuntur irregularitates sive immunditiae quas contrahebant secundum legem.

Ad secundum dicendum quod, licet ad remissionem peccati venialis non requiratur nova infusio habitualis gratiae, requiritur tamen aliquis gratiae actus. Qui non potest esse in eo qui subiacet peccato mortali.

Ad tertium dicendum quod peccatum veniale non excludit omnem actum gratiae, per quem possunt omnia peccata venialia dimitti. Sed peccatum mortale excludit totaliter habitum gratiae, sine quo nullum peccatum mortale vel veniale remittitur. Et ideo non est similis ratio.

α) *Non exibis. – Amen dico tibi non exibis* (*exies* P) tertia. Pro *introducitur, intruditur* PI.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo quarto, in corpore, adverte rationem moventem Auctorem non se tenere ex parte poenae, sed ex parte culpae: quia scilicet nulla culpa a Deo remittitur nisi per virtutem gratiae. Quod si Durandus advertere voluisset, aut solvisset hanc rationem, aut cessasset ab obiiciendo. Ipse enim, in IV *Sent.*, dist. xvi, qu. 1, art. 2 *, contra hanc doctrinam obiicit tripliciter.

* Al. dist. xvi, qu. ii.

Primo, quia culpa venialis consistit in deordinatione voluntatis. Quae tollitur per debitam displicentiam eius quod indebite placuit.

Secundo, quia puer non baptizatus, in originali existens peccato, quando venit ad aetatem, potest primo peccare venialiter, et statim mori. Et tunc proceditur: An punietur poena aeterna pro peccato veniali, an poena temporali? etc.

Tertio, per opera bona facta extra caritatem potest aliquis, secundum omnes, mereri de congruo aliquod bonum temporale. Ergo expiationem poenae temporalis debitae peccato veniali.

II. Ad haec facile dicitur quod culpa peccati venialis non tollit solummodo rectitudinem actus voluntarii, sed etiam ordinem ad actualem dilectionem Dei: est enim impeditivum fervoris caritatis. Et ex hac parte habet rationem cuiusdam offensae Dei. Et propterea, dato quod sistens in peccato mortali possit reparare rectitudinem venialis peccati, puta quia ex mendace iocose vel officiose habituatus est ad veritatem dicendam etiam iocose et officiose; non propterea remissionem consecutus est praeteritae culpae, qua aliquo modo Deum offendit; quoniam nulla offensa sine gratia a Deo dimittitur. Nec displicentia illa quae in hoc ponitur, sufficit ad remissionem culpae: quia non est Deo accepta sine gratia, ut in littera dicitur ex Psalmo et Apostolo et glossa ***Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum,*** etc.

Ad secundum dicitur quod, si casus accideret, peccatum illud veniale aeternaliter puniretur per accidens, hoc est, ratione status. Quia esset in statu in quo semper maneret culpa. Manente autem culpa in aeternum, debet etiam poena esse aeterna: ut ipsemet Durandus, in eodem libro *, approbat.

* Dist. xxi, qu. ii.

Ad tertium dicitur quod, quidquid sit de poena, negandum est quod per bona opera facta extra caritatem possit aliquis mereri de congruo remissionem culpae. Et propterea argumentum non militat contra praesentem doctrinam.

QUAESTIO OCTOGESIMAOCTAVA

DE REDITU PECCATORUM POST POENITENTIAM DIMISSORUM

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

α — * Cf. qu. LXXXVI, Introd.

Deinde considerandum est de reditu peccatorum post [α] poenitentiam dimissorum *. Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum peccata per poenitentiam dimissa redeant simpliciter per sequens peccatum.

Secundo: utrum aliquo modo per ingratitudinem redeant specialius secundum quaedam peccata.

Tertio: utrum redeant in aequali reatu.

Quarto: utrum illa ingratitudo per quam redeunt, sit speciale peccatum.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM PECCATA DIMISSA REDEANT PER SEQUENS PECCATUM

IV *Sent.*, dist. XXII, qu. 1, art. 1; *In Matth.*, cap. XVIII, in fin.

* De Bapt. cont. Donatist. lib. I, cap. XII. - Cf. Mag. IV Sent., dist. XXII, cap. Cumque. — β

Ad primum sic proceditur. Videtur quod peccata dimissa redeant per sequens peccatum. Dicit enim Augustinus, in libro I *de Baptismo* *: *Redire dimissa peccata ubi fraterna* [β] *caritas non est, apertissime Dominus in Evangelio docet in illo servo a quo dimissum debitum dominus petiit eo quod ille conservo suo debitum nollet dimittere.* Sed fraterna caritas tollitur per quodlibet peccatum mortale. Ergo per quodlibet sequens mortale peccatum redeunt peccata prius per poenitentiam dimissa.

* Vers. 24. — * Expos. in Luc. lib. IV. - Cf. can. Quemcumque, de Poenit., dist. IV. — γ

2. Praeterea, super illud Luc. XI *, *Revertar in domum meam unde exivi*, dicit Beda *: *Timendus est ille versiculus, non* [γ] *exponendus: ne culpa quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat.* Hoc autem non esset nisi rediret. Ergo culpa per poenitentiam dimissa redit.

* Vers. 24. — δ — ε — * Qu. LXXXV, art. 3.

3. Praeterea, Ezech. XVIII * Dominus dicit: *Si averterit se iustus a iustitia sua et fecerit iniquitatem, omnes iustitiae eius quas fecerat, non recordabuntur amplius* [δ]. Sed inter alias iustitias quas fecit, etiam praecedens poenitentia concurrit [ε]: cum supra * dictum sit poenitentiam esse partem iustitiae. Ergo, postquam poenitens peccat, non imputatur ei praecedens poenitentia, per quam consecutus est veniam peccatorum. Redeunt ergo illa peccata.

* Vers. 2 sqq. — * Ps. XXXI, vers. 1.

4. Praeterea, peccata praeterita per gratiam teguntur: ut patet per Apostolum, *Rom.* IV *, inducentem illud Psalmi *, *Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.* Sed per peccatum mortale sequens gratia tollitur. Ergo peccata quae fuerant prius commissa, remanent detecta. Et ita videtur quod redeant.

* Vers. 29.

Sed contra est quod Apostolus dicit, *Rom.* XI *: *Sine poenitentia sunt dona Dei et vocatio.* Sed peccata poenitentis sunt remissa per donum Dei. Ergo per peccatum sequens non redeunt dimissa peccata, quasi Deus de dono remissionis poeniteat.

* Ad obiect. 2 (inter Opp. Aug.) - Cf. can. Qui recedit, de Poenit., dist. IV. — ζ

2. Praeterea, Augustinus dicit, in libro *Responsionum Prosperi* *: *Qui recedit a Christo et alienatus a gratia finit* [ζ] *hanc vitam, quid nisi in perditionem vadit? Sed non in id quod dimissum est recidit, nec pro originali peccato damnabitur.*

* Qu. LXXXVI, art. 4; Iª IIªᵉ, qu. LXXXVII, art. 4. — η

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, in peccato mortali sunt duo: scilicet aversio a Deo, et conversio ad bonum creatum. Quidquid autem est aversionis [η] in peccato mortali, secundum se consideratum, est commune omnibus peccatis mortalibus: quia per quodlibet peccatum mortale homo avertitur a Deo. Unde et per consequens macula, quae est per privationem gratiae, et reatus poenae aeternae, communia sunt omnibus peccatis mortalibus. Et secundum hoc intelligitur id quod dicitur Iac. II *: *Qui offendit in uno, factus est omnium reus.* Sed ex parte conversionis, peccata mortalia sunt diversa, et interdum contraria.

* Vers. 10.

Unde manifestum est quod ex parte conversionis peccatum mortale sequens non facit redire peccata mortalia prius abolita. Alioquin sequeretur quod homo per peccatum prodigalitatis reduceretur in habitum vel dispositionem avaritiae prius abolitae: et sic contrarium esset causa sui contrarii, quod est impossibile. – Sed considerando in peccatis mortalibus id quod est ex parte aversionis absolute, per peccatum mortale sequens [θ] homo privatur gratia et fit reus poenae

θ

α) *post.* – *per* PI.
β) *fraterna.* – P; *srña* (idest *superna*) I, *summa* ceteri; ita etiam altero loco.
γ) *non.* – *nec* pE, *nec non* ceteri. – *opprimat* tertia praeter pG; *comprimat.*
δ) *amplius.* – Ante *non* ponunt AB, om. PI.
ε) *concurrit.* – *continetur* F et tertia.
ζ) *finit.* – P; *vivit.* – *quid nisi* PI; *quod* EpGH et *b*, *quid* F, *quidem* ceteri. – *vadit* PFIsG; *venit b*, *vivit* ceteri. – *pro originali* P; *originali.*
η) *aversionis.* – *ex parte aversionis* tertia.
θ) *per peccatum mortale sequens.* – *peccatum* (*per peccatum* sG et editiones) *mortale sequens reducit* (*redit* sG et editiones) *illud quod fuerat in prioribus peccatis ante dimissionem inquantum per peccatum mortale sequens* tertia.

aeternae, sicut et prius erat. – Verum [ι], quia aversio in peccato mortali ex conversione quodammodo diversitatem induit [κ] per comparationem ad diversas conversiones sicut ad diversas causas, ita quod sit alia aversio et alia [λ] macula et alius reatus prout consurgit ex alio actu peccati mortalis: hoc ergo [μ] in quaestionem vertitur, utrum macula et reatus poenae aeternae, secundum quod causabantur ex actibus peccatorum prius dimissorum, redeant per peccatum mortale sequens.

Quibusdam * igitur visum est quod simpliciter hoc modo redeant. – Sed hoc non potest esse. Quia opus Dei per opus hominis irritari non potest. Remissio autem priorum peccatorum est [ν] opus divinae misericordiae. Unde non potest irritari per sequens peccatum hominis: secundum illud *Rom.* III *: *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit?*

* Hug. a S. Vict., *de Sacrament.*, lib. II, p. XIV, cap. 9; Petr. Pictav. III *Sent.*, cap. XII.

* Vers. 3.

Et ideo alii *, ponentes peccata redire, dixerunt quod Deus non remittit peccata poenitenti postmodum peccaturo [ξ] secundum praescientiam, sed solum secundum praesentem iustitiam. Praescit enim eum pro his peccatis aeternaliter puniendum [ο], et tamen per gratiam facit eum praesentialiter iustum. – Sed nec hoc stare potest. Quia, si causa absolute ponatur, et effectus ponitur absolute. Si ergo absolute non [π] fieret peccatorum remissio, sed cum quadam conditione in futurum dependente, per gratiam et gratiae sacramenta, sequeretur quod gratia et gratiae sacramenta non essent sufficiens causa remissionis peccatorum. Quod est erroneum, utpote derogans gratiae Dei.

* Cf. Gratian., *de Poenit.*, dist. IV, p. II sqq.

Et ideo nullo modo potest esse quod macula et reatus praecedentium peccatorum redeant secundum quod ex talibus actibus causabantur.

Contingit autem quod sequens actus peccati virtualiter continet reatum prioris peccati: inquantum scilicet aliquis secundo peccans ex hoc ipso videtur gravius peccare quam prius peccaverat; secundum illud *Rom.* II *, *Secundum duritiam tuam et cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae,* ex hoc solo scilicet quod *contemnitur Dei bonitas,* quae *ad poenitentiam expectat* *; multo autem magis contemnitur Dei bonitas si, post remissionem prioris peccati, secundo peccatum iteretur; quanto maius est beneficium peccatum remittere quam sustinere peccatorem. Sic igitur per peccatum sequens poenitentiam redit quodammodo reatus peccatorum prius dimissorum, non inquantum causabatur ex illis peccatis prius dimissis, sed inquantum causatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex peccatis prioribus. Et hoc non est peccata dimissa redire simpliciter, sed secundum quid: inquantum scilicet virtualiter in peccato sequenti continentur.

* Vers. 5.

* Ibid., vers. 4.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illud verbum Augustini videtur esse intelligendum de reditu peccatorum quantum ad reatum poenae aeternae in se consideratum: quia scilicet post poenitentiam peccans incurrit reatum poenae aeternae sicut et prius; non tamen omnino propter eandem rationem. Unde Augustinus, in libro *de Responsionibus Prosperi* *, cum dixisset quod *non in id quod remissum est recidit, nec pro originali peccato damnabitur,* subdit [ρ]: *Qui tamen ea morte afficitur quae ei propter peccata dimissa debebatur:* quia scilicet incurrit [σ] mortem aeternam, quam meruerat per peccata praeterita.

* Loc. cit. supra.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in illis verbis non intendit Beda dicere quod culpa prius dimissa hominem opprimat per reditum praeteriti reatus: sed per iterationem actus.

AD TERTIUM DICENDUM quod per sequens peccatum iustitiae priores oblivioni traduntur inquantum erant meritoriae vitae aeternae: non tamen inquantum erant impeditivae peccati. Unde, si aliquis peccet mortaliter postquam restituit debitum, non efficitur reus quasi debitum non reddidisset. Et multo minus traditur oblivioni poenitentia prius acta quantum ad remissionem culpae: cum remissio culpae magis sit opus Dei quam hominis.

AD QUARTUM DICENDUM quod gratia simpliciter tollit maculam et reatum poenae aeternae: tegit autem actus peccati praeteritos, ne scilicet propter eos Deus hominem gratia privet et reum habeat poenae aeternae. Et quod gratia semel facit [τ], perpetuo manet.

ι) *Verum.* – Tertia; *Veruntamen* sE, om. *a*, *vita* ceteri.
κ) *diversitatem induit.* – *causatur (causam b) recipiunt ea quae sunt ex parte aversionis quodammodo diversitatem* (*inducit* addunt pG et *b*) tertia, *diversitatem inducit* ceteri.
λ) *aversio et alia.* – Tertia (excepto I qui om.); *conversio et alia.* – Pro *ex alio, ex alio et alio* tertia.
μ) *hoc ergo.* – *hoc modo* H, *et hoc modo* editiones.
ν) *est.* – *fuit* PI.
ξ) *peccaturo.* – PFI*a*; *pccor* ABC, *peccandi* D, *pccorum* EGpH, *peccatori* sH et *c*, *poenituit b.*
ο) *eum... puniendum.* – *se pro his peccatis eum aeternaliter puniturum* tertia.
π) *absolute non.* – *non absolute* tertia. – *per gratiam et gratiae sacramenta* post *fieret* ponit P.
ρ) *subdit.* – Tertia; *subiungit* F, om. ceteri.
σ) *incurrit.* – Editiones et *a*; *incurret* GH, *incurreret* ceteri.
τ) *facit.* – *fecit* PGI.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo primo quaestionis octogesimaeoctavae, circa illud, *Homo secundo peccans ex hoc ipso videtur gravius peccare quam prius peccaverat,* dubium occurrit. Nam falsum videtur secundum peccatum esse gravius primo: immo totum oppositum. Quoniam primum peccatum est casus ab innocentia: secundum autem addit sordem sordi, iuxta illud *, *Qui sordidus est, sordescat adhuc.* Constat autem maioris ingratitudinis esse peccare contra beneficium innocentiae, ex quo aggravatur primum peccatum, quam contra beneficium expectationis ad poenitentiam, ex quo aggravatur secundum peccatum.

* *Apoc.* cap. XXII, vers. 11.

II. Ad hoc dicitur quod non est hic sermo comparativus peccatorum penes gravitatem: sed continentiae quasi virtualis prioris peccati in posteriori, non simpliciter, sed secundum quid; hoc est, secundum aliquam certam specialem rationem, puta quia posterius peccatum est contra sustinentem indignum sustineri. Et ideo cum hac doctrina stat quod primum peccatum fuerit ex propria specie gra-

vius, puta blasphemia Dei, secundo existente peccato gulae; et secundum rationem ingratitudinis, puta quia primum fuit contra beneficium innocentiae. Secundum autem, etiam si levissimum ex sua specie mortale esset, semper habet hanc aggravantem circumstantiam ingratitudinis ex priore peccato consurgentem, quod est contra hoc beneficium expectationis indigni ex priore commisso peccato. Secundum hanc enim circumstantiam gravius est secundum peccatum quam primum. Et hinc Auctor ad similem gravitatem secundum similem circumstantiam procedit in littera. Peccatum enim post poenitentiam, ut in tertio patet articulo, non oportet esse gravius absolute peccato dimisso: sed semper est gravius secundum quid, hoc est, secundum hanc circumstantiam qua est contra eum qui remisit priora peccata. Secundum hanc enim circumstantiam peccatum post poenitentiam continere dicitur virtualiter peccata prius dimissa: quia ex illis peccatis consurgit haec circumstantia aggravans peccatum post poenitentiam.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM PECCATA DIMISSA REDEANT PER INGRATITUDINEM QUAE SPECIALITER EST SECUNDUM QUATUOR GENERA PECCATORUM

IV *Sent.*, dist. XXII, qu. I, art. 1, 3; *In Matth.*, cap. XVIII, in fin.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod peccata dimissa non redeant per ingratitudinem quae specialiter est secundum quatuor genera peccatorum, scilicet secundum odium fraternum, apostasiam a fide, contemptum confessionis, et dolorem de poenitentia habita *: secundum quod quidam metrice dixerunt: *Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri: Poenituisse piget, pristina culpa redit.* Tanto enim est maior ingratitudo quanto gravius est peccatum quod quis contra Deum committit post beneficium remissionis peccatorum. Sed quaedam alia peccata sunt his graviora: sicut blasphemia contra Deum, et peccatum in Spiritum Sanctum. Ergo videtur quod peccata dimissa non redeant magis secundum ingratitudinem commissam α secundum haec peccata, quam secundum alia.

* Opin. Praepositini, *Summ.*, *de Reditu Peccator.* - Cod. Vat. Lat. 1174, fol. 41, rect.

2. PRAETEREA, Rabanus * dicit: *Nequam servum tradidit Deus tortoribus quoadusque redderet universum debitum: quia non solum peccata* β *quae post baptismum homo egit reputabuntur ei ad poenam, sed originalia, quae ei sunt dimissa in baptismo.* Sed etiam inter debita peccata venialia γ computantur, pro quibus dicimus: *Dimitte nobis debita nostra* *. Ergo ipsa etiam redeunt per ingratitudinem. Et pari ratione videtur quod per peccata venialia redeant δ peccata prius dimissa, et non solum per praedicta peccata.

* Can. *Si Iudas, de Poenit.*, dist. IV; Magist. IV *Sent.*, dist. XXII, cap. I.

* Cf. qu. LXXXVII, art. 3, arg. *Sed cont.*

3. PRAETEREA, tanto est maior ingratitudo quanto post maius ε beneficium acceptum aliquis peccat. Sed beneficium Dei est etiam ipsa innocentia, qua peccatum vitamus: dicit enim Augustinus, in II *Confess.* *: *Gratiae tuae deputo quaecumque peccata non feci.* Maius autem donum est innocentia quam etiam remissio omnium peccatorum. Ergo non minus est ingratus Deo qui primo ζ peccat post innocentiam, quam qui peccat post poenitentiam. Et ita videtur quod per ingratitudinem quae fit secundum peccata praedicta, non maxime redeant peccata dimissa.

* Cap. VII.

SED CONTRA EST quod Gregorius dicit, XVIII *Moral.* *: *Ex dictis Evangelicis constat quia, si quod in nos delinquitur ex corde non dimittimus, et illud rursus exigetur quod nobis iam per poenitentiam dimissum fuisse gaudebamus.* Et ita propter odium fraternum specialiter peccata dimissa redeunt per ingratitudinem. Et eadem ratio videtur de aliis.

* IV *Dialog.*, cap. LX. - Cf. can. *Ex dictis, de Poenit.*, dist. IV; Mag. IV *Sent.*, dist. XXII, cap. I.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, peccata dimissa per poenitentiam redire dicuntur inquantum reatus eorum, ratione ingratitudinis, virtualiter continetur in peccato sequenti. Ingratitudo autem potest committi dupliciter. Uno modo, ex eo quod aliquid fit contra beneficium. Et hoc modo per omne peccatum mortale quo Deum offendit, redditur homo ingratus Deo, qui peccata remisit. Et sic per quodlibet peccatum mortale sequens redeunt peccata prius dimissa, ratione ingratitudinis.

* Art. praeced.

Alio modo committitur ingratitudo non solum faciendo contra ipsum beneficium, sed etiam faciendo contra formam beneficii praestiti. Quae quidem forma, si attendatur ex parte benefactoris, est remissio debitorum. Unde contra hanc formam facit qui fratri petenti veniam non remittit, sed odium tenet. – Si autem attendatur ex parte poenitentis, qui recipit hoc beneficium, invenitur η duplex motus liberi arbitrii. Quorum primus est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei formatae, et contra hoc facit homo apostatando a fide: secundus autem, motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus poenitentiae. Ad quam θ primo pertinet, ut supra * dictum est, quod homo detestetur peccata praeterita: et contra hoc facit ille qui dolet se poenituisse. Secundo pertinet ad actum poenitentiae ut poenitens proponat se subiicere clavibus Ec-

* Qu. LXXXV, art. 2, 3

α) *commissam.* – Fa et tertia; *commissa.* – *haec peccata* editiones; *hoc peccatum.*
β) *peccata.* – I et editiones; *debita peccata* GH, *homo (homini* ed. *a) peccata* omisso mox *homo* ceteri.
γ) *inter debita peccata venialia.* – *peccata venialia inter debita* tertia.
δ) *per peccata venialia redeant.* – G et editiones; *per peccata venialia redeant per* H, *peccata venialia redeant* I, *peccata venialia redeant per* ceteri.
ε) *maius.* – Tertia; om.
ζ) *primo.* – Om. editiones.
η) *invenitur.* – *ex parte eius* addit P.
θ) *quam.* – *quem* F et tertia praeter I.

* Ps. xxxi, vers. 5. clesiae per confessionem: secundum illud Psalmi *: *Dixi, Confitebor adversum me iniustitiam meam* ι *Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.* Et contra hoc facit ille qui contemnit confiteri, secundum quod proposuerat.

Et ideo dicitur quod specialiter ingratitudo horum peccatorum facit redire peccata prius dimissa.

Ad primum ergo dicendum quod hoc non dicitur specialiter de istis peccatis quia sint ceteris graviora: sed quia directius opponuntur beneficio remissionis peccatorum.

Ad secundum dicendum quod etiam peccata venialia et peccatum originale redeunt modo praedicto *, sicut et peccata mortalia: inquantum contemnitur Dei beneficium quo haec peccata sunt remissa. Non tamen per peccatum veniale aliquis incurrit ingratitudinem: quia homo, peccando venialiter, non facit contra Deum, sed praeter ipsum. Et ideo per peccata venialia nullo modo peccata dimissa redeunt.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod beneficium aliquod habet pensari dupliciter. Uno modo, ex quantitate ipsius beneficii. Et secundum hoc, innocentia est maius Dei beneficium quam poenitentia, quae dicitur *secunda tabula post naufragium* *. – Alio modo potest pensari beneficium ex parte recipientis, qui minus est dignus, et sic magis sibi fit gratia. Unde et ipse magis est ingratus si contemnat. Et hoc modo beneficium remissionis culpae est maius, inquantum praestatur totaliter indigno. Et ideo ex hoc sequitur maior ingratitudo.

* Cf. qu. lxxxiv, art. 6.

ι) *iniustitiam meam.* – *iniustitias meas* GH*bc*, *iniustitias* I.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM PER INGRATITUDINEM PECCATI SEQUENTIS CONSURGAT TANTUS REATUS QUANTUS FUERAT PECCATORUM PRIUS DIMISSORUM

IV *Sent.*, dist. xxii, qu. i, art. 2, qu^a 3.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod per ingratitudinem peccati sequentis consurgat tantus reatus quantus fuerat peccatorum prius dimissorum. Quia secundum magnitudinem peccati est magnitudo beneficii quo peccatum remittitur; et per consequens magnitudo ingratitudinis qua hoc beneficium contemnitur. Sed secundum quantitatem ingratitudinis est quantitas reatus consequentis. Ergo tantus reatus α surgit ex ingratitudine sequentis peccati quantus fuit reatus omnium praecedentium peccatorum.

2. Praeterea, magis peccat qui offendit Deum quam qui offendit hominem. Sed servus manumissus ab aliquo domino reducitur in eandem servitutem a qua prius fuerat liberatus, vel etiam in graviorem *. Ergo multo magis ille qui contra Deum peccat post liberationem a peccato, reducitur in tantum reatum poenae quantum primo habuerat.

* Inst. I, xvi, *de Capitis Minut.*; Dig. XXV, iii, *de Agnoscendis* etc., 6.

3. Praeterea, Matth. xviii * dicitur quod *iratus dominus tradidit eum,* cui replicantur peccata dimissa propter ingratitudinem, *tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.* Sed hoc non esset nisi consurgeret ex ingratitudine tantus reatus quantus fuit omnium praeteritorum peccatorum. Ergo aequalis reatus per ingratitudinem redit.

* Vers. 34.

Sed contra est quod dicitur *Deuteron.* xxv *: *Pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Ex quo patet quod ex parvo peccato non consurgit magnus reatus. Sed quandoque mortale peccatum sequens est multo minus quolibet peccatorum prius dimissorum. Non ergo ex peccato sequenti redit tantus reatus quantus fuit peccatorum prius dimissorum.

* Vers. 2.

Respondeo dicendum quod quidam * dixerunt quod ex peccato sequenti, propter ingratitudinem, consurgit tantus reatus quantus fuit reatus omnium peccatorum prius dimissorum, supra reatum proprium huius peccati. – Sed hoc non est necesse. Quia supra * dictum est quod β reatus praecedentium peccatorum non redit per peccatum sequens inquantum sequebatur ex actibus praecedentium peccatorum, sed inquantum consequitur actum sequentis peccati. Et ita oportet quod quantitas reatus redeuntis sit secundum gravitatem peccati subsequentis. Potest autem contingere quod gravitas peccati subsequentis adaequat gravitatem γ omnium praecedentium peccatorum: sed hoc non semper est necesse, sive loquamur de gravitate eius quam habet ex sua specie, cum quandoque peccatum sequens sit simplex fornicatio, peccata vero praeterita fuerunt homicidia vel adulteria seu sacrilegia; sive etiam loquamur de gravitate quam habet ex ingratitudine annexa. Non enim oportet quod quantitas ingratitudinis sit absolute aequalis quantitati beneficii suscepti, cuius quantitas attenditur secundum quantitatem peccatorum prius dimissorum. Contingit enim quod contra idem beneficium unus est multum ingratus, vel secundum intensionem contemptus beneficii, vel secundum gravitatem culpae contra benefactorem commissae; alius autem parum,

* Hugo a S. Vict., *de Sacram.* lib. II, p. xiv, cap. 9; Gulielm. Paris. *de Poenit.*, cap. xix.

* Art. 1.

α) *tantus reatus.* – *tantus est* (*est tantus* P) *reatus qui* editiones. Pro *surgit*, *consurgit* tertia.

β) *supra dictum est quod.* – *sicut supra dictum est* tertia.

γ) *adaequat gravitatem.* – *adaequatur* (*adaequetur* P) *gravitati* Pc. Cf. inferius et qu. vii art. 11 λ.

vel quia minus contemnit, vel quia minus contra benefactorem agit. Sed proportionaliter quantitas ingratitudinis adaequatur quantitati beneficii: supposito enim aequali contemptu beneficii, vel offensa benefactoris, tanto erit gravior ingratitudo quanto beneficium fuit maius.

Unde manifestum est quod non est necesse quod propter ingratitudinem semper per peccatum sequens redeat tantus reatus quantus fuit praecedentium peccatorum: sed necesse est quod proportionaliter, quanto peccata prius dimissa fuerunt plura et maiora, tanto redeat maior reatus per qualecumque sequens peccatum mortale.

Ad primum ergo dicendum quod beneficium remissionis culpae recipit quantitatem absolutam secundum quantitatem peccatorum dimissorum. Sed peccatum ingratitudinis non recipit quantitatem absolutam secundum quantitatem beneficii, sed secundum quantitatem contemptus vel offensae, ut dictum est *. Et ideo ratio non sequitur.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod servus manumissus non reducitur in pristinam servitutem pro qualicumque ingratitudine, sed pro aliqua gravi.

Ad tertium dicendum quod illi cui peccata dimissa replicantur propter subsequentem ingratitudinem, redit [δ] *universum debitum*, inquantum quantitas peccatorum praecedentium proportionaliter invenitur in ingratitudine subsequenti, non autem absolute, ut dictum est *.

* Ibid.

δ) *illi... redit.* – P; *ille... reddit* Dla, *ille... redit in* F, *ille... redit* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo tertio eiusdem quaestionis, intellige, Novitie, ingratitudinem non habere quantitatem ex quantitate beneficii, quamvis habeat ex illo speciem: sicut nec odium habet quantitatem ex obiecto odio habito. Non enim oportet tantum esse odium quantum est odibile: contingit enim unum et idem plus et minus odio haberi. Et similiter non oportet tantum esse amorem quantum est amatum: est enim aliquid plus amabile quam ametur. Et sic de aliis. Quantificatur autem ingratitudo ex beneficio, ut in littera dicitur, *proportionaliter*. Et hoc est dicere quod, si comparentur duae ingratitudines ad duo beneficia, verum est quod, ceteris paribus, quanto beneficium maius est beneficio, tanto ingratitudo maior est ingratitudine. Et propterea tanto peccatum post poenitentiam est secundum ingratitudinis circumstantiam gravius, quanto contra maius est beneficium remissionis peccatorum. Et quia beneficium remissionis quantificatur secundum peccata dimissa, ideo tanto gravius quis post poenitentiam peccat, quanto maior peccator prius fuit; et, ceteris paribus, quanto pluries dimissa sibi peccata fuerunt.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM INGRATITUDO RATIONE CUIUS SEQUENS PECCATUM FACIT REDIRE PECCATA PRIUS DIMISSA, SIT SPECIALE PECCATUM

IIa IIae, qu. CVII, art. 2, ad 1; IV *Sent.*, dist. XXII, qu. I, art. 2, qua 1.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod ingratitudo ratione cuius sequens peccatum facit redire peccata prius dimissa, sit speciale peccatum. Retributio enim gratiarum pertinet ad *contra-passum*, quod requiritur in iustitia: ut patet per Philosophum, in V *Ethic.* * Sed iustitia est specialis virtus. Ergo ingratitudo est speciale peccatum.

* Cap. V, n. 6 sqq. - S. Th. lect. VIII.

2. Praeterea, Tullius, in II *Rhetoric.* *, ponit quod *gratia* est specialis virtus. Sed ingratitudo opponitur gratiae. Ergo ingratitudo est speciale peccatum.

* *De Invent. Rhetor.*, lib. II, cap. LIII.

3. Praeterea, specialis effectus a speciali causa procedit. Sed ingratitudo habet specialem effectum: scilicet quod facit aliqualiter redire peccata prius dimissa. Ergo ingratitudo est speciale peccatum.

Sed contra est. Id quod sequitur omnia peccata, non est speciale peccatum. Sed per quodcumque peccatum mortale aliquis efficitur Deo ingratus, ut ex praemissis * patet. Ergo ingratitudo non est speciale peccatum.

* Art. 2.

Respondeo dicendum quod ingratitudo peccantis quandoque est speciale peccatum; quandoque non, sed est circumstantia generaliter consequens omne peccatum mortale quod contra Deum committitur. Peccatum enim speciem recipit ex intentione peccantis *: unde, ut Philosophus dicit, in V *Ethic.* *, *ille qui moechatur ut furetur, magis est fur quam moechus*. Si igitur aliquis peccator in contemptum Dei et suscepti beneficii aliquod peccatum committit, illud peccatum trahitur ad speciem ingratitudinis: et haec [α] ingratitudo peccantis est speciale peccatum. Si vero aliquis intendens aliquod peccatum committere, puta homicidium aut adulterium, non retrahatur ab hoc propter hoc quod pertinet ad Dei contemptum, ingratitudo non erit speciale peccatum *, sed traheretur ad speciem alterius peccati sicut circumstantia quaedam. Ut autem Augustinus dicit, in libro *de Natura et Gratia* *, non omne peccatum est ex contemptu: et tamen in omni peccato Deus contemnitur in suis praeceptis. Unde manifestum est quod ingratitudo peccan-

* D. 785.
* Cap. II, n. 4. - S. Th. lect. III.
* D. 992.
* Cap. XXIX.

α) *et haec.* – *et quod haec* pG et *bc*, abrasa pH, *et secundum hoc* IsG, *et hoc modo* P.

tis quandoque est speciale peccatum, sed non semper.

Et per hoc patet responsio ad obiecta. Nam primae rationes concludunt quod ingratitudo secundum se sit quaedam species peccati. Ultima autem ratio concludit quod ingratitudo secundum quod invenitur in omni peccato, non sit speciale peccatum.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo quarto eiusdem quaestionis, adverte, Novitie, ingratitudinem de qua est sermo, non esse speciale peccatum non solum ea ratione quia ipsa et peccatum, puta fornicatio post poenitentiam, non constituunt duo peccata, scilicet ingratitudinis et fornicationis; sed ea potius ratione quia huiusmodi ingratitudinis circumstantia non apponit circa peccatum post poenitentiam deformitatem alterius speciei ab ipso peccato; immo ingratitudo ista trahitur ad speciem peccati quod circumstat, puta fornicationis si peccatum post poenitentiam est fornicatio, et sic de aliis. Simile est enim de similibus consequentibus ad omnia peccata mortalia, puta odio Dei et contemptu divini praecepti. Quilibet enim peccans mortaliter interpretative et contemnit divinum praeceptum quod transgreditur, et in odium inimicitiae divinae caritati oppositum incidit. Hae tamen circumstantiae ad eandem pertinent speciem peccati in qua est peccatum cuius sunt circumstantiae, et non trahunt peccatum in speciem odii divini et speciem inobedientiae prout secundum se haec sunt specialia peccata. Ad quas tamen species traherent si quis ex Dei odio et contemptu praecepti fornicaretur.



QUAESTIO OCTOGESIMANONA

DE RECUPERATIONE VIRTUTUM PER POENITENTIAM

IN SEX ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LXXXVI, Introd.

Deinde considerandum est de recuperatione virtutum per poenitentiam *.

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: utrum per poenitentiam restituantur virtutes.

Secundo: utrum restituantur in aequali quantitate.

Tertio: utrum restituatur poenitenti aequalis dignitas.

Quarto: utrum opera virtutum per peccatum mortificentur.

Quinto: utrum opera mortificata per peccatum per poenitentiam reviviscant.

Sexto: utrum opera mortua, idest absque caritate facta, per poenitentiam vivificentur.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM PER POENITENTIAM VIRTUTES RESTITUANTUR

IIª IIªᵉ, qu. CLII, art. 3, ad 3; IV *Sent.*, dist. XIV, qu. II, art. 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod per poenitentiam virtutes non restituantur. Non enim possent virtutes amissae per poenitentiam restitui nisi poenitentia virtutes causaret. Sed poenitentia, cum sit virtus, non potest esse causa omnium virtutum: praesertim cum quaedam virtutes sint naturaliter priores poenitentia [α], ut supra * dictum est. Ergo per poenitentiam non restituuntur [β].

* Qu. LXXXV, art. 6.

2. Praeterea, poenitentia in quibusdam actibus poenitentis consistit. Sed virtutes gratuitae non causantur ex actibus nostris: dicit enim Augustinus, in libro *de Lib. Arbit.* *, quod virtutes *Deus in nobis sine nobis operatur*. Ergo videtur quod per poenitentiam non restituantur virtutes.

* Mag. II *Sent.*, dist. XXVII, cap. *Hic videndum.* - Cf. Aug. *in Ps.* CXVIII, serm. 26.

3. Praeterea, habens virtutem sine difficultate et delectabiliter actus virtutum operatur: unde Philosophus dicit, in I *Ethic.* *, quod *non est iustus qui non gaudet iusta operatione*. Sed multi poenitentes adhuc difficultatem patiuntur in operando actus virtutum. Non ergo per poenitentiam restituuntur virtutes.

* Cap. VIII, n. 12. - S. Th. lect. XIII.

Sed contra est quod, Luc. XV [γ] *, pater mandavit quod filius poenitens indueretur *stola prima:* quae, secundum Ambrosium *, est *amictus sapientiae,* quam simul consequuntur omnes virtutes, secundum illud *Sap.* VIII *: *Sobrietatem et iustitiam docet, prudentiam et virtutem, quibus in vita nihil est utilius hominibus.* Ergo per poenitentiam omnes virtutes restituuntur.

* Vers. 22.
* *Expos. in Luc.*, lib. VII, ad istum loc.
* Vers. 7.

Respondeo dicendum quod per poenitentiam, sicut dictum est supra *, remittuntur peccata. Remissio autem peccatorum non potest esse nisi per infusionem gratiae. Unde relinquitur quod per poenitentiam gratia homini infundatur. Ex gratia autem consequuntur omnes virtutes gratuitae, sicut ex essentia animae fluunt omnes potentiae *: ut in Secunda Parte ** habitum est. Unde relinquitur quod per poenitentiam omnes virtutes restituantur.

* Qu. LXXXVI, art. 1, 6.
* D. 677.
** Iª IIªᵉ, qu. CX, art. 4.

Ad primum ergo dicendum quod eodem modo poenitentia restituit virtutes per quem modum est causa gratiae, ut iam * dictum est. Est autem causa gratiae inquantum est sacramentum: nam inquantum est virtus, est magis gratiae effectus. Et ideo non oportet quod poenitentia, secundum quod est virtus, sit causa omnium aliarum virtutum: sed quod habitus poenitentiae simul cum habitibus aliarum virtutum per sacramentum [δ] causetur.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod in sacramento poenitentiae actus humani se habent materialiter: sed formalis vis huius sacramenti dependet ex virtute clavium. Et ideo virtus clavium effective causat gratiam et virtutes: instrumentaliter tamen. Sed actus primus poenitentis se habet ut ultima dispositio ad gratiam consequendam, scilicet contritio: alii vero sequentes actus poenitentiae procedunt iam ex gratia et virtutibus.

Ad tertium dicendum quod, sicut supra * dictum est, quandoque post primum actum poenitentiae, qui est contritio, remanent quaedam reliquiae peccatorum, scilicet dispositiones ex prioribus actibus peccatorum causatae, ex quibus praestatur difficultas quaedam poenitenti ad operandum opera virtutum: sed quantum est ex ipsa inclinatione caritatis et aliarum virtutum, poenitens opera virtutum delectabiliter et sine difficultate operatur; sicut si virtuosus per accidens difficultatem pateretur in executione actus virtutis propter somnum aut aliquam corporis dispositionem [ε].

* Qu. LXXXVI, art. 5.

α) *poenitentia. – scilicet fides spes et caritas* addit tertia.
β) *restituuntur. – virtutes* addunt F et tertia.
γ) *Luc. XV.* – Addunt *dicit* F, *dicitur* sG, *legitur* P.
δ) *sacramentum. – poenitentiae* addunt FI et editiones. Pro *causetur, causentur* tertia.
ε) *dispositionem. – indispositionem* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In quaestione octogesimanona quatuor notanda occurrunt. Primum in articulo primo, ad secundum, ubi dicitur quod *contritio se habet ut ultima dispositio ad gratiam consequendam.* Sciendum est enim dupliciter sumi contritionem: vel pro ipso actu nudo; vel pro ipso actu informato caritate. Perfectus siquidem dolor de peccatis commissis, cum voluntate satisfaciendi, etc., contritio dicitur: formata quidem, si caritate vestita consideretur; absolute vero, si nuda sumatur. Et sic nude consideravit eam Auctor cum dixit quod est ultima dispositio ad gratiam. Formata autem caritate consideratur cum describitur quod est *dolor caritate informatus.*

II. Secundum notandum est in secundo articulo, in calce corporis, ubi dicitur: *Et eadem ratio est de virtutibus, quae ex gratia consequuntur.* Potest siquidem hoc dupliciter intelligi: vel referendo singulas virtutes ad singulas pro eis dispositiones in resurgente; vel referendo quantitatem virtutum ad quantitatem gratiae. Et primo quidem intellectu sensus esset quod resurgens a peccato recuperat aliquam infusam virtutem maiorem et aliquam minorem, si ad unam magis se disposuit quam ad aliam, sicut recuperat gratiam maiorem vel minorem prout magis vel minus se disponit ad illam. – Iuxta secundum vero intellectum, sensus esset quod recuperans gratiam minorem recuperat etiam virtutes minores; et si recuperat gratiam aequalem deperditae, recuperat etiam virtutes aequales; et si maiorem, maiores.

Quidquid autem de veritate primi dicti secundum se sit, praesenti tamen litterae secundus solus sensus consonat. Quoniam in littera redditur ratio quare est eadem ratio de gratia et virtutibus. Et ratio quae redditur est sequela virtutum ex gratia. Ex hoc enim quod virtutes consequuntur ad gratiam, absque scrupulo ambiguitatis cuiusque deducitur quod ad maiorem gratiam sequuntur maiores virtutes, et ad minorem minores.

III. Tertio advertendum est in tertio articulo, in corpore, ubi de irregularitate homicidii ex defensione commissi tangitur. Distinguendum siquidem est de defensione. Nam quaedam est necessitans ad homicidium: cum quis scilicet non potest totaliter, se defendendo, suum evadere invasorem, nisi occidat illum. Et haec non inducit irregularitatem, per nova iura, condita scilicet post transitum beati Thomae: ut patet in Sexto *, *de Homicidio*, cap. unico. – Defensio autem non urgens ad homicidium et olim et nunc irregularem constituit. Et de hac textus iste intelligendus est. * Clementin., cap. *Si furiosus.*

IV. Quarto advertendum est, in quinto articulo, in corpore iuncto cum responsione ad tertium, quod aliud est loqui de opere meritorio: et aliud est loqui de quantitate operis meritorii. Cum enim mortificata reviviscunt, semper omnia opera meritoria quae mortificata erant reviviscunt: quoniam isti in quo reviviscunt debita est vita aeterna ex vi illorum priorum operum, et non solum ex vi praesentium operum; ita quod hoc operatur reviviscere, quod ex pluribus capitibus debetur huic vita aeterna, scilicet ex meritis prioribus et ex meritis posterioribus. Sed quantitas operis meritorii non semper reviviscit simpliciter, quoniam non semper recuperat propriam efficaciam, quae est perducere hunc ad tantum gradum beatitudinis aeternae: ut patet in eo qui resurgit in minori gratia, ita quod in illa minore decedit; talis enim nunquam perveniet ad illum beatitudinis gradum quem quantitas prioris meriti debitum sibi fecerat. Et in promptu causa huius non-reviviscentiae est ipsa resurgentis indispositio. Sicut enim, si non resurrexisset a peccato, mortificata merita non sibi revixissent, quia peccatum proprium impedivisset meritorum efficaciam; ita, resurgendo a peccato, cum minore tamen gratia, ex hoc ipso indispositus est ad suscipiendum fructum maioris meriti: ipse enim minor conatus resurgentis et ad maiora non progredientis impedimentum praestat efficaciae quantitatis magni meriti praecedentis, et facit ut quantitas illa non reviviscat sibi simpliciter et absolute. Cum quo tamen stat quod reviviscit illi secundum quid, hoc est quoad gaudium accidentale: quia, ut in littera dicitur, plus gaudebit de maiore merito praecedente quam de minore quod subsecutum est.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM POST POENITENTIAM RESURGAT HOMO IN AEQUALI VIRTUTE

III *Sent.*, dist. XXXI, qu. 1, art. 4.

Ad secundum sic proceditur *. Videtur quod post poenitentiam resurgat homo in aequali virtute. Dicit enim Apostolus, *Rom.* VIII *: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:* ubi dicit Glossa Augustini * quod hoc adeo verum est *ut, si qui horum devient et exorbitent, hoc ipsum Deus faciat eis in bonum proficere.* Sed hoc non esset si homo resurgeret in minori virtute [α].

* Vid. Comment. Caiet. post art. 1, num. II. — * Vers. 28. — * Apud Lomb.

2. Praeterea, Ambrosius * dicit quod *poenitentia optima res est, quae omnes defectus revocat ad perfectum.* Sed hoc non esset nisi virtutes in aequali quantitate recuperarentur. Ergo per poenitentiam semper recuperatur aequalis virtus.

* Pseudo-Aug., *Hypognost.* lib. III, cap. IX.

3. Praeterea, super illud *Genes.* I *, *Factum est vespere et mane dies unus,* dicit Glossa *: *Vespertina lux est a qua quis cecidit: matutina in qua resurgit.* Sed lux matutina est maior quam vespertina. Ergo aliquis resurgit in maiori gratia vel caritate quam prius habuerat. – Quod etiam videtur per id quod Apostolus dicit, *Rom.* V *: *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.*

* Vers. 5. — * Cf. Aug. *de Gen. ad litt.*, lib. I, cap. XVII. — * Vers. 20.

Sed contra, caritas proficiens vel perfecta maior est quam caritas incipiens. Sed quandoque aliquis cadit a caritate proficiente, resurgit autem in caritate incipiente. Ergo semper resurgit homo in minori etiam [β] virtute.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, motus liberi arbitrii qui est in iustificatione impii, est ultima dispositio ad gratiam: unde in eodem instanti est gratiae infusio cum praedicto motu liberi arbitrii, ut in Secunda Parte * habitum est. In quo quidem motu comprehenditur actus poenitentiae, ut supra * dictum est. Manifestum est

* Art. praeced., ad 2. — * Iª IIªᵉ, qu. CXIII, art. 8. — * Qu. LXXXVI, art. 6, ad 1.

α) *virtute.* – *Ergo videtur quod poenitens nunquam in minori virtute resurgit* addit F, *Ergo videtur quod nunquam poenitens resurgat in minori virtute* addunt Pl.

β) *etiam.* – Om. DF*a* et tertia.

autem quod formae quae possunt recipere magis et minus, intenduntur et remittuntur secundum diversam dispositionem subiecti: ut in Secunda Parte * habitum est. Et inde est quod, secundum quod motus liberi arbitrii in poenitentia est intensior vel remissior, secundum hoc poenitens consequitur maiorem vel minorem gratiam.

* Iª IIae, qu. LII, art. 1, 2.

Contingit autem intensionem motus poenitentis quandoque proportionatam esse maiori gratiae quam illa a qua cecidit per peccatum; quandoque vero aequali; quandoque vero minori. Et ideo poenitens quandoque resurgit in maiori gratia quam prius habuerat; quandoque autem in aequali; quandoque etiam in minori. Et eadem ratio [γ] est de virtutibus, quae ex gratia consequuntur.

Ad primum ergo dicendum quod non omnibus diligentibus Deum cooperatur in bonum hoc ipsum quod per peccatum a Dei amore [δ] cadunt, quod patet in his qui cadunt et nunquam resurgunt, vel qui resurgunt iterum casuri: sed in *his* [ε] *qui secundum propositum vocati sunt sancti* *, scilicet praedestinatis, qui, quotiescumque cadunt [ζ], finaliter tamen resurgunt. Cedit igitur eis in bonum hoc quod cadunt, non quia semper in maiori gratia resurgant, sed quia resurgunt in permanentiori gratia: non quidem ex parte ipsius gratiae, quia, quanto gratia est maior, tanto de se est permanentior; sed ex parte hominis, qui tanto stabilius in gratia permanet quanto est cautior et humilior. Unde et Glossa ibidem * subdit quod ideo proficit eis in bonum quod cadunt, *quia humiliores redeunt, et quia* [η] *doctiores fiunt.*

* *Ad Rom.*, loc. cit. in arg.

* Cf. arg.

Ad secundum dicendum quod poenitentia, quantum est de se, habet virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, et etiam promovendi in ulteriorem statum: sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remissius movetur in Deum et in detestationem peccati. Sicut etiam in baptismo aliqui adulti consequuntur maiorem vel minorem gratiam, secundum quod diversimode se disponunt.

Ad tertium dicendum quod illa assimilatio utriusque gratiae ad lucem vespertinam et matutinam fit propter similitudinem ordinis, quia post lucem vespertinam sequuntur tenebrae noctis, post lucem autem matutinam sequitur lux diei: non autem propter maiorem vel minorem similitudinem [θ] quantitatis.

Illud etiam verbum Apostoli intelligitur de gratia [ι], quae exsuperat omnem abundantiam humanorum peccatorum. Non autem hoc est verum in omnibus, quod quanto abundantius peccavit, tanto abundantiorem gratiam consequatur, pensata quantitate habitualis gratiae. Est tamen [κ] superabundans gratia quantum ad ipsam gratiae rationem: quia magis gratis beneficium remissionis magis [λ] peccatori confertur. – Quamvis quandoque abundanter peccantes abundanter dolent: et sic abundantiorem habitum gratiae et virtutum consequuntur, sicut patet in Magdalena *.

* Luc. cap. VII, vers. 47.

Ad id vero quod in contrarium obiicitur, dicendum quod una et eadem gratia maior est proficiens quam incipiens: sed in diversis hoc non est necesse. Unus enim incipit a maiori gratia quam alius habeat in statu profectus: sicut Gregorius dicit, in II *Dialog.* *: *Praesentes et secuturi* [μ] *omnes cognoscant, Benedictus puer a quanta perfectione conversionis gratiam incoepisset.*

* Cap. 1.

γ) *ratio.* – *ratio etiam* AB, *etiam ratio* C.
δ) *amore.* – Tertia; *timore.*
ε) *in his.* – *pro his tantum* I, *his tantum* P.
ζ) *cadunt.* – *cadant* DE et tertia.
η) *et quia.* – *et* F, *quia* H, *atque* IsG et editiones. – *fiunt* om. PI.
θ) *maiorem vel minorem similitudinem.* – *similitudinem maioris vel minoris* tertia.
ι) *gratia.* – *Christi* addit tertia. Pro *exsuperat, superat* E et tertia.
κ) *Est tamen.* – PF; *Et tamen est bc, Et tamen* ceteri.
λ) *magis.* – Om. *bc.* – Pro *abundanter* primo loco, *abundavit* ABCpE et *a*, *abundantius* D. – *peccantes abundanter* om. HpG et *bc*; *Alias non habetur ly abundanter peccantes* margo P.
μ) *Praesentes et secuturi.* – *Quatenus et praesentes et secuturi* P, *Praesentes executuri* ceteri. – *cognoscant* G; *agnoscant* I, *agnoscerent* P, *agnoscant quod* H*bc*, *cognoscant quoniam* E, *cognoscant quod* ceteri. – Pro *a quanta... incoepisset, a quanta conversionis perfectione gratiam incoepisset* F, *conversionis gratiam a quanta perfectione coepisset* tertia.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM PER POENITENTIAM RESTITUATUR HOMO IN PRISTINAM DIGNITATEM

III *Sent.*, dist. XXXI, qu. *I*, art. 4, quª 1, ad 2; IV, dist. XIV, qu. I, art. 5, quª 1, ad 3; dist. XIX, qu. I, art. 3, quª 2, ad 2; dist. XXXVII, qu. II, art. 2, ad 4.

Ad tertium sic proceditur *. Videtur quod per poenitentiam non restituatur homo in pristinam dignitatem. Quia super illud Amos V *, *Virgo Israel cecidit*, dicit Glossa *: *Non negat ut resurgat, sed ut resurgere virgo possit* [α]: *quia semel oberrans ovis, etsi reportetur in humeris Pastoris, non habet tantam gloriam quantam quae nunquam erravit.* Ergo per poenitentiam non recuperat homo pristinam dignitatem.

* Vid. Comment. Caiet. post art. 1, num. III.
* Vers. 1, 2.
* Ord. ex Hieron.

2. Praeterea, Hieronymus dicit *: *Quicumque dignitatem divini gradus non custodiunt, contenti fiant animam salvare: reverti enim in pristinum gradum difficile est.* – Et Innocentius Papa * dicit quod *apud Nicaeam constituti canones poenitentes etiam ab infimis clericorum officiis excludunt.* Non

* Can. *Quicumque dignitatem*, dist. L.
* Primus. - Epist. VI, *Agapito et caet.* Cf. Can. *Canones apud*, dist. L.

α) *Non negat... possit.* – *Non negat posse resurgere, sed non resurget virgo Israel* P. Pro *oberrans, aberrans* PI. Pro *in humeris, in brachiis* F, *humeris* PI.

ergo per poenitentiam homo recuperat pristinam dignitatem.

3. Praeterea, ante peccatum potest aliquis ad maiorem gradum ascendere. Non autem hoc post peccatum conceditur poenitenti: dicitur enim Ezech. xliv *: *Levitae qui recesserunt a me, nunquam appropinquabunt mihi, ut sacerdotio fungantur.* Et, sicut habetur in Decretis, dist. L *, in Hilerdensi Concilio legitur: *Hi qui sancto altario deserviunt, si subito flenda debilitate carnis* [β] *corruerint, et, Domino respiciente, poenituerint, officiorum suorum loca recipiant, nec possint ad altiora officia ulterius promoveri.* Non ergo poenitentia restituit hominem in pristinam dignitatem.

* Vers. 10, 13.
* Can. *Hi qui altario.* - Cf. Friedberg, ibid., not. 782.

Sed contra est quod, sicut in eadem distinctione * legitur, Gregorius, scribens Secundino **, dixit: *Post dignam satisfactionem, credimus hominem posse redire ad suum honorem.* Et in Concilio Agathensi * legitur: *Contumaces clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab episcopis corrigantur: ita ut, cum eos poenitentia correxerit, gradum suum dignitatemque recipiant.*

* Can. *Tua Sanctitas.*
** Regist. lib. IX, Ep. lii, al. lib. VII, Ep. liv.
* Can. 2. - Cf. can. *Contumaces,* dist. L.

Respondeo dicendum quod homo per peccatum duplicem dignitatem amittit: unam quantum ad Deum, aliam vero quantum ad Ecclesiam. Quantum autem ad Deum, amittit duplicem dignitatem. Unam principalem, qua scilicet *computatus erat inter filios Dei* * per gratiam. Et hanc dignitatem recuperat per poenitentiam. Quod significatur Luc. xv * de [γ] filio prodigo, cui pater poenitenti iussit restitui *stolam primam et anulum et calceamenta.* – Aliam vero dignitatem amittit secundariam, scilicet innocentiam: de qua, sicut ibidem legitur *, gloriabatur filius senior, dicens, *Ecce, tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum praeterivi.* Et hanc dignitatem poenitens recuperare non potest. – Recuperat tamen quandoque aliquid maius. Quia, ut Gregorius dicit, in Homilia *de Centum Ovibus* *, *qui errasse a Deo se considerant, damna praecedentia lucris sequentibus recompensant. Maius ergo gaudium de eis fit in caelo: quia et dux in praelio plus eum militem diligit qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam illum qui nunquam terga praebuit et nunquam aliquid fortiter fecit.*

* *Sap.* cap. v, vers. 5.
* Vers. 22.
* Vers. 29.
* Homil. XXXIV *in Evang.*

Dignitatem autem ecclesiasticam homo [δ] per peccatum perdit, qui indignum se reddit ad ea quae competunt dignitati ecclesiasticae exercenda. Quam quidem recuperare prohibentur, uno modo, quia non poenitent [ε]. Unde Isidorus *ad Misianum Episcopum* * scribit, sicut in eadem distinctione legitur, cap. *Domino: Illos ad pristinos gradus canones redire praecipiunt quos poenitentiae praecessit satisfactio, vel condigna peccatorum confessio. At contra hi qui a vitio corruptionis non emendantur, nec gradum honoris, nec gratiam recipiunt communionis.* – Secundo, quia poenitentiam negligenter agunt [ζ]. Unde in eadem distinctione, cap. *Si quis diaconus,* dicitur: *Cum in aliquibus nec compunctio humilitatis, nec instantia orandi appareat, nec ieiuniis vel lectionibus eos vacare videamus, possumus agnoscere, si ad pristinos honores redirent, cum quanta negligentia* [η] *permanerent.* – Tertio, si commisit aliquod peccatum habens [θ] irregularitatem aliquam admixtam. Unde in eadem distinctione *, ex Concilio Martini Papae *, dicitur: *Si quis viduam, vel ab alio relictam duxerit, non admittatur ad clerum. Quod si irrepserit, deiiciatur. Similiter si homicidii aut facto aut praecepto aut consilio aut defensione, post baptismum, conscius fuerit.* Sed hoc non est ratione peccati, sed ratione irregularitatis. – Quarto, propter scandalum. Unde in eadem distinctione legitur, cap. *De his vero: Rabanus* * *dicit: Hi qui deprehensi vel capti fuerint publice in periurio, furto aut fornicatione, et ceteris criminibus* [ι], *secundum canonum sacrorum instituta a proprio gradu decidant: quia scandalum est populo Dei tales personas superpositas habere. Qui autem de praedictis peccatis absconse a se commissis sacerdoti* [κ] *confitentur, si se per ieiunia et eleemosynas vigiliasque et sacras orationes purgaverint, his etiam, gradu proprio servato, spes veniae de misericordia Dei promittenda est.* Et hoc etiam dicitur Extra, *de Qualitate Ordinand.* *, cap. *Quaesitum: Si crimina ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, praeter reos homicidii, post poenitentiam in susceptis vel iam suscipiendis ordinibus impedire* [λ] *non possunt.*

* Epist. IV.
* Can. *Si quis viduam.*
* Martini Bracarens. interpret. can. Apost. 17 et can. 21. - Cf. Friedberg. loc. cit., not. 63.
* Ep. *ad Heribald.*
* Al. *de Temporib. Ordinat. et Qualit. Ordin.*

Ad primum ergo dicendum quod eadem ratio est de recuperatione virginitatis et de recuperatione innocentiae *, quae pertinet ad secundariam dignitatem quoad Deum.

* D. 1169.

Ad secundum dicendum quod Hieronymus in verbis illis non dicit esse impossibile, sed dicit esse difficile hominem recuperare post peccatum pristinum gradum: quia hoc non conceditur nisi perfecte poenitenti, ut dictum est *.

* In corpore.

Ad statuta autem canonum qui [μ] hoc prohibere videntur, respondet Augustinus, Bonifacio scribens *: *Ut constitueretur in Ecclesia ne quisquam post alicuius criminis poenitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiae, sed rigore factum est disciplinae. Alioquin contra cla-*

* Ep. CLXXXV, al. L, cap. x, n. 45. - Cf. can. *Ut constitueretur,* dist. L.

β) *flenda debilitate carnis.* – (*in* P) *flenda carnis fragilitate* F et tertia. Ante *poenituerint* PI addunt *digne.* Pro *loca recipiant nec, sic loca recipiant ut non* P.

γ) *de.* – *in* tertia. – Pro *cui pater poenitenti iussit, cui poenitenti iussit pater* (*pater iussit* editiones) tertia.

δ) *ecclesiasticam homo.* – F*a* et tertia; *homo ecclesiasticam.* – Pro *qui, quia* tertia.

ε) *prohibentur... poenitent.* – *prohibetur... poenitet* P. – *Misianum* E*a*; *Missianum* tertia. *Iulianum* ceteri; *Alias Massanum* margo P.

ζ) *agunt.* – *faciunt bc, facit* P.

η) *negligentia.* – Tertia praeter H; *diligentia.*

θ) *habens.* – *quod habet* tertia. – Pro *aliquam admixtam, aliquam annexam* ed. *a*, *adiunctam* F, *admixtam* GH, *annexam* I et editiones.

ι) *criminibus.* – *huiusmodi criminibus* PI. – *a proprio* PI; *proprio.* – Pro *superpositas, super se positas* PI.

κ) *sacerdoti.* – *occulte sacerdoti* F et tertia. – Pro *purgaverint, purgare c'caverint* I, *purgare curaverint* cetera tertia. – *etiam gradu* I et editiones: *in gradu.* – *de misericordia* P; *ex misericordia* I, *misericordia* ceteri.

λ) *impedire.* – P*ac*; *impediri.*

μ) *qui.* – *quae* DF*a* et tertia. – *ne* I*a* et editiones; *neque* F, *ut ne* GH, *ut nec* ceteri.

ves datas Ecclesiae disputabitur, de quibus dictum est: « Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo ». Et postea subdit: *Nam et sanctus David de criminibus* ^v *egit poenitentiam: et tamen in honore suo perstitit. Et beatum Petrum, quando amarissimas lacrimas fudit, utique Dominum negasse poenituit: et tamen Apostolus permansit. Sed non ideo putanda est supervacua posteriorum* ^ξ *diligentia, qui, ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt: experti, ut credo, aliquorum fictas poenitentias per affectatas honorum potentias* ^o.

Ad tertium dicendum quod illud statutum intelligitur de illis qui publicam poenitentiam agunt, qui postmodum non possunt ad maiorem provehi gradum. Nam et Petrus post negationem pastor ovium Christi constitutus est, ut patet Ioan. ult. * Ubi dicit Chrysostomus ** quod *Petrus post negationem et poenitentiam ostendit se habere maiorem fiduciam ad Christum. Qui enim in Cena non audebat interrogare, sed Ioanni interrogationem commisit, huic postea et praepositura fratrum credita est, et non solum non committit alteri interrogare quae ad ipsum pertinent, sed de reliquo ipse pro Ioanne Magistrum interrogat.*

* Vers. 15 sqq. ** Hom. LXXXVIII, al. LXXXVII, *in Ioan.*, n. 2.

v) *criminibus*. – *mortiferis* addit tertia.
ξ) *posteriorum*. – *praeteritorum* DEFHI, *posteriorum doctorum* P.
o) *potentias*. – *personas* F, *pompas bc* et margo P per *alias*.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM OPERA VIRTUTUM IN CARITATE FACTA MORTIFICARI POSSINT

III *Sent.*, dist. XXXVI, art. 5, ad 1; IV, dist. XIV, qu. II, art. 3, qu^a 2; dist. XXI, qu. I, art. I, qu^a I, ad 3; dist. XXII, qu. I, art. I, ad 6; *Ad Heb.*, cap. VI, lect. I.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod opera virtutum in caritate facta mortificari non possunt. Quod enim non est, immutari non potest. Sed mortificatio est quaedam mutatio de vita in mortem. Cum ergo opera virtutum, postquam facta sunt, iam non sint, videtur quod ulterius mortificari non possunt.

2. Praeterea, per opera virtutis in caritate facta homo meretur vitam aeternam. Sed subtrahere mercedem merenti est iniustitia, quae non cadit in Deum *. Ergo non potest esse quod opera virtutum in caritate facta per peccatum sequens mortificentur.

* Cf. *ad Heb.*, cap. VI, vers. 10.

3. Praeterea, fortius non corrumpitur a debiliori. Sed opera caritatis sunt fortiora quibuslibet peccatis: quia, ut dicitur *Proverb.* x *, *universa delicta operit caritas*. Ergo videtur quod opera in caritate facta per sequens mortale peccatum mortificari non possunt ^α.

* Vers. 12.

Sed contra est quod dicitur Ezech. XVIII *: *Si averterit se iustus a iustitia sua, omnes iustitiae eius quas fecerat, non recordabuntur.*

* Vers. 24.

Respondeo dicendum quod res viva per mortem perdit operationem vitae: unde per quandam similitudinem dicuntur res *mortificari* quando impediuntur a proprio suo effectu vel operatione. Effectus autem operum virtuosorum quae in caritate fiunt, est perducere ad vitam aeternam. Quod quidem impeditur per peccatum mortale sequens, quod gratiam tollit. Et secundum hoc, opera in caritate facta dicuntur mortificari per sequens peccatum mortale.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut opera peccatorum transeunt actu et manent reatu, ita opera in caritate facta, postquam transeunt actu, manent merito in Dei acceptatione. Et secundum hoc mortificantur: inquantum impeditur homo ne consequatur suam mercedem.

Ad secundum dicendum quod sine iniustitia potest subtrahi merces merenti quando ipse reddiderit se indignum mercede per culpam sequentem. Nam et ea quae homo iam accepit, quandoque iuste propter culpam perdit.

Ad tertium dicendum quod non est propter fortitudinem operum peccati quod mortificantur opera prius in caritate facta: sed est propter libertatem voluntatis, quae potest a bono in malum deflecti.

α) *videtur quod... possunt*. – *a* et tertia; *videtur quod... posse* F, *videtur... posse* ceteri.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM OPERA MORTIFICATA PER PECCATUM PER POENITENTIAM REVIVISCANT

IV *Sent.*, dist. XIV, qu. II, art. 3, qu^a 3; dist. XXII, qu. I, art. 1, ad 6; *Ad Thess.*, cap. III, lect. I; *Ad Heb.*, cap. VI, lect. I, III.

Ad quintum sic proceditur *. Videtur quod opera mortificata per peccatum per poenitentiam non reviviscant. Sicut enim per poenitentiam subsequentem remittuntur peccata praeterita, ita etiam per peccatum sequens mortificantur opera prius in caritate facta. Sed peccata dimissa per poenitentiam non redeunt, ut supra * dictum est. Ergo videtur quod etiam opera mortificata per caritatem non reviviscant.

* Vid. Comment. Caiet. post art. 1, num. IV.

* Qu. LXXXVIII, art. 1.

2. Praeterea, opera dicuntur mortificari ad similitudinem animalium quae moriuntur, ut dictum est *. Sed animal mortuum non potest iterum vivificari. Ergo nec opera mortificata possunt iterum per poenitentiam reviviscere.

* Art. praeced.

3. Praeterea, opera in caritate facta merentur gloriam secundum quantitatem gratiae vel caritatis. Sed quandoque per poenitentiam homo resurgit in minori gratia vel caritate. Ergo non consequetur gloriam secundum merita priorum operum. Et ita videtur quod opera mortificata per peccatum non reviviscant.

Sed contra est quod, super illud Ioel II *, *Reddam vobis annos quos comedit locusta*, dicit Glossa *: *Non patiar perire ubertatem quam cum perturbatione animi amisistis.* Sed illa ubertas est meritum bonorum operum, quod fuit perditum per peccatum. Ergo per poenitentiam reviviscunt opera meritoria prius facta.

* Vers. 25.
* Interlin.

Respondeo dicendum quod quidam * dixerunt quod opera meritoria per peccatum sequens mortificata non reviviscunt per poenitentiam sequentem, considerantes quod opera illa non remanent, ut iterum vivificari possent.

* Hugo a S. Vict. *de Sacram.* lib. II, part. XIV, cap. IV.

Sed hoc impedire non potest quin vivificentur. Non enim habent vim perducendi in vitam aeternam, quod pertinet ad eorum vitam, solum secundum quod actu existunt, sed etiam postquam actu esse desinunt, secundum quod remanent in acceptatione divina. Sic autem remanent, quantum [α] est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur: quia semper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, et sancti de eis gaudebunt, secundum illud *Apoc.* III *: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Sed quod isti qui ea fecit non sint efficacia ad ducendum ad vitam aeternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse redditur indignus vita aeterna. Hoc autem impedimentum tollitur per poenitentiam, inquantum per eam remittuntur peccata. Unde restat quod opera prius mortificata per poenitentiam recuperant efficaciam perducendi eum qui fecit ea in vitam aeternam: quod est ea reviviscere. Et ita patet quod opera mortificata per poenitentiam reviviscunt *.

* Vers. 11.
* D. 952.

Ad primum ergo dicendum quod opera peccati per poenitentiam abolentur secundum se: ita scilicet quod ex eis ulterius, Deo indulgente, nec macula nec reatus inducitur. Sed opera ex [β] caritate facta non abolentur a Deo, in cuius acceptatione remanent: sed impedimentum accipiunt ex parte hominis operantis. Et ideo, remoto impedimento quod est ex parte hominis [γ], Deus implet ex parte sua illud quod opera merebantur.

Ad secundum dicendum quod opera in caritate facta non mortificantur secundum se, sicut dictum est *, sed solum per impedimentum superveniens ex parte operantis. Animalia autem moriuntur secundum se, inquantum privantur principio vitae. Et ideo non est simile.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod ille qui per poenitentiam resurgit in minori caritate, consequetur quidem praemium essentiale secundum quantitatem caritatis in qua invenitur: habebit tamen gaudium maius de operibus in prima caritate factis quam de operibus [δ] quae in secunda fecit. Quod pertinet ad praemium accidentale.

α) *quantum.* – Tertia; *inquantum.*
β) *ex.* – *in* P.
γ) *hominis.* – *operantis* addit tertia.
δ) *in prima... operibus.* – F et tertia; om. – *in secunda fecit* P, *secundo fecit* FsG et *b*, *secundo facit* ceteri.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM PER POENITENTIAM SUBSEQUENTEM ETIAM OPERA MORTUA VIVIFICENTUR

IV *Sent.*, dist. XIV, qu. II, art. 3, qu[a] 1; dist. XV, qu. I, art. 3, qu[a] 3, 4, 5.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod per poenitentiam subsequentem etiam opera mortua, quae scilicet non sunt in caritate facta, vivificentur. Difficilius enim videtur quod ad vitam perveniat illud quod fuit mortificatum, quod nunquam fit secundum naturam, quam illud quod nunquam fuit vivum, vivificetur: quia ex non vivis secundum naturam viva aliqua [α] generantur. Sed opera mortificata per poenitentiam vivificantur, ut dictum est *. Ergo multo magis opera mortua vivificantur.

* Art. praeced.

2. Praeterea, remota causa, removetur effectus. Sed causa quare opera de genere bonorum sine caritate facta non fuerunt viva, fuit defectus caritatis et gratiae. Sed iste defectus tollitur per poenitentiam. Ergo per poenitentiam opera mortua vivificantur.

3. Praeterea, Hieronymus dicit *: *Si quando videris inter multa opera peccatorum facere [β] quemquam aliqua quae iusta sunt, non est tam iniustus Deus ut propter multa mala obliviscatur paucorum bonorum.* Sed hoc videtur maxime quando mala praeterita per poenitentiam tolluntur. Ergo videtur quod post poenitentiam Deus remuneret priora bona [γ] in statu peccati facta: quod est ea vivificari.

* *Comment. in Aggaeum*, cap. I, vers. 6.

Sed contra est quod Apostolus dicit, I *Cor.* XIII *: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam,*

* Vers. 3.

α) *viva aliqua.* – *aliqua viva* DEa et tertia.
β) *opera peccatorum facere.* – *mala opera facere peccatorem* P.
γ) *bona.* – *opera* addit P.

caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Hoc autem non esset si saltem per poenitentiam subsequentem vivificarentur. Non ergo poenitentia vivificat opera prius mortua.

Respondeo dicendum quod opus aliquod dicitur mortuum dupliciter. Uno modo, effective: quia scilicet est causa mortis. Et secundum hoc, opera peccati dicuntur opera mortua: secundum illud *Heb.* IX *: *Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis.* Haec igitur opera mortua non vivificantur per poenitentiam, sed magis abolentur: secundum illud *Heb.* VI *: *Non rursus iacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis.*

* Vers. 14.
* Vers. 1.

Alio modo dicuntur opera mortua privative: scilicet quia carent vita spirituali, quae est ex caritate, per quam anima Deo coniungitur, ex quo vivit sicut corpus per animam. Et per hunc modum etiam fides quae est sine caritate, dicitur mortua: secundum illud Iac. II *: *Fides sine operibus mortua est.* Et per hunc etiam modum omnia opera quae sunt bona ex genere, si sine caritate fiant, dicuntur mortua: inquantum scilicet non procedunt ex principio vitae; sicut si dicamus sonum citharae vocem mortuam dare [δ]. Sic igitur differentia mortis et vitae in operibus est secundum comparationem ad principium a quo procedunt. Opera autem non possunt iterum a principio procedere: quia transeunt, et iterum eadem numero assumi non possunt. Unde impossibile est quod opera mortua iterum fiant viva per poenitentiam *.

* Vers. 20.
δ
* D. 952.

Ad primum ergo dicendum quod in rebus naturalibus tam mortua quam mortificata carent principio vitae. Sed opera dicuntur mortificata non ex parte principii a quo processerunt, sed ex parte impedimenti extrinseci. Mortua autem dicuntur ex parte principii. Et ideo non est similis ratio.

Ad secundum dicendum quod opera de genere bonorum sine caritate facta dicuntur mortua propter defectum caritatis et gratiae sicut principii. Hoc autem non praestatur eis per poenitentiam subsequentem, ut ex tali principio procedant. Unde ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum quod Deus recordatur bonorum quae quis facit in statu peccati, non ut remuneret ea in vita aeterna, quod debetur solis operibus vivis, idest ex caritate factis: sed remunerat temporali remuneratione *. Sicut Gregorius dicit, in Homilia *de Divite et Lazaro* *, quod, *nisi dives ille aliquod bonum egisset et in praesenti saeculo remunerationem accepisset, nequaquam ei Abraham diceret, Recepisti bona in vita tua.*

* D. 951.
* Homil. XL *in Evang.*

Vel hoc etiam potest referri ad hoc quod patietur tolerabilius iudicium *. Unde dicit Augustinus, in libro *de Patientia* [ε] *: *Non possumus dicere schismatico melius fuisse ei ut* [ζ], *Christum negando, nihil eorum pateretur quae passus est confitendo: ut illud quod ait* [η] *Apostolus, « Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest », intelligatur ad regnum caelorum obtinendum, non ad extremi iudicii supplicium* [θ] *tolerabilius subeundum.*

* D. 426, 1142.
ε
* Cap. XXVI.
ζ
η
θ

δ) *dare.* – Om. tertia.
ε) *Patientia.* – P; *Poenitentia.*
ζ) *melius fuisse ei ut.* – F; *ut melius fuisse ei ut* G, *non melius fuisse ei ut* Hbc, *melius esse fuisse* pI, *melius ei fuisse* sI, *non melius fuisse ei* ceteri. – Post *confitendo* F et tertia addunt: *Sed existimandum est tolerabilius ei futurum iudicium quam si Christum negando nihil eorum pateretur.*
η) *ut illud quod ait.* – Tertia praeter *c*; *Ad illud quod ait* ABC*ac*, *quod ait* D, *Ad primum ergo dicendum quod ait* pE, *Ad primum quod ait* sE, *ut ait* F. – *ita* om. tertia praeter P. – *intelligatur* tertia praeter I; *nihil prodesse intelligatur* FI, *intelligitur* ceteri.
θ) *iudicii supplicium.* – *iudicii iudicium* B, *iudicium supplicii* G, *(extremum) supplicium iudicium* H, *supplicium iudicii bc*, *supplicii iudicium* P.



QUAESTIO NONAGESIMA

DE PARTIBUS POENITENTIAE IN GENERALI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LXXXIV, Introd.
* Cf. Supplem., qu. I.

Deinde considerandum est de partibus poenitentiae *. Et primo, in generali; secundo, in speciali de singulis *.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo: utrum poenitentia habeat partes.

Secundo: de numero partium.

Tertio: quales partes sint.

Quarto: de divisione eius in partes subiectivas.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM POENITENTIAE DEBEANT PARTES ASSIGNARI

IV *Sent.*, dist. XVI, qu. I, art. I, qu^a^ I, 4.

* Isidor. *Etymol.* lib. VI, cap. XIX.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod poenitentiae non debent partes assignari. Sacramenta enim sunt in quibus *divina virtus secretius operatur salutem* *. Sed virtus divina est una et simplex. Non ergo poenitentiae, cum sit sacramentum, debent partes assignari.

* Cf. Arist. *Ethic.* lib. II, cap. VI, n. 15. - S. Th. lect. VII.
** Cf. I^am^ II^ae^, qu. LV, art. 4.

2. Praeterea, poenitentia est virtus, et est sacramentum. Sed ei inquantum est virtus, non assignantur partes: cum virtus sit habitus quidam *, qui est simplex qualitas mentis **. Similiter etiam ei [α] poenitentiae inquantum est sacramentum, non videtur quod partes sint assignandae: quia baptismo et aliis sacramentis non assignantur partes. Ergo poenitentiae nullae [β] debent partes assignari.

* Qu. LXXXIV, art. 2, 3.

3. Praeterea, poenitentiae materia est peccatum, ut supra * dictum est. Sed peccato non assignantur partes. Ergo etiam nec poenitentiae sunt partes assignandae.

Sed contra est quod partes sunt ex quibus perfectio alicuius integratur. Sed poenitentiae perfectio integratur ex pluribus, scilicet ex contritione, confessione et satisfactione. Ergo poenitentia habet partes.

* Cap. III, n. 5. - S. Th. lect. V.
* D. 852.

Respondeo dicendum quod partes rei sunt in quas materialiter totum dividitur: habent enim se partes ad totum sicut materia ad formam; unde in II *Physic.* * partes ponuntur in genere causae materialis, totum autem in genere causae formalis *. Ubicumque igitur ex parte materiae invenitur aliqua pluralitas, ibi est invenire partium rationem. Dictum est autem supra * quod in sacramento poenitentiae actus humani se habent per modum materiae. Et ideo, cum plures actus humani requirantur ad perfectionem poenitentiae, scilicet contritio, confessio et satisfactio, ut infra * patebit, consequens est quod sacramentum poenitentiae habeat partes.

* Qu. LXXXIV, art. 1, ad 1, 2; art. 2.
* Art. seq.

Ad primum ergo dicendum quod quodlibet sacramentum habet simplicitatem ratione virtutis divinae, quae in eo operatur. Sed virtus divina, propter sui magnitudinem, operari potest et per unum et per multa: ratione quorum alicui sacramento possunt partes assignari.

Ad secundum dicendum quod poenitentiae secundum quod est virtus, non assignantur partes: actus enim humani, qui multiplicantur in poenitentia, non comparantur ad habitum virtutis sicut partes, sed sicut effectus. Unde relinquitur quod partes assignentur poenitentiae inquantum est sacramentum, ad quod actus humani comparantur ut materia. In aliis autem sacramentis materia non sunt actus humani, sed aliqua res exterior: una quidem [γ] simplex, ut aqua vel oleum; sive composita, ut chrisma. Et ideo aliis sacramentis non assignantur partes.

Ad tertium dicendum quod peccata sunt materia remota poenitentiae: inquantum scilicet sunt ut [δ] materia vel obiectum humanorum actuum, qui sunt propria materia poenitentiae prout est sacramentum.

α) *ei.* – *et* editiones; *poenitentiae* om. F.
β) *nullae.* – *nullo modo* tertia; *Ergo... assignantur partes* om. F.
γ) *quidem.* – *sive* PI.
δ) *ut.* – Om. tertia praeter H.

Commentaria Cardinalis Caietani

In quaestione nonagesima, in qua de partibus poenitentiae agitur, scilicet contritione, confessione et satisfactione, sciendum est varias inveniri de hoc opiniones. Scotus namque, in IV *Sent.*, dist. XVI, qu. I, tenet quod ista tria nullo modo sunt partes sacramenti poenitentiae. Et fundamentum eius est quia, apud ipsum, in eodem Quarto, dist. XIV, qu. IV, sacramentum poenitentiae est absolutio sacramentalis: cuius nulla pars est contritio, quae est quoddam spirituale in anima; neque confessio, quia nihil est ipsius sententiae sacerdotis, sed est actus rei accusantis

seipsum; neque satisfactio, quae sequitur absolutionem sacramentalem.

* Al. qu. III.

Durandus vero, in IV *Sent.*, dist. XIV, qu. II, art. 1 *, tenet sacramentum poenitentiae integrari ex absolutione ut forma, et confessione ut materia: contritionem vero non ponit eius partem, sed dispositionem praeviam; satisfactionem autem pro consequente *.

* Cf. art. seq., Comment. num. IV.

II. Auctor autem, ut patet in littera, tenet haec tria esse partes poenitentiae sacramenti ex parte materiae. Et quoniam Auctoris via canonizata est ab universali Synodo sub Eugenio IV *, ubi sic legimus: *Quartum sacramentum est poenitentia. Cuius quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio: ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio: ad quam pertinet ut peccator omnia peccata quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis: quae quidem praecipue fit per orationem, ieiunium et eleemosynam. Forma huius sacramenti sunt verba absolutionis quae sacerdos profert cum dicit: Ego te absolvo:* haec ibi: – ideo sanctae matris Ecclesiae doctrina monstrat tam Scoti quam Durandi opiniones deficere. Ex hoc enim quod poenitentiae sacramentum constare dicitur ex actibus poenitentis ut materia et absolutione ut forma, sequitur quod sacramentum poenitentiae non est sola absolutio sacerdotis. Ex hoc vero quod actus poenitentis, qui sunt ut materia sacramenti, distingui dicuntur in tres partes, scilicet contritionem, confessionem et satisfactionem, sequitur quod non sola confessio est ut materia in sacramento poenitentiae. Stat ergo solida Auctoris doctrina.

* Conc. Florent., in decreto *pro Armen.*

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CONVENIENTER ASSIGNENTUR PARTES POENITENTIAE CONTRITIO, CONFESSIO ET SATISFACTIO

IV *Sent.*, dist. XVI, qu. I, art. 1, qu^a 2, 4; dist. XVII, qu. III, art. 3, qu^a 4; dist. XXII, qu. II, art. 1, qu^a 2, ad 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXII; Opusc. *de Eccles. Sacram.*

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter assignentur partes poenitentiae contritio, confessio et satisfactio. Contritio enim est in corde: et sic pertinet ad interiorem poenitentiam. Confessio autem est in ore, et satisfactio in opere: et sic duo ultima pertinent ad poenitentiam exteriorem. Poenitentia autem interior non est sacramentum, sed sola poenitentia exterior, quae sensui subiacet. Non ergo convenienter assignantur hae partes sacramento poenitentiae.

2. Praeterea, in sacramento novae legis confertur gratia, ut supra * habitum est. Sed in satisfactione non confertur aliqua gratia. Ergo satisfactio non est pars sacramenti.

* Qu. LXII, art. 1, 6.

3. Praeterea, non est idem fructus rei et pars. Sed satisfactio est fructus poenitentiae: secundum illud Luc. III *: *Facite vobis dignos fructus poenitentiae*. Ergo non est pars poenitentiae.

* Vers. 8.

4. Praeterea, poenitentia ordinatur contra peccatum. Sed peccatum potest perfici solum in corde per consensum: ut in Secunda Parte * habitum est. Ergo et poenitentia. Non ergo debent poenitentiae partes poni confessio oris et satisfactio operis.

* I^a II^ae, qu. LXXII, art. 7.

Sed contra, videtur quod debeant poni plures partes poenitentiae. Pars enim hominis ponitur non solum corpus, quasi ^α materia, sed etiam anima, quae est forma. Sed tria praedicta, cum sint actus poenitentis, se habent sicut materia: absolutio autem sacerdotis se habet per modum formae. Ergo absolutio sacerdotis debet poni quarta pars poenitentiae.

α

Respondeo dicendum quod duplex est pars, ut dicitur in V *Metaphys.* *: scilicet pars essentiae, et pars quantitatis. Partes quidem ^β essentiae sunt, naturaliter quidem, forma et materia: logice autem, genus et differentia. Hoc autem modo quodlibet sacramentum distinguitur in materiam et formam sicut in partes essentiae: unde et supra * dictum est quod sacramenta consistunt *in rebus et verbis*. – Sed quia quantitas se tenet ex parte materiae, partes quantitatis sunt partes materiae. Et hoc modo sacramento poenitentiae specialiter assignantur partes, ut supra * dictum est, quantum ad actus poenitentis, qui sunt materia huius sacramenti.

* S. Th. lect. XXI; Did. lib. IV, cap. XXV. - Cf. lib. VI, cap. X, n. 3, 4; S. Th. lib. VII, lect. IX.

β

* Qu. LX, art. 4, 6.

* Art. praeced., ad 2.

Dictum est autem supra * quod alio modo fit recompensatio offensae in poenitentia, et in vindicativa iustitia. Nam in vindicativa iustitia fit recompensatio secundum arbitrium iudicis, non secundum voluntatem offendentis vel offensi: sed in poenitentia fit recompensatio offensae secundum voluntatem peccantis, et secundum arbitrium Dei, in quem peccatur; quia hic non quaeritur sola reintegratio aequalitatis iustitiae, sicut in iustitia vindicativa, sed magis reconciliatio amicitiae, quod fit dum offendens recompensat secundum voluntatem eius quem offendit. Sic igitur requiritur ex parte poenitentis, primo quidem, voluntas recompensandi, quod fit per contritionem; secundo, quod se subiiciat arbitrio sacerdotis loco Dei, quod fit in confessione; tertio, quod recompenset secundum arbitrium ministri Dei, quod fit in satisfactione. Et ideo contritio, confessio et satisfactio ponuntur partes poenitentiae.

* Qu. LXXXV, art. 3, ad 3.

Ad primum ergo dicendum quod contritio secundum essentiam quidem est in corde, et pertinet ad interiorem poenitentiam: virtualiter au-

---

α) *quasi.* – *quod est* F et tertia. Ante *materia* et ante *forma* tertia addit *eius.*

β) *quidem.* – Om. editiones; altero loco om. ed. *a.*

tem pertinet ad poenitentiam exteriorem, inquantum scilicet implicat propositum confitendi et satisfaciendi.

AD SECUNDUM DICENDUM quod satisfactio confert gratiam prout est in proposito, et auget eam prout est in executione: sicut baptismus in adultis, ut supra * dictum est.

* Qu. LXVIII, art. 2; qu. LXIX, art. 1, ad 2; art. 4, ad 2.

AD TERTIUM DICENDUM quod satisfactio est pars poenitentiae sacramenti; fructus autem poenitentiae virtutis.

AD QUARTUM DICENDUM quod plura requiruntur ad bonum, quod procedit *ex integra causa,* quam ad malum, quod procedit *ex singularibus defectibus,* secundum Dionysium, IV cap. *de Div. Nom.* * Et ideo, licet peccatum perficiatur in consensu cordis, ad perfectionem tamen poenitentiae requiritur et contritio cordis, et confessio oris, et satisfactio operis.

* S. Th. lect. XXII.

AD CONTRARIUM patet solutio per ea quae dicta sunt *.

* In corpore.

Commentaria Cardinalis Caietani

In eiusdem quaestionis articulo secundo, in responsione ad primum, dubium occurrit circa ipsam responsionem, pro quanto dicit quod contritio secundum essentiam non est pars sacramenti, ***virtualiter autem pertinet ad exteriorem poenitentiam,*** idest, est pars sacramenti ***inquantum implicat propositum confitendi et satisfaciendi.*** Secundum enim responsionem hanc non sunt tres, sed duae partes poenitentiae: quoniam contritio, ut distinguitur a confessione et satisfactione, non est pars poenitentiae. Et sic Auctor sibi ipsi contrarius invenitur.

II. Ad hoc dicitur quod in contritione plura inveniuntur. Inter quae unum est velle recompensare ad arbitrium sacerdotis. Et ratione huius ponitur prima pars poenitentiae sacramenti, tanquam initium eius: ita quod actus iste interior, licet secundum se non spectet ad exteriorem poenitentiam, ut est tamen ratio et initium exterioris poenitentiae, ad exteriorem spectat poenitentiam. Sicut in aliis videmus, tam bonis quam malis, quod interiores actus et passiones, ut sunt rationes exteriorum, ad extrinseca spectant iudicia: aliter enim iudicatur offendens ex odio, aliter offendens ex ira, etc.

Et praeter communem hanc rationem, specialis in proposito intervenit ratio, quae ex differentia inter recompensationem purae iustitiae, et recompensationem iustitiae et amicitiae, facile patet. Recompensatio enim iustitiae attenditur secundum aequalitatem exteriorem, sive sponte sive invite fiat recompensatio: ut patet tam in solutione pecuniae, quam in abscissione membrorum seu vapulatione, etc.; satisfactum est enim iustitiae etiam si invitus reus solverit aut passus fuerit. Recompensatio autem iustitiae et amicitiae, nisi sponte fiat a reo, nihil valet: quoniam non est reconciliativa. Et quoniam ad sacramentum poenitentiae spectat recompensatio reconciliativa, ideo, ad hoc denotandum, initium et ratio eius ponitur velle recompensare. Quod velle quia clauditur in contritione, ideo contritio ponitur prima pars sacramenti poenitentiae: et dicitur in littera de ea quod, non secundum essentiam, sed ***virtualiter,*** hoc est, ut est initium et ratio recompensationis, est pars sacramenti poenitentiae. Auctor enim per illa verba, ***inquantum scilicet implicat propositum confitendi et satisfaciendi,*** circumloquitur voluntatem recompensandi, quam in corpore articuli concluserat esse primam partem poenitentiae. Unde patet quod contritio, non solum secundum se, sed ut est prima pars poenitentiae, distinguitur a confessione et satisfactione: nam voluntas recompensandi distinguitur a subiectione et ab executione.

Et per haec patet responsio ad Scotum * et Durandum * utentes hoc argumento.

* IV *Sent.*, dist. XVI, qu. I.
* Ibid., qu. I.

III. In eodem articulo, in responsione ad secundum, nota diligenter et praedica doctrinam hanc, quod satisfactio sacramentalis auget gratiam, ex hoc quod est pars sacramenti. Et potes hoc intelligere ex differentia quae est inter satisfactionem sacramentalem et non sacramentalem. Nam satisfactio sacramentalis valet non solum secundum se, sed etiam ex virtute clavium: satisfactio autem non sacramentalis valet solum secundum se, quoniam a clavibus non emanavit. Quocirca plus prodest unus ieiunii dies aut unum psalterium ex impositione confessoris quam sine tali impositione.

Et hinc sequuntur duo. Primum, quod poenitentes errant parvam satisfactionem volentes sibi a confessore imponi. – Secundum, quod confessores minus bene provident poenitentibus (paratis tamen) dando eis levem poenitentiam. Ipsa enim prorogatio satisfactionis sacramentalis virtute clavium et augere nata est gratiam; et plus valere ad satisfaciendum pro peccatis.

IV. In eadem responsione solvenda occurrit obiectio Durandi, in Quarto, dist. XVI, qu. I, contra satisfactionem *. Quia id non est pars sacramenti sine quo sacramentum est completum: – vel, deficiente una parte sacramenti, sacramentum nullum est. Sed sine subsecuta satisfactione sacramentum poenitentiae iam fuit verum sacramentum. Ergo.

* Cf. art. praec., Comment. num. I, *Durandus vero.*

Ad hoc dicitur quod pars est duplex: essentialis, vel integralis. Et sine parte quidem essentiali sacramentum nullum est: sicut nec homo est si desit anima aut corpus. Sed sine una parte integrali sacramentum verum quidem, sed imperfectum, esse potest: sicut homo sine manu est verus homo, sed mancus. Satisfactio autem non ponitur pars essentialis sacramenti poenitentiae, sed integralis *: est enim pars actuum poenitentis, qui sunt ut materia seu pars essentialis sacramenti; sicut manus est pars corporis humani, quod est materia et pars essentialis hominis.

* Art. seq.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM PRAEDICTA TRIA SINT PARTES INTEGRALES POENITENTIAE

IV *Sent.*, dist. XVI, qu. I, art. I, qu[a] 3.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod praedicta tria non sint partes integrales poenitentiae. Poenitentia enim, ut dictum est *, contra peccatum ordinatur. Sed peccatum cordis, oris et operis sunt partes subiectivae peccati *, et non partes integrales: quia peccatum de quolibet horum praedicatur. Ergo etiam in poenitentia contritio cordis et confessio oris et satisfactio operis non sunt partes integrales.

* Qu. LXXXIV, art. 2.
* D. 994.

2. PRAETEREA, nulla pars integralis in se continet aliam sibi condivisam. Sed contritio continet

in se confessionem et satisfactionem in proposito. Ergo non sunt partes integrales.

3. PRAETEREA, ex partibus integralibus simul et aequaliter constituitur totum: sicut linea ex suis partibus. Sed hoc non contingit hic. Ergo praedicta non sunt partes integrales poenitentiae.

SED CONTRA, illae dicuntur partes integrales ex quibus integratur perfectio totius. Sed ex tribus praedictis integratur perfectio poenitentiae. Ergo sunt partes integrales poenitentiae.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam dixerunt haec tria esse partes subiectivas poenitentiae. – Sed hoc non potest esse. Quia partibus subiectivis singulis adest tota virtus totius, et simul, et aequaliter *: sicut tota virtus animalis, inquantum est animal, salvatur in qualibet specie animalis, quae simul et aequaliter dividunt *animal*. Sed hoc non est in proposito.

* D. 970.

Et ideo alii * dixerunt quod sunt partes potentiales. – Sed nec hoc iterum α esse potest. Quia singulis partibus potentialibus adest totum secundum totam essentiam: sicut tota essentia animae adest cuilibet eius potentiae. Sed hoc non est in proposito.

* B. Albert. M., IV *Sent.*, dist. XVI, art. 3.

Unde relinquitur quod praedicta tria sint partes integrales poenitentiae: ad quarum rationem exigitur ut totum non adsit singulis partibus neque secundum totam virtutem eius, neque secundum totam essentiam, sed omnibus simul *.

* D. 945.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod peccatum, quia rationem mali habet, potest in uno tantum perfici, ut dictum est *. Et ideo peccatum quod in solo corde perficitur, est una species peccati. Alia vero species est peccatum quod perficitur in corde et ore. Tertia vero species est peccatum quod perficitur in corde et opere. Et huius peccati partes quasi integrales sunt quod est in corde, et quod est in ore, et quod est in opere. Et ideo poenitentiae, quae in his tribus perficitur, haec tria sunt partes integrales.

* Art. 2, ad 4.

AD SECUNDUM DICENDUM quod una pars integralis potest continere totum, licet non secundum essentiam: fundamentum enim quodammodo virtute continet totum aedificium. Et hoc modo contritio continet virtute totam poenitentiam.

AD TERTIUM DICENDUM quod omnes partes integrales habent ordinem quendam ad invicem. Sed quaedam habent ordinem tantum in situ: sive consequenter se habeant, sicut partes exercitus; sive se tangant, sicut partes acervi; sive etiam colligentur, sicut partes domus; sive etiam continuentur β, sicut partes lineae. Quaedam vero habent insuper ordinem virtutis: sicut partes animalis, quarum prima virtute est cor, et aliae quodam ordine virtutis dependent ab invicem. Tertio modo ordinantur ordine temporis: sicut partes temporis et motus. Partes igitur poenitentiae habent ad invicem ordinem virtutis et temporis, quia sunt actus; non autem ordinem situs, quia non habent positionem.

α) *iterum*. – *verum* FI et editiones.

β) *continuentur*. – PFI*ac (continuantur c)*; *continentur* DE, *contineantur* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo tertio eiusdem quaestionis, in responsione ad primum, scito quod peccata cordis, oris et operis dupliciter distinguuntur inter se: primo, specifice; secundo, gradualiter. Nam si sumatur peccatum secundum suam rationem consummatum, et distinguatur in peccatum cordis, vel oris vel operis: sic est distinctio non solum specifica, sed generica. Nam peccatum cordis est illud quod in solo actu interiori consummatur: ut est infidelitas, odium Dei, et huiusmodi. Peccatum vero oris est quod in ipso ore consummatur: ut contumelia, blasphemia, detractio, et huiusmodi. Peccatum autem operis est quod in exteriori opere consummatur: ut adulterium, homicidium, furtum, et huiusmodi.

Si vero peccatum aliquod quod in opere consummatur, distinguatur in cogitationem, locutionem et opus, puta quia primo deliberavit hominem occidere, deinde dicit se occisurum, et demum occidit illum: sic distinctio non est specifica, quoniam omnia ista peccata sunt unius speciei; sed est gradualis, quoniam gradatim peccatum consummatur ex eo quod est in corde, et quod est in ore, etc.

Et si bene perspexeris litteram, utramque in eadem invenies *.

* Cf. Iam IIae, qu. LXXII, art. 7.

ET HAEC TAM DE HAC QUAESTIONE, QUAM DE TOTO HOC OPERE AB AUCTORE EDITO DICTA SUFFICIANT. Hic enim, felici transitu ad caelestem patriam praeventus, divus Thomas scribendi finem fecit. Unde residua alio modo tractanda sunt *.

* Vide infra Caietani *Quaestiones de Sacramentis*.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CONVENIENTER DIVIDATUR POENITENTIA IN POENITENTIAM ANTE BAPTISMUM, ET POENITENTIAM MORTALIUM, ET POENITENTIAM VENIALIUM

IV *Sent.*, dist. XVI, qu. I, art. 2, qua 1, 5.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod inconvenienter dividatur poenitentia in poenitentiam ante baptismum, et poenitentiam mortalium, et poenitentiam venialium. Poenitentia enim est *secunda tabula post naufragium*, ut supra * dictum est: baptismus autem prima. Illud ergo quod est ante baptismum, non debet poni species poenitentiae.

* Qu. LXXXIV, art. 6.

2. PRAETEREA, quod potest destruere maius, potest etiam destruere minus. Sed mortale est maius peccatum quam veniale. Illa vero poenitentia quae est de mortalibus, eadem etiam est

de venialibus. Non ergo debent poni diversae species poenitentiae.

3. PRAETEREA, sicut post baptismum peccatur venialiter et mortaliter, ita etiam ante baptismum. Si ergo post baptismum distinguitur poenitentia venialium et mortalium, pari ratione debet distingui ante baptismum. Non ergo convenienter distinguitur poenitentia per has species.

SED CONTRA EST quod Augustinus, in libro *de Poenitentia* *, ponit praedictas tres species poenitentiae.

* Serm. CCCLI, al. ult. inter. L Homil., cap. II; Serm. CCCLII, al. XXVII inter L Homil., cap. I, II, III.

RESPONDEO DICENDUM quod haec divisio est poenitentiae secundum quod est virtus. Est autem considerandum quod quaelibet virtus operatur secundum congruentiam temporis, sicut et secundum alias debitas circumstantias. Unde et virtus poenitentiae actum suum habet in hoc tempore secundum quod convenit novae legi. Pertinet autem ad poenitentiam ut detestetur peccata praeterita, cum proposito immutandi vitam in melius, quod est quasi poenitentiae finis. Et quia moralia recipiunt speciem secundum finem, ut in Secunda Parte * habitum est; consequens est quod diversae species poenitentiae accipiantur secundum diversas immutationes quas poenitens intendit. Est autem triplex immutatio a poenitente intenta. Prima quidem per regenerationem in novam vitam. Et haec pertinet ad poenitentiam quae est ante baptismum. – Secunda autem immutatio est per reformationem vitae praeteritae iam corruptae. Et haec pertinet ad poenitentiam mortalium post baptismum. – Tertia autem immutatio est in perfectiorem operationem vitae. Et haec pertinet ad poenitentiam venialium: quae remittuntur per aliquem ferventem actum caritatis, ut supra * dictum est.

* Ia IIae, qu. I, art. 3; qu. XVIII, art. 6.

* Qu. LXXXVII, art. 2, 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod poenitentia quae est ante baptismum, non est sacramentum, sed est actus virtutis disponens ad sacramentum baptismi.

AD SECUNDUM DICENDUM quod poenitentia quae delet peccata mortalia, delet etiam venialia: sed non convertitur. Et ideo hae duae poenitentiae se habent sicut perfectum et imperfectum.

AD TERTIUM DICENDUM quod ante baptismum non sunt peccata venialia sine mortalibus. Et quia veniale sine mortali dimitti non potest, ut supra * dictum est; ideo [α] ante baptismum non distinguitur poenitentia mortalium et venialium [β].

* Ibid., art. 4.

α

β

α) *Et quia... ideo.* – Tertia; *quia... et ideo.*

β) *venialium.* – *Deinde considerandum est de singulis partibus paenitentiae et primo de contritione. Secundo de confessione. Tertio de satisfactione* addit l; item Ambrosianus, Brixiensis (qui omittunt *singulis*) et Matritensis Bibl. Nation. B. 51.



THOMAE DE VIO CAIETANI

ORDINIS PRAEDICATORUM

S. R. E. CARDINALIS

QUAESTIONES DE SACRAMENTIS

COMMENTARIOS EIUS IN TERTIAM PARTEM

SUMMAE THEOLOGIAE SANCTI THOMAE AQUINATIS

COMPLENTES

QUAESTIONES DE CONTRITIONE
QUAESTIONES DE CONFESSIONE
QUAESTIONES DE SATISFACTIONE
QUAESTIO DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE
QUAESTIONES DE THESAURO INDULGENTIARUM
QUAESTIONES DE CAUSA INDULGENTIARUM
QUAESTIONES DE SUSCIPIENTIBUS INDULGENTIAS
DE MODO TRADENDI AUT RECIPIENDI ORDINES ARTICULUS UNICUS
DE SACRAMENTO MATRIMONII TRIPLEX QUAESITUM
QUAESTIONES DE USU MATRIMONII
DE MOROSA DELECTATIONE TRIPLEX DUBIUM

THOMAE DE VIO CAIETANI

ORDINIS PRAEDICATORUM

S. R. E. CARDINALIS

QUAESTIONES DE SACRAMENTIS

COMMENTARIOS EIUS IN TERTIAM PARTEM

SUMMAE THEOLOGIAE SANCTI THOMAE AQUINATIS

COMPLENTES

PROLOGUS

Intentio mea in subsequentibus, quae ab Auctore tractanda erant ad perfectionem operis, est, non aggredi ordinem per quaestiones et articulos singillatim decidendo, quasi complere vellem Tertiam Partem, imparem enim me tanto negotio et cognosco et fateor: sed dubia aliqua utilia, necnon discussione digna, tractare, et, iuxta ingenii vires, divina adspirante gratia, determinare. Servaboque ordinem sacramentorum supra * positum.

* Part. III, qu. LXV, art. 2; qu. LXVI, Introd.

QUAESTIONES DE CONTRITIONE

QUAESITUM PRIMUM

AN ATTRITIO POSSIT FIERI CONTRITIO

* Cf. Part. III, qu. XC, Introd.

De partibus igitur poenitentiae in speciali * tractando, primum occurrit, de prima parte poenitentiae, dubium circa quidditatem eius: quae ex differentia inter attritionem et contritionem facilius cognoscetur. Et propterea quaeritur primo: An attritio possit fieri contritio.

* Cf. num. VI.

Videtur enim quod non *. Tum quia contritio et attritio differunt penes principia. Quoniam contritio est a caritate: attritio autem est a voluntate sine caritate.

Tum quia imperfectio attritionis est de ratione eius. Ac per hoc, remota imperfectione, non remanet attritionis actus, qui possit perfici per caritatem.

II. Ad evidentiam huius, tria facienda sunt: primo, dicetur quid nominis; secundo, manifestabitur quotuplex est tam attritio quam contritio *; tertio, respondebitur quaesito *.

* Num. III.
* Num. IV.

Quoad primum, *attritio* sonat imperfectam displicentiam peccati: *contritio* autem sonat displicentiam perfectam peccati. Et est sermo de peccato mortali. Notanter autem dico *displicentiam,* et non dico *dolorem* seu *tristitiam.* Quoniam contritio proprie significat displicentiam, quae est causa tristitiae seu doloris: quamvis frequenti usu dicatur quod contritio est dolor, significando causam ab effectu. Quanta autem differentia sit inter displicentiam et tristitiam quae est in voluntate, manifestat status caelestis patriae, in qua sanctis displicebunt peccata olim ab eis commissa, nullam tamen tristitiam de eis habebunt: ex hoc enim quod in patria erit displicentia et non erit tristitia, manifeste patet quod tristitia ipsa quae est in voluntate, non est essentialiter displicentia. Sed ad displicentiam sequitur tristitia in his qui sunt tristitiae capaces. Et hanc doctrinam habes superius ab Auctore, in qu. LXXXV, art. 4. – Haec de primo.

III. Quoad secundum *, quia imperfectum dicit negationem perfecti, et negatio per affirmationem oppositam cognoscitur, ideo inchoandum est a contritione, quae est displicentia perfecta. Ex tribus siquidem constat huiusmodi perfecta displicentia: primum est ipsa displicentia peccati; secundum est propositum de cetero non peccandi mortaliter; tertium est quod sit caritate informata. Et si quidem primum defecerit totaliter, nec attritio nec contritio est: quoniam displicentia communis est utrique. Si vero defecerit secundum quid, puta quia adest peccati displicentia modica seu levis, tunc attritio esse potest. Verum usque ad quem terminum quantitas displicentiae limites habeat, ita quod ibi sint confines attritio et contritio, in tertia conditione declarabitur *.

* Cf. num. praec., init.

* Infra in hoc num., *Et hinc habere.*

Si vero secunda defecerit conditio, scilicet propositum de cetero non peccandi mortaliter, tripliciter hoc contingere potest. Vel per positionem contrarii propositi in actu: puta quia actualiter intendit peccare mortaliter. Et tunc non habet locum attritio. – Vel per positionem contrarii habitualiter tantum: puta quia non intendit actualiter committere peccatum mortale, nec intendit mutare statum suum, quo detinetur in peccato mortali; ut patet in usurariis,

concubinariis, et aliis similibus, qui confitentur peccata sua, displicetque eis peccasse, habentque velleitatem relinquendi peccatum, non tamen deserunt concubinatum, aut restituunt usuras, etc. Et haec displicentia cum huiusmodi velleitate attritio dici potest. – Vel per negationem propositi expliciti: puta quia poenitens est sic dispositus quod displicent ei peccata praeterita, et non intendit peccatum mortale aliquod committere, et intendit tanquam in quodam confuso cavere a peccatis; ita quod duo prima, scilicet affirmatio displicentiae et negatio intentionis peccandi, habentur explicite; tertium autem, scilicet affirmatio propositi de cetero non peccandi mortaliter, non nisi in confuso habetur, pro quanto in voluntate non peccandi confunditur et tempus proxime futurum et totum tempus vitae suae, ad quod non explicite extendit se hoc debile propositum de quo est sermo. Et talis displicentia forte est valde communis, et illa quae communiter vocatur attritio.

Circa defectum vero tertiae conditionis advertendum est quod in conditione illa clauduntur duo: quorum unum est in potestate nostra, et de eo certi esse possumus; alterum est ex divina gratia, et nobis incertum. Horum primum est diligere Deum super omnia: secundum est quod huiusmodi diligere sit informatum caritate *diffusa a Spiritu Sancto in cordibus filiorum Dei* *. Et si quidem defecerit primum, scilicet dilectio Dei super omnia, attritio, non contritio est: si vero primum affuerit, contritio vocatur. – Esse autem hanc dilectionem in potestate nostra ex eo patet quod, sicut in potestate nostra est constituere nobis pro ultimo fine delectationem veneream aut lucra aut regnum, ita in potestate nostra est habere Deum, etiam ut beatitudo est sanctorum, pro ultimo fine, ita quod intendamus et deliberemus praeferre ipsum in voluntate nostra omnibus quae desiderari haberive possint. – Quod etiam huiusmodi dilectio exigatur ad contritionem, et distinguatur ab attritione, ex eo patet quod sine huiusmodi dilectione non potest esse informatio caritatis. Substernitur enim huiusmodi dilectio acquisita caritatis formationi: et tunc tam sapientes quam boni fideles tam seipsos quam alios habent pro contritis cum haec dilectio *testimonium perhibet*. – Quod demum huiusmodi tam dilectio quam contritio possit esse sine caritate, ex eo patet quod multi sciunt se habere hanc dilectionem, et nesciunt se esse in caritate. Si enim huiusmodi tam contritio quam dilectio non posset esse informis, manifeste sequeretur quod scire possemus evidenter nos esse in Dei gratia: quia evidenter certi sumus de nobis ipsis quod habemus hanc voluntatem deliberatam praeferendi omnibus Deum, etc. Et haec est dilectio similis caritati infusae: in tantum quod, propter similitudinem actuum, censet divus Thomas * non discerni a nobis an dilectio nostra qua Deum diligimus et proximum, sit ex infusa gratia vel non. Et ab hoc amore provenire potest quod Apostolus ait *: *Si distribuero facultates meas in cibum pauperum, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero*, etc.

* *Ad Rom.*, cap. v, vers. 5.
* I *Sent.*, dist. xviii, qu. 1, art. 4; *Qq. Dispp. de Verit.*, qu. x, art. 1, ad 1.
* I *ad Cor.*, cap. xiii, vers. 3.

Et hinc habere potes terminos quantitatis tam displicentiae peccati quam propositi non peccandi *. Quantificatur enim utrumque horum ex quantitate amoris Dei: ita quod, sicut amor Dei est super omnia amabilia, ita propositum vitandi peccati debet esse super omnia evitabilia, et similiter displicentia peccati super omnia odibilia. Ac per hoc, displicentia peccati modica, quae non pervenit ad displicentiam contritionis, est illa qua minus odio habemus peccatum quam aliquod aliud damnum: et similiter propositum illud est debile ac deficiens a proposito contritionis, quo plus proponimus cavere ab aliquo alio malo quam a peccato mortali.

* Cf. priores parag. huius num.

Si postremo deficiat caritas, stantibus reliquis conditionibus, contritio, ut dictum est, vocatur: quamvis appelletur attritio ab illis qui sine caritate contritionem non noverunt.

Ex quibus omnibus colligere possumus duplicem esse attritionem, et duplicem contritionem. Prima attritio est displicentia peccati, cum velleitate non peccandi, in statu tamen peccati. Et haec est attritio meretricum, usurariorum, et aliorum huiusmodi. Et haec vocatur *attritio impoenitentium*. – Secunda attritio est displicentia peccati cum non-voluntate peccandi, et cum voluntate non peccandi in confuso. Et haec est attritio poenitentium, qui sic in confuso tam totum tempus futurum, quam comparationem peccati ad alia odibilia, quam etiam comparationem Dei ad alia amabilia, in voluntate sua habent. Et haec vocatur *attritio imperfectorum*.

Prima vero contritio est acquisita displicentia peccati supra omne odibile, cum proposito vitandi peccatum supra omne vitabile, ex amore Dei supra omne amabile. Et haec vocatur *contritio informis*. – Secunda autem contritio est haec eadem displicentia, cum dicto tam proposito quam amore, caritate informata. Et haec vocatur *contritio formata*. – Haec de secundo.

IV. Quoad tertium *, praenotandum est quod aliud est quaerere an de attrito fiat contritus: et, an attritio fiat contritio. Prima enim quaestio clara est: quoniam constat multos peccatores paulatim ad poenitentiam converti, et ex imperfecta displicentia ac ex imperfecto proposito imperfectoque Dei amore ad perfectionem contritionis deduci, ita ut vere contritionem caritate informatam assequantur.

* Cf. num. ii, princip.

Secunda autem quaestio, de qua est sermo, non est usquequaque clara: quoniam permanentia actuum interiorum in identitate numerali satis occulta videtur. Veruntamen dicendum est quod *attritio impoenitentium* * non potest fieri contritio. Quod probatur non solum ex eo quod velleitas non est idem actus cum voluntate deliberata, et similiter displicentia proportionalis velleitati non est idem actus cum displicentia proportionali voluntati deliberatae: sed praecipue ex eo quod actus unius speciei non transit in actum alterius speciei. Displicentia autem summi odibilis, quae est contritio, et displicentia odibilis non summi, quae est attritio, differunt specie: quia summum odibile ex suo genere specie differt ab odibili non summo, et hoc tam in genere mali quam in genere odibilis. Et haec intellige formaliter: idest, quia attritio est displicentia peccati sub ratione non summe odibilis, contritio autem sub ratione summe odibilis; cui enim offensa Dei est summe odibilis, illi Deus est summe amabilis, et a quo Deus non summe amatur, illi offensa Dei non est summe odibilis.

* Cf. num. praec., *Ex quibus*.

Attritio quoque *imperfectorum* * non fit contritio: eadem ratione qua cognitio confusa non fit cognitio distincta. Sed, sicut cognitio confusa approximat intellectum ad cognitionem distinctam, ita displicentia confusa, quae attritio dicitur, ducit et appropinquat voluntatem ad displicentiam distinctam, quae est contritio.

* Cf. ibid.

De acquisita autem contritione, quae *contritio informis* * dicitur, dicendum est quod potest fieri contritio formata: quoniam potest continuari idem numero actus acquisitae contritionis usque ad caritatis infusionem inclusive, et sic caritate informari. Et quia huiusmodi contritio, antequam informetur caritate, vocatur etiam quandoque attritio; ideo hoc tertio modo sumpta attritio potest fieri contritio. Et hoc iam habere potes a divo Thoma superius, in qu. lxxxix *, ubi dixit quod contritio est ultima dispositio ad caritatem.

* Cf. ibid., *Prima vero*.
* Art. 1, ad 2.

V. Sed occurrit hic non dissimulandum dubium, per quid, seu quomodo huiusmodi attritio, seu contritio acquisita, sit ultima dispositio ad gratiam. Est enim quandoque non ultima dispositio: ut patet ex eo quod potest esse informis. Si enim semper esset ultima dispositio, cum Deus tam in naturalibus quam in gratuitis det semper ultimo dispositis formam pro qua sunt ultimo disposita, sequeretur quod homo habens huiusmodi contritionem acquisitam certus esset se esse in gratia Dei. Quandoque autem est ultima dispositio: ut divus Thomas dixit, et ratio approbat; quia gratia perficit naturam, ac per hoc, rationabile est ut a nobis acquisita displicentia peccati suprema perficiatur quandoque gratuita caritate.

Si dicatur quod huiusmodi transitus fit per motum intensionis: ita quod acquisita huiusmodi perfecta displicentia peccati, si est remissa, est attritio, et non habet rationem ultimae dispositionis ad caritatem; si autem intenditur et crescit, est contritio et ultima dispositio ad caritatem; ut sic verificetur, quasi commune dictum, quod contritio et attritio differunt secundum magis et minus: – contra. Nam,

loquendo de attritione tam impoenitentium quam imperfectorum *, constat quod differt a contritione non penes obiectum materiale, quia utriusque materia est peccatum mortale, sed penes obiectum formale: quia contritio attingit mortale peccatum sub ratione summi odibilis; attritio autem tam impoenitentium quam imperfectorum attingit mortale peccatum non sub ratione formali summi odibilis. Et propterea neutra differt a contritione penes magis et minus: tum quia differentia secundum magis et minus non est differentia formalis; tum quia, quantumcumque cresceret displicentia mortalis peccati extra formalem rationem summi odibilis, nunquam esset contritio. – Tertio vero modo sumpta attritio * nec penes materiam nec penes rationem formalem obiecti differt a contritione acquisita: quia sunt respectu eiusdem mortalis peccati, et sub ratione summi odibilis. Et quod nec differant penes magis et minus, ex eo patet quod minimus gradus huiusmodi displicentiae sufficit ad caritatem *operientem multitudinem peccatorum* *. Quod Ecclesiae testimonio comprobatur: credimus enim omnes, tam nosmetipsos quam alios, esse in caritate cum ad huiusmodi displicentiam quantumcumque remissam pervenimus.

* Cf. num. praec.
* Cf. ibid.
* Prov. cap. x, vers. 12; I Pet. cap. iv, vers. 8.

Unde nec est verum contritionem et attritionem differre secundum magis et minus in eadem specie: licet sit verum secundum magis et minus in diversis speciebus, sicut album habet magis de luce quam viride. Nec allata responsio satisfacit quaesito.

Aliter ergo dicendum mihi videtur: quod gratuita Dei motio est quae huiusmodi acquisitam contritionem efficit ultimam dispositionem ad gratiam seu caritatem. Ita quod ex hoc ipso quod Deus, non per aliquod superadditum donum habituale, sed per gratuitam dilectionem qua dignatur uti nostra acquisita contritione ut dispositione ultima ad suum proprium opus, quod est caritas quae infunditur, – transfertur nostra contritio in fore ultimam dispositionem pro gratia habituali; iuxta illud Ieremiae ad Deum *: *Postquam convertisti me, poenitentiam egi.* – Haec de tertio.

* Cap. xxxi, vers. 19.

VI. Ad argumenta in oppositum *, pro quanto contra attritionem tertio modo dictam militant, respondendo dicitur quod, quidquid sit de diversitate penes principia in esse naturae, diversitas tamen principiorum in genere moris seu meriti non infert unum eundemque actum non posse esse et sine tali principio, et cum tali principio: unus namque et idem actus exterior qui a principio non fuit bonus moraliter, potest esse bonus moraliter in prosecutione. Et similiter in proposito contritio acquisita, quae a principio non est meritoria, potest in sui prosecutione fieri meritoria, superveniente caritate; nec oportet re-inchoare actum quoad substantiam actus, sed sufficit quod inchoetur actus quoad esse meritorium. Cum enim dicitur actum meritorium inchoari a caritate, est sermo formalis, hoc est, non de actu simpliciter, sed inquantum est meritorius. Et propterea stat actum esse simpliciter inchoatum sine merito et caritate; et eundem continuari cum merito, et inchoari a caritate secundum esse meritorium.

* Num. i.

Ad secundum dicitur quod, licet imperfectio attritionis tam impoenitentium quam imperfectorum * sit de illius ratione, quia penes defectum obiecti formalis attenditur; imperfectio tamen contritionis acquisitae, quae attritio tertio modo vocatur, non est de ratione illius, quoniam penes solam negationem potentis supervenire divini doni attenditur; non enim informitas huiusmodi contritionis seu attritionis est magis de ratione ipsius quam informitas fidei sit de ratione fidei. Et propterea, sicut actus fidei informis potest in sui prosecutione formari caritate, ita actus acquisitae contritionis potest, superveniente caritate, imperfectionem suae informitatis deserere, et formatus continuari.

* Cf. num. iv.

QUAESITUM SECUNDUM

AN EXIGATUR AD CONTRITIONEM QUOD SIT SINGULORUM PECCATORUM MORTALIUM

Secundo quaeritur, de materia contritionis: An exigatur ad contritionem quod sit singulorum peccatorum mortalium.

Videtur enim quod sic *. Tum quia contritio debet adaequare confessionem. Confessio autem comprehendit omnia mortalia: ut patet in cap. *Omnis utriusque sexus* *. Ergo.

* Cf. num. vii, viii.
* De Poenit. et Remiss.

Tum quia haec est differentia inter poenitentiam mortalium et poenitentiam venialium, quod ad remissionem venialium sufficit virtualis displicentia: ad remissionem autem mortalium exigitur ut homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur. – Et confirmatur hoc auctoritate divi Thomae superius, in calce corporis primi articuli quaestionis octogesimaeseptimae, dicentis quod ***displicentia virtualis non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.***

II. Ad huius evidentiam, sciendum est quaestionem hanc posse intelligi tripliciter *. Primo, an exigatur quod singulis secundum numerum peccatis mortalibus respondeant totidem contritiones. Et sic intellecta quaestio facile solvitur negative. Quoniam nec quoad actum displicentiae, nec quoad actum confessionis, nec quoad actum satisfactionis, oportet multiplicari actus poenitentiae iuxta multitudinem actuum peccatorum: unicus siquidem satisfactionis actus potest satisfacere pro multis mortalibus commissis; et similiter unica enunciatione potest quis simul confiteri mille mortalia, dicendo, *Percussi millies;* et similiter unica displicentia potest respondere mille peccatis, non minus quam confessio et satisfactio.

* Cf. num. iii, vi.

Tum quia ridiculum est ita velle adaequare numerum contritionum numero peccatorum, tanquam in multitudine actuum, et non in perfectione potius actus consistat virtus: quasi non possit una perfecta displicentia aequivalere decem millibus imperfectis; cum tamen etiam in sensibilibus videamus quod unum numisma aureum aequivalet mille aereis.

III. Secundo vero modo potest quaestio intelligi, an singula peccata mortalia in seipsis, seu formaliter, attingi debeant a contritione: ita quod non sufficiat homini displicere sibi in generali quaecumque commisit contra Deum, sed exigatur ut displiceant sibi in speciali peccata a se patrata, puta decem adulteria, centum furta, mille blasphemiae, etc.; et hoc quoad peccata quorum memoria subest. Et sic intellecta quaestio dupliciter examinanda est: primo, de contritione relata ad sacramentum poenitentiae *; deinde de contritione absolute *. Multum enim refert sic vel sic loqui: quoniam contritio relata ad sacramentum poenitentiae sub Evangelica lege incoepit; contritio autem absolute, post Adae peccatum, et ante scriptam legem, et sub lege Moysi, omnibus peccatoribus necessaria fuit.

* Num. seq.
* Num. v.

IV. Si igitur contritio, relata ad sacramentum poenitentiae, exigat quod terminetur ad singula mortalia formaliter, seu in seipsis, oportet quod hoc habeat vel ex satisfactione, vel ex confessione, vel ex seipsa, vel ex absolutione sacerdotali: plura enim in sacramento poenitentiae non inveniuntur. Sed non convenire sibi ex satisfactione, patet ex hoc quod una satisfactio virtualiter potest adaequare multa mortalia. – Quod nec etiam ex confessione, ex eo patet quod ratio quare confessio exigit singula mortalia pro materia est quia confessio fit humano iudici, qui non potest iudicare nisi de cognitis: incognita autem sibi ut iudici remanerent quaecumque non essent a poenitente in seipsis explicata. Quae ratio non habet locum in contritione, quae Deo offert cor, qui non pensat quantum aut quot, sed ex quanto offertur. Unde de Magdalena legitur *, *Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum:* et non dixit, *quoniam displicuerunt ei multa.* – Quod etiam hoc non proveniat ex absolutione, manifestat

* Luc. cap. vii, vers. 47.

unica absolutio, quae simul fit absque explicatione singulorum. – Quod demum contritio non habeat hoc ex seipsa, ex eo patet quod communis doctrina tenet sufficere, post singulorum peccatorum mortalium attritiones, unam contritionem in generali. Ex hoc enim dicto manifeste habetur quod, licet aggregatum ex contritione et attritione, seu attritionibus, terminetur ad singula mortalia in seipsis; ipsa tamen contritio non terminatur ad singula mortalia in seipsis, seu formaliter, sed tantum virtualiter. Et si dicatur quod contritio sequens tot attritiones operatur in vi illarum, ac per hoc terminatur ad obiecta illarum formaliter: manifeste patet nihil valere illationem hanc, sed destruere commune dictum. Quoniam hinc non sequitur contritionem terminari formaliter ad obiecta attritionum, sed virtualiter tantum: sicut non formaliter, sed virtualiter claudit in se attritiones. Et falsum esset quod contritio sequens esset una contritio generalis.

Ex quibus omnibus apparet quod, proprie loquendo, contritio, relata ad sacramentum poenitentiae, non exigit quod terminetur formaliter ad singula mortalia, sed sufficit quod terminetur ad ea virtualiter.

V. Si autem spectemus ad contritionem simpliciter et absolute, dicendum est quod non exigit terminari formaliter ad singula mortalia peccata, sed exigit virtualiter attingere singula mortalia, etiam oblita et incognita. Dico autem, *virtualiter attingere singula:* quia per hoc simpliciter et absolute differt contritio remittens peccata venialia a contritione remittente peccata mortalia. Ad remissionem siquidem peccatorum mortalium exigitur quod contritionis displicentia sit adeo perfecta extensive quod formaliter aut virtualiter attingat omnia et singula mortalia quorum poenitens est reus: et hoc manifestatur ex eo quod *impium est dimidiam a Deo sperare veniam* * mortalium peccatorum. Ad remissionem autem venialium non exigitur haec extensiva perfectio: potest siquidem unum peccatum veniale dimitti sine alio; et illa tantum venialia remittuntur ad quae displicentia virtualis se extendit.

* *De Vera et Falsa Poenit.*, cap. IX. (inter Opp. Aug.) - Cf. can. *Sunt plures, de Poenit.* dist. III.

Probatur ergo declarata conclusio ex eo quod contritio generalis, virtualiter se extendens ad omnia mortalia, sufficit ad remissionem eorum, concurrente caritate, etc. Probatur hoc. Quia in instanti fit iustificatio impii et converti potest peccator ad Deum: scriptum est enim *: *In quacumque hora ingemuerit peccator,* etc.

* Ezech. cap. XXXIII, vers. 12, 14, 15. - Cf. Append. ad can. *Facilius, de Poenit.*, dist. I.

Et si forte obiiciatur contra hoc dicendo quod huiusmodi momentanea ac generalis contritio fert secum propositum specialis contritionis de singulis mortalibus in seipsis, sicut baptismus flaminis fert secum propositum baptismi fluminis; et ideo contritio illa generalis, utpote imperfecta, concurrit ad remissionem peccati ut tendens ad contritionem specialem, quae est perfecta: – advertat haec obiiciens quod voluntarie apponitur iste ordo contritionis perfectae virtualiter ad contritionem perfectam formaliter. – Tum quia, nec ex sacra Scriptura nec ex sacris Doctoribus traditus, communi sententiae superius * recitatae adversatur. Nam, si contritio perfecta virtualiter remittit peccata ut tendens in contritionem perfectam formaliter, sequeretur quod, post omnes attritiones in speciali, subsecuta una contritio generalis perfecta virtualiter non sufficeret ad salutem: quoniam exigeretur quod, post generalem contritionem perfectam virtualiter, sequeretur contritio specialis perfecta formaliter; si enim perfecta virtualiter fert secum propositum perfectae formaliter, oporteret post illam hanc exequi. Cuius contrarium pro certo habemus.

* Num. IV.

Et bene nota quod aliud est dicere contritionem generalem perfectam virtualiter coexigere, ante vel post, *detestationes speciales* peccatorum mortalium in seipsis: et aliud est dicere contritionem generalem perfectam virtualiter coexigere, ante vel post, *contritiones speciales* peccatorum in seipsis. Nos enim hoc secundum dicimus esse falsum, tam nunc quam omnibus praeteritis temporibus. Primum autem sacri doctores tradunt. Et verum procul dubio est tempore Evangelicae legis, in quo contritio fert secum propositum confessionis sacramentalis, ratione cuius exiguntur speciales detestationes peccatorum: sive ut praecedentes contritionem generalem virtualiter perfectam, ut contingit illis qui suscipiendo actualiter sacramentum poenitentiae fiunt de attritis contriti; sive ut consequentes saepe dictam contritionem, ut contingit illis qui ex toto corde statim convertuntur ad Deum, habentes, virtualiter saltem, propositum confitendi suo tempore peccata sua. – Utrum autem hoc sacrorum doctorum dictum verum etiam sit de contritione simpliciter et absolute: – ex dictis apparere potest quod non. Nulla siquidem apparet ratio cogens ad huiusmodi detestationes speciales, secluso sacramento poenitentiae: nam et voluntas potest perfecte mutari et exercitari in necessariis virtutum actibus, et pro peccatis potest perfecte satisfieri, absque huiusmodi specialibus detestationibus; ut patet ponendo peccatorem poenitentem qui totum se divinae dilectioni, eleemosynis ieiuniisque daret; hic enim prisco tempore perfecte satisfecisset pro peccatis, absque tot detestationibus.

VI. Et hinc patet quid dicendum sit ad quaestionem tertio modo intellectam *, scilicet: An contritio exigat quod terminetur ad omnia et singula peccata mortalia, non curando de modo terminandi. Ex dictis siquidem patet respondendum esse affirmative. Quoniam, non curando de modo, hoc est an formaliter vel virtualiter, certum est oportere sub contritione comprehendi omnia mortalia peccata commissa, sive sint sibi cognita sive incognita: quoniam, ut dictum est *, *impium est a Deo dimidiam sperare veniam.*

* Cf. num. II, princip.

* Num. V.

VII. Ad primum ergo in oppositum * dicitur quod, propriissime loquendo, contritio respondet absolutioni, et detestationes respondent confessioni: et propterea detestationes sunt aequales numero actibus confessionis. Et saepe sunt simul tempore: quando scilicet poenitens simul recordatur peccati et confitetur illud. Unde contritio secundum annexas detestationes adaequat confessionem quoad modum attingendi peccata, scilicet in speciali: et non convenit hoc contritioni secundum se.

* Num. I.

VIII. Ad secundum * dicitur quod assumptum verum est de poenitentia, seu contritione, relata ad sacramentum poenitentiae. – Et similiter intelligenda sunt verba divi Thomae.

* Ibid., *Tum quia.*

Potest quoque aliter dici, iuxta differentiam ultimo * explicatam inter perfectionem displicentiae requisitam ad remissionem mortalium et requisitam ad remissionem venialium, quod remissio mortalium exigit generalem contritionem perfectam virtualiter sic quod actualiter homo huiusmodi displicentiam perfectam extensive ad omnia et singula mortalia habeat: remissio autem venialium non requirit huiusmodi extensive perfectam displicentiam, sed cum hoc quod aliquis in solis venialibus constitutus non habuerit generalem displicentiam de omnibus suis venialibus, stat quod ex aliquo fervore caritatis, in quo, si occurrerent, displicerent contrariantia venialia, consequatur remissionem venialium illorum quae displicerent. Quod non sufficere dicitur ad remissionem peccati mortalis, nisi obliti: quia, ut dictum est, oportet actualiter habere illam contritionem generalem perfectam virtualiter ad remissionem mortalium.

* Num. V, princip.

QUAESITUM TERTIUM

AN PECCATOR TENEATUR AD CONTRITIONEM QUANDO RECORDATUR PECCATORUM SUORUM

Tertio quaeritur, circa tempus contritionis: An peccator teneatur ad contritionem quando recordatur peccatorum suorum. Et quia quaestionem hanc discussimus in Quolibetis nostris *, ideo quaere ibi. Sat sic hic scire partem negativam esse veram.

* Opusc. Caiet. tom. I, tr. XVII (Edit. Lugdum. 1563). - Vide infra in fine *Quaestionum Caiet. de Sacramentis.*

QUAESITUM QUARTUM

AN CONTRITIO REMITTAT NON SOLUM CULPAM, SED POENAM DEBITAM PECCATO

Quarto quaeritur, circa effectum contritionis: An contritio remittat non solum culpam, sed poenam debitam peccato.

* Cf. num. vii. Videtur enim quod non *. Tum quia ad remissionem poenae ordinatur tertia pars poenitentiae, scilicet satisfactio. Non ergo ad illam ordinatur contritio: nisi quatenus forte habet satisfactionem annexam.

Tum quia contritio sufficiens ordinatur per se ad remissionem culpae: nec apparet unde habeat quod poenam sensus remittat.

II. Ad huius evidentiam, sciendum est duplicem esse modum dicendi de hac re: quamvis omnium sententia in idem tandem concurrat. Primus est quod alia est poena quae debetur incontrito, et alia est quae debetur contrito: nam incontrito debetur poena inferni, contrito autem poena temporalis. Et propterea, cum contritio tollat poenam inferni, nunquam enim contritus perseverans ad poenam infernalem ibit; dici potest quod contritio tollit totam poenam peccato mortali prius debitam.

Alter vero dicendi modus est quod contritio non tollit totam poenam, sed commutat poenam aeternam in temporalem: nam incontritus reus erat aeternae poenae, contritus autem reus est poenae temporalis.

III. Sed uterque dicendi modus deficit. Primus quidem tripliciter. Scilicet et dicendo poenam deberi contrito. Nam non nisi per accidens hoc verificatur: contritio enim, ut sic, non ponit reatum poenae; alioquin cuilibet contrito deberetur poena. – Et dicendo alietatem poenae debitae

* Num. iv. contrito et incontrito. Nam, ut patebit *, non alia poena est quae utrique, si qua contrito alicui debetur. – Et inferendo quod dici potest totam poenam incontrito prius

* Num. iv, vii. debitam per contritionem remitti. Nam, ut patebit *, pars quaedam poenae sibi prius debitae communiter remanet, scilicet poena sensus: absque aeternitate tamen.

Secundus autem modus deficit ponendo commutationem. Nam idem est quod Deus interius operatur in poenitente, et quod Dei minister sacramentum adhibendo significat: exterior enim sacramentalis actus significat interiorem Dei operationem. Sed sacramentalis actio in sacramento poenitentiae non significat commutationem, sed absolutionem. Ergo interior Dei operatio quae in contritione intervenit, non est commutatio, sed absolutio.

IV. Ad cuius pleniorem intelligentiam, advertendum est in poena inferni inveniri tria: poenam damni, poenam sensus, et aeternitatem poenae, iuxta tria quae sunt in peccato mortali. Per peccatum siquidem mortale fit aversio ab incommutabili bono, cui respondet poena damni separans animam a Deo; et fit conversio ad commutabile bonum, cui respondet poena sensus; et constituitur inimicus Dei, cui respondet aeternitas poenae; inimicus enim, quia est hostiliter exterminandus, est aeternaliter puniendus. Cum autem peccator conteritur, quia caritate Deo coniungitur, tollit contritio poenam damni, quae separationem a Deo ponebat. Et quia per eandem caritatem amicus Dei constituitur, tollit contritio aeternitatem poenae: amicus enim non est aeternaliter puniendus. Et, si nihil aliud efficit contritio, remanet contritus obligatus ad poenam sensus, ad quam prius tenebatur: sed non aeternaliter sustinendam, sicut prius tenebatur. Et sic, licet contritus perseverans nunquam ad infernum iret passurus totam poenam inferni, nihil tamen prohibet obligatum eum remanere ad partem illius poenae quae in inferno sustinenda ab ipso erat, scilicet ad poenam sensus.

Ubi vides quod non est alia poena quae debetur alicui contrito ab illa quae sibimet incontrito debebatur, sed est illamet poena sensus relicta. Et hoc contra primum modum dicendi. – Nec intervenit commutatio poenae aeternae in temporalem: sed exspoliatio poenae ab aeternitate. Et hoc contra secundum modum dicendi.

V. Ut autem restans dubitatio, an scilicet contritio remittat poenam sensus, solvatur, sciendum est quod hic certa sunt duo. Primum est quod, quanto contritio est maior, tanto plus tollit de poena sensus peccato debita. Secundum est quod tanta potest esse contritio quod tolleret totam poenam sensus.

Ambiguum vero est an quantulacumque contritio caritate informata (de tali enim est sermo) tollat aliquid de illa poena sensus. Multi enim videntur de hoc dubitare.

Mihi autem apparet quod pars affirmativa est vera; propter duas rationes, quarum quaelibet, verificata, sufficiens est. Potest enim contritio ex duplici capite tollere, in toto vel in parte, poenam sensus. Primo, ex poenalitate sibi annexa. Displicentia enim commissi criminis non fert secum necessario poenalitatem, cum sit in patria, ubi nulla est poenalitas: sed in subiecto susceptivo doloris, seu poenae, fert secum naturaliter displicentia poenalitatem quandam; dolemus enim communiter de nostris quae nobis displicent. Et quoniam huiusmodi poenam parere contritioni conveniret seclusa relatione ad sacramentum poenitentiae, ideo, secundum hoc caput, dicendum est quod contritio quaelibet simpliciter et absolute, ex annexa poenalitate, tollit aliquid poenae sensus: habet enim satisfactoriam vim poena voluntarie assumpta *secundum Deum* *. * Cf. II *ad Cor.*, cap. vii, vers. 9 sqq.

Secundo, ex merito passionis Christi. Est enim passionis Christi meritum remissivum suis membris poenae pro peccatis debitae, plus et minus prout illis coniungitur. Quod primo apparet in baptismo, ubi, quia passio Christi totaliter communicatur baptizato, quasi ipse baptizatus passus esset, tota poena tollitur. Apparet deinde et in sacramento poenitentiae actualiter suscepto, dum ex vi sacramenti communicatur meritum passionis Christi ad remissionem aliquantae saltem poenae sensus. Et quia coniunctio ad meritum passionis Christi convenit contritioni, non simpliciter et absolute, sed relate ad sacramentum poenitentiae, ex hoc quod contritio fert secum votum sacramenti poenitentiae, coniungit merito passionis Christi per sacramenta nobis communicato. Et secundum hoc caput, dicendum est quod quaecumque nostra contritio tollit aliquid poenae sensus ex merito passionis Christi. Nam rationabile est quod plus poenae tollat caritas extensa ad sacramentum, quam non extensa ad illud. Sed caritas non extensa ad sacramentum, qualis erat antiquorum poenitentium caritas, tollebat ex vi quidem caritatis et poenam damni et aeternitatem poenae, ex annexa autem poenalitate tollebat in toto vel in parte poenam sensus. Ergo caritas poenitentium in nova lege, quae est caritas extensa ad sacramentum poenitentiae, plus poenae tollit.

Minor huius rationis propositio clara est. – Maior autem facile suadetur ex eo quod poenitentiae sacramentum actualiter exhibitum est procul dubio remissivum poenae sensus in toto vel in parte. Ex hoc enim consequens est ut idem ipsum sacramentum in voto caritatis existens apud contritum, aliquid huiusmodi poenae remittat. Simile enim quid perspicimus in baptismo: quod scilicet id quod operatur baptismus exhibitus, operatur etiam in voto caritatis habitus non ita copiose. – Nec excluditur maioris huius veritas si dicatur quod caritas extensa ad sacramentum habet ex extensione ad sacramentum quod tollat illamet quae tollebat caritas antiquorum poenitentium absolute. Nam hoc non est caritatem extensam ad sacramentum efficere plus: sed est efficere pluribus rationibus unum et idem. Extensa siquidem caritas ad sacramentum duplici ratione tollit poenam damni et aeternitatem poenae: sci-

licet ex vi caritatis; et ex vi sacramenti in voto. Sed haec veritas non excludit quin verum quoque esse debeat quod huiusmodi extensa caritas plus efficiat, plus poenae tollat: quia hoc ad vim sacramenti spectat.

VI. Ex quibus omnibus patet dicendum esse ad quaesitum quod contritio, ratione caritatis qua formatur, non solum tollit culpam, sed et poenam damni et aeternitatem poenae; ratione vero annexae poenalitatis, tollit aliquid poenae sensus; et ratione sacramenti in voto, tollit rursus aliquid poenae sensus. Et tam vehemens, inquit divus Thomas, in LXXII cap. IV *Contra Gentes* *, potest esse huiusmodi coniunctio contriti ad meritum passionis Christi, quod tolleret totam poenam sensus.

* Circa med.

VII. Ad primum ergo argumentum in oppositum * dicitur quod satisfactio distincta est a contritione secundum ea quae communiter in humano genere inveniuntur: communiter enim contriti non tam vehementer iunguntur passioni Christi ut non sit opus satisfactione ad arbitrium sacerdotis. Traditur enim tam doctrina quam lex moralis secundum ea quae ut in pluribus contingunt *.

* Num. I.

* Dig. I, III, *de Leg. et Senatuscons.*, 3, 4. - Cf. s. Th. Iam IIae, qu. XCVI, art. 1.

Ad secundum dicitur quod iam ex dictis * apparent duo capita unde quantulacumque contritio tollat aliquid poenae sensus. Inter quae capita coniunctio ad meritum Christi praecipue perspici debet: quoniam illud est de ratione contritionis; annexus autem dolor quasi vicem satisfactionis tenere videtur.

* Num. V.



QUAESTIONES DE CONFESSIONE

QUAESITUM PRIMUM

AN OMNES TENEANTUR AD CONFESSIONEM

De confessione, quae secunda est pars poenitentiae, quaeritur primo, circa eius necessitatem: An omnes teneantur ad confessionem. Et est ratio dubitandi quia nonnulli sunt viventes absque peccato mortali. Et propterea in dubium vertitur an omnes teneantur confiteri.

* Cf. num. IV.
* Cap. *Omnis utriusque sexus.*

Videtur enim quod sic *. Quia Extra, *de Poenit. et Remiss.* *, expresse dicitur: *Omnis utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerit,* etc.

Et confirmatur. Quia, cum nullus excipiatur, sequeretur quod Ecclesia in hoc statuto praesupponeret omnes fideles singulis annis peccare mortaliter. Et patet sequela, si sola peccata mortalia praecipiuntur confitenda.

Et rursus confirmatur, ex hoc quod absque distinctione aliqua *omnis utriusque sexus* ibidem obligatus est semel in anno ad confessionem, et ad communionem in Pascha. Sed constat quod omnis utriusque sexus, etc., sive peccaverit mortaliter sive non, comprehenditur sub illo praecepto quoad communionem. Ergo omnis etiam utriusque sexus, etc., sive peccaverit mortaliter sive non, comprehenditur sub eodem praecepto quoad confessionem.

In oppositum est quod nullus tenetur confiteri venialia.

II. Ad hanc quaestionem respondetur distinguendo, et bene, de necessitate vel sacramenti, vel praecepti ecclesiastici. Et dicitur quod, de necessitate sacramenti, nullus tenetur confiteri nisi peccatum mortale certum vel dubium: quia post baptismum non potest aliter remitti mortale peccatum nisi per sacramentum poenitentiae in re vel in voto.

De necessitate autem praecepti Ecclesiae duplex est opinio. Una est quod carens peccato mortali tenetur confiteri semel in anno aliquod veniale, ut sic impleat Ecclesiae praeceptum. – Altera est quod carens peccato mortali non tenetur confiteri aliquod veniale: quia non comprehenditur sub Ecclesiae praecepto.

III. Et licet prima opinio sit tutior, secunda tamen est verior: immo sola vera. Quod probatur multipliciter. Primo, ex ratione praecepti. Ratio enim ecclesiastici praecepti non est praecipere confessionem, sed praeceptam divino iure confessionem determinare quoad tempus executionis. Et propterea sub Ecclesiae praecepto non alia comprehenditur confessio quam illa quae a Christo est praecepta. Sed a Christo non est praecepta nisi confessio mortalium. Ergo ab Ecclesia sola peccatorum mortalium confessio praecepta est.

Secundo, et est confirmatio praecedentis, patet idem ex verbis ipsius statuti, dum dicit, *omnia sua peccata.* Non enim hoc potest intelligi de peccatis venialibus: cum constet neminem quocumque praecepto teneri ad omnium venialium confessionem. Oportet ergo intelligi de mortalibus. Et propterea ex explicata materia confessionis, scilicet quod sint omnia sua peccata, clare patet quod de sola confessione praecepta ex divino iure ecclesiasticum statutum loquitur. Est enim materia confessionis a Christo praeceptae omnia poenitentis peccata comprehendens: materia autem confessionis venialium non comprehendit omnia poenitentis peccata.

Tertio, patet idem ex poena subiuncta, scilicet quod *vivus arceatur ab ingressu Ecclesiae, et moriens Christiana careat sepultura.* Huiusmodi enim poenae non sunt a pia matre Ecclesia perfectioribus viris, quales sunt viventes sine peccato mortali, pro omissione confessionis venialium, ad quam alii non tenentur, infligendae. Quinimmo ex hoc sequeretur quod meliores essent deterioris conditionis.

Quarto, patet idem ex subiuncta causa frequentis publicationis dicti statuti, scilicet: *ne quisquam ignorantiae caecitate velamen excusationis assumat.* Hoc enim in huiusmodi confessione venialium locum habere non videtur.

Et confirmantur haec omnia ex Clementina *Ne in agro Dominico, de Statu Monach.,* ubi menstrua confessio nigris monachis imponitur absque explicatione materiae. Non enim dicitur quod confiteantur *omnia sua peccata:* ut ex hoc intelligatur adstringi illos, etiam si mortali peccato careant, ad confessionem semel in mense. Unde non supra dicta, sed poena *regularis disciplinae* subiungitur imponenda temerario violatori: sicut enim religiosi ex suis statutis obligantur ad alia quae absolute sunt bona supererogationis, ita obligantur ad confessiones statutas, etiam si mortali careant peccato. In cuius signum, puniuntur in religionibus qui statutis diebus non confitentur, quantumcumque nullum habeant mortale.

IV. Ad obiectionem ergo primam * dicitur quod materia confessionis explicata per ly *omnia sua peccata,* restringit ly *omnis utriusque sexus* ad indigentes confessione, ac per hoc excipit omnes carentes mortali peccato: ita quod sensus est, *Omnis utriusque sexus indigens confessione,* etc. * Num. I.

Et ad primam confirmationem dicitur quod falsum assumit, seu supponit: scilicet, nullum excipi ab illa universali, *omnis utriusque sexus* etc. Immo ideo Ecclesia apposuit ly *omnia sua peccata* ut exciperet multos quos credit sine peccato mortali vitam ducere.

Ad secundam autem confirmationem dicitur quod, cum duo praedicata exigant duo subiecta, enunciatio illa qua omnis utriusque sexus *confiteri et communicare* praecipitur, est enunciatio non una, sed plures: licet secundum vocem sit una. Unde sensus primae est: *Omnis utriusque sexus indigens confessione omnia sua peccata confiteatur,* etc. Sensus vero secundae est: *Omnis utriusque sexus communicet in Pascha,* etc. Et ratio diversitatis iam dicta est: quia ibi explicatur materia restringens ly *omnis utriusque sexus* respectu confessionis, et non restringens respectu communionis.

QUAESITUM SECUNDUM

AN PECCATA MORTALIA TOTALITER OCCULTA, UT SUNT PECCATA IN SOLO CORDE, SINT NECESSARIO CONFITENDA

Circa materiam confessionis, quaeritur secundo: An peccata mortalia totaliter occulta, ut sunt peccata in solo corde, sint necessario confitenda.

Videtur enim quod non *. Tum quia non sunt de necessitate ecclesiastici praecepti: non potest enim Ecclesia de huiusmodi occultis secundum se praecipere aut iudicare *. * Cf. num. VI. * Cap. *Sicut tuis, de Simonia.*

Et si dicatur quod occultorum confessio cadit sub praecepto Ecclesiae indirecte, scilicet ratione integritatis, pro quanto is qui tenetur singulis annis alia peccata confiteri, tenetur quoque ex consequenti peccata cordis singulis annis confiteri, ut confessio omni anno sit integra: – haec instantia nihil valet. Quoniam, posito homine qui sola peccata cordis mortalia haberet aliquo anno, sequeretur quod illo anno non teneretur confiteri: quoniam tunc non haberet locum ratio integritatis.

II. Tum quia huiusmodi occultorum confessio non est de necessitate sacramenti *. Quoniam sola illa peccata sunt de necessitate sacramenti quae sub iudicio homini commisso a Christo comprehenduntur. Sed nullum iudicium commissum homini a Christo extendit se ad huiusmodi occulta. Ergo occulta haec non sunt de necessitate confitenda. – Maior patet: quoniam iudicium fori poenitentialis homini commissum est a Christo, et non angelis aut quibuscumque aliis. – Minor vero probatur auctoritate Apostoli *: *Nolite ante tempus iudicare,* etc.

* Cf. num. VII.

* I *ad Cor.*, cap. IV, vers. 5.

Si dicatur quod duplex iudicium commissum est homini a Christo: alterum secundum potestatem iurisdictionis, et hoc non se extendit ad huiusmodi occulta, et de hoc loquitur Apostolus; alterum secundum potestatem ordinis, et hoc extendit se ad occulta, et est iudicium quod exercet Ecclesia per suos ministros in foro poenitentiali: – contra dupliciter. Primo, quia iudicium poenitentiale, licet exigat potestatem ordinis, exigit quoque potestatem iurisdictionis: quoniam solus sacerdos ordinariam vel delegatam iurisdictionem habens est minister huius sacramenti, ut patet in cap. *Omnis utriusque sexus* *, et alibi *. – Secundo, quia *unumquodque recipitur in alio secundum modum recipientis:* ac per hoc, iudicium secundum potestatem ordinis a Christo commissum homini, ex hoc ipso quod homini commissum est, modificari oportet secundum conditionem ipsius hominis, quae est non se extendere ad occulta cordium; haec enim soli Deo sunt reservata, non minus in iudicando quam in cognoscendo *.

* *De Poenit. et Remiss.*

* Cf. Conc. Florent., *Decret. pro Armenis.*

* I *Reg.*, cap. XVI, vers. 7; *ad Rom.*, cap. II, vers. 16.

Et confirmatur haec ratio ex hoc quod, cum apud ipsum Dominum Iesum Christum resideat utraque potestas, scilicet ordinis et iurisdictionis, non diminute, sed plenissime; et utramque inveniatur Ecclesiae suae commisisse non imperfecte, sed latissime, ut de potestate iurisdictionis patet Matth. XVIII *, et de potestate ordinis Ioan. XX **: sicut potestas iurisdictionis, ex hoc ipso quod commissa est homini, non extendit se ad occulta omnino, ita potestas ordinis, ex hoc ipso quod commissa est homini, non debet se extendere ad totaliter occulta.

* Vers. 17, 18.

** Vers. 21 sqq.

III. Ad veritatem dubii huius plenius percipiendam, sciendum est quod, licet quidam, ex huiusmodi forte rationibus aut melioribus moti, opinari videantur peccata omnino occulta non esse necessario confitenda sacerdoti, sed soli Deo, eorum tamen error ex tribus patet.

Primo, ex formali ratione materiae confessionis: seu, quod in idem redit, iudicii poenitentialis. Cum enim Dominus poenitentiale iudicium instituerit ac commiserit post resurrectionem suam, dicens, Ioan. XX *, Apostolis iam sacerdotibus, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt;* et materiam iudicii explicaverit quoad substantiam tantum, dum remittendo vel retinendo explicavit peccata; et non possit intelligi ita nude ut sonat littera, quoniam certum est quod per huiusmodi commissionem non possunt nec potuerunt ministri novi Testamenti remittere peccata eis totaliter incognita, inconfessa, obstinata: oportet aliquas subintelligere conditiones peccatorum remittendorum. Et quia iudicium praesupponit cognitionem; et modus iudicii modum cognitionis: ideo communi Catholicae Ecclesiae sensu subintelligitur, *spontanea confessione ad vos delata,* ita quod sensus est: *Quorum remiseritis peccata spontanea confessione reorum ad vos delata, remittuntur eis,* etc. Ubi clare patet materiam iudicii poenitentialis esse peccata spontanea reorum confessione delata: haec est enim formalis ratio materiae huius iudicii, ad quam totam se extendit, et extra quam non se extendit poenitentiale iudicium; quoniam haec omnia et sola remittere vel retinere potest. Ex hac autem formali ratione materiae huius iudicii, habetur facile quod peccata quantumcunque occulta sunt materia huius iudicii: nam quantumcunque occulta peccata comprehenduntur sub his quae sunt spontanea confessione detegenda; nullum enim est ita latens quod non possit eius qui commisit confessione spontanea aperiri.

* Vers. 23.

Et confirmatur ratio haec ex parte formalis materiae, ex ipsis verbis Domini. Differenter siquidem significavit Dominus materiam iudicii poenitentialis, seu potestatis ordinis, et materiam iudicii secundum potestatem iurisdictionis. Quoniam respectu potestatis ordinis, explicavit pro materia *peccata,* dicens, *Quorum remiseritis peccata:* respectu vero potestatis iurisdictionis, explicavit pro materia *peccatum in alium,* dicens *, *Si peccaverit in te frater tuus,* etc. Ex qua differentia docuit nos divina Sapientia a materia iudicii poenitentialis nullum peccatum excipi, ac per hoc, comprehendi praecipue peccatum in sua primaria sede residens, hoc est peccatum cordis: sub materia vero potestatis iurisdictionis non comprehendi peccatum omne, sed exterius tantum, quod solum potest alium offendere; et propterea ab illa excipi peccatum cordis, nisi pro quanto esset ratio exterioris commissionis vel omissionis.

* Matth. cap. XVIII, vers. 15.

IV. *Secundo,* ex ratione proprii finis ipsius confessionis, ex quo fine sumitur formalis ratio eiusdem confessionis quatenus est actus poenitentiae. Ordinatur enim confessio ad subiiciendum voluntarie reum ministro Dei offensi, ut ad arbitrium ipsius recompenset. Et hinc confessio ipsa, quae est actus veritatis, fit actus poenitentiae, dum reus, veraciter proponendo in quo offendit, seipsum accusat ac subiicit ad recompensandum, non de quibusdam sic et de quibusdam non, sed omnes accusando offensas, ut de omnibus arbitrari possit minister offensi. Hoc autem constat quod non fieret si omnino occulta peccata cordis non accusarentur. Ut igitur de peccatis cordis possit ad arbitrium offensi recompensare, oportet peccatorem offensas cordis subiicere ipsius Dei offensi iudicio in persona sui ministri.

V. *Tertio,* ex usu Ecclesiae. Nam communis animi conceptio Christianorum est peccata omnia, sive occulta sive manifesta, oportere in sacramento poenitentiae confiteri. Et ad hoc est determinatio generalis Concilii, primo, Lateranensis sub Innocentio III, ubi dicitur * quod *omnis utriusque sexus confiteatur peccata sua omnia,* – nullum ergo excipitur peccatum; et deinde in Concilio Florentino, sub Eugenio IV, ubi dicitur *, *Omnia sua peccata quorum memoriam habet, confiteatur,* ubi patet etiam peccatum cordis non excipi.

* Cap. XXI (cap. *Omnis utriusque sexus, de Poenit. et Remiss.*).

* Decret. *pro Armenis.*

VI. Ad primam autem obiectionem in oppositum * dicitur quod Ecclesia potest praecipere, et praecepit *, singulis annis confiteri omnia sua peccata mortalia, etiam si solum peccatum cordis occultissimum haberet: non quia ipsa habeat iudicare de occultis, sed quia ipsius est determinare praecepta Christi ad certum tempus. Hinc enim fit ut, praecipiente Christo confessionem cuiuscumque mortalis peccati post baptismum, sive peccatum sit solum in corde sive ad extra prodierit, Ecclesia, determinans tempus confessionis ad singulos annos, obligat ad confitendum singulis annis omnem qui pro tunc habet aliquod peccatum mortale, sive occultum sive non. Nam determinatio Ecclesiae non minuit aut restringit materiam confessionis praeceptae a Christo: sed tempus tantum confessionis determinat, relinquens materiam in suis limitibus.

* Num. I.

* Cit. cap. *Omnis utriusque sexus.*

VII. Ad secundam * vero dicitur quod responsio ibi data vera est. Et ad primam illius impugnationem dicitur quod concursus potestatis ordinis et potestatis iurisdictionis non tollit aliquid a potestate ordinis. Et ideo cum hoc quod potestas ordinis extendit se ad occulta cordium peccata, stat quod cum ea concurrat potestas iurisdictionis, quae secundum se ad huiusmodi occulta non se extendit. Et, si perspicacius fueris intuitus, videbis quod, quoad forum poenitentiale, potestas ordinis concurrit directe respiciens ipsa peccata; potestas autem iurisdictionis concurrit directe respiciens personam peccatoris, ut scilicet peccator sit subditus sacerdoti, ut habeat potestas ordinis in quem exerceat actum suum remissionis vel retentionis peccatorum.

* Num. II.

Ad secundam vero dicitur quod, quia omne iudicium homini commissum intelligitur de cognitis; et diversus est institutus a Deo modus cognoscendi in utroque iudicio: ideo ex huiusmodi instituta diversitate modi cognoscendi provenit diversitas ista, scilicet quod iudicium poenitentiale extendit se ad omnino occulta peccata, iudicium vero iurisdictionis purae extendit se ad externa tantum. Ideo non est miranda disparitas utriusque potestatis in homine. – Quod enim iudicium omne commissum homini a Christo intelligatur cum cognitione causae, probatione non eget: cum non sit delegatum purum ministerium, sed commissa sit auctoritas iudicandi remittendo vel retinendo, absolvendo vel ligando. – Quod etiam diversus modus cognoscendi sit utrobique a Christo institutus, patet. Nam modus cognoscendi in potestate iurisdictionis est cognitio per testes: ut patet Matth. XVIII *. Modus autem cognoscendi in iudicio potestatis ordinis est spontanea confessio secreta, etc.: ut universalis Ecclesia testatur. – Quod demum ex hac diversitate modi cognoscendi proveniat differentia dicta inter materiam et materiam, ex supra dictis clare patet. Quoniam ex hoc quod peccatum spontanea rei confessione accusandum est materia iudicii poenitentialis, conclusum est * sub hac materia comprehendi peccatum cordis quantumcumque occultissimum. Et per oppositum, quia solum peccatum testificabile est materia iudicii exterioris, ideo peccata in solo corde manentia exempta remanent a materia ecclesiasticae iurisdictionis.

* Vers. 16.
* Num. III.

Cum ergo obiicitur unumquodque recipi in alio per modum recipientis: admittatur. Et cum infertur, *Ergo iudicium secundum potestatem ordinis commissum homini modificatur secundum conditionem hominis:* conceditur, formaliter loquendo; quoniam nullum actum commisit Christus ministro sacramenti poenitentiae qui non exerceatur ab eodem secundum conditionem hominis; nam et audire peccata, et discernere inter ea, et interrogare circumstantias peccati et peccatoris, et retinere seu remittere, facit humano more, utendo divina potestate. Et ideo, cum ulterius infertur, *Ergo non se extendit ad occulta,* negatur illatio: quoniam aliunde provenit quod iudicium hoc se extendat ad occulta. Provenit enim ex modo accusandi quo reus tenetur se accusare, scilicet spontanea confessione, etc.: et hoc quia Christus sic instituit. Cognoscere autem et iudicare de occultissimis spontanea confessione accusatis, non excedit modum conditionis humanae utentis potestate divina.

Unde ad confirmationem ex simili ratione in potestate iurisdictionis, dupliciter dici potest, ut patet ex dictis *, quod non est similis ratio de utriusque potestatis iudicio. Primo, quia modus cognoscendi in utroque iudicio est ex divina institutione diversus. – Secundo, quia ipse Dominus expressit diversimode utriusque materiam: dum unius materiam dixit *peccata,* absque limitatione aliqua; alterius vero dixit *peccatum in alium,* limitando peccatum ad peccatum in alium.

* In hoc num., et num. III.

QUAESITUM TERTIUM

UTRUM OPORTEAT CONFITERI IN SPECIALI SINGULAS SPECIES ET NUMERUM CERTUM PECCATORUM

Circa materiam rursus confessionis, quaeritur tertio: Utrum oporteat confiteri in speciali singulas species et numerum certum peccatorum. Et est ratio dubii *, quoniam pars affirmativa communi auctoritate doctorum firmata videtur.

Et ratione comprobatur *. Tum quia circumstantia varians speciem peccati mortalis est necessario confitenda. Ergo a fortiori quaelibet species mortalis peccati est exprimenda. – Et similiter numerus peccatorum, cum non sit circumstantia peccati, sed multiplicatio eiusdem, necessario est exprimendus, prout memoriae occurrit: cum non magis teneatur poenitens accusare se de decimo quam de vicesimosecundo peccato, vel e converso.

Et confirmatur. Quia si non omnes species et omnia singularia oportet exprimere, consequens est quod aut nullas species nullaque singularia, aut quasdam species et quaedam singularia sic, et quasdam ac quaedam non, necesse est explicari. Et, cum non possit affirmari primum, oportet reddere rationem quare quaedam sic et quaedam non.

Tum quia poenitens tenetur explicare omnia quae oportet cognosci a confessore ad hoc ut possit suo arbitrio adaequare poenam culpae *: quoniam confitendo nihil aliud facit poenitens quam quod submittit se sacerdoti in persona Christi ad recompensandum secundum illius arbitrium. Sed confessor non posset arbitrari de aequalitate recompensationis nisi cognosceret diversitatem offensarum, quae in diversitate specifica consistit; et numerum peccatorum, quoniam recompensa adaequans centum offensas non adaequat mille, et sic de aliis. Ergo.

II. Pro parte autem negativa * videtur esse usus maioris forte partis confessorum ac poenitentium, non curantium de huiusmodi subtili discussione.

Et confirmatur ratione. Quia huiusmodi discussio est molesta, inutilis, atque melioris boni impeditiva. Et molestia quidem satis patet expertis. – Quod vero sit inutilis, ex eo patet quod tam cum huiusmodi discussione, quam sine ea, poenitentibus providetur eodem modo. – Quod autem sit impeditiva maioris boni, testatur experientia. Quoniam et confessores circa huiusmodi discussionem solliciti impediuntur a multorum confitentium audientia, dum forte totum tempus consumunt circa unum. Et poenitentes minus devote confitentur implicati huiusmodi discussionibus.

* Cf. num. IX.
* Cf. num. X.
* Cf. num. XI.
* Cf. num. VIII.

III. Ad huius quaestionis evidentiam, sciendum est duplex esse iudicium: quoddam est cuius actus est propter seipsum intentus; quoddam vero cuius actus est propter aliud. Ad primum iudicium, quia spectat facere iustum absolute, pertinet quoque cognoscere singula peccata, ut singula possit adaequare puniendo. Ad alterum vero iudicium, quia non tendit ad punitionem secundum se, sed in ordine ad alium finem, puta bonum commune; sicut sufficit punire prout expedit illi fini, ita sufficit cognoscere quantum opus est ad illum finem. Inter praesentis autem vitae tempus et futurae hoc interest, quantum ad iudicium, quod nullum praesentis vitae iudicium tendit ad punitionem secundum se, sed ut medicinalem: eo quod praesentis vitae tempus non est tempus punitionis, sed in quo poenae sunt medicinae, vel ipsius qui punitur vel aliorum. Iudicium autem futurae vitae est id quod ad punitionem secundum seipsam tendet: quoniam ad adaequandum poenam culpae ordinatur, non ad bonum puniti nec ad cautelam aliorum, sed ut reus patiatur quod meretur.

IV. Nec putet aliquis iudicium quod in foro poenitentiali exercetur, locari debere sub iudicio primo modo, propterea quia iudicium hoc est magis divinum quam humanum, et confessor in tantum personam Dei in actu illo tenet ut nesciat ipse quod scit ut Deus. Falsa est imaginatio ista. Tum quia iudicium poenitentiale ad praesentis vitae tempus spectat: ac per hoc, non est exemptum a communissima ratione iudicii praesentis vitae. – Tum quia Salvator noster hoc attestatur, dicens, Ioan. III *: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum: sed ut salvetur mundus per ipsum.* Hinc enim apparet quod Christus non venit in primo adventu ad iudicandum mundum per ministros suos, hoc est, ad iudicium secundum se exercendum: sed ad salvandum, hoc est, quantum ad poenitentiae sacramentum spectat, ad iudicium salutare

* Vers. 17.

per suos iudices exercendum. Idem est autem iudicium salutare, et iudicium medicinale. Et poenitentiale iudicium ad primum Domini adventum spectat procul dubio, ad quem spectat sacramentum poenitentiae. – Est igitur poenitentiale iudicium non iudicium absolute, sed iudicium salutare seu medicinale. Ac per hoc, non tendit ad punitionem secundum se, sed in ordine ad salutem, non aliorum, sed ipsius rei solius.

V. Et quia hoc proprie est officium confessoris, ideo hinc perspicere oportet quanta debet esse cognitio peccatorum. Oportet enim tantum manifestari peccata, quantum exigit huiusmodi salutare iudicium. Si enim ad hoc salutare iudicium exigitur manifestatio omnium et singularum specierum, et certi numeri singularium, consequens est quod oportet poenitentem haec explicare, iuxta possibilitatem suam. Si vero huiusmodi discussio non exigitur, consequens est quod non oporteat poenitentem haec explicare. Et si haec negativa admittitur, consequens est ut declaretur quae et quanta discussio exigitur ad hoc salutare iudicium.

Dicamus igitur quod iudicium huiusmodi claudit in se duo: scilicet esse iudicium, et esse salutare; ita quod secundum est finis primi. Et propterea ex secundo manifestandum est primum: tantum enim debet concurrere de eo quod est iudicii, quantum expedit, vel saltem opus est, ad hoc ut iudicium sit salutare poenitenti. Et quia salutare poenitenti iudicium a iudicio absolute differt, ut dictum est *, quantum ad punitionem, in hoc quod in iudicio absolute intenditur ad punitionem secundum se, in iudicio vero salutari intenditur punitio salutaris poenitenti; consequens est ut differentia quoque sit quoad cognitionem. Nam quia punitio secundum se consistit in adaequatione poenae ad culpam, oportet in iudicio absolute cognoscere exacte culpas omnes et singulas, ut aequari illis possit poena. Et quia punitio medicinalis consistit in commensuratione poenae ad poenitentem et illius salutem, sicut medicina consistit in commensuratione tam ad infirmum quam ad sanitatem acquirendam; et commensurata poena tam poenitenti quam ipsius saluti absque exacta cognitione omnium et singularium culparum recte iudicatur atque imponitur; ut patet, quantum ad peccatorum species, de superstitionis seu divinationis et similium speciebus: absque discussione harum commensurata tam poenitenti quam eius saluti punitio atque provisio fit. Quantum vero ad peccatorum numerum, ex eo quod medicinalis tam punitio quam provisio idem habet iudicium si certificatus fuerit numerus vicenarius, et si incertus relictus sit an duobus demptis vel adiunctis; et similiter si certificatus fuerit centenarius, an dubium inter nonagenarium et decem supra centum; et sic de aliis. Haec enim, et similia, manifestant quod salutare iudicium non exigit exactam omnium et singularum culparum cognitionem: sed ex sua formali ratione exigit omnes et singulas mortales culpas cognosci usque ad hoc quod notum fiat confessori quae, qualis, quanta, etc., poena commensurari debeat huic poenitenti recte disposito et illius saluti.

* Num. III, IV.

Dico autem, *recte disposito*: quia, licet aliquis poenitens sit minus devote dispositus, ac per hoc commensurata sic indisposito poenitentia erit forte oratio Dominica semel; manifestatio tamen peccatorum in iudicio salutari debet perducere confessorem ad cognoscendum quanta, qualis, etc., poena deberet sibi commensurari si esset recte dispositus; huiusmodi enim indispositio poenitentis, quia est per accidens, non variat id quod per se exigit salutaris iudicii ratio. – Notanter quoque dixi iudicium salutare *non requirere* cognitionem exactam omnium et singulorum peccatorum mortalium, et non dixi quod *requirit imperfectam eorum cognitionem:* quoniam nec exigit nec excludit plenam eorum cognitionem; sub formali namque ratione iudicii medicinalis potest materialiter quandoque contineri exacta notitia peccatorum.

VI. Et quoniam practica nimis est et valde communis notitia de confessione, idcirco, ad particularia descendendo, dicimus quod species peccatorum mortalium sunt in duplici differentia. Nam quaedam sunt quarum diversitas diversitatem iudicii salutaris inducit: aliter enim iudicandus est pro salute blasphemus, aliter adulter, aliter homicida, etc. Et tales sunt species peccatorum quae in communi habentur notitia: ut adulterium, fornicatio, furtum, rapina, contumelia, detractio, etc. Quaedam vero species sunt quae nullam videntur facere in salutari iudicio differentiam, ut sunt species divinationis: idem est enim iudicium poenitentiale si quis aqua vel terra abusus fuerit, et sic de aliis. Et huiusmodi videntur esse species gulae, et universaliter omnes latentes: quas forte vix doctores discernunt. Et propterea explicare primas peccatorum species in confessione oportet: secundas vero sufficit explicare in generibus subalternis, puta, *Peccavi in nigromantia,* et sic de aliis.

VII. Circa numerum vero peccatorum, sciendum est quod dupliciter accusandus occurrit: primo, secundum se; secundo, ut circumstantia peccatoris. Et secundum quod est circumstantia peccatoris, differentiam quodam modo inducit in iudicio salutari, et quodam modo non inducit. Nam aliter iudicandus est, et medendus, qui semel tantum aut bis offendit: et aliter qui centies offendit. Sed qui toties quoties potuit offendit, eodem modo iudicatur ac medetur si millies, et si centies millies offendit. Nec hoc eget probatione: quoniam experientia testatur.

Secundum se autem numerus peccatorum accusandus venit, non ut facit differentiam in iudicio absolute, sed ut facit differentiam in iudicio salutari. Et propterea, si nescitur, sufficit explicare illum crassa quadam aestimatione: nam salutaris iudicii ratio non variatur ex hoc. Verbi gratia, commisit quis furtum multoties, videtur sibi quod parum plus aut minus fuerit quam vigesies: non est opus sollicitari, *Forte fuerunt vigintiduo, forte undeviginti;* sed sat est ita confuse numerum explicare ut occurrit. Quocirca numerus peccatorum, tam ut circumstantia peccatoris quam secundum se, si certus non est (nam ad certum numerum occultandum nulla conducit ratio), vel explicandus est sub quodam verisimili numero; vel, cum consuetudo peccandi praecessit, explicato tempore, puta quod per decennium fuit in hac mala consuetudine, et frequentia delinquendi, puta quod quotidie aut fere, seu quovis alio modo multitudine maxima seu frequentia manifestata, aperiendus est.

Nec oportet in huiusmodi numeris poenitentem aut confessorem multum sollicitari: quoniam par est salutaris iudicii ratio; et quandoque utrique nocet sollicitudo circa hoc. Magis enim debet manifestari frequentia cum pronitate, quam indagari verisimilis certus numerus, puta ter centum, seu mille, etc. Unde, si meretrix audienda est ad poenitentiam conversa, facillime potest quoad haec expediri, narrando discursum vitae suae in annis meretriciis: nec oportet sollicitari quoties cum coniugatis, quoties cum clericis potuit peccare, sed ex discursu vitae suae discrete manifestato arbitretur et medeatur prudens confessor.

VIII. Haec sunt quae ex parte salutaris iudicii exprimenda videntur in confessione. Quibus si adiunxeris quod, ex parte poenitentis, tenetur reus ipse accusare se de omnibus, ut reconciliatio amicitiae fiat, dicendum est quod poenitens debet habere intentionem explicandi omnia mortalia; ac per hoc, sub quocumque modo dicendi debet intendere comprehendere omnia. Ita quod explicare species vel individua tali vel tali modo, non eligitur a poenitente aut confessore ad occultandum aliquid, sed ad faciliorem modum explicandi omnia.

Et sic dicendo evitatur error putantium quod sufficit explicare numerum in communi, puta dicendo quod *pluries furatus sum.* Hoc enim non sufficere manifeste patet ex eo quod aliter iudicandus est et medendus qui bis tantum, et qui centies furatus est. Et vitatur molestia ac sollicitudo reducendi incertum numerum ad certum. Media siquidem via incedendum est: ut salutaris iudicii ratio habeatur, quod medium est inter purum iudicium et caecum iudicium.

Et utraque pars quaesiti aliqualiter est vera; et auctoritati doctorum et usui confessorum ac poenitentium simul defertur *.

* Cf. num. II.

* Num. I.

IX. Ad obiectiones tamen primo allatas *, pro quanto contra conclusa militant, respondendum est. Et ad auctoritatem quidem doctorum dicitur quod intelligitur quando certus est numerus peccatorum: ex quo enim poenitens intendit omnia dicere, et certus est de numero peccatorum, nulla apparet ratio quare non debeat numerum illum explicare. De incerto autem numero in solis forte verbis ab aliquo doctore discordare credimus.

De speciebus vero, dicitur quod de communiter notis speciebus verificatur eorum dictum. Alioquin non relinqueretur in Ecclesia Dei millesimus quisque confessor non errans: cum huiusmodi latentes species rarissimis sint manifestae.

* Ibid., *Et ratione.*

X. Et per hoc patet solutio sequentis obiectionis et suae confirmationis *. Nam non dicimus quaedam singularia esse confitenda et quaedam non; nec dicimus quasdam species peccatorum esse manifestandas et quasdam occultandas; sed dicimus alio modo aperiri quasdam species, scilicet communiter notas, et alio modo aperiri quasdam alias species, scilicet quarum diversitas est latens, illas in speciali, istas in una earum seu aliquo huiusmodi. Et similiter dicimus omnia singularia confitenda, sed non eodem modo: nam certa in numero certo, incerta autem, non excessivae tamen multitudinis, in numero verisimili (etiam si aliqualiter crassa affuerit aestimatio) seu frequentia idem insinuante; incerta autem excessivae multitudinis sufficit in confuso significare, ut prudens confessor intelligat. Et ratio diversitatis est diversa habitudo ad salutare iudicium: hinc enim omnia pendent.

Et quia non omnes confessores sunt aequalis perspicacitatis ac prudentiae, ideo aliquis explicandi modus sufficit apud aliquem confessorem, perpendentem inde totum quantum sufficit ad iudicium salutare, qui alteri non sufficeret. Similis quoque accidit quandoque disparitas ex parte poenitentium: quibusdam scientibus ante confessoris oculos brevissime et clare omnia sua peccata, ut ipsimet sciunt, proponere; quibusdam autem involventibus aut laborantibus in singulorum explicatione.

* Num. I, *Tum quia poenitens.* * Num. III, IV.

XI. Ad rationem autem magis urgentem *, dicitur quod, ut iam * dictum est, adaequare poenam culpae contingit dupliciter: vel simpliciter, propter se; vel quodammodo, in ordine ad aliud. Et quod primo modo exigit exactam cognitionem cuiusque tam culpae quam poenae: quia in aequalitate poenae ad culpam consistit. Secundo autem modo non exigit exactam cognitionem culpae et poenae, quia non consistit in utriusque aequalitate: sed exigit cognitionem commensurationis poenae ad finem. Et quoniam primo modo non est actus iudicii praesentis vitae, ideo ad confessorem non spectat actus iste. Et, *cum potentia sit propter actum,* non est opus ut confessori sic exacte nota fiant peccata ut possit poenam culpae adaequare simpliciter et absolute. Sed quia ad confessorem spectat commensurare poenam poenitenti in ordine ad suam salutem, quoniam hic est actus iudicii salutaris sibi commissi; et huiusmodi commensuratio in quadam proportione media inter poenitentem et illius salutem consistit, sicut medicinam oportet esse proportionatam et sanitati recuperandae et infirmo, sunt enim medicinales poenae praesentis temporis: ideo et vera est doctorum sententia dicentium quod confessor debet posse adaequatam poenitentiam arbitrari, salvatur enim commensurationis adaequatio, licet non interveniat aequalitas inter culpam et poenam; et verum est quod peccatorum notitia non exacta sufficit ad adaequatam poenitentiam arbitrandam a confessore.

QUAESITUM QUARTUM

AN PECCATA SEMEL RITE CONFESSA, SUBSECUTA ABSOLUTIONE ET SATISFACTIONE, POSSINT ITERUM FRUCTUOSE CONFITERI, ETC.

Quaeritur quarto, adhuc circa materiam confessionis, an peccata semel rite confessa, subsecuta absolutione et satisfactione, possint iterum fructuose confiteri, etc.

* Cf. num. IV.

Videtur enim quod non. *Primo* *, quia nulla forma sacramenti est iterabilis super eadem numero materia. Peccata autem sunt materia in hoc sacramento. Ergo.

* Cf. num. V.

Secundo *, quia oportet salvari veritatem efficacem in formis sacramentorum. Quae in hoc casu non salvaretur: falsum namque diceret sacerdos dicendo, *Absolvo te a peccatis tuis,* etc.; quoniam non absolvitur nisi ligatus, hic autem praesupponitur absolutus.

* Cf. num. VI.

Tertio *, quia hoc sacramentum, cum ministretur per modum iudicii, exigit cognitionem vinculi. Quae in proposito non haberetur, si confitens denuo peccata alias confessa solummodo exprimeret: lateret enim confessorem istum esse alias ab his absolutum, ac per hoc lateret ipsum poenitentem hunc vinculis horum peccatorum adstringi vel non adstringi. Quod est inconveniens.

* Cf. num. VII.

Quarto * quia, si replicatio confessionis eorundem esset fructuosa, sequeretur quod aliquis eidem confessori replicando solummodo in communi confessionem, puta, *Dico meam culpam de his quae alias dixi,* etc., fructum sacramenti perciperet. Et sic in uno die centies replicando, centies fructum sacramenti perciperet. Quod est ponere sacramenta in ridiculum.

* Cf. num. VIII.

* IV *Sent.,* post dist. XIX, ad arg. 1m quaestionis motae in dist. XVIII.

Quinto *, quia iudicium semel latum sine errore a confessore Deus sic ratificat quod est irrevocabile. Ergo rationabile est, inquit Scotus *, quod etiam sic ratificet quod sit irreiterabile quoad fructum.

Et confirmatur ex his quae videmus in foro litigioso. Nam sententia definitiva absolutoria accusati innocentis non replicatur: nec, si replicaretur, absolveret, quia non est amplius obligatus, ut absolvi possit.

In oppositum videtur esse communis opinio.

II. Ad evidentiam huius, sciendum est contineri hic duo quaesita, scilicet: an iterare eorundem confessionem sit licitum; et an sit fructuosum. Et est sermo de confessione non mixta, quae scilicet continet quaedam peccata alias confessa et quaedam nunquam confessa, sed de confessione continente solummodo alias confessa. Et similiter est sermo de fructu ex parte sacramenti, seu clavium: et non de fructu ex parte poenitentis, scilicet erubescentia et ampliori satisfactione et huiusmodi. Nullus enim dubitat huiusmodi erubescentiam ac satisfactionem esse fructuosam. Et similiter nullus dubitat confessionem mixtam esse licitam et fructuosam: saltem ea ratione quia *utile per inutile adiunctum non vitiatur* *.

* *De Reg. Iur.,* reg. XXXVII, in Sexto.

III. De primo igitur quaesito, non memini legisse me aliquem tenentem esse illicitum iterare eorundem puram confessionem. Et quae circa hoc ingerere possent ambiguitatem, in primis argumentis * tanguntur, ex quorum solutione * manifestum erit licitum esse eadem peccata pluries confiteri pure.

* Num. I. * Num. IV sqq.

Et quia ratio quam in secundo quaesito adducemus, hoc idem concludit, ideo transeo ad secundum quaesitum. In quo invenio Scotum, in IV *Sent.,* dist. XVIII *, respondendo ad primum, tenere partem negativam esse probabiliorem: ita quod sentit iteratam confessionem non esse fructuosam ex parte clavium, hoc est, nec remittere culpam, quae iam dimissa supponitur, nec remittere partem aliquam poenae. Movetur autem ex argumento quinto loco allato, cum sua confirmatione.

* Cf. num. I, *Quinto.*

Sed revera non solum minus probabilis, sed falsa est eius opinio. Quod sic patet. Quicumque suscipit quodcumque Ecclesiae sacramentum rite ac digne, concurrentibus omnibus requisitis ad sacramentum, puta forma, materia, partibus omnibus, ministro idoneo, etc., non solum licite recipit sacramentum, sed etiam recipit fructum sa-

cramenti. Sed in casu proposito poenitens rite ac digne suscipit sacramentum, etc. Ergo est illi fructuosum sacramentum. Quod est intentum. – Maior est per se nota: positis enim omnibus tam ex parte agentis, quam ipsius sacramenti, quam suscipientis, non est intelligibile, regulariter loquendo, non esse fructuosum sacramentum. Et patet inductive in singulis sacramentis. – Minor autem facile patet discurrenti per singula requisita ad sacramentum poenitentiae, tam ex parte ministri, quam suscipientis, quam ipsius sacramenti.

Unde dicendum est quod fructus iteratae confessionis, praesupposito fructu primae, est augmentum gratiae, et remissio aliquantae poenae, si tota prius non est remissa. Similem enim fructum habet prima confessio, ad quam, heri contritus, hodie accessit: augmentavit enim gratiam, et remisit aliquantam partem temporalis poenae, si poenitens adhuc debitor illius erat.

* Num. I.
* Cf. num. II.

IV. Ad prima ergo argumenta *, quae contra primum militant quaesitum *, respondendo dicitur quod, materia sacramenti poenitentiae existente duplici, scilicet remota et propinqua, nam remota est peccatum, propinqua vero est ipse actus poenitentis, scilicet confessio; non inconvenit super eadem materia remota, diversa tamen existente materia propinqua, iterari formam sacramenti. Et propterea, quia confessio non est eadem, licet sit eorundem peccatorum, potest licite replicari forma: immo, recte loquendo, sicut materia propinqua est alia numero et non est replicatio eiusdem, ita forma est alia numero et non est replicatio eiusdem.

V. Ad secundum dicitur quod hoc argumentum patitur difficultatem communem huic quaesito et alteri quaesito: quid scilicet solvit quando totaliter contritus, et solutus a culpa et poena, accedit prima confessione ad sacramentum poenitentiae. Eadem est enim utrobique difficultas. Et eadem responsione satisfit utrique: dicendo quod, quia sacramentum est exterius sensibile signum, secundum ea quae exterius geruntur ab Ecclesia iudicatur et ministratur. Ac per hoc, quia poenitens proponit peccata sua ut expiabilia, ac ut ea quibus seipsum alligavit, ideo Ecclesiae minister absolvit, idest, *sacramentum absolutionis impendit* * licite profitenti alligationem. Et quia in sacramento efficitur intus quod significatur extra, ideo intus communiter fit absolutio peccati, saltem quoad aliquam partem poenae.

* Cf. III Part. qu. LXXXIV, art. 3, ad 5.

Et licet hoc sufficere videatur, quia ad id quod communiter invenitur leges respiciunt *: subiungendum tamen est stringentibus casum ad immunes etiam a poena, quod ipsa gratia augmentata, quae per sacramentalem absolutionem confertur, habet rationem magis absolutorii. Quia enim sacramentum poenitentiae ex propria ratione habet quod sit medicinale et curativum infirmitatis peccati actualis; et peccati actualis infirmitas consistit non solum in culpa et vocata poena, sive aeterna sive temporali, sed in multis aliis malis, ut clare patet in augmento vulnerum originalium: ideo absolutio sacramentalis non solum extendit se ad culpam et poenam, sed ad alia ex peccato actuali incursa mala. Ita quod gratia per sacramentalem absolutionem significata et collata, quatenus est sacramentalis huius sacramenti, eo ipso quod extenditur ad amplius sanandum a morbo peccati actualis, habet rationem magis absolutorii a peccato: sicut gratia baptismalis, si baptizaretur quis plene prius consecutus baptismalem gratiam ex baptismo flaminis, esset magis ablutiva a peccato, dum a peccati reliquiis magis mundaret. Cuilibet siquidem Christiano, sicut convenit orare, *Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea* *, ita convenit orare, *Amplius sana, Domine,* et, *Amplius absolve, Domine,* etc.

* Cf. loc. cit. supra, *Qq. de Contrit.*, quaesito IV, num. VII.

* Psalm. L, vers. 4.

Nec putes novam me introducere de effectu sacramenti poenitentiae doctrinam. Vide superius divum Thomam, in art. I, qu. LXV, dicentem: *Extrema unctio ordinatur contra reliquias peccatorum, quae scilicet non sunt sufficienter per poenitentiam sublatae, aut ex negligentia aut ex ignorantia.* Et percipe ex his sacramentum poenitentiae ad tollendas etiam reliquias peccatorum se extendere, si ignorantia aut negligentia ex parte nostra non impediat sufficientem illarum ablationem.

VI. Ad tertium dicitur quod, quia confessio fit de actibus peccatorum, et non de esse sub peccato, debemus enim confiteri quod fecimus tale et tale peccatum, an autem adhuc detineamur illius peccati vinculo, vel sub peccato non simus, sub confessione non cadit: ideo satis est confessori cognoscere poenitentem confitentem se perpetrasse tale peccatum, et paratum ad poenitentiam, etc.; sufficit enim quod subiiciat se iudicio, accusando seipsum, etc.

Et confirmatur. Quia poenitentiam egisse de talibus peccatis pertinet ad circumstantias alleviantes sententiam iudicis. Quas constat non esse opus confiteri.

VII. Ad quartum dicitur quod, quia praecipuus sacramenti effectus est gratia prima vel eius augmentum, ideo frequentia sacramenti illis solis convenit qui seipsos paratos reddunt ad gratiae augmentum. Et propterea non sequitur quod fructus sacramentorum exponat ea ridiculo. Non sunt enim frequentanda, quantumcunque fructuosa sint, nisi a dispositis ad praecipuum eorum effectum: communiter autem huiusmodi dispositio non tam frequenter invenitur in hominibus ut toties expediat confiteri.

VIII. Ad quintum dicitur quod sequela nihil valet. Quoniam irrevocabilitas sententiae pertinet ad firmitatem iudicis et iudicii: infructuositas autem, supposita iterabilitate, prae se fert aut infirmitatem aut minorem largitatem iudicis vel iudicii; iudicis quidem, si non vult aut non potest virtutem dare similem iterato iudicio; iudicii autem, si iudicium ipsum secundum se non est virtuosum, quale est humanum iudicium in foro litigioso. – Et per hoc patet responsio ad confirmationem.

Notanter autem dixi, *supposita iterabilitate.* Quoniam ex hoc ipso quod Deus iterabile instituit sacramentum poenitentiae super eisdem peccatis, consequens est ut fructuosum replicet. Secus autem est in non iterabilibus sacramentis: huiusmodi enim, eo ipso quod sunt non iterabilia, vana sunt si iterantur.

QUAESITUM QUINTUM

AN CONFESSIO INFORMIS SIT ITERANDA

Circa qualitatem confessionis, quaeritur: An confessio informis sit iteranda.

* Cf. num. V.

Videtur enim quod sic *. *Primo,* quia instrumentum oportet moveri a principali agente: alioquin instrumenti ratio non salvatur. Ergo iudicium poenitentiale oportet a ministro exerceri prout movetur a Deo. Sed, confessione existente informi, non exercetur iudicium poenitentiale secundum motionem divinam. Ergo oportet denuo confiteri, ut exerceatur poenitentiale iudicium ut instrumentum motum a Deo principaliter absolvente.

Secundo *. Confessione existente informi, deest una pars sacramenti, quae est contritio. Ergo sacramentum non valet, sed est iterandum: ut patet in aliis sacramentis quando deficit aliqua pars.

* Cf. num. VI.

Tertio * quia, confessione existente informi, necesse est peccatum aliquod mortale subtrahi a materia absolutionis. Ac per hoc, necesse est confessionem non esse integram: et consequenter esse reiterandam. – Assumptum probatur. Tum quia communiter confessio informis accidit propter aliquid non explicatum in confessione. – Tum quia pec-

* Cf. num. VII.

catum illud quod dum absolutio fit a poenitente committitur irreverenter suscipiendo sacramentum, non est materia absolutionis: quoniam non potest simul poenitens peccare et absolvi ab illo peccato.

* Cf. num. VIII.

Quarto *, quia fructus sacramenti poenitentiae est remissio peccati ex coniunctione passionis Christi per sacramentum ad poenitentem. Sed, confessione existente informi, non fit huiusmodi coniunctio, nec habetur hic fructus. Ergo vanum fuit huiusmodi sacramentum: et consequenter iterandum est.

In oppositum est auctoritas divi Thomae, in IV *Sent.*, dist. XVII *.

* Qu. III, art. 4, qu^a 1.

II. Circa hanc difficultatem, quae propter diversas opiniones *adhuc sub iudice* videtur esse, sciendum est quod vitandi sunt duo extremi errores. Alter est quod omnis confessio informis est valida, ita ut non sit iteranda. Clare siquidem patet confessionem illius qui propter verecundiam peccatum aliquod mortale tacuit, esse informem et reiterandam. – Alter est quod nulla confessio informis est valida ita quod non sit iteranda. Nam clare constat nescire nos an aliqua nostra confessio fuerit formata, quia nescimus nos esse in gratia; et, cum hoc dubio, non curare nos amplius de memoria peccatorum ut denuo confitendorum; cum tamen oporteret nos esse sollicitos ad pluries confitendum, ut quandoque fieret confessio formata. Et sic nunquam finis imponendus esset confessioni, ut tutior pars eligeretur. Quod constat universalis Ecclesiae aures offendere.

Ex utroque autem errore perspiciendum est quod non ad ipsam informitatem, sed ad informitatis causam resolvere oportet validitatem vel non validitatem informis confessionis: ex eo enim quod aliqua informis confessio est valida, et aliqua non est valida, non ex ipsa informitate, sed aliunde, puta ipsius informitatis causa, provenire debet quod aliqua sit valida et aliqua non. Et quoniam causa haec se tenet ex parte poenitentis, cuius duo sunt actus usque ad absolutionem, scilicet contritio et confessio, ideo hinc scrutandum est quid veri appareat.

Ex parte igitur confessionis, certum est confessionem ex proposito non integram propter verecundiam aut aliquid huiusmodi, esse invalidam ac reiterandam. Et in hoc nulla est quaestio. – Ex defectu autem contritionis tota oritur difficultas.

III. Quae ut clarius elucescat, distinguendus est contritionis defectus: habet enim multos gradus. Minimus autem contritionis defectus est ipsa absentia caritatis. Qui enim sunt ita attriti quod dolent de peccatis omnibus ut de summo odibili, et proponunt vitare mortale peccatum ut summum vitabile, si confessionem subeunt informem, non tenentur iterare confessionem, sed est eorum confessio valida. Nec alia hoc eget probatione quam superius * adducta ex universalis Ecclesiae testimonio: omnes enim sapientes et timorati viri sic dispositis mandant imponendum esse confessioni finem.

* Num. praeced.

In inferiori autem gradu contritionis sunt sic attriti ut doleant quidem de omnibus peccatis, non tamen ascendunt usque ad hoc ut doleant de eis tanquam summo odibili: et similiter proponunt cavere de futuro, non tamen tanquam a summo vitabili. Et hoc bifariam contingit. Primo, sine discussione talis defectus: quia scilicet non discutit poenitens dolorem suum de commisso mortali, an sit tanquam de summo vitabili, et similiter propositum suum vitandi mortale, an intendat vitare tanquam summum vitabile; sed occurrit tantum eis dolere de peccato et cavere de futuro, sicut si offendissent unum hominem et dolerent de offensa praeterita et intenderent amplius illum non offendere, in eorum tamen animo non ita dominatur affectus tam vitandi offensam in futuro quam detestandi commissam in praeterito, ut pro summis malis haec habeant. De horum numero utinam non maxima pars Christianorum poenitentium sit! Quos non, sicut primos, puto virtute clavium de attritis regulariter fieri contritos: sed in sua attritione absolvi et communicare. Cuius signum est quod caritas, sicut positive praefert Deum omni amabili, ita facit apud habentem ipsam offensam Dei odibiliorem omni odibili, et magis vitandam omni alio vitabili: *operatur enim haec magna amor Dei si est* *, et si haec non operatur, non est caritas Dei. De istorum confessione intelligo doctrinam divi Thomae * quod confessio informis per defectum contritionis est valida, ita ut non sit iteranda. Et erit eis fructuosa quando *ascendent ad cor altum* *, ut habeant peccatum pro summo odibili et summo vitabili, et confitebuntur fictionem suam hanc, qua ut contriti sacramentum susceperunt, cum in veritate contriti non essent. Quare autem huiusmodi confessio sit valida, inferius * declarabitur.

* Greg. M. Homil. lib. II, hom. XXX.

* Cf. num. I, fin.

* Ps. LXIII, vers. 7.

* Num. IV.

Si vero huiusmodi attriti animadverterint se non esse contritos, simile est de eorum confessione iudicium et de confessione illorum qui sunt in tertio gradu, de quibus modo subiungimus quod in infimo loco attritorum sunt: qui ambas contritionis partes aut parum attingunt, aut saltem altera carent. Ad contritionem enim cum duo spectent, dolor de peccato et propositum cavendi de cetero, infimi procul dubio sunt qui de praeteritis quidem aliqualiter dolent, et de futuro velleitatem habent cavendi. Inter quos est etiam latitudo: non solum secundum gradus doloris et velleitatis; sed etiam secundum differentiam percipientis vel non percipientis statum proprium; et similiter secundum differentiam explicantis vel non explicantis in confessione plene seipsum. Nam qui huiusmodi statum suum non percipit, ac per hoc, non explicat confitendo, integre quidem confitetur quantum est ex intentione; qui autem percipit et confitetur, etiam integre ex intentione confitetur; qui vero percipit et non confitetur, quia non occurrit sibi hoc quasi peccatum confitendum, adhuc integre ex intentione confitetur; secus autem si nollet hoc confiteri, tunc enim ex proposito dimidiaretur confessio. Et similes distinctiones fieri possunt de attritis in secundo gradu positis. Quocirca de omnibus dicitur quod, cum ex proposito tacetur peccatum sacrilegii ex tali statu poenitentis consurgens, confessio non est valida, sed iteranda: deest siquidem confessioni non sola contritio, sed integritas ex proposito. Quando vero confessio ex proposito est integra, omnium confessio videtur valida, ita quod non est necessario iteranda. – Quamvis differentia inter eos sit quoad vitandum sacrilegii peccatum. Quoniam percipientes statum suum malum, et confitentes eundem, putantesque se non sacrilegio sed bono operam dare, rogando confessorem ut eos absolvat, excusantur, si bona fide cum sacerdote docto id tractent, a sacrilegii peccato. Nec obstat si dicatur quod ista est ignorantia iuris divini: quoniam in huiusmodi quae sunt iuris divini positivi, excusantur indocti quando a doctoribus iudicibus sic erudiuntur; statuit enim Deus leges suas *ad infimos per medios* * pervenire; unde et Apostolus mulierem a viro suo interrogare iubet *, si quid voluerit scire. Illos autem qui non explicant confitendo huiusmodi malum statum suum, nescio excusare a novo sacrilegii peccato. Deberent enim saltem sacerdotis arbitrio iudicandos offerre seipsos in his quae communiter poenitentes nosse et confiteri consueverunt: communissimum autem est poenitentibus omnibus confiteri voluntatem suam de non cavendo de cetero; hoc enim etiam mulierculae et sciunt et servant.

* Cf. Dionysium. *Cael. Hier.* cap. IV.

* I *ad Cor.*, cap. XIV, vers. 35.

IV. Communis autem ratio quare attritorum omnium integra quidem sed informis confessio est valida, ita quod non est iteranda, assignatur a divo Thoma *, quia sacramentum poenitentiae verum invenitur et fructuosum, non tunc, sed quando aderit contritio. Et quidem quod verum inveniatur sacramentum, non solum secundum illorum opinionem qui negant contritionem esse partem sacramenti poenitentiae, apparet, quia nihil deest huic sacramento nisi contritio: sed etiam tenendo contritionem esse partem sacramenti poenitentiae manifestatur, ex eo quod contritio, non secundum se, sed relata ad confessionem, hoc est ut est spontanea voluntas recompensandi ad arbitrium sacerdotis, pars sacramenti est posita superius * a divo Thoma. Haec autem in proposita confessione invenitur, dum quilibet sponte eligit submittere se iudicandum sacerdoti, etc. Quia concurrunt igitur ad sacramentum huiusmodi omnes partes eius, quae se tenent loco materiae, et forma et

* Cf. num. I, fin.

* Part. III, qu. XC, art. 2.

minister debitus, consequens est ut sit verum ecclesiasticum sacramentum. Quod autem, existente vero sacramento, informitas non pariat reiterationem, sed fructum futuro tempore, a divo Thoma probatur quia sic est in aliis sacramentis. Et vere sic est de baptismo, confirmatione, ordine, etc. Nec obstat dicere quod hoc verificatur in istis sacramentis quia non sunt iterabilia, aut quia imprimunt characterem: utrumque enim per accidens se habet ad fructum pro futuro tempore. Ex quo inferri potest quod non oportet iterari, etiam si esset iterabile: ex eo namque quod sacramentum est propter fructum eius; et fructus eius potest in futurum haberi sine ipsius iteratione; optime sequitur quod non oportet sacramentum ipsum iterari. Amplius, extrema unctio est sacramentum iterabile: et tamen, si incontritus suscipit quis extremam unctionem et post horam conteratur, non reiterabitur extrema unctio, nec carebit infirmus moriens illius fructu; quoniam, si careret illius fructu, petenti infirmo iterari extremam unctionem ob suam incontritionem, Ecclesia non negaret; quam tamen negat, dum super eundem morbum, etc., ordinat non repetendam. Ex hoc ergo quod informiter suscipiens sacramenta, sive iterabilia sive non, ex ipsa informitate, licet perdat fructum pro tunc, immo quandoque addat novum peccatum mortale pro tunc, non tamen perdit fructum sacramenti pro quando erit contritus, habetur quod non oportet iterari sacramentum. Nec oportet aliam huius rationem quaerere quam ipsam sacramenti vim ritumque Ecclesiae. Augustinus enim primus hoc docuisse videtur de baptismi fructu *; divus Thomas ad alia sacramenta hoc extendit; et Ecclesiae ritus hoc videtur semper servasse, fructu quoque extremae unctionis attestante. Et propterea concludendum videtur hoc loco *non plus sapere quam oportet* *.

* *De Baptismo cont. Donatist.* lib. I, cap. XII.

* *Ad Rom.* cap. XII, vers. 3.

V. Ad primum in oppositum * dicitur quod, sacerdote praesumente absolvere impoenitentem, sacramentale iudicium exercetur ut Dei instrumentum quodammodo non, et quodammodo sic. Nam quoad modum exercendi non procedit a Deo: quoniam sacrilege exercetur. Quoad substantiam vero sacramenti a Deo procedit simpliciter et absolute. Et quia sacramentum secundum se est fructuosum, ideo a Deo procedit ut sacramentum fructuosum sortiturum effectum quando suscipiens est dispositus. Et licet tempus dispositionis ex parte recipientis arctetur ad tunc, tamen ex divina largitate extensum intelligimus ad tunc vel postea, quando erit dispositus, ut in baptismo contingit. Ideo non oportet sacramentum repetere ut Deo actore exerceatur.

* Num. I.

VI. Ad secundum dicitur quod in contritione duo sunt: scilicet velle recompensare, et caritas informans illud velle. Et respectu quidem sacramenti poenitentiae absolute, sufficit contritio quoad primum: respectu autem eiusdem fructuosi in ipsius praesentia, concurrit contritio etiam quoad secundum. Et hoc solum deest in proposito. Unde nulla pars sacramenti, ut necessaria est ad sacramentum, deficit: quamvis deficiat ut necessaria ad sacramenti effectum nunc.

VII. Ad tertium dicitur quod, quia actus morales ex per se obiecto iudicantur, ille solus dimidiat confessionem qui ex intentione integritatem violat. Et propterea, cum in proposito supponatur confessionem esse ex intentione integram, licet materialiter non sit integra, non sequitur confessionem esse iterandam.

Adverte tamen hic quod, sicut in aliis vitiis tam enormiter contingit errare materialiter ut actus redeat ad naturam formalem sui generis, ut patet in detractione, contumelia et huiusmodi (contingit enim tam graviter, absque intentione detrahendi, detrahere famae proximi ut ipsa magna laesio incursa, minus aestimata, detrahendi actum in detractionis naturam reducat): ita potest contingere quod ex nulla aut tam crassa et supina conscientiae discussione aliquorum peccatorum mortalium confessio omittitur, ut materialis violatio integritatis in formalem reducatur, tanquam dimidiationis incursus ille qui pro nihilo aestimatus est, intentus fuerit. Unde tales ad reiterandum confessionem inducendi sunt. In quorum numero videntur esse illi qui cum sola velleitate abstinendi a peccato confitentur et absolvuntur, tacentes huiusmodi peccatum et impedimentum, quod etiam mulierculae noverunt et consueverunt explicare.

VIII. Ad quartum dicitur proportionaliter sicut ad primum, quod, licet sacrilege, sacramentum tamen coniunctionis fructuosae secundum se passionis Christi ad poenitentem exercetur, cuius fructus, etsi non tunc, quando tamen erit dispositus poenitens, percipietur. Unde non fuit sacramentum vanum, quod Deus adeo acceptat ut, non exacta repetitione, sacramentalem gratiam conferat quam primum poenitens fuerit dispositus, quam per sacramentum praesens erat daturus si tunc poenitens fuisset dispositus.



QUAESTIONES DE SATISFACTIONE

QUAESITUM PRIMUM

AN SATISFACTIO POENITENTIALIS POSSIT ESSE DE ALIAS DEBITO

Circa satisfactionem poenitentialem quaeritur primo: An possit esse de alias debito.

Et videtur quod non *. *Primo,* ex ipsa ratione satisfactionis. Nam satisfacere est facere aequale debito. Non fieret autem aequalitas si alias id quod fit esset debitum: minus enim fieret quam deberetur. – Et confirmatur hoc ex simili in reliquis satisfactionibus.

* Cf. num. III.

Secundo *, quia ritus Ecclesiae hoc habet ut poenitentias iniungat non de ieiuniis et orationibus quae sunt in praecepto.

* Cf. num. IV.

Tertio *, quia secundum Anselmum, in libro *Cur Deus homo* *, per illa fit satisfactio quae non possent ab homine exigi nisi peccasset. Sed praecepta possent ab homine exigi etiam si non peccasset. Ergo de praeceptis non potest fieri satisfactio poenitentialis.

* Cf. num. V.

* Lib. I, cap. XI.

In oppositum est quod in casu quo martyrium est in praecepto, satisfactio per illud fit. Non derogat ergo satisfactioni poenitentiali esse alias debitum.

II. Ad huius evidentiam, sciendum est plures tenuisse doctores partem negativam quaestionis, propter argumenta inducta. Et quoniam pars affirmativa mihi videtur vera, ideo eius veritas monstranda est: assumendo pro fundamento quod unum et idem opus, a diversis directum seu assumptum principiis, multiplicis est efficaciae in his quae sunt iustitiae mixtae, qualis est inter hominem et Deum; sub qua constat comprehendi satisfactionem poenitentialem, quoniam nulla nostra satisfactio est sufficiens secundum aequivalentiam exactam a pura iustitia, sed secundum divinam acceptationem.

Probatur ergo primo intentum sic. Eadem poena, si a minori caritate procedit, est minus satisfactoria; et a maiori caritate procedens est magis satisfactoria. Ergo poena alias debita, si procedat a maiore caritate vel a virtute clavium, erit plus satisfactoria quam ipsa secundum sê, ut erat alias debita. Ergo poena alias debita potest assumi in satisfactionem poenitentialem. – Assumptum est notum et approbatum de excellentia satisfactionis in passione Christi propter excellentissimam illius caritatem, a qua procedebat. – Consequentia autem est per se evidens: et tanto evidentior quanto in satisfactione poenitentiali plus pensatur quantitas ex divina acceptatione quam secundum substantiam operis seu poenae, quam pura iustitia consideraret.

Praeterea, unum et idem opus, cum hoc quod est alias debitum Deo, est meritorium de condigno aeternae vitae. Ergo potest esse etiam satisfactorium poenae pro peccatis debitae. – Assumptum patet: quia honorando parentes, quod est opus praeceptum, mereor, si ex caritate illos honoro, vitam aeternam de condigno. – Consequentia probatur, ex eo quod ratio alias debiti non minus officit ad constituendum ius futurae mercedis quam ad constituendum ius recompensandi peccatum debitum: opus siquidem alias debitum, si potest, cum hoc, efficere ut, exigente iustitia, merces sibi debeatur tam excellens qualis est aeterna felicitas, multo magis sufficiens est ut constituat ius soluti pretii debiti tam minimi quale est temporalis poena.

Et confirmatur. Quia, tribus existentibus virtutibus, scilicet caritate, gratitudine et poenitentia; et actus alias debitus potest ex caritate efficaciam meritoriam, ex gratitudine efficaciam gratiarum actionis sortiri; cur non assumptus a poenitentia vim satisfactoriam sortietur? Nunquid divina acceptatio, tam larga in merito et gratitudine, manca est in satisfactione? An forte plus iustitiae locum habet in amico circa solutionem poenae quam circa gratiarum actionem aut meritum?

Praeterea, ad particularia descendendo, et discurrendo per consilia quando sunt in praecepto, idem apparet. In casu enim quo tenetur quis eleemosynam facere, cur non potest poenitens ordinare illam pro satisfactione poenitentiali? Et similiter in casu quo praebere alteram maxillam, vel angariari, vel esurire aut sitire, penuriam pati, aut huiusmodi aliquid, esset in praecepto, quis sapiens prohibeat poenitentem offerre haec Deo in satisfactionem, aut neget solvi per haec poenam debitam pro peccatis? An forte huiusmodi opera debita ex praecepto possunt ab ipso quidem poenitenti assumi in satisfactionem poenitentialem, sed per confessoris ministerium non possunt haec in poenitentiam dari? Hoc enim Ecclesiae clavibus est derogare, maioremque virtutem humanae intentioni quam Christi clavibus tribuere: tanquam humana intentio quaedam possit pro satisfactione assumere ad quae claves non se extendunt. Quod a fidelium aestimatione longe sit. In cuius signum, laudabilis multorum confessorum consuetudo antiqua, absolvendo poenitentem, dicit: *Quidquid boni feceris et facere intendis, et mala quae sustines et sustinebis, sint tibi in remissionem peccatorum,* etc. Et non dicit: *Quidquid supererogationis boni feceris aut mali sustinebis.*

III. Ad primum ergo in oppositum * dicitur quod aliud est loqui de satisfactione infra limites purae iustitiae: et aliud est loqui de satisfactione sapiente magis naturam amicitiae quam iustitiae. Argumentum enim procedit de satisfactione infra limites iustitiae conclusa: de qua non est hic sermo. Unde et poenitentia posita est a divo Thoma * differens a iustitia vindicativa, quia illa ius attendit, haec autem voluntatem offensi et offendentis, quod amicitiae magis est quam iustitiae.

* Num. I.

* Part. III, qu. LXXXV, art. 3, ad 3; qu. XC, art. 2.

IV. Ad secundum dicitur quod, quia ecclesiasticus minister homo est, qui non intuetur cor *, quem latet poenitentis caritas; ideo provide ad tutiorem partem iudicium suum declinat, et, id quod est amicitiae praeteriens, ad id quod est iustitiae se convertit. Et quoniam ex parte iustitiae satisfactio habet quod sit de non alias debito, ideo confessores non imponunt ieiunia alias debita, sed opera ad quae alias poenitens non tenetur. Cum quo stat quod, si opera ad quae alias poenitens tenetur, imponeret in satisfactionem peccatorum, prodesset, saltem virtute clavium, poenitenti satisfactio huiusmodi ex caritate adimpleta.

* I *Reg.* cap. XVI, vers. 7.

V. Ad tertium dicitur quod auctoritas non videtur adduci ad propositum. Quoniam ex illa nihil aliud habetur nisi quod satisfactio fit per poenalia: haec enim sunt quae, si homo non peccasset, ab eo non exigerentur. De hoc enim nulla est quaestio: sed an huiusmodi poenalia sint satisfactoria si sint alias debita. De quo nihil dicit auctoritas allata.

Veruntamen scito quod opus hoc quod est honorare parentes, quod, etiam si homo non peccasset, praeceptum fuisset, si in praesenti statu exercendum cum poenalitate aliqua occurrat, illud unum opus, praeceptum quantum est pietatis, esset meritorium ut est a caritate; et gratiarum actio Deo ut est a superexcellenti gratitudine quae vocatur religio; et esset satisfactorium quatenus esset a poenitentia. Et simile est in aliis. Unde habes quod etiam per ea quae, si homo non peccasset, essent exacta, alio tamen modo, post peccatum exercita satisfactio fit.

QUAESITUM SECUNDUM

AN PRO CONTRITO ET CONFESSO PECCATO IMPOSITA SATISFACTIO, SI EXSOLVATUR IN PECCATO MORTALI, SIT ITERANDA

Secundo circa satisfactionem poenitentialem quaeritur: An pro contrito et confesso peccato imposita satisfactio, si exsolvatur in peccato mortali, sit iteranda.

* Cf. num. v.

Videtur enim quod non *. *Primo,* ex ipsa ratione iustitiae. Ex quo enim secundum plenam iustitiam punitivam semel imposita est poena temporalis pro peccato de quo vere poenituit, nunquam pro illo debebitur nisi poena temporalis; et, illa soluta, nulla.

Et confirmatur hoc in actibus humanis. Si enim alicui culpae praecise correspondeat secundum legem abscissio manus, non debet secundum iustitiam, manu abscissa, exigi maior punitio. Ergo, a simili, si quis remanet debitor praecise temporalis poenae, puta quatuor dierum, non debet secundum divinam iustitiam, illa soluta, plus exigi.

* Cf. num. vi.

Praeterea *, si huiusmodi satisfactio extra caritatem dicatur non sufficere, sententia nimis dura, et occasio peccandi videtur. Quoniam poenitens, cum hoc audierit, post lapsum in peccatum mortale non prosequetur executionem poenitentiae, utpote inutiliter. Et sic incidet in novum peccatum mortale, transgrediendo praeceptum Ecclesiae et vicarii Dei in illo actu. Et hinc formatur, inquit Scotus *, talis ratio: Si post lapsum non exequatur quis satisfactionem pristinam sibi impositam, peccat mortaliter. Ergo, si exequatur, bene facit: quia actum obedientiae facit. Sed non facit actum obedientiae nisi inquantum illud est sibi impositum tanquam pars satisfactionis. Ergo, etc.

* IV *Sent.*, dist. xv, qu. I, de 2° principali, *De quarto dicitur.*

* Cf. num. vii.

Praeterea *, sequitur aliud inconveniens: scilicet quod huiusmodi peccator, si damnaretur, aeternaliter puniretur pro peccatis semel dimissis. Ac per hoc, dimissa peccata redirent simpliciter: quia redirent quoad poenam aeternam. – Et ulterius sequitur quod ita aeternaliter punitur quis pro peccatis dimissis sicut pro non dimissis.

In oppositum est quod satisfactio mortua non est satisfactio: sicut nec homo mortuus est homo.

II. Haec quaestio *sub iudice* ab omnibus communiter videtur derelicta: cum ipse Scotus, qui partem negativam tenet, cuius sunt argumenta inducta, non audeat eam asserere, sed dicat se *absque praeiudicio* loqui, in I qu. dist. xv Quarti *Sent.* *; et divus Thomas varia videatur sentire *; Durandus solvat ad utramque partem **, etc. Quocirca, ut radicales rationes examinentur, et rationabilior pars eligatur, hanc movimus.

* Loc. cit.

* IV *Sent.*, dist. xv, qu. I, art. 3, qu[a] 2; dist. xxii, qu. I, art. 1, ad 5.
** IV *Sent.*, dist. xv, qu. 2.

* Aristot. *de Anima*, lib. I, cap. v, n. 16. – S. Th. lect. xii.

Et quoniam *rectum est iudex sui et obliqui* *, hinc incipiendum reor, quod, secundum omnes, nulla nostra poenitentialis satisfactio apud Deum est sufficiens sine caritate: quia nulla est sufficiens secundum aequivalentiam simpliciter, sed quaecumque est sufficiens, ex divina acceptatione est sufficiens; acceptabilem autem caritas reddit. Ex hoc communi principio oportet doctrinam procedere per se, absque diversione ad ea quae sunt per accidens aut extranea: alioquin doctrina magis erit voluntarium dogma quam vera doctrina. Ex hoc autem principio manifeste deducitur nullam satisfactionem sufficere nisi caritas reddat eam acceptabilem. Nec oportet in hac deductione laborare, sed tantummodo subsumere: *Sed haec satisfactio, Ergo.*

Unde, cum reliqua ista de qua quaeritur satisfactio, sit vere satisfactio pro peccati poena, et nullam habeat conditionem diminuentem rationem satisfactionis; mirum, ut non dicam voluntarium, videtur eximere huiusmodi satisfactionem a communi regula satisfaciendi. Aut enim oportet negare illud universale ac commune principium: aut, illo concesso, oportet universaliter dicere nullam satisfactionem poenitentialem sufficere nisi secundum acceptationem, quae extra caritatem non invenitur.

Et confirmatur ex casu simili, ponendo hominem post contritionem suorum peccatorum et aliquot dies poenitentiae, citra tamen confessionem, relapsum, et nihilominus prosequi actus poenitentiales pro peccatis pristinis. Hoc enim stante, quaeratur an huiusmodi actus poenitentiales post relapsum sint satisfactorii an non. Si dicitur quod sunt satisfactorii, sequitur quod non oportet recurrere ad determinationem poenae factam per punitivam iustitiam clave non errante, etc., cum in hoc casu huiusmodi determinatio per claves non intervenerit: et ultra hoc, videtur negari communis doctorum sententia. Si vero non sunt satisfactorii, cum sola temporalis poena pro pristinis peccatis in utroque casu remanserit solvenda, nulla est ratio quare solutio unius extra caritatem valeat, et alterius non. Si enim iniustum est plus exigere in primo casu, iniustum quoque est plus exigere in secundo: quoniam secundum divinam iustitiam utrobique debitum solius poenae temporalis remanet. Et si illa solvitur extra caritatem, nullius restat poenae debitum: si autem caritas exigitur ad hoc ut solutio sit sufficiens, neutrius solutio aliquid valet. Concludendum igitur ex communi hoc principio videtur quod nulla satisfactio poenitentialis est sufficiens nisi secundum divinam acceptationem, quam constat, ut saepe dictum est, extra caritatem non inveniri.

Et confirmatur hoc ex ipso modo remissionis peccatorum. Fit enim remissio mortalis peccati per modum amicabilis reconciliationis: ex hoc enim modo fit ut peccator, ex proprio demerito hostiliter puniendus, amicabiliter corripiendus restet; hoc est enim auferri reatum poenae aeternae et transire in reatum poenae temporalis. Ex hoc autem quod peccator de hostiliter puniendo transit in amicabiliter puniendum, hic vel in purgatorio, sequitur quod, nisi amicabiliter poena exsolvatur, nunquam solvetur: quia quod amice debeo nunquam exsolvo nisi amice tribuam.

III. Ex eodem quoque principio deducitur exceptionem aliam de satisfactionibus relinquentibus post se effectum, non esse usquequaque veram: sed ex famosa apparentia humanaque compassione processisse videtur distinctio inter satisfactiones relinquentes post se effectum, et satisfactiones non relinquentes post se effectum, ita ut, licet utraeque extra caritatem factae sint mortuae, effectus tamen primarum remanens potest vivificari per subsequentem caritatem; et ideo primae non sunt reiterandae, secundae autem, quia totaliter transierunt, sunt reiterandae. Favorabilis siquidem magis quam vera videtur interpretatio haec. Nam opus satisfactorium relinquens post se effectum, puta ieiunium vel eleemosyna extra caritatem, si est sic per sequentem caritatem vivificabile, vel hoc habet ex sacramentalitate sola. Et hoc non; quia sic etiam conveniret satisfactionibus non relinquentibus effectum, quoniam ipsae etiam sunt sacramentales.

Vel hoc habet ex relicto effectu solo. Et hoc non: quia hoc conveniret similibus satisfactionibus factis ante contritionem et confessionem; quod omnes negamus, dicentes cum Augustino quod peccator non est dignus etiam pane quo vescitur, et cum Apostolo *, *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas,* etc.

* I *ad Cor.*, cap. xiii, vers. 3.

Vel hoc habet ex utroque simul, scilicet sacramentalitate et effectu relicto. Et hoc non. Tum quia ad hoc quod opus sacramentale sortiatur effectum per sequentem caritatem, non requiritur relictus effectus: ut de confessione informi patet *. – Tum quia huiusmodi relictus effectus non est sacramentalis: quoniam non est effectus operis satisfactorii ut est sacramentale aut morale, sed secundum naturam operis; afflictio enim carnis non est effectus ieiunii ut est actus moralis aut sacramentalis, sed ut est subtractio cibi; et similiter diminutio boni exterioris non est effectus eleemosynae nisi secundum naturam operis, puta

* Cf. supra. *Qq. de Confess.*, qu. v, num. iv.

quia subtrahit illud a se; unde effectus iste est valde remotus a sacramentalitate. – Tum quia vacillans, aut claudicans inveniretur hoc verum. Nam non esset verum universaliter, sed in solo illo casu quo relictus effectus duraret usque ad adventum novae caritatis, ut sic inventus possit a caritate vivificari. Nam, si non perduraret, non posset per illam vivificari, plus quam transitoria quae praeteriit oratio. Et sic, si quis extra caritatem ieiuniorum iniunctam poenitentiam peregisset, et debilitatis seu afflictionis derelictus effectus non duraret post duos menses, quia interim poenitens bene se confortavit, et nova caritas non fuisset recuperata usque ad quartum mensem, iteranda essent praedicta ieiunia.

IV. Quia igitur neutra via solide fundata videtur, occurrit media via incedendum, dicendo tria. Primum est quod omnis poenitentialis satisfactio a confessore imposita, etiam si extra caritatem fiat, sufficiens est quoad forum militantis Ecclesiae. Probatur hoc: quia satisfactio huiusmodi est sacramentalis, est enim tertia pars sacramenti; ac per hoc, satisfacit Ecclesiae si est informis, sicut confessio informis *. Et hinc oritur ut non solum ieiunia et eleemosynas, verum etiam orationes non sit solita Ecclesia iterum imponere poenitentibus qui eas semel solverunt: quamvis iuniores nonnulli, *trepidantes timore ubi non est timor* *, adinvenerint quandam momentaneam satisfactiunculam pro poenitentia sacramentali, et deinde arbitrantur quasi condignam poenitentiam quae aut non est poenitentia sacramentalis, aut, si est, vanum monstrat eorum timorem. Nec hoc facere sunt edocti a sancta Catholica Ecclesia. Et propterea reprehensione magis dignum est quam usu.

* Cf. supra *Qq. de Confess.*, qu. v, num. iv.

* Cf. Ps. xiii, vers. 5.

Secundum est quod quaecumque sacramentalis satisfactio, si extra caritatem fit, nihil tunc valet ad expiationem poenae pro peccato debitae apud Deum. Hoc ex supra * dictis satis probatum est; et a Magistro Sententiarum multis auctoritatibus, in xv distinctione Quarti, firmatur.

* Num. ii.

Tertium est quod omnis satisfactio sacramentalis, si extra caritatem fit, valere incipiet quando, recuperata caritate, poenitens *ad cor redibit* *, etc. Probatur hoc ex eo quod regulariter opus sacramentale, utpote opus Dei, recedente fictione, sortitur effectum: ut de baptismo, confessione et extrema unctione dictum est *. Satisfactio autem sacramentalis pars sacramenti est, vimque habet ex clavibus. Ergo, si est informis, sortietur postea, recedente fictione, effectum.

* Isai. cap. xlvi, vers. 8.

* Supra, *Qq. de Confess.*, qu. v, num. iv.

An autem totum effectum sortiatur postea quem sortita fuisset si in caritate peracta esset, non facile dixerim. Videtur tamen mihi quod non totum satisfactionis effectum sortiatur postea. Quia sacramentalis satisfactio plus se tenet ex parte humani operis quam ex parte divini, hoc est sacramenti. Cuius oppositum accidit in aliis: ut patet in baptismo, in quo totum opus est Dei, et hominis est solum ministerium. In satisfactione vero sacramentali opus est praecipue poenitentis: et tam parum habet sacramenti ut multi doctores negent ipsam esse partem sacramenti. Et propterea rationabile videtur quod satisfactio sacramentalis informis aliquem effectum postea sortiatur, ex illa parte qua sacramentalis est: non totum autem, ex illa praecipua sui parte qua humanum opus mortuum habuit.

Num. i.

V. Ad primum ergo in oppositum * dicitur quod obiectio confecta est *ex lana et lino* *: quoniam orsa est ex amicitia, et contexta est ex mera iustitia. Supponit enim poenitentem secundum meram iustitiam debere poenam solummodo temporalem; et cum hoc, reconciliatum esse ex gratia; quasi post reconciliationem satisfactio sit sufficiens secundum aequivalentiam simpliciter, et non secundum acceptationem. Et quoniam satisfactio secundum aequivalentiam simpliciter non consonat satisfactioni amicabili et possibili inter hominem et Deum, ideo ut praedictum est * repetitur dicendo satisfactionem impositam temporalem pro poena peccati, sive imposita sit a sacerdote sive non, esse amicabiliter solvendam; et si amicabiliter non solvitur, nunquam solvitur. Et propterea quae de mera iustitia et humanis punitionibus adducuntur, extra propositum sunt: quoniam de vindicativa loquuntur iustitia, in qua attenditur aequalitas rei ad rem; nos autem de satisfactione poenitentiali loquimur, in qua attenditur aequalitas secundum acceptationem Dei offensi.

* Cf. *Deuteron.* cap. xxii, vers. 11.

* Num. ii.

VI. Ad secundum * dicitur quod sententia haec non est dura, sed dulcedine amicitiae divinae plena: nec est occasio peccandi, nisi forte *accepta*. Et ad formam rationis dicitur primo, ipsam valde errare: ut patet applicando eam ad peccatorem communicaturum in Paschate, dicendo: Si non communicat, peccat novo peccato: Ergo, si communicat, bene facit obediendo. Quod patet esse ridiculum.

* Num. i, *Praeterea si.*

Et quia multiplicare inconvenientia non est solvere, dicitur secundo, quod huiusmodi rationi, in quacumque materia fiat, respondendum est sic: *Si non exequitur, peccat:* admittitur. *Ergo, si exequitur condigne, bene facit.* Alioquin: negetur sequela, quoniam et communicando et non communicando in Paschate peccat novo peccato indignus.

Dicitur tertio, quantum ad materiam quae tangitur, de novo peccato mortali omittentis poenitentiam iniunctam a confessore pro mortalibus, quod nulla ratione apparet omissionem huiusmodi esse peccatum mortale: ut patet discurrendo per omnia concurrentia ad huiusmodi actum. Iniuncta siquidem a confessore pro mortalibus satisfactio quatuor habet capita. Primum est quod est iudicata et praecepta a Christi vicario: et hinc satisfactio fit actus iustitiae cuiusdam et obedientiae. Et hinc satisfactionis omissio non habet peccati mortalis rationem: si desit contemptus, qui contrariatur praecepto, et abiiceret gratiam iudicii facti. – Secundum est ex parte poenitentis, quod est actus poenitentiae et caritatis. Et hinc nulla est in omissione ratio peccati mortalis, nisi actus iste iustitiae, poenitentiae et caritatis sit necessarius ad salutem. Quod constat esse falsum: quia actus iste non est necessarius ad dilectionem Dei aut sui ipsius aut proximi; quoniam versatur circa ea quae sunt ad finem, scilicet solutionem poenae temporalis; quam potest poenitens reservare sibi in purgatorio absque mortali offensa Dei. – Tertium est ex parte finis, quod est expiativa poenae pro peccato debitae. Et hinc, ut nunc nunc monstratum est, non habet omissio quod sit mortale peccatum, sed quod sit reservatio luendae poenae. – Quartum est quod est pars sacramenti. Et hinc quod omissio non constituat sacrilegium, ex eo apparet quod Ecclesia utitur poenitentiae sacramento quandoque absque hac tertia parte, ut patet de poenitentibus in fine, quibus non imponitur, secundum canones *, satisfactio; et ex eo quod, si quis sua sponte ante confessionem satisfecisset, non esset imponenda satisfactio aliqua a confessore. Nec desunt dicentes posse poenitentem male paratum ad suscipiendam satisfactionem in hac vita, absolvi, reservata satisfactione in purgatorio.

* Can. *Ab infirmis*, caus. XXVI, qu. vii.

Ex his enim omnibus habetur quod omissio huius partis sacramenti non est peccatum mortale ex suo genere. Unde, cum satisfactio a confessore non imponatur nisi ut descripta est; et, ut sic, illius omissio non habeat ex suo genere rationem peccati mortalis: concludendum est peccare quidem omittentem iniunctam satisfactionem, cum agat praeter obedientiam et alias virtutes; non tamen mortaliter, deficiente contemptu, cum nec contra obedientiam caritatemve omittat.

VII. Ad tertium * dicitur quod distinctio inter *per se* et *per accidens* evitat haec inconvenientia. Poenam siquidem temporalem fieri per se aeternam est inconveniens: per accidens autem aeternari non inconvenit. Sic autem est in proposito: quoniam temporalis poena amice solvenda propterea ordinatur in inferno, quia nunquam amice solvitur. Unde nec propterea redeunt simpliciter dimissa peccata, nec aeque punitur pro peccato dimisso et pro non dimisso. Si enim redirent simpliciter, deberetur per se poena aeterna, et similiter peccato non dimisso deberetur per se poena aeterna: in proposito autem aeternitas poenae invenitur per accidens. Non tamen sicut in poena venialium. Ratio enim proxima aeternitatis poenae perseverantium venialium in inferno est aeternitas culpae: perseverante enim culpa, semper debet perseverare poena. Ratio autem aeternitatis poenae in proposito est defectus acceptabilitatis: quia scilicet solutio poenae nunquam est acceptabilis, quia nunquam solvitur amice.

* Num. i, *Praeterea sequitur.*

QUAESTIO DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE

QUAESITUM UNICUM

AN MINISTER SACRAMENTI POENITENTIAE POSSIT ESSE SACERDOS ABSQUE IURISDICTIONE

Circa ministrum sacramenti poenitentiae, quaeritur an possit esse sacerdos absque iurisdictione.

* Cf. num. IV. Et est ratio dubii *, tum quia confessor summi Pontificis ministrat ei secramentum poenitentiae sola potestate ordinis: cum potestatem iurisdictionis super eum habere nequeat.

* Cf. num. V. Tum quia videtur communiter dici quod sola potestas ordinis sufficit ad absolvendum a peccatis venialibus *.

* Cf. num. VI. Tum quia videtur etiam communiter dici quod potestas ordinis ex se se extenderet ad omnes absolvendos, nisi per Ecclesiam essent limitatae iurisdictiones *.

* *De Poenit. et Remiss.* *In oppositum* est decretum *Omnis utriusque sexus* *.

II. Ad evidentiam huius, sciendum est quod, licet multa doctorum verba sonare videantur solam ordinis potestatem quandoque sufficere ad hoc sacramentum, secundum tamen rei veritatem nunquam sufficit, sed semper exigitur, ultra potestatem ordinis, auctoritas iurisdictionis aliquo modo. Et hoc quidem non solum per Ecclesiam determinatum est, sed ex ipsa sacramenti natura habetur. Legimus enim in Concilio Florentino * (* Decret. *pro Armenis.*) sub Eugenio IV, quod *minister huius sacramenti est sacerdos habens auctoritatem ordinariam vel delegatam.* Ex quo patet quod sacerdos sola ordinis potestate fultus non est minister huius sacramenti. Et cum in proposito non habeat locum distinctio illa de ministro ex officio vel in articulo necessitatis, sicut in baptismo * (* Cf. Part. III, qu. LXVII, art. 3 sqq.); oportet dicere quod, si sacerdos sola ordinis potestate absolvat, sacramentum nullum est, quia deficit minister.

Est quoque sacramentum hoc ex sua natura iudiciale: quoniam forma eius consistit in actu iudicis ut sic. Actus autem iudicialis, etiam si fingendi detur licentia, non potest intelligi exerceri nisi in subditum. Igitur non ex Ecclesiae constitutione, sed ex ipsius sacramenti iudicialis natura exigitur potestas iurisdictionis in hoc sacramento.

III. Dupliciter autem contingit haberi potestatem iurisdictionis. Primo, ex parte principii iudicandi, ita quod potestas ipsa iurisdictionis sit principium iudicii: sicut in naturalibus calor est principium calefaciendi, et in politicis potestas principis est principium puniendi, et in ecclesiasticis potestas pontificia est principium excommunicandi, et huiusmodi. – Alio modo invenitur iurisdictio ex parte eius qui iudicandus est: sicut contingit in iudicio arbitrorum a partibus tantum potestatem habentium ex hoc ipso quod illis se submittunt in illa causa.

In ministro vero sacramenti poenitentiae, cum ordinaria vel delegata a superiori potestate est minister, licet inveniatur potestas iurisdictionis primo modo, ad ministrandum tamen sacramentum poenitentiae sufficit potestas iurisdictionis secundo modo. Et ratio est, quia sacramentalis absolutionis principium non est potestas iurisdictionis, sed potestas ordinis: potestas autem iurisdictionis concurrit quoad hoc solum quod facit de peccatore subditum, vel simpliciter vel quoad talia peccata. Et hinc fit ut quicumque potest se subiicere in foro poenitentiali cui vult, non egeat aliunde iurisdictione in ministrante sibi hoc sacramentum.

IV. Et per hoc patet responsio ad primum * (* Num. I.). Ex hoc enim quod Summus Pontifex nulli in terris subditus est, potest seipsum subdere in foro poenitentiali cuilibet sacerdoti. Nec confessor ille habet, proprie loquendo, potestatem iurisdictionis super Papa poenitente a Christo, vel Ecclesia, vel ab ipso Papa tanquam a superiore: sed ex hoc ipso quod Papa se subdit illi. Et hic modus iurisdictionis reductive spectat ad iurisdictionem delegatam: quamvis proprie non sit delegata.

V. Ad secundum dicitur quod, quia quoad peccata venialia quilibet est liber respectu sacramenti poenitentiae, eo quod nullus tenetur confiteri venialia; ideo satis rationabile est quod quilibet potest se subdere cui vult sacerdoti pro sacramento poenitentiae venialium. Et sic invenitur hic non sola potestas ordinis, sed potestas iurisdictionis reductive. Quae quia non est proprie delegata, tacita videtur a dicentibus quod sola potestas ordinis ministrat sacramentum venialibus: cum tamen, secundum veritatem, si nullo modo iurisdictio interveniret, nullum esset sacramentum, ut dictum est * (* Num. II.).

Cave tamen ne huiusmodi iurisdictionem extendas ad absolutionem ab excommunicatione minori, etiam per peccatum veniale incursa. Nam, quia excommunicatio minor vinculum est introductum a potestate iurisdictionis, quae est principium iudicii, impossibile est quod sine huiusmodi potestate iurisdictionis, quae est principium actuum iudicialium, absolvat quis ab excommunicatione minori. Unde, quamvis habens venialia tantum possit a quocumque sacerdote poenitentiae sacramentum suscipere ex hoc ipso quod se subdit illi, non potest tamen a quocumque sacerdote absolvi ab excommunicatione minori: sed, si illam habet, oportet prius a *proprio sacerdote* * (* Cf. can. *Omnis utriusque sexus, de Poenit. et Remiss.*) ab illa absolvi.

VI. Ad tertium dicitur quod illud dictum potest dupliciter intelligi: vel ut omnes sacerdotes a principio, ex hoc ipso quod erant sacerdotes, poterant omnes absolvere; vel quod omnes sacerdotes instituebantur non solum sacerdotes communes, sed iudices communes in foro poenitentiali. Primus sensus est falsus: quia de necessitate sacramenti iudicialis est iurisdictio. Secundus sensus est verus, supposita veritate dicti: quoniam ante distinctiones parochiarum, etc., sacerdotes utramque potestatem accipiebant, ita quod tunc erant et sacerdotes communes et iudices communes. Postea autem ordinantur quidam sacerdotes communes, fiunt autem iudices proprii assignando eis plebes proprias. Et multi relinquuntur sacerdotes communes qui nunquam fiunt iudices nec communes nec proprii: ut patet de his qui non sunt expositi ad audientiam confessionum, nec aliquis se subdit eis quoad venialia, etc.



QUAESTIONES DE THESAURO INDULGENTIARUM

QUAESITUM PRIMUM

AN THESAURUS ALIQUIS SIT NECESSARIUS AD EFFICACIAM INDULGENTIARUM

* *De Indulgent.* Opuscul. Caiet. tom. I, Tract. xv. - Ed. Lugd. 1562. ** Ibid., Tract. xvi. * Vide *Quaestiones* proxime sequentes.

Circa indulgentias, post tractatum quendam alias editum *, et plures quaestiones in secundo Quolibeto ** positas, iam tertio scribendum occurrit tripartita consideratione *: primo, de thesauro; secundo, de causa; tertio, de suscipientibus.

* Quaesitum II. * Quaesitum III. * Quaesitum IV.

Circa thesaurum occurrunt quatuor quaerenda: primum, an aliquis thesaurus sit necessarius ad efficaciam indulgentiarum; secundo, ex quibus constat dictus thesaurus *; tertio quorum sunt vel fuerunt reposita in dicto thesauro *; quarto, an dictus thesaurus subsit dispensationi Summi Pontificis *.

Circa primum, an thesaurus aliquis sit necessarius ad efficaciam indulgentiarum, sciendum est quod ex duplici capite dubitatio haec oritur. Vel ex eo quod creditur Papam posse facere effectum indulgentiae auctoritative, sicut potest absolvere ab excommunicatione: sic quod ita potest absolvere a debito poenarum temporalium quas poenitentes pro suis debent peccatis, sicut potest absolvere a vinculis suspensionis, interdicti, et huiusmodi *.

* Cf. num. seq.

Vel ex eo quod creditur effectum indulgentiarum non esse aliud quam solutionem ecclesiastici vinculi, quo poenitens alligatus est ad iniunctas poenitentias *.

* Cf. num. IV.

Ex utraque siquidem opinione sequitur nullo opus esse thesauro ad efficaciam indulgentiarum, ut manifeste patet.

II. Prima autem opinio est Francisci Maironis, in Quarto, dist. XIX *. Et fundatur super verbo Christi, *Quodcumque solveris super terram* *, etc. Hinc enim vult Papam veluti principem Christianae Reipublicae constitutum, et postea, ex regulari potestate principum qua quilibet princeps habens plenariam potestatem potest remittere debita peccatoribus in sua politia, infert Papam posse remittere debita poenarum temporalium quas poenitens tenetur in hac vita vel in purgatorio exsolvere.

* Qu. II. * Matth. cap. XVI, vers. 19.

Firmaturque hoc, inducendo quod sacerdos absolvendo transfert poenam aeternam in temporalem: ac per hoc, de foro inferni in forum temporale, etc.

III. Sed hic dicendi modus tripliciter errat. Primo, in hoc quod non distinguit inter forum poenitentiale, et forum extrinsecae iurisdictionis ecclesiasticae. Papa enim, licet sit quasi princeps in foro ecclesiasticae iurisdictionis exterioris (cuius signum est quod est solutus ecclesiasticis poenis et legibus ut princeps), in foro tamen poenitentiali est subditus: unde et potest et solvi et ligari a sacerdote in foro poenitentiali, et potest et debet sibi negari absolutio, sicut et reliquis ficte accedentibus ad sacramentum poenitentiae. Poena autem temporalis pro peccatis actualibus post contritionem et confessionem debita non spectat ad extrinsecum forum, sed ad forum poenitentiale. Quod etiam ex eo patet quod est eiusdem rationis cum suis aliis partibus, quae remissae sunt ex virtute clavium vel per satisfactionem poenitentialem. Unde quoad hoc non habet Papa a Christo potestatem tanquam princeps, sed tanquam minister.

Secundo errat in hoc quod non discernit inter causas debitorum. Nam si princeps non posset remittere causam debiti, nec ipsum debitum remittere posset. Unde, cum Papa non possit remittere causam debiti, quoniam causa debiti est peccatum, Papa autem non potest etiam veniale remittere peccatum; non igitur ad potestatem principatus eius spectat remittere poenam ex peccato debitam.

Tertio errat non discernens modum potentiae. Aliud est enim Papam posse remittere huiusmodi poenas: aliud est Papam posse tali modo remittere huiusmodi poenas. Dato enim quod Papa possit, sicut rei veritas est quod potest, ex illo Christi verbo, *Quodcumque solveris* etc.; non tamen sequitur, *Potest hoc tali modo,* puta solo iussu; stat enim quod potest hoc alio modo, puta per ecclesiastici thesauri dispensationem. Et hoc patet in simili. Nam, sicut Christus dixit Petro, *Quodcumque solveris* etc., ita dixit discipulis *, *Quorum remiseritis peccata* etc. Et sicut non valet, *Discipuli seu sacerdotes possunt remittere peccata, Ergo possunt solo iussu seu auctoritate,* sed stat quod possunt alio modo, scilicet ministrando sacramentum poenitentiae; ita non valet, *Papa potest quodcumque solvere super terram, Ergo solo iussu seu auctoritate hoc potest:* stat enim quod hoc possit diversimode; quoad exteriora quidem, solo iussu; quoad intima vero, peccata scilicet et eorum poenas apud Deum, mediante sacramento quoad peccata, mediante vero dispensatione thesauri quoad dictas poenas. – Nec sacerdos aliter quam per sacramentum transfert poenam aeternam in temporalem.

* Ioan. cap. XX, vers. 23.

IV. Secunda autem opinio *, verborum sonum habens pro se, pro quanto *indulgentiae* sonant pro iniunctis poenitentiis, fundatur super hoc, quod poena debita a poenitente apud divinam iustitiam est reservata superiori tribunali, scilicet ipsius divinae iustitiae: ac per hoc, non potest ab inferiori, qualis est Papa, remitti, nisi Papa posset supra ius divinum; quod constat esse falsum.

* Num. I.

V. Et haec opinio tripliciter errat. Primo, diminutissime exponendo remissionem iniunctarum poenitentiarum, dum exponit pro remissione solius vinculi: cum etiam ipsa verba sonent remissionem ipsarum iniunctarum poenitentiarum, et non solius vinculi iniunctionis. Non enim dicitur quod relaxamus iniunctionem, sed quod relaxamus *iniunctas poenitentias.*

Secundo, quod impietatem tribuit Ecclesiae. Nam, si indulgentia liberaret a sola iniunctione poenitentiae, impie ageret Ecclesia dando indulgentias: quoniam, absolvendo a vinculo iniunctionis, transmitteret poenitentes ad poenas purgatorii, a quibus liberati fuissent exequendo iniunctas poenitentias. Unde magna impietas esset dicere se facere gratiam dando indulgentiam.

Tertio errat in hoc quod non discernit inter posse remittere ministerialiter, et posse remittere auctoritative. Licet enim Deo debita solus Deus auctoritative remittere possit, homo tamen minister Dei, divina auctoritate sibi concessa, potest Deo debita remittere ministerialiter: nec solum debita poenarum, sed etiam debita culparum, ut patet in sacramento poenitentiae. Nec hoc est posse supra ius divinum: sed est ministerialiter fungi auctoritate divina.

VI. His igitur exclusis opinionibus, quia ex fine necessitas medii sumitur, finis autem et effectus in huiusmodi coincidunt, sanitas enim est finis et effectus medicinae; ideo stabiliendus est effectus indulgentiarum ex his quae certa sunt. Et quoniam certum est, omni hoc attestante ecclesia, indulgentias succedere loco iniunctarum poenitentiarum, consequens est quod idem est effectus indulgentiae qui erat futurus effectus iniunctae satisfactionis poenitentialis. Constat autem quod per iniunctam satisfactionem poenitentialem digne executam solvitur poena temporalis pro actuali peccato debita apud divinam iustitiam: hoc enim universalis credit Ecclesia. Igitur per indulgentiam loco satisfactionis succedentem, si veraciter ac digne acquisita fuerit, solvetur quoque tantum de poena temporali pro actuali peccato debita apud divinam iusti-

tiam, quantum apud eandem aequivalet indulgentia acquisita. Et haec ratio non eget ampliori confirmatione, cum iam determinatum sit per Ecclesiam Romanam * id quod communis doctorum opinio sentiebat, scilicet effectum indulgentiarum esse *remissionem poenae temporalis pro peccato actuali debitae apud divinam iustitiam.* Sed hinc sumenda est necessitas quaesiti thesauri.

* Leo X, in Bulla, *Exsurge Domine,* an. 1520; et in decretali ad Card. Caietan. in Germania legatum (vide Part. III, qu. XLVIII, art. 5, Comment. num. III).

Unde considerandum est quod remissio peccatorum, ut tota clamat Scriptura, effectus est passionis Christi: ita quod cuicumque remittitur peccatum, sive quoad culpam sive quoad poenam, ex virtute passionis Christi remittitur. Credimus autem in huiusmodi remissione, sicut et *in universis viis Domini,* non solum *misericordiam,* sed etiam *iustitiam* inveniri *: misericordiam quidem in hoc quod miseriam peccatoris computat Christus quasi suam; iustitiam vero in hoc quod meritum ac passio Christi communicatur peccatori quasi peccator ipse pateretur, ut sic peccator debitum Deo solvat de suo, non per seipsum, sed per Christi communionem acquisito; ut patet in baptismo, in quo propterea fit plenaria peccatorum remissio quia plenissime *commoritur et consepelitur Christo* baptizatus *.

* Psalm. XXIV, vers. 10.

* *Ad Rom.* cap. VI, vers. 3 sqq.; *ad Coloss.* cap. II, vers. 12.

Ex quibus formatur talis ratio. Ad remissionem peccatorum, sive quoad culpam sive quoad poenam, per sacramenta habendam, exigitur thesaurus aliquis, puta meritorum passionis Christi remanentium in divina acceptatione. Ergo a fortiori ad remissionem peccatorum quoad poenam tantum per indulgentiam, exigitur aliquis similis thesaurus. – Antecedens patet discurrendo per sacramenta et Ecclesiae doctrinam, quam diximus. – Consequens vero ex se est satis evidens: quoniam omnis ratio exposcit quod divina providentia, si subiicientibus se sacramentis ordinavit non remitti poenam peccatorum nisi computando poenam Christi pro his quibus remittitur, multo magis ordinavit non remitti poenas peccatorum per indulgentias nisi computando alienas poenas pro acquirentibus indulgentias; quandoquidem submittere se indulgentiis multo minus est quam submittere se sacramentis. Est igitur ad efficaciam indulgentiarum thesaurus aliquis necessarius, non minus quam ad efficaciam sacramentorum.

QUAESITUM SECUNDUM

EX QUIBUS CONSTET THESAURUS UNDE FIUNT INDULGENTIAE

Circa secundum quaesitum *, ex quibus constet thesaurus unde fiunt indulgentiae, ratio dubitandi est, quoniam interdum merita, interdum passiones, interdum satisfactiones dicuntur esse ea quae sunt in hoc thesauro reposita.

* Cf. quaesitum I, introd.

Veritas autem, ut patebit, formaliter explicatur per *satisfactiones superfluas.*

II. Ad cuius evidentiam, non aliunde quam ex fundamento prius posito procedendum est, ex hoc scilicet quod indulgentiae succedunt loco poenitentialium satisfactionum *. Hoc enim dictum oportet *cum grano salis* sumere. In poenitentiali siquidem satisfactione digne executa, puta ieiunio, considerandum est quadruplex officium: habet enim huiusmodi opus quatuor officia, scilicet bonificandi, medendi, merendi et satisfaciendi. Nam ex eo quod est opus bonum, bonificat operantem, et disponit illum ad alia bona opera; ex eo vero quod est tale opus, puta ieiunium, medicinam praebet contra carnis concupiscentiam, sicut eleemosyna contra avaritiam, etc.; ex eo autem quod a caritate procedit, meritorium est vitae aeternae; et ex eo demum quod poenale est, satisfactorium est pro poena temporali pro peccato debita; solvitur enim poena, absque omni contradictione, per opus poenale ut sic. Indulgentia autem non succedit loco satisfactionis poenitentialis nisi quoad ultimum officium, quod est satisfacere: nam ex vi indulgentiae non fit homo bonus, nec medicatur, nec meretur, sed solummodo solvit poenam quam per poenitentiam solvisset. Et propterea doctores consulunt assequentibus indulgentias adimplere nihilominus suas poenitentias: et meritum longe melius esse praedicant quam indulgentiam. Nec propter hoc tamen vilipendendae sunt indulgentiae: quoniam salutares sunt tollendo poenam quae impediret ingressum coelestis patriae.

* Quaesit. praeced., num. VI.

Notanter autem dixi, *ex vi indulgentiae.* Quoniam, si indulgentiae mixtum cointelligatur opus sanctum quo acquiritur indulgentia, puta eleemosyna aut aliquid huiusmodi, sic mixta intellecta indulgentia melior esse potest quam satisfactio poenitentialis: nam nullum officiorum inventorum in satisfactione poenitentiali sibi deficit. Est enim digne data eleemosyna pro acquirenda indulgentia reddens bonum, et disponens ad bona opera dantem illam; et praebet medicinam contra cupiditatem pecuniae; et est meritoria vitae aeternae; et est satisfactoria ex propria poenalitate. Et ultra haec, supervenit sibi solutio poenae, seu satisfactio, per indulgentiam.

III. Ex hoc igitur quod indulgentia pura succedit satisfactioni poenitentiali solummodo quoad vim satisfactivam, manifeste sequitur quod thesaurus indulgentiarum thesaurus est satisfactionum. Quae quia per opera poenalia et meritoria fiunt, ideo idem dicitur thesaurus passionum et meritorum quatenus satisfactoria sunt.

Rationabile autem, ultra dicta in praecedenti articulo *, monstratur esse debere esse thesaurum hunc thesaurum satisfactionum, seu meritorum quatenus satisfactoria, ex eo quod unus pro alio et in temporalibus et in spiritualibus satisfacere potest; non medicatur autem, nec fit bonus, nec meretur unus pro alio. Sunt igitur ea quae sunt reposita in hoc thesauro satisfactiones.

* Quaesit. praec., num. VI.

IV. Quod autem non quaecumque satisfactiones, sed solae superfluae in eodem reconditae sint, ex eo patet quod satisfactiones illae quibus satisfacientes indiguerunt pro seipsis, iam cesserunt in solutionem poenarum debitarum pro propriis peccatis: et propterea non possunt pro aliis solvere. Et simile est iudicium de satisfactionibus quae pro quibusdam determinate oblatae sunt: sunt enim et ipsae sortitae suum effectum. Quia igitur oportet satisfactiones in thesauro repositas pro alienis poenis solvendis offerri posse, oportet huiusmodi satisfactiones esse superfluas, ita quod nec pro his qui illas egerunt, nec pro aliis, hactenus satisfecerint: hoc enim est merita seu opera esse superflua quoad officium satisfaciendi.

V. Obiectiones autem quae ingerere videntur plus requiri ad recondita in hoc thesauro, puta quod non solum sint satisfactiones superfluae sed etiam non plene remuneratae, in sequenti articulo monstrabuntur vanae. Et ideo concludendum est thesaurum indulgentiarum esse thesaurum superfluarum satisfactionum, seu meritorum quatenus supereffluunt quoad officium satisfaciendi pro poena actualibus peccatis debita.

QUAESITUM TERTIUM

QUORUM SINT SATISFACTIONES EX QUIBUS CONSTAT THESAURUS UNDE FIUNT INDULGENTIAE

* Cf. quaesitum I, introd.

CIRCA tertium de thesauro quaesitum *, scilicet, quorum sint huiusmodi superfluae satisfactiones, dubitandi ratio est, quia dicitur quod sunt Christi et sanctorum: multis tamen doctoribus adversantibus, dum quidam nec in Christo nec in sanctis superfluas concedunt satisfactiones; quidam autem, etsi in Christo concedunt, de sanctis tamen dubitant.

* Qu. II.

Franciscus igitur Maironis, in Quarto, dist. XIX *, negans omni ex parte hunc thesaurum, dicit nulla esse Christi superflua merita: quoniam omnia sunt plene sibi remunerata, iuxta illud *: *Exinanivit semetipsum, factus obediens usque ad mortem: propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit ei nomen*, etc.

* *Ad Philipp.* cap. II, vers. 7 sqq.

* Qu. 3.

Durandus vero, in Quarto, dist. XX *, Christi quidem superflua merita in thesauro hoc affirmat: de sanctorum vero superfluis meritis dubitat, duplici ratione. Prima, communi sibi et Francisco: quia merita sanctorum sunt plenissime remunerata; immo ultra condignum, quoniam *non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam* *. – Secundo, quia ad hoc quod satisfactio unius valeat pro alio, exigitur intentio dirigens et applicans satisfactionem illam ad alium. De nullo autem sanctorum authentice constat quod habuerit intentionem satisfaciendi pro nobis. Non igitur sanctorum sunt merita satisfactoria, ex quorum thesauro fiunt indulgentiae.

* *Ad Rom.* cap. VIII, vers. 18.

II. Sed horum opinio, tam in rationibus quam in conclusione, falsa et irrationabilis invenitur. Et a Christo inchoando, falsissimum est Christi merita esse remunerata: cum Christus meruerit nobis, et continue remuneretur in membris suis; ut patet in baptizatis, qui non proprio, sed Christi merito ad caelestem perveniunt patriam.

A ratione quoque hoc alienum est. Quoniam Christus est caput mystici corporis, *quod est Ecclesia* *. Ac per hoc, gratia eius est gratia capitalis. Et proinde meritum eius ita se habet ad membra eius sicut meritum privati hominis se habet ad corpus suum. Et propterea, sicut quilibet homo meretur non solum animae, sed etiam corpori suo; ita Christus non solum sibi, sed aliis meruit. Immo maius quid meruit nobis quam sibi: quia nobis meruit beatitudinem, quam sibi ipsi non meruit, sed sine merito a principio conceptionis suae habuit.

* *Ad Coloss.* cap. I, vers. 24.

Auctoritas autem Apostoli non dicit merita Christi fuisse plene remunerata in seipso, sed duo illius praemia narrat, scilicet exaltationem ipsius et excellentiam sui nominis: meruit enim praeter haec multa alia Christus, ut patet ex supra * dictis a divo Thoma.

* Part. III, qu. XLIX.

III. De sanctorum autem remuneratione duo dicenda sunt: primum, non curando de proprietate vocabuli, sed communicando in vocabulis cum arguentibus; deinde proprie loquendo de remuneratione *. Loquendo siquidem de remuneratione communiter, sive sit proprie remuneratio sive non, distinguendum est quod merita sanctorum quoad aliquid sunt totaliter remunerabilia in ipsis sanctis: quoad aliquid vero non sunt totaliter remunerabilia in ipsis sanctis, et quoad hoc superfluunt ipsis sanctis, et ponuntur in thesauro, remanentia in divina acceptatione, remuneranda in aliis. Merita siquidem sanctorum, licet secundum reliqua officia sua * possint remunerari in ipsis sanctis, secundum tamen hoc officium quod est satisfacere pro poena temporali peccatis actualibus debita, remunerari non possunt in ipso sancto si non est debitor alicuius temporalis poenae pro suo peccato actuali: ex hoc enim ipso quod sanctus ponitur non debitor talis poenae, necessario sequitur quod non sit capax talis remunerationis, scilicet quod satisfactio sua valeat sibi ad solutionem poenae pro se. Si supponamus ergo, quod postea * probabitur, sanctos plus satisfecisse quam pro propriis peccatis erant debitores, oportet consequenter dicere quod satisfactiones suae, inquantum excedunt sua debita, non sunt remuneratae in ipsis sanctis, quia ipsi non indigebant solutione poenarum, quae est, seu dicitur, remuneratio satisfactionis, abusive, ut dictum est, de remuneratione loquendo.

* Num. seq.

* Cf. quaesitum II, num. II.

* Num. V.

IV. At si proprie loquendum est de remuneratione, dicendum est quod merita sanctorum omnia sunt plenissime remunerata sibi, ita quod etiam ipsae eis superfluae satisfactiones sunt plenissime remuneratae, vel remunerandae, in ipsis sanctis: quoniam quidquid inde meruerunt, totum eorum erit, sive sit praemium essentiale sive accidentale. Sed plenissima remuneratio non minuit vim satisfactivam pro aliis: quoniam solvere pro se vel alio non est meritum aut merces aut remuneratio quaecumque. Actus enim satisfaciendi qui a sanctis processit, pro quanto fuit mereri, remuneratus est vita aeterna, etc. Et rursus pro quanto fuit tale opus poenale sibi, remuneratus est gaudio accidentali: gaudebit enim de hoc quod plus passus est quam peccata sua demeruerint; unde et aureola datur quibusdam generibus operum ex ipsa executione. Sed propter huiusmodi, et quascumque alias remunerationes, non perdit actus ille officium suum quod est solvere pro poena temporali actualis peccati proprii vel alieni: immo, cum continget superfluam satisfactionem Laurentii solvere pro poena debita Ioanni poenitenti, gaudium quoddam accidentale Laurentius in coelo habebit de hoc quod satisfactio sua solvit pro Ioanne.

Intervenit igitur in huiusmodi ratione super plena remuneratione meritorum fundata, error in hoc quod satisfacere, seu solvere poenam temporalem pro actuali peccato debitam, inter remunerationes seu remunerabilia computatur: cum longe sit a genere tam meriti quam mercedis. Ut etiam attestantur doctores tenentes huiusmodi residuas poenas, si contingat inveniri in damnatis, posse solvi in inferno: ubi constat non inveniri meritum aut mercedem. Attestatur etiam et communis doctrina tenens in purgatorio solvi huiusmodi poenas: et tamen in huiusmodi solutione non mereri neque remunerari.

Quia ergo plenissima remuneratio, quantumcumque ultra condignum, non tollit a meritis sanctorum superfluens officium satisfaciendi pro poena temporali actualium peccatorum, si constat sanctorum merita plus esse satisfactoria quam ipsi essent debitores, nihil obstabit ratio de plena remuneratione.

V. Quod autem sancti plus satisfecerint quam demeruerint, testatur Iob, VI cap. *, dicens: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera: quasi arena maris haec gravior appareret.* Ubi clare liquet Iob plus passum fuisse quam pro peccatis suis debuerit pati. In superabundantia autem passionum consistit superabundantia satisfactionum: ut patet ex ante * dictis. Simile autem esse de multis aliis iudicium, nemo dubitat.

* Vers. 2, 3.

* Num. IV.

De intentione vero sanctorum, quod scilicet fuerit pati pro nobis, testatur Apostolus, *ad Coloss.* I *, dicens: *Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Ubi manifeste patet divinam providentiam disposuisse passiones aliquas in carne sanctorum spectare ad complementum passionum Christi *pro corpore eius, quod est Ecclesia;* et hanc divinam ordinationem sanctos adimplere suis passionibus superabundantibus.

* Vers. cit.

VI. Ex quibus omnibus patet argumenta supra dictorum doctorum falsa esse *.

* Cf. num. I.

De conclusione autem non est amplius dubitandum: quoniam iam per Romanam Ecclesiam determinatum est indulgentias fieri ex thesauro superabundantium meritorum seu passionum Christi et sanctorum *.

* Leo X, in Bulla *Exsurge Domine*, et in decretali ad Card. Caiet.; cf. quaesit. praeced., num. V.

Quae etiam conclusio, quoad superabundantiam passionum Christi pro nobis, fundamentum habet in Scriptura

I Ioan. II *: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed totius mundi.* Ex qua auctoritate patet passionem Christi sufficienter satisfacere pro toto mundo: ac per hoc, cum executive pro paucis tantum satisfaciat, infinitum thesaurum satisfactionum Christi superesse in sacramentis, quibus eadem Christi passio satisfacit. De sanctorum autem superabundantibus meritis quoad officium satisfaciendi pro nobis, fundamentum est in Scriptura in locis allegatis * ex Iob et Apostolo. Unde apparet quam rationabiliter Ecclesia Romana determinaverit.

* Vers. 2.
* Num. praeced.

VII. Et si quaeratur: Ad quid utilis erit tanta superabundantia satisfactionum Christi et sanctorum quanta secundum praedicta supererit post universale iudicium, quando nulli amplius proderit, dum pro nullo amplius solvere poterit poenam pro peccato debitam? – dicendum est quod hoc ipsum quod est merita Christi et sanctorum, ut satisfactoria, tam excellenter superare omnes quae solvendae fuerant poenas, non est vanum, sed ad gloriam Christi et sanctorum, et ad commendandam libertatem salvationis electorum. Haec enim superabundantia meritorum attestatur quod non ex insufficientia satisfactionum Christi et sanctorum damnati sunt reprobi, quasi solis electis illa suffecissent: sed ex propria iniquitate damnati sunt reprobi, pro quibus sufficiens remanet satisfactio, si divina misericordia ad illos eam applicare vellet.

VIII. Si autem quaeritur: Ad quid superabundans satisfactio sanctorum ponitur, cum Christi satisfactio sufficientissima sit pro toto mundo? – respondendum est hoc propterea esse ut Chisti membra simillima essent capiti. Videmus enim divinam providentiam disposuisse quod Christi membra, praesertim praecipua, sibi assimilarentur quantum fas est. Unde, sicut sunt sancti quidam aliorum curatores, quidam aliorum doctores, quidam qui pro aliis merentur (de congruo tamen), quidam qui pro aliis impetrant; ita quidam sunt alienarum poenarum satisfactores, ita ut assimilentur Christo etiam in hoc quod pro aliis passus est, dum et ipsi, qui patiuntur plus quam demerentur, pro aliis satisfaciunt.

QUAESITUM QUARTUM

AN THESAURUS HIC SUBDITUS SIT DISPENSATIONI PAPAE ALITER QUAM PER SACRAMENTORUM COLLATIONEM

Circa quartum de thesauro quaesitum *, an scilicet thesaurus hic subditus sit dispensationi Papae aliter quam per sacramentorum collationem, ambiguitas magna est. Quoniam conferre effectum sacramenti sine sacramento spectat ad claves *excellentiae,* quas constat non esse communicatas Papae, sed reservatas soli Christo *. Remissio autem poenae temporalis pro actuali peccato debitae est effectus sacramenti: quoniam hoc fit per baptismum, et per tertiam partem sacramenti poenitentiae, quae est satisfactio.

* Cf. quaesitum I, introd.
* Part. III, qu. LXIV, art. 3, 4. – Cf. num. VII.

II. In hac quaestione sciendum est totam difficultatem consistere, non in hoc, an thesaurus iste sit dispensabilis per Papam, sed in hoc: An aliter quam per sacramentorum collationem possit Papa thesaurum istum communicare.

Quoniam nulla auctoritate Scripturae, nullave ratione haberi videtur quod dispensatio talis sit credita Petro *. Auctoritates siquidem illae, *Quodcumque solveris super terram* *, et, *Quorum remiseritis peccata* **, intelliguntur procul dubio secundum subiectam materiam: ut scilicet ea quae spectant ad remissionem peccatorum, commissa sint solvenda et remittenda mediantibus sacramentis.

* Cf. num. V.
* Matth. cap. XVI, vers. 19.
** Ioan. cap. XX, vers. 23.

Ratio quoque communiter allata, scilicet quod communia bona Ecclesiae sunt dispensabilia per praesidentem Ecclesiae, eandem patitur difficultatem *. Declaratur enim quod communia Ecclesiae bona spectantia ad remissionem peccatorum, sunt quidem dispensabilia per praesidentem Ecclesiae, sed non quomodolibet, sed certo modo, hoc est per collationem sacramentorum.

* Cf. num. VI.

Ratio demum ducens ad inconveniens, puta quod superfluae satisfactiones sanctorum frustra repositae essent in thesauro, quia illae non communicantur per sacramenta, sicut satisfactiones Christi, nec possunt dispensari sine sacramentis, ergo vane sunt in thesauro Ecclesiae: – haec, inquam, ratio facile solvitur, dicendo quod sunt in thesauro Ecclesiae ut a Christo dispensentur membris Ecclesiae militantis; et quod hoc fit quotidie, dum meritis sanctorum petimus remissionem peccatorum, et exaudimur.

Ita quod, secundum has difficultates, huius thesauri dispensatio aliter quam per sacramentum, reservata videtur Summo Sacerdoti Christo, qui solus novit merita causarum circa remissionem peccatorum.

III. Licet autem difficilis sit notitia quaestionis huius, quia tamen universalis Ecclesia facto declaravit Ecclesiae praelatos posse huiusmodi thesaurum sine sacramentis dispensare, dum Episcopi omnes indulgentias dant, non crudeliter loco solius vinculi iniunctionis transmittendo ad poenas purgatorii, sed gratiose loco ipsarum satisfactionum iniunctarum: ex hoc enim, ut in superioribus * manifestatum est, oportet dicti thesauri dispensationem intervenire, cum non possint aliter fructuose huiusmodi indulgentiae succedere poenitentiis iniunctis: – ideo, absque haesitatione aliqua, etiam si nulla adesset ratio, fatendum est dicti thesauri dispensationem non solum per sacramenta quoad merita Christi, sed aliter quam per sacramenta quoad merita Christi et sanctorum, commissam esse praelatis Ecclesiae, et praecipue Papae. Et hoc tanto magis fatendum est, quanto per Leonem X determinatum est *.

* Quaesitum I, num. V, VI.
* Locis cit. in quaes. praeced., num. VI.

IV. Suffragatur autem huic veritati ratio tanto acceptabilior quanto magis solvit omnes difficultates accidentes in hac re. Est autem ratio haec. Communia praesentis Ecclesiae bona communicabilia aliter quam per sacramenta, sunt a praesidente Ecclesiae dispensabilia aliter quam per sacramenta. Sed merita Christi et sanctorum, ut superabundanter satisfactoria, sunt communia bona praesentis Ecclesiae communicabilia aliter quam per sacramenta. Ergo sunt a praesidente Ecclesiae dispensabilia aliter quam per sacramenta.

Maior propositio nullam videtur habere instantiam. – Minor autem ex supra * dictis clara est, excepta ultima particula, scilicet quod haec bona sint communicabilia aliter quam per sacramenta. Quae particula manifestatur ex eo quod haec eadem bona potuissent, si voluissent, sancti communicare, non per viam sacramenti, aliis membris Ecclesiae in particulari: ex hoc enim quod ipsi potuissent hoc efficere aliter quam per sacramenta, sequitur quod satisfactiones istae suapte natura sunt communicabiles aliis aliter quam per sacramenta.

* Quaesit. praeced.

V. Hinc quoque monstratur validam esse ad propositum auctoritatem illam, *Quodcumque solveris* *. Nam verus illius intellectus est, *Quodcumque solveris eo modo quo illud est solubile.* Et sic in omni materia currit, et ad propositum efficax invenitur. Est enim sic practicanda: *Quodcumque per sacramentum solubile solveris per sacramentum;* et similiter, *Quodcumque aliter quam per sacramentum solubile solveris etiam aliter quam per sacramentum,* etc. Et sic, subsumendo quod poena temporalis pro actuali peccato debita est solubilis et per sacramentum et per alienam satisfactionem sine sacramento applicatam, infertur quod huiusmodi poena potest a Petro solvi non solum per sacramentum, sed etiam per alienam satisfactionem sine sacramento applicatam.

* Cf. num. II.

VI. Per hoc etiam salvatur ratio communis de potestate praesidentis Ecclesiae *. Quoniam vera est respective intellecta: hoc est, quod bona communicabilia per sacramenta

* Num. II, *Ratio quoque.*

solum potest per sacramenta communicare; bona autem communicabilia etiam aliter quam per sacramenta, potest sine sacramento communicare.

Illud vero quod glossando seu respondendo dicitur, ea quae spectant ad remissionem peccatorum commissa esse praelatis Ecclesiae mediantibus solummodo sacramentis: verum est de spectantibus ad remissionem peccatorum simpliciter; non autem de his quae spectant ad remissionem peccatorum secundum quid. De quorum numero est remissio poenae temporalis pro actuali peccato debitae: praesupponit enim peccatum simpliciter remissum, et secundum minimum quid tantum, puta temporalem poenam, remittendum.

* Num. 1. VII. Et per hoc patet solutio principalis argumenti *. Nam sine sacramento conferre sacramenti effectum simpliciter, seu totalem, spectat ad claves excellentiae: conferre autem sine sacramento id quod partialiter potest esse effectus sacramenti, potest pertinere ad claves ministerii. Sic autem est in proposito. Quoniam remissio poenae temporalis pro actuali peccato debitae nullius sacramenti est simpliciter, seu totalis effectus: licet sit partialis baptismi effectus, et possit esse partialis aliorum sacramentorum effectus; et possit etiam sine sacramento effici, et sine actu clavium. Quia constat quod potest vel per proprios actus poenitentis, vel per amicorum satisfacientium pro eo actus fieri: ut patet cum aliquis mortificat seipsum ieiunando, peregrinando, etc., pro peccatis suis, vel amicus similia facit ut pro amico satisfaciat.



QUAESTIONES DE CAUSA INDULGENTIARUM

QUAESITUM PRIMUM

UTRUM NECESSARIO REQUIRATUR CAUSA RATIONABILIS INDULGENTIARUM

Circa causam indulgentiarum dubium duplex occurrit: primum, an necessario requiratur causa rationabilis; secundo, an causa expressa in bulla, ex hoc ipso quod est expressa, sit rationabilis *.

* Quaesitum II.

Circa primum, videtur pars negativa vera *. Quoniam indulgentiae indiscretae, licet peccet concedens, sunt efficaces. Dicuntur autem indulgentiae indiscretae quae ex causa non rationabili procedunt.

* Cf. num. VII.

Praeterea, dispensatio ministeriorum Dei in Ecclesia praesenti est valida etiam sine causa rationabili facta. Ergo dispensatio indulgentiarum, etiam sine causa rationabili facta, debet esse valida. – Antecedens patet in promotione indignorum. Si enim indigni aliqui promoveantur ad episcopatum, prioratum, abbatiam, etc., quamvis promotor pessime dispenset huiusmodi ministeria, facta tamen tenent. – Consequentia vero probatur. Quia, sicut credita est Papae dispensatio indulgentiarum, ita et dispensatio ministeriorum Dei: iuxta illud *, *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores ministeriorum Dei.*

* I *ad Cor.*, cap. IV, vers. 1.

In oppositum autem est quod *indiscretae indulgentiae enervant satisfactionem poenitentialem,* ut dicitur Extra, *de Poenit. et Remiss.*, cap. *Cum ex eo.* Non enervarent autem si essent validae, sed supplerent, adimplentes in veritate quod per satisfactionem poenitentialem agendum erat.

II. In hac quaestione aliquid supponitur, et aliquid quaeritur. Supponitur enim, cum doctrina communi, quod unum requisitorum necessario ad efficaciam indulgentiae est causa rationabilis. – Quod etiam manifestatur ex eo quod, si daretur indulgentia ob causam profanam, puta pro eundo ad theatrum, constat quod indulgentia esset nulla.

Hoc autem supposito, in quaestionem vertitur an, quemadmodum ad collationem indulgentiae requiritur rationabilis causa ita necessario quod sine illa indulgentia non est valida, ita ad efficaciam tantae indulgentiae, puta centum vel mille annorum, etc., exigatur simili necessitate rationabilis causa tantae quantitatis indulgentiae, ita quod sine huiusmodi rationabili causa tanta quantitas indulgentiae est invalida.

III. Ex communibus autem applicatis ad hoc, non est difficile concludere partem affirmativam veram, scilicet: Ad efficaciam tantae indulgentiae exigitur rationabilis causa quantitatis indulgentiae, ita quod sine illa non est valida. Nam si, ut supponitur et communiter confitemur, rationabilis causa est sic necessaria ad indulgentiam, necessario sequitur quod ad tantam indulgentiam est etiam sic necessaria rationabilis causa illius quantitatis. Et probatur sequela inductive.

IV. Verum, ad minus communia descendendo, considerandum est quod, licet potestas Papae super communia Ecclesiae bona tam spiritualia quam corporalia sit dispensativa, iuxta illud Apostoli *, *Dispensatio mihi credita est;* res tamen subiectae huiusmodi potestati diversimode illi subduntur, et diversimode ab illa attinguntur. Et, quantum ad propositum spectat, distinguenda sunt in duo genera: scilicet, validorum ex solo imperio; vel non validorum ex solo imperio.

* I *ad Cor.*, cap. IX, vers. 17.

Sunt enim quaedam in Dei Ecclesia quae, quamvis ad hoc quod recte fiant, ultra Pontificis imperium, exigant rectam regulam voluntatis imperantis, si tamen absque recta regula solo Pontificis imperio fiant, valida sunt: de quibus iura dicunt quod multa fieri prohibentur quae tamen facta tenent. De quorum numero sunt distributiones beneficiorum, dispensationes matrimoniorum in casibus dispensabilibus, et similia.

Secundum autem genus, scilicet invalidorum ex solo imperio, adhuc subdistinguitur. Nam quaedam invalida ex solo imperio attingi, cum hoc, possunt a Pontifice verbo et opere per viam facti: quaedam vero sunt invalida ex solo imperio quae, cum hoc, per viam facti attingi non possunt opere, sed verbo tantum. In primo membro huius subdivisionis continetur dilapidatio bonorum Ecclesiae. Si enim Pontifex pro suo libito Ecclesiae terras, etc., donaret, donatio esset invalida, quoniam ipse non est dominus bonorum Ecclesiae: et si facto et bullis poneret eos quibus donavit in possessionem, non propterea transferret dominium rerum illarum in illos.

In secundo autem membro continetur dispensatio votorum. Si enim votum castitatis solo imperio a Papa dispensetur, constat dispensationem esse nullam. Et circa voti vinculum propterea per viam facti nullum actum Pontifex haberet nisi verborum: executio enim cuiuscumque operis Pontificii ex solo imperio emanans non attingit aliquid circa voti vinculum.

Tribus igitur existentibus generibus rerum subiectarum dispensativae potestati Pontificis, facile patere potest quod primum genus dupliciter a potestate Pontificia attingitur, scilicet dispensatione regulata, et dispensatione non regulata. – Secundum autem a potestate quidem Pontificia unico modo attingitur, scilicet dispensatione, hoc est rationabili operatione: sed ab ipso Pontifice aliter de facto attingitur, puta dissipatione, dilapidatione, etc. – Tertium vero sola dispensatione, idest rationabili operatione (seclusis verbis, sicut et in secundo), attingi potest tam a potestate Pontificia quam ab ipso Pontifice.

V. In quo autem horum generum indulgentiae contineantur, facile est discernere. Quod enim non sint sub primo genere, quae scilicet sunt valida ex solo imperio, ex eo patet quod Papa non potest dare indulgentias hac sola ratione quia vult: et si pro solo libito daret, indulgentia non esset valida, ut ex communi doctrina supponimus, et aliqualiter probatum est *. – Et iterum probatur * Num. II.
ex hoc quod communia Ecclesiae bona temporalia non potest Pontifex donare, donatione valida, ex hoc solo quia vult. Non minus enim pretiosa ac cara Ecclesiae sunt bona communia spiritualia quam temporalia: et propterea, si illorum donatio ex solo imperio est invalida, multo magis invalida erit horum effusio ex solo imperio. – Nec solvitur haec ratio dicendo quod donatio temporalium est cum damno Ecclesiae, donatio vero horum spiritualium est sine damno Ecclesiae. Nam habere damnum annexum, vel carere annexo damno, per accidens se habet ad potestatem dispensativam: ut patet ex hoc quod etiam in quibusdam habentibus annexum damnum Ecclesiae donatio ex solo imperio est valida, ut attestatur distributio praelationum. Unde non penes damnum vel non damnum attenditur vis potestatis dispensativae.

Quia igitur communia Ecclesiae bona ex quibus efficaces sunt indulgentiae, non continentur sub primo genere; et a secundo genere ex hoc distant quod per viam facti nullum operis, sed solius verbi actum Papa habere potest circa illa, non enim potest transferre possessorium de facto horum bonorum, sicut potest respectu temporalium: restat ut sub tertio genere thesaurus contineatur indulgentiarum.

VI. Ex quibus potest formari talis ratio. Thesaurus indulgentiarum non potest veraciter attingi a potestate Pontificia nisi actu verae dispensationis. Ergo tam indulgentia quam tanta indulgentia, data sine causa rationabili tantae indulgentiae, est invalida.

Antecedens probatum est: et supponitur secundum communem doctrinam.

Consequentia vero, quoad secundam partem, probatur. Tum quia eiusdem rationis est actus dans indulgentiam, et dans indulgentiam tantam. Ac per hoc, si solus actus verae dispensationis potest attingere thesaurum indulgentiae, solus etiam verae dispensationis actus poterit attingere thesaurum tantae indulgentiae. – Tum quia, si quantitas indulgentiae attingitur aliter quam per veram dispensationem, oportet alium actum fingere, puta actum imperii seu liberae donationis, respectu talis quantitatis. Et tunc, aut iste actus attingit thesaurum via facti, aut via iuris. Non via facti: quia ad istum thesaurum nullus est humanus accessus per viam facti. Nec via iuris: quia de iure sola dispensatio credita est Papae.

Sicut sunt ergo invalidae indulgentiae quae ex causa rationabili non fiunt, ita non est valida tanta indulgentia, puta mille annorum, nisi fiat ex causa rationabili tantae quantitatis, scilicet mille annorum.

VII. Ad primum autem in oppositum * dicitur quod sententia illa, scilicet, *Indulgentiae indiscretae sunt validae*, verificatur de indiscretis quoad eventum, non autem de indiscretis quoad causam. Sunt enim indulgentiae indiscretae ratione eventus, quando indulgentiae alias bene concessae pariunt, propter earum multitudinem, quasi contemptum aut ipsarum aut satisfactionum poenitentialium. Et tales sunt validae. – Sed si sunt indiscretae quia carent rationabili causa, aut omnino aut quoad tantam quantitatem, sunt invalidae.

* Num. i.

Ad secundum iam patet responsio ex dictis *. Nam ministeria sunt in alio genere dispensabilium: et indulgentiae sunt in alio dispensabilium genere. Illorum enim efficacia ex solo pendet imperio: horum autem efficacia absque vera dispensatione esse nequit. Et propterea non est similis ratio.

* Num. iv, v.

QUAESITUM SECUNDUM

AN EX HOC IPSO QUOD IN BULLA EXPRIMITUR ALIQUID PRO CAUSA INDULGENTIAE, SIT RATIONABILIS CAUSA TANTAE INDULGENTIAE

Circa secundum de causa rationabili indulgentiarum quaesitum *, an ex hoc ipso quod in bulla exprimitur aliquid pro causa indulgentiae, sit rationabilis causa tantae indulgentiae, pro parte affirmativa occurrit multiplex argumentum *.

* Cf. quaesitum i, num. i.
* Cf. num. iv.

Primo, quia aliter praedicatio Ecclesiae esset falsa.

Secundo, quia doctrina Romanae Ecclesiae periclitaretur.

Tertio, quia non esset universaliter vera illa communis sententia: *Indulgentiae tantum valent quantum sonant.*

Quarto, quia aliter deciperetur populus ab Ecclesia, audiens tantam indulgentiam pro tali opere, et exequens illud ut habeat indulgentiam, et tamen non acquireret illam in veritate.

II. Quaestio haec non est mota propter difficultatem quam in seipsa habeat, sed ad excitandos illos qui sciunt in universali et deficiunt in singulari *. Unde, distinguendo de rationabili praesumpto vel vero, duo dicenda sunt *.

* Cf. Iam IIae, qu. lxxvii, art. 2.
* Cf. num. seq.

Primum. Causa indulgentiae expressa in bulla, nisi manifestus sit error, est semper rationabilis, loquendo de rationabili praesumpto. Nam, sicut sententia a iudice lata, nisi errorem contineat manifestum, praesumitur iusta; ita causa a principe expressa in dispensationibus praesumitur rationabilis, nisi, ut dictum est, error sit manifestus.

III. Secundum est. Causam indulgentiae tantae expressam in bulla non oportet esse rationabilem in veritate. Et ratio in promptu est multiplex. Tum quia Papa potest in istis errare: cum non sit haec sententia iudicialis de his quae sunt fidei. Ubi scito quod, licet accessus ad indulgentias, et earum susceptio, sit quaedam Christianae fidei professio, fides tamen Christiana eo modo quo est de indulgentiis, non est de hac vel illa indulgentia. Sed, sicut fides nostra circa Eucharistiae sacramentum est quod sub hostia rite consecrata continetur corpus Christi, non autem est quod ista hostia sit rite consecrata, neque est quod sub hac hostia quae proponitur adoranda, continetur corpus Christi, quoniam utrumque eorum potest esse falsum, fidei autem Christianae non potest subesse falsum: ita circa indulgentias, non curando pro nunc quomodo spectent ad fidem, fides nostra est quod indulgentiae rite datae sunt validae; et non spectat ad fidem an ista indulgentia sit rite data, an ista causa eius sit rationabilis, an ista indulgentia sit valida. Et simile est de aliis singularibus: quoniam haec omnia possunt esse falsa; et propterea non spectant ad fidem nostram, sed ad humanam opinionem seu credulitatem, quae est de his singularibus, et potest falli. Et propterea accessus ad indulgentias in communi quidem est quaedam fidei professio: sed accessus ad istam indulgentiam procedit ex fide tanquam ex causa remota, et humana credulitate huius indulgentiae, huius causae, et huiusmodi, tanquam ex causa proxima. Et quia effectus sequitur conditionem causae proximae, sicut conclusio minorem seu deteriorem praemissam, ideo potest concursus iste falli absque Christianae fidei detrimento.

Tum quia non solum potest Papa errare in huiusmodi, sed etiam facile potest errare, sicut et in aliis similibus actibus. Dare siquidem indulgentias consistit in actibus absolutionis et dispensationis: absolvuntur enim per eas poenitentes ab iniunctis poenitentiis, et dispensatur thesaurus meritorum Christi et sanctorum. Sed tam in actu absolutionis quam in actu dispensationis facile committi potest error, etiam ex proposito: ut patet in dispensatione votorum, et in dispensatione bonorum temporalium Ecclesiae et ministeriorum ecclesiasticorum, et in absolutionibus a censuris et iuramentis in praeiudicium aliorum, etc. Ergo in hoc quoque singulari facto quo dat indulgentiam, seu exprimit talem causam pro tanta indulgentia, errare facile potest.

Nec est recurrendum ad Spiritus Sancti assistentiam, et propterea pie debere credi quod non potest Papa in istis errare. Nam in maiori causa permisit Spiritus Sanctus Romanos Pontifices errare, scilicet in causa spectante ad sacramentum matrimonii, in qua, ut habetur Extra, *de Sponsa duorum,* in cap. *Licet,* Alexander III dicit: *Quamvis aliter a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliquando iudicatum.* Quod longe plus est quam dare indulgentiam indiscretam ex causa: tum quia erat causa sacramentalis; tum quia iudicialiter actum est. Indulgentiae autem possunt dari passim sine consilio et sine meditatione, ac per hoc, sine discretione.

Quamvis igitur non spectet ad subditos discutere et iudicare de Pontificiis indulgentiis aut causarum meritis, dubium tamen non est posse etiam per Papam dari indulgentias indiscretas et quoad causam et quoad eventum.

IV. *Ad primum* ergo in oppositum * dicitur quod praedicatio Ecclesiae quoad indulgentias tripliciter se habet. Primo, narrative: prout scilicet narrat contenta in bulla. Et hic nulla est falsitas: quoniam narratio est vera. – Secundo, doctrinaliter. Et hic subdistinguitur. Vel docendo doctrinam fidei. Et sic etiam nullum est periculum falsitatis: quoniam, sicut fides non se extendit ad istam indulgentiam aut istam causam istius indulgentiae, ita nec doctrina

* Num. i.

Ecclesiae extendit se ad haec singularia. – Vel docendo opiniones doctorum. Et sic potest praedicare falsa, si opinio praedicata est falsa. Et propterea, ad praeservandum praedicationem ab huiusmodi falsitate, debent praedicatores aut opinative, aut recitative opiniones praedicare.

Ad secundum dicitur quod aliud est loqui de doctrina Romanae Ecclesiae, seu Romani Pontificis, et aliud est loqui de operibus eiusdem. Docuerunt siquidem Romani Pontifices multi indulgentias ex causis rationabilibus dari: in qua doctrina continetur quod etiam tanta indulgentia debet procedere ex causa rationabili tantae quantitatis, ut superius * deductum est. Factum autem quod in bullis indulgentiarum continetur si quandoque periclitaretur, non propterea Romanae Ecclesiae doctrina periclitaretur.

* Quaesit. praec., num. II sqq.

Ad tertium dicitur dupliciter. Primo, quod illa sententia communis intelligitur negative, hoc est: *Non plus valent quam sonant.* Divulgata enim videtur sententia illa ad excludendas extensiones indulgentiarum ad ea quae sub earum tenore non continentur. – Secundo dicitur quod vera est de indulgentiis discretis: non autem de indiscretis quoad causam. – Potest et tertio dici quod vera est in foro exteriori, in quo statur praesumptionibus iuris.

Ad quartum dicitur quod populus potest quidem decipi in huiusmodi, sed non decipitur ab Ecclesia: sicut etiam potest decipi adorando hostiam propositam a sacerdote in missa. Si contingeret autem in huiusmodi populum falli, falleretur aut a propria credulitate, aut ab humanis opinionibus, aut ab indiscreto facto dantis indulgentiam, vel ab omnibus simul: et non ab Ecclesia, ad cuius doctrinam non spectant haec singularia, sicut nec ad eius fidem.



QUAESTIONES DE SUSCIPIENTIBUS INDULGENTIAS

QUAESITUM PRIMUM

AN, PRAETER GRATIAM, REQUIRATUR EX PARTE SUSCIPIENTIS INDULGENTIAS ALIQUA ALIA DISPOSITIO

Circa suscipientes indulgentias dubium duplex occurrit: primum, an, praeter gratiam, requiratur ex parte suscipientis aliqua alia dispositio; secundum est, an, tempore quo fit opus pro indulgentia, oporteat operantem esse in gratia *.

* Quaesitum II.

Et in primo quidem dubio, pro parte negativa est auctoritas doctrinae communis tenentis ad indulgentiam sufficere tria: auctoritatem in dante, gratiam in suscipiente, pietatem in causa *.

* Cf. num. VIII.

In oppositum est quod ad plenariam remissionem poenae per viam sacramenti poenitentiae non sufficit gratia ex parte suscipientis. Ergo nec ad plenariam huiusmodi remissionem per viam indulgentiae sufficit gratia ex parte suscipientis. – Antecedens est clarum: alioquin quilibet confessus in gratia consequeretur plenariam remissionem poenae. – Consequentia vero probatur. Tum quia sacramentum est potius quam indulgentia. Et distributor thesauri per sacramentum est longe liberalior quam quilibet Pontifex: quoniam liberalitas divina in infinitum excedit liberalitatem humanam.

II. In hac quaestione, quia difficile admittitur oppositum eorum quae consuevimus, censorem desidero intellectum mundum ab opinionibus. Videtur siquidem mihi rationabiliter dici quod non sufficit sola gratia ex parte suscipientis ad veraciter consequendam indulgentiam coram Deo. Sunt siquidem confessi in gratia duplicis ordinis: quidam solliciti ad satisfaciendum per seipsos pro peccatis suis; quidam negligentes satisfacere per seipsos. Primi condignas poenitentias vel petunt a confessoribus sibi imponi, parati eas implere: vel sponte illas assumunt, dum continue student per sua sancta opera satisfacere, ieiunando, orando, eleemosynas dando, etc., ad hoc. Secundi vero parvissimam poenitentiam aut rogant, aut laeti suscipiunt: et, cum illam impleverint, quam sciunt esse minimam, non curant amplius de satisfaciendo, reputantes sibi sufficere quod non ibunt ad infernum. Et hi sunt quibus indulgentiae non prosunt, iudicio meo.

Et ratio quae me movet est: Nullus indignus aliena satisfactione pro poena sibi debita, consequitur veraciter fructum indulgentiae. Sed quilibet in gratia constitutus negligens satisfacere per seipsum, est indignus aliena satisfactione pro poena propriis peccatis debita. Ergo nullus constitutus in gratia negligens satisfacere per seipsum, acquirit fructum indulgentiae.

III. Maior propositio intelligentibus terminos est evidens. Indulgentia enim per satisfactionem alienam, hoc est Christi et sanctorum, parit fructum qui est remissio poenae temporalis pro actuali peccato debitae: ac per hoc, si est aliquis indignus aliena satisfactione, indignus est indulgentia. Indignos autem indulgentia non consequi veraciter fructum illius, tam verum ac manifestum est ut probatione non egeat, apud intelligentes distributionem divinorum donorum in solis dispositis habere locum (constat autem indignos non esse dispositos), et divina operatione remissiones fieri poenarum per indulgentias humano ministerio rite concessas.

IV. Ad evidentiam autem minoris, praelibanda sunt duo. Primum est quod satisfactio pro poena temporali actuali peccato debita, est onus personale: tenetur enim ipse qui peccavit facere satis. – Secundum est quod, licet tam contritio quam confessio sit ita personalis quod non possit per amicum suppleri, satisfactio tamen, quia per exteriora bona fit, inter quae computantur amici, ita est onus personale quod capax est amicabilis adiutorii.

Quibus praemissis, probatur minor. Primo, sic. Indignus amicabili adiutorio est indignus aliena satisfactione. Sed constitutus in gratia negligens satisfacere per seipsum, indignus est amicabili adiutorio. Quoniam amicitiae ratio poscit quod *amicorum sit idem velle et idem nolle* *: et propterea, si ego pro meipso nolo satisfacere, par est ut amicus quoque hoc nolit. Quin potius non amice peterem ut, me negligente satisfacere, ipse pro me pateretur. Possentque recte huiusmodi negligentes, quaerentesque per indulgentias satisfacere, verbo Domini reprehendi: *Alligant onera gravia et importabilia in humeros hominum,* idest amicorum, *digito autem suo nolunt movere ea* *. – Nec obstat quod sancti iam passi sunt. Quoniam similis est ratio de passionibus praeteritis et futuris: quia illis solis prosunt praeteritae pro quibus patiendum fuerat; et ideo, si pro huiusmodi negligentibus non fuerat ab amicis patiendum, nec postea quam passi sunt, illis amicorum prosunt passiones.

* Sallust. *Catalinar.* cap. XX.

* Matth. cap. XXIII, vers. 4.

Secundo probatur eadem minor similiter ex habitudine ad communem Ecclesiae thesaurum. Quia in qualibet bene ordinata republica, quantumcunque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi communem thesaurum in cives gravatos aere alieno, negligentes tamen solvere indigni censerentur adiutorio thesauri: ex eo enim quod possunt de suo solvere et non curant, indignos se reddunt tali sublevamine. Et nisi tales pro indignis haberentur, foveretur negligentia, quoniam alii horum exemplo ad similem negligentiam provocarentur: legis autem est facere non negligentes, sed virtuosos *. Cum igitur Ecclesia sit a Deo ordinata, aequum non est ut spiritualis dispensatio thesauri negligentes satisfacere pro dignis habeat: hoc enim vere esset *enervare satisfactiones poenitentiales* *.

* Arist. II *Ethic.*, cap. I, n. 5. - S. Th. lect. I.

* Cf. supra *Qq. de Causa Indulgen.*, quaesit. I, num. I, fin.

V. Non prosunt igitur indulgentiae constitutis in gratia negligentibus satisfacere per seipsos, quoniam indigni sunt indulgentia: sed oportet, ultra gratiam, dispositos ipsos esse ut digni sint alienis satisfactionibus. Fiunt autem digni per hoc quod sunt parati per seipsos satisfacere: sic enim sunt digni amicabili adiutorio ad satisfaciendum. Parati autem ad satisfaciendum per seipsos sunt, non qui negligunt per seipsos satisfacere, sed illi soli quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata quod non retardat opus nisi impedita.

VI. Confirmatur autem hoc ex antiqua forma indulgentiae, cum dicitur, *vere poenitentibus.* Poenitens enim dupliciter dicitur. Vel per exclusionem contrarii, quia scilicet nihil habet in suo animo contrarium poenitentiae: et hoc modo quilibet existens in gratia est poenitens, etiam si sit negligens ad satisfaciendum. Vel per positionem virtualis poenitentiae: quia scilicet vis affectus poenitentialis in eo secundum veritatem viget. Et hoc modo poenitens non est nisi sollicitus ad per seipsum satisfaciendum. Cum ergo dicitur, *vere poenitentibus,* nisi superflue seu ad maiorem expressionem appositum sit ly *vere,* denotat indulgentias non consequi poenitentes negligentes, sed poenitentes sollicitos, qui soli sunt vere poenitentes, significante participio actum poenitendi, qui non invenitur apud negligentes, sed apud sollicitos.

Manifestius quoque suadetur hoc idem ex alio verbo eiusdem formae, cum dicitur, *de iniunctis poenitentiis.* Constat enim communiter quemlibet poenitentem paratum

esse ad iniunctam poenitentiam peragendam: alioquin non acceptasset illam. Et propterea ex hoc verbo duo habentur. Alterum est quod indulgentia, nisi nova forma detur, non absolvit nisi a poenitentiis iniunctis. Alterum est quod indulgentia non prodest nisi parato per se satisfacere. Primum enim horum explicite, secundum autem implicite, inquantum paratus ad satisfaciendum supponitur, ex eodem verbo habetur.

VII. Et hinc sequitur primo, quod frustra faceret quis sibi iniungi magnas poenitentias a confessore, non ut ipsas adimpleret, sed ut per indulgentias ipsas exsolveret: quoniam hoc non est esse paratum ad satisfaciendum, sed ad imponendum amicis iugum suum.

Sequitur secundo quod, si forma indulgentiae mutaretur et ad non iniunctas extenderetur poenitentias, dispositio tamen suscipientis non propterea mutaretur: quoniam ex natura rei exigitur ex parte suscipientis esse paratum ad satisfaciendum secundum vires per seipsum, ut declaratum est *.

* Num. IV sqq.

Nec intelligo hanc praeparationem ad satisfaciendum ita stricte quin per aliquid aequivalens aut maius suppleri possit: ut patet ex hoc quod contingit quandoque causam pro qua datur indulgentia tale ac tantum exigere opus ut excedat praeparationem ad satisfaciendum; puta si detur plenaria pro actu quo se exponit morti pro Christo, aut perpetuae mancipationi alicuius pii servitii, aut aliquo huiusmodi. Et tunc causa indulgentiae ex parte concedentis tenet locum causae rationabilis tantae indulgentiae; et ex parte suscipientis supplet locum dispositionis reddentis dignum amicabili satisfactione. Secus autem est si daretur plenaria pro visitante aliquam ecclesiam: nam, dato quod causa esset rationabilis ex parte concedentis, visitatio tamen ipsa non supplet vicem praeparationis ad satisfaciendum, cum nec illi aequivaleat nec excedat.

VIII. Ad obiectionem autem in oppositum * dicitur, quantum ad divum Thomam spectat, quod aliorum opiniones secutus est: ut ipsemet, tria illa colligendo, explicat in IV *Sent.*, dist. XX, qu. 1, art. 3, qu. 2.

* Num. I, *Et in primo.*

Quantum vero ad communem doctrinam, quia non nisi opinativa est, cum bona reverentia dictum sit, non inconvenit adinventis ab ipsis aliquid novi superaddi, quod sub forma indulgentiae latebat, et ratione probabili roboratur.

Et scito quod iuxta hunc dicendi modum solvuntur omnes quaestiones: tam de nimis largo Dei foro; quam de omittendis suffragiis pro plenarie absolutis in morte; quam de admiratione sapientum, et de oblocutionibus detrahentium; et excitantur Christi fideles ad poenitentiae opera. Nec aliquid adimitur efficaciae indulgentiarum: sicut nihil adimitur efficaciae sacramentorum ex hoc quod oportet accedentes ad illa esse digne dispositos, si fructuosa sibi esse volunt. Soli siquidem indigni indulgentia ab illius fructu, iuxta hunc dicendi modum, excluduntur.

QUAESITUM SECUNDUM

AN TEMPORE QUO FIT OPUS PRO INDULGENTIA, OPORTEAT OPERANTEM ESSE IN GRATIA

Circa secundum vero quaesitum de causa indulgentiarum *, sciendum est quod dupliciter dantur indulgentiae. Vel ita quod tempus indulgentiae et tempus operis sit unum et idem: ut cum datur indulgentia visitanti ecclesiam. Et tunc non habet locum haec quaestio: quoniam constat tempus fructus indulgentiae coexigere gratiam in percipiente illum.

* *de suscipientibus indulgentias.*- Cf. quaesit. praeced., num. I.

Vel ita quod aliud sit tempus operis, et aliud sit tempus percipiendi fructum indulgentiae: ut cum datur indulgentia semel in vita et semel in morte suscipientibus crucem. Et tunc habet locum proposita quaestio, an exigatur gratia tunc cum fit opus pro quo datur indulgentia.

II. Videtur enim pars negativa vera *. Tum quia absque gratia tempore operis salvari possunt omnia requisita ad fructum indulgentiae *: nam salvatur auctoritas in dante, pietas in causa, gratia, etiam sollicita, in suscipiente tempore quo suscipit illam. Ergo, etc.

* Cf. num. IV.

* Cf. quaesit. praeced.

Tum quia non minus valet huiusmodi opus pro se quam pro alio. Sed si pro alio, puta existente in purgatorio, opus hoc quis faceret sine gratia, indulgentia valeret pro illa anima: praesupposito, ut quandoque fit, quod possit quis accipere indulgentiam pro defuncto faciendo tale opus. Ergo ad faciendum opus pro indulgentia non requiritur gratia.

III. In hac quaestione videtur mihi non solum tutior, sed longe rationabilior pars affirmativa, scilicet quod exigitur gratia etiam tempore operis. Probaturque hoc dupliciter. Primo, ex antiqua indulgentiarum forma, cum ordinate utrumque exprimitur, ita quod primo loco exprimitur gratia, et secundo exprimitur opus, non qualitercumque, sed ut ipsa gratia afficiat operantem. Dicitur enim sic: *omnibus vere poenitentibus et confessis qui visitaverint talem ecclesiam*; seu, *qui manus porrexerint adiutrices*, etc. Ubi manifeste patet ex forma Esclesiae consueta haberi poenitentiam seu gratiam coexigi ad tale opus pro quo fit indulgentia.

Deinde probatur hoc ratione. Sicut thesaurus civilis non nisi pro civili causa dispensatur, ita thesaurus vitalis non nisi pro sola vitali causa dispensatur. Sed thesaurus indulgentiarum est thesaurus vitalis: utpote ex passionibus vivis Christi et sanctorum constans, et vitae aeternae impedimenta tollens. Ergo pro sola vitali causa communicatur. Sed opus extra gratiam non est vivum, sed mortuum. Ergo pro eo thesaurus indulgentiarum non communicatur.

Et confirmatur ex hoc quod reliqua requisita ad dispensationem thesauri indulgentiarum sunt viva: vivunt enim qui passi sunt sancti; vivae sunt et passiones eorum; vivit et Summus Sacerdos, qui est ut principalis dispensator indulgentiae; vivit particeps indulgentiae. Ergo et vivam oportet esse causam indulgentiae: *quae est enim conventio lucis ad tenebras* *, et vitae ad mortem?

* II *ad Cor.*, cap. VI, vers. 14.

Nec obstat quod Pontifex dans indulgentiam possit esse mortuus secundum vitam gratiae: quoniam ipse minister tantum est, et velut instrumentum Christi concurrit. Ad causam enim principalem respiciendum est: ut patet in simili, cum scilicet dominus in caritate existens per reprobum dispensatorem eleemosynas distribuit; est enim opus illud vivum, non obstante spirituali morte ministri.

Oportet ergo vivum esse opus pro quo datur indulgentia.

IV. Ad primam ergo obiectionem in oppositum * dicitur falsum esse quod sine vivo opere omnia requisita ad indulgentiam salventur: nam pietas in causa claudit in se vitam operis. Ex hoc enim quod exigitur pietas in causa, hoc est in opere pro quo datur indulgentia, consequens est quod exigatur etiam vita: nam pietas ipsa, nisi sit viva, pietas non est; cum nulla sit Christiana virtus sine caritate.

* Num. II.

Ad secundum dicitur quod opus mortuum, sicut non sufficit ad indulgentiam pro se pro tempore quo erit in gratia, ita non sufficit ad indulgentiam pro alio existente in gratia.

Et si instetur quod eleemosyna facta extra caritatem pro existente in purgatorio, valet pro illo: ergo multo magis valet mediante indulgentia: – respondetur quod eleemosyna talis non valet pro defuncto per modum satisfactionis, sed per modum supplicationis: scriptum est enim *: *Absconde eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa orat pro vobis.* Peccatorum autem supplicationes quandoque exaudiri Augustinus testatur *, reprehendens verbum caeci nati, *Nos scimus quia peccatores Deus non exaudit* *. Ex hoc autem quod valet per modum supplicationis mortuae, non sequitur quod valet pro indulgentia acquirenda: quoniam indulgentia habet vim satisfactionis vivae; supplicatio autem mortua soli misericordiae innititur Dei, cui supplicatur.

* *Eccli.* cap. XXIX, vers. 15.

* *In Ioan. Evang.* tract. XLIV.

* Ioan. cap. IX, vers. 31.

DE MODO TRADENDI AUT RECIPIENDI ORDINES ARTICULUS UNICUS

Circa sacramenta tam extremae unctionis quam ordinis nihil mihi scribendum occurrit, nisi, circa sacramentum ordinis, cautos reddere ne pertinax quisquam aut levis sit circa modum tradendi aut recipiendi ordines. Nam, si collecta fuerint quae pontificales codices, quaeque ratio auctoritasque doctrinae tradidit, incerta valde apparebit, presbyteratu excepto, reliquorum natura ordinum.

II. Et de minoribus quidem ordinibus et subdiaconatu, Magister Sententiarum, in XXIV distinctione IV *Sent.* *, dicit institutos esse ab Ecclesia.

* Cap. *Septimus est ordo*, in fine.

De diaconatu vero ambiguum magis est. Quia non constat ex *Actibus Apostolorum* diaconos altaris, sed diaconos mensarum et viduarum institutos esse ab Apostolis, *Act.* VI *. Quin potius oppositum ibi dicitur: quoniam diaconi altaris *ad orandum et praedicandum* ordinantur, ut in pontificalibus patet; ibi vero dicunt Apostoli *, *Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.* Quocirca, licet tunc non fuerint diaconi altaris instituti, videntur tamen ab Apostolis instituti, licet nesciatur quando et ubi. Iungit siquidem diaconos episcopis Paulus, *ad Philipp.* I *, dicens, *Omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus:* et I *ad Tim.* III *, descripto episcopo, describit qualis debet esse diaconus. Et quia ambae Ecclesiae, scilicet Philippensis et Ephesina, cuius erat Timotheus episcopus, erant ecclesiae gentium, in quibus non legimus vixisse in communi Christianos, ut Hierosolymis *, ac per hoc, non egebant diaconis mensarum et viduarum, ideo diaconi altaris videntur esse isti. Et confirmatur ex Dionysio, ponente * diaconatus ordinem in primitiva ecclesia. Unde diaconatum ab Apostolis credimus coepisse.

* Vers. 1-6.

* Vers. 4.

* Vers. 1.

* Vers. 8 sqq.

* *Act.* cap. IV, vers. 34, 35.

* *Eccles. Hier.* cap. V, § 6, 7.

Et, quod magis urget, nulla videtur certa forma in diaconatu. Nam secundum antiqua pontificalia impositio manuum super diaconum non habet certam verborum formam, nisi orationem illam, *Emitte, quaesumus, in eos Sanctum Spiritum,* etc., quae secundum nova pontificalia post impositionem manuum dicenda est. Datio autem libri Evangeliorum certam habet formam verborum: sed tunc non imprimi characterem ex eo videtur quod, antequam Evangelium aliquod esset scriptum, diaconi ab Apostolis videntur ordinati, non dicendo, *Accipe potestatem legendi Evangelium,* sed, ut creditur, per impositionem manuum.

Idem quoque apparet in subdiaconatu: in quo nullum pontificale habet nisi materiam sine forma, scilicet traditionem calicis vacui, etc.

Taceo de minoribus ordinibus: in quibus varietas multiplex invenitur etiam inter antiqua pontificalia.

Ex quibus apparet quod huiusmodi ordines sacramentalia quaedam videntur, magis quam sacramenta. Et ad hoc ducit ratio. Quia per nullum dictorum ordinum potest ordinatus actum aliquem qui, si sine illo ordine fieret, esset nullus: ut patet discurrendo per singulos actus diaconi et inferiorum.

Et per hanc rationem episcopatus videtur ordo: quia aliquem actum potest episcopus qui, a non-episcopo factus, nullus est; ut confirmare, praesupposita veritate decretalis Extra, *de Consuetudine,* cap. *Quanto.*

III. Haec autem sint collecta non ea ratione ut novam velimus ingerere doctrinam de sacramento ordinis: sed ut doctus quisque percipiat incertitudinem materiae de qua est sermo, et non velit *plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* *; hoc est, ut sit contentus consueto pontificali ecclesiae in qua ordinatur. Et si aliquid fuerit omissum eorum quae ex novis pontificalibus sunt addita, puta quia non est datus subdiacono liber Epistolarum cum illis verbis, *Accipe librum,* etc.; non propterea suppleri oportet in alia ordinatione huiusmodi omissum: huiusmodi enim nova additio non facit legem novam.

* *Ad Rom.* cap. XII, vers. 3.

Nec mihi aliquis obiiciat oppositum me alibi scripsisse, dum de simultate contactus in primo Quolibeto * scripsi. Haec enim non adversantur illis: quoniam non nisi de his quorum contactus simul cum traditione in pontificali mandatur, locutus sum.

* *Opusc. Caiet.* tom. I, Tr. XXVI. - Ed. Lugdun. 1562.

IV. Tutius tamen esse constat sequi antiqua pontificalia in tribus infimis ordinibus quam modernum, in quo ostensio materiae prius mandatur cum verbis, et postea tactus materiae. Et certe mirum est, cum corrector ille mutaverit ministrum materiae in acolythatu, scilicet archidiaconum in episcopum, ut tutiorem viam eligeret, quod in praecedentibus ordinibus labori episcopi tantum pepercit ut minus tutam viam eligeret. In antiquis siquidem pontificalibus diversimode de minoribus ordinibus habetur: nam alicubi de ostiario et lectore habetur, *Tradit sibi claves vel librum episcopus dicens;* de exorcista vero habetur, *Accipiat librum de manu episcopi dicentis sibi;* de acolytho autem, *Accipiat candelabrum,* etc., *de manu archidiaconi, dicente sibi episcopo.* Ubi apparet semper simultas formae et materiae: et quod materia non est monstratio, sed traditio et acceptio. Alicubi vero habetur ut in novo pontificali tempore Innocentii VIII impresso * legis.

* *Pontificalis Liber.* Roma, opera Magistri Stephani Planck, clerici Patav. dioec., 1485.



DE SACRAMENTO MATRIMONII TRIPLEX QUAESITUM

QUAESITUM PRIMUM

AN MATRIMONIUM CONTRACTUM PER PROCURATOREM SIT SACRAMENTUM

Circa sacramentum matrimonii paucula tractanda occurrunt. Et primo, circa ipsum matrimonii contractum tria occurrunt dubia. Primum est, an matrimonium contractum per procuratorem sit sacramentum; secundum, an contractus matrimonii clandestinus sit quandoque licitus *; tertium est, an matrimonii contractus non propter prolem nec propter vitandam fornicationem, sit licitus *.

* Quaesitum II.
* Quaesitum III.

Circa primum ratio dubii est *, quia matrimonium inter fideles verum et ratum est sacramentum. Contractus autem huiusmodi per procuratores efficit matrimonium verum et ratum. Ergo est ibi sacramentum.

* Cf. num. IV.

Praeterea, coniugium inter infideles est sacramentum: ut dicitur Extra, *de Divortiis,* cap. *Gaudemus*. Ergo a fortiori coniugium huiusmodi, quod est verum et ratum, est sacramentum.

In oppositum est quod nullum sacramentum ministratur per procuratorem.

II. Ad hoc dicuntur duo *. Primum, directe respondendo quaesito, quod matrimonium contractum tantummodo per procuratorem non est sacramentum Ecclesiae. Quod manifestatur dupliciter. Primo, quia nullum sacramentum suscipitur per procuratorem. Quia receptio sacramenti est passio personalis: cum sit intus quidem receptio gratiae sacramentalis; foris vero exigat aliquam in sua persona sensibilem actionem vel passionem, ut patet ex communi ratione omnibus sacramentis.

* Cf. num. seq.

Et confirmatur ex hoc quod sacramentum poenitentiae non potest suscipi per procuratorem. Nam, sicut sacramentum matrimonii consistit in contractibus, ita sacramentum poenitentiae consistit in actibus iudicialibus. Tam autem in iudicialibus quam in contractibus nihil prohibet multa fieri per procuratorem nisi ratio sacramenti: potest enim quis iudicari, absolvi, ligari per procuratorem, sed non sacramentaliter. Et similiter potest quis contractum facere de propria persona per procuratorem, sed non sacramentaliter.

Et confirmatur rursus. Quia, si per procuratorem posset suscipi sacramentum, sequeretur quod, dormientibus ambobus coniugibus dum procuratores contrahunt, coniuges sacramentum susciperent, et nihil omnino a seipsis aut ministro aliquo sacramenti circa ipsos tunc fieret. Quod non solum est absurdum, sed non intelligibile, stante constantia sacramenti ex materia et forma, etc. – Et ultra hoc, sequeretur quod dormiens peccaret mortaliter peccato sacrilegii, suscipiens sacramentum in peccato mortali, si contigisset ut ivisset tunc dormitum in peccato mortali.

Non est ergo coniugium contractum inter fideles per procuratores sacramentum, donec coniuges ipsi coram ratificent contractum. Quod tunc fit cum, coram positi, primo manifestant sibi invicem se habere ut coniuges.

III. Secundum est quod, licet huiusmodi coniugium per procuratorem contractum non sit sacramentum, est tamen verum coniugium, dirimens quodcumque aliud postea contractum et consummatum: multo magis quam primum coniugium inter infideles dirimit secundum, ut dicitur Extra, *de Divortiis,* cap. *Gaudemus.*

Potest tamen facilius dissolvi de consensu partium Apostolica auctoritate matrimonium per procuratorem contractum quam per seipsos coniuges contractum: quoniam in illo deest sacramentum, quod non deest huic.

IV. Ad primum ergo obiectionem in oppositum * dicitur quod coniugium dicitur ratum dupliciter: vel radicaliter, vel formaliter. Et quod coniugium fidelium per procuratores contractum est ratum in radice baptismi, non autem est ratum ex forma ipsius sacramenti matrimonii. Coniugium autem inter infideles neutro modo est ratum.

* Num. I.

Ad secundum dicitur quod vel est locutio intransitiva, ut dicatur *sacramentum coniugii* pro *coniugio.* Vel latiori vocabulo sumitur *sacramentum:* et non proprie, ut restringitur ad significandum sacramentum novae legis, de quo solo est nostra quaestio.

QUAESITUM SECUNDUM

AN MATRIMONII CONTRACTUS CLANDESTINUS SIT QUANDOQUE LICITUS

Circa secundum *, an matrimonii contractus clandestinus sit quandoque licitus, absque argumentis dicendum est quod, cum contractus clandestinus non sit secundum se malus mortaliter, sed ratione accidentium ex illo consequentium, ideo in casu quo cessarent omnia inconvenientia, licitum esset contrahere clandestine: quoniam tunc etiam cessaret obligatio iuris positivi, quod propter huiusmodi inconvenientia constat emanasse.

* Cf. quaesitum praec., introd.

II. Contingit autem de facto pluries casus iste, quando matrimonium contractum est in facie Ecclesiae et consummatum, et tamen fuit in veritate nullum propter aliquod occultum impedimentum dirimens: puta quia praecognoverat consanguineam uxoris. Tunc enim, habita dispensatione per secretas vias, potest et debet contrahi matrimonium sine testibus, ad evitandum scandalum. Immo nec coniugi debet impedimentum manifestare: sed dulciter rogare ut, pro consolatione sua, velit se iterum acceptare in coniugem; et, parte assentiente, sufficit. Sic enim evitatur omnis infamia; et intentum habetur; et nullum potest inconveniens sequi ex huiusmodi clandestino contractu.

III. An vero, ante contractum in facie Ecclesiae matrimonium, accidere possit casus in quo licitus sit contractus clandestinus, non mihi occurrit de clandestino per se: sed potest contingere de clandestino per accidens quod sit aut licitus, aut sine mortali peccato. Licitus quidem, si contingeret carere testibus, et oporteret contrahere: ut, si in bello seu direptione civitatis salvi fierent coniugati, possent personae habiles contrahere et consummare, ut vel sic evaderent opprobria, etc.; cessant enim omnia inconvenientia, et praeter intentionem est clandestinum matrimonium.

Absque mortali vero, ut si puella sub malignis tutoribus, ne tradatur viro imprudenti cum damno debitae sibi dotis aut hereditatis propriae, oblata commoditate, non valens habere testes praesentes, contraheret cum viro grato, prudente, etc., sciens quod post factum publicabunt ipsa et vir contractum, et sic praevalebunt. Ex quo enim, parati publicare, contrahunt praeter intentum ex rationabili causa clam, excusantur saltem a mortali.

QUAESITUM TERTIUM

AN MATRIMONII CONTRACTUS NON PROPTER PROLEM AUT VITANDAM FORNICATIONEM, SIT LICITUS

* Cf. quaesit. I, introd.

* Cf. num. V.

CIRCA tertium * vero, an matrimonii contractus non propter prolem aut vitandam fornicationem, sit licitus, ratio dubii * est quia videtur sacrilegium sacramentum non ordinari ad finem proprium. Finis autem proprius sacramenti coniugii est proles educanda ad cultum Dei, et remedium concupiscentiae.

In oppositum est coniugium inter Beatam Virginem et Ioseph, quod neutrum finem habuit ex parte Beatae Virginis.

II. Ad hoc dicitur quod in contrahendo matrimonium multiplex finis potest inveniri: et quantum ad propositum spectat, quintuplex finis potest considerari. Primus est finis istius contractus ratione actus. Et hic est proles, vel remedium concupiscentiae: hic enim est finis coniugii mediante concubitu, ut patet. – Secundus est ipsius contractus ratione sui. Et hic est mutua potestas corporum: ad hoc enim fit hic contractus ut neuter coniugum habeat *potestatem sui corporis,* sed alter alterius *. – Tertius est eiusdem contractus ratione sacramenti. Et hic est sanctificatio coniugum, ut unusquisque possit *vas suum possidere in sanctificationem* *. – Quartus esset si contractus iste ordinaretur a contrahente ad aliud extraneum: puta ad aliquod maleficium. – Quintus esset finis, non contractus, sed contrahentis tantummodo: hoc est, quod esset motivum ut finis ad hoc ut homo qui alias nollet contrahere matrimonium, applicaret se ad contrahendum matrimonium. Verbi gratia, cum David contraxit cum Abisag Sunamite *, non ordinavit coniugium ad calefaciendum se, sed applicavit se ad contrahendum coniugium ut per mulierem calefieret, cum non esset alias dispositus ad contrahendum matrimonium.

* I *ad Cor.*, cap. VII, vers. 4.

* I *ad Thess.*, cap. IV, vers. 4.

* III *Reg.*, cap. I, vers. 1-4.

III. Quibus praemissis, dicenda sunt ad quaestionem motam duo *. Primum, directe respondendo quaesito, quod contractus est licitus. Quoniam sufficit coniugio habere utrumque finem suum proximum. Finis autem proximus ipsius contractus secundum se est mutua potestas corporum: quatenus vero sacramentum, sanctificatio. Et propterea, etiam si non intendant prolem neque remedium concupiscentiae, sed solummodo esse coniuges secundum Ecclesiam, contractus est licitus. Et sic inter senes, et quoscumque non intendentes concumbere, potest licite contrahi matrimonium.

* Cf. num. seq.

IV. Secundum est quod communiter extranei seu accidentes fines altero duorum modorum contingunt: vel ut ratio, non coniugii, sed coniugii cum tali; vel ut ratio applicationis ad contrahendum coniugium. Ideo communiter huiusmodi contractus sunt liciti: quoniam uterque modus est licitus. Exemplum primi modi habetur inter Iacob et Rachelem *: propter pulcritudinem enim ipsius elegit contrahere potius cum Rachele quam cum Lia, dicens socero, *Serviam tibi pro Rachele, filia tua minore,* etc. Exemplum secundi habetur inter David et Sunamitem *. Et primus quidem saepe contingit, et clarus est omnibus. Secundus autem amplius manifestatur exemplo et ratione. Simile quidem est si sacerdos aliquis nollet hodie celebrare, superveniente autem amico, ut illi morem gerat, applicat se ad celebrandum. Ita si quis non intenderet matrimonio coniungi, superveniente autem vidua *promittente maria et montes* *, ut sibimet utile faciat, applicat se ad contrahendum matrimonium cum illa, intendens illam habere coniugem, etc. Utrobique enim adventitius finis non ponitur finis celebrationis aut coniugii, sed applicationis ad celebrandum seu ad contrahendum. Et haec est ratio quare contractus non redditur illicitus.

* *Gen.* cap. XXIX, vers. 16 sqq.

* Cf. num. II, fin.

* Sallust. *Catilin.*, cap. XXIII.

V. Et per hoc patet responsio ad obiectionem in oppositum *. Nam, sicut sacerdos alias non celebraturus hodie, ut morem gerat amico applicans se ad celebrandum, non constituit per hoc amicum finem celebrationis, sed applicationis suae; ita qui propter bona temporalia, alias non contracturus, movetur ad contrahendum coniugium, non constituit bonum illud extrinsecum finem coniugii, sed mutationis suae, qua de non volente contrahere factus est volens contrahere. Coniugium vero ipsum suscipit cum fine ipsius coniugii, etiam si de fine ipsius nihil cogitet: sicut dictus sacerdos celebrationem ordinat in finem celebrationis, etiam si nihil cogitet de fine. Eo ipso namque quod intendit coniugium, intendit ipsius finem, quamvis forte ad illum non se disponat: sicut sacerdos intendens celebrare vult ex hoc ipso finem celebrationis, quamvis forte non se disponat ad illum.

* Num. I.



QUAESTIONES DE USU MATRIMONII

QUAESITUM PRIMUM

AN USUS MATRIMONII SIT LICITUS ANTE BENEDICTIONEM

CIRCA usum matrimonii dubium primo occurrit, an sit licitus ante benedictionem.

* Cf. num. IV. Videtur enim quod non *. Tum quia fit contra statutum ac consuetudinem Ecclesiae: ut patet XXX, qu. v, in pluribus capitulis.

Tum quia, cum sine causa rationabili hoc fit, non evaditur contemptus: quem constat constituere peccatum mortale.

II. Ad hoc dicitur quod, licet quibusdam visum fuerit distinguendum de reddente aut petente debitum; et similiter de loco ubi est vel non est consuetudo huiusmodi benedictionis; et similiter de causa, an sit rationabilis vel non: mihi tamen videtur simpliciter et absolute dicendum quod huiusmodi actus non est peccatum mortale. Et ratio est quia nullum apparet in iure praeceptum obligans ad mortale: immo expresse, in fine cap. *Nostrates* *, enumeratis concurrentibus ad nuptias, subditur quod haec omnia non servare non est peccatum. * Loc. cit.

Consuetudo quoque non obligat ad mortale plus quam statutum. Et tanto minus haec consuetudo obligat, quanto alicubi, ut in Germania, nobiles nocte praecedente benedictionem consummant matrimonium: alicubi vero, ut in Italia, poena apposita ab Ecclesia maritis consummantibus matrimonium ante benedictionem, tam levis est ut testetur minimum aut nullum esse peccatum.

Ex parte vero benedictionis, cum nulla fiat sibi iniuria, quoniam nec contemnitur, sed suscipitur etiam consummato matrimonio; nec admiscetur propterea aliquod falsum seu mendacium, quoniam nulla fit de virginitate ibi mentio; nulla habetur ratio mortalis peccati. – Nec obstat si dicatur quod canones praesupponunt virginitatem in benedicendis, saltem in sponsa, ut patet ibidem, cap. *Sponsus:* quoniam hoc de congruitate, et secundum communiter accidentia intelligitur; ut patet ex hoc quod puella corrupta ante coniugium secrete ab alio nihilominus licite nuptialem benedictionem suscipit.

Ex parte demum finis ipsius benedictionis idem apparet. Quoniam ad duo ordinatur: scilicet ad solemnem traductionem uxoris, quam constat propterea non omitti; et ad divinam obtinendam benedictionem ipsorum coniugum, quae etiam non omittitur.

III. Ex quibus omnibus potest formari talis ratio. Actus coniugii ante benedictionem, etc., cum non sit illicitus nisi quia praevenit benedictionem ante debitam, non plus habet illiciti quam ex iniuria vel legis seu consuetudinis inhibentis, vel benedictionis ipsius seu eius finis, contrahat. Sed ex nullo horum contrahit rationem peccati mortalis, ut declaratum est. Ergo non est peccatum mortale.

A veniali autem peccato non excusari matrimonii consummationem, ex parte tam petentis quam reddentis, ex eo patet quod ordo ipse statutus lege vel consuetudine non servatur, dum ante benedictionem fit quod post benedictionem agendum erat.

IV. Ad primum autem in oppositum * dicitur quod hoc argumentum nihil valet: *Statutum seu consuetudo Ecclesiae non servatur, Ergo est peccatum mortale.* Plus enim exigitur ad peccandum mortaliter quam violare statutum seu consuetudinem Ecclesiae: quoniam nec omne statutum nec omnis consuetudo Ecclesiae obligat ad mortale. * Num. I.

Ad secundum dicitur falsum esse quod, ubi deest rationabilis causa violandi seu non servandi statutum et consuetudinem Ecclesiae, ibi est contemptus: stat enim quod ex infirmitate seu concupiscentia veniali fiat transgressio. Et sic communiter videtur accidere in huiusmodi casibus. Et propterea, quia communiter ex contemptu non fit, communiter non est peccatum mortale.

QUAESITUM SECUNDUM

AN USUS CLANDESTINI CONIUGII SIT ILLICITUS MORTALITER

* Cf. num. V. SECUNDO quaeritur an usus clandestini coniugii sit illicitus mortaliter. Et est ratio dubii * quia, si pars affirmativa poneretur, aut hoc esset ratione annexi scandali; aut ratione inhibitionis Ecclesiae. Sed scandalum tollitur si usus est occultus. Inhibitio autem Ecclesiae non facit peccatum mortale: cum in praecedenti articulo conclusum sit usum coniugii ante benedictionem non esse peccatum mortale, quamvis sit contra inhibitionem Ecclesiae.

In oppositum est quod usus coniugii non legitimi est peccatum mortale. Clandestinum autem matrimonium, quamvis sit verum et ratum, constat non esse legitimum. Ergo.

II. Ad huius evidentiam, recolendum est in coniugiis dupliciter inveniri illicitum et mortale: vel quia malum, ut coniugium cum parente; vel quia prohibitum, ut coniugium cum affinibus, seu consanguineis quarti gradus. Usus autem coniugii clandestini utroque modo illicitus invenitur, et quia malus, et quia prohibitus. Est siquidem malus, non secundum se, sed secundum sibi annexa.

Ad cuius pleniorem intelligentiam, sciendum est quod, licet clandestinum coniugium, cum eius usu, habeat omnia requisita ad substantialia coniugii et eius actus, et propter hoc dicitur quod neutrum est secundum se malum; ex naturali tamen hominis proprietate, qua est animal sociale atque politicum *, provenit turpitudo in clandestino coniugio et eius actu. Ex hoc namque quod homo est animal sociale et politicum, provenit quod coniugium et ipsius actus debeant sic fieri ut sint sine offensa et periculo offendendi societatem politicam. Usus autem clandestini coniugii annexum habet scandalum vitae socialis, dum scitur commisceri personas quae nesciuntur coniuges: nec etiam sine scandalo appareret mulier gravida, et proles fieret, etc. * Aristot. *Politic.* lib. I, cap. I, n. 9; lib. III, cap. IV, n. 2, 3; *Ethic. Eudem.* lib. VII, cap. X, n. 5.

Ipsum vero coniugium clandestinum annexum habet periculum offendendi vitam socialem: quoniam posset alter coniugum nova inire connubia, dum ignoratur ligatus altero coniugio.

Est igitur tam clandestinum coniugium quam ipsius actus, etiam si prohibitio legis non esset, de genere malorum moraliter, non secundum se, sed secundum sibi annexa.

III. Utrum autem sit mortale peccatum, considerandum restat ex utroque principio: scilicet annexae moralis malitiae, et legalis inhibitionis. Ex parte siquidem moralis iniquitatis, distinguendum occurrit: et dicendum quod,

quando actus huiusmodi habet annexam scandali turpitudinem, est peccatum mortale; quando vero caret annexa turpitudine, non est peccatum mortale. Et horum ratio est in promptu. Quia ex quo ratio peccati mortalis consurgit ex annexa turpitudine, extante illa, fit peccatum mortale: et illa non extante, non est peccatum mortale. – Notanter autem dixi ***actus huiusmodi,*** ad differentiam ***usus.*** Quoniam frequens actus, qui usum constituit, impossibile est, moraliter loquendo, quod careat scandalo. Nam frequens secreta conventio personarum quae possunt esse coniuges, semper est suspecta. Et, experientia teste, videmus scandala maxima ex huiusmodi usu provenire.

Ex parte autem inhibitionis ecclesiasticae, mortale peccatum videtur. Quoniam Evaristus Papa, ut habetur XXX, qu. v, cap. *Aliter,* damnat huiusmodi coniugia, ita quod ***non coniugia, sed adulteria vel contubernia, vel stupra aut fornicationes esse non dubitat.*** Quod quia verum esse constat in iudiciali foro, in quo clandestinum matrimonium non est matrimonium, ex auctoritate Papae promulgatum, damnabilem constituit clandestini usum matrimonii.

Simpliciter igitur et absolute loquendo, usus matrimonii clandestini peccatum mortale est, utpote scandalosus scandalo notabili, reddente utrumque coniugem infamem, et a iure damnatus ut adulterium seu fornicatio.

IV. Quocirca caveant confessores viduarum nobilium ne consulant fornicariae ut contrahat clandestinum matrimonium, quasi licite deinceps satisfacturae voluptati suae cum clandestino coniuge. Tum quia non sunt facienda mala ut veniant bona *: et multo minus ut evitentur peiora. Tum quia per hoc non evadit peccatum mortale in usu dicti coniugii.

* *Ad Rom.* cap. III, vers. 8.

Tum quia adiungitur periculum homicidii utriusque aut alterius coniugis, ut pluries vidimus nostra aetate: consanguinei enim multo magis vindicant talia coniugia quam si fornicatio sola fuisset.

V. Ad obiecta ergo in oppositum * dicitur quod, licet actus unus seu aliquis possit esse ita occultus quod careat secundum se omni turpitudine scandalosa; frequens tamen actus, ut dictum est *, esse non potest. Et ille unicus actus omnino occultus non caret periculo scandali: quia posset inde coniux concipere, et sic scandalum sequeretur.

* Num. I.

* Num. III.

Inhibitio autem Ecclesiae non similiter se habet ad usum coniugii ante benedictionem, et ad usum coniugii clandestini. Quoniam primum simpliciter inhibet: secundum autem non solum inhibet, sed damnat ut stuprum seu fornicationem. Et ratio est disparitatis quia actui coniugali debetur torus publicus, hoc est, publice praeparabilis seu praeparatus, unde et coniuges *contorales* dicuntur: clandestini autem coniugii actui non potest publice torus praeparari, cum coniugium ipsum publice habeatur tanquam non sit, cum probari non possit. Ante benedictionem vero publicis coniugibus potest publice torus praeparari: immo et de facto millies praeparatur. Et propterea actus coniugii clandestini merito reprobatur ac damnatur: actus vero publici coniugii non reprobatur nec damnatur, sed solius caeremoniae defectu accusatur. Est enim praeceptum caeremoniale de non praeveniendo benedictionem: de non utendo vero clandestino est praeceptum prope substantiale.

VI. Et hinc sequitur quod non solum usus, sed etiam actus unus coniugii per se clandestini, etiam cum sterili seu vetula, quae non potest concipere, quantumcumque occultus, est mortale peccatum, sicut et ipse contractus clandestinus: propter damnationem Ecclesiae damnantis omnem contractum et concubitum clandestinum in sua specie, ac per hoc, omnem concubitum et contractum clandestinum. Et consequenter, nisi rationabilis causa subsit contrahendi clandestine aut clandestine consummandi *, damnationem suae speciei incurrit.

* Cf. supra, *de Sacr. Matrim.*, quaesit. II.



DE DELECTATIONE MOROSA TRIPLEX DUBIUM

PRIMUM DUBIUM

AN VOLUNTARIA DELECTATIO DE COGITATO ACTU LICITO CONDITIONALITER, SIT MORTALE PECCATUM

Circa actum coniugii, quoniam multa scripsimus in Commentariis praecedentis Libri in tractatu de luxuria *, et quaedam etiam in Quolibetis **, ideo, ne eadem repetamus, pertranseundum est, incidenter tamen dubia aliqua de delectatione morosa solvendo.

* IIa IIae, qu. CLIV.
** *De Usu Matrimonii*, et *de Reddend. debit.* etc. - Opusc. Caiet. I, tom. Tract. XIII, XXIX. - Ed. Lugdun. 1562.

Est autem primum dubium, an voluntaria delectatio de cogitato actu licito conditionaliter, sit mortale peccatum. Verbi gratia, cogitat quis de actu coniugali cum tali muliere si esset uxor sua, et voluntarie delectatur de actu cogitato: an in hoc, et similibus, sit peccatum mortale.

Et est ratio dubii *, quoniam pro parte negativa est quod delectatio est de actu licito, in tantum quod consensus in huiusmodi actum non est peccatum. Si enim consensus in actum non est peccatum, a fortiori nec cogitatio de illo erit peccatum.

* Cf. num. III.

Pro parte vero affirmativa est omnis religiosa conscientia, cavens huiusmodi delectationem ut peccatum mortale.

II. Ad hoc dicitur quod, sine dubio, huiusmodi delectatio voluntaria est peccatum mortale: quia est simpliciter de concubitu peccati mortalis. Ad cuius evidentiam, discernendum est inter consensum et delectationem. Quoniam tam consensus quam desiderium ferri potest in obiectum vel absolute vel conditionaliter: potest enim quis desiderare cibum absolute, et potest rursus desiderare ipsum sub conditione, puta, si non esset dies ieiunii. Et quod dicimus de actu, idem intellige de delectatione consequente actum exterius exercitum: nam potest quis desiderare delectationem cibi et absolute et sub conditione, puta, velle delectari in comedendo si non esset dies ieiunii. Delectatio autem voluntaria consequens obiectum interius apprehensum et concupitum, sive absolute sive conditionaliter, non potest distingui in delectationem conditionalem vel absolutam: sed ex hoc ipso quod inest huiusmodi delectatio voluntarie, est simpliciter et absolute delectatio. Unde, cum aliquis desiderat actum coniugii cum aliqua conditionaliter, idest, si esset sua: non peccat, quoniam desiderium obiectum habet rectae rationi consonum. Sed cum delectatur quis de huiusmodi actu conditionali cogitato, delectatio ipsa non est conditionalis: quoniam conditionalis nihil ponit in esse; huiusmodi autem delectatio ponitur in esse voluntarie. Et propterea delectatio ipsa non spectat ad obiectum desideratum et cogitatum quatenus est conditionale: ac per hoc, redit ad naturam sui generis, scilicet delectationis morosae de illicito concubitu. Ex hoc namque quod actus ut conditionalis non facit ipsam delectationem conditionalem, sequitur quod relinquat eam in genere delectationis voluntariae de concubitu, seclusa conditione quae sola faceret illum licitum. Et hoc est nihil aliud dicere quam relinquere illam in specie delectationis voluntariae de concubitu ac si illa conditio non esset cogitata. Et hoc est quod timoratae conscientiae utriusque sexus testantur.

III. Et per hoc patet solutio ad obiectum *. Quoniam non est idem iudicium de consensu et desiderio in actum exteriorem illiusque delectationem sub conditione: et de praesenti delectatione voluntaria de eodem actu eademque delectatione cogitata.

* Num. I.

Nec est verum quod praesens delectatio sit de actu licito. Quoniam non est de illo conditionaliter: actus autem non nisi conditionaliter est licitus.

SECUNDUM DUBIUM

AN VIDUA QUAE VOLUNTARIE DELECTATUR DE CONIUGALI ACTU PRAETERITO, PECCET MORTALITER

Secundum dubium est, an vidua quae voluntarie delectatur de actu coniugali praeterito, peccet mortaliter. Et est ratio dubii ambiguitas scribentium.

Ad hoc dicitur quod, formaliter loquendo, voluntaria delectatio de praeterito actu coniugii non est peccatum mortale. Et ratio est quia eiusdem moris est delectari de praesenti, praeterito vel futuro: huiusmodi enim differentiae non variant speciem moris de bono in malum. Et propterea, sicut simpliciter et absolute viduae consensu approbativo potest placere actus praeteritus, ita potest delectari de illo.

Et licet haec ratio sufficiat, manifestatur tamen ex simili. Iudex enim functus officio potest voluntarie delectari de vindicta quam exercuit occidendo perturbatores reipublicae: nec solum intus potest delectabiliter memorari, verum potest etiam delectabiliter haec enarrare, ut patet. Idem autem est iudicium de voluntaria delectatione in cogitatione, memoria, narratione et facto vindictae, et cuiuscumque alterius actus: memoria enim de iustis seu licitis eodem more est delectabilis quo et ipsa iusta elicita fuerunt delectabilia.

II. Advertendum tamen est hic quod aliud est loqui de voluntaria delectatione praeteriti actus liciti: et aliud est loqui de concomitantibus illam. Nam stat quod ipsa delectatio de actu praeterito voluntaria immunis sit secundum seipsam a peccato mortali: et tamen ipsamet, ut annexum habet malum aliquod, puta pollutionem, vel delectationem interiorem consequentem velleitatem actus similis praeterito, aut consequentem insurgentem concupiscentiam, sit peccatum mortale. Et quia venerea, quantumcumque licita, cum cogitantur, annexam habent concupiscentiam carnis, motusque qui, etiam non praecipiente intellectu, insurgunt, ut experientia testatur: ideo, si viduae delectatio periculum habet annexum pollutionis aut ruinae animae ad aliquem pravum consensum huiusmodi delectationum annexarum, ut communiter videtur accidere voluntarie immorantibus in memoriis talibus, tenetur evitare huiusmodi memoriam, sicut tenetur fugere huiusmodi pericula.

Sine his tamen, huiusmodi memoriae communiter sunt peccata venialia: quia *carent pia necessitate et utilitate* *.

* Greg. Homil. VI *in Evang.* - Cf. *Moral.* lib. VII, cap. XVIII, in vet. XXV; *Reg. Past.* part. III, cap. XIV, al. admon. XV.

TERTIUM DUBIUM

AN VOLUNTARIA DELECTATIO DE VISA PULCRA MULIERE SIT COMPUTANDA INTER PECCATA MORTALIA DELECTATIONIS MOROSAE

Tertium est, an voluntaria delectatio de visa pulcra muliere sit computanda inter peccata mortalia delectationis morosae.

Et est ratio dubii, quia simile videtur iudicium de delectatione omnis sensus. Sed voluntaria delectatio de muliere tacta spectat ad delectationem morosam. Ergo et de visa.

II. Ad hoc dicitur quod, cum nulla sensatio naturalis sit secundum se peccatum, quoniam est a natura ipsa, cum consequente delectatione, procul dubio, nisi mulieris visus aut tactus sit mortaliter malus, delectatio voluntaria de ipsa visa aut tacta non est mala. Verum inter tactus et alios sensus est, quoad propositum, differentia in hoc quod visus mulieris pulcrae, secundum seipsum delectabilis, non est libidinosus nisi ex parte videntis ad malum ordinetur: tactus autem per oscula et amplexus, ut est secundum tactum talem delectabilis, est libidinosus, sicut et concubitus, nisi coniugii bono honestetur. Quoniam delectatio sensibilis secundum quendam tactum, scilicet osculorum, amplexuum et huiusmodi, est secundum se a natura ordinata ad venerea: delectatio autem visus non est secundum se ad hoc ordinata. Hinc enim fit ut illa, ob solam delectationem exercitata, sint libidinosa: visus autem minime. Et propterea, sicut sensibilis delectatio osculorum, etc., extra coniugium illicita est, et secundum se mortalis, ut in Commentariis praecedentis Libri * diffuse declaratum est; ita voluntaria delectatio de huiusmodi cogitatis, mortale peccatum est delectationis morosae. Et per oppositum, quia videre mulierem pulcram non est secundum se ordinatum ad venerea, ideo delectabiliter videre mulierem pulcram ex suo genere nullum est peccatum. Ac per hoc, delectabiliter cogitare de visa muliere pulcra, nisi otiose vel ob malum fiat, peccatum nullum est.

* Qu. cliv, art. 4.

Et haec similiter * intellige de huiusmodi actibus secundum se. Nam secundum annexa pericula, iudicandum est iuxta canones periculorum *: multi enim ex aspectu mulierum corruerunt, ut patet de David *, etc.

* Cf. dubium praeced., num. II.
* Cf. *Eccli.* cap. III, vers. 27.
* II *Reg.*, cap. XI, vers. 2 sqq.

Et haec sufficiant pro hoc libro super Tertia Parte divi Thomae: ac per hoc, pro Commentariis integris super tota Summa eiusdem: ad gloriam in primis omnipotentis Dei, deinde ipsius divi Thomae, utilitatem autem Ecclesiae; sub correctione Sanctae Sedis Apostolicae, in qua nunc sedet Leo Decimus Pontifex Maximus *, cui et scripta et scribenda omnia submissa semper esse volo.

* Cf. Praef. ad III Partem Editionis huius Leoninae, pag. XLIII.

Romae, die undevigesima Decembris, anno Christianae Salutis millesimo quingentesimo vigesimo, aetatis autem meae quinquagesimosecundo. Amen.



APPENDIX

AD

CARDINALIS CAIETANI

QUAESTIONES DE SACRAMENTIS

QUAESTIO SEPTIMA EX EIUSDEM OPUSCULO VIGINTISEPTEM QUAESTIONUM

AD FIDEM EDITIONIS LUGDUNENSIS MDXLI



QUANDO QUIS OBLIGETUR AD CONTRITIONEM PECCATORUM MORTALIUM

Vide supra, Quaestiones de Contritione, Quaesitum III.



QUAERITUR utrum, quoties recordatur quis sui peccati mortalis, teneatur habere contritionem.

Et est ratio dubii *, tum quia partem affirmativam multi tenere videntur, ex verbis sancti Thomae in IV *Sent.*, dist. XVII, qu. III, art. 1, qu^a 4, dicentis: *Ad contritionem tenetur homo quando peccata memoriae occurrunt, cum praecipue in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo,* etc.

* Cf. num. VIII, IX.

Tum quia sicut, quoties occurrit peccatum mortale ut a se committendum, tenetur homo refutare commissionem, ita, quoties ut a se commissum, tenetur illud detestari.

Tum quia nec per momentum licitum est stare in peccato mortali. Ac per hoc, statim ut occurrit, tenetur illud fugere: iuxta illud *Eccli.* XXI *: *Quasi a facie colubri fuge peccata.*

* Vers. 2.

In oppositum autem est: tum quia sequeretur quod, quotiescumque aliquis de commisso peccato occurrente sibi attereretur, peccaret mortaliter, quia non haberet contritionem.

Tum quia efficax ratio non apparet praecepti ad contritionem pro tali tempore, scilicet memoriae peccati.

II. Ad evidentiam huius dubitationis, praemittendum est quod non est hic quaestio de peccato mortali semel contrito. Quoniam hoc iam deletum prima contritione est: et, sicut peccatum semel rite confessum non tenetur homo iterum confiteri, eadem ratione de peccato semel contrito non tenetur homo iterum conteri; *non enim iudicat Deus bis in idipsum,* ut dicitur Nahum 1 *, tam quoad vindictam exteriorem, quam per confessorem exercet, quam quoad vindictam interiorem, quam per actum ipsius poenitentis conterendo peccatum exercet. Sufficit enim semel contrito quod non placeant sibi commissa a se peccata. Et hoc sive contritio fuerit de aliquo mortali in speciali, sive in generali: dummodo fuerit contritio illa sufficiens ad salutem usque ad tempus confessionis, quando, singula detestando in confessione, conteretur in speciali. Est autem contritio generalis sufficiens ad salutem usque ad confessionem illa qua homo, dolens de omnibus offensis Dei, mutat deliberate cor ad praeponendum Deum omnibus, etiam propriae vitae, intendens congruo tempore confiteri. Et est sermo de contritione ipsius peccati secundum se, non secundum suum effectum, qui est retardatio a felicitate, ratione cuius totum tempus praesentis vitae est tempus contritionis, quia tempus peccato occupatum irreparabile effectum est pro felicitate.

* Vers. 9, iuxta versionem LXX.

Nec est hic quaestio de contritione in veritate, hoc est, de dolore caritate informato. Quoniam, cum *nemo sciat utrum amore vel odio dignus sit* *, si exigeretur certitudo verae contritionis, semper esset homo perplexus, aut nunquam cessaret obligatio contritionis: quod est falsum. Sed est quaestio de contritione quantum est ex parte poenitentis *: hoc est quod, quantum est ex parte conditionum requisitarum ad contritionem ex parte poenitentis, est vera contritio, quamvis nesciatur an sit caritate informata, quia nescitur praesentia caritatis. Et similiter est quaestio de peccato mortali a se commisso nunquam contrito sive secundum veritatem sive secundum aestimationem.

* *Eccle.* cap. IX, vers. 1.

* Cf. supra, *Qq. de Contritione*, quaesit. I.

III. Quibus praemissis, sciendum est praeceptum habendae contritionis et esse per se primo affirmativum, et claudere in se praeceptum negativum. Nam praecipit actum contritionis habendum, et per hoc est affirmativum: et praecipit non esse retinendum odium Dei, in quod ex peccato mortali incurritur, et per hoc est praeceptum negativum. Et propterea primo tractandum est de vinculo eius quatenus est affirmativum; et deinde quatenus est negativum *; et demum quatenus est ex utroque mixtum **.

* Num. IV.
** Num. V.

Praeceptorum igitur affirmativorum natura cum sit obligare quidem semper, sed non ad semper, sed ad determinatum tempus, hoc est, tempus necessitatis, ut divus Thomas, in IV *Sent.*, dist. XVII, qu. III, art. 1, qu^a 4, dicit; consequens est ut praeceptum de contritione habenda non obliget nisi ad tempus urgens ad contritionem. Quod constat esse tempus tam mortis, quia summa est tunc necessitas contritionis, quoniam non remanet amplius tempus poenitendi; quam tempus ante sacramenti cuiusque susceptionem aut administrationem, quoniam, nisi tunc esset contritus, mortaliter peccaret suscipiens sacramentum, aut exercens actum quem sine peccato mortali oportet exercere.

Tempus autem occursus, quia scilicet memoriae occurrit commissum peccatum, etiam practice, puta ut detestandum seu conterendum, nulla apparet ratione esse tempus necessitatis: quoniam cum tali occursu stat hominem se habere circa commissum peccatum neutraliter, ac si non meminisset, ac si dormiret. Nam, occurrente peccato commisso ut materia detestationis habendae a me, possum tripliciter me habere: vel consentiendo in detestationem; vel aspernando detestationem; vel nec amplectendo nec contemnendo, sed vel nullum actum voluntatis circa illam exercendo, et tunc essem neuter; vel habendo actum velleitatis circa illam, puta quia vellem habere contritionem, quamvis in veritate non velim, quia non intendo abstinere, etc. Si occurrens ergo memoria non necessitat hominem ad articulum aliquem quo oporteat ipsum actum aliquem exercere, quo pacto tempus necessitatis constituit;

et si rationem praeceptorum affirmativorum perspexerimus; apparebit occursum non constituere tempus necessitatis. Nam in praecepto baptismi, quantumcumque memoriae occurrat baptismus ut suscipiendus cum commoditate oblata, non propterea obligatio fit pro tunc ad baptismum. Et similiter in praecepto confessionis, et in praecepto eleemosynae de superfluo, non tenetur quis tunc confiteri aut eleemosynam dare quando memoriae occurrit cum commoditate parata: ut patet ibidem ex divo Thoma. Si ergo in aliis affirmativis praeceptis occursus exercendi actus commode non constituit necessitatis tempus, consequens est ut nec in praecepto contritionis habendae occursus peccati ut conterendi constituat tempus necessitatis. Oportet enim oppositum dicentem rationem reddere quare a communi regula occurrentis actus et materiae cum reliquis paratis in praeceptis affirmativis, excipiatur occurrens contritionis cum sua materia actus: ut scilicet ipse solus habeat vim constitutivam temporis urgentis ad seipsum exercendum, reliquis hanc vim non habentibus. Et quia nulla apparet exceptionis ratio, sequamur generalem regulam, tanquam communem huic et aliis praeceptis affirmativis.

* Cf. num. III, init.

IV. Negativa vero praecepta * obligant semper et ad semper: prohibent enim mala, quae nullatenus committenda aut incurrenda sunt. Et licet omnia negativa praecepta conveniant in obligatione ad semper quoad esse illicitum, differentia tamen quaedam inter ipsa praecepta, extenso *praecepti* nomine, est in obligatione ad semper quoad actum peccati. Nam negativa praecepta de actibus peccatorum obligant ad semper non solum quoad esse illicitum, sed etiam quoad actum peccati: quia prohibent actum peccati, puta mendacium, adulterium, blasphemiam, et similia, quae non solum sunt illicita, sed quando adsunt peccati actus committitur; nullus enim transgreditur praecepta haec, *Non mentieris, Non adulterabis, Non blasphemabis,* nisi qui mentitur, adulteratur, aut blasphemat actu exteriori, vel saltem interiori. Negativa autem praecepta de habituali statu peccati obligant secundum se ad semper solum quoad esse illicitum, et non quoad actum peccati: quia non prohibent actum peccati, sed perseverantiam in statu peccati talis vel simpliciter.

Praeceptum autem, verbi gratia, de non retinendo alienum invito domino, dupliciter intelligi potest. Primo, de detentione habituali: quae non est actus, sed effectus peccati. Et sic non est praeceptum prohibens actum aliquem (quod patet ex eo quod qui abstulit, etiam si dormiat, retinet alienum invito domino), sed prohibet perseverantiam in statu peccati talis. Similiter et praeceptum de non retinendo habitualiter odium erga Deum, non prohibet aliquem actum, puta actum odii divini: sed, supposito quod homo peccando mortaliter odio habuerit Deum, ac per hoc perseveret usque ad contritionem in statu divini odii (non solum passive quia *Altissimus odio habet peccatores* *, sed, quod peius est, active, quia perseverat in statu peccati mortalis includentis in se divinum odium propter contrarietatem ad dilectionem caritatis), prohibet perseverantiam in statu peccati mortalis simpliciter. Quo fit ut, quia statibus, sicut habitibus, non meremur nec demeremur, sed actibus *; nullum novum peccatum contra hoc negativum praeceptum incurratur, nisi status talis de novo acceptetur, puta si de novo consentiatur in perseverantiam talis status. – Secundo, de detentione actuali: quae nihil aliud est quam consensus efficax in detentionem habitualem, seu quae est effectus peccati. Et sic praeceptum est prohibens actum peccati: et constat quod obligat semper et ad semper, sicut reliqua negativa. Et sic proprie habet vim et nomen praecepti: quoniam praecepta proprie de actibus sunt.

* *Eccli.* cap. XII, vers. 3.

* Cf. Aristot. I *Ethic.*, cap. VIII, n. 9; s. Th. lect. XII. - Vide Iam IIae, qu. LV; II *Sent.*, dist. XXVII, art. 1, ad 4; *De Verit.* qu. XXVI, art. 6.

* Cf. num. III, init.

V. Discutiendo vero praeceptum contritionis ut mixtum ex affirmativo et negativo *, sicut praeceptum de restitutione, invenimus quod obligat ad statim habendam contritionem sicut praeceptum de restitutione obligat ad statim restituendum. Et ratio est quia tempus huiusmodi actuum dilatum annexam habet contrarietatem ad virtutem. Restitutio enim dilata annexam habet retentionem alieni invito domino, quae contrariatur iustitiae: et similiter contritio dilata annexam habet retentionem divini odii, quae contrariatur caritati.

Nec propterea huiusmodi mixta praecepta exorbitant a communi regula praeceptorum affirmativorum, sed sequuntur eam, obligando tantum ad tempus necessitatis: nam implicatio inhibitae contrarietatis ad virtutem determinat tempus necessitatis ad *statim;* tempus quippe necessitatis exercendae affirmationis est tempus ad actionem illam urgens sic quod, nisi fiat, incurritur peccatum. Sicut igitur praeceptum de restitutione propter implicitam detentionem alieni obligat ad statim restituendum, ita praeceptum de contritione propter implicitam detentionem odii contra Deum obligat ad statim conterendum. Et haec procul dubio est veritas.

VI. Sed exurgit difficultas: Quando peccatur contra hoc praeceptum? Dicere enim, ut prima facie apparet, quod contra praecepta affirmativa obligantia ad statim peccetur statim: puta, consummato furto, si non statim fiat restitutio, peccatur contra praeceptum restitutionis, omittendo statim restituere; et similiter, consummato peccato mortali, agitur contra praeceptum contritionis si non statim contritio habetur, – irrationabile videtur. Quia huiusmodi praecepta obligant ad singula *statim,* et non ad primum *statim* tantum: ut patet ex eo quod, transacto primo *statim,* non absolvitur a vinculo praecepti, sed remanet semper obligatus ad statim, donec adimpleat praeceptum. Si autem obligant ad singula *statim,* sequitur quod infinities peccat mortaliter non restituendo qui furatus est et non restituit statim, iuxta infinitas moras temporis intermedii inter furtum et restitutionem, si tandem fit.

Magis autem rationi consentaneum est ut contra huiusmodi praecepta tunc solum peccetur ex praeteritione temporis, quando non solum omittitur, sed committitur actus peccati determinantis praeceptum affirmativum ad statim.

Pro cuius clariori notitia, advertendum est quod tripliciter invenitur concurrere tempus urgens ad exercitium praecepti affirmativi. Primo, ut actus illius mensura simpliciter et absolute: sicut tempus diei festi determinat praeceptum de audiendo missam, et quadragesima ieiunii praeceptum. – Secundo, ut actus illius mensura ex praeparatione ad alium: sicut tempus praecedens susceptionem vel administrationem sacramenti determinat praeceptum contritionis; non enim tempus illud urget absolute ad conterendum, sed, si suscipiendum aut administrandum est sacramentum. – Tertio, ut actus illius mensura ex connexione alterius actus: sicut tempus significatum per ly *statim* determinat praeceptum restitutionis quia actus differendi restitutionem habet annexum actum voluntariae detentionis alieni interim.

Inter haec autem tempora differentia una ad propositum invenitur quod, si tempus urget ad actum ut illius mensura absolute, adveniente illo tempore, si omittitur actus, ita quod omissio sit voluntaria privative, quia scilicet potuit et scivit exercere actum illum, puta audire missam et non audivit: incurritur peccatum omissionis contra praeceptum illud. – Si vero tempus urget ad actum ut mensura illius ex ordine ad alterum actum, adveniente quocumque tempore, nisi ille alter actus propter quem tempus urget exerceatur, non fit contra praeceptum. Quantumcumque enim aliquis sit administraturus sacramentum, nisi administret illud aut proponat administrare illud sine contritione, nunquam agit propterea contra praeceptum contritionis, ut patet. – Et simili modo, eadem ratione, quantumcumque aliquis non conteratur statim, nisi ad hoc deveniat quod commissionis peccato incurrat detentionem divini odii, non peccat mortaliter, quamvis perseveret in statu peccati mortalis: sicut qui non statim restituit, nisi ad hoc deveniat quod commissionis peccato incurrat detentionem alieni, non peccat de novo mortaliter. Contra praecepta namque haec de non detinendo odium Dei, vel alienum, cum sint negativa, commissionis peccato oportet quod agatur. Ac per hoc, si propterea peccatur contra praecepta affirmativa de restituendo vel conterendo quia contra haec negativa agitur, non est omissio affirmativi nisi adsit commissio contra negati-

vum. Et haec absque omni scrupulo veritas amplectenda est.

VII. Ex his autem patet quid dicendum sit ad motam quaestionem principalem *. Patet namque quod praeceptum contritionis non determinatur secundum se ad tempus memoriae, sed ad *statim*. Et propterea, nisi memoria afferat urgentem causam ad actum actualis detentionis odii Dei, non incurritur nova omissio contritionis, sed antiqua perseverat. Nulla autem apparet ratio quare memoria, aut occursus commissi peccati ut detestandi, constituat tunc tempus necessariae commissionis ad detinendum odium Dei, magis quam si non occurreret: nisi forte aut ad divinae inspirationis sequelam dicatur occursum obligare, – sed aliud est praeceptum de sequela inspirationis divinae, aliud de restitutionis aut contritionis tempore; aut occursum, seu memoriam, tanquam approprians materiam constituere dicatur tempus agendi, quia tempus agendi est quando materia est praesens. Sed aliud est loqui de necessitate agendi: aliud de commoditate seu congruitate agendi. Approximatio enim ad agens liberum non constituit tempus necessitatis, sed commoditatis ad agendum. Nos autem, ut patet ex dictis, tempus necessitatis agendi, ita quod, nisi agatur, novum peccatum incurritur, quaerimus.

* Num. I.

Unde restat ut recordatio peccati commissi, quantumcumque practica, non obliget ad contritionem: sicut nec in praeceptis aliis occursus materiae obligat ad actum.

Et hoc, loquendo de memoria secundum se. Nam, si sit sermo de memoria secundum suum effectum quem ut in pluribus habet, quia scilicet parit aut detestationem aut approbationem peccati commissi occurrentis, sic obligat ad detestationem (quae tamen potest esse attritio vel contritio), ne in approbationem lapsus fiat.

VIII. Ad primam autem obiectionem in oppositum * dicitur quod vox dicentium quod homo tenetur conteri quando recordatur, verificatur secundum id quod ut in pluribus videtur accidere: quia scilicet communiter practica memoria in non dolente parere approbationem videtur.

* Num. I, *Et est.*

Divi autem Thomae verba, si exacte librentur, non dicunt hominem teneri ad contritionem quando recordatur: sed unum *quando* determinant per alterum *quando*. Nam dicunt, *quando peccata memoriae occurrunt cum in periculo mortis existit aut aliquo articulo:* ubi apparet quod tempus memoriae determinatur per tempus periculi mortis vel per tempus alicuius articuli, etc. Nec obstat quod apponitur ly *praecipue*. Quoniam ly *praecipue* principalitatem denotat periculi mortis respectu alterius partis disiunctivae, scilicet, *aut alicuius articuli* etc.: periculosius enim omittitur contritio in periculo mortis, quia non restat *locus poenitentiae* *. Vel ly *praecipue* denotat principalitatem rationis obligativae ad contritionem: ita quod tempus memoriae est quaedam ratio conterendi; sed, quia non est sufficiens ratio obligandi ad conterendum, ideo additur principalis ratio obligandi, dicendo, *cum praecipue periculum aut articulus* etc. Et redit eadem conclusio.

* *Ad Heb.* cap. XII, vers. 17.

Approbat autem hanc doctrinam communis peccatorum attritio, qua fatentur sibi displicere commissa peccata, et dicunt suam culpam, et confitentur quandoque citra absolutionem, et velleitatem habent status sine peccato. Hi enim actus boni sunt et dispositivi ad poenitentiam: adeo ut Ecclesia tales confessiones suscipiendas dicit, Extra, *de Poenit. et Remiss., Quod quidam*. Et tamen semper peccarent mortaliter, omittendo contritionem, si tempus memoriae esset tempus contritionis: cum isti actus non sint sine memoria peccatorum. – Nec obstat quod isti contriti nolunt suscipere absolutionem, dicentes se esse impoenitentes. Quoniam narrare se habituali voluntate esse perseverantem in statu peccati, non est peccatum, quoniam non approbatur, sed narratur impoenitentia: nec proponit tunc meretrix peccare, sed narrat tunc miseriam status sui cum voluntate illius. Nolle autem absolvi actus bonus est indisposito tunc ad absolutionem.

IX. Ad secundam obiectionem dicitur quod, etiam quando peccatum occurrit ut committendum, sufficit non consentire: nec tenetur homo dissentire.

Ad tertiam dicitur quod, licet nunquam sit licitum stare in statu peccati, non tamen de novo semper peccat perseverans in statu peccati, ut patet ex dictis *.

* Num. IV.

ROMAE, IV MARTII, MDXVIII.



INDEX

TERTIA PARS

SUMMAE THEOLOGIAE

SANCTI THOMAE AQUINATIS

CUM COMMENTARIIS

CARDINALIS CAIETANI

QUAESTIO SEXAGESIMASEXTA

De sacramento baptismi.

QUAESTIO SEXAGESIMASEPTIMA

De ministris per quos traditur baptismi sacramentum.

QUAESTIO SEXAGESIMAOCTAVA

De suscipientibus baptismum.

QUAESTIO SEXAGESIMANONA

De effectibus baptismi.

QUAESTIO SEPTUAGESIMA

De Circumcisione.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAPRIMA

De catechismo et exorcismo.

QUAESTIO SEPTUAGESIMASECUNDA

De sacramento confirmationis.

QUAESTIO SEPTUAGESIMATERTIA

De sacramento Eucharistiae.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUARTA

De materia huius sacramenti.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUINTA

De conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi.

QUAESTIO SEPTUAGESIMASEXTA

De modo quo Christus existit in hoc sacramento.

QUAESTIO SEPTUAGESIMASEPTIMA

De accidentibus remanentibus in hoc sacramento.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAOCTAVA

De forma huius sacramenti.

QUAESTIO SEPTUAGESIMANONA

De effectibus huius sacramenti.

QUAESTIO OCTOGESIMA

De usu sive sumptione huius sacramenti.

QUAESTIO OCTOGESIMAPRIMA

De usu huius sacramenti quo Christus usus est in prima sui institutione.

QUAESTIO OCTOGESIMASECUNDA

De ministro huius sacramenti.

QUAESTIO OCTOGESIMATERTIA

De ritu huius sacramenti.

QUAESTIO OCTOGESIMAQUARTA

De poenitentia secundum quod est sacramentum.

QUAESTIO OCTOGESIMAQUINTA

De poenitentia secundum quod est virtus.

QUAESTIO OCTOGESIMASEXTA

De effectu poenitentiae quantum ad remissionem peccatorum mortalium.

QUAESTIO OCTOGESIMASEPTIMA

De remissione venialium peccatorum.

QUAESTIO OCTOGESIMAOCTAVA

De reditu peccatorum post poenitentiam dimissorum.

CARDINALIS CAIETANI

QUAESTIONES DE SACRAMENTIS

APPENDIX EX OPUSCULO CARDINALIS CAIETANI XXVII QUAESTIONUM



PRAEFATIO

[illegible]

[illegible]

SUMMAE THEOLOGIAE

[illegible]

PRAEFATIO

IN

SUPPLEMENTUM TERTIAE PARTIS

SUMMAE THEOLOGIAE

SANCTI THOMAE AQUINATIS



PRAEFATIO

IN SUPPLEMENTUM TERTIAE PARTIS

SUMMAE THEOLOGIAE SANCTI THOMAE AQUINATIS

Duplici ratione ducti Supplementum quod vocant nobis edendum esse putavimus. Prima erat, ut sacrae doctrinae studiosis materiae, quas S. Thomas morte praeventus in Summa tractare non potuit, in unum corpus cum Summa collectae praesto adessent; cui accedit quod hoc Volumen Duodecimum Supplemento addito vix ultra aliorum molem cresceret. Altera eaque fortior ratio aliunde profecta est. Supplementum scilicet cum medio saeculo XIV. ex aliquo codice Commentarii in Quartum Librum Sententiarum transcriptum sit, alter scripturae Commentarii testis habendum est; ita ut ab ea saltem aetate S. Thomae textus per Commentarium et Supplementum tanquam gemino testimonio ad nos pervenerit. Quod si Compilator Supplementi, vel scriptor exemplaris eius, e codice tunc non ita recenti scripserunt, traditionis duplicatio in saeculum XIII. protenderetur. Itaque iam a priori nobis dubium non erat, quin illos duos testes se mutuo confirmantes explentes et corrigentes inveniremus. Hoc experientia rei abunde comprobavit. Ubi unanimes sunt, textus locis non multis exceptis ea bonitate est, ut ex hac parte duorum attestationi tuto credi possit. Ubi vero testimonia discordant, mirum est quam frequenter variatio ad scriptorem vel typographum potius quam ad textum ipsum referenda sit. Sola iam collatione veterum editionum Commentarii e scriptura codicis Brixiensis, a quo editiones Supplementi incoepisse comperimus, errores sine numero removeri possunt, idque criterio maximam partem certo. Haec cum ita sint, Supplementum sine nimiorum librorum discussione magnoque temporis consumptu solide recenseri posse videbatur, operique perficiendo libenter nos dedimus. Theologis non ingratum erit, quod tempus illius Omnium Operum partis, quae Summam imperfectam unice complere potest, iam nunc edendo anticipavimus. Ante enim quam Commentarius in Magistrum recensendus occurret, multi anni praeterituri videntur; et quamvis ad textum S. Thomae ultimatim definiendum plures traditionis testes suo tempore suaque sede discutiendi erunt, interim tamen sacrae scientiae devotos duorum testium examine uti posse iuvabit. Hoc lucri certissime factum est, quod textus Supplementi et Commentarii ab indebitis modernorum correctionibus liberati sunt, et quod ad eorum editiones alterius manuscripti collatio citationumque accurata revisio nostro labore accesserunt.

Codicis Brixiensis mentione facta iucundum nobis est, Reverendissimis viris Domino Iacobo Corna Pellegrini Episcopo Brixiensi et Capitularibus Ecclesiae Cathedralis, praesertim Francisco Pagani, Dominico Legati, Hyacintho Gaggia et Ioanni Rampa, maximas gratias agere, quod codicis usum nobis iterato et ad plures menses permiserunt. Quam merito, quam etiam sincere, eorum humanitatem gratam acceptamque habeamus, ex hoc intelligant quod Supplementi curandi facultatem ab illorum beneficio unice fatemur accepisse. Nisi enim tempus maturo codicis studio necessarium liberaliter concessum fuisset, nos latuisset eum Compilatoris praecipuum testem et textus prelo editi, quem utcumque correctum iterare non desinunt, proximum fontem esse; latuissent etiam quaedam prorsus insolita phaenomena palaeographica. Quibus cognitis Supplementi recensio et opportuna et multo promptior gratiorque reddita videbatur. Sic liber Brixiensis nobis quasi unicus edendi auctor fuit. Rogamus ergo venerabilem Episcopum et reverendissimos Canonicos, ut accipere velint grati animi significationem.

In Praefatione per simplicem terminum « Commentarius » intelligimus illam Commentarii portionem, ex qua Supplementi Compilator materias ad Summam complendam desumpsit. Ubi terminus pro toto opere adhibetur, ex contextu planum hoc erit. Pars Commentarii in Supplemento transcripta incipit a Libro Quarto distinctione XIV, quaestione I, articulo 3, quaestiuncula 2: « Ulterius. Videtur quod in innocentibus poenitentia esse non possit ». Ex hac quaestiuncula in Supplemento factus est Quaestionis XVI. articulus I: « Ad primum sic proceditur. Videtur quod in innocentibus » etc. Dictionum harum differentiam et rationem eius infra explicabimus. — Utemur etiam ad designandum infimum gradum divisionum materiae termino technico « quaestiuncula », secundum usum a principio preli communem, sicut hucusque omnibus experientia notum supponebamus usum vocum Lectio, Capitulum, Articulus. Habet et ista terminologia suam historiam, sed hic satis et forte non inutile erit animadvertere, S. Thomam ipsum non usurpare vocibus Articulus et Quaestiuncula; immo ipsam vocem Quaestio nescio an unquam aliter adhibeat quam pro re quae quaeritur. Termini isti, sicut etiam inscriptio titulorum ad articulos, adhiberi et addi coepti sunt per scriptores iuniorum codicum; inde paulatim aucti sunt

per editores, et in operibus S. Thomae alio et alio modo usuvenerunt. — Propter eandem rationem, ob usum iam antiquum, conservamus titulum « Supplementum Tertiae Partis » etc. In principio, idest in codice Brixiensi, scribitur: « Incipiunt additiones de contritione »; « Expliciunt rubrice additionum »; ex quo patet « Additiones » in mente et in libro Compilatoris fuisse quasi « Appendix ». Si titulum dare voluisset, scripsisset utique « Incipiunt additiones tercie partis summe fratris thome de aquino ordinis predicatorum, et prima additio de contritione ». Cum ergo antiquitus vulgatae sed nudae dictioni « Additiones » tituli indoles deficiat, eo libentius titulum omnibus familiarem adoptamus.

Ne cui postea nimis parva et levia considerare videamur, iam hic ab initio rationem huius indicamus. Antiquitas nomen Compilatoris Supplementi tacet, aetas vero iunior ideoque veritati attestandae minus idonea, nomen aliunde notum Petri de Alvernia protulit. Nobis autem videtur Supplementum ipsum quae huc spectant praebere. Compilator enim non sola transcriptione ex Commentario contentus fuit, sed etiam quaedam ex proprio ingenio contribuit, dum scilicet materias in Commentario disputatas, ut a Distinctionibus Lombardi non dependerent, nova ratione disposuit novumque insuper ordinem suis analysibus expressit, sicut in Summa ultimas disputationum materias ex materia latius patenti perpetua analysi logice deduci viderat. In hisce Compilator mentis virtutem et acumen aperit; ex his tanquam internis indiciis quaerere debemus veritatem, quam externa documenta non sufficienter manifestant. Nobis quidem ea quae Commentarii thesauro ex alieno peculio contributa sunt, non videntur sonare nomen tam honoratum Magistri Petri. De eo conferas *Echard Scriptores Ordinis Praedicatorum* T. I. pag. 489, inter « falso nostris ascriptos », et pagg. 291 seq., ubi de auctore Supplementi. Nos in Praefatione Vol. III. pag. XIII. ex Commentario Petri in III. librum De Caelo duos locos descripsimus, qui quoad stylum et ingenium cum Compilatoris opere utiliter conferri possent.

Ut spatio parceremus, variantes non sub singulis articulis notavimus, sed una continua serie post Praefationem. Quando studentis interest scire an aliquis locus variantes habeat, quaerat per notas paginae columnae et lineae.

Quae circa Supplementum et nostram eius recensionem dicenda sunt, hisce paragraphis absolvemus:

1ª De diversa in Supplemento et Commentario materiae distributione.
2ª De analysibus Compilatoris.
3ª De citationibus textus Magistri in Supplemento.
4ª De Supplementi manuscriptis ac speciatim de Vaticanis et Brixiensi deque editione principe.
5ª De textu authentico Supplementi.
6ª De recensionis nostrae criteriis.
7ª Quis fuerit Supplementi compilator.

§ 1. DE DIVERSA IN SUPPLEMENTO ET COMMENTARIO MATERIAE DISTRIBUTIONE

1. – Videri posset Compilator Summam Theologicam completurus eius Prologi meminisse. Ibi S. Thomas: « Consideravimus, inquit, huius doctrinae novitios in his quae a diversis scripta sunt plurimum impediri: partim... etiam quia ea quae sunt necessaria talibus ad sciendum, non traduntur (in illis scriptis) secundum ordinem disciplinae, sed secundum quod requirebat librorum expositio vel secundum quod se praebebat occasio disputandi. » Compilator autem Articulos Commentarii a sequela Distinctionum Magistri solvit, et in eis recomponendis liberam Summae methodum imitatus est. Quod si de causa finali huius non cogitaverit, ex habitudine tamen Supplementi luculenter apparet eum omnia sic disposuisse, ut materiam theologicam e Commentario conquisitam illo absoluto ordine prosequi videretur, quo Summae auctor dum viveret prosecutus fuisset. Hoc nonnullis mutatis omissis additis efficere conatus est.

2. – Ad omissa quod attinet, Commentarii partibus quae *Divisio Textus* et *Expositio Textus* vel *Dubitationes circa Textum Magistri* a modernis vocatae sunt, in Supplemento locus non erat, utpote quae indivisibiliter ad Sententiarum expositionem pertineant. Has ergo portiones Compilator praeteriit. – Omittendae dein fuerunt materiae in Summa iam pertractatae. In hoc tamen nimis quam parum dare maluit, ut patet ex qu. LXXVI. art. 1, Utrum Christi resurrectio sit causa nostrae resurrectionis; item ex qu. XCII, De Visione divinae essentiae, ubi e Commentario dist. XLIX. qu. II. primum, secundum et quintum articulum Supplemento inseri licere putavit. – Quaestionem de Purgatorio in Supplemento desiderari, memoriae lapsus fecisse videtur (cf. n. 7. fin.). – Non necessario nec inadvertenter suppressa sunt Argumenta aliquot partis adversariae responsionem doctoris praecedentia, cum solutionibus successivis. Hoc accidit in qu. I. Supplementi. Locus Commentarii respondens, dist. XVII. qu. II. art. 1, habet in quˡᵃ 1. octo argumenta, Compilator in suo art. 1. exscripsit tria, secundum, sextum et octavum; quˡᵃ 2. habet quatuor, art. 2. primum et tertium; quˡᵃ 3. habet tria, art. 3. primum et secundum. Quˡᵃᵉ 2. 3. habent duo argumenta Sed Contra, artt. 2. 3. sola priora. Post qu. 1. nullibi argumentorum diminutionem invenimus, quae non explicari posset per errorem transcriptionis. Notandum hic, quod quˡᵃ 1. non habet argumentum Sed Contra; Compilator art. 1. supplet: « Sed contra est ipsa definitio »; deinde se ab augmentando continet. Consilium ergo argumenta resecandi et supplendi statim prima quaestione scripta mutasse videtur. Alia propositi mutatio, nº 16. indicanda, pertinet ad citationes Commentarii.

3. – Inter mutationes textus Commentarii illa quam primo loco considerabimus, prorsus innocua est et pure materialis; non Commentarium qua talem, nec textum S. Thomae a parte doctrinali, sed potius disputationis formam exteriorem spectat. Mutationis causa procul dubio fuit, quod Summa non novit Commentarii *Quaestiunculas*, sive articulorum subdivisionem, qua aut eorum materia consideratur per partes, aut iuxta principalem materia affinis tractatur. Eiusmodi articuli in Commentario non semper usurpantur, sed crebro. Factura eorum patebit tanquam e specimine ex primo articulo qu. II. dist. XVII. (Praemittimus analysin materiae totius Quaestionis et pro textu citamus loca correspondentia Supplementi; Articulus incipit per *Ad primum.*)

« Deinde quaeritur de contritione. Et circa hoc quaeruntur quinque. Primo, quid sit. Secundo, de quo esse debeat. Tertio, quanta esse debeat. Quarto, de duratione ipsius. Quinto, de effectu eius.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod contritio non sit dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi et satisfa-

ciendi (sequuntur octo argumenta ad hoc probandum, 3 a 22–33. Dein:) *Ulterius.* Videtur quod contritio non sit actus virtutis (sequuntur quatuor argumenta et duo in contrarium 4 a 20–29. Dein:) *Ulterius.* Videtur quod attritio possit fieri contritio (sequuntur tria argumenta et duo in contrarium 4 a 73–b 10. Dein:) *Respondeo dicendum ad primam quaestionem quod* (etc., idest sequuntur responsio ad primum trium quaesitorum circa materiam Articuli Quid sit contritio, et solutiones octo argumentorum partis adversariae 3 a 35–4 a 15. Deinde per formulas:) *Ad secundam quaestionem dicendum... Ad tertiam quaestionem dicendum* (sequuntur responsio et solutiones ad secundum quaesitum, 4 a 30–68; dein, 4 b 11–36, responsio et solutiones ad tertium quaesitum) ».

Hac articulorum dispositione Commentarius a Summa differt dupliciter. Primo in eo quod responsiones et solutiones non statim sequuntur post singulas argumentorum series, sed post omnes; sic in exemplo argumenta duarum quaestiuncularum inter argumenta et responsionem primae media cadere videmus. Secundo in eo quod materiae quaestiuncularum circa quas disputatio proprie dicta instituitur, non definiuntur in aliqua analysi praeeunte: subdivisio thematis Articuli in decursu disputationis fit sine nuntio praevio, ut in exemplo cernimus. Neutrum in Summa accidit. Et si quidem res propius spectatur, ratio quare in Summa disputationis elementa, idest Obiectiones Responsio et Solutiones, non separantur, a parte technices (nam sicut a fine eam ab « ordine disciplinae » repetimus), eius dico ratio in hoc consistit, quod in Summa ubique praenotatio disputandorum ad ultima themata protenditur. Nam cum secundum morem aetatis doctor ante non respondeat et solvat quam adversarii (ficti vel veri) argumenta sua protulerint, si adversarii materiam articuli quasi per partes dividunt singulasque impugnant, plures obiectionum series doctoris responsionibus anteibunt; si vero doctor ipse iam ante disputationem, extremas materiae particulas determinando, obiicientis divisionem praevertit, una stabunt cuiusque particulae Argumenta Responsio Solutiones. In exemplo allato si analysin uno membro longiorem facimus, post « Quinto, de effectu eius » addentes: « Circa primum quaeruntur tria. Primo, utrum definitio contritionis sit conveniens. Secundo, utrum contritio sit actus virtutis. Tertio, utrum attritio possit fieri contritio », parti adversae partitio materiae quasi subtrahitur; et ut disputandi forma ea fiat qua Summa semper utitur, nihil in textu originali variandum erit praeter aliquas formulas introductorias: pro « Ulterius » intrabit secundum casum « Ad secundum (Ad tertium, etc.) sic proceditur », et ad doctoris responsum ubique « Respondeo dicendum » simpliciter sine ordinis indicatione sufficiet.

4. – Compilator ergo, ut Summam imitaretur, Quaestiunculas in Articulos reformavit. Ad hoc, ubi opus erat (et quidem non opus erat, quoties articulus originalis non divisus erat in quaestiunculas), Commentarii analyses ab inferiori parte produxit. Quod pretio non caro ei constabat: nam analysis elementa praesto adsunt, quando illa themata, contra quae obiectiones arguunt ideoque in initio quaestiuncularum enuntiantur, modo interrogatorio ponuntur: « Videtur quod contritio non sit dolor » incipiet obiiciens; thema ergo quaestiunculae est « Contritio est dolor », quod fit interrogando: « utrum contritio sit dolor »; et sic de ceteris. Regula ista, quoad Commentarii portionem in Supplementum transpositam, bis non tenet: 52 b 33, 231 a 71, ibique Compilatorem fefellit; de quo n[is] 11. et 12.– Analyses hac facili via obtentae Commentarii analysibus in Supplemento aut additae sunt, quando scilicet ex uno Articulo una Quaestio facta est, sicut in quinque primis Quaestionibus et alibi accidit. Aut simpliciter eis suppositae sunt, sicut ex. gr. qu. LXXIV. originalis quaestionis (dist. XLVII. qu. II.) tripartitio analysi ad materias novem Quaestiuncularum descendenti locum cessit, et qu. LXXI. pro materiis quatuor Articulorum Commentarii materiae quatuordecim Quaestiuncularum definiuntur. Aut partim tantum suppositae sunt, et hoc accidit quando Quaestio Commentarii ex Articulis divisis et indivisis componitur, ideoque in Supplemento ceteris paribus pro materia Articuli divisi materiae Quaestiuncularum praesignantur. – Initia Quaestiuncularum et Articulorum in Supplementi analysibus saepe non eisdem verbis, sed dictione versus brevitatem variata, rescripta sunt. Hoc, ut patet, sine iniuria fieri potuit.

5. – Quia in Supplemento materiarum tractandarum divisio iam non a Magistri Distinctionibus sed a propria earum indole imperatur, ideo interdum articuli et quaestiunculae in textu Commentarii longe distantes in unam Supplementi Quaestionem coacti, aut e converso simul stantes in diversis Quaestionibus distributi sunt. Ex. gr. Quaestio XCVII, de Poena Damnatorum, componitur ex quatuor Quaestiunculis dist. L. qu. II. articuli tertii, qui est « de poenis damnatorum quantum ad corpus », et tribus Quaestiunculis dist. XLIV. qu. III. articuli secundi « de igne quo cruciabuntur ». Haec videre licet infra ubi ordines Commentarii et Supplementi comparantur.

Iure quidem suo Compilator usus est, quando materias novo ordine donabat, attamen vehementer suspicamur eum aliquoties suam commoditatem secutum esse. Mirum utique et vix credibile sed tamen verum videtur, quod interdum materias eo solo fine una posuit, ut disputationem circa eas incipere posset a formula « Ad primum sic proceditur ». Ista formula introductoria adhiberi potest, ut per se patet, quando quaestionis materia articulatim tractatur (« Circa hoc quaeruntur *tot* »), aut quando disputationi immediate analysis praecedit: « Deinde considerandum est de impedimentis matrimonii. Primo in generali. Secundo in speciali »; post hanc materiae totius divisionem in duas partes, quaestio (L.) « de impedimentis matrimonii in generali », quae non habet articulos, incipit tamen « Ad *primum* sic proceditur », et quaestiones LI.—LX. virtualiter *secunda* pars divisionis sunt. In Supplemento autem, nisi Compilator consilio praevenisset, pluries accidisset, ut et materia quaestionis indivisibilis esset et nulla analysis immediate praeiret. Opus ergo fuisset forma insolita, cuius nec Summa nec ni fallor Commentarius exemplum praebet. Adaptari potuisset, secundum QQ. de Quolibet, haec dictio: « Deinde considerandum est de impedimentis matrimonii in generali. Et videtur (vel: Circa quod sic proceditur. Videtur) quod matrimonio inconvenienter » etc. Compilator autem tales formulas ignoravit, aut, a Summae dictione recedere veritus, adhibere noluit, et, ut formulas quas solas novit aut desiderat haberet, ubique materiam quaestionis divisibilem data opera quaesivit. Et hac quidem in re modo felici eventu usus est, sicut in qu. L. citata, quae ex omnibus Supplementi Quaestionibus sola uno articulo constat. Modo speciem, non ipsam rem, nactus est: mox (n[is] 8. 9.) videbimus quo se vertat ut scribere possit « Ad primum sic proceditur ».

§ 2. DE ANALYSIBUS SUPPLEMENTI

6. – Compilator nimis prope ad Summam accedere tentavit. Potuisset Supplementi Quaestiones sine nexu iuxta se ponere, naturali quodam ordine servato; quod ei melius fuisset: nam labor supra vires arduus ei manebat, quando eas invicem una perpetua analysi coniungere proponebat, sicque sibi necessitatem imposuit imitandi S. Doctorem qua parte omnium maxime inimitabilis est. Cum enim Magistri Distinctiones scopo suo obstarent, et analyses S. Thomae, ab ipsis necessario imperatae, parum utiles essent, novas analyses, quibus Quaestiones a Commentario avulsae proprio logico nexu, vere et clare viso, sententia brevi et lucida praecise enuntiato, cohaererent, e proprio ingenio conficere coactus est. Res altius ingenium exigit quam ut Compilatori pro voto cederet, qui nec analytices scientia nec requisitae dotis conscientia se instructum ostendit.

7. – Propitiam virtutis monstrandae occasionem Compilator habebat in analysi qu. LXIX. Ibi ultima totius negotii theologici consideratio incipit, nempe « de fine immortalis vitae ad quem per Salvatorem resurgendo pervenimus (III. P. initio). » Ei incumbebat, continuitatem huius tractatus ad praecedentem de Sacramentis pellucidis verbis exprimere et deinde amplam materiam logicis conceptibus,

a vera rerum connexione petitis, in constrictiores dividere, divisionesque bene describere. Videamus qua ratione rem difficilem expediverit.

« Post hoc agendum est de his quae spectant ad tractatum resurrectionis. Postquam enim dictum est de sacramentis, quibus homo liberatur a morte culpae, consequenter dicendum est de resurrectione, per quam homo liberatur a morte poenae.

Circa tractatum autem resurrectionis tria consideranda sunt: scilicet praecedentia resurrectionem, concomitantia, et sequentia. Et ideo primo dicendum est de his quae pro parte quamvis non ex toto resurrectionem praecedunt; secundo, de ipsa resurrectione et circumstantibus eam; tertio de his quae eam sequuntur.

Praecedentium autem resurrectionem prima consideratio est de receptaculis animarum post mortem eis assignatis; secundo, de qualitate et poena animarum separatarum eis ab igne inflicta; tertio, de suffragiis quibus animae defunctorum a vivis adiuvantur; quarto, de orationibus sanctorum in patria existentium; quinto, de signis iudicium generale praecedentibus; sexto, de igne ultimae conflagrationis mundi qui faciem iudicis praecedet.

Circa primum quaeruntur septem. Primo, utrum » etc.

Inconvenientiis non paucis nec levibus analysis ista laborat. Prima est quod iam ab initio dictionem Summae negligit; de quo vide n. 13.

Secundo, conceptum « mors poenae » mutuatus est ex Prologo S. Thomae in IV Librum; quo fonte comparato patebit poenae convenire *mortem* vocari, quando culpa intelligitur *infirmitas*: « Et ideo culpa ad infirmitatem reducitur, poena ad mortem: quia via ad poenam est culpa sicut infirmitas ad mortem ». Sed nec proprie dici potest resurrectio liberare « a morte poenae ». Nam ibidem dicitur: « A morte ergo corruptionis naturae (idest a *poena mortis*) eripiet Verbum incarnatum per resurrectionem... sed a *mortibus poenalitatum* per gloriam ». Contrapositio ergo mortis culpae morti poenae impropria est et aequivoca; artificium sapit, non veritatem.

Tertio, tota materia in analysi penes resurrectionem dividitur; sed « resurrectio ad remunerationem ordinatur » (Dist. XLIII), « ad immortalem vitam resurgendo pervenimus ». Ideo S. Thomas ab huius vitae conceptu ordiens circum eum omnem materiam disposuisset, Compilator vero quasi architector minus sapiens totius domus disponendae rationem a vestibulo petiit.

Quarto, divisio materiae per ea quae resurrectionem *praecedunt, concomitantur, sequuntur,* praeterquam quod resurrectionem ipsam a tractatione excludere videtur, extrinsecus quaesita est; materialem executionis ordinem sequitur et nihil continet quod a rebus ipsis logice deductum sit. Pro notionibus plenis et fecundis obtruduntur notiones latissimae, intus cavae: *ante, simul, post,* ad hoc tantum utiles ut, cum extra ea tria quartum non detur, sub eas omnium Quaestionum materiam specie tripartitionis collocaret. Ipsa disparitas septem materiarum, quas Compilator hospitali titulo « praecedentium » in unam seriem collegit, inscientiam eius manifestat.

Quinto, correctiva « praecedentium » restrictio ad ea « quae pro parte quamvis non ex toto praecedunt », difficile dictu est quid sibi velit. Verba a seipsis non minus infinita sunt et inania quam verbum « praecedere ». Si significare intendunt: aliqua ratione praecedere resurrectionem, aliqua ratione sequi; hoc aliqualiter vere dictum est, licet diversissimis modis, de receptaculis et poena, de iudicio generali cuius signa praecedunt, de igne conflagrationis qui reprobos involvet. At si hic sensus est, qua ergo ratione suffragia vivorum pro defunctis et orationes sanctorum non ex toto praecedunt, cum omnino cessura sint? Iudicet ergo ipse lector, an sensum quem diximus aut quem alium vacua verba abscondant.

Sexto, defectui alius generis imputamus quod Supplemento specialis quaestio de Purgatorio deest. In Commentario scilicet agitur de purgatorio distinctione XXI: « Hic est triplex quaestio. Prima de purgatorio; secunda de confessione generali; tertia de sigillo confessionis ». Valde probabile est ut Compilator, de exemplari Commentarii ea quae ad confessionem pertinent supra chartas suas describens (qq. X. XI.), articulos de purgatorio distulerit transcribendos inter cetera ad resurrectionem pertinentia, ubi « secundum ordinem disciplinae » convenientius starent; postea tamen transcriptio quinquaginta septem quaestionum (XII-LXVIII) longam moram interiecit, quo facile fieri potuit ut quaestionis dilatae memoria perderetur. Si Compilator dum ad analyseos membra congerenda exemplaris folia, vel Tabulam, vertebat, Rubricam De Purgatorio invenisset, fortasse in analysi ante « Circa primum quaeruntur septem », inseruisset: « Circa receptacula autem duo consideranda sunt. Primo, de receptaculis in communi. Secundo, de purgatorio in speciali ».

Nonne verissimum est infelicis analyseos auctorem se labori imparem ostendere? Videamus de aliis.

8. – Quaestionem LVIII. introducens pueriliter ludit:

« Deinde considerandum est de quinque impedimentis matrimonii simul, scilicet de impedimento frigiditatis, maleficii, furiae vel amentiae, incestus, et defectus aetatis. Et circa hoc quaeruntur quinque. Primo, utrum frigiditas matrimonium impediat. Secundo, utrum maleficium. Tertio, utrum furia vel amentia. Quarto, utrum incestus. Quinto, utrum defectus aetatis ».

A parte horum impedimentorum nulla necessitas vel convenientia exstitit, qua *simul,* idest in una Quaestione, considerari poscerent: communi titulo « de impedimentis in speciali » (cf. qu. LI.) ex aequo haec substant sicut et cetera, quae sua quodque Quaestione tractantur. Sed simultaneae considerationis convenientia vel potius commodum a parte Compilatoris exsistebat. Commentarius enim his quinque impedimentis, secus ac aliis, assignat singulis unum articulum indivisum per quaestiunculas; isti ergo quinque articuli in Supplementum transpositi quinque Quaestiones articulis indivisibiles efformassent; quae cum peculiari formula initiari velint (cf. n. 5), Compilator, qui solitas tantum formulas Commentarii et Summae novisse aut voluisse videtur, quinque Quaestionibus non divisis unam Quaestionem quinque articulorum praetulit. Quam ut habere posset, quinque materias in unum fasciculum quasi colligat, ut fasciculus latioris et divisibilis materiae vicem gereret; quo facto « circa hoc, inquit, quaeruntur quinque ». Sic propositum tenet Compilator, sed timeo ne obiurgandus sit quod propriam vocem nesciat: tantum abest ut *circa hoc* quaerantur *quinque,* ut *circa singula* quaeratur *hoc* unum, utrum matrimonium impediat; ac si scilicet non simul sed separatim consideranda praenuntiasset. – In modernis editionibus verbum *simul* sublatum est. Qua auctoritate aut quo consilio sublatum sit, sciunt qui sustulerunt; ad medendum analysi inefficaciter deletum foret, quia artificium et sophisma remanent.

9. – Qu. XIII. artificio non absimili duae materiae insociabiles componuntur, ut disputatio a solita formula incipere possit:

« Deinde considerandum est de *possibilitate* satisfactionis. Circa quod duo quaeruntur. Primo, utrum homo *possit* Deo *satisfacere.* Secundo, utrum aliquis pro alio *satisfacere possit* ».

Loca Commentarii sunt dist. XV. qu. I. art. 2 non divisus, et dist. XX. art. 2. qu[la] 3. Primo loco quaeritur *an Deo possit aequivalens reddi pro peccato commisso.* In altero, sub universaliori themate « de poena quam *sacerdos* ad satisfaciendum *imponit* », quaeritur utrum *poenam satisfactoriam unus possit explere* pro alio; his verbis etiam incipit articulus secundus Supplementi. Materias patet quam disparatissimas esse. Compilator vero callidior quam prudentior, in analysi locutionem initii articuli secundi mutat, et bis utitur verbis *satisfacere posse.* Ita specie tenus obtinuit quaestionis subdivisionem, sed in veritate duo articuli verborum sonitu potius quam univoca significatione ad unam Quaestionem pertinent.

10. – Alium defectum ex qu. LXI. cognoscimus: « Deinde considerandum est de impedimentis quae superveniunt matrimonio. Et primo... de voto solemni, secundo... de fornicatione ». Hoc repentinum est: distinctio hic insinuata,

inter impedimenta prohibentia vinculum ne fiat, et ea quae vinculum supponunt sed solvunt aut quoad vinculum ipsum aut quoad cohabitationem, in nulla analysi praenotatur; si in analysi qu. L. impedimenti notionem ita ampliasset ut haec duo comprehenderet, materias de voto matrimonium ratum solvente et de separatione a toro ad vinculi impedimenta convenienter continuasset. E variantibus 124 a 71–b 4 arguimus scripturam Compilatoris confusam fuisse et nobis interiisse.

11. – In analysi qu. XI. pro « Primo, utrum in quolibet casu teneatur *homo* celare *ea* quae habet sub sigillo confessionis », quae materia proprie ad tres articulos Supplementi pertinet, scribendum fuisset « Primo, utrum in quolibet casu teneatur *sacerdos* celare *peccata* quae sub sigillo confessionis novit »; hoc scilicet thema est primi articuli. Compilator ex analysi Commentarii primum membrum retinuit, quod latius patet; cf. dist. XXI. qu. III.

Errat noster, sed haesitans, qu. XXVIII, 52 b 33: « Tertio, utrum publica sit imponenda poenitentia », cui articulo respondet dist. XIV. qu. I. art. 5. quaestiuncula tertia. Eum non intellexisse peculiarem facturam obiectionum illius quaestiunculae patebit conferenti initia trium quaestiuncularum, quae ex Commentario rescribimus:

« Ad quintum (quaesitum, quod erat De solemnitate poenitentiae) sic proceditur. Videtur quod non debeat aliqua poenitentia publicari vel solemnizari. – Ulterius. Videtur quod solemnis poenitentia iterari possit. – Ulterius *quaeritur de ritu solemnis poenitentiae. Et videtur* quod mulieribus non sit imponenda (sequitur unum argumentum). *Item videtur* quod clericis sit imponenda (idem). *Item videtur* quod a quolibet sacerdote possit imponi (idem) ».

Adversarii ergo contra tres partes subiecti tertiae quaestiunculae singulatim obiiciunt; inde est quod quaestiuncula et obiectiones peculiaribus formulis introducuntur, et quod integrum thema a prima obiectione desumi non potest (cf. n. 4). Hoc aliquatenus ipse sentivit Compilator, nam ex analysi verbum *mulieribus* exclusit. – Locus similis obtinet qu. XCVI, 231 a 71 « Duodecimo, utrum aureola sit virginum »; quam perplexus haec scribens fuerit vide in loco ipso.

12. – Laudi ei vertimus quod in textu horum articulorum, et qu. XLIII. art. 3, raram formulam *Item* non mutavit in *Praeterea*. Harum enim et omnium aliarum formularum distinctio et mutatio apud S. Thomam semper rationem sufficientem et certam legem habent. *Praeterea* continuat argumenta pro thesi primi obiicientis; *Item* introducit novam thesim partis adversariae. Adverte quod in analysi qu. XLIII. materia tertii articuli rite assignatur: « Tertio, utrum sponsalia dirimi possint » quin addatur, ex initio articuli, « altero religionem intrante ». At Compilator huius analysis scriptor tantum est, non auctor: tota praeiacet in Commentario, dist. XXVII. qu. II. – Consilio praeter morem prudenti, sed non sine aliquo quamvis veniali artificio, analysin qu. XCII, de Visione Beatifica, ex verbis Commentarii selectis ita composuit, ut post quaestionem XII. Primae Partis, ubi eadem materia tractatur, retractatio in Supplemento non superfluere videretur. Omnia hic rescribere longum est; conferas tria loca et videas an Compilator Summam evitare intenderit.

13. – Quasdam dictiones novas et modos peregrinos in analyses Supplementi invexit Compilator, quae vel eo magis attendenda videntur quod Commentarius non alias adhibet dictiones et formulas ac in Summa usu veniunt. Summa: III. P. qu. LXVI. « de *ipso* baptismate »; qu. LXXIII. « de *ipso* sacramento » Eucharistiae; qu. LXXXIV. « de *ipsa* poenitentia ». Commentarius: dist. XXIII. « de *ipsa* extrema unctione »; dist. XXIV. « de *ipso* ordine »; dist. XXVII. « de *ipso* matrimonio » vel « *quid sit* matrimonium »; dist. XVIII. « de clavibus *secundum se* ». Nudiores has formulas Compilator repudiavit; scribit enim qu. XXIX. « de *essentialibus* ipsius » extremae unctionis; qu. XXXIV. « de ordinis *entitate et* quidditate »; qu. XLIII. « de matrimonii *ratione* »; qu. XVII. « de *entitate et quidditate* clavium ».

Summa: III. P. qu. LX: » Post considerationem eorum quae pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiae sacramentis quae ab ipso Verbo efficaciam habent ». Ibid. Prol. « tertio, de fine immortalis vitae ad quem per ipsum, Salvatorem, resurgendo pervenimus ». Commentarius: dist. XLIII. « Postquam determinavit Magister de sacramentis quae pertinent ad Ecclesiae praesentem statum, in ista parte incipit determinare de his quae pertinent ad Ecclesiae ultimum terminum, scilicet de resurrectione et de remuneratione ». Haec Compilatori imitanda erant, quando scribebat quae sequuntur: « Post *hoc agendum est* de his quae spectant ad *tractatum* resurrectionis. Postquam *enim* dictum est de sacramentis quibus homo liberatur *a morte culpae,* consequenter dicendum est de resurrectione per quam homo liberatur *a morte poenae* ». Quantum Thomas et Compilator distant grata styli concinnitate et clara veritatis visione!

Commentarius: dist. XVIII. qu. II. « Deinde *quaeritur* (in Summa fuisset *considerandum est*) de excommunicatione. Et circa hoc quaeruntur quinque. Primo, de *ipsa* excommunicatione »; primus articulus quatuor quaestiunculis constat. Compilator, qu. XXI, sic transfert: « Consequenter *videndum* est de excommunicatione; *de qua* primo considerandum est de *definitione* excommunicationis *et congruitate et causa* ». Si addidisset *et effectu,* altera pars « Circa primum quaeruntur *quatuor* » etc., abundasset. Sed iam satis de Compilatore analyzanti.

§ 3. DE CITATIONIBUS

14. – Qua methodo Commentarius Supplementum factus est, commentarii indolem amisit. Inde, sicut Divisiones textus et eius Explicationes omittendae erant et analyses reformandae, ita ut videtur aeque necesse erat citationes eiusdem: « ut in littera dicitur, ut in dist. *tali* dictum est », quasi iam extraneas supprimere, illas certe quae Commentarii textui non concretae sine laesione eius avelli possunt. – Vel potuisset Compilator pro formulis ad textum relativis absolutas adhibere: « ut Magister libro *tali* distinctione *tali* dicit ». Sic Magistri verba ceterorum doctorum auctoritatibus aequiparata essent, et sic Commentarius ipse saepe citat. – Omnino vero consentaneum fuisset ut pro Commentario quantum fieri posset Summa citaretur. Non obstat profecto Commentarium ante Summam scriptum fuisse; nam iste, cogitatus et apparatus in Summae continuationem et suppletionem, iunior est quam Summa. Quidquam certum circa citationes stabiliri omnino debuisset, quia sic ut in Commentario iacent textum Magistri, iam expulsum et foris clausum, expresse reclamant.

Supplementi experientia docuit, Compilatorem haec tria mente quidem agitasse, sed nullius normae constantem usum habuisse. Omittit, admittit, mutat nulla quae attingi possit lege servata. Veniamus ad singula, ut rem et hominem noscamus.

15. – Inter locorum Sententiarum citationes, quibus Commentarius abundat, parum infra centum quinquaginta vices occurrit formula « in littera », vel variata: « littera, Magister in littera, supra Magister, hic, infra »; porro « ipse » 86 a 10; « ista prohibitio », de qua scilicet in littera, 113 b 64; « non facit mentionem » Magister vel littera, 98 b 62. Pars longe maxima in Supplementum transiit ut iacebant in exemplari, non tamen quin inconstantia Compilatoris transcribentis se manifestaverit. – Semel ex initiis articulorum in analyses recepit « in littera », qu. XII. ad Tertio; sexies non recepit: qq. XXXIV. ad Secundo et ad Quarto; XXXVII. ad Quarto; XLIV. ad Tertio; XLIX. ad Secundo; LXXIV. ad Octavo. – In initiis Articulorum semel omisit, qu. ultimo cit. art. 8; bis reformavit, qu. XXXIV. art. 2. « a Magistro Sententiarum XXIII dist. » (art. 4. rursus « in littera »), et qu. XLIX. art. 2. « a Magistro Sententiarum ». – Ad *Respondeo dicendum* sive ad initia corporum articulorum, ubi S. Thomas amat ad anteriora remittere, duodecim locis comparatis formula septies servata est, quinquies suppressa. – Qu. LIV. art. 3. S. C. « ut ex verbis Gregorii habetur », pro « ut in littera ex », etsi aliis locis similibus litteram non expellit; cf. 41 a 62, 96 a 9, 129 b 72. –

Ceteroquin formam relativam aliquoties in absolutam mutavit, idque ea casuum distributione ut duobus temporibus consilium absolute citandi iniisse videri possit. A qu. xx. usque ad qu. xxix. portio respondens Commentarii quater habet « in littera », Supplementum vero 43 a 56 « Magister Sententiarum », 44 b 21 « in Quarto Sententiarum », 54 b 68 « in Quarto xxiii. dist. », sed 57 a 49 reviviscit « in littera ». Notandum hic quod in eadem portione Commentarii sex citationes absoluta forma occurrunt, sed in Supplemento suppressae sunt! Dein qu. xlix (ubi ut iam diximus formulam in analysi omisit et in initio art. 2 reformavit) invenimus: eodem art. arg. 3. « ut Magister dicit »; ad 3: « in libro Sententiarum »; ad 7: « Magister dicit xxxi. dist. Quarti Sententiarum »; art. 3. ad 5: « ut Magister dicit »; sed « in littera » reapparet art. 6. argg. 1. et 4. et Sed Contra; deinde legimus qu. li. art. 1. ad 4. « Magister xxx. dist. Quarti Sententiarum », et « in eadem distinctione » (pro « ibidem »). Hinc desinit mutare Compilator; ter vel quater omittit.

16. – Ceterarum etiam citationum alias omisit, alias admisit, paucas in Summae citationes refecit. Rationem discriminis assequi non potuimus, quia perpetuo vacillat. A principio conservationem omnium decrevisse videtur, nam in duabus primis quaestionibus e tredecim citationibus duodecim adsunt; in suppressa S. Thomas proprium commentarium allegat, ut mox videbimus. Exinde aliud consilium sequetur (cf. n° 2. fin.): usque ad medium Supplementum plures citationes praetermittet quam transcribet; in altera dimidia parte numerus servatarum multum crescit, sine regula nobis vestigabili. In mutabilitatis specimen confer citationes tres: resecavit qu. iii. art. 2. (post 8 a 16 « nimia ») « ut supra dist. v. in quaestione de ieiunio ex verbis Hieronymi patuit », et qu. vi. art. 2. (post 12 a 14 « protestationes ») « sicut in i. dist. dictum est », sed admisit intermedio loco qu. v. art. 1. (10 a 54) « sicut de sacramentis in i. dist. dictum est ».

17. – Sex locis citationes et earum contextus ulteriorem considerationem provocant.

Dist. xvii. qu. ii. art. 1. qu^{la} 1. corp.: « Et de virtute huius (pro « hac » ut videtur) supra dist. xv. dictum est: quia ibi ponitur quasi similis definitio de poenitentia, cui praecipue competit ratione contritionis ». Haec Compilator omisit (qu. i. art. i. post 3 b 24 « contrahitur »).

Ibid. art. 5: « Utrum autem totus reatus per contritionem semper tollatur, supra dist. xiv. quaesitum est, ubi hoc ipsum de poenitentia quaerebatur ». Habet (qu. v. art. 2. 10 b 28). Eodem modo dist. xlv. qu. i. art. 2: « Utrum autem infernus et purgatorii locus sint idem, quaesitum est dist. xxi ». Habet (qu. lxix. art. 6. 146 a 28). Fere eodem modo dist. l. qu. ii. art. 3: « Quaedam vero alia quae ad poenam damnatorum pertinent, determinata sunt supra xliv. dist. » Habet usque ad « sunt » (qu. xcvii. art. 4. 241 a 71).

Dist. xxviii. art. 4. ad 2: « De consensu autem Beatae Virginis infra dicetur ». Habet (qu. xlviii. art. 1. 92 a 29).

Dist. xlv. qu. iii. anal.: « Utrum autem possumus sanctos orare et utrum sancti qui sunt in patria orent pro nobis, habitum est supra dist. xv ». Compilator: « Nam utrum sancti orent pro nobis, dictum est qu. lxxxiii. Secundae Partis » (qu. lxxii, 160 a 2).

Citationem primae similem iam non omittet Compilator. – Locis tribus secundo datis iste non assecutus est mentem S. Thomae. In articulo originali verba « Utrum autem totus reatus » etc. inter series argumentorum secundae et tertiae quaestiunculae media ponuntur: auctor explicat quare omittat tractare materiam cuius tractandae hic locus esset, et dicit eam alibi in materia aequivalenti tactam esse. Verba ergo ad neutram quaestiunculam pertinent, sed sunt quasi parenthesis, vicem gerens quaestiunculae quae fieri posset et data ratione non fit. Propterea, in Supplementum transposita, locum proprium in analysi materiae Quaestionis quintae habuissent; ubi nunc stant, idest media inter argumenta et responsionem secundi articuli, locum prorsus alienum occupant: non dubito quin Compilator ea secundi argumenti Sed Contra partem esse putaverit. De duobus locis parallelis eaedam valent observationes. – Ratio vel occasio erroris non a longinquo quaerenda videtur. Quia hoc loco formula « Ulterius » deest (cf. n. 3.), latuit Compilatorem agi de verbis in Supplemento aut non repetendis aut in analysi ponendis. Non errasset si S. Thomas scripsisset « Ulterius quaeri posset utrum reatus » etc., quia talis dictio evidenter elementum analyseos insinuat. Advertendum etiam est, locum ultimo exscriptum « Utrum autem possumus sanctos orare » etc., ab his non differre quoad intentionem S. Thomae, sed hi Compilatorem nihil tale suspicantem quasi latebant in decursu disputationis, ille ei patebat in analysi praeeunti.

Incisum tertio loco datum Compilatori inadvertenter scribenti excidit. Analyses enim Supplementi tractationem de consensu matrimoniali B. M. V. non praenuntiant: ergo Compilator, dum de materiis inserendis et omittendis secum agebat, quaestionem secundam distinctionis xxx, de matrimonio B. V., voluit non transcriptam, utique quia sciebat materiam in Summa pertractatam fuisse. Non ergo eius consilium sed praeceps calamus culpandus est; sui compos locum omisisset aut Summam citasset.

De Summa citanda sero tantum cogitavit, et tribus tantum ni fallor locis eam allegat expresse. Ante locum supra datum legimus qu. lxv. art. 4. 135 b 4 « in Secunda Parte » pro « in Secundo Libro dist. xlii »; post eundem qu. lxxxiii. art. 2. 192 b 67 « in Prima Parte » pro « in Secundo Libro dist. xiii ». Familiarem Summae consuetudinem Compilator non manifestat. Sed alia parcae citationis causa existere potuit: sciebat forte quantum temporis tot loca citanda in Summae voluminibus venando trivisset. Cum adsint festinationis signa in textu Supplementi, ut patebit suo loco, congruere videtur auctoris indoli, ut tempori parcere maluerit quam loca Summae citationibus exemplaris substituere.

18. – Compilator aliquando, tribus ni fallor locis, obliviscitur se ordinem articulorum Commentarii mutasse: transcripsit nempe ut in exemplari iacebant tres citationes, quamvis continuitatem Commentarii immutatam supponunt: bene stant in originali textu 57 a 72 « ut ex dictis patet » et 58 b 16 « ut dicetur », sed in Supplemento « ut infra dicetur » et « ut dictum est » audire debuissent; similiter 112 b 44 « prius » ad Compilatoris contextum non quadrat; intellige: « infra ». – Qu. xcvii. art. 5. 242 a 45 pro verbis Commentarii « Qualiter autem animae damnatorum ab igne isto corporeo puniantur *infra dicetur* », Compilator habet « Sed *hoc supra dictum* est qualiter animae damnatorum ab igne isto corporeo puniantur », recte quoad locum, quia de re iam qu. lxx. actum erat; sed adverte quam superflue et male orationem S. Thomae mutaverit, praeoccupatus forte de citatione aptanda.

19. – Citationum defectus assignati cuique persuadebunt, Supplementi auctorem quid circa eas ageret non consilii praestabiliti certitudine, sed magis ad singulos casus ex arbitrio repente determinasse.

Caveat tamen lector, ne ob formam et locum quaestiuncularum mutata, ob analyses infortunatas et citationes vexatas, nullum Supplementi usum esse putet. Prima enim variatio vix excedit localem rerum distributionem, qua S. Thomae textus iniuriam non patitur. Equidem credimus eos qui nunc temporis Commentarium studendo volvunt, Compilatoris methodum imitari. Solent enim themata quaestiuncularum ex earum initiis quaerere, et post cuiusque argumenta intermediis omissis responsionem et solutionem eius legere: sic vero mente fit quod calamo factum est in Supplemento. Analyses autem Compilatoris, cum potius quaestionum compedes sint quam verae nativorum ligaminum indices, nullo damno vel iniuria negligi possunt. Citationum defectibus editionis nostrae margines supplent. Id vero quod in Supplemento prae ceteris quaeretur, idest ipsa S. Thomae oratio, ab additamentis apprime distingui potest, quia examussim incipit apud « Videtur quod » cuiusque articuli (formula enim praecedens potest secundum casum esse aut non esse authentica) et finitur cum ultimo articuli verbo. Inter hos terminos in Supplemento textus Commentarii continetur.

Considerato de Compilatore–auctore, considerandum est de scriptore. Non inveniemus hunc illo meliorem: textum exemplaris sui male habuit ultra quam credi posset. Sed quia non ex proposito corrumpit, scripturae perversitas non effecit ut erratorum correctio longa esset aut ardua.

§ 4. DE SUPPLEMENTI MANUSCRIPTIS AC SPECIATIM DE VATICANIS ET BRIXIENSI DEQUE EDITIONE PRINCIPE

20. – Praeter codices Vaticanos et Brixiensem, de quibus mox specialius agendum erit, novem codices ad nostram notitiam pervenerunt. Collati sunt locis selectis.

Parisiis bibl. Mazarineae 850 (antea 996) saec. xv, perg. et chart. Incipit: rubro « Complementum 3 partis summe sancti Thome »; nigro « Deinde considerandum est de singulis partibus penitencie ». Finis est: « per talia opera ad non pereundum. Hic finitur pars ultima seu 3ª sancti thome de aquino ». Sequitur tabula; post quam: « In hac parte que complementum tercie partis summe sancti Thome dicitur sunt 97. questiones cum articulis suis. alteri plus alii minus. Explicit tabula tercie seu ultime partis sancti Thome de aquino ordinis predicatorum. et per consequens totum opus eiusdem partis. Et est celestinorum de parisiis ».

Norimbergae bibl. Civitatis Cent. III. 26, anni 1439. Ab origine pergamenus et chartaceus erat, sed folia pergamena, nescio an omnia, avulsa sunt. Cf. Vol. XI. Praef. pag. IX. Folio 264: « incipiunt tituli addicionum »; folio 269 verso: « Expliciunt Rubricae addicionum. Sub anno domini M° cccc° xxxix per manus Bertoldi Thuner de Ysenach ». Hic inter recentes maxime accedit ad textum originalem Compilatoris, ut extensior collatio nobis aperuit.

Ibi Cent. II. 35, membr. sec. xv. Folio 157: « Expliciunt tituli tercie partis fratris Thome de Aquino »; a linea: « Incipit complementum tertie partis summe sancti Thome ».

Herbipoli bibl. Universitatis M. ch. f. 238, anni 1462.

Monachii clm 14103 in 2°, anni 1459, chart. Folio 240 post Tertiam Partem: « Sequitur quarta pars summe sancti Thome sive supplementum ».

Lipsiae bibl. Universitatis tres chartacei: 466, anni 1462; 467 anni 1471; 475 saec. xv. Super ligaturam exterius scriptum habent, primus « Comp. », secundus « Complementum Beati Thome tertie partis »; tertius « Complementum terçie partis beati Thome ». – In eadem bibl. codex 477 « 3ᵉ partis de sacramentis cum supplemento chart. s. 15 » ad S. Thomam non pertinet.

Oxonii New College CXXIV perg. sec. XIV. Supplemento praecedit Tertia Pars, eadem manu scripta. Codicem inspeximus anno 1898 Oxonii et iam tunc scriptura nobis videbatur non pertingere ad saeculum XIII, quod ei Catalogus Collegiorum adiudicat; ideo in Praef. Vol. XI. eum (sigla 20 distinctum) diximus « medium » idest scriptum post quinquaginta et ante centum annos ab anno 1274. quo mortuus est auctor Tertiae Partis. Eandem opinionem nunc tenemus, postquam codicem iterum licuit intueri. (Inspiciendi facultatem debemus Rev. D. S. Margoliouth, cui animum sincere gratum libenter testificamus.) Oxoniensis habet textum Brixiensem; Commentario quidem aliqualiter assimilatus est, sed ori paterno multo similior remansit, ut e multis his praesertim patet locis: qu. LXII. art. 6. corp. (128 a 64) lectio Commentarii est: « (si uxor... emendata fuerit) *potest eam sibi vir reconciliare* », isti vero « *potest eam sibi reconciliari* »; ibid. ad 1. Commentarius: « (absque retractatione praecedentis sententiae potest reconciliatio) *sequi* », illi « *fieri vel sequi* ». Ambae lectiones quam omnino ad characterem textus Supplementi spectent, videbimus ubi de eo.

21. – Vaticanus 751; perg. saec. XIV. medii. Folia habet 141 (nota antiqua est 140, quia nota 81 bis occurrit). Liber constat undecim sexternionibus; accedit quaternio eiusdem pergamenae; scriptor addidit folium extraneum supra quod exararet Rubricas qq. XCIV–XCIX; folia constant binis columnis, columnae sine exceptione lineis quinquagenis. Incipit rubro « Incipiunt additiones tercie partis venerabilis fris (hoc abrasum est; supra rasuram: sc̄i) thome de aquino ordinis fratrum predicatorum et primo de partibus poenitencie in speciali. Et primo de contritione quaestio prima ». Explicit textus fol. 138. recto col. 1. linea 46 « ad non pereundum ». Post unam lineam punctis et lineolis impletam sequitur nigro « Expliciunt additiones tertie partis summe venerabilis fris (ut supra: scti) thome de aquino ordinis fratrum predicatorum. Deo gracias ». Col. 2. linea 1. rubro « Incipiunt Rubrice additionum tercie partis ». Post tabulam fol. 141. recto col. 1. linea 50. nigro « Expliciunt Rubrice additionum ». Col. 2. alba. Codex ergo lineas 28050 continet. – Ex eodem exemplari descriptus est ac Brixiensis, sed accuratius. Multae adsunt rasurae, super quas corrector, ipse forte scriptor, arbitrarias lectiones exaravit. In quaestionibus L–LX rarius obtinent errores Compilatoris; rasurae et correcturae etiam disparent. Hanc ergo portionem scriptor aliquo codice Commentarii comparato transcripsit. Praeterea locis sparsis textum meliorare nititur; cf. 227 a 16, 240 a 23. – De Vaticano plura ubi de Brixiensi. Notatur L.

22. – Vat. Urbinas 133; perg. saec. XV, foliorum (primo non connumerato) 214 binis columnis. Fol. 1. uncialibus: « Incipiunt additiones tertie partis sancti thome de aquino ordinis predicatorum feliciter ». Fol. 208 verso: « ad non pereundum. Amen »; rubro « Additiones tertie partis sancti thome de Aquino Ordinis predicatorum expliciunt feliciter »; Fol. 209 rubro: « Tabula additionum tertie partis sancti thome de aquino ordinis predicatorum incipit feliciter ». Fol. 214: « Tabula exit feliciter ».

Urbinas ex duobus exemplaribus descriptus est, Supplementi et Commentarii. Primum exemplar praebuit quae ad Compilatorem pertinent: analyses et formulas introductorias; ex altero scriptus est textus S. Thomae, citationibus curtatis aut omissis. Sic res se habet generaliter; si ad singula veniatur, in textu, citationibus non exclusis, observari potest aliqualis influxus textus Brixiensis, et in analysibus influxus Commentarii. Ambo exemplaria multas secundas manus habuisse argui posset ex lectionibus plurimis quae ab inepta correctionum insertione erroneae evasisse videntur. – Aliqua loca adducam quae usum duorum exemplarium extra omne dubium ponunt. Qu. XI. analysis Supplementi *quinque* membra habet, Urbinatis *tria*, eaque ipsius Commentarii. Ad « quaeruntur *tria* » scriptor margine notat « quinque », correctionis gratia, nam et ipse habet *quinque* articulos. Ulteriorem correctionem distulit usquedum Tabulam scriberet: ibi rite quinque articuli recensentur. – In eadem qu. articulum secundum inchoat sic: « *Ad secundum sic proceditur ulterius* videtur quod sigillum »; una scilicet stant formulae Supplementi et Commentarii. – Qu. XXIX. Urbinas habet analysin Supplementi, qu. vero XXX. propriam, quia malo usu exemplaris Commentarii in qu. XXIX. schema Compilatoris turbaverat. Commentarius scilicet (dist. XXIII. qu. I.) habet quatuor articulos ternis quaestiunculis: De ipsa Extrema Unctione, de Effectu eius, De Materia ipsius, De Forma; Compilator ponit in qu. sua XXIX. quaestiunculas articuli primi, *tertii*, quarti, in qu. XXX. *secundi*; scriptor Urbinatis *post analysin* Compilatoris transcribit ex exemplari Commentarii in textu qu. XXIX. primum, *secundum* et quartum, ita ut *tertius* ei ponendus esset, cum nova introductione, in qu. XXX. Sic scriptor inadvertentiae suae conscientiam manifestat; manet tamen mendum in analysibus, ubi scilicet materia tertii articuli bis assignatur, secundi vero abest. Hunc etiam errorem, crucula indicatum super marginem, distulit corrigendum in Tabula: ibi ad qu. XXIX. exprimit ordinem executionis in textu. Et si dico correctiones non factas fuisse in corpore libri, ne pulcrae paginae rasuris foedarentur, non mirabuntur urbinatium calligraphorum experti. – Modo analogo ob usum alternatum

duorum exemplarium distractus fuit scriptor in qu. LIII. Huius quaestionis articulus *primus* est in Commentario quaestiuncula *secunda* (dist. XXXVIII. qu. I. art. 3); Urbinas autem sub argumenta *primi* articuli, idest *secundae* quaestiunculae, habet responsionem et solutiones *primae* quaestiunculae, incipiens a formula ipsa Commentarii: « Respondeo dicendum *ad primam quaestionem* quod ». Ex hac iam formula patet transcriptio ex altero exemplari; sed accedit quod Supplementum nunquam habuit istam portiunculam Commentarii, quippe cuius materia in Summa IIª IIªᵉ qu. LXXXVIII. De Voto, praetractata sit et in analysibus Compilatoris non compareat. – Haec ad evidentiam ostendunt codicis scriptorem duo exemplaria ante oculos habuisse. Ex pluribus aliis signis huc spectantibus sufficiant tres notae marginales scriptoris rubro exaratae: fol. 107 recto ad finem qu. LXIV. « hic deficiunt due questiones de muliere menstruata quae habentur eadem distinctione 32 »; fol. 186 verso ad finem qu. XCII. « hinc etiam dimisit ij. articulos habentur tamen prima parte »; fol. 187 verso post art. primum qu. XCIII « hic i. articulus deficit ». Sola comparatio exemplarium invicem haec scriptorem docere potuit. Huc etiam probabiliter pertinet quod Urbinas duobus locis contra auctoritatem exemplarium suorum a citando abstinuit; quod aliter explicari non posse videtur quam assumendo cognitam fuisse scriptori diversam eorum lectionem: S. Thomas citat suum commentarium, Compilator Summam (135 b 4, 160 a 2); ideo scriptor utramque allegationem supprimere maluerit. Tertio tamen loco quo ad Summam remittimur (192 b 67) Urbinas citationem dat Commentarii decurtatam.

Libri corpus et tabula Quaestiones centum numerant. Quaestio scilicet de Purgatorio tanquam septuagesima inseritur vel verius inseri coepta est, hoc modo (cf. 251 a 1-b 32): « Deinde considerandum est de purgatorio. Circa quod quaeruntur quinque... Ad primum sic prosequitur. Videtur quod purgatorium non sit post hanc vitam... Ad secundum dicendum... habentem caritatem ne ad. hic deficiunt 4ºʳ articuli et modicum solutionis primi articuli in fine ». Nota in ipso textu scripta est, non in margine; sed duo verba « hic deficiunt » minio scripta sunt. Quare vel cuius iussu a descriptione destiterit, nobis non apparet. Quaestionem in exemplari suo Supplementi non adfuisse, ipse prodit, dum, titulos quaestionum rubro transcribens, bis numerum quaestionis corrigere debuit. Hoc peritis manifestum erit ex modo notandi: lxx*ji* lxx*iji*. Tabula titulos quaestionis et articulorum integros exhibet, sed deficit, ut par est, index foliorum quem annotare solet. – Correctiones sunt a prima manu. Siglam dedimus N.

23. – Vaticanus 746 P. II. In origine cum codice 746 P. I. Tertiae Partis, eadem manu scripto, unus liber fuit. Quod patet ex hoc quod foliorum notae continuae sunt (1–234 235–453); item quaestionum (I–XC XCI–CLXXXIX); item harum tabula, scripta post textum Supplementi (f. 444. recto col. 2. media rubro: « Incipiunt capitula tercie partis fratris Thome de Aquino ordinis fratrum predicatorum »), quae tam continua est ut ad rubricas qq. XC. XCI. transitus de Tertia Parte ad Supplementum ne verbo quidem indicetur; tandem rubrica ultimae quaestionis sic audit: « Quaestio clxxxix. et ultima tocius voluminis. De iusticia et misericordia dei respectu dampnatorum ». Ex his apparet librum spissum in duos divisum esse per ligatorem.

Eadem manu scripti sunt tres codices Vaticani 726, 733, 741, qui cum nostro 746 integrum Summae corpus continent. Scriptor seriei ter ni fallor se manifestavit: in codice 726 Primae Partis f. 1. recto in infima marginis ora: « It. ego bruno incepi hunc librum x. die mensis octobris millesimo quadringentesimo LII »; in 733 Primae Secundae f. 1. recto in inferiori margine: « Ego bruno incepit hunc librum XXI. aprilis »; ultimo in nostro 746 post tabulam f. 453. verso col. 1. media rubro:

« Qui me scribebat | Brunonis nomen habebat
Davantrie natus Traiectenque | dioc.
Decretorum doctor fuit ur | bis Patavine ».

Haec nota scripta videtur circa medium annum 1456, si nempe temporis rationem ex datis duarum priorum deducere licet. Correctiones scriptoris sunt. Sigla erit M.

Doctor Patavinus Supplemento prologum praemittit f. 255. recto; duae primae lineae rubro exaratae sunt; prima littera verbi « Huc » picta est:

« Sequentes addiciones facte sunt a Magistro petro de Avernia sacre Theologie doctore.

Huc usque sanctus thomas summam tocius sacre doctrine perduxit. Tribus distinctam partibus. quarum mediam rursum in duas partitus est. Istam vero terciam et ultimam preventus vite sue termino non conclusit. Similiter etiam multa alia opuscula incompleta reliquit. ut commentacionem librorum de celo et mundo. librorum politice. tractum de rege et regno et alia huiusmodi. § Addiciones sequentes facte sunt a Venerabili Magistro Petro de Alvernia sacre Theologie doctore. et beati thome discipulo. qui etiam aliqua alia de hiis que isdem sanctus incompleta reliquit ipse perfecit. § In istis autem addicionibus ordinem tantum de suo posuit. sequens formam in superioribus libris ab ipso Thoma servatam. Verba vero de quarto libro sentenciarum eiusdem doctoris accepit ut iacent. Ita tamen quod multa argumenta dimisit forte brevitati intendens. § Differunt autem sequentia a precedentibus. Primo quia beatus Thomas cum totam theologiam conclusisset in ista Summa nunquam in ea remictit nisi ad eam. In addicionibus vero remissiones sunt ad libros super sentencias. quod ideo accidit. quia ad litteram de 4ᵗᵒ sunt abstracte ibi enim merito alii libri allegantur. quia est continuacio eiusdem lecture. Secundo quia nescio qua via iste potuerit tantum deficere ut materiam tam essencialem theologie sicut est de purgatorio et de impedimentis penitencie obmiserit que in nullo loco predicte summe a doctore tractatur. ut pote relicta pro ista ultima parte. ut ordo summe exigebat. Hinc ergo est quod alius addidit etiam ad predictas addicio – (col. 2.) nes illas materias in aliquos alios necessarios articulos. Et iste 2ᵉ. addiciones continentur in fine huius libri. § Est etiam in ipsis secundis addicionibus aliquid superfluum. ut materia de iusticia et misericordia dei que perfecte in prima parte ponuntur. ibi enim est proprius locus ubi de divinis agitur attributis. § Similiter de iustificacione impii que copiosissime tractatur in prima 2ᵉ. in fine cum agitur de effectibus gracie gratum facientis. cuiusmodi est iustificacio impii. § Sed in isto libro que fuerunt bene addita in marginibus signabo et loquar ubi poni debuissent. que vero minus etiam signabo et loquar. ubi iam in ipsa summa ab eius sancto doctore sint optime pertractata ».

Hic quaedam advertenda sunt. Quid de Commentarii argumentis omissis et de citationibus verum sit, supra nº 2. et § 3. vidimus; secundum haec Bruno interpretandus aut corrigendus est. – Qua via quaestio specialis de Purgatorio omissa sit, probabiliter dictum est nº 7. fin. Circa poenitentiae impedimenta Compilator sciverit tractationem eorum sibi per Summam praereptam fuisse quantum Hypocrisin et Ludos spectat; cf. IIªᵐ IIªᵉ qq. CXI. CLXVIII, et 97 a 48; impedimentum Exercitii militiae et negotiationis per se solum utiliter inserendum non crediderit. – Secundas Additiones, idest Supplementum ad Supplementum, in libro Brunonis non invenimus, neque in textu neque in tabula. Unam solam notam invenimus signantem articulum superfluum, nempe folio 377. r. col. 2: « Iste articulus (scilicet Utrum Christi resurrectio sit causa nostrae resurrectionis) positus fuit per doctorem supra in 3ª parte q. 56 ar. iº. unde frustra videtur hic positus per additorem ». Hic vero articulus ad Secundas Additiones non pertinet, quia non in fine sed in medio libro obtinet. An ergo Bruno Secundas Additiones consulto omisit? An prologum ex libro alio a suo exemplari descripsit? Putavimus aliquando scriptorem exemplar suum amisisse vel quocumque alio modo usu eius destitutum fuisse, hac ratione quod in codicis tabula tituli *Quaestionum* Supplementi a lectione vulgari tota dictione differunt: ex. gr. (qu. LXIX, in hoc qu. CLIX) « De his que spectant ad resurrectionem, et primo de loco animarum post mortem » alii, « De his que pro parte resurrectionem precedunt » ille; ita ubique, non tantopere quidem sed tamen omnino, differunt. Ex hoc coniici posse videbatur scriptorem, dum tabulam Supplementi exararet, non habuisse exemplar, et ob hanc rationem omisisse secundas Additiones, quas nuntiavit. Coniecturam non veram esse comperimus. Nam tituli *Articulorum* in tabula Brunonis non solum iidem sunt qui in aliis, sed etiam iisdem variantulis differunt ab analysibus in textu, a quibus tituli articulorum in tabulis sumebantur. Ex. gr. (qu. IV, in hoc qu. XCIV) textus: « utrum tota vita hec sit contritionis tempus »; tabulae: « utrum tota ista vita sit tempus contritionis ». Haec intima convenientia casu non regitur, sed exemplari; ideoque sequitur Brunonem ante

se exemplar habuisse quod titulos quaestionum nec in tabula nec in textu habebat, quia scilicet scriptor non replevit spatia vacua, quae textum nigro scribens postea rubro implenda servaverat. (Scriptor codicis D Tertiae Partis in tabula lineas rubro exarandas non replevit; ideo a prima manu desunt formula solita « Incipiunt capitula » etc. et tituli Quaestionum. Sic in exemplari Brunonis rubra scriptura et in textu et in tabula defuisse videtur.) Bruno ergo titulos quos, dum textum scribebat, ad foliorum oram nigro notabat, statim tunc per se ipse formulavit, et deinde ad caput quaestionum in textu et in tabula transtulit. In calce foliorum numeratio quaestionum incipit a *prima*, ut patet ex omnibus notis quibus culter ligatoris libri pepercit: in tabula vero et in textu incipit a *nonagesima prima*. Rubro itaque scripturus Bruno consilium inivit continuandi numerationem quaestionum Tertiae Partis. Quadraginta primi tituli, uno excepto, usurpant eandem formulam: « qo 2ª. de contricione *quantum ad* materiam »; deinde dictione magis spontanea utitur. In quatuor tomis Doctor Patavinus doctrinam suam magis per glossas quam per bonam lectionum crisin ostendit; sed et transcribendo vulgarem artificem non superat: rebus dictis forte plus quam calamo animum intendebat; cf. 160 a 3.

24. – Codex Brixiensis in Praefatione praecedentis Voluminis sigla Q distinctus est: is scilicet est ex quo notam criticam ibi § V. discussam descripsimus. Annum natalem codicis inter quinquagesimum et centesimum annum a morte S. Thomae, et potius post medium saeculum XIV, ponimus. Foliis 213 binis columnis constat; deest eorum nota. Tertia Pars folia 117, Supplementum folia 96 occupat. Columnae singulae habent lineas 74: pergamena scilicet forma solito oblongiori sunt; inde provenit foliorum paucitas. Tres litterae pictae sunt: prima Tertiae Partis Q(uia), prima tractatus de Sacramentis P(ost), prima Supplementi D(einde); prima tractatus de Resurrectione non distinguitur a solitis. Tertia Pars incipit prima linea primi folii recto; ante primam lineam scribitur rubro: « Incipit t'cia ps sum̄e sum̄e fr̄s thome »; expungitur « sūme » primo loco, punctis non sub litteris sed in medio earum corpore scriptis; hanc corrigendi methodum scriptor se corrigens fere semper tenebit. Verbum « thome » scribitur supra « fr̄s », quia ob errorem « sum̄e sum̄e » spatium deerat. Textus Tertiae Partis desinit fol. 115. recto col. 2. media; nulla linea interposita sequuntur ea quae in XI. Volumine loco cit. exscripta sunt: « Explicit totum illud... hic omnia hec sunt apposita ». Deinde, quamvis sex tantum lineae albae remansissent, immediate incipit tabula Tertiae Partis; in ultima tabulae columna (fol. 117. verso col. 2.) decem lineae scriptura vacuae sunt, et in septuagesima quarta scribitur « De singulis partibus penitencie. Rubrica », quasi ad columnam claudendam. Supplementum incipit fol. 118. recto col. 1. linea 1; ante hanc lineam scribitur rubro: « Incipiūt additoēs de 9t' toe et qd sit 9t'tō. qº. 1 ». A prima linea scriptura Supplementi procedit nusquam interrupta per lineam vacuam; textus desinit fol. 211. verso col. 2. linea 50; tabula incipit linea 51. sic: « De pniē ptibus pn̄ie in spāli. Et p'o de contritoē qō. 1. » et finitur fol. 213. verso col. 2. linea 45; sequuntur lineae 28 albae et in linea septuagesima quarta scribitur rubro et per intervalla « Expliciunt rubrice additōnum ». – E folio 214. reciso remansit angusta margo, vix sufficiens ad folium 211. ligatura prehendendum. – A neutro libri latere inter tegumentum antiquum et pergamena aliquod folium interiectum est; quod scripturae primi et ultimi folii detrimento fuit. – Liber tam arcte compactus fasciculis 22 coalescit; ultimus fasciculus duernio fuit antequam ultimum folium recidebatur; ceteri fasciculi sunt quinterniones. Facilis ergo est computatio: scriptura occupat columnas 852, lineas 63048, computando 10 et 28 albas in fine tabularum. Circa correctiones cf. nᵐ. 44.

25. – Codices Q et L una peculiaritate differunt ab omnibus fere codicibus de re theologica et philosophica quos vidimus vel de quibus legimus (solus quod sciamus codex Secundae Secundae Archivi Cath. Brixiae eandem singularitatem ostendit). Super margines Q inaequalibus foliorum distantiis scribuntur subtili calamo numeri latinae formae, progredientes ab ·i· ad ·xxxvii· in Tertia Parte, ab ·i· ad ·xxviiii· in Supplemento; a numerorum sinistra scribitur « f. », a dextra « pe. », et quatuor lineae totum circumclaudunt:

| ·f·i·pe· | | ·f·ii·pe· | | ·f·xxxvii·pe· | | ·f·xxviiii·pe· |

Scriptor textus haec 66 signa ipse apposuit, quod textus atramentum et quae tenuioribus ductibus scribi solent inspicienti persuadebunt. In utroque opere ultimum signum ponitur ad ultimam lineam tabularum, penultimum vero in Tertia Parte ad ultimam lineam notae criticae e regione verbi « apposita », in Supplemento ad ultimam lineam textus; primum signum in Tertia Parte occurrit linea 767. textus, in Supplemento linea 955. Margo codicis L (solius Supplementi) e viginti novem signis codicis Q habet quatuordecim: i–vii, xxii–xxv, xxvii–xxviiii, nescio quare sic saltuatim; rasuris laesa sunt primum, quartum, vigesimum quartum (peculiari dictione et non levi momento), vigesimum quintum. Lineae circumcludentes absunt. Sigla « pe » adest ad quintum, et cum variante, de qua mox, ad primum; ceteroquin non scribitur. Primum signum ponitur ad lineam 921. textus (fol. 5. verso col. 1. lin. 21), penultimum ad finem textus ante subscriptionem (fol. 138. recto col. 1. lin. 46), ultimum ad finem tabulae, similiter ante subscriptionem (fol. 141. recto col. 1. lin. 48). Ex hoc habetur « f » significare « finem », et eius quidem rei quam numeri numerant et quae indicatur per « pe », quod est « pecia ». Nam sic interpretandum esse, et non ex. gr. petri, de Alvernia scilicet, quod, quamvis iam ob praesentiam siglae in prima parte Q valde improbabile esset, a principio inter possibiles interpretationes admiseramus, scriptoris tamen Q insolitus error nobis id minime exspectantibus manifestavit, postea L confirmavit.

In Supplemento qu. LXII. art. 6. ad 2. codicis Q margo et textus sic habent:

« Ad secundum dicendum quod poenitentia uxoris debet inducere virum ut uxorem fornicantem non accuset aut dimittat. Sed tamen non potest ad hoc cogi, nec pot-
| · f · xiiii · pe · | est per pecie ptis thome poenitentiam cum uxor ab accusatione repellere. »

Verba intrusa « pecie » in fine lineae 59, et « ptis thome » in principio sequentis, deleta sunt lineola traversa, non quatuordecim punctis positis intra litterarum corpus, sicut scriptor expungere consuevit; atramentum eius esse videtur. Sed parum interest scire quis expunxerit; marginem legendum esse « finitur decima quarta pecia (scilicet per verba columnae e regione scripta) » non alius quam scriptor codicis prodit. In codice L nota finis primae petiae non ita abrasa est quin adhuc legi possit « ·fi· pà· pā », idest: finitur prima pecia. Patet siglam ad Petrum nullam relationem habere.

Circa alterius codicis Brixiensis petias advertimus tantum quod e regione notarum invenimus in textu ipso lineolas verticales, quae nescio quid sibi velint nisi adamussim petiae finem signent. Tantam accurationem in Q et L non observavimus; sed dum hi in columnis semper aequalem linearum numerum habent, 74 et 50, ille in primis foliis habet 85 (tam longae pergamenae sunt), mox inaequaliter minuuntur. Ultima eius nota est « f. p. lxii », ad finem textus; a tabula abest.

26. – Circa petias in medio aevo Universitatum Statuta multipliciter praescripserunt. Mox in calce numi 28. citabimus ex Denifle–Ehrle, *Archiv* etc. III, pag. 196–393, statuta universitatis Iuristarum Bononiae, quantum statuunt de Petiis et Petiariis, « bonis viris de gremio universitatis, providis et discretis, clericali ordine insignitis, electis per rectores et conciliarios, qui electi super facto petiarum habeant plenum et liberum arbitrium, et iurisdictionem cognoscendi pronunciandi et exequendi in causis petiarum et librorum corruptorum ». Confer etiam Savigny, *Geschichte des Römischen Rechts im Mittelalter*, ed. 2. III. pag. 575-583, 643–654, 664, 702–704; Denifle–Chatelain, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, I. nº 530, II. nº 642.

Petia erat pars mensurata exemplaris, quod Stationarii petiarum commodabant ad scribendum ex eo novum librum, vel ad corrigendum secundum eius textum libros iam scriptos. In universitate Patavina anno 1463 quoad petiae amplitudinem sic decretum est (cf. *Archiv* l. c. pag. 295 ult. notam) « Statuimus quod pecia constituatur ex sedecim columnis, quarum quaelibet contineat sexaginta lineas et quaelibet linea literas triginta duas, secundum taxationem studii Bononiensis ». Petia ergo Pataviae et Bononiae determinata aequivalet fasciculo duorum diplomatum vel duernioni, continenti lineas 960 aequaliter divisas super octo paginas binis columnis. Media ratio petiae in Q lineis 955 efficitur, 967 in L; singulae vero interdum a media ratione abundando vel deficiendo multum recedunt, ut patebit ex laterculo quod ob casus singularitatem subiicimus.

In Tertia Parte

PETIA	LINEAE	PETIA	LINEAE
i.	767	xx.	994
ii.	798	xxi.	943
iii.	859	xxii.	977
iiii.	921	xxiii.	989
v.	893	xxiiii.	939
vi.	900	xxv.	948
vii.	950	xxvi.	1073
viii.	924	xxvii.	1184
viiii.	980	xxviii.	1154
x.	952	xxviiii.	1011
xi.	1274	xxx.	848
xii.	853	xxxi.	824
xiii.	816	xxxii.	781
xiv.	948	xxxiii.	929
xv.	935	xxxiiii.	983
xvi.	967	xxxv.	955
xvii.	1020	xxxvi.	345
xviii.	992	xxxvii.	735
xviiii.	1036		

In Supplemento

	Q	L
i.	955	921
ii.	972	929
iii.	956	911
iiii.	969	925
v.	995	961
vi.	956	945
vii.	1065	1029
viii.	1018	
viiii.	869	
x.	922	
xi.	955	
xii.	1033	
xiii.	1082	
xiiii.	1077	
xv.	467	(14747)
xvi.	1096	
xvii.	956	
xviii.	966	
xviiii.	966	
xx.	1156	
xxi.	1126	
xxii.	1113	
xxiii.	1008	1000
xxiiii.	1306	1320
xxv.	1025	990
xxvi.	968	(1941)
xxvii.	1020	
xxviii.	803	827
xxviiii.	588	598

In utroque codice quatuordecim petiae iisdem verbis desinunt; differentia ergo numeri linearum a compendiis et densiori scriptura dependit. – Quod supra de mutatione exemplaris codicis L diximus, non referendum est ad praesentiam et absentiam notae petiarum: mutatio exemplaris accidit dum quaestiones L–LX scribebantur, notae absentia supra quaestiones XXXVI–LXXXIV se extendit.

27. – Amplitudinem solito maiorem petiae Supplementi vigesimae quartae (linearum 1306 in Q, 1320 in L) explicat nota illa paene abrasa codicis Vaticani, quae sic dicit: « fi·xxiiii et est de sex cartis » sive foliis. Diximus hanc notam peculiari esse valore, et revera per eam videmur nobis tenere petiam per se existentem, non tantum petiam notatam sicut in codicibus nostris existit. « Esse de sex cartis » spontaneo sensu videtur intelligendum de fasciculo reali sive de ternione separatim existenti, non de illa pergamenae portione quam petia in codice occupat. Incipit petia, in codice scilicet, fol. 112. verso col. 2. lin. 19, terminari notatur fol. 119. recto col. 2. lin. 38; constat ergo lineis 32 ultimis folii 112, sex foliis 113–118, columna prima et lineis 32 columnae secundae folii 119. Ob hanc scripturae distributionem supra pergamenas codicis non probabile nobis videtur quod scriptor petiam *sui codicis* dixerit « de sex cartis » esse, sed quod petia exemplaris sui, ex qua tunc describebat et cuius finem notabat, fuerit verus fasciculus sex foliorum. Potuisset etiam scriptor Q de sua petia idem dicere, quamvis in suo codice ne quinque quidem folia replet. Illa scilicet mensurae unitas, quam ratio petiae importat, existebat in exemplarium petiis tanquam in re mensurante, et quia scriptor L, occasione accepta e casu extraordinario, rem mensurantem dicit esse de sex chartis, excludit ni fallor mensuram quae supra margines exemplaris signata tantum esset; exprimit e contrario formaliter mensuram–fasciculum. Si autem haec exemplaris petia erat verus ternio, petiae ordinariae amplitudinis veri duerniones fuerunt; quae vero petiae notabiliter medium linearum numerum excedunt, terniones fuisse videntur, ita scilicet ut sextae chartae aut totae aut magnam partem albae relictae fuerint (confer omnino apud Savigny III. 581. descriptionem codicis Lucensis, bibl. Archiep. N. 3, qui liber consutus videtur ex petiis–fasciculis). – Petia Tertiae Partis xi, linearum 1274, et ipsa ternio fuerit. Ad huius petiae lineam 870 scriptor Q margine posuit siglam « ·f· » tantum, sine numero, idipsum forte significaturus quod in Supplemento scriptor L insinuare videtur, nempe maius sibi competere pretium pro transcribendo hanc petiam aliis tanto ampliorem. – Post petiam XIIII. Supplementi, quae finitur phaenomeno illo curioso unde oratio nostra de petiis profecta est, sequitur petia duarum chartarum 467 linearum, omnium minima (ultimae petiae textus Tertiae Partis ratio ut patet non potest haberi); nescimus an aut quamnam relationem duo phaenomena inter se habeant.

28. – Nota petiarum ad textum comparata nusquam invenitur comitari aliquam orationis partitionem; nisi tabulas exceptas velis, quae per se corpus unum et petiam constituunt, nulla pars textus logice una, quaestio sit aut tractatus, finitur ad notam finis petiae. Prorsus e contrario notae cadunt in medios articulos, immo in medias analyses: e. g. petia « de sex cartis » incipit qu. LXXXVIII. art. 3. ad 3, 206 b 6, finitur qu. XCII. anal. ad « Primo, utrum » 217 b 72. Unde certum est amplitudinis differentias non regi a textu. Comparata vero ad chartas, petia viiii. Tertiae Partis desinit cum folio 27. codicis Q, petia xviiii. desinit folio 61. recto col. 2. linea ultima, et in fine huius lineae adest spatiolum capax verbi « cū » a quo folii dorsum incipit (locus est qu. LIV. art. 4. arg. 1. « cum cicatricibus resurgeret »; voluitne scriptor transcriptionem petiae novae a nova columna incipere?). In L petia ii. desinit fol. 10. recto col. 1. lin. ultima. His tribus locis solis petiae nostrorum codicum cum columna terminantur; omnibus aliis desinunt inter principium et finem columnae; nusquam desinunt ubi quinterniones desinunt. Singulae igitur petiae prout in codicibus notantur a ceteris materialiter inseparabiles sunt.

Videas ergo an de tali petia immobili omnia ea intelligi possint quae ex Statuto Bononiensi hic describimus (citando ex DENIFLE loc. cit. paginas et lineas); an non potius petia de qua Statuta loquuntur formam liberi fasciculi habuerit, ita scilicet ut in casu nostro duo exemplaria scriptoris codicis Brixiensis 37 et 29 libellis solutis constiterint, quorum fines ille inter describendum toties quoties super marginem libri sui notabat. Ex eisdem Statutis patebit causa finalis petiae, nempe correctum exemplar esse libris scribendis et corrigendis: petia non so-

lum laborem materialem scriptoris, sed etiam nobiliori sensu fidem textus ex ea descripti vel cum ea collati mensurabat.

« De Petiariis. Rubrica 19 (279, 13). Statuimus quod quolibet anno... per rectores et conciliarios eligantur sex boni viri de gremio universitatis, providi et discreti, qui sint clericali ordine insigniti... qui petiarii numero debeant esse sex... Et ⌊duo, tres,⌋ quatuor vel quinque eorum simul eciam possint cognoscere. Qui electi super facto petiarum habeant plenum et liberum arbitrium et iurisdictionem cognoscendi pronunciandi et exequendi in causis petiarum et librorum corruptorum. Racione deffectus [p]et[iarum] a quibuscunque scriptoribus et correptoribus possint et debeant exigere iuramentum quod petias quas corruptas invenerint nunciabunt (petiariis). Volumus quod stacionarius pro qualibet petia corrupta quam tradit, et pro qualibet vice, penam decem solid. Bonon. incurrat, et scolari ad duplum interesse nichilominus teneatur. Medietas vero penarum sit universitatis, relique dimidie dimidiam habeant petiarii, reliquam vero denuncians (Secundum Statuta anni 1432. denuntians « nihilominus pro qualibet petia quam corrigi fecerint petiarii pro merito laboris... de pecunia ipsius universitatis habeat duos solidos. De aliis autem quas correctas invenerint habeat pro merito laboris arbitrio boni viri »... Savigny ibid. Vol. III. vi. A.). Ipsi autem petiarii in festivis temporibus (inferius in eadem Rubrica 281. 11: « Teneantur eciam ipsi petiarii convenire saltem semel in ebdomada... et ad hoc eos rectores compellant in virtute praestiti iuramenti ») videant et examinent in aliquo loco ab eis deputato omnes petias et quaternos omnium stationariorum, ita quod exigant a stationario quolibet ante omnia iuramentum quod omnia exemplaria petiarum vel quaternorum vel alia quae comodant, portabunt ad locum ab eis (petiariis) deputatum, et nulla occultabunt. Ad ipsum locum omnes stacionarii omni dolo et fraude remota exemplaria quae habuerint portare teneantur. Et si maior pars de dictis sex minus bene correpta iudicaverint, illi corrigi (« porrigi » Statuta Florentiae anni 1388. et Perusii anni 1457.) faciant et videri, expensis stacionarii cuius erunt, certis correptoribus per ipsos sex deputatis, expensis stacionarii cuius fuerint petie. Ad quorum quatuor et rectorum peticionem quilibet doctor vel scolaris librum proprium, si sufficientem habuerit, ad hoc commodare teneatur (correptori petiam suspectam in libris boni textus collaturo); et si doctor vel scolaris librum, postquam fuerit visum (« visus fuerit » Statuta anni 1432.) sufficiens, recusaverit commodare saltem intra domum suam propriam, pena quinque librarum Bonon. nostre universitati aplicanda omnino feriatur. Et si qua (exemplaria petiarum et quaternorum et alia quae stationarii comodant) tassata non fuerint ipsa tassare teneantur (petiarii, constituendo nempe pretium quod stationarii pro petiis et ceteris quae comodabant exigere possent; praeter hoc statutum Rubrica De Petiariis nihil continet quod petiam-mensuram spectaret). Et si qui stacionarii hoc facere contempserint, pro qualibet contumacia cadant in penam quinque librarum Bonon. convertendam in utilitatem universitatis, et nullus scolaris (qui novum codicem per scriptorem suum sibi fieri vel locum aliquem libri quem habet corrigere vult) deinde ab eo petias vel quaternos ad scribendum vel corrigendum recipere debeat sub pena decem solidorum Bonon. et perpetue privationis... (281. 14). Et ut praedicti sex premissis diligencius intendere valeant, statuimus quod ipsi non teneantur illo anno venire ad convocationes generales nec ad obsequias mortuorum nec ad aliquod aliud officium universitatis illo anno cogantur (« rogantur » statuta anni 1432; ibi additur: « Teneantur insuper Rectores saltim semel in mense dictos petiarios ad officium eorum excitare, et videre si prudenter et viriliter officium eorum exercent; quod si non fecerint, omnino per ipsos cogantur... Volumus insuper quod post diligentem examinationem de petiis factam dicti petiarii illas petias faciant per scolas per bidellum generalem publice publicari quae videntur bene stare pro bonis et utilibus. Aliae vero quae ex ipsorum petiariorum mandato non fuerint publicatae pro falsis et inutilibus habeantur et per neminem recipi possint). »

His clarum est ni fallor petiarum examinatores magis de textus incorruptione quam de iusta amplitudine sollicitos fuisse.

« Iuramentum et satisdacio stacionariorum petiarum. Rubrica 33 (296,3). Iurent stacionarii petiarum singulis annis... quod prece precio vel alicuius contemplacione non supprimenti... scripta quorum habeant exemplaria, sed petentibus illa tradant. Item quod vetera exemplaria in minores petias non reducent et nova iuxta quantitatem columpnarum linearum et literarum antiquis exemplaribus aequiparabunt. Item quod omnes suas petias fideliter exhibeant cum fuerint requisiti legitime, et petias *corruptas, maculatas* et *deformatas reaptent* infra certum tempus sub pena et *amissionis* talium petiarum et *valoris* talium *novarum.* (*Petiam* nostri codicis *maculari, deformari, reaptari, turpem amitti, novam inseri* quid est?) Item nulli scriptori vel alii a nostra universitate privato dent *petiam,* consilium... Item teneatur notarius eis (stationariis petiarum) dare omnia nomina scriptorum vel miniatorum qui fuerint privati; et ipse stacionarius *petiarum* in *stacione* appendat, secundum formam de *stacione librorum* (Quanam ratione stationes librorum et petiarum differunt? Dicendumne est e *libro* aliquo *petias* fieri ob perpetuam notam marginalem dati linearum numeri? Et tamen si *petia* non est nisi mensura 960 linearum non realis sed adscripta, secundum illam differentiam vix ponderabilem distinctio stationum omnino intelligenda videtur.) Item non possint pecias maiorare vel minorare vel ultra tassacionem statuti pro petia vel petiis recipere quocunque titulo. Et dent satisdacionem centum librarum Bonon. pro quolibet de solvendis pignoribus scolarium, qui sibi pro petiis deponentur. »

« De pignoribus petiarum et de ipsorum perdicione. Rubrica 34 (296.26). Kallendarium vel librum habeant stacionarii petiarum, in quo scribant pignus cum suis intersignis specificatis, quod recipiunt a scolaribus vel scriptoribus eorundem. Et quia interdum *perdi* contingit *petiam traditam* scolari vel scriptori, ordinamus quod pro *ipsa* quinque solidos Bon. persolvat (Una pecia codicis nostri perdi non potest quin sexaginta sex perdantur et perditio eius sexagies sexties quinque solidis constitisset). Et si forte fuerit altercatio inter stacionarium et scolarem super *dicta petia restituenda,* et scolaris contenderet se eam restituisse, super hoc *scolaris stabitur iuramento.* Et si pignus scolaris amictatur, *credatur iuramento scolaris usque ad xl solidos Bon...* (297.6). Et si stacionarius *petiam amissam, pro qua* satisfactum est prout superius est expressum, recuperaverit, volumus quod pecunia sibi soluta scolari restituatur, eo tamen deducto quod stacionarius pro recuperacione predicte petie de suo solvit. »

Ex his aliisque statutis vetamur putare petiam fuisse tantummodo mensurae notam, sicut est in nostro codice, et sicut omnes libri unquam scripti vel impressi petia mensurari possunt. Erat verius libellus singularis et separatus, certae magnitudinis ut mensuraret pretium stationario debitum pro accomodatione et scriptoribus pro transumptione exemplarium. Erat praeterea mensura eo sensu quod textus in petia scriptus summa cura a corruptione per petiariorum moderamen defendebatur.

Plus credo quam probabile solum est, quod illa aetate, qua transcribendi opus fervebat, universitates de via tutissima et expeditissima libris scribendis solicitae fuerunt. Hanc vero viam stravit petia: textus-typus, mensura certa et realis, in forma libelli separatim mobilis, ut petiis singulis traditis et redditis, unum exemplar per plures scriptores simul transcribi posset, quod praesertim novorum operum multiplicationi summopere iuvare potuit. Petiarum systema etiam scriptorum pignori parcebat, quia totius libri transcribendi pignus ad unius petiae pignus reducere permittebat.

Haec petiae commoda evidentia sunt et clarissima; non tamen propterea illico verum est, exemplaria stationariorum petiarum realiter in liberos fasciculos divisa fuisse; sed accedentibus verbis ipsis Statutorum vix dubium esse potest, quin petia esset pars exemplaris individualiter per se existens. – Petiarum causam generaliter dignam esse credimus quae a viris rei librariae peritis denuo consideretur. Nam, nisi fallaci phantasia seducimur, petiarum methodus adaequate explicat phaenomenon illud, de quo, cum artem criticam intime tangat, in superioribus Praefationibus iterum atque iterum egimus, praesentiam dico lectionum erronearum omnibus libris antiquis communium, quae auctori operum attribui nequeunt et scriptori exemplar male interpretato attribui natura sua poscunt. Ex hoc certissimo phaenomeno stricte deducitur, textum eorum codicum non esse autographi, sed unius singularis apographi. Istud autem apographum, quod antea credidimus confectum per scriptores ipsius S. Thomae, cur non fuisset potius collectio petiarum, quibus stationarius multiplicationem autographi praeparabat. Si supponimus auctorum scholasticorum autographa apud stationarios petiarum attente transcripta et petias authentice ex autographo correctas fuisse, neutrum tamen humano modo tam accurate fieri potuisse quin et scriptor male videret et corrector menda quandoque praeteriret, id accidere debuit quod accidisse videmus. – Ita forte petiae causa fuerunt, quare scholasticorum autographa fere omnia perierunt, quippe quae, post transcriptionem quasi ex officio correctam, mensuratam et taxatam, stationarii non maxime interesset conservari; immo (tanta est differentia animi hominum illius aetatis a nostris studiis et praeoccupationibus), facile credi posset scripta sua auctoribus ne reddita quidem esse. Et si quaeris, ubinam nunc habeantur petiae? num omnes interierint? dico mirum non esse quod, ubi tam ingens codicum integrorum clades futura erat, liberculos illos volatiles non meliora fata manebant. Omnino consentaneum videtur, ut quaecunque causae calamitatem librorum manuscriptorum provocarunt, eas omnium prima subierint fragmina illa facile dissociata, dispersa, etiam nullius habita praeterquam ad varios usus vellerum pergamenorum.

29. – Prima editio Supplementi simul cum quarta editione Tertiae Partis, sive nostra *c* (Vol. XI. Praef. viii), lucem aspexit: charta et totius rei typographicae conditio in ambabus eaedem sunt. Apparuerunt in uno volumine foliorum 801 (computato folio albo 459. primo primi sexternionis Supplementi), sine loco, anno 1478. « ductu et impendio providorum virorum Ioannis de Colonia Ioannisque Mathen de Gheretzem sociorum » (cf. loc. cit.). Editorum subscriptio ponitur post textum Supplementi, quod innuit voluminis singularitatem. – Echard I. 292. de Supplemento, « Typis, inquit, prodiit, ex Beughemio, absque loco et nomine Typographi 1478. Deinde Venetiis Ioan. de Colonia 1487 ». Non ita res se habere videtur: Editionem anni 1478 nusquam invenimus quae non esset nostra *c*; aliam non assignat Repertorium Hain; si Echard editionem anni 1478 sine nomine typographi ipse vidisset, neque opus habuisset citare Beughemium, neque bibliothecam ubi eam viderat tacuisset.

De textu *c* Tertiae Partis scripsimus loc. cit. pag. xx: « Editio *c*... Tarvisinam (*b*) plurimum et egregie castigavit; dignus erat editor, cui melior quam quo usus est codex manuscriptus auxilium tulisset ». Ita credet quivis iustus rerum aestimator, qui bonitatem editionis non a solo textu eius diiudicabit, sed etiam a textu a quo exiit. Tenemus

igitur Tertiae Partis, et etiam, quia Supplementum simul cum illa prodiit in lucem, ipsius Supplementi editorem criticum, qui, recensito textu Tertiae Partis, quocumque codice Supplementi usurus est, ab eius lectionibus multum dissentiet. Non mirum ergo nec quod textus *c* multoties differt a textu traditionis manuscriptae Supplementi, nec quod differentia praesertim orta est ex introductione lectionis Commentarii pro lectione Supplementi. Quoad autem textus *c* cum Supplemento contra Commentarium legit, nullius codicis textui similior est quam textui Q. Diximus, loc. cit. XXI, textum Tertiae Partis in *c*, ubi differt ab editione *b*, redire ad Q, ita quidem ut editor illo individuo codice ad *b* corrigendam usus videatur. Hoc nobis collatio Supplementi in codice et editione confirmavit. Nam concordia editionis cum codice tam immense excedit et discordiam ab eo et simul concordiam cum alio codice, L, M, Norimbergensi, ut omne dubium circa originem textus editionis e textu Q prohibeatur. Ulterius autem exquirere utrum ipse Q an alius liber simillimi textus editori exemplari fuit, parum utile esset, quia illum librum, si quando fuit, non habemus. Certum est editioni codicem Q valde vicinum et nullum alium viciniorem esse.

30. – Ex *c* omnes editiones Supplementi ortum habuerunt. Saeculo XV. parum ab ea recessum est. Saeculo XVI. uberiores fluunt aquae ex ipso fonte, Commentario, quae collectae fuerunt in editione quae prodiit Romae Apud haeredes Antonii Bladii et Ioannem Osmarinum Liliatum socios MDLXX. Nostrum exemplar unitum est exemplari Tertiae Partis editionis Pianae forma minori, ibidem, Apud Iulium Accoltum, eodem anno.

Nota foliorum est discontinua, sed ceteroquin charta in utraque tomi portione eadem est; Supplementum iisdem quibus commentaria Caietani typis excusum est; sub foliis primi dimidii cuiusque fasciculi in utroque opere legitur « Tertia Pars S. Tho. », etsi in fine textus Supplementi, fol. 103. verso, dicitur « Additionum ad tertiam partem » etc. Videtur ergo typographus editionem Supplementi intendisse in completionem Pianae. Nos editionem Bladii ob proximitatem ad Pianam sigla *p* distinguimus.

Post hanc editionem Supplementum audaciori corrigendi methodo subiectum fuit. Credebant novi critici ad meliorandum Supplementum plus sibi licere quam ausi essent in Commentario. Ideo extensius et liberius mutarunt redactionem quam antea mutata erat vel in *p*, quamvis in hanc omnes priores recensorum labores coierunt. Peculiaris harum novitatum aspectus non tam consistit in simplici substitutione novae dictionis pro antiquiore, quam in hoc quod nova redactio componitur ex duabus lectionibus antiquioribus, scilicet ex una quae est *p*, ex altera quae est Commentarii. Notissimum est in scientia critica systema illud lectionum *conflatarum*, sed nullibi quod sciamus tam largus usus eius factus est ac in textu moderno Supplementi, nec alibi conflationis signa magis certa et evidentia praebentur. Mirum tamen quam saepe e conflatione resultent lectiones « meliores », ita quidem ut, quamvis in se factitiae sint et mera vexatio textus S. Thomae, opinione authenticitatis frui possent. Editiones Supplementi quae a principio saeculi XVII. prodierunt et iam solae sint quae possunt haberi, istum textum exhibent. Nostra igitur editio non supervacanea esset, si vel solis dilatationibus abactis textui Commentarii honorem pristinum restituisset. Aliquoties vero editionum lectiones adoptavimus, quod in variantium apparatu indicavimus per dictionem « *modernae* Suppl ».

§ 5. DE TEXTU AUTHENTICO SUPPLEMENTI

31. – Compilatoris textus, de quo hinc considerare incipimus, in concordia QL habetur, quia transcripti sunt de exemplari-petiis et ideo ipsam originalem scripturam Compilatoris reproducunt; hoc infra magis clarescet. Norimbergensis mutili longior et Oxoniensis brevissima collatio harmoniam eorum cum textu QL aperuit: inde eos ab horum consensu non aliter ac M et *c*, eiusdem vicinioris originis, differre praesumitur. Alii codices supra n. 20. recensiti, longius ab originali discedunt quam ut testimonium QLM*c* debilitare valerent. Ibi dicendum est de M et *c* ubi a QL recedunt. Codex N utilis est pro Commentario, quia habitualiter e codice Commentarii descriptus est. — Utemur in posterum sigla C ad lectiones Commentarii, recitatas ex editione de qua n°. 47. Ubi in hac Praefatione N tacetur, C valet CN. Lectiones solius Q, cum in apparatu variantium non sint notatae, citabimus e schedulis nostris manuscriptis.

32. – Aestimatio critica textus originalis aliquatenus dependet a loco quem quis inter eius traditionem codici Q competere aestimat. Duae res omnino certae sunt. Prima est, origo omnium editionum, *c* principante, e codice simillimo Q; et hoc maximi faciendum est, quia ex eo certum fit editiones Supplementi per respectum ad Commentarium necessario sequi conditionem Q, bonam vel infelicem. Secundo certum est codicem inter traditionem manuscriptam aliquem primatum tenere. In schedis nostris Q pugnae inter textum Supplementi contra Commentarium antesignanum videmus; eum ceteri sua quisque vice et saepe quidem deserunt, sed statim ad ducem revertuntur. Idem patet ex hoc quod varietas lectionum inter L, M, *c*, saepe in lectione erronea Q occasionem habuit; connexio inter varias horum codicum lectiones et errorem Q interdum tam intima est, ut Q posset prima facie videri ceterorum ultimum exemplar fuisse.

Attamen multis locis variatio et alia signa docent existentiam exemplaris superioris, a quo Q et L immediate, ceteri vero, et etiam *c*, aliis intermediis descripti fuerunt.

Et primo habemus notam marginis L « et est de sex cartis ». Scriptor hoc affirmare non potuit de petia quae nec « de quinque chartis » est. Loquitur ergo de petia-ternione communis exemplaris.

Deinde adsunt lectiones, non erroneae, Q contra CLM*c*. Si Q omnium caput est, quare plures homines, sine ratione sufficienti et independenter a se invicem, non tantum exemplaris lectionem repudiaverint, sed et omnes Commentarium consultaverint, merito quaesiveris. Ex. gr. Q solus omittit 3 b 42 *eius*, 105 a 73 *lineae*, 145 a 71 *ea* ante *quae*, sine damno; 141 b 27 omittit « Praeterea, hoc Magister dicit in littera », absque ullo damno visibili. Porro: 141 a 21 *praedictis* Q, *dictis* CLM*c*; ibi 37 *secundum quod*, *secundum hoc quod;* 138 a 21 *sequuntur*, *consequuntur*. Dein mirum est quos maximorum errorum Q non taedeat, scandalum pati in parvis: 134 a 12 *acceptatissimi* Q, *acceptissimi* CLM*c*; 243 b 39 damnatorum *omnia* corpora Q, *omnium* CLM*c*. In his casibus, minime raris, dicendus est scriptor Q recessisse a suo exemplari.

Tertium argumentum praestatur, ubi sunt tres lectiones: C, LM*c*, Q; exempli gratia:

161 b 2 « consonum *vel errori* Nestorii ... vel Arii » C, *illi errori* LM*c*, *errori illi* Q. Si Q est ultimum exemplar, unde quaeso est quod isti tres corrigant solum imponderabilem duplicis mendae partem?

142 a 2 « quidam (filii) sunt naturales et legitimi: sicut illi qui nascuntur ex *legitimo* matrimonio. Quidam naturales et non legitimi ut filii qui nascuntur ex » C, *vero et legitimo* LM*c*; post *nascuntur ex* primo loco Q omittit cetera, quia homoteleuton sunt. Difficile creditu videtur quod LM*c* extra exemplar casu se contigerint. Accedit quod lectio *vero et legitimo* pertinere videtur ad systema occultatae correctionis, cuius in textu originali Supplementi largus usus fit; cf. n. 43.

In eodem casu trium lectionum, contingit interdum quod Q clare et evidenter habet malam lectionem LM*c*, sed ulteriori corruptione peioratam.

64 a 68 « Sed quidam ordines *non ordinantur nisi* ad quosdam actus corporales scilicet ostiarii vel acolythi » C, « Sed quidam ordines *non ordinantur quantum ad omnes ordines sed* ad quosdam » etc. LM*c*, « Sed quidam ordines *sed* ad quosdam » etc. Q, idest scriptor Q omittit quod est homoteleuton in lectione LM*c*: ergo ante oculos habuit horum exemplar. Accedit etiam hic quod lectio LM*c* pertinet ad systema, quo se corrigit Compilator-scri-

ptor. Similiter 14 b 30 et 235 a 72 Q omittit quod in lectione LM*c* homoteleuton est.

Aliud argumentum praebetur a varietate, rara utique, CQ ex una, LM*c* ex altera parte; ex. gr. CQ 31 a 22 *vermem conscientiae*, 62 a 40 *aliis influit*, 240 a 23 *specie*; ubi LM*c* non melius: *vermem scilicet conscientiae, in aliis influit, spiritus.* Spontanea explicatio est, quod scriptor Q his locis raris fecerit quod alii facere consueverunt: declinat ab exemplari communi versus Commentarium.

Iudicando igitur secundum ea quae communiter accidunt, lectiones signatae siglis CLM*c* contra Q, et LM*c* contra CQ, venerunt ex anteriori exemplari, ex petiis Compilatoris, et specialis locus codicis Q per respectum ad L, M, *c* (et ceteros codices Supplementi) sic potest delineari: Q fidelior est erroribus petiarum et plures novos addit; ceteri et bonis petiarum lectionibus magis pepercerunt et frequentius errores vitarunt, vel recurrendo ad codicem Commentarii vel proprio fisi ingenio.

33. – De erroribus authenticis Supplementi nunc considerandum est, non solum ut res ipsa sciatur, sed etiam ut pateat Supplementum non conscriptum esse per Petrum de Alvernia. Consideratio procedet simul de scriptore codicis Q et de Compilatore. Nam hoc etiam pertinet ad peculiarem locum codicis Q, quod scriptor mores exemplaris quasi imitatus est: dum scilicet ceteri errant quo modo omnes scriptores omni tempore errare consueverunt, ille, ut ita dicam, Compilatoris vestigia sequitur. Differentia inter eos est, quod Q crudius et simplicius errat, Compilator autem errores suos subita inconsiderataque correctione mentali vel naturali instinctu in falsam redactionem dilatat.

In codice Brixiensi incredibilis est corruptionum multitudo et enormitas. Supra iam tria specimina dedimus: in ipso initio scriptionis « summe summe », in fine « de penitencie partibus penitencie », in medio « per pecie partis thome penitenciam ». In hac ultima hallucinatione scriptor se ipsum superavit (inverosimilis error tamen analogiam habet ad alia confusae mentis signa, per quae et explicatur n. 41), certe superat per totam scripturam omne quod a scriptoribus saeculi XIII. et XIV. didiceramus.

Insolita etiam pravitas adhaeret lectionibus Compilatoris. Quae primo a nimia festinatione repetenda videtur. Festinatio elucet ex hoc quod verba exemplaris veloci oculo legit, quod plurima verba et homoteleuta omisit, quod cum scriptionis progressu corruptio crescit. Signum properantis oculi sunt lectiones ut ita dicam conjecturales, corruptio novi generis, frequens apud Compilatorem: 176 a 14 « Ad primum ergo dicendum quod *ore* loquebatur rudi populo ». Exemplar eius habebat *eȝe*, Ezechiel, quod ictū oculi intuitus credebat esse *ore*, scilicet ob *loquebatur.* Mox multa et varia praeposterae festinationis indicia adducemus.

Aliam insuper nimiae corruptionis causam praebuit quod Compilatori scribenti simul auctoris partes incumbebant. Mentem distrahebat cura mutandi formulas introductorias disputationum, quam tam attente egit ut ne semel quidem erraverit. Porro, exemplaris sui folia perquirenda et volvenda erant, ut responsiones et solutiones cum argumentis scriberentur; in hoc semel erravit sed cum exemplari, 181 b 39. De citationibus, ut vidimus, ad singulos casus cogitabat utrum transcriberet, an mutaret vel omitteret. Fortasse dum scribebat etiam aliquas materias ordinavit et analyses confecit. Quid mirum, si opus scriptoris tam praeoccupati et festinantis supra solitum mendositate laboret, immo errores novi generis prae se ferat?

34. – Falsas scripturas codicis Q et Compilatoris ad summa capita reducemus, additis exemplis. Ubi sigla abest, lectio erronea pertinet ad solum Q; errores Compilatoris notamus per siglas codicum qui eos attestantur.

Primum caput est omissio et confusio signorum compendii. Praesertim pertinet ad Q. Totus liber hoc errore plenus est (in variantium nota raro obtinet, quia series et notandi taedium nimia fuissent); cf. 19 b 36 *fūdentur* pro *fudētur;* loco n. 25. citato habet *fornicatem,* omissa lineola supra *a.* Indistincte notamus hic: addun*t*(*ur*), deber*ent* (*retur*), dolo*r*(*um*), su*m*(*m*)us. – Signa abbreviaturae saepissime non supra litteram debitam sed supra sequentem ponit (3 b 36 scribit remit*tetīs,* intendit remit*tētis*; 249 b 33 *īpenam,* error pro *ipse autem,* apud eum non *ipsenam* sed *in penam* explicatur). – Alias scripturae Q peculiaritates hic notamus: Praepositiones cum regimine in unum iungit Consonantes duplicare amat (praesertim *l*: pertu*ll*erunt, reve*ll*entur, vo*ll*uminibus, ve*ll*ocius, po*ll*itica, ca*ll*icis; porro o*cc*ulus, sege*tt*es, supere*rr*ogationis, alia id genus). Itacismis viri Itali abundat: ambide*s*trum, Iose*p*, Iuda*x*, o*x*tendant, immo vi*x* et no*x* pro vi*s* et no*s*; anatha*x*ii pro Athana*s*ii; *asque* pro *absque* semper. Etsi tales scripturae non peculiares sunt nostro, nec proprie errores vocari possunt, peculiaris est earum copia, et praeterea non semper innocuae sunt: *peccoris* est *pecoris* aut *peccatoris*; aequivoca sunt: *addici* et *adici* (adiici), *assensu* et *a sensu* (164 b 3 *dictentur* QL*c* pro *ditentur*).

Ex petiis Compilatoris unum exemplum cito: 173 a 41 « iudicium de voce perveniente ad aures (dormientis) *se* excitationem, et non est causa eius » QpL*c*; pro *se* lege *se*², idest *sequitur.*

35. – Secundum est permutatio litterarum. Communis scriptorum mutatio *r* et *t* abundat apud Q. Miscet signa et litteras *ꝯ*, *q*, *etiam*, *est*; *ꝯ*, *o*, *a*; *q* et *x*; *x* et *4*. Ex. gr.

30 b 17 *agitur dicitur* pro *congrui dicitur*; 131 a 61 *unusquisque* itacismo mediante pro *unus absque;* 49 b 69 *oliolum* pro *obolum.*

84 b 52 *sarciatur* QL pro *sortiatur,* econtra 227 a 21 QpL et 248 a 52 QpL*c* *societatem* pro *satietatem*;

78 b 32 *movente* pro *mediante* QL*c* (*mo*^{le} pro *me*^{te}).

124 b 73 *voce* QM*c* pro *voluntate* (*voce* pro *vo*^{le}).

Error saepe divisionem vel unionem verborum secum trahit: 118 b 38 *si natura* pro *furia*; 133 a 22 *avara* pro *a natura*; 170 a 7 *ambo* pro *a bono*; 188 a 7 *debilitamur* pro *debita materia.*

73 a 72 « sacramenta ... suscipere ut *per ap*^{m} (per apostolum) et confirmationem » QpL, pro *bap*^{m}.

82 b 18 *active dicitur* QM*c* pro *attenditur*;

84 a 18 « non *per unum* peccatorem » QL*c*, pro *parvum* vel *parvulum*; b 33 *crescit* QLM pro *cum sit*;

85 b 39 « nuptiae *ambo* » QL, *ambe* M, pro *a nubo* (quod legimus cum N*c*; C *a nubere*);

163 a 14 *alii persecuti* QL*c* pro *aliqui securi*;

199 a 33 *terrae* (*tr̄e*) QL pro *in regno* (*ī· re·*);

228 b 66 *quod positio* (*q p̄o*) QpL pro *xp̄o.*

36. – Tertium est corruptio integrorum verborum. Pro *universal–* Q fere semper *util–* scribit, 205 a 27 utroque loco; *vir* corrumpit varie, 140 a 73 in *mlr* (mulier); 69 b 11 *audtis* pro *adultis*; 89 b 63 *hic inter* pro *hic et nunc*; 238 a 13 *maritū* pro *inquantum*; 59 b 32 « Septimo, utrum mutilati ... inungi *delectant* » pro *debeant*; 208 b 59 « peccatores *sedialia* subdiderunt » pro *se diabolo;* 243 a 43 *memiemꝰ* pro *in evangelio.*

29 b 44 « Si *accunuatus* frater tuus etc. » Q(pL), *accuminatus c*, pro *attenuatus*; hoc supra rasuram L.

79 b 52 *ideo thos sed* Q, *1 tes sed* L, *1 thess* M, pro *1. thim. v*°.

87 b 64 *quando utrumque pro hoc sumitur* QLM*c* pro *quia in utroque pro hoc punitur*;

207 b 16 « quorumlibet *insinuare mysterium seu unicuique* suum ... revelare » QLM*c* pro *visum admittere sensumque.*

210 a 48 « absque meritorum *audacia aestimari* QpL*c*, pro *audientia exterminari.*

37. – Quartum est haplographia et dittographia. Utriusque plurima et, si in his rebus pulcro locus est, pulcherrima exempla ex Q et textu originali Supplementi desumi possunt. Haplographiae casus sunt:

3 b 36 « contritio est dol*o* *r*emit*tentis* peccatum » pro dol*or* *r*emit*tens.*

67 a 18 *ergo* pro *·4°· g°.*

120 b 22 perfec*tionis* (pfcōis) pro perfe*ctio communis* (pfcō cōis).

219 b 51 intel*li*quam pro intel*ligat ali*quam.

16 a 47 for*o* scientiae QL pro for*o* *ꝯ*scientiae.

86 b 40 *mediante* QLM*c* pro *mediante materiali*.
32 b 24 respond*ere dic*untur QLMN*c* pro respond*ere redu*cuntur.
43 b 69 *iuste* QL*c* pro *iste iuste*.
57 b 67 *obex* parte QL pro *obex ex*.
Dittographiae vero sunt:
57 b 21 ·*4*· *g°* pro *ergo*.
62 b 66 *super*ius *h*uiusmodi (*sri9 hi9*), pro *huiusmodi* solo.
130 b 5 « Hoc enim non est ad *ecclesiam occultum* servire » pro *oculum* sive *occulum*.
107 a 65 « in prima commixtione *ēē* evanescit » Q*c*, dele *esse*;
117 b 34 *causa carn*alis Q*c* pro *causa n*aturalis (*cā cān*lis pro *cā n̄lis*).
249 a 64 *res res*ipiscant Q*c*; dele *res*.
30 b 53 du*ra ra*tione infinit*atis* QL*c* pro du*ra*tione infinit*a*.
135 a 16 *non ore* putabant QL*c* pro *n̄o re*putabant.
145 a 58 eand*em aequitatem* QpL*c* pro eand*em* quie*tem*. Lectiones QL 228 b 61, 229 a 56, 240 b 6, 245 b 57, 246 a 3, mera dittographia peccant.
38. – Quintum caput est inversio ordinis verborum.
84 b 29 « cum altero *de praesenti per verba* contrahit » QLM*c*;
167 a 44 « de quo *parum supra* ante dixerat » QL*c*;
168 b 67 « *super* Malachiae *illud* III ... dicit Glossa » QL;
206 a 46 « ad tempus *Ierusalem destructionis* » QLM*c*;
228 b 4 « *quod per* sponsa (sponsam *c*) » QL*c*.
170 a 32 « Unde vita *Abrahae animae* non sufficeret ad hoc quod Abraham sit vivens » QL (*Abrahae ad naturam animae* M sive Bruno doctor Patavinus).

39. – Sextum est omissio et additio verborum singulorum. Omissio tam late patet ut quartam circiter partem constituat errorum originalis textus. Vide frequentiam siglae *om* in apparatu. Specialem mentionem facimus de omissa et addita negatione *non* in Q et apud Compilatorem. Item negativum *in*–quasi ad libitum demunt et praefigunt. In his textus originalis multam correctionem obiit in L, M, *c*; cf. 4 b 57 « Sed *immortalitas* vitae quaedam poena est QL*c*, *mortalitas* M et secunda manus L. Additiones multo rariores sunt. Unam specialiter noto, quia ex margine codicis Commentarii in textum Compilatoris migrasse videtur, et codex ille, si qua bona fortuna aetatem tulit, ab hoc signo aliis accedentibus cognosci posset:

146 b 47 (qu. LXIX. art. 7; in Commentario dist. XLV. qu. I. art. 3). « Respondeo dicendum quod receptacula animarum distinguuntur secundum diversos status earum. Anima autem ... post mortem vel est in statu recipiendi finale praemium vel *distinctio locorum animae* est in statu quod impeditur ab illo » QLM. Vix dubium est quin tria verba supra marginem codicis scripta essent, quia ibi indicarent S. Thomam in hoc articulo rationem quinque receptaculorum exponere; in textu vero Compilatoris nil nisi novum festinationis argumentum sunt. – Forte etiam ex margine venerunt 99 a 42 « Gregorius *et Boethius* dicunt » QLM*c* pro « Gregorius dicit »; 117 a 38 *ut impotentia coeundi* QM*c*. – Notabilis est locus 151 b 38: « Et est differentia... quia meritum innititur iustitiae *oratio misericordiae* sed orans impetrat petitum ex sola liberalitate eius qui oratur » QLMN*cp*; opus scioli interpolatoris ex ipsa constructione innotescit. L et N duo verba duobus punctis secludunt, quasi suspicientes; item correctionis causa *quia orans* L, *orans enim p*, *oratio autem* et *orans enim* modernae Supplementi.

40. – Septimum est homoteleutorum omissio. Oratio S. Thomae, tam plena homoteleutis, utrique scriptori verae calamitati fuit, praesertim tamen scriptori Q, cuius lacunae per centenas numerantur. – Ipse etiam multa homoteleuta bis habet, sed Compilator rarissime: cf. 179 b 72 QL (scriptor L media repetitione sistit et abundantia delet), 187 b 63 et 201 b 44 QpL, 202 a 39 QL(MN)*c*. – Frequentius forte quam homoteleutorum repetitio, accidit homoteleutorum omissorum tarda resumptio, quae cognoscitur ex erroris correcti reliquiis, idest ex aliquibus verbis scriptis antequam scriptor omissionem adverterat; cf. 191 b 13 et 200 b 32 QL*c*, 85 b 15 et 215 b 69 QLM*c*. – E copia errorum ad hoc caput pertinentium (cf. 215 b 57, 69, 72) duo exempla exscribimus, unum ex Q, alterum ex petiis Compilatoris:

197 b 4 « corpus motum (de A in B) quandiu est totum in A, non movetur. Similiter nec quando est totum in B, quia tunc motum est. Ergo si aliquando movetur, oportet quod neque sit totum in A neque totum in B, quia tunc motum est. Ergo si aliquando movetur oportet quod neque sit totum in B ». Clarum est quid scriptori Q acciderit: bis habet homoteleuton *quia tunc ... in B,* et dum secunda vice scribit, omittit homoteleuton *A neque totum in*.

163 a 46 (qu. LXXIII. art. 2. argg. 2. 3) « Praeterea, lux corporum caelestium ad generationem inferiorum corporum ordinatur, quia per eam influunt in haec inferiora et non solum per motum ut dicit Averroes, sed per lumen ut dictum est in libro de Substantia Orbis. Sed tunc generatio cessabit. Ergo nec lux ... remanebit. Praeterea, inferiora corpora purgabuntur... a qualitatibus quibus agunt. Corpus autem caeleste non solum agit per motum, sed per lumen ut dictum est. Ergo, sicut motus caeli cessabit, ita lumen caelestium corporum ». Iste probabiliter fuit modus errandi: postquam Compilator verba *ut dicit Averroes* scripserat et ei verba *non solum per motum* in aure haerebant, oculus in exemplar respiciens tetigit verba *non solum agit per motum*, ideoque calamus pergit *sed per lumen ut dictum est;* hic Compilator redit in se, sed non satis ut de expunctione cogitet.

Ad idem errorum caput spectant aliquae lectiones, quae speciem inadaequatae correctionis homoteleuti omissi prae se ferunt, ac si Compilator errorem exemplaris sui corrigere voluisset: 117 b 39 « frigiditas quae facit virum impotentem, *non faceret mulierem impotentem* » C; supposito homoteleuton in exemplari Compilatoris omissum fuisse, explicata est erronea lectio QLM*c*: « frigiditas *facit impedimentum in viro* ». Cf. 146 a 6, 169 a 26, 215 b 57. 72, 217 a 64, omnes QLM*c*, et 244 b 73 QL*c*.

41. – Octavum errorum caput Compilatoris characterem specialiter exprimit, et quam similis sit ei scriptor Q in modo errandi, clare ostendit. Error vocari potest echographia, nam nascitur ex eo quod verborum circumvicinorum sonus scriptorum auditui tam adhaeret, ut calamus aurem magis quam oculum et mentem sequatur. In Q corruptio vulgo ad litteras et syllabas sistit, in petiis vero Compilatoris ad integra verba se extendit et dictionem afficit. Accipe ex Q:
139 a 38 sicu*m* olim. 175 a 3 omn*ie* alie etates;
185 a 2 aliis partibus dimension*ibus* (Q*c*); 194 b 65 dimensionibus et quandoque sub mag*nibus*;
241 a 67 virtu*tive* adustiva; 284 b 46 un*us* genus;
145 b 73 locorum *loca*lium (pro *poena*lium);
241 a 23 quantum ad *ca*corem cordis (pro *ran*corem);
245 a 71 Deum odio qui ut dicit *odio* (pro Dionysius).

Huic capiti, ni fallor, respondet hallucinatio 128 a 75 « nec *p*otest *p*er *p*ecie *p*artis thome *p*enitenciam ». Verba enim *nec potest per poenitentiam*, sicut codicis margo attestatur, ad ultimam lineam petiae XIIII. pertinebant. Porro, verba « pecie partis thome » quia in codice Supplementi inveniuntur, secum ferunt vocem « tertiae ». Si ergo supponimus, sub ultima linea textus petiae adfuisse aliqua verba et inter ea « t'cie ptis thome », ex. gr. signaturam « f. XIIII. additōm t'cie ptis thome », reconstruximus contextum, lapidem impactionis irruenti scriptori: mente ut solet absens, e petia–exemplari signaturam eius inserit, et soni litterae *p* tenax scribit *pecie* pro *t'cie*. (Et ita, sicut scriptor L per notam « est de sex cartis », scriptor Q, vel obsessus daemonio erroris, manifestat petias fuisse veros fasciculos, quos necesse esset signare ne facile cum libellis aliorum exemplarium confunderentur.)

Audiamus ipsum Compilatorem:
49 a 62 « praedicatio ecclesiae a mend*acio ecclesiae* (dele *ecclesiae*) non excusaretur » QL*c*;
63 b 58 « eius quia *eius* » (pro *enim*) QLM*c*;
75 a 57 « conversi (religiosi laici) tonduntur ... sed *nudum* raduntur » (pro *non raduntur*) Q(pL), *nedum ra-*

duntur c, raduntur M, abrasa pr. manus L, *non superius raduntur* sL;

84 a 54 « si appropinquant contrahentes ad tempus septennii contractus *septennii* (pro *sponsalium*) habet robur » QLM*c*;

84 b 45 infirmitatem *infirmat* (pro incurrat) QpL*c*;

90 a 9 coac*tus* metus (pro coac*tio*) QLM*c*;

118 b 18 impedimenta *impedi*entia (pro *dirim*entia) QLM*c*;

186 b 38 virtuti*ve* nutritivae QL (hic scriptor Q se ipse correxit);

244 a 9 *detū tu*lerunt Q (pro *secum detu*lerunt; scriptor corrigit *d* in *s*), *detum detu*lerunt pL;

231 b 44 Non coronabitur nisi qui *certissi*me certaverit QL (pro *legiti*me, quod 226 a 1 scripserat);

205 a 75 mentis intuitu *mentis* celeritate (pro *mira*) QL*c*.

Alia attractionis species est 157 a 17 « in baptismo *non solum* Christi passio sed *nec* operatur » Q(pL)*c* (pro *resurrectio*). Ratio erroris est negatio « non solum », quae memoriae sensitivae vel intellectuali Compilatoris distracti et praecipitantis inhaeret, et suggerit *n*ᶜ ubi scriptum erat *rr*ᵒ. Huc pertinet istud *ore* pro *eȝe* de quo supra n. 33. Cf. 210 a 39, 211 a 53, 214 a 61, 242 a 71, 245 a 6, et plurimos casus de quibus n° 43.

42. – Nonum est scriptionis confusio a confusione et absentia mentis. Frequentia sunt talia:

15 b 48 *sacramentum necessitatis* pro *sacramenti necessitatem* QLM*c*; cf. 172 b 29 QL(M)*c*.

241 a 64 *dici mitteretur* pro *mitti diceretur* Q, *diceretur c*;

189 b 45 « *non* minus *non* potest cognoscere *artis* regulas *artis* ... sed magis » Q(*c*).

90 a 49 « Sed inconstans *cogitans cogitur* ad maius malum *sed incostās cogitas* propter metum minoris » Q(*c*); dele *cogitans*; quod secundo loco sublineavimus scriptor Q expungit; est principium homoteleuti repetiti.

Ex QL, testibus de visu petiarum originalium, locum longiorem describimus in specimen extremae confusionis:

185 a 28–40 (qu. LXXX. art. 5. ad 2 et 3). « Sed prima et secunda opinio ... dicunt quod anima quamvis *sque* (om. L) partes perficiat *secundum potentias* mediantibus partibus *scilicet quasque* et ideo non habent aequaliter ordinem ad *invicem* (pro *utrasque – tamen perficit partes secundum materiam – secundum speciem – resurrectionem*). Ad tertium dicendum quod in materia generabilium et corruptibilium dimensiones *increatas sed* intelligere *ante* formae substantialis et ideo divisio quae est *huiusmodi dimensiones et dimensiones* proprie pertinet ad materiam *si* (sed L) quantitas completa et terminata advenit materiae post formam substantialem et ideo divisio quae *est vel fit* secundum dimensiones terminatas *recipit* speciem » (pro *interminatas oportet – ante receptionem – secundum huiusmodi dimensiones – sed – fit – respicit.* Cum Q *c* legit *si*, cum QL *est vel fit, recipit*). Nonne verba supra chartam proiecta magis quam scripta videntur? Apud Compilatorem errores tam crassi raro uno quasi cumulo congeruntur, sed frequentes sunt errores similes his:

128 a 64 « potest eam sibi *reconciliari* » Q*c* et Oxoniensis, pro *vir reconciliare*. Cf. 212 b 20 QL(M)*c*, 226 b 55 QL*c*, 240 b 50 QpL*c*. – Tres sequentes lectiones erroneae sunt, sed demonstrant grammaticae sensum:

15 a 65 « Et ita etiam confessio peccatorum ad remissionem eorum consequendam *elicitive vel elective* ad virtutem veritatis, ut quidam dicunt, sed ad virtutem (veritatem Q) poenitentiae *imperative*, *ac* ad multas virtutes pertinere potest, secundum quod *in fine* multarum virtutum trahi potest *ad* confessionis actus ». QLM*c*, pro *non pertinet elective – Imperative autem – in finem* – dele *ad*.

97 b 33 « conditiones particularium personarum in singulari sunt infinitae, sed in generali (personali Q) possunt reduci ad certum numerum: sicut in medicina patet et in omnibus artibus operativis, *quae sunt particularium in quibus et actus considerantur et conditiones* » QLM*c*, pro *quae particularium, in quibus est actus, considerant conditiones.*

190 b 12 « ex hoc quod *odor in vulneribus immutatur* ex odore percepto *ex* cadav*ere* ex locis remotissimis » QMↄ pro *vultures currunt – ad* cadave*r*.

43. – Decimum efficiunt casus correctionis absconditae, per copulas *vel*, *et* inter mendum et veram lectionem, vel alio modo; ex. gr. « divisio quae *est vel fit* », quod modo habuimus. Scriptor Q immunis est ab ista ambigua ratione corrigendi; Compilator ea abutitur. – Tres casus exhibet Commentarius solus: 8 b 18 « *appetit vel* diligit »; 208 b 18, 236 a 41. Tres etiam C et Compilator: 167 a 56 « sicut patet in ferro ignito quod a loco ignitionis remotum ... ad *proprium* statum *et* pristinum redit »; 224 a 45, 248 a 74. Casus dubii occurrunt 62 a 41, 205 b 32, 215 b 39, 223 b 6 « *scientia vel* notitia », 249 a 51. – Ceteri omnes, sexaginta circiter, in solo Supplemento occurrunt. Unum prae ceteris urgemus, quia probat istas correcturas non ex margine codicis Commentarii in textum Compilatoris fluxisse, sed illum ipsum certe patrem habere; confirmat etiam influxum soni contextus in eius scripturam. In analysi qu. XIX. de Ministris Clavium et Usu earum: « Primo ... *claves* habuerit. Secundo ... *claves* habuerit. Tertio ... *claves* habeant. Quarto utrum sancti homines non sacerdotes *claves* habeant *vel usum earum* », ita QLMN*c*; in Commentario quaestiuncula et in Supplemento articulus incipiunt: « Videtur quod etiam sancti homines non sacerdotes *usum clavium* habeant », ita ut undequaque certum sit Compilatorem praecipitem errasse et per particulam *vel* sibi subvenisse. – Aliarum eius correctionum aliquot hic recitabimus, ut variati correctionis applicandae modi noscantur:

128 a 72 « potest reconciliatio *fieri vel* sequi ». Ita et Oxoniensis. Est forma vulgaris, criticis notissima. 142 a 3 « ex *vero et* legitimo matrimonio » (LM*c*).

9 a 40 « proveniunt bona *divinitus a gratia vel* providentia agente » pro *divina.*

(15 a 66 *elicitive vel elective,* pro solo *elicitive,* nescio utrum correctio sit Compilatoris–auctoris an scriptoris titubatio; 11 a 74 « non est idem *iudex vel actor* et reus », pro solo *iudex,* speciem non habet correctionis scripturae sed textus.)

64 b 13 *est* triplex opinio *vel fuit.*

119 a 14 « non tamen matrimonium *dirimitur nec* propter hoc separa*tur* » pro *separandum est* tantum.

133 b 49 « Ius naturale semper et ubique habet *naturalem potentiam eandem* » pro *eandem potentiam.*

136 a 23 « non est contra *legem naturae et prima praecepta eius* » pro *legis naturae prima praecepta.*

181 b 17 « Sicut enim capilli et ungues ex superfluitatibus cibi generantur, ita urina et sudor et aliae *superfluitates vel faeces* », pro *huiusmodi faeces.*

191 a 41 « nomen subtilitatis *a virtute* est assumptum *scilicet penetrandi* » pro *a virtute penetrandi*; 217 b 35 « *Ut* Chrysostomus dicit *videlicet* » pro *Et.*

244 b 65 « (Non esse ...) alio modo potest considerari inquantum est ablativum *poenalis vitae vel alicuius miseriae* », pro *poenalis vel miserae vitae.* Hic et 228 b 35, 231 a 37, N legit cum Compilatore.

64 a 68 « Sed quidam ordines non ordinantur *quantum ad omnes ordines sed* ad » (LM*c*) pro *nisi.*

39 a 65 « *in multis* officiis diversis *multi* », pro *multi in.*

17 a 18 *papa* praelati (pro *praelati;* oblitus est aut expungere aut copulare); 77 a 10 *statuta* definitiones; 152 a 67 Dionysius *dicit* asserit; 199 a 21 corporibus *caelestibus* gloriosis.

44. – Scriptor codicis Q scripturam suam incorrectam edere voluit. Nisi quod saepe inter scribendum resipuit et se ipse emendat, nullus ex officio accessit corrector. Omnino occasionaliter duo vel tres lectores aliquos sparsos articulos tetigerunt meliorando vel interpungendo. Maior harum paucarum correctionum pars est in manu lectoris, qui qu. LXXIII. art. 2. arg. 1, 163 a 43, errorem (Compilatoris, non scriptoris Q) *sī oibus* in *sid'ibus* correxit in textu, et supra marginem *sideribus* scripsit. — Quod in codice non factum esse oculis videmus, idipsum credimus non factum esse in libro originali Supplementi. Compilator revisionis moram non patiens petias suas statim scriptas publici iuris

fecit: secundae curae inauditam transcriptionis erroneitatem profecto sublevassent. Sed nec in hoc sibi dissimilis est; omnia apud eum festinata, praecipitia et subita sunt: analyzare, citare, legere, scribere, corrigere; mens, oculus, calamus. Post tot mira iam non miramur immaturam petiarum editionem.

§ 6. DE RECENSIONIS NOSTRAE CRITERIIS

45. – Postquam sermonem tam longum de erroribus Supplementi habuimus, non inutile forte erit advertere, concordiam lectionum Supplementi et Commentarii multo maiorem esse quam discordiam, sive Compilatorem multo pluries bene scripsisse quam male. E centum verbis unum forte erratum est, si demis errores minusculos et fatales, quos nullus scriptor unquam vitare potuit. Ex hoc sequitur, textum Supplementi, tam misere corruptum ut modo explicavimus, tamen pro parte longe maiori eundem esse ac textum codicis quo usus Compilator textum petiarum composuit. – Utrum vero et quibus locis concordia Supplementi et Commentarii discordet a cetera huius traditione, illi scient qui suo tempore traditionem scrutabuntur. Audemus tamen credere lectiones CQL propter internam bonitatem etiam tunc auctoritatis robur habituras esse.

46. – Quia in edendo Supplemento scopus noster magis textum S. Thomae quam Compilatoris respiciebat, non parati eramus adoptare quidquid hic scripsisset. Postquam autem collatio ostenderat quam frequenter eius textus malis utatur conditionibus, ne expediisset quidem eius opus illico nostrum facere. Ideo inter ea quae S. Thomae sunt et quae Compilatoris ita distinguendum erat, ut analyses, citationes et rerum ordo manerent sicut Compilator esse voluit, salva rarissima correctione; ubi vero de oratione S. Thomae ageretur, Compilator legem non ferret, sed aliqua editio Commentarii, quae libera esset a crisi modernarum et a mendis infinitis, quibus primae editiones criticum impedire consueverunt. Elegimus editionem anni 1520, Lugduni « auspicio honorati viri Iacobi Giunta ex edibus Iacobi myt. » Hanc ergo editionem beneficio novae collationis et recensionis auctam, iterum in forma Supplementi edimus, et quae de textu authentico Compilatoris supererant, in apparatu reposita sunt. – Non opus est monere quod textus illius editionis, et cuiusvis aliae, e consensu cum textu Compilatoris eo ipso antiquitatem recipit exemplaris quod ille supra chartam petiarum suarum transcripsit, et quod ubi textus discordant, donec textus Commentarii stabiliter firmetur, interim omnes editiones per textum nostrum et notam variantium aequaliter moderantur.

47. – Perversitas textus originalis Supplementi nos non quantum prima facie videretur impedivit. In re critica enim lectiones vel verius scripturae erroneae ea lege utuntur ut vexent et iuvent. Vexant eum, qui, ex erroneo vel nullo verborum sensu erroneam transcriptionem suspicans, alium testem quem interpellet adire non potest et lectionem corrupte transcriptam per se coniecturare coactus est. Iuvant autem egregie ad dignoscendas veras lectiones ab alienis correctionibus. Nobis vero editio Commentarii fere ubique clavem praebuit, quae parvo labore nostro pro errore materiali Compilatoris lectionem exemplaris eius reserabat. Ita factum est ut mendae scriptionis, quae magnam discordiae partem efficiunt, magis profuerint quam obfuerint: dum scilicet pro errore veram lectionem nancisci non erat difficile, error ipse, ut alter testis, textui antiquae editionis Commentarii addidit auctoritatem contra modernas editiones et Commentarii et Supplementi. Nam lectiones illius editionis sive recte sive corrupte scriptae sint per Compilatorem, usurpant privilegia codicis e quo eas descripsit.

48. – Non tam promptum paratumque, immo desperandum erat discrimen inter veri nominis variantes. Tacente criterio interno sensus, iudicium differentiae expectandum est ab ulteriori Commentarii collatione. Interim sententia dependet a praeiudicio, quod gignitur ex scientia generali habitudinum et morum Compilatoris. Quia enim constat in Supplemento enormiter omissum esse, ideo ubi editio plus habet praeiudicandum est pro editione contra Compilatorem. Quia etiam constat saepe mutatum esse in peius, ideo, si quo casu Compilator bene legit sed aliter ac editio, ille lectionem codicis sui habere et editioni tam iuniori praevalere videtur. Sed, sicut fit quoties e scientia generali aliquid deducendum est, in quovis casu singulari conclusio reformationi obnoxia est. Ex hac parte recensio nostra rursus multas mutationes obibit: facile fieri poterit ut futura collatio manifestet in editione Lugdunensi idipsum vero textui additum esse quod a Compilatore omissum crederetur. Idem dicendum de additamentis forte a Compilatore profectis, de differentiis dictionis sive redactionis, et generaliter ubicumque criterium internum non satis discriminat. In his casibus ipsa impossibilitas verum a spurio discernendi monstravit viam nobis sequendam: alterutra lectio, spuria fortasse, pro textu ponenda esset; alteram, eamque forte veram, reciperet apparatus. Nihil reliquum est, donec examen totius traditionis Commentarii absolvatur.

Attamen, eo ipso quod contextus non suppeditat discrimen variantium, momentum earum non tam ad partem speculativam quam ad nudam authentiam patet pertinere. Ubi enim interna criteria silent, sive quando quoad sensum nihil parumve differt, utrum S. Thomas scripserit quod in textu damus an quod in apparatu, lectionis incertitudo utique innocua erit. Authentia urgeret, si lectionum diversitas se ultra diversitatem dictionis ad differentiam sententiae et doctrinae extenderet; sed, sicut in ceteris S. Thomae operibus hucusque collatis, vel in manuscriptis vel in editionibus, ita et in hac portione Commentarii rarissime nobis pronuntiandum erat inter aliam et aliam doctrinam. Pars differentiarum infinite maior absorbetur per errores scriptionis et correctiones male consultas; pars multo minor ad diversam dictionem pertinet; differentia doctrinae vix obtinet. In Supplemento rapidus Compilatoris calamus novam interdum creavit opinionem; ex. gr. qu. XLIX. art. 5. ad 1: « oportet quod intentio naturae, qua prolem intendit (in matrimonio), referatur actu, non habitu, ad intentionem prolis prout est bonum sacramenti: alias staretur in creatura, quod sine peccato esse non potest ». Qu. L. ad 4: « Matrimonium autem inquantum est in officium naturae statuitur lege civili ». Ne crede Compilatorem quod scripserit etiam opinatum esse: scriptor decepit theologum; illic pro *actu non habitu* lege *actu vel habitu;* hic ante *civili* insere homoteleuton *naturae ... statuitur lege,* ut in textu C. Sic salvantur doctrina sana et lectio Commentarii, et etiam contextus apud Compilatorem. Cf. 81 b 6, 103 b 26, ubi eodem errore in eadem materia peccat.

Si qui tamen loci non solum dictione sed et sensu et sententia differrent, variantium notitia incertitudinis noxam redimit. Scimus saltem quae sint, quamvis utra authentica sit ignoretur. Nullus prudens textui Commentarii vulgato ex ignorantia variantium alterius traditionis quidquam authentiae accrescere putabit. Expedit potius omnes lectiones cognoscere ut emergente casu proferantur; cf. 177 a 5. Ideo lectiones dubiae, quas nos obvias habituros esse facile praesciebamus, non valuerunt prohibere novam editionem, collatam et conferendam, illius partis Commentarii in Sententias, quam, etsi adversis auspiciis in forma Summae dispositam, Theologi tamen frequenter allegant et ab explicationibus suis non exclusam voluerunt.

§ 7. QUIS FUERIT SUPPLEMENTI COMPILATOR

49. – Satis argumenti congessisse nobis videmur, ut nomen Petri de Alvernia Supplemento iam non societur. At tacere nobis non licet testimonium, anecdotum ni fallor, pro Petro. Capitulum Toletanum possidet codicem Tertiae Partis, signatum 19-13, in cuius fine scriptum est manu saec. XIV:

« Quia b. Thomas morte preventus non complevit hanc ultimam partem summe, frater Guillelmus Sudre magister in Theologia, lector sacri palatii, episcopus marsiliensis, deinde episcopus hostiensis et velletrensis sancte Romane ecclesie cardinalis complevit hanc partem de libris eiusdem doctoris sancti secundum ordinem doctrine per eundem tradite paucis aditis aut resecatis anno dom. mill. ccclo, et idem dom. card. obiit anno Mo cccolxxoiii in vigilia b. Michaelis devote valde et pie.

Principium operis predicti completi: Utrum contricio sit dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi. Ponuntur viii. rationes in contrarium. Finis operis sic habet: ad vi. etc. infirmi totaliter excusantur apud deum, cui est honor et gloria in secula seculorum amen.

Similiter mag. petrus de Alvernia complevit omnes libros quos b. Thomas dimisit incompletos, videlicet istam ulti. partem, libros meteororum, de generat. et corruptione, celi et mundi et alios; et iste doctor fuit sectator doctrine s. Thome. »

Notae huius scriptor eadem qua alii ratione ductus Supplementum Petro tribuendum autumavit. Documentum aliud non producunt quam quod complevit alios libros S. Thomae incompletos: ergo et Summam, arguerunt omnes. Sed honoratus Magister dum Commentarios aliquos S. Thomae in opera Aristotelis continuabat, boni ingenii signa ostendit, cui perfunctorium opus Supplementi omnino contradicit. Tam negligenter et praecipitanter, tam imperite analyseon auctor egit, ut ob eam vel solam rationem credere non possimus Supplementum compilatum esse per Petrum de Alvernia. Licet enim ille quoque ab arte S. Thomae defecisset, Doctoris scilicet quem prae ceteris doctoribus ineffabili analyseos charismate Deus donavit, quidquam minus indignum quod Summae compararetur ab eius doctrina et calamo, quinimmo ab aetate qua floruit, nobis provenisset.

Accedunt citationum inconsulta tractatio et iniqua scriptionis properatio. Si vero scripturae falsae non auctori attribuendae creduntur, quippe cui mala fortuna incapacem scriptorem obtulisset, auctor tamen excusari nequiret, quod autographum suum ex officio supra petias rescribendum ignoto homini tradiderit, et petias sine examine et correctione publicaverit. Neutrum utique Petro evenisset. Et praeterea, multarum lectionum pravitas, cum modum scriptorum excedat, necessario orta est apud Compilatorem qui orationem S. Thomae tam claram non comprehendit. Necessitas distinguendi inter auctorem et scriptorem in Supplemento non existit, immo in illo opere analyses futiles, mali intellectus verborum S. Thomae, scripturae corruptae, potius unum hominem indicant.

50. – Fuerunt qui Supplementum adscripserint Magistro Henrico de Gorcum. Cf. Echard loco cit. Non credo adscripsissent, si vel obiter Henrici Supplementum cum nostro contulissent. Quid nobis codicum Coloniensium, Henrici testium, collatio docuerit subiicimus.

In bibl. municipali asservantur duo codices chartacei (praeter duo prima folia pergamena post adiecta); signantur GB f. 152 et GB f. 185. Olim erant unus liber, continens Tertiam Partem et suppletionem una manu scriptas; folia, ut nunc notantur, sunt 261 et 205, exclusis pergamenis. Qui Supplementum a Tertia Parte separavit, recisit ultima folia ultimi sexternionis primi tomi, quibus Supplementum in altero tomo incipit. Liber ante divisionem habebat quatuor notas, a scriptore textus nigro lineis rubris subducto exaratas, quas exscribimus.

Folio 257. recto col. 2:

« Explicit 3ª pars summe sancti doctoris fratris Thome de aquino ordinis fratrum predicatorum quam ut intendebat non complevit sūmati (summatim) morte preventus cuius suppletionem ex scripto eiusdem doctoris M. h. de Gorikem bone memorie compilavit ut infra Domino concedente patebit.

Incipiunt capitula tercie partis summe fratris thome de aquino ordinis fratrum predicatorum ».

folio 261. verso col. 2:

« Expliciunt tytuli 3ᵉ partis fratris Thome de aquino sancti doctoris sacre theologie.

Sequuntur questiones ex quarto scripto eiusdem doctoris per M. henricum de Gorikem sacre theologie professorem eximium pro complectione materie in 3ª parte declarande ut in principio patuit compilate.

Incipit supplementum 3ᵉ partis summe sancti doctoris.

Questio prima de quidditate contricionis ».

sequitur spatium duodecim versibus vacuum; folio sequenti, quod nunc est primum folium tomi alterius, Supplementum annuntiatum incipit sine inscriptione absolute.

folio alterius tomi 201. verso col. 1:

« Explicit complementum tercie partis summe sancti thome de aquino ordinis predicatorum doctoris eximii ex scripto 4ⁱ eiusdem per m. henricum de Gorikem sacre theologie professorem bone memorie compilatum. Scriptum anno domini Mº ccccº xlvii.

Sequitur tabula huius complementi ».

folio 205. recto col. 2:

« Explicit tabula super complementum tercie partis summe sancti Thome doctoris egregii. scripta anno domini Mº ccccº xlvii. ipsa penultima die mensis martii. Deo gracias ».

Libro in duos tomos diviso, bibliothecarius aliquis sub nota ultima primi tomi rubro scripsit: « Require in libro sequenti signato cum 267 ».

Revera alter tomus primo folio (pergameno) recto exhibet numerum 267 nigro scriptum, et praeterea dum primus tomus primo folio (itidem pergameno) signatur nigro « T. xxii », alter signatur « T. xxiii ». Idem bibliothecarius folio pergameno verso alterius tomi rubra scriptura sequentem addidit notam:

« Sequuntur questiones ex quarto scripti sancti Thome de aquino ordinis predicatorum sacre theologie doctoris eximii. Per venerabilem magistrum Henricum de Gorinchem eqz (eque) doctorem eiusdem theologie pro completione materie in tertia parte supradicti sancti doctoris declarande ut in principio patuit compilate.

Incipit supplementum 3ᵉ partis summe sancti doctoris thome de aquino. Et primo de contricione. Questio prima de quidditate contricionis ».

Circa has quinque notas observandum est, paternitatem Supplementi Coloniensis Henrico per unicum testem vindicari, non per tres vel duos. Eadem enim manus et duos textus et quatuor notas exaravit; nota vero posterius supra folium primum alterius codicis scripta nihil est quam illarum conflatio et repetitio, ne tomus separatus inscriptione careret. – In ista nota rubra incisum *ut in principio patuit* resonat verba notae folii 261. prioris tomi; in quo non respiciunt principium libri, quia liber absolute a textu Tertiae Partis incipit, sed principium tabulae Capitulorum eiusdem Partis folio 257: « Explicit 3ª pars summe... cuius suppletionem... Henricus de Gorikem... compilavit ut infra Domino concedente patebit ». Hanc vero notam interpretamur in istum sensum: « Explicit Tertia Pars Summae imperfecta, quam ex Commentario in Quartum Librum Sententiarum Magister Henricus supplevit; qua vero ratione et quibus materiis suppleverit infra ex ipsius opere patebit, si Dominus mihi ut transcribam concedat »; ita ut quale sit opus, non quis sit eius auctor, infra patere intelligatur. Secundum hunc intellectum istud *ut in principio patuit* explicatur quasi « ut supra dictum est ».

51. – An praeter hunc testem alius celebri Magistro Gorcomiensi aliquod Summae complementum adscribat nescimus. Non facile crederemus eum auctorem esse Coloniensis, cum hoc tantum recensio sit nostri vulgaris. Etsi textus descriptus est e codice Commentarii et analyses alia (non bona) methodo compositae sunt, indubia tamen vestigia veteris Supplementi in illo novo relicta sunt.

Textus et tabula libri Coloniensis habent centum et unam Quaestiones, non nonaginta novem; quod factum est, primo, per partitionem quaestionis XXXII. virtualiter duplicis: « Quibus sacramentum extremae unctionis conferri debeat, et in qua parte corporis », in duas: Qu. XXXII. « Quibus debeat conferri », Qu. XXXIII. « Quibus partibus debeat fieri unctio ». Deinde post Quaestionem LXIX (LXX) sequitur Quaestio de Purgatorio tanquam LXXI: « Consequenter perscrutandum est de purgatorio quod est unum de quinque receptaculis animarum. Circa quod quaeruntur novem ». Sic una quaestione bipartita et una addita numerus quaestionum per duas crevit. In ceteris fere idem est utriusque Supplementi schema. Qu. I. codex habet omnia argumenta textus Commentarii, et art. 1. omittit argumentum Sed Contra additum per Compilatorem (cf. nº 2). In corpore eiusdem articuli adest « Et de virtute huius » etc. (cf. nº 17). Ceterum citationes multas praeterit. Qu. X.

art. 5. ad 2, ubi Commentarius: « de quibus supra dist. IX. dictum est », invenimus « de qua superius habitum est suo loco ». Qu. XLVIII (XLIX). art. 1. « De consensu beatae et gloriosae virginis Mariae postea dicetur » (ubi dicat non inveni; cf. n. 17). – Textus libri Coloniensis, etsi e codice Commentarii descriptus, raro magis ad textum Commentarii accedit quam textus Supplementi typis vulgatus, immo liberius ab eo variat.

Maximae tamen ratio differentiae et convenientiae Supplementorum in analysibus sita est. Introductio tractatus de Resurrectione (cf. n. 7) simpliciter suppressa est in novo; alibi etiam ni fallor divisionum hiat catena (apud Compilatorem semel tantum; cf. n. 10). Multae analyses Compilatoris nostri non placuerunt; alias eis substituit recensor, partim ex Commentario, partim ex proprio ingenio. Ex. gr:

Qu. XXIX. Compilator: « Post haec considerandum est de sacramento extremae unctionis. »

Henricus: « Postquam in superioribus actum est de baptismo qui est sacramentum intrantium et de confirmatione eucharistia et poenitentia, quae sunt sacramenta progredientium, restat consequenter ut determinemus de extrema unctione, quae est sacramentum exeuntium ». Ista mutuatus est ex Commentario dist. XXIII. in Divisione textus.

Qu. LXI. Compilator (cf. n^m^ 10): « Deinde considerandum est de impedimentis quae superveniunt matrimonio. Et primo de impedimento quod supervenit matrimonio (inconsummato *addunt modernae editiones*), scilicet de voto solemni; secundo de impedimento quod supervenit matrimonio consummato. Circa primum quaeruntur tria ». Qu. LXII: « Deinde considerandum est de impedimento quod supervenit matrimonio consummato, scilicet de fornicatione, quae impedit matrimonium praecedens quoad actum, durante vinculo matrimoniali. Et circa hoc quaeruntur sex ».

Henricus (Qu. LXII.): « Post praedicta restant aliqua de impedimento voti solemnis pertractare. Unde ibi occurrunt tria considerare ». (Qu. LXIII.) « Deinceps de impedimento fornicationis et de divortio considerare oportet. Quaeruntur autem sex ».

Analyses tamen aliquae reformatae vel conservatae certa signa sunt auctorem alterius Supplementi usum esse nostro:

Ex analysi Compilatoris n° 8. exscripta Henricus omittit « quinque », et « matrimonium impediat » non solo primo loco sed quinquies habet.

Qu. XXVIII. pro « Tertio, utrum publica sit imponenda poenitentia » Henricus scribit « Tertio, utrum solemnis poenitentia sit imponenda mulieribus », ex quo patet Henricum etiam deceptum fuisse insolita structura quaestiunculae de qua n° 11.

QQ. XIII. et XI. Henricus servavit analyses Compilatoris, quas n^is^ 9. et 10. reprobavimus.

Analysis qu. XIX peculiarem Compilatoris characterem prae se fert (cf. n^m^. 43): « *claves* habeant *vel* usum earum ».

Ex hisce, schemate dico et analysibus, certum est opus Henrico attributum supponere Supplementum Compilatoris nostri. Si vero quaeratur qua de causa quis novum Supplementum componere voluerit, responsio probabilis dari posse videtur. Res certissima est, omnes Supplementi codices iuniores multipliciter habere lectiones Commentarii pro lectione Compilatoris. Constat etiam, scriptorem L per decem Quaestiones de Impedimentis Matrimonii non ostendere textum petiarum. Constat tertio, codicem N solas analyses Compilatoris descripsisse, et textum S. Thomae proprium ex codice Commentarii. Si his tribus phaenomenis substruimus famam et conscientiam mendositatis Supplementi exsistentis, eandem rationem iure continuare poterimus ad quartum phaenomenon, Supplementum funditus revisum Henrici, vel quisquis auctor sit Supplementi Coloniensis.

Eadem bibliotheca possidet codicem, GB. f. 26, qui foliis 1–339 non in columnas divisis continet opus: « liber et lectura magistri henrici de gorinchem pie memorie ». Primus versus sic dicit: « (D)Ivino confisus dirigente auxilio propositi mei est librum ewangeliorum textualiter cum dubiis incidentibus declarare ». De Henrico, defuncto 1431, vide Denifle Chartularium. IV p. 510 et Auctarium sub Gorinchem.

52. – Exclusis autem Petro de Alvernia et Henrico de Gorcum, restat videndum quis tandem fuerit verus auctor Supplementi quod edimus. Et iam ab initio fatemur documenta historica nobis deficere, ut nomen auctoris manifestemus. Quidquid circa personam probabiliter coniecturabimus, iterum a codice Q nobis praebetur.

Summae complendae consilium iniisse nobis videtur auctor notae criticae scriptae inter textum et tabulam Tertiae Partis in codicibus Brixiensi et Ambrosiano (R). De ista nota in Praefatione Vol. XI. § V. longiorem sermonem habuimus, non suspicantes auctorem eius nobis in Supplemento denuo obventurum esse. Multa signa convergunt in illum hominem innominatum, qui pluribus codicibus comparatis, phaenomena quaedam, in decursu collationis circa varias lectiones observata, posteritati tradere voluit.

Ut autem ab hac nota ad Compilatorem Supplementi gradum faciamus, reconsiderandae sunt observationes notatoris, non quoad veritatem vel falsitatem assertorum, cum circa hoc iam satis ample consideratum sit loco citato, sed quoad relationem quae res assertae habent cum codice Neapolitano I, Ambrosiano R, et ad totam ceteram traditionem Tertiae Partis extra codicem Brixiensem.

53. – Nota obtinet solummodo in Q et R. Versatur circa autographum Tertiae Partis, ut patet per locutiones: « Nota quod qu. XXII. art. 2. deficit solutio 3. argumenti in originali istius tertie partis fratris thome »; « frater thomas dicit *Sed contra est quod dicit Augustinus* et non fuit prosecutus auctoritatem sed dimisit spatium in originali ubi posset apponi »; « deletum fuit de originali secundum argumentum cum sua solutione, et loco eius fuit additum (aliud) argumentum cum sua solutione, nec est fratris thome ».

Loca tacta sunt numero octo: solutio omissa, quatuor spatia (duarum linearum vel minora), tres lectiones deliberate corruptae. Solutio, qu. XXII. art. 2. ad 3, omittitur a tota traditione, sed multi scriptores supra marginem absentiam notificant. Spatiorum duo testificat traditio antiqua, sed non sunt in I. Ambo spatia cernuntur post lectiones truncas: qu. LXVIII. art. 4. « Sed contra est quod dicit Augustinus », qu. LXXIII. art. 3. corp. « unde Leo papa dicit ». Duo reliqua sunt in I solo: qu. LXXIII. art. 12. post « Sed contra est quod dicit Augustinus »; qu. LXXII. art. 8. arg. 1. post « ut dicit canon ». In QR non adsunt spatia, quia « hic (idest in libro notatoris, inde in QR) omnia hec sunt apposita », scilicet « eadem vel consimilia » quae S. Thomam appositurum fuisse notator credebat. Lectionum « in originali » deletarum una occurrit qu. LVII. art. 4: argumento secundo et eius solutioni substitutae essent obiectio et solutio spuriae; genuinas habet solus I, spurias tota reliqua traditio, utrasque QR. (Obiectio I ex Commentario assumpta est; solutionis dictio et factura moribus S. Thomae tam parum congruit, ut in omnibus eius operibus similem frustra quaereres.) Duabus reliquis, qu. LXII. art. 6. ad 3, qu. LXX. art. 4. corp., agitur de modo quo tempore legis Mosaicae in circumcisione conferebatur gratia; deletas exhibet I, sed unam, mox describendam, tantum partialiter; supposititias attestatur tota reliqua traditio; in QR illis istae iunguntur per formulam *Vel dicendum.*

Summa rei est, quod notatoris observationes bis concordant cum eo quod est in cetera traditione sed non in I, semel cum eo quod est in tota traditione, quinquies cum eo quod est in solo I, semel vero, scilicet illa lectione quae partialiter tantum est in I, discordant a tota traditione, I non excluso.

54. – Notandum insuper est, quod textus codicum Q et R praeter loca tacta in nota et Qu. LXXV. anal. α, non conveniunt cum I. Hic codex ad aliam recensionem pertinet quam illi: quod clare patet ex hoc quod praeterquam his tribus locis (et illa peculiari analysi) non existit combinatio siglarum IQR nisi intret etiam H (alius Neapolitani) et W (Oxoniensis) et aliae huius recensionis (e qua, mediante *b*, oriuntur omnes editiones Tertiae Partis exceptis principe et nostra). Patet ergo clare quod tres lectiones I in Q et R de foris importatae sunt: notator enim non potuit eas invenire in recensione H, nec scriptores Q et R

transcribere de exemplaribus suis. Notandum ulterius quod duo spatia in I, quae in nullo alio codice cernuntur, perfecte quadrant cum indole recensionis, quam, a codice, vocamus I. Ad huius characterem, centum locis vestigabilem, pertinet specialis cura « auctoritatum », idest locorum ex diversis auctoribus sacris et profanis allegatorum. Indubium est recensorem textus I auctoritates in fontibus tunc communibus revidisse. Huic concordat spatiolum dimidiae lineae post verba « ut dicit canon ». Tota traditio citationem loci Iuris Canonici omittit: res nullius momenti est, quia S. Thomas saepius allegat « canonem » sine loci indicatione. Sed recensori citatio visa est deficere; ideo ille, non S. Thomas, « dimisit spatium ubi scribi posset ». Supposita peculiari sollicitudine recensoris circa auctoritates, ratio alterius spatii est quod S. Thomas in eodem articulo bis allegat eandem auctoritatem; in argumento Sed Contra: « Augustinus dicit IV Confessionum de amico suo qui cum desperaretur baptizatus est »; ad 3. vero: « sicut Augustinus narrat in IV. libro Confessionum de amico suo, qui baptizatus est nesciens propter periculum mortis ». Systemati ergo recensoris certe congruit, ut auctoritati diffidens spatium vacuum reliquerit, donec aliam nancisceretur. Sic ipse character recensionis I spatia explicat, et sic etiam adhuc clarius elucet, tres lectiones I in Q et R res extraneas esse. Nisi in eorum textum deliberato consilio interpolatae fuissent, respectus QR ad I his locis idem esset ac quem habent in reliquo textu: contradixissent lectionibus recensoris I, quae plurimae sunt.

55. – A nota nunc redeundum nobis est ad textum. Quod scriptor Q petiarum fines notat, non solum in Supplemento sed etiam in Tertia Parte, signum est eum Tertiam etiam Partem ex petiis transcripsisse. Si enim ipse primus petias, per signa marginalia, creasset, nulla causa est quare illam mensuram linearum, quae ad rationem petiae pertinet, petiis a se determinatis negavisset. Non liber erat ad mutandum numerum, quem semel constituisset: secus petia iam non est mensura. Ideo, quamvis hic nobis deest momentosa indicatio qualis est istud « et est de sex cartis » in L, et si ad fortuita et inscibilia deputemus illud « ·f· » quod supra marginem petiae xi. scribitur ubi petia ordinaria terminasset (cf. n. 27.), tamen omnino probabile est Tertiam Partem in Q transcriptam fuisse de exemplari per petias-fasciculos diviso. Ex Chartulario Universitatis Parisiensis docemur Tertiam Partem anno 1304 per petiarios taxatam esse: II. n° 642. « Item in ultima parte fratris Thome lv. pecias. xliiii den. ». (Ibi I. n° 530. in taxatione operum S. Thomae Tertia Pars tacetur; Chartularii compilatores notant, opus ideo taceri quia tunc forte non multum divulgatum esset. Cum taxatio acciderit inter annum transitus auctoris 1274. et annum 1286, fieri potuit ut autographum tunc temporis in aliqua statione libraria vel in aliquo conventu supra petias statutas rescriberetur. In hac prima descriptione petiarius illa duo spatia vacua reliquerit, post « Sed contra est quod dicit Augustinus », et post « Unde Leo papa dicit », quia, quo casu nescio, in autographo auctoritates Patrum citatorum deerant. Tertium spatiolum, duarum litterarum, qu. LXXVI. art. 2. ad 2. post *Exodi* occurrit in codicibus antiqui textus, quod nempe citationem capituli reciperet; cf. etiam Praef. cit. n° 21.)

Porro, in textu Tertiae Partis codicis Q invenimus lectiones singulares, sive quae in nullo alio codice obtinent. Singulares istae codicis lectiones crisin sive emendandi propositum prae se ferunt. Citamus ex sola Qu. I:

in analysi: « Tertio utrum si non fuisset peccatum Deus incarnatus fuisset »; ita omnes praeter Q, qui post *peccatum* habet *seu homo peccator*.

art. 5. arg. 2. « in suo peccato perierunt in diversis *saeculis* »; Q mavult *sceleribus*.

ibid. S. C. « Filium suum factum ex muliere »; *factum sub lege* addit Q.

Iam duo data tenemus: petias et lectiones criticas; inde tuto ad tertium procedi posse videtur, nempe ad petiarium-correctorem. Si supponimus aliquem hominem, modis et viis petiariorum assuetum, aliquod exemplar-petias plures codices conferendo examinasse, interdum propriis viribus fisum correxisse, deinde experientias collationis in fine textus quasi in defensionem operis sui consignasse, satis explicata nobis videntur phaenomena primae dimidiae codicis Q: nova recensio, signa marginalia, et nota critica. Cum vero complexio horum phaenomenorum occurrat in Q solo (nam R non habet nisi notam et lectiones ei respondentes), causam petiarii et recensionem Q ab I et R et cetera Tertiae Partis traditione prorsus separatas esse patet.

56. – Videamus nunc de duobus locis in nota consideratis, et primo lectionem spuriam, pro qua ille invenit lectionem « fratris thome », quamvis nullibi existit nisi apud petiarium criticum sive apud notae auctorem.

Qu. LXII. art. 6. ad 3: « Et ideo melius dicendum videtur quod *circumcisio* erat signum fidei iustificantis. Unde Apostolus dicit Rom. 4. quod Abraham accepit signum circumcisionis signaculum iustitiae fidei. Et ideo *in circumcisione conferebatur gratia inquantum erat signum passionis Christi futurae, ut infra patebit* ». Haec lectio est antiquissima et universalissima et prorsus thomistica, sed « non est fratris thome », secundum crisin notatoris.

« Et ideo melius dicendum videtur quod *circumcisio*, *sicut et alia sacramenta veteris legis,* erat *solum* signum fidei iustificantis. (Hucusque lectio est recensionis I, quam petiarius adoptavit.) Unde Apostolus dicit Rom. 4. quod Abraham accepit signum circumcisionis signaculum iustitiae fidei. Et ideo *non habet in se virtutem nec conferendi gratiam nec auferendi peccatum, sed hoc fiebat per virtutem passionis Christi quam circumcisio designabat* ». Haec lectio « est fratris thome que deleta fuit de originali ». Verba pauca sunt, sed pro nostra thesi non pauca docent. S. Thomas non solet tali stylo uti: non omisisset verbum *circumcisio* ante *non habet*, et quid determinatius quam *hoc fiebat* dixisset, nec scio an *designabat* scripsisset; citatio *ut infra patebit* in lectione spuria morem S. Thomae exprimit. Insuper si lectio « fratris thome » lectionis vulgaris amplificatio esse intenderetur, talis esset qualis revera est. Ex his tuto concluditur, quod incisum *Et ideo non habet* etc. auctorem notae patrem habeat.

Sequentis loci paternitatem notator sibi ipse vindicat: « Item qu. lxviii. art. iiii. frater thomas ... dimittit spacium... sed hic est apposita illa vel alia (auctoritas) eiusdem augustini sufficiens ad arguendum propositum ut in suo loco patet ». Lectio notatoris et valebit ad manifestationem mediocris ingenii eius et praeterea demonstrat aliquam familiarem Commentarii cognitionem. Qua re quam probabilior nostra thesis fiat non opus est dicere.

Qu. LXVIII. art. 4. argumentum Sed Contra, truncum in I et antiquis codicibus, GH*b* suppleverunt ex Commentario dist. IV, qu. III, art. 2, qu[a] 1; S. Thomas utroque loco agit *de baptismo peccatoris impoenitentis.*

Commentarius: « Praeterea, secundum Augustinum, qui creavit te sine te, non iustificabit te sine te. Sed ille qui habet indispositam voluntatem non cooperatur Deo, immo magis in contrarium operatur. Ergo in baptismo non iustificatur ». GH*b*: « Sed contra est quod dicit Augustinus: qui... sine te. Sed peccator, cum habeat voluntatem non dispositam, non cooperatur Deo. Ergo frustra adhibetur sibi baptismus ad iustificationem ».

Hanc argumenti versionem ostendissent etiam QR, sed petiarius interlocutus recitat aliud argumentum, sumptum ex dist. eadem, qu. II, art. 2, qu[a] 5; ibi S. Thomas quaerit, *utrum incorporari Christo sit effectus baptismi.*

Commentarius: « Sed contra est quod Augustinus dicit ad Bonifacium quod in baptismo aliquis membrum Christi efficitur. Sed hoc est Christo incorporari. Ergo incorporatio est effectus baptismi ». QR sive auctor notae: « Sed contra est ... efficitur. Sed nullus peccator persistens in voluntate peccandi potest fieri membrum Christi, quod est incorporari Christo. Ergo huiusmodi peccator non est baptizandus, quia frustra baptizaretur ».

Plura hic observanda sunt: Primo, argumentum petiarii evidenter assumptum est ex Commentario. Secundo, iste non intellexit, verba *quod est incorporari Christo,* sive mediam propositionem syllogismi S. Thomae, in sua ver-

sione prorsus otiosa esse. Tertio, cognovit lectionem GH*b*, nam sublata inani amplificatione *huiusmodi peccator non est baptizandus*, verbatim reproducit substantiam conclusionis: « *frustra* baptizaretur ». Quarto, mirum est petiarium non fateri unde hauserit novum argumentum. Nescio an sincero et simplici animo taceat; sed nostra nunc non interest. Non dubito quin cognoverit quo loco Commentarii desumptum sit argumentum GH*b*; nam locus ille quem exscribit quin citet, et locus argumenti GH*b* quod imitatus est, in codice Commentarii per duas scripturae columnas distant invicem. Eodem spatio distat locus Commentarii quem nota explicite allegat, quasi in defensionem spatii albi in I: « hic (qu. LXVIII, art. 12) ... apposita est (auctoritas S. Augustini)... assumpta ex iiii°. eius dist. iiii, qu. viii, art. iii. », tacendo argumentum Sed Contra obtinere in tota traditione.

Si his addimus petiarium Italum fuisse (quia in nota *ag^i* scribit pro *augustini*) et corrupte transcribere (« extra caelum non est vacuum quia non est *ibi locus* » recensor I, *in loco* QR; cf. Praef. cit. n° 26), omnia data codicis Q circa personam recensoris eius exhausimus.

57. – Habemus ergo novam recensionem Tertiae Partis, scriptam supra petias. Eam tanti fecit petiarius ut, rarissimo exemplo in illa aetate, quae conferendo observaverat, per annotationem in fine textus publici iuris fecerit. Quali crisi fuerit, ostendunt interpolationes languidae, correctiones insipidae, nec rite perpensae nec dictione thomisticae. Quod in « originali fratris thome » quatuor spatia alba relicta esse fidenter asserit; quod tribus locis lectiones primaevae traditionis ex deliberata autographi corruptione natas esse credidit; quod impossibilem solutionem illam recensionis I ipsi Thomae adscribit; quod lectionem a se fabricatam, quae interpolationem sentit a longinquo, in autographo fuisse, non dico mendaciter, sed saltem coniectura audaciori et nihil haesitans affirmat; haec denotant animum non gravem et ingenium mediocre. Petiarius cito credit proprio iudicio, facile sibi esse putat officium correctoris, virium suarum conscius onus novae recensionis Tertiae et incompletae Partis Summae alacriter suscipit. Tali homini accidere potuit, ut operis imperfecti novas petias auctas vellet Additionibus ex sibi noto Commentario. Non video quid homini levis ingenii, qualem se in nota critica et in textu monstravit, obstaret ne crederet facile esse Summam ex materia praeiacente complere, et methodum Summae imitari, remque brevissimo tempore fieri posse. A tali viro expectari possunt analyses fatuae, quia vix sciebat analyzare aliud esse quam materias disputandas praenotare. Inde quod circa citationes litterae Magistri nullo consilio agit. Inde est quod prae festinatione scripturam codicis Commentarii veloci oculo partim legens partim coniecturans, calamo continue in peius ruente, omnium scriptorum pessimum se ostendit.

58. – Restat ut argumentationis ordine inverso de petiario auctore Supplementi arguamus ad petiarium recensorem Tertiae Partis. In hunc finem unum locum describemus, in ipso Supplemento peculiarem vel verius unicum. Compilator scilicet illo loco contra morem suum Commentarii redactionem data opera totaliter mutavit. Locus ergo egregie servit ad iudicandum an auctor Supplementi a recensore Tertiae Partis ingenio et stylo differat.

Qu. LXXIV (De Igne ultimae conflagrationis mundi) art. 2 (Utrum mundi purgatio sit futura per ignem) arg. 1: « Videtur quod haec purgatio non sit futura per ignem. Ignis enim, cum sit pars mundi, purgatione indiget, sicut et aliae partes. Sed non debet esse idem purgans et purgatum. Ergo videtur quod ignis non purgabit ».

Commentarius solvit obiectionem sic: « Ad primum ergo dicendum quod ignis non venit in usum nostrum prout est in materia propria; sic enim remotum est a nobis: sed solum prout est in materia aliena. Et quoad hoc poterit per ignem in sua puritate exsistentem purgari *ipse mundus* (lege *iste ignis*) quantum ad hoc quod habet de extraneo admixtum ».

Compilator corrigens: « Ad primum ... aliena. Et ideo quantum ad hoc poterit purgare mundum per ignem in sua puritate existentem; quantum vero ad hoc quod habet de extraneo adiunctum poterit purgari. Et sic diverso respectu idem erit purgans et purgatum, quod non est inconveniens ».

In redactione Compilatoris verba *per ignem in sua puritate existentem* proprium locum haberent post verbum *purgari*, quod per se patet. Hoc erratum iudicium consonat illi non minus errato, quo supra verba *quod est incorporari Christo* quamvis prorsus inutilia conservavit. Lectio vero Compilatoris: « Et sic diverso respectu idem erit purgans et purgatum, *quod non est inconveniens* », et illa alia notatoris: « Ergo huiusmodi peccator non est baptizandus, *quia frustra baptizaretur* », illa etiam singularis Q: « Utrum, si non fuisset peccatum *seu homo peccator*, Deus incarnatus fuisset », eundem amplificandi modum, eandem inanem verbositatem prae se ferunt. Nescio quid obstaret ut ab inventore huius correctionis omnes ineptas correctiones Tertiae Partis excogitatas esse putemus.

Qualis autem scientiae esset ille homo, patefaciunt sequentia specimina, quae pro coronide hoc ultimo loco subiicimus. Res pertinent partim ad usum quotidianum, partim ad scientiam naturalem; aliquod specimen iam nobis dedit: 190 b 12 vul*ne*res legerat pro vul*tu*res; vidimus n. 42. quomodo se extricet.

171 a 7 arbust*r*is QL*c*; 178 b 71 *fa*lliculis QpL*c* pro folliculis; 190 a 2 *fin*ali evaporatione QLM*c* pro *fum*ali; 200 a 7 *la*pidis QMpL pro *ias*pidis; 202 a 2 salamandr*ia* QL (b 14 Q); ibi b 14 eb*a*no QLM*c* pro eb*e*no et 164 b 72 tempest*a* QL*c* pro tempest*as*, itacismis illicitis; 210 b 6 *vi*dentibus QMpL*c* pro *ru*dentibus; 229 a 4 *in ov*ilibus QMpL pro *mon*ilibus.

117 b 13 « scit sibi non solvendum » QM*c* pro « non sit solvendo »; 210 b 66 invinci*pa*bilis QL; 227 a 17 *coniuncta*bile QpL pro *commenda*bile.

152 b 12 Ioannem *et* Damascenum QL; 154 b 9 Cassiodorensis QL*c* pro Altissiodorensis; 155 b 12 *inimi*cis QLMN*c* pro *Ninivi*tis.

Si lapsus calami est 214 a 12 « in oriente et *a*ccidente » QL*c*, non ita 199 b 63 « qui dicit *carnem* esse in caelo nihil notificat ei qui non novit nisi *carnem* qui est animal » QMpL*c* pro *canem*, et 242 a 28 « *o*pes stellas » QMpL pro *co*mpa*re*s; 216 b 3 *per vie* etatem QpL*c* pro *pervie*tatem; 216 b 70 *ca*pacitatem QpL pro *o*pacitatem; 243 a 8 *op(er)*ata QpL pro *op*aca. Excusabile sit 233 b 57 « superabundantia » QLM*c* pro « superbitertia », non veniale est ibidem lin. 68 *abl*ato QpL*c* pro *ab*aco.

Quod testibus QpL scribat 174 a 30 Empede*o*cles, 206 a 71 « in libro Hieronymi de Vir*ibus* Illustribus » et 217 a 69 « olera *vio*lentia » pro *vir*entia; item 214 a 32 t*a*lia pro t*ub*a, et 216 a 17 *lu*genda pro *au*genda, reducendum videtur ad illud curiosum phaenomenon attractionis modo soni modo contextus vicini, in quo non possumus quin significantissimum indicium videamus scriptoris distracti et male velocis.

Quo longius phaenomenis insolitis vel potius prorsus singularibus codicis Brixiensis incumbebamus, eo clarius recensor Tertiae Partis se nobis continuatorem operis imperfecti manifestabat. Si utrobique elementa a S. Thoma certe aliena seponas et per se consideres, idem eorum apparet stylus, eadem praepostera iudicandi promptitudo, eadem criseos insufficientia; accedunt eadem petiarum methodus, a quibus corrector utique non a longe indicatur, et experientia Commentarii quam prodit recensor Tertiae Partis. Haec omnia licet diversissima sint, conspirant tamen ut credamus petias Tertiae Partis et Supplementi ab uno eodemque petiario-correctore profectas esse.

Absoluta Summa Theologica, ad studium Summae Contra Gentiles Deo favente progredimur. In quo rursus occasio praebetur examinandi an eius operis traditio etiam unius tramite transcriptionis divulgatum sit. Sed ordine inverso de autographo ad traditionem arguere licebit.

DE CITATIONIBUS

Non semel diximus, S. Thomam glossas Petri Lombardi in Psalmos et in S. Pauli Epistolas constanter adhibuisse in *Summa Theologica;* hoc idem nunc affirmamus de citatis a S. Doctore glossis in Supplemento, seu in illa parte *Commentariorum in IV Sententiarum* ex qua compilatum est Supplementum Tertiae Partis. De quo si quis dubitet, consulat qu. IV, art. 1, arg. 4; qu. V, art. 1, arg. *Sed cont.*; qu. XXV, art. 1, argg. 1 et *Sed cont.*; qu. LIX, art. 2, arg. 5; qu. LXIX, art. 2, argg. 1 et 3; qu. LXXI, art. 9, ad 4; qu. LXXIV, art. 4, argg. 3 et *Sed cont.* 2; qu. LXXXVI, art. 1, arg. *Sed cont.*; qu. LXXXVII, art. 1, arg. 2, et art. 2, arg. *Sed cont.* 1; qu. LXXXIX, art. 4, arg. 1; qu. XCI, art. 2, ad 6; qu. XCIX, art. 5, arg. 4.

Opiniones et dicta B. Alberti Magni pluries in medium afferuntur in Supplemento; mori tamen tunc temporis recepto parens D. Thomas nomen eius tacet. Exempla habes, qu. VII, art. 1, arg. 4; qu. XXXIV, art. 2; qu. XXXVII, art. 4, ad 9; qu. XLIII, art. 2, ad 2; qu. XLVII, art. 1, ad 4; qu. LXXI, art. 5; qu. LXXVI, art. 2; qu. LXXVIII, art. 2, arg. *Sed cont.*; qu. LXXXII, art. 2, arg. 1; qu. LXXXIV, art. 3; qu. LXXXVI, art. 1; qu. LXXXVII, art. 3; qu. LXXXVIII, art. 4, ad 3; qu. XCVIII, art. 2, ad 1.

Cum Alexander Halensis ultra tractatum de Poenitentia *Summam* suam non perduxerit, nonnisi pauca eaque ex antecedentibus locis illius operis desumpta, in Supplemento post dictum tractatum invenies.

Quae citationibus nostris desunt, notis infrapositis supplere pro viribus nisi sumus.

Qu. I, art. 1, in corp.: « Alia (definitio) sumitur ex verbis Augustini..... quae est: *Contritio est dolor remittens peccatum* ». In libro *de Vera et falsa Poenit.* (inter Opp. Aug.), cap. XIV, n. 29, habetur: *Dolendum est et dolore purgandum.* Gratianus etiam, Append. ad can. *Si cui,* dist. I *de Poenit.*, post quaedam ex Augustino excerpta dicit: *Luce clarius constat, cordis contritione, non oris confessione peccata dimitti.*

Qu. II, art. 4, arg. 2: « Unde Hieronymus dicit, quod poena Arii nondum est determinata, quia adhuc est possibile aliquos per eius haeresim corruere ». Hoc Augustini esse dicit Autissiodorensis, *Summae* lib. II, tract. XXIX, cap. 6, part. 2, et lib. IV, qu. *de Damnatione reproborum,* cap. II; item, Halensis, *Summae* lib. IV, qu. XVII, m. 3, art. 9; S. Bonaventura, IV *Sent.*, dist. XLVI, art. 1, qu. 1; et B. Petrus Tarant. ibid., qu. IV, art. 2. Tamen non invenimus in Hieronymo, nec in Augustino. S. Basilius, lib. *de Vera virginitatis integritate,* n. 33 (Migne Patr. Gr. XXX, 738), de haereticis scribens dicit: *Sic Marcion et alii qui haeretica dogmata in hac vita seminavere, damnum inferunt, ac omnes qui ab eis hic laeduntur, gravioribus mali auctores suppliciis, etsi iam olim mortuos, illic* (sc. in inferno) *tradunt.*

Qu. IV, art. 1, in corp.: « Dicit Hugo de S. Victore, quod Deus absolvens hominem a culpa et poena aeterna, ligat eum vinculo perpetuae detestationis peccati ». Hugoni de S. Victore hoc attribuunt Halensis, *Summae* p. IV, qu. XVII, m. 2, art. 2, § 2, et S. Bonaventura, IV *Sent.*, dist. XVI, p. 1, art. 3, qu. 2, necnon dist. XVIII, p. 1, art. 2, qu. 2, qui in posteriore hoc loco citat Hugonem in libro *de Potestate ligandi.* Iste vero liber, etsi antiquitus Hugoni adscriptus, nunc a Richardo de S. Victore scriptum esse constat. Quod a D. Thoma citatur, erui potest ex capp. III, V, et XIII eiusdem.

Qu. VII, art. 1, arg. 1: « Videtur quod Augustinus inconvenienter confessionem definiat, dicens: *Confessio est per quem morbus latens spe veniae aperitur* ». Ita Augustinum definisse testantur B. Albertus, IV *Sent.*, dist. XVI, art. 16, Halensis, *Summae* p. IV, qu. XVIII, m. 4, art. 2, § 2, S. Bonaventura, IV *Sent.*, dist. XVII, p. III, art. 2, qu. 2, et B. Petrus Tarant. ibid., qu. II, art. 1. Non invenitur talis definitio in Augustini operibus, sive genuinis sive supposititiis, etsi quoad sententiam pluries apud ipsum habeatur. Quae textui citato magis conveniunt loca, in margine posuimus.

Ibid., arg. 4: « Quidam autem dicunt sic: *Confessio est sacramentalis delinquentis accusatio, ex erubescentia et per claves Ecclesiae satisfactoria, obligans ad peragendam poenitentiam iniunctam* ». B. Albertus, IV *Sent.*, dist. XVI, art. 16, dicit: *Definitur autem* (confessio) *a magistris qui praecesserunt nos sic: Confessio est peccatorum sacramentalis* etc., ut supra, omisso *Ecclesiae.*

Qu. VIII, art. 4, arg. 1: « Gregorius enim dicit: *Apostolico moderamine et pietatis officio a nobis constitutum est* » etc. Ita etiam B. Albertus, IV *Sent.*, dist. XVII, art. 40. Etsi in canone *Ex auctoritate* (24), Caus. XVI, qu. 1, Gregorio inscribatur, sumitur ex can. 3 Concilii Nemausensis, an. 1096. Vide Mansi, XX, 934.

Qu. X, art. 2, arg. 2: « Voluntas pro facto reputatur, ut in littera dicitur ». In littera, IV *Sent.*, dist. XVII, cap. 1, Cassiodoro adscribitur, et sic ponitur: *Votum enim pro operatione iudicatur.* Cassiodorus, *Exposit. in Psalter.*, Ps. XXXI, vers. 7: *Sic iudicat (Divinitas) pium votum, quemadmodum operationis effectum.* Can. *Magna pietas* (5), *de Poenit.*, dist. 1: *Votum enim pro opere reputatur;* et Augustino attribuitur ibid. Ipse *Enarr.* II in Ps. XXXI, vers. 7, dicit: *Quidquid vis, et non potes, factum Deus computat.*

Qu. XI, art. 1, ad 1: « Quidam dicunt quod sacerdos non tenetur servare sub sigillo confessionis nisi peccata de quibus poenitens emendationem promittit: aliter potest ea dicere ei qui potest prodesse et non obesse ». Halensis, *Summae* p. IV, qu. XIX, m. 2, art. 1, in casu quo quis confitetur peccatum ut est in proposito de futuro, determinat hoc modo: *Dico ergo quod non tenetur (sacerdos) celare simpliciter: nec si sacerdos talem confessionem revelaret, posset condemnari tanquam violator sigilli confessionis: tamen quia hoc quaedam species esset mala, et infamia sequeretur, propter hoc credo quod si non tenetur de iure talem confessionem occultare, debet tamen celare ratione publicae honestatis, nisi inconveniens aliquod grave sequeretur; tunc enim credo quod non esset talis confessio penitus tacenda: nec tamen publice revelanda propter periculum infamiae; sed caute et secreto alicui qui posset et vellet prodesse innotescendo.*

Ibid., art. 5, in corp. Opiniones hic a D. Thoma allatas, invenies etiam in Halensi, *Summae* p. IV, qu. XIX, m. 2, art. 2, § 2, quarum primam et secundum tam ipse quam S. Thomas reiicit, tertiam vero uterque amplectitur.

Qu. XIV, art. 3: « Quidam dixerunt quod per caritatem sequentem opera extra caritatem facta vivificantur quantum ad hoc quod sunt satisfactoria, sed non quantum ad hoc quod sunt meritoria vitae aeternae ». Hanc sententiam Magistri, IV *Sent.*, dist. XV, cap. *Quibusdam,* versus medium, et cap. *Ex his ostenditur,* S. Bonaventura, IV *Sent.*, dist. XV, p. 1, art. unic., qu. 4, *multum probabilem* esse dicit, quamvis alteram, sc. quod nullo modo vivificantur, *securiorem* esse affirmet.

Ibid., art. 4, *Sed contra*: « Augustinus dicit, quod *peccator non est dignus pane quo vescitur* ». Quod dictum Gulielmus Parisiens., lib. *de Meritis,* cap. unic., et Halensis, *Summae* p. IV, qu. XXIV, m. 4, art. 2, § 3, et art. 3, § 1, *secundum Augustinum* esse dicunt. Item Hal., *Summae* p. I, qu. XXXIX, m. 3, art. 3: *dicit Augustinus quod peccator* etc. Autissiod. quoque, *Summae Aur.* lib. III, qu. *Utrum bona opera facta extra carit. sint meritor.*, S. Bonaventura, IV *Sent.*, dist. XV, p. 1, art. unic., qu. 5, et B. Petrus Tarant. ibid., qu. III, art. 1, Augustino adscribunt. In quo tamen non occurrit.

Qu. XIV, art. 5, in corp.: « Quidam autem dicunt quod (opera bona extra caritatem facta) diminuunt poenam inferni, non subtrahendo aliquid de ipsa quantum ad substantiam, sed fortificando subiectum ut melius sustinere possit ». Hanc opinionem refutant Halensis, *Summae* p. IV, qu. XXIV, m. 4, art. 3, § ult., et S. Bonaventura, IV *Sent.*, dist. XV, p. 1, art. unic., qu. 6.

Ibid.: « Quidam etiam dicunt quod diminuitur poena quantum ad vermem conscientiae, licet non quantum ad

ignem ». Halensis, loco citato in nota praecedenti, dicit, quod (opera bona facta extra caritatem) *valent ad tolerabiliorem damnationem quantum ad vermem; quia minus cruciabitur (peccator), et minorem habebit remorsum quam si opera huiusmodi omnino neglexisset.* Idem tenet S. Bonaventura, loco proxime citato.

Qu. xv, art. 2, ad 2: « Sicut ex eodem igne, ut Gregorius dicit, aurum rutilat et palea fumat, ita etiam iisdem flagellis et boni purgantur, et mali magis infitiuntur per impatientiam ». D. Thomas, IV *Sent.*, dist. xxi, qu. i, art. 1, quª 2, arg. *Sed cont.* 1, citat Gregorium. Apud S. Bonavent. IV *Sent.*, dist. xx, art. 6, legimus: *propter illud verbum Gregorii, quod sub eodem igne electus purgatur, et damnatus crematur, in IV Dialogorum.* B. Albertus, IV *Sent.*, dist. xx, art. 7: *Dicit Gregorius, quod sicut in fornace sub eodem igne aurum rutilat et palea fumat; ita in inferno sub eodem igne damnatus crematur et electus purgatur.*

Gregorius, IV *Dialog.*, cap. xliii, dicit unum ignem inferni diversimode cruciare peccatores. Augustinus, *De Civ. Dei,* lib. I, cap. viii, n. 2: *Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat ..... ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vastat, exterminat.* Augustino igitur adiudicandum, non Gregorio.

Ibid., art. 3, in corp.: « Contra concupiscentiam carnis ordinatur ieiunium, contra concupiscentiam oculorum ordinatur eleemosyna, contra superbiam vitae ordinatur oratio, ut Augustinus dicit, *super Matthaeum* ».

Halensis, *Summae* p. IV, qu. xxv, m. 1: *Quia ergo tria sunt propter quae necessaria est satisfactio, sc. abstinentia ieiunii contra concupiscentiam carnis, erogatio eleemosynae contra concupiscentiam oculorum, humilitas orationis contra superbiam vitae: unde Augustinus: Si vis orationem tuam volare in caelum, fac ei duas alas, sc. ieiunium et eleemosynam.* Quod habet Augustinus in fine *Enarrat. in Ps.* XLII. Item, Serm. LXII, al. XXXV, olim *de Temp.* LIX (inter Opp.), ubi explicat Matth. vi, 5, dicit: *Qui vero vult orationem suam volare ad Deum, faciat illi duas alas, id est, eleemosynam et ieiunium.* Sermo iste intitulatur *De verbis Evangelii Matthaei* v *Ego autem dico vobis, Diligite* etc. S. Bonaventura, IV *Sent.*, dist. xv, p. ii, art. 1, qu. 4, citat *Augustinum in Sermone Domini in monte.*

Qu. xvi, art. 2, arg. *Sed cont.* 2: « In *Vitis Patrum* legitur a quodam Patre dictum, quod etiam Abraham poenitebit de hoc, quod non plura bona fecerit ». Invenitur in *Vitis Patrum,* lib. V, *Verba Seniorum,* libello septimo, n. 29 (Migne Patr. Lat. LXXIII. 900).

Ibid., art. 3, arg. 4: « In animabus separatis potest esse poenitentia, ut quidam dicunt ». Magister, IV *Sent.*, dist. xxi, cap. i, dicit peccata venialia post hanc vitam posse remitti. Item B. Albertus, IV *Sent.*, dist. xxi, art. 1. Quibus consentit S. Bonav. IV *Sent.*, dist. xxi, p. i, art. 2, qu. 1, etsi Halensis, *Summae* p. IV, qu. xv, m. 3, art. 3, contrarium ut probabilius teneat, plures antiquos secutus.

Qu. xviii, art. 4, arg. 1: « Hieronymus enim dicit: Mensuram temporis in agenda poenitentia non satis aperte praefigunt canones pro unoquoque crimine, ut de singulis dicant qualiter unumquodque sit emendandum, sed magis arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt ». In Hieronymo non invenitur, etsi ipsi in Decretalibus et a Magistro attribuatur. In lib. *De Divinis Officiis* (Inter Opp. Alcuini), cap. xiii, sic legimus: *Mensuram vero temporis in agenda poenitentia idcirco non satis attente praefigunt canones pro unoquoque crimine, sed magis in arbitrio antistitis relinquunt...* etc., nullo auctore citato.

Qu. xxii, art. 1, in corp.: « Presbyteri parochiales nonnisi ex commissione eis facta, vel in certis casibus (possunt excommunicare), sicut in furto et rapina et huiusmodi, in quibus est eis a iure concessum ». Idem tenet S. Bonaventura, IV *Sent.*, dist. xviii, p. ii, art. unic., qu. iii. Cf. Halens., *Summae* p. IV, qu. xxi, m. 1, art. 4, § 2, et B. Albert., IV *Sent.*, dist. xviii, art. 19.

Qu. xxv, art. 1, arg. 2: « Deus absolvendo a culpa obligat ad poenam temporalem, ut dicit Hugo de S. Victore ». Etiam B. Albertus, IV *Sent.*, dist. xx, art. 19, id Hugoni attribuit. S. Bonaventura, IV *Sent.*, dist. xviii, p. i, art. 2, qu. ii, *ex verbis Hugonis in libro de Potestate ligandi* desumptum dicit. Iste liber est Richardi a S. Victore, ut supra diximus. Cf. not. ad qu. iv, art. 1. In locis a nobis citatis in margine, nonnisi quoad sententiam apud Hugonem et Richardum invenitur.

Ibid., in corp.: « Quidam dicunt quod non valent (indulgentiae) ad absolvendum a reatu poenae quam quis in purgatorio secundum iudicium Dei meretur, sed valent ad absolvendum ab obligatione qua sacerdos obligavit poenitentem ad poenam aliquam, vel ad quam etiam obligatur ex Canonum statutis ». Sic videtur sensisse Cancellarius Parisiensis, Extra, *de Poenit. et Remiss.*, cap. *Quod autem,* teste Postillatore S. Raymundi *Summae*, lib. III, tit. XXXIV, *de Poenit.* etc., § 5.

Qu. xxviii, art. 3, arg. 1: « Voluntas pro facto reputatur ». Cf. not. ad qu. x, art. 2, arg. 2.

Qu. xxix, art. 7: « in omnibus sacramentis Novae Legis, quae efficiunt quod figurant ». Cf. not. ad P. III, qu. lxii, art. 1, ad 1.

Qu. xxxi, art. 1, arg. 2: « De quibusdam Patribus in Aegypto legitur, quod oleum ad infirmos transmittebant, et sanabantur ». Locis citatis in margine adiungi potest: Vita S. Pachomii Abb. Tabenn. (*Vitae Patrum*, lib. I), cap. xxxvi: item, Vita S. Macarii Aegyptii, *Palladii Lausiaca,* cap. ix (Append. ad *Vitas Patrum*).

Qu. xxxiv, art. 3, arg. 1: « Ordo est pars potestatis, secundum Isidorum ». Lege *Priscianum.* – B. Albertus, IV *Sent.*, dist. xxxiv, art. 3, « *Ordo enim,* inquit, *etiam secundum Grammaticos, reducitur ad potestatem, quia est pars potestatis* ». Non esse Isidori constat: vide I *Etymol.*, cap. iv, num. 16, 17, ubi de potestate et ordine tractat. Priscianus Grammaticus, lib. I, cap. *de Litteris,* habet ut citatur a D. Thoma et B. Alberto.

Qu. xxxv, art. 5, arg. 2, in margine, pro *dist. xxix* lege *dist. xxiv.*

Qu. xxxvii, art. 2, in corp.: « Quidam sufficientiam ordinum assumunt per quandam adaptationem ad gratias gratis datas, de quibus habetur I *Cor.* xii ». S. Bonaventura, IV *Sent.*, dist. xxiv, p. ii, art. 2, qu. iv, dicit, modum hunc accipiendi pluralitatem ordinum desumi ex dictis Isidori. Revera iste, VII *Etymol.*, cap. xii, novem ordines enumerat, inter quos Episcopatum et Psalmistatum: attamen nec ibi, nec in II *de Officiis,* cap. v sqq., ubi de singulis tractat, adaptationem ad gratias gratis datas invenies.

Ibid.: « Et ideo alii assignant secundum quandam assimilationem ad caelestem hierarchiam ». Hanc assignationem, teste S. Bonaventura, loc. cit. in nota praecedente, trahunt ex dictis Dionysii: quippe qui novem ordines angelorum esse docet, *Cael. Hier.*, cap. vi sqq.; ex quo inferunt novem esse ordines in Ecclesia militante sicut in Ecclesia triumphante. Autissiod. *Summae* lib. IV, tractando *de Sacramento in quo confertur gratia prerogativa,* sc. de Ordine, cap. i, dicit: *Aliorum est opinio, quae nobis magis placet, quod tot sunt ordines in Ecclesia militanti quot sunt in caelesti, sc. septem praedicti et praeterea Episcopatus et Archiepiscopatus* (falso legitur: *Archidiaconatus*). Tamen nullam adaptationem horum ad ordines caelestes apud ipsum legimus.

Ibid.: « Et ideo alii appropriant ordines septem donis, ut sacerdotio respondeat donum sapientiae » etc. Magister, dist. xxiv, cap. i, et Hugo de S. Vict., *De Sacramentis,* lib. II, p. iii, cap. 5, septem esse ordines dicunt propter septiformem gratiam S. Spiritus: sed appropriationem a D. Thoma allatam non tradunt. Invenitur apud Hugonem Rothomagensem, saeculi XII, loco a nobis in margine citato. B. Albertus, IV *Sent.*, dist. xxiv, art. 6, refert alium modum adaptationis ad septem dona, quem tamen *expositionem extortam* vocat.

Ibid.: « Et ideo aliter dicendum, quod Ordinis sacramentum ad sacramentum Eucharistiae ordinatur ». B. Albertus, IV *Sent.*, dist. xxiv, art. 5, et S. Bonaventura, ibid., dist. xxiv, p. ii, art. 2, qu. iv, distinguunt Ordines per relationem ad Corpus Christi verum et Corpus Christi mysticum: inter se tamen discordant in modo exponendi.

Qu. xl, art. 6, arg. *Sed cont.* 1.: « legitur in Concilio Constantinopolitano: *Veneramur secundum Scripturas et secundum Canonum statuta et definitiones, Sanctissimum Antiquae Romae Episcopum primum esse et maximum Episcoporum, et post ipsum Constantinopolitanum Episcopum.*

S. Thomas, Opusc. I, *Contra Errores Graecorum,* primam tantum huius partem exhibet, scilicet, *Veneramur... maximum Episcoporum,* dicitque esse in *canone Concilii* expressam. In libro Anonymi *Contra Graecos,* ab Uccellio edito, Romae 1880, parte II, *de Primatu Rom. Eccles.,* integre sic datur: *Veneramur secundum Scripturas et Canonum definitiones, Sanctissimum Antiquae Romae Episcopum, primum Ecclesiae, et maximum omnium Episcoporum; et post ipsum beatissimum Constantinopolitanum Episcopum Novae Romae dicimus habere ordinem et post Sanctissimum Apostolicum Thronum.* Liber iste a D.Thoma, iubente Urbano IV, examinatus est. Prima haec pars nonnisi quantum ad sensum habetur, can. xliv inter canones lxxxiv Nicaeno-Arabicos, quem videre est apud Mansi, II, 995.

Secunda pars, sc. *et post ipsum Constantinopolitanum Episcopum,* est ex can. iii Concilii Constantinopolitani I. Vide Mansi, II, 559. « *Constantinopolitanus Episcopus habeat priores honoris partes post Romanum Episcopum, eo quod sit ipsa Nova Roma* ». Iustinianus, *Novella* CXXXI, cap. ii, ita dicit: *Sancimus secundum earum* (sc. Synodorum) *definitiones, Sanctissimum Senioris Romae Papam primum esse omnium sacerdotum, beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos Novae Romae secundum habere locum post Sanctam Apostolicam Sedem Senioris Romae.*

Ibid., arg. *Sed cont.* 2: « Beatus Cyrillus Episcopus Alexandrinus dicit: Ut membra maneamus in capite nostro Apostolico Throno Romanorum Pontificum, a quo nostrum est quaerere quid credere et quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes prae omnibus; quoniam ipsius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, solvere et ligare, loco illius qui ipsum aedificavit: et nulli alii quod suum est plenum, sed sibi soli dedit, cui omnes iure divino caput inclinant, et primates mundi tanquam ipsi Domino Iesu Christo obediunt ».

Hoc totum invenitur in praedicto Anonymi *Libro contra Graecos,* part. II, *de Primatu Rom. Eccles., Cyrillus Alexandrinus.*

In Opusculo S. Thomae *Contra Errores Graecorum,* Ed. Uccellii, part. II, cap. xxi, § 5, habetur prima pars, sc. *Ut membra maneamus..... tenere debeamus:* et attribuitur Cyrillo in libro *Thesaurorum.*

Secunda pars, sc. *ipsum venerantes, ipsum rogantes prae omnibus,* deest apud S. Thomam ibidem.

Tertia pars, *quoniam ipsius est.... aedificavit,* invenitur in Uccellii loc. cit. § 6.

Quarta pars, sc. *et nulli alii.... dedit,* ibid. § 3. Reliqua, sc. *cui omnes..... obediunt,* ibid. § 4. Hae duae citantur ex libro *Thesaurorum.*

In editionibus S. Cyrilli nihil huiusmodi reperitur. Iosephus Methonensis, in tractatu *Pro Concilio* Florentino, cap. v, *de Primatu Papae,* num. xi (Migne P. Gr. CLIX, 1351), dicit: *Cyrillus beatus Alexandrinus Archiepiscopus in Thesauris ita scribit: « Quod oportet nos tanquam membra caput sequi, id est, Romanum Pontificem et Apostolicam Sedem, a qua debemus petere quid credere et sentire debeamus ac tenere, quia ipsius tantum est confutare, redarguere, confirmare, ordinare, solvere et ligare ».*

Ibid., ad 1: « *Pasce oves meas,* id est: *Loco mei,* ut dicit Chrysostomus, *praepositus et caput esto fratrum, ut te in loco meo assumentes, ubique terrarum te in throno tuo sedentem praedicent et confirment* ». In Chrysostomi impressis non invenitur. S. Thomas, Opusc. *Contra Errores Graecorum,* Ed. Uccellii, part. II, cap. xxi, § 4, habet: *Et Chrysostomus... dicit: « Pasce oves meas, id est, Loco mei praepositus esto fratrum »,* ceteris omissis.

In Anonymi *libro Contra Graecos* (de quo in nota praecedente), part. II, *de Primatu Rom. Eccles., Ioannes Chrysostomus,* idem legitur, excepto *epistata, id est, praepositus.*

Qu. xli, art. 4, arg. 5: « etiam primus motus in huiusmodi (sc. actus carnalis) delectationem est peccatum veniale ». Vide tom. XI Praefat., not. ad qu. xxvii, art. 4, arg. 1.

Qu. xlii, art. 1, arg. 4: « Omne sacramentum Novae Legis efficit quod figurat ». Vide notam ad qu. xxix, art. 7.

Qu. xlvii, art. 1, arg. 4: « dicit enim (Tullius) quod vis est impetus dominantis retinens rem intra terminos alienos ». Idem Tullio adscribit B. Albertus, IV *Sent.,* dist. xxix, art. 1: quod Tullii sit, nobis non constat.

Ibid., art. 3, in corp.: « Quidam autem dicunt, quod si adsit consensus, quamvis coactus, interius, est matrimonium quantum ad Deum, sed non quantum ad statum Ecclesiae ». Guillelmus Rhedonensis Ord. Praed., postillator *Summae* S. Raymundi, et S. Thomae coaetaneus, hanc opinionem dicit esse Hugutionis, Caus. XXXI, qu. i. Vide *Summ.* S. Raym. p. IV, tit. xi, § 1, postill.

Qu. l, art. unic., in corp.: « Unde versus: *Ecclesiae vetitum* » etc. Ita etiam S. Raymundus, *Summae* lib. IV, tit. ii, § 9, et B. Albertus, IV *Sent.,* dist. xxxiv, art. 2: qui tamen in fine habent *iuncta teneri.*

Ibid.: « quae his versibus continentur: *Error, conditio* » etc. Idem S. Raymundus et B. Albertus, locis citatis; S. Raymundus pro *facta retractant, iuncta retractant.*

Qu. liii, art. 2, in corp.: « est de veritate vitae, quae non est propter scandalum dimittenda ». Cf. not. ad II^{am} II^{ae}, qu. xliii, art. 7, arg. 4.

Qu. lv, art. 5, in corp.: « punctus motus facit lineam ». Est modus loquendi Platonicorum. Vide Comment. S. Th. in I *de Anima,* lect. xi.

Qu. lvi, art. 2, ad 2. In margine dele *art. 3, arg. 1.*

Qu. lviii, art. 5, arg. 2. De nota in margine, cap. *Is qui, de Regular.* etc. in Sexto, vide Friedberg.

Qu. lxv, art. 1, arg. 9: « Cum zelus sit amor non patiens consortium in amato ». S. Thomas, Comment. in I *ad Cor.,* cap. xiv. lect. 1: *Secundum quosdam zelus est « amor intensus non patiens corsortium in amato ».* Et in II *ad Cor.,* cap. xi, lect. 1: *Et ideo consuevit* (zelus) *definiri « Amor intensus »* etc.

Qu. lxvii, art. 7, in corp.: « Unde in eo (libello repudii) erat scriptum tale secundum eum (sc. Iosephum): *Promitto tibi, quod nunquam tecum conveniam* ».

Idem Halensis, *Summae* p. III, qu. xlvi, m. 2, art. 5. Iosephus, *Antiquit. Iud.,* lib. IV, cap. viii: « *scripto confirmet se non amplius cum ea rem habiturum esse* ».

Qu. lxix, art. 5, arg. *Sed cont.*: « In inferno nulla est redemptio ». Invenitur in resp. vii Offic. Defunct. et apud S. Bernard., Serm. XLII *de Diversis,* n. 5. — Anastasius Sinaita, saec. vi scriptor, *in Psalm.* VI, vers. 6. dicit: *In inferno nullus est poenitentiae locus .... In sepulchro nulla est remissio.* Glossa ex Rabano in *Eccli.* cap. xl, vers. 3: *In inferno nulla erit mitigatio.*

Qu. lxxi, art. 5, in corp.: « Autissiodorensis enim dixit, quod suffragia prosunt damnatis, non quidem per diminutionem poenae, vel per interruptionem, sed per confortationem patientis ». Idem B. Albertus, IV *Sent.,* dist. xlvi, art. 2: S. Bonaventura, IV *Sent.,* dist. xlvi, p. i, art. 1, qu. i, opinionem refert, sed auctorem non nominat. In margine scripsimus: *Vide Summ. Aur. lib. IV, de Damnatione reproborum,* ubi diffuse tractat Autissiodorensis de mitigatione poenarum infernalium; quin tamen de sententia illi hic adscripta verbum faciat. Immo versus finem secundae partis capituli, ait: *Dicimus, sine praeiudicio melioris sententiae, quod illa* (opinio) *quae dicit, quod suffragia non prosunt damnatis, probabilior est et magis consonat divinis eloquiis.*

Ibid., art. 6, arg. 1: « In inferno nulla est redemptio ». Cf. supra, not. ad qu. lxix, art. 5, arg. *Sed cont.*

Ibid., art. 8, arg. 2: « Sacramenta efficiunt quod figurant ». Cf. not. ad Part. III, qu. lxii, art. 1, ad 1.

Ibid., art. 11, arg. 2: « Sicut Augustinus dicit in libro I *de Civ. Dei, Antiquorum iustorum* » etc. Notandum est Augustinum transtulisse capp. xii et xiii lib. I *de Civit. Dei* ad capp. ii et iii libri *de Cura gerenda pro mortuis.* Quod et ipse testatur in cap. iii huius posterioris, licet de titulo *de Civit. Dei* taceat. Quod est observandum pro arg. 3 et arg. *Sed cont.* huius articuli, necnon pro respp. ad argg. 2 et 3.

Ibid., in corp.: « dicitur enim *monumentum* quasi *monens mentem,* ut dicit Augustinus in lib. *de Civit. Dei,* et in lib. *de Cura pro mortuis agenda* ». Nihil huiusmodi in lib. *de Civit. Dei,* etsi habeatur in cap. IV libri *de Cura gerenda pro mortuis.*

Qu. LXXII, art. 1. In capite articuli, *IIª IIªᵉ, qu. IV, art. 2,* corrigatur *in IIª IIªᵉ, qu. LXXXIII, art. 4, ad 2.*

Qu. LXXIII, art. 1, arg. *Sed cont.* 2: « Hieronymus ponit quindecim signa praecedentia iudicium » etc. S. Bonaventura, IV *Sent.,* dist. XLVIII, dub. 3, eadem quae S. Thomas, refert: *Dicendum* inquit, *quod ita consuevit referri, quod primo die* etc.

S. Petrus Damianus, Opusc. LIX, *de Novissimis et Antichristo,* cap. IV, haec quindecim signa ponit, dicitque se didicisse ea *B. Hieronymum referre .... Res, ergo,* inquit, *sicut ad nos pervenit, huius stylo se simpliciter inserat, ut antiquis etiam Hebraeorum populis, qui divini iudicii terror increverit, ex eorum paginis innotescat.* Petrus Comestor, *Hist. Scholast. in Evang.,* cap. CXLI: *Hieronymus autem,* ait, *in Annalibus Hebraeorum invenit signa quindecim dierum ante diem iudicii.* Sed signa a Petro Comestore allata non conveniunt quoad omnia cum iis a D. Thoma post S. Petrum Damianum datis. Lyranus Gloss. in Luc. cap. XXI, vers. *Erunt signa* etc., Petrum Comestorem citat et sequitur, quindecim ab ipso indicata signa referens, Hieronymumque auctorem nominans.

Qu. LXXIV, art. 4, ad 1: « sicut Augustinus dicit, XX *de Civit. Dei,* verba illa Psalmi (Ps. CI, vers. 26, 27) sunt intelligenda de *caelis aeriis* ».

In libro citato, cap. XVIII, Augustinus Psalmum non citat, sed exponens verba S. Petri, Epist. II, cap. III, vers. 5, 6, dicit: *Nam et illo tempore periisse dixit, qui tunc erat, mundum: nec solum orbem terrae, verum etiam caelos, quos utique istos aerios intelligimus;* et infra ait, Sanctos in conflagratione mundi *futuros esse in superioribus partibus, quo non ita ascendet flamma illius incendii, quemadmodum nec unda diluvii.* Sed cap. XXIV eiusdem lib. XX, simili modo S. Petri verba exponit, citato Psalmi illius loco de quo agitur, etsi expressione *caelis aereis* non utatur.

Ibid., art. 7, arg. *Sed cont.* 2: « Cum tamen in littera dicatur ex verbis Augustini, quod *per illum ignem purgabitur si quid in aliquibus sit purgandum* ». Magistrum citasse Augustinum quoad sensum tantum constat. Nam in lib. XVI *de Civit. Dei,* cap. XXIV, ad quem locum referre videtur Magister, dicit Augustinus, quod: *significatur isto igne* (qui nempe Abrahae apparuit, *Gen.* XV, 17) *dies iudicii dirimens carnales per ignem salvandos, et in igne damnandos.*

Ibid., art. 9, arg. 1: « Quia Malach. III, super illud, *Purgabit filios Levi,* dicit Glossa: *Duos ignes legimus futuros: unum quo purgabit electos, et praecedet iudicium; alterum qui reprobos cruciabit* ». Glossa hic posita est Ordinaria Strabi, in I *ad Cor.,* vers. 13, ubi et a Lombardo, paucis mutatis, refertur. S. Bonaventura vero, IV *Sent.,* dist. XLVII, art. 2, qu. 4, illam super Malachiae III, esse dicit.

Qu. LXXVI, art. 2, in corp.: « innituntur auctoritati Gregorii dicentis, quod *tubam sonare nihil aliud est quam huic mundo, ut iudicem, Filium demonstrare* ». In Comment. super II *ad Cor.,* cap. XV, vers. 53, S. Thomas ait: *Secundum quod dicit Gregorius, tuba nihil aliud esse designat quam praesentiam Christi mundo manifestatam.* B. Albertus, IV *Sent.,* dist. XLIII, art. 4, *Videtur,* inquit, *consentiendum Gregorio dicenti, quod tubam sonare nihil aliud est, quam mundo, ut iudicem, Filium demonstrare.* Cf. B. Petrum Tarantas., IV *Sent.,* dist. XLIII, art. 4, qui idem Gregorii esse dicit.

Qu. LXXVII, art. 1, in corp.: « Sive ponerent reditum animae ad idem corpus in fine *magni anni,* ut Empedocles ». Vide Empedoclis *Carmina e Primo Physicorum,* vers. 154–158, apud Mullachium, *Fragm. Philosophor. Graec.* Vol. I (Didot. 1883). Locus iste citatur ab Aristotele VIII *Physic.,* cap. I, n. 2: s. Th. lect. I. De *Anno Magno* fuse tractat B. Albertus, IV *Sent.,* dist. XLIII, art. 7.

Qu. LXXVIII, art. 2, arg. *Sed cont.* 1: « dicit Haymo: *Omnes in originali peccato natos tenet haec sententia, Terra es, et in terram ibis* ». B. Albertus IV *Sent.,* dist. XLIII, art. 22, idem Haymoni adscribit. Haymo autem, *Comment. super Ep. ad Rom.,* cap. V, vers. 10, sic dicit: *meruit homo audire, « Terra es, et in terram ibis », hoc est, Totus terrenus effectus es, et idcirco morieris:* et infra, ad vers. 15, loquitur de *illo peccato originali propter quod in mortem animae et corporis ruimus.*

Qu. LXXXII, art. 2, arg. 1: « I *ad Cor.* XV, dicit Glossa, quod aequaliter omnes habent quod pati non possunt ». Idem B. Albertus, IV *Sent.,* dist. XLIV, art. 15. Glossa Lombardi, ad vers. 42, « *Seminatur in corruptione* » etc.: *hoc omnes communiter habebunt, quod incorrupti erunt... « Et resurget in incorruptione », id est, immortale et impassibile.* Idem Interlinearis, paucis mutatis.

Qu. LXXXIII, art. 1, in corp.: « Dicitur in II *de Generatione,* quod subtile est *quod est repletivum partibus et partium partibus* ». Aristoteles, loco citato, habet: λεπτομερὲς γάρ, καὶ τὸ μικρομερὲς ἀναπληστικόν. Versio Latina antiqua: *Subtilium enim partium et parvarum partium repletivum.* Loquitur autem de Subtili.

Qu. LXXXIV, art. 3, arg. 4: « Augustinus dicit in *Quaestionibus de Resurrect.,* quod corpus gloriosum utraque intervalla pari celeritate pertingit, ut radius solis ». Idem Halensis, *Summae* p. III, qu. XXIII, m. 3. Verba Augustini sunt: *Ut enim radius oculi nostri non citius pervenit ad propinquiora, tardius ad longiora, sed utraque intervalla parili celeritate contingit; ita, cum « in ictu oculi », sicut Apostolus dicit, fit resurrectio mortuorum, omnipotentiae Dei et ineffabili nutui tam facile est quaeque recentia, quam diuturno tempore dilapsa cadavera suscitare.*

Qu. XC, art. 1, arg. *Sed cont.* 2: « Iob XXXVI: *Causa tua quasi impii iudicata est.* Glossa: *a Pilato* ». Idem S. Bonaventura, IV *Sent.,* dist. XLVIII, art. 1, qu. 1, et B. Petrus Tarantas., ibid. Non invenimus cuius sit: sicut nec unde provenit glossa proxime sequens.

« *Iudicium causamque recipies.* Glossa: *ut iuste iudices* ».

Qu. XCI, art. 1, arg. *Sed cont.* 3: « Unde et (homo) *minor mundus* dicitur ». Praeter locum ex VIII *Physic.* citatum, adduci potest Damasceni lib. *de Duab. in Christo Voluntat.,* n. 15, ubi idem reperitur.

Qu. XCII, art. 1, ad 3: « Sicut dicit Augustinus, Deus omnem formam intellectus nostri subterfugit ». Idem habet S. Thomas, *In Boet. de Trin.,* qu. I, art. 2, arg. 2, et Qq. *de Potentia Dei,* qu. VII, art. 5, arg. 13. In editionibus Supplementi antecedentibus perperam adscribitur Augustino *loco citato,* sc. in lib. *de Videndo Deum,* ad Paulin. Halensis, *Sum. Theol.* p. I, qu. XLVIII, m. 1, arg. 2: « sicut dicit Augustinus, quod Deus, qui omnem formam subterfugit, intellectui pervius esse non potest ». Idem S. Bonav. I *Sent.,* dist. XXII, art. unic., qu. I. — Cf. Aug. Serm. CXVII, al. de Verb. Dom. XXXVIII, cap. II, n. 3.

Ibid., art. 2, arg. *Sed cont.* 3: « Idem Hieronymus alibi dicit: Res incorporalis corporalibus oculis non videtur ». Sic refert Augustinus, epist. citata in margine, sed in Hieronymo hoc non reperimus.

Ibid., art. 3, in corp.: « Deus, videndo suam essentiam, cognoscit omnia quae sunt, et erunt, et fuerunt; et haec dicitur cognoscere *notitia visionis* ..... cognoscit insuper, videndo suam essentiam, omnia quae potest facere, quamvis nunquam fecerit, nec facturus est .... et haec dicitur cognoscere *scientia,* vel *notitia, simplicis intelligentiae* ». Guillelmus Autissiod., *Summae* lib. I, cap. *De hoc verbo* SCIRE *dicto de Deo,* ait: « *(Scire) quandoque accipitur pro simplici notitia, et sic dupliciter; uno modo significat divinam essentiam ut visionem, et per hanc essentiam scit Deus tantum ea quae fuerunt futura ... secundo modo significat divinam essentiam ut intelligentiam, sive ut scientiam largissime sumptam, et secundum hanc scit Deus omne excogitabile, sive sit, sive non sit, sive nec sit nec possit esse* ».

B. Albertus, III *Sent.,* dist. XIV, art. 1, dicit quosdam ponere in Deo *scientiam approbationis, quae tantum bonorum est; scientiam visionis, quae est eorum quorum rationes sunt apud ipsum;* et *simplicis intelligentiae, quam dicunt esse omnium quae aliquo modo existunt, ut priva-*

tiones, et eorum quae sunt in potentia. Vide aliam divisionem ab ipso allatam, I *Sent.*, dist. xxxvi, art. 10, in fine, ubi dicit quosdam distinguere scientiam *simplicis notitiae, visionis,* et *approbationis.*

Halensis, *Summae* p. I, qu. xxiii, memb. 4, art. 5, tribus modis Dei scientiam accipi docet, pro *approbatione, intelligentia,* et *visione.* S. Bonaventura, I *Sent.*, dist. xxxix, art. 1, qu. 3, dividit scientiam Dei in cognitionem *approbationis, visionis,* et *intelligentiae, sicut consuevit dici.*

Qu. xcvi, art. 2, in corp.: « virtutes *fructus* dicuntur, inquantum mentem sincera dulcedine reficiunt ». Cf. notam ad II^{am} II^{ae}, qu. cxxiii, art. 8, arg. 2, in Praefatione tom. X.

Ibid., art. 3, in corp.: « adeo ut in actu carnali, secundum Hieronymum, nec spiritus prophetiae corda tangat prophetarum ». In II^{a} II^{ae}, qu. clxxii, art. 3, arg. 3, Hieronymo *super Matthaeum* attribuitur. Hieronymus quidem, *ad Ageruch.* epist. cxxiii, n. 13, sic scribit: *Nec ducturus uxorem, nec ille qui duxerat, possunt in opere coniugali libere prophetare.* Origenes, homil. VI *in Numeros*, n. 3, dicit: *Nec tamen tempore illo quo coniugales actus geruntur, praesentia Sancti Spiritus dabitur, etiamsi propheta esse videatur qui officio generationis obsequitur.*

Ibid., art. 5, arg. 1: « dicit enim Hieronymus, quod quanto maior est difficultas ex parte quorundam a voluptatis illecebris abstinere, tanto maius est praemium ». Hieronymus in epistola citata, *ad Ageruchiam*, dicit: *ut quanto plura sunt quae impugnant pudicitiam, tanto victricis maiora sint praemia.*

Ibid., art. 6, arg. 6: « quorundam martyria in Ecclesia celebrata sunt, qui sibi manus iniecerunt, tyrannorum rabiem fugientes; ut patet in Ecclesiastica Historia de quibusdam mulieribus apud Alexandriam ».

Eusebius, *Hist. Ecclesiast.* lib. VIII, cap. xii, refert, nonnullas apud Antiochiam, periculum vitantes, priusquam caperentur.... ex sublimibus tabulatis praecipites se dedisse: ibidemque narrat quomodo sanctissima femina et duae filiae eius virgines *in profluentem se fluvium coniecerunt*, ut castitatem et fidem servarent. Has Sanctas fuisse Bernice et Prosdoce cum matre sua Domnina videtur ex S. Chrysostomo, qui homiliam in earum laudem composuit. Quarum festum apud Antiochenos habebatur die 4^{a} Octobris. S. Ambrosius, *de Virginibus*, lib. III, cap. vii, narrat de S. Pelagia cum matre et sororibus, quae apud Antiochiam mortem sibi adsciverunt ut castitatem servarent: earumque festum Ecclesia Romana die 9^{a} Iunii celebrat. Baronius, *Annal. Eccl.*, ad an. 309, suspicatur has non alias esse quam illas a S. Chrysostomo laudatas.

Ibid., ad 7: « Sicut patet de beato Sylvestro, de quo non solemnizat Ecclesia sicut de martyre, quia in pace vitam finivit, quamvis prius aliquas passiones sustinuerit ». De confessione et carcere B. Sylvestri, vide Baronium, *Annal. Eccl.*, ad an. 311.

Qu. xcviii, art. 2, arg. 1: « dicit Bernardus, *in Cantica*, quod damnatus semper vult iniquitatem suam quam fecit ». B. Albertus, IV *Sent.*, dist. l, art. 3: « dicit Bernardus, in *Canticis*, de damnato: *In aeternum non obtinebit quod vult, et tamen quod non vult in perpetuum sustinebit;* et dicit quod *vult iniquitatem quam facit in saeculo vivens* ». Bernardus nihil huiusmodi in suis *Sermonibus in Cantica* dicit: sed lib. V *de Considerat.* ait quod (damnatus) *in aeternum non obtinebit quod vult; et quod non vult, in aeternum nihilominus sustinebit.* Item, in lib. *de Gratia et Lib. Arb.*, cap. ix, loquendo de damnatis dicit, quod *non tam dolent se sibi vixisse, quam hoc ipsum non posse.*

ORDO SUPPLEMENTI CUM ORDINE COMMENTARII COMPARATUS

SUPPLEMENTUM	COMMENTARIUS
Qu.	Dist.
i, art. 1, 2, 3.	xvii, qu. ii, art. 1, quª 1, 2, 3.
ii, art. 1—6.	» » art. 2, quª 1—6.
iii, art. 1, 2, 3.	» » art. 3, quª 1, 2, 3.
iv, art. 1, 2, 3.	» » art. 4, quª 1, 2, 3.
v, art. 1, 2, 3.	» » art. 5, quª 1, 2, 3.
vi, art. 1, 2, 3.	» qu. iii, art. 1, quª 1, 2, 3.
» art. 4.	xxi, qu. ii, art. 3.
» art. 5, 6.	xvii, qu. iii, art. 1, quª 4, 5.
vii, art. 1, 2, 3.	» » art. 2, quª 1, 2, 3.
viii, art. 1—5.	» » art. 3, quª 1—5.
» art. 6.	xx, qu. unic., art. 1, quª 2.
» art. 7.	» » art. 2, quª 1.
ix, art. 1—4.	xvii, qu. iii, art. 4, quª 1—4.
x, art. 1—4.	» » art. 5, quª 1—4.
» art. 5.	xxi, qu. ii, art. 2.
xi, art. 1, 2, 3.	» qu. iii, art. 1, quª 1, 2, 3.
» art. 4.	» » art. 2.
» art. 5.	» » art. 3.
xii, art. 1, 2, 3.	xv, qu. i, art. 1, quª 1, 2, 3.
xiii, art. 1.	» » art. 2.
» art. 2.	xx, qu. unic., art. 2, quª 3.
xiv, art. 1—5.	xv, qu. i, art. 3, quª 1—5.
xv, art. 1, 2, 3.	» » art. 4, quª 1, 2, 3.
xvi, art. 1, 2, 3.	xiv, qu. i, art. 3, quª 2, 3, 4.
xvii, art. 1, 2, 3.	xviii, qu. i, art. 1, quª 1, 2, 3.
xviii, art. 1—4.	» » art. 3, quª 1—4.
xix, art. 1, 2, 3.	xix, qu. i, art. 1, quª 1, 2, 3.
» art. 4, 5, 6.	» » art. 2, quª 1, 2, 3.
xx, art. 1, 2, 3.	» » art. 3, quª 1, 2, 3.
xxi, art. 1—4.	xviii, qu. ii, art. 1, quª 1—4.
xxii, art. 1, 2, 3.	xviii, qu. ii, art. 2, quª 1, 2, 3.
» art. 4, 5, 6.	» » art. 3, quª 1, 2, 3.
xxiii, art. 1, 2, 3.	» » art. 4, quª 1, 2, 3.
xxiv, art. 1, 2, 3.	» » art. 5, quª 1, 2, 3.
xxv, art. 1, 2, 3.	xx, qu. unic., art. 3, quª 1, 2, 3.
xxvi, art. 1—4.	» » art. 4, quª 1—4.
xxvii, art. 1—4.	» » art. 5, quª 1—4.
xxviii, art. 1, 2, 3.	xiv, qu. i, art. 5, quª 1, 2, 3.
xxix, art. 1, 2, 3.	xxiii, qu. i, art. 1, quª 1, 2, 3.
» art. 4, 5, 6.	» » art. 3, quª 4, 5, 6.
» art. 7, 8, 9.	» » art. 4, quª 1, 2, 3.
xxx, art. 1, 2, 3.	» » art. 2, quª 1, 2, 3.
xxxi, art. 1, 2, 3.	» qu. ii, art. 1, quª 1, 2, 3.
xxxii, art. 1—4.	» » art. 2, quª 1—4.
xxxii, art. 5, 6, 7.	xxiii, qu. ii, art. 3, quª 1, 2, 3.
xxxiii, art. 1, 2.	» » art. 4, quª 1, 2.
xxxiv, art. 1—5.	xxiv, qu. i, art. 1, quª 1—5.
xxxv, art. 1—5.	» » art. 2, quª 1—5.
xxxvi, art. 1—5.	» » art. 3, quª 1—5.
xxxvii, art. 1, 2, 3.	» qu. ii, art. 1, quª 1, 2, 3.
» art. 4, 5.	» » art. 2, 3.
xxxviii, art. 1, 2.	xxv, qu. i, art. 1, 2.
xxxix, art. 1, 2.	» qu. ii, art. 1, quª 1, 2.
» art. 3—6.	» » art. 2, quª 1—4.
xl, art. 1, 2, 3.	xxiv, qu. iii, art. 1, quª 1, 2, 3.
» art. 4, 5, 6.	» » art. 2, quª 1, 2, 3.
» art. 7.	» » art. 3.
xli, art. 1—4.	xxvi, qu. i, art. 1—4.
xlii, art. 1—4.	» qu. ii, art. 1—4.
xliii, art. 1, 2, 3.	xxvii, qu. ii, art. 1, 2, 3.
xliv, art. 1, 2, 3.	» qu. i, art. 1, quª 1, 2, 3.
xlv, art. 1—4.	» qu. i, art. 2, quª 1—4.
» art. 5.	xxviii, qu. unic., art. 3.
xlvi, art. 1, 2.	» » art. 1, 2.
xlvii, art. 1, 2.	xxix, qu. unic., art. 1, 2.
» art. 3, 4, 5.	» » art. 3, quª 1, 2, 3.
» art. 6.	» » art. 4.
xlviii, art. 1.	xxviii, qu. unic., art. 4.
» art. 2.	xxx, qu. i, art. 3.
xlix, art. 1, 2, 3.	xxxi, qu. i, art. 1, 2, 3.
» art. 4, 5, 6.	» qu. ii, art. 1, 2, 3.
l, art. unic.	xxxiv, qu. unic., art. 1.
li, art. 1, 2.	xxx, qu. i, art. 1, 2.
lii, art. 1—4.	xxxvi, qu. unic., art. 1—4.
liii, art. 1, 2.	xxxviii, qu. i, art. 3, quª 2, 3.
» art. 3, 4.	xxxvii, qu. i, art. 1, 2.
liv, art. 1—4.	xl, qu. unic., art. 1—4.
lv, art. 1—5.	xli, qu. unic., art. 1, quª 1—5.
» art. 6, 7, 8.	» » art. 2, quª 1, 2, 3.
» art. 9, 10, 11.	» » art. 5, quª 1, 2, 3.
lvi, art. 1, 2.	xlii, qu. i, art. 1, 2.
» art. 3, 4, 5.	» » art. 3, quª 1, 2, 3.
lvii, art. 1, 2, 3.	» qu. ii, art. 1, 2, 3.
lviii, art. 1—4.	xxxiv, qu. unic., art. 2—5.
» art. 5.	xxxvi, qu. unic., art. 5.
lix, art. 1—6.	xxxix, qu. unic., art. 1—6.
lx, art. 1, 2.	xxxvii, qu. ii, art. 1, 2.
lxi, art. 1, 2, 3.	xxvii, qu. i, art. 3, quª 1, 2, 3.

SUPPLEMENTUM Qu.	COMMENTARIUS Dist.
LXII, art. 1—6.	XXXV, qu. unic., art. 1—6.
LXIII, art. 1, 2.	XLII, qu. III, art. 1, 2.
LXIV, art. 1.	XXXII, qu. unic., art. 1.
» art. 2.	» » art. 2, quª 1.
» art. 3, 4.	» » art. 3, 4.
» art. 5, 6, 7.	» » art. 5, quª 1, 2, 3.
LXV, art. 1, 2.	XXXIII, qu. I, art. 1, 2.
» art. 3, 4, 5.	» » art. 3, quª 1, 2, 3.
LXVI, art. 1, 2, 3.	XXVII, qu. III, art. 1, quª 1, 2, 3.
» art. 4, 5.	» » art. 2, 3.
LXVII, art. 1.	XXXIII, qu. II, art. 1.
» art. 2—5.	» » art. 2, quª 1—4.
» art. 6, 7.	» » art. 3, quª 1, 2.
LXVIII, art. 1, 2, 3.	XLI, qu. unic., art. 3, quª 1, 2, 3.
LXIX, art. 1, 2, 3.	XLV, qu. I, art. 1, quª 1, 2, 3.
» art. 4, 5, 6.	» » art. 2, quª 1, 2, 3.
» art. 7.	» » art. 3.
LXX, art. 1, 2, 3.	XLIV, qu. III, art. 3, quª 1, 2, 3.
LXXI, art. 1—4.	XLV, qu. II, art. 1, quª 1—4.
» art. 5—8.	» » art. 2, quª 1—4.
» art. 9, 10, 11.	» » art. 3, quª 1, 2, 3.
» art. 12, 13, 14.	» » art. 4, quª 1, 2, 3.
LXXII, art. 1, 2, 3.	» qu. III, art. 1, 2, 3.
LXXIII, art. 1, 2, 3.	XLVIII, qu. I, art. 4, quª 1, 2, 3.
LXXIV, art. 1, 2, 3.	XLVII, qu. II, art. 1, quª 1, 2, 3.
» art. 4, 5, 6.	» » art. 2, quª 1, 2, 3.
» art. 7, 8, 9.	» » art. 3, quª 1, 2, 3.
LXXV, art. 1, 2, 3.	XLIII, qu. unic., art. 1, quª 1, 2, 3.
LXXVI, art. 1, 2, 3.	» » art. 2, quª 1, 2, 3.
LXXVII, art. 1, 2.	» » art. 3, quª 1, 2.
» art. 3.	» » » quª 4.
» art. 4.	» » » quª 3.
LXXVIII, art. 1, 2, 3,	» » art. 4, quª 1, 2, 3.

SUPPLEMENTUM Qu.	COMMENTARIUS Dist.
LXXIX, art. 1, 2, 3.	XLIV, qu. I, art. 1, quª 1, 2, 3.
LXXX, art. 1—5.	» » art. 2, quª 1—5.
LXXXI, art. 1—4.	» » art. 3, quª 1—4.
LXXXII, art. 1—4.	» qu. II, art. 1, quª 1—4.
LXXXIII, art. 1—6.	» » II, art. 2, quª 1—6.
LXXXIV, art. 1, 2, 3.	» » art. 3, quª 1, 2, 3.
LXXXV, art. 1, 2, 3.	» » art. 4, quª 1, 2, 3.
LXXXVI, art. 1, 2, 3.	» qu. III, art. 1, quª 1, 2, 3.
LXXXVII, art. 1, 2, 3.	XLIII, qu. unic., art. 5, quª 1, 2, 3.
LXXXVIII, art. 1, 2, 3.	XLVII, qu. I, art. 1, quª 1, 2, 3.
» art. 4.	XLVIII, qu. I, art. 4, quª 4.
LXXXIX, art. 1—4.	XLVII, qu. I, art. 2, quª 1—4.
» art. 5—8.	» » art. 3, quª 1—4.
XC, art. 1, 2, 3.	XLVIII, qu. I, art. 1, 2, 3.
XCI, art. 1—5.	» qu. II, art. 1—5.
XCII, art. 1, 2.	XLIX, qu. II, art. 1, 2.
» art. 3.	» » art. 5.
XCIII, art. 1.	» qu. I, art. 4, quª 1.
» art. 2, 3.	» » » quª 3, 4.
XCIV, art. 1, 2, 3.	L, qu. II, art. 4, quª 1, 2, 3.
XCV, art. 1—4.	XLIX, qu. IV, art. 1—4.
» art. 5.	» » art. 5, quª 1.
XCVI, art. 1.	» qu. V, art. 1.
» art. 2, 3, 4.	» » art. 2, quª 1, 2, 3.
» art. 5, 6, 7.	» » art. 3, quª 1, 2, 3.
» art. 8, 9, 10.	» » art. 4, quª 1, 2, 3.
» art. 11, 12, 13.	» » art. 5, quª 1, 2, 3.
XCVII, art. 1—4.	L, qu. II, art. 3, quª 1—4.
» art. 5, 6, 7.	XLIV, qu. III, art. 2, quª 1, 2, 3.
XCVIII, art. 1—6.	L, qu. II, art. 1, quª 1—6.
» art. 7, 8, 9.	» » art. 2, quª 1, 2, 3.
XCIX, art. 1.	XLVI, qu. I, art. 3.
» art. 2—5.	» qu. II, art. 3, quª 1—4.

ORDO COMMENTARII COMPARATUS CUM ORDINE SUPPLEMENTI

COMMENTARIUS Dist.	SUPPLEMENTUM Qu.
XIV, qu. I, art. 3, quª 2, 3, 4.	XVI, art. 1, 2, 3.
» » art. 5, quª 1, 2, 3.	XXVIII, art. 1, 2, 3.
XV, qu. I, art. 1, quª 1, 2, 3.	XII, art. 1, 2, 3.
» » art. 2.	XIII, art. 1.
» » art. 3, quª 1—5.	XIV, art. 1—5.
» » art. 4, quª 1, 2, 3.	XV, art. 1, 2, 3.
XVII, qu. II, art. 1, quª 1, 2, 3.	I, art. 1, 2, 3.
» » art. 2, quª 1—6.	XI, art. 1—6.
» » art. 3, quª 1, 2, 3.	III, art. 1, 2, 3.
» » art. 4, quª 1, 2, 3.	IV, art. 1, 2, 3.
» » art. 5, quª 1, 2, 3.	V, art. 1, 2, 3.
» qu. III, art. 1, quª 1—5.	VI, art. 1, 2, 3, 5, 6.
» » art. 2, quª 1, 2, 3.	VII, art. 1, 2, 3.
» » art. 3, quª 1—5.	VIII, art. 1—5.
» » art. 4, quª 1—4.	IX, art. 1—4.
» » art. 5, quª 1—4.	X, art. 1—4.
XVIII, qu. I, art. 1, quª 1, 2, 3.	XVII, art. 1, 2, 3.
» » art. 3, quª 1—4.	XVIII, art. 1—4.
» qu. II, art. 1, quª 1—4.	XXI, art. 1—4.
» » art. 2, quª 1, 2, 3.	XXII, art. 1, 2, 3.
» » art. 3, quª 1, 2, 3.	» art. 4, 5, 6.
» » art. 4, quª 1, 2, 3.	XXIII, art. 1, 2, 3.
» » art. 5, quª 1, 2, 3.	XXIV, art. 1, 2, 3.
XIX, qu. I, art. 1, quª 1, 2, 3.	XIX, art. 1, 2, 3.
» » art. 2, quª 1, 2, 3.	» art. 4, 5, 6.
» » art. 3, quª 1, 2, 3.	XX, art. 1, 2, 3.
XX, qu. unic., art. 1, quª 2.	VIII, art. 6.
» » art. 2, quª 1.	» art. 7.
» » » quª 3.	XIII, art. 2.
» » art. 3, quª 1, 2, 3.	XXV, art. 1, 2, 3.
» » art. 4, quª 1—4.	XXVI, art. 1—4.
» » art. 5, quª 1—4.	XXVII, art. 1—4.
XXI, qu. II, art. 2.	X, art. 5.
» » art. 3.	VI, art. 4.
» qu. III, art. 1, quª 1, 2, 3.	XI, art. 1, 2, 3.
» » art. 2.	» art. 4.
» » art. 3.	» art. 5.
XXIII, qu. I, art. 1, quª 1, 2, 3.	XXIX, art. 1, 2, 3.
» » art. 2, quª 1, 2, 3.	XXX, art. 1, 2, 3.
» » art. 3, quª 1, 2, 3.	XXIX, art. 4, 5, 6.
» » art. 4, quª 1, 2, 3.	» art. 7, 8, 9.
» qu. II, art. 1, quª 1, 2, 3.	XXXI, art. 1, 2, 3.
» » art. 2, quª 1—4.	XXXII, art. 1—4.
» » art. 3, quª 1, 2, 3.	» art. 5, 6, 7.
» » art. 4, quª 1, 2.	XXXIII, art. 1, 2.
XXIV, qu. I, art. 1, quª 1—5.	XXXIV, art. 1—5.
» » art. 2, quª 1—5.	XXXV, art. 1—5.
» » art. 3, quª 1—5.	XXXVI, art. 1—5.

COMMENTARIUS Dist.	SUPPLEMENTUM Qu.
XXIV, qu. II, art. 1, quª 1, 2, 3.	XXXVII, art. 1, 2, 3.
» » art. 2, 3.	» art. 4, 5.
» qu. III, art. 1, quª 1, 2, 3.	XL, art. 1, 2, 3.
» » art. 2, quª 1, 2, 3.	» art. 4, 5, 6.
» » art. 3.	» art. 7.
XXV, qu. I, art. 1, 2.	XXXVIII, art. 1, 2.
» qu. II, art. 1, quª 1, 2.	XXXIX, art. 1, 2.
» » art. 2, quª 1—4.	» art. 3—6
XXVI, qu. I, art. 1—4.	XLI, art. 1—4.
» qu. II, art. 1—4.	XLII, art. 1—4.
XXVII, qu. I, art. 1, quª 1, 2, 3.	XLIV, art. 1, 2, 3.
» » art. 2, quª 1—4.	XLV, art. 1—4.
» » art. 3, quª 1, 2, 3.	LXI, art. 1, 2, 3.
» qu. II, art. 1, 2, 3.	XLIII, art. 1, 2, 3.
» qu. III, art. 1, quª 1, 2, 3.	LXVI, art. 1, 2, 3.
» » art. 2, 3.	» art. 4, 5.
XXVIII, qu. unic., art. 1, 2.	XLVI, art. 1, 2.
» » art. 3.	XLV; art. 5.
» » art. 4.	XLVIII, art. 1.
XXIX, qu. unic., art. 1, 2.	XLVII, art. 1, 2.
» » art. 3, quª 1, 2, 3.	» art. 3, 4, 5.
» » art. 4.	» art. 6.
XXX, qu. 1, art. 1, 2.	LI, art. 1, 2.
» » art. 3.	XLVIII, art. 2.
XXXI, qu. I, art. 1, 2, 3.	XLIX, art. 1, 2, 3.
» qu. II, art. 1, 2, 3.	» art. 4, 5, 6.
XXXII, qu. unic., art. 1.	LXIV, art. 1.
» » art. 2, quª 1.	» art. 2.
» » art. 3, 4.	» art. 3, 4.
» » art. 5, quª 1, 2, 3.	» art. 5, 6, 7.
XXXIII, qu. I, art. 1, 2.	LXV, art. 1, 2.
» » art. 3, quª 1, 2, 3.	» art. 3, 4, 5.
» qu. II, art. 1.	LXVII, art. 1.
» » art. 2, quª 1—4.	» art. 2—5.
» » art. 3, quª 1, 2.	» art. 6, 7.
XXXIV, qu. unic., art. 1.	L, art. unic.
» » art. 2—5.	LVIII, art. 1—4.
XXXV, qu. unic., art. 1—6.	LXII; art. 1—6.
XXXVI, qu. unic., art. 1—4.	LII, art. 1—4.
» » art. 5.	LVIII, art. 5.
XXXVII, qu. I, art. 1, 2.	LIII, art. 3, 4.
» qu. II, art. 1, 2.	LX, art. 1, 2.
XXXVIII, qu. I, art. 3, quª 2, 3.	LIII, art. 1, 2.
XXXIX, qu. unic., art. 1—6.	LIX, art. 1—6.
XL, qu. unic., art. 1—4.	LIV, art. 1—4.
XLI, qu. unic., art. 1, quª 1—5.	LV, art. 1—5.
» » art. 2, quª 1, 2, 3.	» art. 6, 7, 8.
» » art. 3, quª 1, 2, 3.	LXVIII, art. 1, 2, 3.

COMMENTARIUS	SUPPLEMENTUM
Dist.	Qu.
XLI, qu. unic., art. 5, qu^a 1, 2, 3.	LV, art. 9, 10, 11.
XLII, qu. I, art. 1, 2.	LVI, art. 1, 2.
» » art. 3, qu^a 1, 2, 3.	» art. 3, 4, 5.
» qu. II, art. 1, 2, 3.	LVII, art. 1, 2, 3.
» qu. III, art. 1, 2.	LXIII, art. 1, 2.
XLIII, qu. unic., art. 1, qu^a 1, 2, 3.	LXXV, art. 1, 2, 3.
» » art. 2, qu^a 1, 2, 3.	LXXVI, art. 1, 2, 3.
» » art. 3, qu^a 1, 2.	LXXVII, art. 1, 2.
» » » qu^a 4.	» art. 3.
» » » qu^a 3.	» art. 4.
» » art. 4, qu^a 1, 2, 3.	LXXVIII, art. 1, 2, 3.
» » art. 5, qu^a 1, 2, 3.	LXXXVII, art. 1, 2, 3.
XLIV, qu. I, art. 1, qu^a 1, 2, 3.	LXXIX, art. 1, 2, 3.
» » art. 2, qu^a 1—5.	LXXX, art. 1—5.
» » art. 3, qu^a 1—4.	LXXXI, art. 1—4.
» qu. II, art. 1, qu^a 1—4.	LXXXII, art. 1—4.
» » art. 2, qu^a 1—6.	LXXXIII, art. 1—6.
» » art. 3, qu^a 1, 2, 3.	LXXXIV, art. 1, 2, 3.
» » art. 4, qu^a 1, 2, 3.	LXXXV, art. 1, 2, 3.
» qu. III, art. 1, qu^a 1, 2, 3.	LXXXVI, art. 1, 2, 3.
» » art. 2, qu^a 1, 2, 3.	XCVII, art. 5, 6, 7.
» » art. 3, qu^a 1, 2, 3.	LXX, art. 1, 2, 3.
XLV, qu. I, art. 1, qu^a 1, 2, 3.	LXIX, art. 1, 2, 3.
» » art. 2, qu^a 1, 2, 3.	» art. 4, 5, 6.
» » art. 3.	» art. 7.
» qu. II, art. 1, qu^a 1—4.	LXXI, art. 1—4.
» » art. 2, qu^a 1—4.	» art. 5—8.
» » art. 3, qu^a 1, 2, 3.	» art. 9, 10, 11.
XLV, qu. II, art. 4, qu^a 1, 2, 3.	LXXI, art. 12, 13, 14.
» qu. III, art. 1, 2, 3.	LXXII, art. 1, 2, 3.
XLVI, qu. I, art. 3.	XCIX, art. 1.
» qu. II, art. 3, qu^a 1—4.	» art. 2—5.
XLVII, qu. I, art. 1, qu^a 1, 2, 3.	LXXXVIII, art. 1, 2, 3.
» » art. 2, qu^a 1—4.	LXXXIX, art. 1—4.
» » art. 3, qu^a 1—4.	» art. 5—8.
» qu. II, art. 1, qu^a 1, 2, 3.	LXXIV, art. 1, 2, 3.
» » art. 2, qu^a 1, 2, 3.	» art. 4, 5, 6.
» » art. 3, qu^a 1, 2, 3.	» art. 7, 8, 9.
XLVIII, qu. I, art. 1, 2, 3.	XC, art. 1, 2, 3.
» » art. 4, qu^a 1, 2, 3.	LXXIII, art. 1, 2, 3.
» » » qu^a 4.	LXXXVIII, art. 4.
» qu. II, art. 1—5.	XCI, art. 1—5.
XLIX, qu. I, art. 4, qu^a 1.	XCIII, art. 1.
» » » qu^a 3, 4.	» art. 2, 3.
» qu. II, art. 1, 2.	XCII, art. 1, 2.
» » art. 5.	» art. 3.
» qu. IV, art. 1—4.	XCV, art. 1—4.
» » art. 5, qu^a 1.	» art. 5.
» qu. V, art. 1.	XCVI, art. 1.
» » art. 2, qu^a 1, 2, 3.	» art. 2, 3, 4.
» » art. 3, qu^a 1, 2, 3.	» art. 5, 6, 7.
» » art. 4, qu^a 1, 2, 3.	» art. 8, 9, 10.
» » art. 5, qu^a 1, 2, 3.	» art. 11, 12, 13.
L, qu. II, art. 1, qu^a 1—6.	XCVIII, art. 1—6.
» » art. 2, qu^a 1, 2, 3.	» art. 7, 8, 9.
» » art. 3, qu^a 1—4.	XCVII, art. 1—4.

PARTES COMMENTARII QUAS COMPILATOR E SUPPLEMENTO EXCLUSIT

Dist.
XIV, qu. I, art. 4; qu. II.
XV, qu. I, art. 5; qu. II, III, IV.
XVI tota.
XVII, qu. I.
XVIII, qu. I, art. 2.
XIX, qu. II.
XX, qu. unic., art. 1, qu^a 1, 3.
» » art. 2, qu^a 2.
XXI, qu. I; qu. II, art. 1.
XXII tota.
XXV, qu. III.
XXXII, qu. unic., art. 2, qu^a 2, 3.
» » art. 5, qu^a 4.
XXXIII, qu. III.
XXXVIII, qu. I, art. 1, 2; art. 3.
» qu^a 1; art. 4, 5; qu. II.
XLI, qu. unic., art. 4.
XLVI, qu. I, art. 1, 2; qu. II,
» art. 1, 2.
XLIX, qu. I, art. 1, 2, 3; art. 4, qu^a 2.
» qu. II, art. 3, 4, 6, 7.
» qu. III; qu. IV, art. 5, qu^a 2, 3.
L, qu. I; qu. II, art. 4.

QUAE SEQUUNTUR COMPILATOR, QUIN OPUS ESSET, SUPPLEMENTO INSERUIT, CUM IAM IN « SUMMA » DE EISDEM MATERIIS TRACTATUM SIT

Supplementum	Summa
qu. LXXVI, art. 1.	Part. III, qu. LVI, art. 1.
qu. LXXXVIII, art. 1.	» qu. LIX, art. 5.
qu. LXXXIX, art. 8.	» » » 6.
qu. XC, art. 1.	» » » 2.
qu. XCII, art. 1.	» I, qu. XII, art. 1.
» » 2.	» » » » 3.
» » 3.	» » » » 8.



APPARATUS VARIANTIUM

Post ea quae de textu originali Supplementi disserta sunt, nemo notam lectionum singulorum codicum desiderabit. Res enim omnis agitur inter QL ex una parte et C ex altera, sive inter combinatos testes autographi Compilatoris et editionem Lugdunensem Commentarii, ideoque varietatem QL-C integram descripsimus. Ceteri, M, N, *c*, *p*, cum traditionis Supplementi testes recentissimi sint, et testimonium QL vix corroborare, certe nunquam infringere valeant, negliguntur ubi per se stant; siglae eorum cum Q vel L vel C notantur aut cum eis tacentur, nisi aliunde expediat eorum lectiones notificare. — Vera recentium utilitas surgit in dissidio inter Q et L. Ubi scilicet QM*c* vel Q*c* male legunt, scripturam erroneam Compilatoris referre, L vero et M a petiarum textu recedere credendum est; casu vero, tanto rariore, quod LM*c* errant sine Q, hic praesumendus est non habere veram textus originalis lectionem. Sic ergo M et *c* traditionis ocularis dissensum calculo suo decidunt. — Editionis *c* ratio etiam habenda erat, quia caput est omnium sequentium. Lectiones eius notavimus, non omnes quidem, sed multo plures quam suffecisset ad demonstrandum omnes editiones ex *c* exiisse. — Ex istis solam *p* notamus; ideo quid editiones inter *c* et *p* mediae habeant, apparatus non manifestat nisi inquantum signatura *cp* omnes tegit; quid posteriores habeant, in ipsis libris vulgatissimis discendum est. Ipsa *p* non notatur integra, sed locis alicuius momenti. — Codicis N vel parva auctoritas utilis est ad discrimen initiale variantium dubiarum inter QL(M*cp*) et C (cf. n. 48); ad partem scilicet quacum N facit, opinio authentiae facilius inclinabitur. Ceterum eo munere functus negligi potuit. — His si addimus plurimos neglectos esse errores scriptoris Q, facile quis intelliget quam longa lectionum differentium series in sequenti elencho suppressa sit.

Si cui tamen nimia adhuc videatur esse series, advertimus, trium rerum curam hic nobis gerendam fuisse: variantium inter Supplementum et Commentarium, errorum Compilatoris, consensus Q*c*. Illam qua possumus solertia egimus, cetera fere omnia praeterivimus. Multitudo ergo notarum non a nobis sed ab ipsa rerum conditione dependit. Et primae quidem curae fructus manebit, etiam pro completa Commentarii futura collatione, quia totus textus noster, exceptis locis in apparatu notatis, signaturam CQL tacite portat. Supplementi vero qua talis usus forsitan praeteribit, sed errorum eius notatio non illico inutilis fiet, quia uberrima et diversissima praebet exempla erroneitatis primarum transcriptionum, et vanae correctionis quam post se trahit primaevus error. Supplementum ob Compilatoris distractionem et festinationem et ob correctorum licentiam superat sub hoc respectu omnia opera quae ad primam originem prosequi potuimus, sed si his circumstantiis insolitis et feliciter raris novem partes concedimus, decima quae remanet specimen est conditionis universae textuum funditus collatorum: scriptor et satellites correctores ubique se monstrant volenti. Ideo quam insufficiens, quam superflua sit, quam longe a vero textu ducat illa corrigendi methodus, a qua tot novae editiones operum S. Thomae castigatae, recognitae et optimae vocantur, apparatus noster cum modernis Supplementi editionibus comparatus sat evidenter docebit. Ideo etiam, ut hoc obiter tangam, quam durum nobis fuerit, nostra scriptorum et correctorum experientia uti non potuisse pro duabus primis Partibus Summae (id enim tunc, nec nostra nec ullius culpa, praeventum est), sentiet cordatus criticus, rumoribus non credulus, sed aequus iudex rerum quae sunt.

Ut spatio parceremus, signaturae « QLMN*cp* » substituimus siglam S, interpretandam « Supplementi codices QLMN et editiones *cp* »; ideo sigla regit plurale: « *addunt* S ». — Ad lectiones binarias sive ubi una tantum varians notanda venit, signaturam « QL*c* » suppressimus, etiamsi siglae M et *p* vel M*p* conscribendae fuissent. Quo ergo loco nulla signatura cernitur, varians notata adest in Q et L et *c*, et fortasse etiam in M et *p*. Sed hoc solum accidit ubi omnis signatura suppressa est; nam ubi vel una sigla scribitur, aliae ex ipso *silentio* notant lectionem textus. — Quando nulla aequivocationis occasio aderat, saepe non repetimus portionem textus quam varians spectat. — Notatio iam non semper a capite lineae inchoatur. Ita brevitati indulgere et claritati non nocere sperabamus.

Siglae Q vel primum vel post C locum ideo dedimus quia codex cuius index est ipse inter alios primum locum occupat. — *Modernae* Suppl intelligantur editiones post *p*, ut pseudonyma Cornelii ab Egmond Coloniae Agrippinae 1639, Nicolai, de Rubeis, Patavinae, sed indistincte vel omnes vel aliquae vel aliqua. Idem intelligatur circa editiones modernas Commentarii post Lugdunensem qua utimur. — Quoties omnes siglae scribuntur quin post lectionem repetitam textus fons eius notetur, lectio textus a nobis profecta est. — Errores nostros et typographorum corrigimus in apparatu: confer proh dolor! iam 4 a 61 « ERGO *dele* ». — Restat ut siglas seriatim explicemus.

C — Editio Commentarii Lugduni anni 1520, tomo IV, foliis 194 v°–711.

Q — Capituli Cathedr. Brixiensis sine signatura.

L — Vat. Latin. 751.

M — » 746 P. II.

N — Urbinas 133.

c — Editio princeps anni 1478.

p — Editio Romae 1570.

S — QLMN*cp*.

omnes — CQLMN*cp*.

signatura tacita — QL*c* (QLM*c*, QLM*cp*, QL*cp*).

p, s — prima, secunda manus; ponuntur ante siglam, et signant omnes siglas codicum quas praecedunt.

hom — lectio a qua variatur est homoteleuton.

Quaestio I.

3 a 7. quinque *addidimus ex* M*p*. 33. et satisfaciendi *om*.
44. Meteor. – Metaphysicae.
48. homo totaliter affectum peccati – affectum peccati homo S. per quem – quem per.
3 b 7. diversae *om*. 16. ipsius *om cp*.
26. est compunctio et – et compunctio est.
36. dolor remittens – dolor remittentis Q. 42. eius *om* Q.
45. quae (*intellige* causam principalem quae *et cf.* qu. VII, art. 1, ad 2) – causam quae S, secundariam quae *modernae* C, concausam quae *modernae* Suppl. 48. acciderunt – accidunt S.
4 a 1. conterimur – conterimur (et LM*c*) confundimur.
2. acciderunt – accidunt S. 34. inflatio – inflammatio.
45. qui – quae. 58. nominantur – nominat Q, nominatur LMN*cp*.
61. ERGO *dele*. dicit – non dicit C*p*.
4 b 10. timor filialis – *modernae* Suppl; timor initialis *omnes*.
13. ut videtur, non potest esse – non videtur QLMN*c*.
30. materia essentialiter – materia essentiae N, materiae essentia C.

Quaestio II.

43. poenis – peccatis. 55. enim in libro – VI. libro QL*c*.
57. mortalitas – immortalitas QpL*c*.
65. poenitentialis – poenalis QLMN*c*.
8. enim – *ita modernae* Suppl; *om omnes*, *sed* CN *om hom* 9. ad appetendum ... 10. movetur. 33. duritiem – duritiam C. 5 a
15. qua – quae *cp*. 36. conteri – confiteri. 5 b
37. possit – iusta adhibita diligentia *addit p*.
38. tenet – tenetur CN*p*. 39. contingit – contigit *p*, sit L.
45. est de paupere – de paupere *antiquae* C, pauper *modernae*.
70. ruere – corruere, quibus corruentibus semper eius poena augetur CN.
71. percussit – percusserit *cp*.
2. praeterita – praeteritum C. 6 a
contritio – Et sic non est de peccato futuro *addunt* CN.
12. quia. – quae S. 29. cogitationis *om*. 35. actu – actum.
58. de *alt. loco om* QLMNc. 59. homo *om*.
65. oportet – patet C.
71. cum scriptum sit – sicut scriptum est C.
13. avertunt – avertitur. 6 b
18. Sed unus... 19 originale *hom om* Q; unus *om* LMN*cp*.
24. tantum *om* S. 32. qua – quam. etsi non – et sine QpLN.
35. oportet quod sit... 40 habet – oportet (quod *cp*)... habet conteratur S. 51. ad contritionem *om* C.

Quaestio III.

71. possit – poterit. 74. debeat – possit.
30. Ergo... 31. maximus *hom om* QLM*cp*. 7 a

44. primo – ipso S.
47. hunc dolorem excitat – *ita* sL; habet dolorem excitatur CQMpL, habens hunc dolorem excitatur *cp*, voluntarie excitatur *modernae* C.
55. Et *om*. ex ratione (*alt. loco*) *om cp*; *cf. var. seq.*
56. deliberante – deliberanti *cp*. 61. tanta – tanta et talis.
63. assumuntur – sumuntur S.
71. maxima – maximum. 75. vicino – vicio C, nocivo *modernae*.
7 b 18. est nociva sibi – nociva ei.
25. attenditur ordo malitiae – malitiae Q, malitiae attenditur MpL, malitiae attenditur quidam ordo *cp*.
32. et *pr. loco om* S. 37. de *om*.
39. minus – unus. 45. quam praecedentis culpae *om*.
48. Est etiam – Et est. 53. cavenda – vitanda C, iudicanda N.
60. tentandus – tentandum QLN*cp*.
74. Utinam – Ut.
impinguentur – impugnentur Q, pinguentur L.
8 a 13. intenso – intentio QpL, intento *c*. 14. non *om* C.
16. autem – enim C. 19. Rationabile – sit *addunt* S.
23. quantum *alt. loco om*. 31. Tertia – non QLM*cp*, regula N.
38. Paulam – Paulum *omnes*; *itidem* 8 b 6 Paulum *et* 10. ipse.
51. contritioni de peccatis – in contritione peccati S.
56. vitare *pr. loco* – vitari S. 69. quasi – *ita* N; quia CQLM*cp*.
71. nascitur in inferiori – nascitur inferior (inferiori *p*) QpL*cp*, innascitur (irascitur N) in inferiori C.
8 b 1. consideratione peccatorum – contritione S. 11. in – de QLN*cp*.
12. intensionis – sL; intentionis *omnes*.
18. diligit – appetit vel diligit CN.
potentia – *modernae* Suppl; potentia potius QL*cp*, potius CM, post eum N, *om modernae* C.
21. communitatem – caritatem Q*c*, al' caritatem pL, civitatem M.
27. tamen – tum Q, cū L.

Quaestio iv.

53. I. Ioan – Ioan. S.
9 a 10. impeditur vel retardatur – perpenditur (praepeditur LM*c*) vel retardatur QLM*c*, retardatur vel impeditur *p*.
19. in aeterno hominis – hominis in aeterno QL*cp*, in hominis aeterno M.
24. habet *om* QL*c*, *post* turpitudinem *ponit* M.
31. suae servitutis qua – servitutis quia.
34. a reatu *om* QLN*cp*. 39. de malis *om*.
40. divina providentia – divinitus a gratia vel providentia QL*cp*, divina gratia vel providentia M.
51. quandam *om*.
Et ita vera – et unde Q*c*, unde LM, et vera N, unde et *p*.
70. expresse *om* S. 72. delendum – dolendum.
9 b 14. poenitentiae virtutis – poenitentiae et virtutis QLN*cp*.
18. quantumcumque – quanto magis *modernae* C.
19. actu huius – actibus QLN*cp*, actibus huius *modernae* Suppl.
20. melius – magis melius CQLN*c*, quod magis et melius *p*, tanto melius *modernae* C; *cf.* III. P. qu. LXXX. art. 5. ε.
27. vitia *om* S. 31. Ecclesiasticus – illud Eccl. S.
59. earum – *modernae* Suppl; eorum *omnes*.
60. omnino – ideo S. 64. quia – quae QLM*cp*, qui N.
65. quia – quae.
66. meritorius – meritoria M, actus meritorius *p*.
satisfactorius – satisfactoria M.
10 a 3. a beatis – habens QL*c*, ab eis N, *om p*.
8. ei – eis S.

Quaestio v.

34. culpae – peccati. 47. causatum – tantum *cp*.
63. efficiens – sufficiens. 73. ante – ad.
10 b 9. nunquam – nullo modo S; *ita* 19 (*ubi* nunquam modo N), *sed* 15. nunquam S.
15. possit – posset. 38. sufficiat – sufficit Q, sufficiet LMN*cp*.
70. faciente – faciens. 74. adeo parvus – parvus adeo.
11 a 5. essentialiter – aequaliter S.

Quaestio vi.

31. quidditate – quantitate.
53. Praeterea ... 57 confiteatur, *vel secundum argumentum, post* 63. poenitentiae *tertium ponunt* S; *ordinem solutionum mutant* sLN*cp*.
60. seipso – re ipsa. 69. Consolatione – dicit *addit p*.
70. operam medicantis – opem medicantis S, medicinam C.
74. iudex – iudex vel actor.
11 b 2. ei *om cp*. 12. Et ideo ... 11 salutis *hom om* QLM*cp*.
22. mortale – vel mortale. 54. reducitur S. 59. non *om*.
12 a 5. ipse de se *om* QLM*cp*, de se *om* N.
dicit – dicitur *p*. 6. meum – movet QL.
12. de iure naturali institutae – de iuris naturalis institutione C.
16. dictamen – dictamina C. 20. Et – quod S.
21. cuilibet – cuiuslibet. 24. sine – sive M*p*.
36. mentiri peccatum excusando vel negando – peccatum mentiri QpL*cp*, peccator mentiri MsL, peccatum mentiri excusando N.
42. et in nova – 43 Moysi *hom om* QM.
45. enim (*ita lege pro* autem) – autem S. 50. aut – ut.
64. eis non – nec eis S.
12 b 11. omnes *om*. 16. inter – intra *cp*. 19. per *om* QM*cp*.
26. ipse *om* S. 67. alicui – aliter pL*cp*.
75. non est – requiritur.
13 a 7. agnoscat – credat N, cognoscat C. 12. hanc – habeat N*cp*.
14. ad secundum. Quia – Ad secundum dicendum quod.
17. timet – quia timet S. 21. qui aliquid – quidquid S.
25. cum dubitatione – tamen dubitative S.
31. autem – *modernae* Suppl; enim *omnes*.
32. dum – tamen C. 48. non statim *om* C, statim *om* N.
61. et *om* QLM.
68. praecipue cum – *modernae* Suppl; quod praecipue QL*cp*, cum praecipue CM, et praecipue si N. 71. si – nisi L*cp*.
73. aliquis *om*.
9. Alio – Et alio. 13 b
obligatur aliquis – obligantur aliqui S. 10. de *alt. loco om* S.
11. differendo – diffinienda QMpL, distinguenda N, differentia *c*.
25. de – in. 36. autem *om*.
48. quandocumque – quantumcumque.
49. offerretur – monstraretur. non *alt loco om* C.
61. Quia – quod.
68. est de morbo spirituali – ad morbum spiritualem S.
74. sed – et. 75. aliquis *om* QM*cp*.
7. Praecepta – peccata. Praecepta. 14 a
operationem – potentiam Q*c*, positionem LM.
27. et – et in. 34. ex ipsa *om*. 43. primo – puro C.

Quaestio vii.

67. morbus – morbos QpL. 73. causa – essentia.
6. detectio – *auctor citatus*; detestatio *omnes*. 14 b
12. definitio cum – causa CN.
13. insufficiens – et ita quod insufficiens CN.
17. peccatum – peccato. sacerdos – sacerdoti sL*p*.
27. sicut etiam iudex aliquando ... 28. iudex – sicut esse iudex M.
28. per confessionem aperitur – quod per confessionem aperitur aliquando scit aliquis ut homo quod nescit ut iudex QL*cp*.
30. in aperto sit, actus interior, qui tamen principalior est – principium est Q, in aperto est actus tamen interior qui principium est LM*cp et addito* actus exterioris *modernae* Suppl; tamen *om* N.
34. iam vivus aliquis efficitur – aliquis (quis *c*) nimis iam confitetur QLM*c*, quis vivus efficitur *p*, quia iam vivus efficitur aliquis N.
36. sine spe est praevius – sine spe et est primus QL*c*, sine spe est primus M, in spe et est praevius *p*.
37. movetur – moritur QpL*c*. timore – caritate QNpL*c*.
38. potius ponitur – ponitur Q, ponitur potius LMN*c*.
39. timor – venia CQpL*c*, veniā N. 40. qualibet *om* CN.
56. qua – quo. 71. conscientia – conscientiam QM.
74. dicitur *om* QL, est *ante* confessio *cp*.
5. ubi oportet et cui – ut oportet et cuius S. 15 a
9. in confessione *om*. 12. etiam – poene C.
24. sit – sic. 25. sacramenti – est *addit p*; *cf. var. praec.*
58. veritatis virtutem – veritatem virtutis QLM*cp*, veritatem virtutem N.
66. non pertinet *om*. elicitive – elicitive vel elective.
68. autem – ac. 69. finem – fine. 70. potest – potest ad.
75. sed – sed magis S. concausa – cum causa QM, causa L.
2. concausae confessionis *om* QLM*c*. 8. veritatis *om*. 15 b
15. quem – quam S. 16. quem – quod S.

Quaestio viii.

48. necessitatem sacramenti – necessitatis sacramentum.
49. et in – et QLN*c*.
poenitentia – Sed ministro Ecclesiae facienda est confessio *addunt* S.
53. discretius – distractius QM, districtius LN, dulcius *cp*.
61. pertinet – fit. ad sacerdotes – a sacerdotibus sL*p*.
69. quibus – quo QLMN*c*. 74. Ecclesiae *om* S.
20. dispensatorem – dispensationem. 16 a
21. quantitas poenae – poena *cp*. 27. conveniens – competens.
28. Et sic ... 29 salutis *hom om* QLM*cp*.
30. et alia praebere, scilicet – et talia praebere pertinet *p*; *cf. var. praec.*
42. poenitentiae – proprius sL*cp*. 47. conscientiae – scientiae QpL.
50. quia *ante* 51. si. 59. quia – qui C. 63. ex officio *om* S.
1. cui – cum QpL*c*. 16 b
3. tamen defectum – cum defectum QL*c*, dedefectum M, tamen effectu N, defectum tamen *p*.
14. sanctificatio – satisfactio QMNpL*c*; *ita* 15. (*Q lacunam habet*) *et* 20, *sed non* 23.
26. quod *ante* secundum QLM*cp*, *post* secundum N.
30. est *om* QMN*c*. 44. necessitate – salutis *addunt* CN.
50. Sed ... in littera *om p*; in littera *om* Q.
52. sacramentis – sacramento S. 57. et – ut.
12. Sed ... 13. constitutus *hom om* QLM*cp*. 17 a
18. praelati – papa (et M) praelati. 29. esse – est QL*c*, *om* MN*p*.
59. alio – aliis S. 75. dicebant – dicebantur.
1. non *om* QLN*c*. 17 b
12. apponendum – proponendum Q, disponendum N, opponendum *p*.
28. Nec iterum fit aliqua iniuria – Nec (Sed Q) aliqua iniuria fit etiam S. 34. confitendi – confiteri.
37. subditorum *post* confessionem QLM*cp*, *ante* N.
60. proprii iudices vel proprii sacerdotes – proprii sacerdotes vel iudices S. 63. aliquis – alicui aliquis C.
68. petat – peccat QLMN. 75. aliquando – ante.
1. sit – sit ille S. 2. alteri *om*. 3. ipse – ipsum *cp*. 18 a
27. indultum. Iurisdictionis autem – iurisdictionis indultum. Omnis autem. 32. committant – amittant. 43. eos – eas C.
50. alicui – aliter Q*c*, alteri *p*.
4. credere tenetur *(sic nem pelegendum est)* – credere debet et tenetur QLN*cp*, credere debet M. 18 b

52. Sed ... 54. constituantur *hom om* pL*c*, Si autem inaequaliter sL*p*.
66. est *om*.
12. illi – ille QL*c*, *om* M*p*. sanctificatio – satisfactio.
23. quolibet *om* QM. 26. non – nemo. in fine *om* S.
29. proprio – a proprio MN*p*. 55. consequitur – sequitur.
65. quis – quod quis QMpL. 74. sanctificatione – satisfactione.
75. alicui – alieno.
19 a 3. sua *om*.
16. cuius reatus – reatus huius quae QL*c*, huius cuius reatus M.
18. quantitatem delectationis – delectationem.
quae fuit – quod facit QpL*c*, quam facit N.
22. quae *et* 23. minus habent de culpa *om* QLM*cp*; de culpa *om* N.
33. quia – enim *addunt* QLMc.
36. sacerdoti – .s. (sed *p*) sacerdoti *cp*.
pro fornicatione *om*. 38. culpae *om*.
47. In mensuram – Mensuram QL*cp*, Mensura MN.
51. poenam – poenitentiam S.
59. Sed tamen quantum per – Secundum tamen quod QL*c*, Sed quantum ad (ad *expunxit scriptor*) per M; secundum *legit etiam p*.
60. poenam – poenitentiam S.
68. maior poena – maior poenitentia M*c et ante* pro fornicatione Q.
69. uno – eo S. 71. ideo – ratio QL. 72. unius – minus.
19 b 1. iam *om*. 3. tamen – cum. 4. haec – *om*.
16. expiabat – expiabatur S. 34. tanta – tota CN.
36. funderetur – fu'dentur Q (*pro* fūde'tur), effunderetur CN.

Quaestio ix.

47. sexdecim *om* S, *in tabula habent* QL*c*.
57. et satisfactionem *om*. 66. eadem – ea *cp*.
20 a 3. confiteri – innotescere C. 6. est et – est L, *om cp*.
17. verbis – voci vel verbis. 18. cor *om cp*.
26. confiteatur aliquis – confiteatur QL*c*, confiteantur M*p*.
39. cui – cum quo. 40. fuerit – fuerat N.
68. erubescentiae *om* C. 69. peccata *om*.
20 b 3. tantum unum peccatum – unum QLM*cp*, tantum unum N.
15. iterum *om* QLM*cp*; etiam *om* N.
22. huius peccati – peccati huius QLMN*c*, peccati huiusmodi *p*.
23. cuius fuerat oblitus *om* QLM*cp*, cuius erat peccatum N.
46. sacramenti *om* Q, *super marg. scribit* M. 54. Rom. – Io.
66. maximus usus – maxima vis S.
21 a 2. sicut ... linguae *om* QLM*cp*. 5. debeat – possit vel debeat.
17. sexdecim *om* S; *cf.* 19 b 47. 24. poni – per se *addunt* S.
26. mixtionem – permixtionem *cp*.
36. a confitente – ad confitentem.
49. confiteatur – confiteantur QL*cp*, confiteamur N.
62. debet – dicitur LMN*cp*.
70. obscuritatem – verborum *addunt* QM*cp*. 72. contra – propter.
21 b 2. concernit – concrevit QL.
8. ut scilicet statim confiteatur *om* C (*est in Coloniensi*).
14. haec conditio – hoc quod dicitur QLMc, hoc quod dicit N.
16. sed simplex – si (sed N) simpliciter S. 23. peccato *om*.

Quaestio x.

38. oblita – praeterita S.
51. poenitentiae sacramenti – sacramenti poenitentiae C.
60. ideo eodem – et in eo QL, et ideo eo M*c*, ideo eo N*p*.
69. quod *pr. loco* – quia S.
22 a 6. convertatur – convertat CQLN*cp*.
annihilatur – annihilat CQMN*c*, annihilet *p*.
29. omnia – alia CN.
41. improportionata – proportionata; M *se corrigit*.
47. eisdem – ipsis.
22 b 23. mitior – *Magister*; cautior *omnes*.
47. ea *om*. 48. alicuius – sibi QLM*c*, sui *p*.
52. per generalem confessionem – quandocumque generalem confessionem facit CN.
55. sum *pr. loco om*.
64. haeretici qui – qui haeretici Q, qui haeretici sunt *c*.
72. Plus ... potest *hom om* S.
23 a 8. et *pr loco om* QLMN*c*, *utroque loco om p*.
12. et tamen – et tunc QL*cp*, cum M, et tunc si N.
13. aliquis *om*. 16. illa – ipsa.
18. ipsius – istius QLM*cp*, illius N.
de quo – *modernae* Suppl; de qua *omnes*.
22. imponentis – expectatur *addunt* CN.
27. sicut ... 29. scire *hom om* Q.
28. gratiam habeat per certitudinem – gratiae habeat plenitudinem LM*cp*.
31. aestimare – aestimari C.
36. venerit – reduxit C, reduxerit N. 39. quae – quia S.

Quaestio xi.

55. sunt – habita sunt. 58. de licentia – delicta.
23 b 15. propter debitum pastoralis curae – pastoralis curae dignitatem.
16. Ergo ... 17. publicare *hom om* C.
19. quam audit – quam (quem *cp*) audivit.
26. alio *om*. 30. panduntur – habet.
36. se sibi – sibi se QLM. 38. confessionem – per confessionem *cp*.
immutatum – immutandum CN. 51. desinit – desit.
56. homo *om cp*. 70. humana homo – homo. eo – ea *cp*.
75. homo – hoc autem non scit ut homo *addit p*.
24 a 21. confessionem – contra confessionem.
32. Praeterea ... 34. confessione, *idest secundum argumentum*, *om* QL*c*.
33. et – quod M. 39. sigillum – sacramentum.
46. tamen alia – etiam illa C, etiam alia N.
22. alteri – aliquando QL*cp*, *om* M. 24 b
28. commune – Ecclesiae *addunt cp*.
mutari – irritari QM*cp*, recitari L. 34. malis – magnae.
36. possit – possint. 48. per – internuntium CN.
50. tenetur sacerdos – tenentur sacerdotes.
61. sacerdotem ad dicendum – eum ut dicat CN.
quod illud – ut CN. 62. tamen facere potest ille – potest CN.
70. de licentia – sine licentia. 71. notitia peccati – notio praedicta.
74. peccator *om cp*.
6. nullo modo *hom om* QL*cp*, non M. 25 a
10. qualitercumque ... 12. audit *hom om* QL*c*.
33. per hoc – hoc C.
38. ferre debet. Sed – fert si Q, fert M, fert sed L*cp*.
56. hoc *pr. loco om*. 57. et tunc – tunc.
60. et verior – communior QLM*cp*, verior N. 63. quia – quod.
13. dum tamen scandalum – veruntamen. 25 b
14. evitare nitatur – dimittere tenetur.

Quaestio xii.

21. eiusdem – eius LN*cp*.
35. omnis *om* QLMN*cp*. 36. alicui *om* S.
56. in – ipse QLM*cp*, ipso N. 60. est – dicitur S.
61. non enim – cum non QLMN*c*.
62. aliquid satisfactum – aliquis satisfieri.
67. accipit – accepit. 69. diminuere – dimittere S.
71. consentiat *om* Q, assentiat LMN*cp*.
non ratio meriti tolletur – ratio meriti non tolletur *p*, non tolletur ratio meriti N.
11. Actus autem interiores – actus interior. Sed. 26 a
12. determinantur – actus interiores determinantur M, determinatur *p*.
63. dicit – dicitur C. 70. Nulla ... 71. praecedentem *hom om* QL*c*.
71. vindicativa – in iudicativa.
11. inaequalitatem – aequalitatem. 17. ultimo – ulterius C. 26 b
21. Sed sicut ... 24. sic – Sed ... et sic QLMN*c*, Quare sicut ... sic *p*.
55. Deo *om*. 57. assignata – ordinata S.
70. videtur – dicitur *omnes*; « Forte: videtur » *notat De Rubeis*.
25. occasiones – actiones CQ. 30. medicina – medicus QpL. 27 a
36. futurum – futuro S. 41. In praeterita – In praeterito S.

Quaestio xiii.

72. aliquid domino – pro aliquo debito.
73. quidquid ... habentes – (et *p*) quidquid ... habemus C*cp*.
3. est et *om* S. 10. propter quod – quod. 21. homo *om*. 27 b
22. debita *om*. 28. ratione *alt. loco* – respectu.
29. Et sicut ... 31. peccati commissi *hom om* QLpM*cp*.
36. nisi secundum – sed S. 38. est – esset S.
39. eum – Deum.
27. conteri aut confiteri – confiteri. 30. ergo *om* QL. 28 a
34. sibi suscipit – solvit. 36. ab alio – pro alio S.
63. satisfaciendi maxime – maxime satisfaciendi.
70. alteri peccatum quod commiserat *hom om* QL*c*.
72. Nec exigitur etiam – etiam nec exigitur QL*c*, nec exigitur M*p*.
75. requiritur – non requiritur QL*c*.
4. fit impotens ... 5. per quem *hom om* QL*c*. 28 b
11. sicut – scilicet S. 20. hominis *om* S.
31. pro se satisfacit *hom om* QLM*cp*.
poenae – per se QL*cp*, poenae per se M.

Quaestio xiv.

48. de uno peccato *post* satisfacere QLM*c*; peccato *om* N.
67. ad invicem *om* S.
10. curari – evitari. 24. ei se – ei *c*, eum *p*. 29 a
33. opposita ... 35. iustitiae *hom om* QL*c*.
36. et non – et QNpL*c*, non C.
69. poenae ad culpam – culpae ad poenam S.
70. Ergo *om*. 74. satisfaciendo – satisfactione vel satisfaciendo.
26. conscientiam – scientiam *cp*. 29 b
28. omissionis – commissionis QLN*cp*.
44. attenuatus – accunuatus QpL, accuminatus *c*, attenuatur *p*.
fuerit *post* 45. tuus *ponunt* QLM*c*, *om p*; *cf. var. praec.*
55. multa *om cp*. 57. ea – eam QL*cp*, eum N.
72. quod *om*. 73. satisfactoria... 74. quae sunt *hom om* C.
8. post peccatum – post. 74. dicitur decentia – est de essentia C. 30 a
2. actus *om*. 3. per quem – quo M. 30 b
4. quem – quod. 10. bona *om* S.
24. quam quod – quam. 25. sicut *om* S.
30. nostrum *om*. 33. opus *om*.
41. Ad secundum et ad tertium dicendum quod – Ad secundum dicendum et ad (quod et Q, et M) tertium QLM.
53. duratione infinita – dura ratione infinitatis.
62. Poenae *et* per *et* mitigantur *om* CN.
64. Enchiridion – Eth. QM.
9. retrahatur – retrahitur. 31 a
11. dicitur de – de S. 18. ablatione – absolutione *cp*.
19. non *om* QpL*c*.
22. vermem – vermem scilicet LM*c*, virtutem scilicet *p*.
24. poena – poenae.

QUAESTIO XV.

60. per poenitentiam *om.*
74. habuit – habet. ad alterum – alterius.
75. quamvis *om* N. quantum *et* est *om* QLM*cp.*
31 b 5. cedat – cedit.
6. subtrahit – subtraxit QLN*cp.* 47. patientiam – iustitiam.
48. idest – et CM. 49. flagella – huius vitae *addit p.*
52. huiusmodi – huius vitae *p.*
58. habet *om* Q, *pro* etiam *legunt* L*cp*; M *om hom* 57. quando... 58. habet. 65. tantum *om cp.*
32 a 19. cum sit – sed est S.
sed delectationem – secundum delectationem LN*cp*, secum delectationem habens M. 36. sive – et S.
58. competit – Et competit. quantum *om cp.*
69. quod quaelibet – (quod N*p*) quaedam S.
32 b 11. ut *ante* in hoc S.
12. peccati commissi – peccata commissa QL.
22. omnia – omnia alia.
24. reducuntur – dicuntur QLMN*c.*
25. ad afflictionem – *modernae* C; in afflictione *omnes.*

QUAESTIO XVI.

50. coincidit – concidit QLM*c*, incidit N.
60. sanabilitas – sanitas (al' sanabil' sM).
33 a 2. Et – Sed S.
12. possibile esse aliquid – aliquid possibile QLM*cp*, possibile aliquid N.
52. pro misericordia – pro poenitentia QLMN*c.*
61. prout dicit ... non erit – dicit ... nec (non L) erit QLM*c*, dicit ... nec tamen erit N, dicit ... qui non erit *p.*
71. improprie – proprie.
33 b 28. peccato – de peccato. 42. et – ex S.
47. ei *om* S. 59. susceptivi – subiectum S.

QUAESTIO XVII.

34 a 24. ad introitum caeli – ad introducendum in caelum C.
27. claudit... aperit *om.* 37. mysteriorum *om* S. 43. Regni *om.*
54. ministris – in ministris CN.
56. est collata – manet *post* 55. aliqua C.
64. ideo Ioannes – ideo. 66. contrahit – contraxit S.
34 b 1. peccatum – peccato *cp.*
2. gratia sustentatus – gratia sustentatur QLM*c*, sustentatum se N, *om p.* conferre – conferendi.
5. quem – quam QLMN*c.* 6. homini *om.*
8. non in instanti ... 9. poenae qui *hom om* Q.
in instanti – statim LMN*cp.* 11. ut quidam dicunt *om.*
20. Hieronymi – Io. ii QL, Hiero 2 *c.*
52. ut quantum ad hunc aperiat – quantum ad hoc ut aperiat (tali *addit p*). 53. idoneitate – ex idoneitate.
58. actus materialis clavis – materialis clavis Q, actus materialium clavis (clavium *p*) *cp.*
60. dignitas – dicit dignitas CQLN*cp*, dicit dignos et indignos quia dignitas *modernae* Suppl. 64. calor *om* S.
66. ideo eadem potestas – iam eadem potestas Q, iam autem potestas eadem *c*, ideo una potestas eadem *p.*
35 a 12. totaliter *om cp.* 13. respicit – recipit *omnes.*
34. Sed ... 35. ordinatis – et ... ordinatio habetur C.
41. respiciens – recipiens *cp.*
58. nec ... 59. nisi – unde ... eo quod. 63. clavis *post* requirit.
67. et ipso – ex ipso. et ad – ad QLN*c.*
69. sunt – distinguuntur C. 72. ex officio – ad officium.
35 b 6. sera – clavis CQLN*cp.* 10. hic – haec C*cp.*
28. est iudex habens – iudex secularis habet habens Q *et omisso* habens LMN*cp.*
31. quos – quod S. 33. ideo – et ideo QNpL*cp.*

QUAESTIO XVIII.

61. ligare et *om* QLMN*c.* 72. tantum *om.*
36 a 6. sua – illa. 15. interiori – interiorum.
26. coniunctim – coniunctum QpL*p.*
42. non potest – quia non potest QL, quod non potest *c*, quia non possunt M. 58. et aqua – in aqua QLMN*c.*
64. et *alt. loco om.* 71. perfecte *om* QLMN*c.*
36 b 3. culpam ... 4. ordinantur ad *hom om* QLM*c.*
3. culpam – culpae dimissionem *p.*
7. videretur – videtur QLMN*c.* 15. operentur – operetur.
19. praesentem – poenitentem QL*c*, resentem M, potestatem *p.*
21. gratiae ... 22. collatione *hom om* QLMN*c*, gratiae *p.*
dat – datam S; *cf. var. praec.*
29. operentur – operetur. 35. disponant – disponunt.
61. effectus *om.* 64. adeo – aliquod C. debeatur – debebatur.
37 a 1. ligandi et solvendi – ad ligandum et solvendum C.
17. illi – ille CQLMN*c.* 21. ex – et ex QLMN*c.*
24. regeneratur homo configuratus C. 34. Ideo *om.*
38. habet vel suscipit ab ea poenitens – hic poenitens habet QLM*cp*, habet poenitens N. in confitendo – in poenitendo QLMN*c.*
42. minus – aliquid minus S. puniatur – punitur.
56. debitae – debita. 66. confessoris – sacerdotis vel confessoris.
37 b 5. vi clavium – aliquid in clavium potestate QL*c*, aliquid vi clavium MN*p.*
8. minor – maior. 13. inconveniens – conveniens QpLM.
28. quia ... 29. non potest *hom om* QL*c.*
46. etsi in – et sū QpL, et sive *c.*

48. dicto – praedicto *cp.* 50. ligare *om.*
52. ad – quantum ad. 74. statuunt – statuitur.
3. pronus *om* S. 22. Dei *om* S. 38 a
31. si quis *(sic enim legendum)* – si.
40. competunt omnibus *lege pro* omnibus competunt.
41. regulatum – regula QL, regulati M*cp.*

QUAESTIO XIX.

66. usum clavium – claves vel usum earum S.
1. ipsi habuerunt – habuit. 38 b
5. ad utramque – ad utrumque QLM*c*, ad utramque potestatem *p*; *cf. var. seq. c.*
habuerunt auctoritatem – potestatem habuerunt QL, potestatem habuerunt auctoritatem *c.* 12. potuit *lege pro* potest.
15. potest *(sic enim legendum)* – potuit S.
60. per se *om* QLMN*c.* 63. in *alt. loco om* S.
68. altero – altiori *p.* 73. derivata – derivata est QL.
75. characterem – tantum *addunt.*
47. electi – clerici C; *ita* 44 b 28, *sed non* 51 a 12. 39 a
58. quae etiam – quod QLM*cp*, quod etiam N.
61. et ut – ut et *modernae* C *et* Suppl., et ubi (*om* ipsi)N.
65. multi in diversis officiis – in multis officiis diversis multi.
12. etiam si non habeant – si (etsi *p*) non habeant etiam. 39 b
22. sacerdotibus – eius *addunt.*
32. Cum ergo in actu clavium – Ergo cum in actu.
41. propter hoc – hoc QLMpN*c*, ideo *p.*
56. merente – immediate. huiusmodi – meretur huiusmodi C.
68. Spiritus Sancti donum – Spiritus Sanctus QLN*c.*
74. per peccata – pro peccato QLM*c*, per peccatum *p*, peccatores N.
13. Ergo – Ergo pravi sacerdotes *p.* 40 a
26. sit per peccatum gratia privatus per quam – sit gratia per peccatum privatus per quam gratiam S.
34. hosti eius dispensationem – dispensationem hosti eius QLMN*c*, dispensationem hosti *p.* 52. quem – qui QLMN*c.*
64. suspensi et *om.* 73. oporteret – oportet.
15. praedictis *om.* 40 b
21. ideo etiam – etiam ideo QL*c*, etiam in Deo M, ideo *p.*
25. quo – quod. 31. praelato *om* CN. 38. sed – scilicet.

QUAESTIO XX.

49. semper – per Q. suum *om.* 60. Domini – divina S.
61. quae dicit – quam dixit QLN*cp*, qua dicit M.
63. dixit de omnibus. Ergo habens clavem indeterminate – dictum (datum N) est. Ergo S. 67. cuiuslibet – cuiuscumque N*cp.*
69. quoscumque – quosdam Q, quoslibet LN, quosque *c.*
11. post – per Q*cp*, patet per M. 41 a
17. praesunt ponuntur – praesunt praeponuntur S.
23. distinctam potestatem – diversam potestatem et distinctam S.
47. etiam *om* S. 51. clave *om.*
55. sicut – sicut nec tunc Q, sicut nec nunc LM*c*, sicut nunc N*p.*
61. semper – super QpL. quae in – quem QpL.
1. competebat – competebant. 41 b
35. 36. 37. deberet – debet QLM*cp et* N *excepto tertio loco.*
9. petat – peccat *cp.* 35. qua ipse – qua QLN*c*, quamvis L. 42 a

QUAESTIO XXI.

71. sicut pro ... Ecclesiam sunt *hom om* S.
25. legitimis *om.* 42 b
26. legitimi actus et licita communio – communicationes *modernae* Suppl.
39. vel legitimo actu – fidelium QLM*cp et modernae* Suppl., fidelium actu N; *pro* vel, *quod* C *om*, ac *modernae* C.
70. convictu – fructu.
27. autem – enim S. 43 a
28. uno modo *ante* ut. flagellis castigando *om* S.
41. quod *alt. loco om.* 50. boni – honoris.
51. poenam – sententiam.
26. temporalibus – *modernae* C; mortalibus CQ*c*, moralibus LMN*p.* 43 b
38. obedire *om* S. 69. iste iuste – iuste.
1. Si autem – excommunicatio *addunt.* 44 a
19. culpas – culpam N*cp.*
20. etiam iniuste – iniuste QM, etiam iuste LN.

QUAESTIO XXII.

46. ea *om* QLM*c*, c̄ N.
57. excommunicati *om* S. 67. iurisdictionis – privatio *addit* C. 44 b
4. est *om.* 19. pro aliquo – aliquid S. 45 a
20. fecit – faciat M. 48. superior *om* CN. 49. non *om.*
5. Et si sit – Et sic. 8. ita tota – tota. 45 b
13. simul eradicetur et – eradicetur QLM*cp*; simul *om* N.
14. patet – dicendum quod patet S.
19. ponitur sub – supponitur CN. peccato – peccatis C.
regis – regni. 26. dicit – dicit enim. 34. et – ut S.
35. poenae omnes et – poenae omnes QLM*c*, poenae ut N, pene *p*; C *om* medicinale remedium sed poenae omnes et.
40. ut vel sic – ut sic QLM*cp*, et ut sic vel N.

QUAESTIO XXIII.

4. licet ... communicare – iam (ut videtur N) ... communicare licebit S. 19. licite – licite potest QLM*cp*; *cf. var. seq.* 46 a
20. potest et etiam – potest etiam et LM, potest etiam *p.*
30. contradicunt – contrarium dicunt S. 41. utile – utilitas S.

49. communio ut *om* Q; communio *om* LM*cp*.
69. aliquem – alium.
46 b 5. fideles *om* QL*c*, et fideles M.
21. peccet – peccatum Q, peccare M.
44. pro participatione – participatione QM*c*.
54. multis excommunicantes – multi excommunicantes QLM*c*, multis communicantes *p*.
56. quod non semper – semper non Q*p*L*c*, quod semper non M*s*L.
71. venialiter – mortaliter *c*, mortaliter non *p*.
47 a 3. Et propter hoc – *modernae* Suppl; per hoc Q, Et per hoc B.

Quaestio xxiv.

7. 9. ab excommunicatione *addidimus ex p*.
37. qui tulit – qui contulit QM. 40. scilicet *om* S.
60. excessus *om*. 69. tertiam – trinam CN.
47 b 49. aliquis *om* QLMN*c*, quis *p*.
68. in causa qua quis – in causa quis QL, cum quis M*cp*.
74. absolutionem eius – excommunicationem suam C.

Quaestio xxv.

72. statutis – institutis.
48 a 1. quantum ad – ad S. 13. sustinuerunt – sustinent QLN*c*.
48 b 26. passionum – passionis S, passioni C.
27. Coloss. I – II Cor. I. CQMN*p*L*c* 32. si – si ei *omnes*.
35. quantitatem – causalitatem QLMN*c*. 47. Et *om* S.
49 a 5. et iterum tertium – et iterum QM, etiam iterum L, etiam iterum tertium *cp*.
17. quam – quod Q*p*L.
44. valde – valde esse QLM*c*, esse valde N*p*.
53. dantis – recipientis S. minus – nimis S.
54. recipientis – dantis S. nimis – minus QL*cp*.
55. aestimationem – iustam aestimationem S.
56. iusta est – iusta QL*c*, est iusta M.
62. mendacio – Ecclesiae *addunt* QL*c*.
49 b 19. semper *om* S.
26. in generali ... 28. Ecclesiae *hom om* QLM*c*; in generali *et* Ecclesiae *om p*.
28. et honorem – et ut ad honorem QLM*c*; *cf. var. praec*,
36. nihil – non. 62. indeterminate – determinate.
69. obolum – oliolum Q, obulum M*c*.
50 a 3. absolutionibus, illis – illis absolutionibus QL*c*, vel absolutionibus M, illis absolutionibus illis N. 4. aliis *alt. loco* – alii QLM.
17. continuatur – communicatur S. 34. Ecclesiae *om cp*.
39. simpliciter ... 40. temporalibus *hom om* QLM*c*.
41. repressio – etiam repressio Q*p*L*c*, est repressio M*s*L*p*.
42. sicut – vel sicut *modernae* C.
43. eleemosynarum – *addunt* collatio *modernae* C, largitio *modernae* Suppl.

Quaestio xxvi.

72. aliqua *alt. loco om*.
50 b 20. congregationi – congregationem QM.
28. congregationis – communis QLM*c*, communis congregationis *p*.
31. congregationi – potest communicare *addunt cp*.
32. huius hominis – huius Q*s*L*c*, huiusmodi M*p*L.
57. causarum – Ecclesiarum.
63. Unde – Unde hoc QLM*c*, Unde huiusmodi N.
51 a 30. in iure *om* QLM. 31. qui est conditor iuris *om*.
38. solos – solus QLM*c*, *om p*. 64. aeque valent – aequivalent.

Quaestio xxvii.

51 b 35. nisi cui – cum Q, nisi cum M*p*L*cp*.
36. culpae ... 37. remissionem *hom om* QL*c*.
43. determinate – determinare *c*, determinantur *p*.
52 a 54. tantam indulgentiam – tantam (tantum *p*) indulgentiam quantum QN*p*L*cp*.
62. iurisdictionis – sicut nullus potest se excommunicare *addit* C.
66. peccare – peccaret S. 67. absonum – absurdum N.
52 b 4. utilitatis – *ita modernae* Suppl; utilitatis propagatione CQLMN*cp*, utilitatis procurandae *modernae* C.
12. accipit *om* S. 20. datur *om*.

Quaestio xxviii.

25. 27. solemnitate – solemni ritu S; *cf.* Praef. n. 11.
33. de ritu solemnis poenitentiae – utrum publica sit imponenda poenitentia S, *cf. ibid.*. 56. quod – quorum.
53 a 9. peractam *om* QLM.
15. ordinea ... 16. ordines *om* QLMN*c*; ordines *om p utroque loco*.
41. significationem – quia est figura expulsionis hominis de paradiso quae est semel tantum facta *addunt* CN*p*.
43. ideo *om*. solemnitati – solemnizati QL*c*, solemnizationi M.
48. iteratur – operatur. solemnitati – solemnizati QL*c*.
50. ratione criminis *om* QLMN*c*.
57. sit – solemnis poenitentia *addunt p et post* imponenda N.
67. claves *om* QLMN*c*. 71. tales poenitentes *om*.
53 b 1. aqua benedicta aspersa – aquam benedictam aspergit (spargit C) CN.
3. eis – eos Q*c*. quod – quia. 12. episcopo *om*.
24. loquuntur – loquebantur QL*cp*. 35. maiori – magna.

Quaestio xxix.

11. est – est eius. 27. hunc – praedictum *addunt* S. 54 a
34. disponit. Et – disponitur S. 40. ibi *om*.
62. etiam eadem vice; et materia pluries inuncto adhibetur – etiam in eadem vice et materia; pluries scilicet inunctio adhibetur QLM*c*, etiam in eadem vice et materia, pluries cum inunctio adhibeatur *p*; inunctio *etiam* CN.
7. Ergo – Ergo et primum. Ergo. 19. perfectam *om*. 54 b
37. est *pr. loco* – sunt. 52. parte facta – parte perfecta S.
1. ab ipso Deo – ab eo QLM*c*, a Deo N*p*. 55 a
12. in eis confertur – est in eis, conferri.
13. institui – nec institui *p*. 15. haec ratio – hoc *cp*.
23. fundamentum – fundamenta. 28. enim *om*.
33. unctionis – vel confirmationis *addunt* CN; *mox* sunt *et* pertinent C, est *et* pertinent N.
53. in – est in *cp*. 54. esset – esse *p mutata interpunctione*.
66. quod – quod dicetur *cp*. 73. curatio – sanatio S.
5. cum alii ... 6. accipiant – alii tamen ... accipiunt S. 55 b
7. assumitur – assumunt. 16. mordicando – mordendo.
22. exeuntes – euntes. 29. sanctificationem – significationem.
42. requirit – requiret. 44. simplex est – est simplex QLMN*c*.
62. infirmitatem – infirmitates S.
66. prima sanctificatio est materiae – prima (primae *cp*) materiae sanctificatio est.
70. efficaciam *om*. accipiunt – accipiuntur *p*; *cf. var. praec.*
10. nunquam ... 11. dignior *hom om* QL. 56 a
12. quam quae materiam praeparat – ea quae praeparat QL*cp et addito* materiam M.
14. illo hoc. 27. prima – prius S.
41. autem – *om*. 50. cuius – eius S. 52. quoddam *om* S.
6. consistit ... 8. novae legis *hom om* QL*cp*. 56 b
14. effectui – effectum QM*c*; L *lac*. 19. praeterea – prima.
35. dicuntur – dicitur S.
56. Sed intentio conferendi sacramentum *hom* – quae QLM*cp*, qui N.
64. forma – formae QM*c*. 69. deliquisti – peccasti.
74. praedicta oratio – oratio deprecativa QLM*c*, deprecativa *p*.
8. desinunt – desunt QM*p*L*c*, desint N. 57 a
12. operatione – oratione. 14. transsubstantiatione QL.
28. ponitur in – imponitur in. 32. formae S. quaedam *om*.
48. hic – huius QL, *vel* haec L.
65. miseriam – misericordiam Q*p*L, miserias M.
72. ut ex dictis patet. *Cf.* Praef. n. 18.

Quaestio xxx.

8. peccatorum – omnium peccatorum QLM*cp*; *pro* N *cf.* Praef. n. 22. 57 b
18. peccatorum – omnium peccatorum. 54. medicatio *om* Q*p*L.
64. hoc robur – hic robur Q, hoc M.
67. obex ex – obex Q*p*L, obes ex *s*L, obstaculum N.
68. supra – ut supra QLMN*c*.
71. Non enim – Non QM*p*L*c*, Non autem *s*L, Unde non N.
8. principalis – principaliter. 25. reatum – reatus QLMN*c*. 58 a
26. diminuit – dimittit C*p*. 37. Et ideo – unde Q, ideo LM*c*.
55. sanatio – sanationis *vel* sanatio quasi *modernae* C *et* Suppl.
62. effectum – effectus. 66. efficit, significat – significat, efficit.
69. corporalem *om*.
74. scilicet corporalem – corpora se Q, corporalem L.
2. semper eam – eam *vel* causam Q, corporalem mundationem *supra ras.* L. 58 b
4. rationabiliter – racio tl (tibi) QL.
11. obiectio – ablutio Q*c*, sanatio *supra ras.* L, obiecta N, argumentatio *p*. 12. sanitas *om*.
16. ut dicetur. *Cf.* Praef. n. 18.
34. in hoc sacramento – in hoc Q, et in hoc LMN*cp*.
37. Hoc autem iteratur *hom om* QLM*c*.

Quaestio xxxi.

4. Patribus – presbyteris. 53. autem etiam – etiam S. 59 a
67. sacerdos *om* S.
2. quae – qui *cp*. 3. ponunt – ponit QLN*c*. 59 b

Quaestio xxxii.

18. de his *dele*.
27. hoc sacramento – hm̄tiū Q, *om* LM.
47. sicut illi qui decapitandi sunt *hom om* QLM.
49. quis – *om*. 58. curatio – huius sacramenti *addunt* S.
64. existens *om* QL. 65. dicendum – ergo patet *cp*.
66. ablutioni subiici – ablutionis subiici Q*p*L.
67. illorum tantum *om*.
6. quod etiam – etiam quod S.
sacramentum – similiter offerri debeat *addit p*. 60 a
10. non omnibus infirmantibus – in omnibus infirmitatibus QLM*c et addito* non *p*; infirmitatibus *etiam* N.
22. infirmitatis – infirmitatibus Q, infirmantibus L, infirmitas *c*.
37. in remedium infirmitatis – remedium sanitatis.
42. dandum *om* QL, *post* 43. ipsum *ponunt cp*.
53. sacramenta – sacramentum S. 54. posset LM*cp*.
60. motum – motus.
quia ... 62. arbitrii *hom om* QLM*cp*.
10. Ad primum *etc.* Ad secundum *etc.* – *modernae* Suppl; *ordinem solutionum invertunt omnes praeter* N, *qui inter scribendum or-* 60 b

dinis mutationem advertit, nam sic habet: Ad primum ergo dicendum quod (non datur *expungit*) infirmitates *etc.*
25. toto *om.* 66. mentis *om* QM*cp*.
72. in renibus viris – in viris in renibus QM*cp*, in viris *(sequitur linea in spatio septem litterarum)* L.
61 a 14. praecipue – praecipue maxime QLM.
15. Sed – Et S. a quibusdam – aliquibus.
22. secundaria – secundi C, secunda QLMNc.
27. totius ... 28. remota *om p.* 35. appetitus *om* S.
38. peccati *om.* 57. aliquod aliud – ad illud.
60. inungi – etiam inungi. quam – quanto QM*cp*.
63. tamen *om.*

Quaestio xxxiii.

61 b 12. per modum curationis corporalis – corporaliter QLM*cp*, corpori N.
15. sacramentum – sacramentale nec sacramentum CN.
19. non *om c, ante* habet *ponit p.* 21. effectus *om.*
22. sacramentum – sacramenta S.
30. illud – aliud N. quod *alt. loco om* QLMNc.
31. quandoque ... 32. extremum *hom om* QLM*c*; *pro* quandoque, quando N.
55. autem – *modernae* Suppl; enim S, ergo C.
61. ethica – hectica *scribit p.*

Quaestio xxxiv.

62 a 11. hoc *om.* 20. superior – inferior.
40. aliis – in aliis LM*cp*.
41. perficerentur – reducerentur et perficerentur S.
50. per – sed per QLMNc. praesunt – possunt QM.
62 b 3. consequenti definitione – sequenti distinctione S.
6. quasi genus – quasi pars, genus S.
27. effectum interiorem – effectus interior S.
31. alia – illa *p*; *cf. var. lineae* 3. 57. primo *om* S.
67. Priscianum *lege pro* Isidorum – p̃si QL, Psi M, Prisi *c*, Prisci *p*, ps CN, praefatum *modernae* C, Isidorum *modernae* Suppl.
69. sacramenta non sunt – sacramentum non Q, sacramentum est L, sacramentum non est M, sacramentum *c*.
74. et reges – per reges QLM, reges N.
63 a 12. in suo nomine *om* S. 24. benedicuntur – benedicunt.
28. ordinis – Et ita non est simile *addunt* CN. 47. de eo *om.*
68. Ad secundum dicendum quod quamvis – quamvis enim *omnes; modernae* Suppl, *quas vide, aliter incipiunt solutionem ad secundum argumentum et addunt etiam solutionem ad quartum.*
70. potestatem – auctoritatem S.
73. Ad tertium – Ad secundum *p*.
63 b 14. quae in hoc sacramento – et transmutationes QLM.
15. videtur quod non sint materia huius sacramenti – videntur (videtur LM) quod praesanctificata materia (sit *addit* M, non sit *addit* L) sacramentum QLM.
18. requiritur contactus materiae – recipitur gc̃e (gceº M, contactus *supra ras.* L, contractus *c*) dictorum materialium QLMc.
37. erat *om.* sed – si. 42. hoc *om* S.
46. significat – habet et significat S.
58. enim – eius.
non accipitur sed a materia a ministro – *Ita addito* principaliter *modernae* C; non accipitur a ministro sed a materia CQLMNc, accipitur a ministro sed non a materia *p*.
62. Accipe – *modernae* C; accipere CQLMNc, Accipite *p*.

Quaestio xxxv.

64 a 14. sed secundum gratiam gratis datam *om.*
50. actus *ante* illorum *ponunt modernae* C, *om modernae* Suppl.
55. qualiscumque – quantacumque C.
68. ordines non ordinantur nisi – ordines sed Q, ordines non ordinantur quantum ad omnes ordines sed LM*c*; *cf.* Praef. n. 32.
64 b 13. fuit triplex opinio – est triplex opinio vel fuit.
21. iterum *om* S. 29. ordinatum – ordinat S.
38. dicendum – dicendum quod Q, est dicendum quod M.
53. talis ad – tales Q, tales ad M.
61. nihil ... 62. receptivam *om* M.
61. aliquis – aliquid CQNsL*c*; pL *abrasa.*
65 a 4. ita *om p.* 23. ordo *om* S.
65 b 9. quam ordo cum ordine *hom om* QLM*cp*.
17. in diversis ... gradus *hom om* QLMN.

Quaestio xxxvi.

47. quam ... exhibetur *hom om* M.
corporaliter – principaliter QLNc.
63. magnopere – magno opere QLMN.
66. Domini oraculo – divino oraculo S, domui Dei *Hier.*
quia – *ita Hier.*; et quia *omnes.*
72. invehunt – invenerit QLMNc.
74. omnem – communem QLMc, *om* N.
66 a 12. est *om* QM*cp*.
33. semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem – omni poscenti vos ad satisfaciendum (satisfactionem N) S.
39. qui non intelligit quod legit – quod (qui N) non intelligit S.
63. doctrinam ... quae ad *hom om* S.
66 b 1. Christi *om.* 3. legis *om.* 6. etiam ea – in ea QL.
11. invisibilibus – visibilibus Q. 19. et a – a S.
21. acquiret – acquirat S.
si ... 22. si – sed si ... sed Q, sed si ... si L.

30. sed omnis sanctus sacerdos est *hom om* QLMc.
35. ut Dionysius dicit *om.* 36. Eccles. – de Eccles.
48. habeat – habent *p*; *cf. var. seq.*
percipit – participat QLMc, participant *p*.
53. sacra merita – sacramenta Q, sacra vita M.
alicui – illius S. 66. simile *om.*
18. iv. Ergo – Ergo. 29. illis – illi S. 67 a
45. omne lucrum sperni – omne dispendium QLN*cp*, esse dispensandum M. 47. hoc – hic. 50. officii – officium QLMNc.
59. tenetur – teneatur CQLMN*p*.
75. dicit *post* Demophilum *ponunt* M*cp*, *utroque loco* QL.
6. ipsius – muneris *addunt* C*p*. 67 b
9. exequitur – exequatur. 28. Unde – et S.
31. est ei obligatus – ei obligatur. 37. exhibet – homo exhibet.
45. liceret – licet S. articulo – aliquo articulo S.

Quaestio xxxvii.

49. et ... impressione *addidimus.*
69. 73. praedicationem – praedicationes.
5. 6. 8. regimen – regnum QLMNc. 68 a
28. ministrorum Salomonis – ministrantium Salomoni C*p*.
39. illa – omnia QLM*cp*, alia N.
40. percipiendos ... 41. aliquos *hom om* QL.
46. potestativi – potentialis QLM*cp*, potentialitatis N (M; *marg.* Nota naturam totius potestativi). quod – quia CQLMc.
48. ita est hic. Tota enim – ita hic tota QLM*c*, ita hic tota enim N.
58. est in ordine. In – etiam in ordine QpL, in ordine in M, etiam in ordine in NsL, etiam in ordine (aristocratiae) *c*.
67. tantum *om* S. 68. quos – quod.
15. ordines – hos ordines. 30. omnes – nec *p*, *om* CN. 68 b
40. sed – et QLMNc. 42. per doctrinam *om* QLMNc.
50. caelestis *om* S. 52. cum ... conveniat – tum quia ... convenit *p*.
66. vasa et *om.*
71. ordinandum – ordinatum *p*.
ad hoc – sacramentum Eucharistiae *addunt* QM*cp*, Eucharistiae *addit* N. 73. patenam – pane nam QL*cp*, pane et M.
74. accipientes *om* M, accipiunt *p (cf. var. praec.)*, accipiendo C, accipiendi N.
15. est ministerium ordinatum – ministerium ordinatur QLMNc. 69 a
25. etiam a – a. 30. committitur – proponitur vel committitur.
33. habet ministerium – ministerium est S. 37. ad *om* QM.
50. clausas – et clausas QLMc, tamen clausas N.
aliud quid – aliud QLM*cp*, ad quod N.
56. secundum – super QLM. 59. sacramentum – sacramenta.
75. una – *om* S.
4. cantare ... 5. tum quia *hom om* QLMNc. 69 b
19. sacra – sacramenta C*p*. 29. tantum *om.*
32. ideo etiam eis continentia indicitur – in eis ideo continentia (non *addit c*) inducitur Q*c*, in eis contenta inducitur M; *rasa* pL.
48. ad Deum ordinati *om.* 53. Crucem etiam ferunt subdiaconi *om.*
56. Sed *om.* 60. Evangelium – Eucharistiam Q*c*.
2. spirituale – spiritualis S. 4. habeant – habent QL*cp*. 70 a
6. potestatem – spiritualem potestatem CN.
13. magis – maior QpL. 23. susceptionem – dispensationem S.
29. sacerdos, scilicet – scilicet sacerdos.
57. Et ideo *om* Q*c*. 59. Doctrina etiam – et doctrina.
3. actus – ad actus QL*cp*; *in* QL ad *expungitur.* 70 b
7. minores ordines ordo – minores minores ordo Q*c*, omnes minores ordo LM.
15. actus lectorum – lector S.
18. totaliter – corporaliter N*cp*. 34. licite *om.*
35. officium – aliquod officium.
44. et confirmatio. Sed in confirmatione – et confirmatione QpL*c*.
62. in – ex. 72. urceum – urceolum CN*p*; cf. 71 b 66, 74.
8. et instruendo – instruendo QN. 13. omnibus *om* S. 71 a
16. eis – in eis. 19. unctio *om* S.
36. Sed – Et S. 47. datione – donatione.
50. directe *om* QL*cp*, *post* habet *ponunt* LN.
57. secundarium – tantum *addunt.*

Quaestio xxxviii.

14. bacili *om* QLN*cp*, manili M, mantili C. 71 b
26. consecret – consecrat S.
27–29. Praeterea plus distat diaconus ab episcopo quam a sacerdote. Sed episcopus potest diaconos facere. Ergo et simplex sacerdos *p*.
31. vasa – per vasa. 36. solus *om* S.
42. coniectat – communicat *p*; al'convertat *notat* M; *cf.* 44. *et* 77 a 31.
43. artes – ordines artes. 44. coniectant – communicant *p*.
45. ponit *post* autem.
46. artibus *om* S. scilicet quis quam – secundum quod quisque.
56. sicut – *pro* scilicet? 73. magis – non magis QL*cp*, potius M.
74. urcei – urceoli C*p*. non *om* QpL*c*.
5. Christi *om.* 9. consecrandum – conservandum QpL*c*. 72 a
12. sacramentum – ordinis sacramentum QLMNc.
15. quod ad – quod QpL.
36. communitate *alt. loco* – civitate QLN*cp*.
47. auctoritates in littera inductas – auctoritatem in littera QLMNc.
62. dicendum quod – dicendum MN, *om* QL*c*.
1. et promovendi *om* S. 72 b
3. fuerunt in Ecclesia – fuerunt in Ecclesia fuerunt QL*c*, fuerunt M.
5. patet quod – quod patet LM; *cf. var. praec.*
29. episcopi – ipsius episcopi S.

Quaestio xxxix.

67. iv Reg. – Reg. viii.
69. quandam perfectionem – quendam QL*c*, quandam eminentiam *p*.
74. Iudic. – et Iudith.
73 a 39. multis – mulieris QpL, mulier (autem donum *etc.*) sL, *om* N.
55. certum ... aetatis – certum aetatis tempus determinaverunt C.
66. ille – illi *modernae* Suppl.
72. baptismum – p ap^m (per apostolum) QpL, per baptismum *c*.
73 b 8. datur – data. 10. minoribus – maioribus S.
11. dignitatem sacramenti, sed ... 13. sacramenti – dignitatem praecepti, non propter necessitatem sacramenti QL*cp*, dignitatem sacramenti, non propter necessitatem M; sed ... sacramenti *om* N.
15. suscipient – suscipiunt. 21. in – etiam *c*, etiam in *p*.
22. potestas – aliquis QL*c*, *om* N.
21. Sed ... 22. potestas – Sed quia per episcopatum potestas in corpus mysticum accipitur M; *cf. var. praec.*
22. curam – curam animarum.
48. debeat – possit *modernae* Suppl. 50. occasio – actio.
53. I. Cor. – .a. Cor. QL, ad Cor. M.
57. Nolanus – Golanus QMpL*c*. 58. beatus *om* S.
68. potest *om*. 69. et in – et QLMN*c*.
72. mancipatur homo – mancipatur oia Q, mancipantur omnia L*c*, mancipantur homines M.
74 a 7. aliqua obligatio – aliquis obligatus S.
14. ductus – actus C, tactus N.
rei eventus probat – rei probat QpL, reprobat *c*, rei probabat eventus M, quod rei eventus hoc probat N, rei eventus probavit *p*.
24. praesentavit – praesentat QLMN*c*.
25. tenentur – tenetur QLMN.
27. redigetur – reducetur QLM*c*, reduceretur *cp*.
28. quod ordinem suum – ordinem QpL*c*, quod ordinem MsL*p*.
55. homicidae magis conformantur – homicida (homicidia Q) magis conformatur. 56. Christum *om*.
57. ministri praedicti sacramenti – praedicti ministri.
69. participant – (per *c*) participationem QpL*c*.
74 b 1. quodammodo – quoddam. 10. susceptione – sumptione.
14. aliquis *ante* proprium QLM. 20. decimam – quartam S.
34. actum – actum ppl'm (populum) Q, actum proprium LM*cp*.
35. et actum – actum Q, ad actum LMN*cp*. 37. simile *om*.
43. afflictio ... afflicio – afflicto ... afflictio QLM*c*, afflictio ... afflictioni N.
54. actus vel propter impedimentum *hom om* QM.
60. sed ... 61. sacramenti *om* QLM*cp*.

Quaestio xl.

75 a 10. attonduntur – attenduntur QL, accenduntur *c*, attondentur M*p*.
12. et Ierem. – Ierem. S.
22. tonduntur – tondentur CM*p*. 31. revelatam – velatam C.
43. obvolvantur – absolvantur. 56. tonduntur – tondentur M*p*.
57. non – nudum Q(pL), nedum *c*, *om* M, non superius sL.
70. imprimetur – imprimitur S.
75 b 17. praeexigitur – exigitur S. quaedam *om* S.
20. interius – ulterius QNpL*cp*.
21. sicut signum significato – (sicut *cp*, ut sL) significatum signo QL*cp*, sicut significatum M.
32. quod – qui *cp*, quam M. 39. cum – in QLN*cp*.
52. I. Sed ... 53. Ierem. *hom om* Q.
52. ex hereditatis iure – hereditatis LMN*cp*.
64. fieri – eorum qui res mundi ita possident *addunt*.
70. tribus QNpL. 71. quod – et. 74. ad – et ad S.
76 a 16. sacer – satis *c*, sacerdotalis *p*.
17. ad quod est – ad hoc est enim S.
22. Ergo ... potestatem – Ergo ut (et ut N) prius S.
33. Ergo et – sic QLM*cp*, et N. 37. verum *om* S.
40. actum, actus – actum QLM*c*, actum potestas *p*.
42. et – scilicet QLM*cp*, etiam N. 43. potest – habet.
46. praelationis iurisdictione – iurisdictione Q*cp*, ordinatione M.
quos absolvit *om*. 51. actus *om*.
52. et huiusmodi – eius C. sacerdotalem – sacramentalem.
53. episcopalem – episcopalis.
76 b 15. quae *om* Q, *super ras. habet* L. 16. dispensare *om*.
19. nisi *om* QpL. 21. possent – possint.
40. quarundam – quarumcumque QLMN.
41. actionibus hierarchicis – omnibus hierarchicis QL*c*, omnibus sacramentis M. 64. Apostolorum – Apostoli.
77 a 10. definitiones – statuta (et *addunt* sL*p*) definitiones Q*cp*, sanctificationes N. 16. pontificum – pontifice. 18. prae – pro S.
25. regimina – *om* S. 27. regimen – regnum QL, *om cp*.
31. coniectat – communicat QL*c*, connectit M.
33. colligatio – obligatio.
39. ecclesiasticae – ecclesiae QLM*cp*, eccl'ie N.
43. regni ... 44. communitas *hom om* S.
52. ut – ubi C. 58. habebat – habet.
65. episcopi – Christi QLMN*c*. 69. omnem *om*.
77 b 8. feminalia – femoralia sN*cp*; al' femoralia *notat* M.
9. nunc *om* S. 25. scribebatur – scribebantur QLMN.
38. nec – non QpL*c*. 45. superiorum – superioribus S.
47. tegens – regens. 54. primo *om*.
62. Dalmatiae – dalmaticis QLM*cp*, dalmaciis N.
70. consecrat *om* QL*c*, *pro* scilicet *habet* M.

1. benedicere – pontifices consecrare, manus imponere *addunt modernae* Suppl. 78 a
2. conficere – confirmare *addunt modernae* C.
10. in opere *om*. 12. qua – qui. quod – quos.
15. Collige – calige Q. Callige *c*.
17. ipsi enim sunt Ecclesiae sponsi – episcopi enim sunt in Ecclesia S.
25. feminalibus – femoralibus S. 39. rationalis – superhumeralis.
42. feminalibus – femoralibus S.
46. alterius generis – aliam grave QpL, aliam genere MNsL*c*.
52. qui – quia QpL.

Quaestio xli.

67. nunc sit in – cadat sub S.
8. liberos *om* QLM*c*, libros N. 78 b
30. igni etc. – igitur etc. Q, igr̄ etc. *c*, igni *p*.
32. mediante – movente. 34. virtutum *om*.
40. qui – quod. 41. secundum *om* QpL.
43. parente – patre. 61. qua – quia.
63. sicut *alt. loco* – sic.
65. eodem modo est – est eodem modo LMN*cp*.
70. assignat – signat. 73. omnibus – in omnibus.
75. statim nati – nati statim.
1. mater – alter C. 5. illud – aliud QMpL. 79 a
9. Ad secundum – Ad primum ergo *et infra* 16. Ad secundum *et* 22. Ad tertium QpL. 11. proximum – proprium C.
13. hoc ad quod – licet ad quod QL*c*, licet quod M, per id ad quod *p*.
inclinat *om* QL. 15. fuisse – fuisset Q*c*.
23. in prole – personale C.
esse perfectum – etiam perfectum QL*cp*, etiam perfectum esse M.
33. Matth. xix. Quod – Matth. iii. quos QLM*c*; quos *etiam* CN.
41. datum – datum est L*cp*.
52. qui iungit – coniungit QpL*c*, qui coniungit MsL*p*.
nunc non – non QLM*cp*, non (est sub praecepto) nunc N.
62. multitudini – ad perfectionem multitudinis (multitudini N) CN.
72. naturae *om*.
2. tamen *om* S. 10. alium – aliud CQML*cp*. hac *om cp*. 79 b
13. contingit *om*. 28. praecipitur – praecipit.
40. specie – semper. 42. terminantur – terminatur CN*p*.
44. matrimonii – similiter *addunt* S.
49. aliquid – aliquem QMpL*cp*, *om* N.
52. I. Tim. v – ideo thos sed Q, I. tes. sed M, I. thess. L.
61. ea ... 64. dicere quod *hom om* QLM. 68. ista opinio *om*.
69. quae – quod N*p*. est pessima haeresis *om* M.
72. nec rerum – eorum QLM*cp*, nec eorum N.
73. sint – sunt. 75. sint – sicut.
6. quod separat *om* QLM*c*, quod *p*. 22. tamen *om*. 80 a
23. vel non – vel S. quorum – quia S.
26. pro bono matrimonii – pro bono matrimoniali QLM*c*, per bona matrimonii *modernae* Suppl. 27. a toto *om*.
28. idem specie naturae – specie naturae QL, eadem specie naturae M, specie naturae idem *cp*.
34. superfluum passionis quod – superfluitas passionis (quae *addit p*).
50. matrimonium – matrimonium non QML.
54. Ergo ... meritorius – Ergo etc. S.
62. quia ... 63. veniale *hom om* QLM*cp*.
70. actus *alt. loco om* QLMN*c*. dicitur *om* S.
3. infra – inter. 5. efferatur – offeratur. 80 b
6. id – idem LN*cp*, ratione M.
8. quin vel ordinetur ratione – qui (quin M*cp*) ordinetur ratio.
11. ad aliquod – ad.
18. minus meritorio – meritorio minus QLM*c*, meritorio CN.
23. ut est meritorius – tunc est meritorius et (nec, *om* non N) S, sic est meritorius et *modernae* Suppl.
27. beneficiorum – officiorum.
29. praemii essentialis – essentiale S.

Quaestio xlii.

62. Christi *om*. 66. quam – quod S.
15. conformet ... conformat – conformetur ... conformatur S. 81 a
20. rem – rōem QpL. 21. rem *om* S.
24. aliquam *om* S. 25. etiam in – in QM*cp*, et in L.
47. determinate, non sunt – non sunt determinate.
59. debuit – debet. 73. est *om* N. 74. autem ad – ad S.
3. ratione – vi. 6. naturae ... 7. in officium *hom om* QLM. 81 b
12. quod *om* QLM*cp*, quia N. apponitur LM*cp*. 13. fit *om*.
21. secundum – sed in *p*.
23. in hoc quod – et ad hoc S. 24. in adiutorium *post* formavit.
45. Verba ... 46. causa gratiae *hom om* QM.
50. Si ergo ... 51. vulnus concupiscentiae *hom om* QLM*cp*.
51. debent – et sic debent QLM*c* (*cf. var. praec.*), et sic deberent *p*.
52. et sic esset – essetque *p*.
1. in praeceps – deinceps. 2. habuit – habuerunt. 82 a
9. constringit – mitigat C. 26. ultima – ut iam C.
35. exteriores – existentes QLMN*c*. 37. nexus – connexus.
52. honestant – honestatem QpL. 54. satisfit – satisfecit QMNpL*c*.
57. congrua – *modernae* Suppl; *cf. argumentum*; congregata QL*cp*, cognita C, cognata N.
73. sacramenti *om* QLM. 75. huiusmodi – hoc M*cp*.
2. est – non est. 18. attenditur – active dicitur QM*c*. 82 b
25. utramque – veram. 33. ostenditur – oportet.
37. Quod – qui *modernae* Suppl.

QUAESTIO XLIII.

59. Est aliquis sponsus *om.* 64. contrahendum – complendum S.
76. arrhae – arte QLN, artes *c.*
83 a 11. cautiones – cantores. 14. ista *om.* 17. arrhis – artis Q.
24. Quia *om cp.* 26. non *om.* 27. ut si dicam *om* QLc, ut M*p*.
31. datio – donatio.
ab hoc denominatur – ad hoc denominatur (determinatur C) CQLN.
47. est inhonesta – inhonesta QLM.
62. sed ... 63. vita sua *om* QLM. 67. Et a – a QLNc.
68. primi – praemii. 70. aliquis – aliquid QpL, aliud *c.*
83 b 18. nec *om* QNpL, non *ante* 19. debet *cp.*
25. contrahunt *om c*; *cf. var. seq.*
26. sponsalia *post* 27. contrahunt. 28. esse *om* QLMc.
37. alteri – alicuius. 41. esse *om* S. 43. esse *om* QLM.
45. a iure *post* sponsalibus *ponunt* QLMNcp *et* contrahendis *post* rationabiliter QLMNc.
47. oportet – sed oportet. 49. usum – usus.
57. humorum – sensualitatis *addunt.*
58. rationis – hominis. 59. illo – nullo Qc, in illo LM.
60. aptus – actus QL; *item* 67. pQ, *utroque loco* N.
65. in qua ratio naturalis citius – in quo ratio naturalis eius S.
84 a 2. vigintiquinque annos – vigesimum secundum annum
8. aliquos – aliquas QMpL. 14. ostensa *om* S.
17. parvuli *om.*
18. parvulum – per unum QpLc, parvum NsLp; *scriptor* M, *ut videtur, primo ut* N, *deinde ut* Q.
20. in praesens – *modernae* Suppl; praesens *omnes.*
24. se *om* QpLc, *post* obligare M. futurum – in futurum S.
38. sint plene susceptibiles – susceptibiles sint plene (plenae *p*).
45. prior – prioris.
53. in sponsalibus etiam similiter – sic (sicut *c*, similiter N) est in sponsalibus QLMNc.
55. sponsalium – septennii. 56. deest – est.
58. Haec – Hic. 61. acceleratur – accelerat.
66. promisi – promitto S.
oblationem – obligationem *omnes*; cf. qu. LXI. art. 1. corp.
71. regionem – religionem M*p*.
74. videtur *post* 46. sponsalia QLc, *om* NpM.
84 b 2. ei ius suum – eius ius QLMc, ei ius N*p*.
15. ita – sic LMcp. 18. alia – aliqua.
29. per verba de praesenti – de praesenti per verba.
33. cum sit – crescit QLM. 35. illud *om.*
37. perficiendum – conficiendum Qcp. 39. eum – eam S.
45. infirmitatem incurrat – infirmitatem infirmat QpLc.
47. ut epilepsia vel paralysis *om cp.* 48. ut – aut.
51. et – cum. sic contractum – sit contractum et *p*.
52. sortiatur – sarciatur QpL. 64. impeditur *om.*
66. reddidit – reddit S.
69. inquit – inquam QLc, inquantum M.
interpositione – *Decretalis*; *om omnes.*
75. decretalis adducit – adducunt QMc, addunt L, adducit N.

QUAESTIO XLIV.

85 a 35. signum *om.* 45. quam – quod.
46. Sed ... 47. referuntur *hom om* S.
52. patet *om* S. 55. quandam *om cp.*
61. generationem – cognationem QLMcp, coniunctionem N.
85 b 1. quae *om.* 4. et *om* QLNcp. sicut – fit Qc.
9. ideo et – et ideo QLMcp, ideo N. 10. numero *om.*
15. multiplex – multiplex ex parte subiecti; *cf.* Praef. n. 40.
18. matrimonium – matrimonii.
39. a nubo – ambo QL, ambe M, a nubere C.
43. ob hoc – ad hoc QL, ex hoc M.
44. ad aliud – ob aliud *cp.* 45. dici *post* 46. officium.
59. homini – hominis.
72. in alia – alia m^{i} QpL, alia materia *c*, materia alia *p*.
86 a 10. matrimonio iunctus – adiunctus (iunctus *p*) matrimonio QLMcp, matrimonio coniunctus N.
ipse ponit maritalem coniunctionem – maritalis coniunctio ponitur *p*.
31. nota est – non est Ccp. 44. omnis – communis.
45. ordinativum – ordinatio QLMNc, ordinatum C.
53. dicimur – esse dicimur Mcp.
Et ita etiam hic – et etiam hic ita QLMc, ita etiam hic *p*.
56. nominari – exprimi *post* nomine S. 67. diversa – divisa *cp.*

QUAESTIO XLV.

86 b 8. Utrum ... 9. matrimonium – Utrum consensus per verba expressus si desit interior consensus exterior facit (exterius faciat *p*) verum matrimonium S; *cf. initium art. 4.*
28. parte est – ex parte QL, parte Mc.
40. mediante materiali – mediante.
43. matrimonium est sacramentum – sacramentum est matrimonium QL.
47. materialium – matrimonialium S.
52. instrumentales – sicut instrumentales.
55. matrimonium – t^{m} (tertium) QpL, tm̄ (tantum) *c*.
56. unum – invicem C. 73. verba – de praesenti *addit p*.
87 a 20. mutuo – invicem S. 28. exterior – exterius QLNc.

59. cum Deo *om.* 66. verum – initiatum S.
3. sponsionem – dispositionem C. 87 b
19. matrimonium – *modernae* Suppl; votum *omnes.*
61. ut non – et ut. 63. hic – hoc S.
64. quia in utroque pro hoc punitur – quando (qua M) utrumque pro hoc sumitur (punitur N) QLMNc.
70. signa evidentia doli appareant – evidentia doli appareat *p*.
2. Sed – Quia QLNcp. potius – post QpLc, primo N, prius *p*. 88 a
4. vel – vel debet S. remotas – remotius S.
19. ita – etiam ita QLMc, ita etiam *p*.
20. non perficitur nisi – perficitur S.
21. ministris – ministris scilicet.
22. potest – poterat QpLc, poterit MN.
22. absque ... 24 occulto *hom om* L. 24. quia – qui Qcp.
26. clandestina – fieri *addunt* QLcp. 33. efficiens – sufficiens S.
51. nisi per aliquam legitimam causam excusentur – non (nisi *c*) per aliquam causam summam excusantur QpLc.
71. Matrimonium ... 72. necessitatis *hom om* QLc.

QUAESTIO XLVI.

28. iuramenta tua – vota tua vel iuramenta tua QLM, vota tua *cp.* 88 b
47. de praesenti ... per verba *hom om* CMN.
consenserit in aliam – consenserit in aliquam QLc, consentit in aliquam cum iuramento *p*; *cf. var. seq.*
48. iuramento firmata *om* QLMcp. 66. quia – sed.
67. nondum – etiam nondum QMc.
71. licitum est ... iuramentum *hom om* QLMcp.
72. illicitum – est licitum QLMcp; *cf. var. praec.*
75. iuratur quod illicite promittitur – iurat qui illicite promittit Qcp.
1. alieno – aliena QpLc, re aliena M. 89 a
19. facto *om.* 40. cetera *om* S. 54. cum – tibi Q, cui c.
55. carnalis copula consequens – consequens carnalis copula QLc; secundum ... consequens (*hom in lectione* Q) *om* M.
65. admittat credens – admittens (dimittens N) credat S.
66. consummare – conservare.
68. sicut si sunt – sicut sunt QpLc, sicut cum sunt M.
73. duxerit *om* QLMNc, cognoverit *p*.
2. ut *om.* 6. se *om* S. 89 b

QUAESTIO XLVII.

30. est actus – est QLMcp, coactus est N.
31. violentum quod est idem quod coactum – violentia idem est quod coactum (coactio *p*) Sed coactio. 33. passo – passio QL.
34. coactus – consensus coactus QLNc.
58. cum *om* QpL. motum – metum CQLMcp.
9. coactio metus – coactus metus. 90 a
14. terribilissimum – terribilium finis *omnes.*
26. eum promittere – penitere QpLc, (*in* Q ni *expungitur*), promittere MsL. 30. et *om* Qc.
39. in aliquem est aliquem metu cogi – in constantem (virum *addit* M) et metu cogi sumitur multipliciter.
41. aliquid – ad c, id *p*.
49. inconstans cogitur – inconstans cogitans cogitur Qc.
50. malum – sed incostās cogitas *addit et expungit* Q; *cf.* Praef. n. 42.
51. sicut ad – scilicet ad QLMcp, scilicet N.
61. nisi quando – quando non M, nisi vel N, nisi non sL, ubi vel quando non C. 73. vel *pr. loco om* QMcp.
75. magnum – maius.
8. cum – quia cum *p*; *cf. var. seq.* 9. quod – hoc QLcp. 90 b
21. quam de involuntario – quam non voluntario QLcp, *om* M.
41. perpetuitatem ... 42. coactio *om* QLc.
43. alia – aliud QLMNc.
53. consensisse sed – non consensisse sed Q, non consensisse si Lc.
54. extortum – extrorsum QL, extorsum *c*, ex corde N.
57. efficiens – sufficiens.
62. violentum – volitum QLNc *sed* Q *se corrigit*, voluntarium M.
5. illius ... consensu *hom om* QM. 91 a
17. dicitur – *modernae* C; dicendum *omnes.*
51. talia – tl'ia *c*, temporalia *p*.
64. etiam in hoc eis – et (*om* M) in hoc etiam (eis *addit* L)S.
68. filius in hoc tenetur – in hoc tenentur (tenetur N)QMNcp.
23. erat disperdendum – pellendum erat *post* 22. de terra S. 91 b
25. iurant – iuratur.
28. dicendum quod quidam dicunt – dicendum QMc (ut quidam dicunt *addit* sM), dicunt quidam *p*.
33. cum quandoque – tamen quia Q, tamen quandoque Nc, quia quandoque *p*. nolint – nolunt S; *cf. var. praec.*
39. etc. – ut ministri etc. QMpLc, ut ministros etc. sLp, ut ministros Christi N.

QUAESTIO XLVIII.

1. fuit – est C. 20. nisi *om* QLMNc. 92 a
27. sicut – quia sic QMsLc, quia sicut pL.
29. De consensu ... dicetur *om* L; *cf.* Praef. n. 17.
47. enim – causa Qc, causae *p*. una – unica S.
61. Sed ... 62. bonum *hom om* C.
26. qua – quae C. 29. qua – quae QNLcp. 92 b

QUAESTIO XLIX.

63. habere aliqua bona – aliqua habere Q, habere aliqua LMNc.
67. dignius – divinius CN.
68. excusandum – excusandae.
aliquibus – bonis *addunt modernae* Suppl.
75. bona *om* S.
93 a 2. Sed secundum – sed QL.
6. sicut ... 7. remedium *hom om* QM.
33. ipso – *lege* ipsa; C *tamen* ipso; *cf.* 79 b 49 *et* 233 b 7.
61. et officiosum et remedium *om* Q, et (in N) officium et remedium LMNcp.
93 b 6. operum – operis Qcp. 16. indivisibilitas – indissolubilitas.
43. Sed – Et. 55. fiunt – fuerit M, fuit c, fiant *p*.
94 a 7. hic ipsum – hoc QM, hic Lc.
8. est eiusdem – (de Q) eiusdem est QLMc.
17. ita – infra C; *S. Thomas refert ad vocem* sacramentalitas.
bona *om*. 31. sui ... 32. ex ratione *hom om* QpL.
50. pertinet ... 52. non autem *om* Q.
51. supra *om* LMcp. 53. matrimonio – in matrimonio.
61. altero duorum modorum – duobus modis QLMcp.
73. matrimonium *post* secundum se. 74. ipso *om cp*.
94 b 9. non *om* QpLcp. 32. separari potest *om* QMNcp.
38. succedere – accedere S.
42. actus accipit – accipit QLMNc. 43. accipit – habet S.
48. sacramentis in quibus – sacramento in quo S.
95 a 2. secundum Damascenum *om* QLM.
secundum ... 3. actu *hom om c*. 18. dicitur – potest *cp*.
28. ex dictis patet – dictum est S. 40. in eo *om*.
46. ratio *om cp*. 48. quantitativam – quantitatem.
49. intensionem – intensionis L, ad intentionem *p*; *cf. var. praec.*
52. intensissima – intensiva S.
54. in ipsa – in (ex *p*) praedicta. 67. matrimonii *om* CN.
95 b 11. Sed ... fiat *hom om* QLcp.
13. Sed – actus matrimonii *addit* L; *cf. var. praec.*
26. in habitu ... 27. quod sunt *hom om* Qc.
31. quod ... pertinet – *modernae* Suppl; quae ... pertinent *omnes*.
43. salvatur – solvatur QpLc. 44. in prole – improprie Qc.
48. vel – non. 75. in actu – actu CQLMc, de actu *modernae* C.
96 a 9. Quia – sicut *addunt* S.
24. arcetur – arctatur CQLMN, atratur *c*.
35. mortale ... 36. est peccatum *hom om* QM.
37. respuit – despicit QLMcp, respicit N. 45. erit – esset *cp*.
51. Et – Et ideo Qcp. 52. effertur – fertur S.
60. peccatum mortale *alt. loco* – dicendum QM.
64. voluntatis finem – delectationis finem vel voluntatis (voluptatis *p*) QLMcp, finem delectationis aut voluptatis N.
65. utitur – utatur QLNcp.

QUAESTIO L.

96 b 30. alia – aliqua *p*. 57. in matrimonio *om* QMNcp.
58. ipsius – matrimonii S.
63. efficiunt S. matrimonium – sacramentum S.
97 a 1. hoc modo – hic Q, sic LMcp, hinc N. 8. supra *om* S.
23. emisso – remisso Qc. 28. scilicet *om*.
32. cognatio – deinde affinitas *addunt modernae* Suppl; *cf. var. seq.*
33. secundum se ... 34. personarum *hom om* CQcp, secundum se et affinitas L. 48. causam – et in Deo *addunt* S.
66. naturae; inquantum ... 70. statuitur lege *hom om* QpLc.
97 b 9. secundum ... aliqualiter *hom om* QL. 11. et – et inter Lcp.
36. quae ... considerant – quae sunt particularium in quibus et actus considerantur et conditiones.

QUAESTIO LI.

98 a 4. quidquid – quicumque Qcp, quodcumque M, *om* N.
10. cognitionem – conditionem QMc.
14. differt ... 15. ignorantia *hom om* Qc, de sua ratione differt ab *etc* M.
16. non importat – non impedit QLNc, impedit M.
98 b 5. isto errore detineantur – iste error detineatur QMcp, isti errores detineantur L, iste errore detineatur N. 26. duas *om* CN.
29. libere *om* C. 35. matrimonii – matrimoniali.
37. est – non est QMpLcp.
38. sicut ... vel an sit – scilicet (sed M) ... an QMcp.

QUAESTIO LII.

99 a 31. alias – autem *addunt* S.
42. Gregorius dicit – Gregorius et Boethius dicunt.
72. impotentiae *om* QM.
99 b 6. ad quem – quem QM. 8. et *om*. 21. inter – circa *cp*.
30. conservare esse in uno, conservat – conservari (conservare N) in uno esse, conservatur QMNcp.
49. est *alt. loco om* S. 61. cetera *om*.
100 a 39. clericatum – ordines S.
52. conservationem – operationem CQNcp.
100 b 3. requirit – requirunt. 7. particularia – pericula S.
31. supervenire – intervenire QNc. 37. 38. favorabiliora QMcp.
101 a 20. esse – essentia. dependet – descendit QMcp.
34. aliis *om p*. hoc videmus *post* nascuntur *modernae* Suppl.
45. quae *alt. loco* – secundum quod (quae N) S.
101 b 1. filii *om* QMcp.

QUAESTIO LIII.

14. ordo *ex cp addidimus*. 28. Ecclesiae adeo – Dei adeo Qcp.
51. expresse – manifeste S.
56. contractum – ut ex dictis patet *addunt* QMcp.
57. *pro* N *cf.* Praef. n. 22. 64. facta – factam.
66. scilicet uxori *om*. 73. fit *om*. 74. obligat QMcp.
3. uxoris – mulieris vel uxoris QMcp. 8. quod – quod hoc QL. 102 a
11. consanguinei – consanguineae. 21. iam *om*.
22. est sibi – iam est ei QLM, iam est *c*, est sibi iam *p*.
23. tamen *om*. 24. ad hoc *om*. 28. factus *om* QM.
43. matrimonium ... 44. inspiciatur *om* QM.
14. scilicet *om* S. 15. Deo illud – se Deo. 102 b
16. ipsum (*sic lege cum* CN) – seipsum. 19. praedictum – tale.
26. ut sic – si. 29. obligationis – generis obligationis.
36. solemne *om* Qc. 48. Ergo ... Occidentalem – Ergo etc.
25. iam patet quod *om*. 26. impedit ... 27. ubique *hom om* S. 103 a
27. habeat – habet QLMcp, non habet N; *cf. var. praec.*
38. statutum – statum. Occidentalis – Orientalis QL.
42. et ex – ex. 43. haec ... auferuntur – hoc ... aufertur.
59. continentiae votum annexum – continentiam annexam S.
72. viri per viri actum – per iuramentum QMc, per viri actum *p*.
2. e converso – etc. 14. sacrum ordinem accipiat *om*. 103 b
21. si non possit – sed non potest (posset Q) QN.
47. praecedenti – praecepti.

QUAESTIO LIV.

61. impediat *ex* N; impediatur.
2. convenientium – contrahentium QMc. 104 a
7. secundum Philosophum *om* QLMNcp. 34. descendentis.
42. motum tantum – motum QMcp. 54. definitione – distinctione.
57. dictis – praedictis LMcp.
67. abscisum est lignum – abscisus est.
11. nunquam – matrimonii nunquam QMcp. 104 b
12. posset – potest QMcp.
37. eadem videtur divisio – eadem ratione videtur quod non debeat fieri divisio.
45. per gradus *om* QM. 51. quilibet QM.
56. consanguinitatis QMc. 70. ipsorum – ipsius S.
15. sibi – aliquis QMcp, aliquis est sibi L. 23. propagationis *om*. 105 a
26. utrique. 46. quoto – quot N.
47. toto – tanto M, tot N. 49. illud – et illud S.
11. ita – et ita QNcp, ita et LM. 28. propatruus – patruus QMNc. 105 b
36. duae *om* QMcp. 48. matrimonialiter LN, mulier QMcp.
67. iuvat – unit QMcp.
13. ut totaliter tollatur – totaliter QMcp. 106 a
16. non ut – ut non QMcp. 26. Cui – qui *p*.
32. alterius altera QMcp. 39. sanguine – consanguinitate S.
(52. unus equus *omnes*). 61. omnia animalia – animalia.
72. cognitio – quod est cognitio QMcp.
40. habere – assignare vel habere. 106 b
42. numero – matrimonio QMNpLcp.
59. sacramenti et in genere *hom om* Q, sacramenti et L.
64. eadem ... revocante – eandem coniunctionem ecclesiastica prohibitione revocante QLcp; ecclesiastica *etiam* M.
23. incipiebat – *modernae* Suppl; incipiebant *omnes*. 107 a
26. licite *om* S. magnum – maximum.
incendium QMcp. 37. et ut – ut et QLMc, ut *p*.
40. promanaret – permaneret CQLMNc.
51. erat – erat consanguinitatis gradus prohibere QLMc, *om p*.
59. se *om* QMNcp. 60. visitaturus Qcp. 62. fit – sicut Qc.
63. receditur – recedere QpL. 66. evanescit – esse evanescit Qc.
74. eandem ... et – tantam obligationem sicut et QLcp, eandem vim obligandi sicut et M, quandam obligandi efficaciam quantum ad N.
11. vel non sint *hom om* Qcp. 12. quia ... 13. remanent *om* QLcp. 107 b
19. iam ... quod *om* QMNcp. 24. sed – et QMcp.
50. nepotem QMNpLcp.

QUAESTIO LV.

1. illud – et illud S. 2. nisi ratione viri *hom om* Qcp. 108 a
10. per affinitatem *om* QMNcp. 30. radicis – communis *addunt*.
39. persona scilicet. 54. separati et quodammodo *hom om* QL.
59. aliud *om*. 64. Et – Sed S. 73. vel minuatur *om*.
5. eius *om* Qc. 6. nunc – tunc QLNcp. 108 b
14. viri – aut uxoris *addunt* S.
24. inter quas est affinitas *om*. 25. tertiae *om*.
39. nunc – tunc QMNcp. 44. destructionem – subtractionem S.
45. scilicet alterutrius – *modernae* Suppl; per alterutrum *omnes*.
22. affinitatem – matrimonium QMc. 28. affinitas *om*. 109 a
31. divisas – diversas QMNcp. 37. inducta *om*.
44. aliqua *om* S. 57. ex sponsalibus *om* QMcp.
59. Sed ... 60. nuptiarum *hom om* QLMNc.
1. et consanguinitas *om*. 14. aliquis *om*. 23. scilicet – ut. 109 b
25. permittent QMc, permitterent L. 32. perpetuum *om*.
43. ut ... Contradicimus *om* QMNcp.
1. dissimile – simile Qc. 6. quoque *om* QMNcp. 110 a
7. principio – primo *omnes*.
9. si ex ... 10. ex – ex ... et ex QMNcp.
23. dicatur – dicitur S. 26. Mutat ... gradus *om p*.

30. attinentia *om* QM*cp*. 37. poterit QM*cp*.
53. in oppositum *post* Sed quia Q*cp*.
59. consequenter ... non efficitur – communiter ... efficitur CQLMN*c*.
61. alia – alii QM*cp*.
110 b 1. proveniat QN*c*, provenit L. 7. eorum QM*c*.
15. contrarium – matrimonium Q*c*. 20. tamen – tantum QL*cp*, *om* N.
42. coniunctionem – matrimonium vel coniunctionem.
60. sibi – sibi scilicet.
111 a 7. illa *om* QM*cp*. 8. nunc – non CQ*c*.
16. aequivocata QL. 25. nunc non – nunc QM*cp*.
29. consanguineus – affinis QpL*c*.
erit uxor – est QLM*cp*, et uxor fit N. 44. defuncti *om*.
47. multiplicatur Q*c*. 49. gerens – generis Q*cp*.
57. quos – quod LN*cp*. 58. non separet Q, non separat *cp*.
61. veniant – veniatur Q*c*, veniat *modernae* Suppl.
111 b 4. legitimum – licitum QMN*cp*.
29. ob hoc – *modernae* Suppl; ad hoc *omnes*.
35. scientiam – conditionem Q*c*, cognitionem M*p*.
52. etiam – soli Q, solum LM*c*. 61. tacuit – taceat L*cp*.
112 a 15. qui ... 16. consanguinei *hom om* QM.
32. matrimonium *om* QMN*cp*. 33. quando *om* QM*c*.
34. in ecclesia S. 37. impedit CQMN*cp*.
39. si nimiae infirmitatis – sinum (summi M) aeterni firmitatis QM.
laborans – laborabat seu QLM*cp*, *om* N.
53. Sed ... 54. maiores *hom om* Q*cp*.
63. nec *om* Q*cp*. 64. Et ita – ut Q*c*, *om p*.
112 b 2. tali *om* QM*cp*.

Quaestio lvi.

19. spiritualis *addidimus*.
25. Nihil enim impedit *hom om* Q, Nihil impedit M, (enim *p*) non impedit *post* matrimonium *cp*.
30. Sed ... 31. matrimonio *hom om* QM*c*.
43. tensione – tentione CMN, intentione QL*cp*.
44. prius. *Cf.* Praef. n. 18. *et* qu. lix. art. 1.
71. cum *om* QM*cp*. 74. tamen *om p*. Et *om* QM*c*.
113 a 3. reddere – si petatur *addunt* S.
50. cathecunatio Q, cathecismatio N.
58. ego vos genui – 4. (*pro.e.*) nos (vos *c*) genuit Q*c*; ego *om* L.
60. solum *om* QMNpL*c*. 70. triplex – multiplex S.
73. primo – prima Q*c*. sacri – sacramenti CN*cp*.
113 b 6. Et ideo inconveniens est – Unde non videtur conveniens S.
55. una *om p*. 56. contraheret – contrahere posset.
70. alicuius horum – aliquorum.
114 a 9. ex cuius – cuius *omnes*. 13. anodecus QL*c*.
37. anadecus QM*c*, anodecus L. 45. in ... 47. gerit *hom om* Q*cp*.
66. unus *om* N*p*.
114 b 2. cognatio *om* QLN*cp*. 23. quia ... 24. alterius *hom om* QL*cp*.
27. eidem – eiusdem QM*cp*, alicui *supra ras* L.
41. vir – et vir QMN. 42. levent S.
58. per auctoritatem – pari auctoritate C.
115 a 8. cum quo – cum qua CQL, cum M. effecta – effectus L.

Quaestio lvii.

20. impediens matrimonium *om* Q. 71. aequi et boni CN.
115 b 4. quae ... 5. formam *(hom)* contrariam – extraneam Q*c*.
6. filium – scilicet filium S. 14. adoptionis – filiationis.
19. scilicet – postquam adoptatur *addit* C.
20. patrem – potestatem CN. 61. posset – possit *omnes*.
64. nepotes – et deinceps *addunt* S.
66. filii – filiorum QM*c*. 72. propinquus ... 73. est *hom om* Q*c*.
116 a 20. esse – omne Q*c*. 47. habetur – habet S.
68. naturalem *om*. 74. ad *om* S.
116 b 8. personam – modis praedictis ut dictum est *addit* C.
28. matrem vel patrem – matrem vel matrem Q, matrem L.
45. alterius *om* C.

Quaestio lviii.

117 a 1. senes *utroque loco* – senex Q, vetuli CLN; *cf.* 74.
2. Ergo ... matrimonium – Ergo etc. QM*cp*.
18. viri *om* S. 31. contractibus – actibus QLN*c*.
38. naturali – sicut impotentia coeundi *addunt* QM*c*.
ex causa *om* Q*cp*. accidentali – et accidentali S.
41. beneficio – remedio.
42. processu – per excessum (progressum M) QM*cp*.
61. potentia ad hoc – sequitur (ponitur L) ad hoc quod.
70. vigorem – rigorem CN. 74. senes – senex Q, vetuli N.
117 b 11. talis – talem N*p*.
13. non sit solvendo – scit sibi non solvendum QM*cp*.
20. quando ... 24. matrimonium *hom om* QMN*c*. 21. hoc – Sed L.
22. Impedimentum ... 23. consanguinitas *om* L.
31. posset – possent Q*cp*. frangi *cp*.
32. matrimonium – naturam S.
34. causa naturalis – causa carnalis Q*c*.
36. de quo *om* QpL*c*, ut M, quod sL.
39. in viro ... in muliere – in mare quam in femina ad opus generationis.
40. quae ... 41. impotentem – facit impedimentum in viro.
52. erpverterent – perimerent S.

72. sortiarias – fornicarias *omnes*.
2. potionem – potationem QLM, potestatem CN*cp*. 118 a
3. impediri – impeditur QM*cp*. 6. nihil – aliud *addunt*.
8. auctoritatem. 13. sive, incredulitatis *om*. S.
16. quia – quod S. 17. vehementi *om*.
19. vera – verba QMN*cp*. 27. esse revocata *post* iura.
33. praefixit, triennium scilicet, sicut – triennium (triennii M*p*) praefixit sicut.
36. ex ... impotens *hom om* Q*c*; ex frigiditate *om* L, *nihil aliud habet* M; *dictionem mutat p*: Quia qui propter frigiditatem est impotens, ita est impotens ad unam sicut ad aliam.
48. ut dicitur *post* animalibus QLM*cp*, ut dicitur in Genesi *ibidem modernae* Suppl; *opinionem se huius rei peritos credentium, non librum citat Auctor; cf.* ut dicitur 199 b 29, 216 a 31, b 54.
54. humano opere – humanum.
70. principaliter *om*. instituti M*cp*. 75. in *om* Q, et *cp*.
18. dirimentia – impedientia. 26. Si ... matrimonium *hom om* QL*c*. 118 b
40. Sed ... 41. determinat – Sed simul Magister de ea determina, et (cum *p*) frigiditate QM*cp*, Tamen de frigiditate et de ea *etc*. N.
12. cui – cum. 119 a
14. propter hoc separandum est – dirimitur nec propter hoc separatur.
18. non *om* Q*c*. 26. quintum – octavum CN.
29. ad matrimonia ineunda – matrimonia ineundi.
56. cum fiat *om* QM*cp*. 64. cuius ... 65. est *om* S.
72. stat – perpetuo (perpetuum N) stat QLN*cp*, stat perpetuo M.
75. sufficienter deliberans – deliberatus, *et* sufficienter *post* consentire QM*c*, deliberans sufficienter L, sufficienti deliberatione N.
4. est *om* QL. supra inclinationem – sine inclinatione QM*cp*. 119 b

Quaestio lix.

59. fideli – infideli. 61. cultus – fidei S.
2. potest – tenetur QM*c*. 11. aut filios – filios Israel QLM*cp*, eos N. 120 a
22. licite *om* QM*cp*. 27. unitas – unicus.
30. futura – futuri *post* cultus. 37. interiorem – integriorem Q*c*.
62. interdum *om* QLN*cp*. 68. xxviii. qu. i – in littera S.
11. quia .. posset *om* QN*cp*. 120 b
14. consideranda scilicet perfectio *hom om* Q*c*.
26. tantum *om* QN*cp*. 39. prolem *om* QM*cp*.
44. aliquo – alio 46. disparitas ... 47. inter eos *om* Q*cp*.
47. enim *om* Q*cp*. 53. non dicuntur.
55. non dicitur. 72. infideli *om*.
6. xxviii. qu. 1. dicitur *om* QM*c*. 34. solvit – polluit. 121 a
41. potestate – viri *addunt*. 42. ita ... 43. cum ea *hom om* QMN.
51. consilium – verbum QM*cp*. 56. Et ... 57. cultus *om*.
63. quam gentiles, quia gentiles – et gentes C, et gens (... intrabat) N.
21. de hoc et ... 22. habebat – de hac Q*cp*. 121 b
56. infidelem – potest relinquere *addunt*.
66. illa ... 67. vitam – ad illa ... et vitam.
72. Quamvis – reddere debitum *addunt*. id *om* N.
3. matrimonii – mulieris vel matrimonii. 4. cuius *ante* vitae C. 122 a
8. sicut – quasi QLN*cp*.
50. Ergo ... contrahere *hom om* QN.
discedens – ab uxore infideli *addunt* LM*cp*.
53. est solutum – solvitur S.
22. si – cum. 122 b
31. blasphema – *modernae* C; in (*om* C) blasphemia *omnes*.
34. eius *om* QM*cp*. 44. sit – si Q*c*, *et* sit *post* uxoris QM*cp*.
71. abs te, et – ex te. 74. impedimenta QLM*c*, impedimentum N.
13. patere potest – patet. 123 a
26. corporalem – *modernae* C; spiritualem *omnes*.
47. ruinae – peccati QM*cp*, *om* N.

Quaestio lx.

2. occidens – occidere QM*cp*. 19. quae *om* S. 123 b
20. mundanis – humanis vel mundanis. non – enim non.
22. usus *om* Q*c*, actus *p*. 41. putat QM*cp*, reputat N.
42. praecipiens – prohibens QL*c*, praecipiens vel prohibens C*p*.
43. non infligens – (non *modernae*) inferens C, ei infligens *p*.
52. deputatis. 63. ad aliquam poenam QM*cp*.
68. rex aut iudex – rex QLM*cp*, dominus aut rex N.
69. corrigentem ... exterminantem – corrigere ... exterminare.
72. non se – non se non QpL.
75. castigare – accusare vel castigare.
31. vir ... 32. uxorem – propter adulterium vir occidit uxorem aut etiam propter odium. 124 a
46. sicut ... 47. habitum est – sicut de uxoricidio (de quo *addit* N) dicitur hoc etiam (hic et L) de adulterio ut supra habitum est QLMN*c*, ... dicitur hic etiam de adulterio infra dicetur *p*; ut *etiam habet* C. *Cf.* Praef. n. 18.

Quaestio lxi.

71. de ... 72. scilicet *et* 73. et ... 74. scilicet *om* L. *Cf.* Praef. n. 10.
72. supervenit – provenit QMN*cp*.
72. scilicet ... 73. matrimonio *hom om* N.
73. supervenit – provenit QM*cp*.
3. possit intrare – hoc possit L. 124 b
4. Terio ... ingresso – *om* Q, Tertio utrum altero intrante possit alteri nubere N*cp*. 20. leviori – levi.

38. considerabat – considerat S. 73. voluntate – voce QM*cp*.
125 a 10. Christi *om* QMN*cp*. per gratiam *om* QNpM*cp*.
11. dispositionem spiritualem contrariam – contrarium S.
17. si – nisi *p*. 18. non *om* QLN*cp*. 31. qui – quod.
37. copulam – viro *addunt, sed cf.* 124 b 4 Tertio *etc.*
53. alteri – Alias una mulier haberet duos viros *addunt* CN.

Quaestio lxii.

125 b 9. scilicet ... 11. matrimoniali – quod est fornicatio L.
11. durante – dirimentem (vinculum matrimonialem M) QM*cp*.
52. fornicantem – (propter M) fornicationem QM, fornicatricem *c*.
126 a 2. bona – bonum LN*cp*. 8. prolem educandi QM*c*.
10. propter – non propter QMN*cp*; *cf. var. seq.*
11. fornicationis ... propter unum actum *hom om* QMN*cp*.
40. peccat *om* QL, *post* mortaliter *cp*.
41. eam – carnaliter *addunt*. 45. est in – ex Q*cp*.
71. esset – fit S.
126 b 45. impetens – impotens Q*c*. 73. ut deprehendere possit *p*.
127 a 2. suspicationes QMN*cp*. 7. debet fieri sine – non debet fieri cum.
18. fraterna – firma Q*c*, trina *p*. 30. conceditur – tenetur QM*cp*.
51. peccante – potestate QL. 61. ponitur vir.
70. Quantum autem ... 71. tantum – quantum ... Tantum enim.
127 b 11. et tertium *om* Q*c*.
22. scilicet – secundum C.
laesio – *modernae* Suppl; laesionem *omnes*.
55. copulam – culpam Q*c*. 61. omnino – ideo Q, iam M, *om cp*.
128 a 16. peccati vir eius. 21. Potest ... 22. invito *om cp*.
40. pro exceptione – per exceptionem C. 42. esse – fieri S.
53. per iudicium Ecclesiae *post* 54. adulterio.
61. poterat – poterit *omnes*. 66. vir *om* QM*c*; reconciliari Q*c*.
67. eam ad se assumere – assumere QL*c et addito* eam *p*, eam assumere N, eam ad se sumere L. 72. sequi – fieri vel sequi.
128 b 1. per poenitentiam – per pecie partis thome poenitentiam pQ.

Quaestio lxiii.

129 a 17. a susceptione ordinis – ordinem QM.
25. non *pr. loco* – modo Q*cp*.
32. personarum legitimitas – persona legitima.
54. vel ex parte mulieris *hom om* QLN*cp*.
55. cum illo *om* Q*c*, cum viro M*p*. 61. alias *om* CN.
68. sacramenti S.

Quaestio lxiv.

129 b 45. leproso – leprosa S. cohabitare – viro *addunt* QLM*cp*.
46. videtur quod – ut videtur *post* tenetur QM*cp*, *om* L.
66. Hoc ... habet – Et hic est etiam ordo caritatis S.
69. ad conservationem – de conservatione S.
130 a 1. condemnat – condemnans S.
irregularis ... 2. implens *hom om* QM.
15. reddidit – redditur C. 16. ius plus – ius S.
50. exigat – exigatur QLMN*c*. 63. interpretata *omnes*.
130 b 41. ad – in QMN*cp*. 66. membrum tenetur S.
67. ita ... suo *hom om* Q*c*.
131 a 4. hoc *om*. 7. Sed ... 8. dissentire *hom om* S.
31. facere vel – facere vel vovere.
40. nec – et cum QpL, et tamen non M, et non NsL*cp*.
41. malo voto facto – voto malefacto QLM*c*, voto male facto *p*.
48. in hoc *om* QM*cp*. 66. unum – virum L, unum onus *p*.
66. confusionem debiti – debitum QMN*cp*. 67. ideo – et ideo N*cp*.
74. praeter – propter.
131 b 9. petitionem – redditionem QMN*cp*.
25. quae adhibentur etiam illis. 42. sacramentis – sacris.
132 a 6. et e converso *om*. 15. ita *om*.

Quaestio lxv.

57. coniugatur. 64. unus *om*.
68. institutione – humanae naturae *addunt* CN.
132 b 7. superduceret QM*cp*. 20. et attrahere – trahere QM*cp*.
30. ei – est ei. lex – quae lex QM*cp*.
65. communis – conveniens Q*cp*.
133 a 5. pax – parum Q*c*. 15. ipsius, quae sunt – quae sunt ipsius.
23. metus – virtus CQL*cp*.
28. praeceptum – legem praecepti QLMN*c*, legis praecepta *p*.
34. quaedam innata vis – quod lex quaedam innata QLM*cp*; vis *om* N.
36. intrinseco – extrinseco.
37. movente – manante QL, manente M*cp*.
46. natura – materia. 58. cuilibet – alicui.
63. et huiusmodi *om* S; Ad quintum patet solutio ex dictis *addunt modernae* C *et* Suppl, *quae cum* sL *infra* 66. *pro* ad quintum *habent* ad sextum *et sic deinceps*. *Margo* L: defficit responsio 5.
66. respondendum – respondeo (et dico *pergit p*) QLM*cp*.
71. sufficit – licuit *post* 72. uxorem QLM*cp*, *om* N.
75. quantum *om*.
133 b 2. quantum – *modernae* Suppl; nisi ad QLM*cp*, nisi quantum ad CN.
4. sed – et hoc est. 7. plures *om*. 10. prima *om* S.
16. si – sicut. alium virum – plures viros vel alium virum.

36. conceptionem in cognitione. Et – cognitionem. In cognitione enim.
50. eandem potestatem – naturalem potestatem eandem.
52. nec unquam – nunquam. 66. in – a.
68. ubi – n^l^ u^i^ (*idest* nihil ubi) QpL, ubi enim M.
4. praevaricationes. 27. reservatur – reservantur CQLN*cp*. 134 a
27. praebeant. 41. debuit – debet.
59. in pluribus esse – ut in pluribus (essent *addit* N) S. 62. ut *om*.
64. non est ... 65. sed est – est QLM*cp*, non est N.
65. propter hoc *om* S. 67. inspirationem – dispensationem.
72. Dei *om*. 74. quod – secundum quod CN*p*.
7. detrahitur – determinatur Q, deficit L. 14. significant. 134 b
24. caeremoniae QLMN, caeremonialia (*ita et* 25) *p*.
31. prohibebatur S. 57. dicitur – videtur S.
61. concubitu – tali concubitu. 63. coitu – concubitu.
67. plerumque nominantur – plurimum nominatur.
71. illa coniunctione exprimitur quia.
6. in longum tempus *om*. 7. communiter *om*. 135 a
9. a concumbendo – a concubitu vel in concumbendo.
16. non ore (fore *p*) putabant. 30. non *pr. loco om*.
39. etiam – enim S. 45. praebere – tradere.
59. Sed ... morte *om* QL. 62. secundum Gregorium *om*.
66. carnale – est mortale *addunt* S.
3. scire – scīē (*idest* scientiae) QpL, conscientiae *cp*. 135 b
6. Deum et hominis ad *hom om* QL.
13. qui non vitat – quod non iurat QpL (Q *bis, quia* 12. etiam si ... 14. peccatum mortale *hom bis habet*).
14. vitat *alt. loco* – in QL. 20. puniatur – moriatur.
22. et multa alia *om*. puniuntur – punitur MsL*cp*; *cf. var. praec.*
26. quia ... luxuriae *hom om*. 32. illa ... 33. magis *om* QpL.
56. et – nec QL. 59. contra *pr. loco* cum Q, *alt. loco om* QL.
72. vel – et. 74. cum *om*. 75. nullo – et nullo *p*.
5. prima *om*. 8. mortali *om*. 16. secundum *om*. 136 a
17. uxor – enim *addunt* QpL. 18. 21. nominabantur S.
23. contra legis naturae prima praecepta – contra legem naturae et prima (contra Q, praeterea *c*) praecepta eius.
26. ancillas – concubinas QLMN*c*.
27. Erant enim – Sed non erant *p*; *cf. var. seq.*
principalem ... 29. quantum ad *hom* – *modernae* C; *om omnes*.
37. ut ... 38. pertinet *hom om* QL*cp*.
38. quod – et (etiam L) quod L*cp*; *cf. var. praec.*

Quaestio lxvi.

55. unam ... 56. de facto *addidimus*.
70. Ergo ens et non ens non faciunt – Cum ergo non ens non faciat *modernae* Suppl, *quia* non *alt. loco om p*. (71. ille *omnes*).
72. non est in esse – in non esse. Ergo *om modernae* Suppl.
41. tollitur – totaliter (sacramento *cp*) Q*cp*, totaliter tollitur LM. 136 b
48. signum – significatio. 50. Et – et ideo C; *cf.* 138 a 30.
54. matrimonii – sacramenti.
58. derogatur – obligatur QL*c*, obviatur *p*, abrogatur ei CN.
67. simul vel successive *om*; *cf.* 136 a 54.
14. duobus secundis S. 21. adulterino – adulterio CQMNpL*c*. 137 a
39. fieri – esse QLM*cp*, *om* N. 47. semper facit – causat.
58. ignorantem litteras ... 59. vitiatum – ignorantem habens (litteras aut habentem *p*) quamlibet partem corporis vitiatam S, ignoranter habens qualibet parte corporis vitiatam C.
63. unitas – veritas L*cp*. 65. quia *om* QLpM.
66. non *om* QLN*cp*.
13. Ierem. III et *om*. 137 b
26. ex termino – ex n Q, extīō L. qui – quod.
27. etiam *post* illius QL*cp*, *ante* N, *om* M. actus *om p*.
31. non autem *om* Q. contraheret – contraheretur *addunt* QpL.
39. sacramentorum S. 48. vel ... 49. debitum *hom om* QL*cp*.
51. quaeritur quid – requiritur quod (quid N) S.
57. super Epistolam – in Epistola. 65. bigamiae *om* S.
72. principio Libri – I. libro *omnes*.
14. velimus eum exponere – melius cum expositione Q, melius eum exponeret pL. 138 a
15. faciliorem – sanctiorem QLM*cp*, superiorem N, superioris C.
dispensationem – dispositionem QM*cp*.
22. non – vel non QNpL*c*, vel M, vel ut sL.
23. Et similiter nec – nec similiter. 24. conformatur S.
26. indivisione – in divisione (Q)LN*cp*, divisione C.
42. Cum ergo Apostolus ... dicat – Cum ergo ... dicatur QLMN*c*.
74. dispensandi *om c*.
9. officium – effectum sL. 15. potest – possunt QLMN*c*. 138 b

Quaestio lxvii.

28. 29. liceret *correximus*; liceat S. 38. Sed *om* QL.
51. tradunt – dicunt. physici – philosophi *omnes*.
62. instituta sit – haberetur C, sequatur N.
6. ordinandum. 12. erit – esset *cp*. 139 a
18. bonum – bonum prolis QpL*c*, bonum prolis ad CN.
20. 21. quid – quod. 22. prolis *om* S. 23. tamen – tamen non.
31. prima *om*. 38. fuerunt *om*.
40. uxorio affectu – quasi (quia ut N) uxor *addunt* CN.
49. casualiter – causaliter CN. 53. Et – Sed.
58. Haec autem ... 59. quandoque – Haec etiam est ... quando S.
66. dispensativo – dispensato C. 72. solum – solummodo.

74. cadet *(sic enim legendum)* – cadere potuit.
139 b 6. rerum appropriatio – praeparatio S.
9. esse *post* 7. videtur *p*. contra *om*. 14. et instructio *om* S.
17. secundam ... intentionem – secundum ... praeceptum S.
24. dispensationem – intentionem. 31. sub – sub tali.
40. prohibere *om*. possit – possis N. 55. a Moyse *om*.
140 a 1. lege – in lege S. 4. maius *om* S. 7. faeneraretur.
8. sicut – sic L*cp*. 14. aut – ac.
62. malum – non malum CQLN*cp*. 63. licitum – illicitum C.
64. non *om* CQLMN*c*. 75. dicit – dicit quod (*om* b 1. quod).
140 b 8. iustitiae *p*; *cf. var. seq.* 9. per *om* S. 20. peccat.
29. dicendum ad primum – Ad primum ergo dicendum S.
32. etiam – in QL*cp*, *om* M.
37. aliquis ... 38. a more *hom om* QLM.
42. quantum *om*. lex vetus – lege veteri QL, veteri *c*.
48. dicta – recta *cp*.
141 a 1. hoc – et hoc. 10. scilicet – aut QpL*c*, ut sL, *om* N.
33. sed ut – secundum quod. 49. duxerit – dimiserit *omnes*.
58. aliqua – alia S. 59. alias – aliquas *cp*.
65. foeditates – fiditates Q, fetiditates *c*.
66. anima – alia. aliquod – aliquo QpL, aliqua *cp*.
141 b 3. intelligitur. 11. sequitur – tenet. 14. defloravit S.
21. omnino – ideo. 27. Praeterea ... littera *(tert. arg.) om* Q.
40. conveniam – contraham QLM. 44. per – propter Q*cp*.

Quaestio lxviii.

59. non sint illegitimi – sint illegitimi QLN, sint legitimi M*cp*.
62. est – dicitur S. 64. natus *om* S, naturae natus C.
71. prohibetur S.
142 a 3. legitimo – vero et legitimo LM*cp*, legitimo... 4. nascuntur ex *hom om* Q.
8. expresse *post* naturae. Et ... 9. illegitimos *om* S.
29. ex hoc *om*. 35. exemplata – extracta.
48. Alio modo *om*. 53. incurrunt quando non succedunt C.
55. sexta – septima.
62. alicui quod – alii quod QL, aut quod *c*, quod aliquis *p*.
66. coitus – communiter QL*cp*, actus N.
69. acquiruntur ... 70. in his quae *hom om* QLM*cp*.
142 b 2. legitimus – in regno *addit p*. 20. et – ad QLM*c*, *om* N.
21. alii *om*. 24. testamento – in testamento S.
26. filius nullus sit. 27. principi – principaliter.
28. instrumento – testamento QLMN*c*.
36. actus – coitus *modernae* Suppl. 39. illegitimo – legitimo S.

Quaestio lxix.

62. conflagrationis – confragationis QLM*c* (*cf.* 164 a 15), consumationis N.
143 a 20. Beda – Strabus C.
53. accedent – vel accedunt QNpL*cp*, accedunt M.
68. secundum – per S.
69. metaphorae corporalium – metaphorice corporalia M, metaphorice (corporalium ... 70. ut cum *om*) QLN*cp*. 70. cum – quod C.
143 b 17. eris – erunt CQLN*cp*; *cf.* 144 a 2. 45. et (sed *p*) conservatam.
144 a 2. eris – erunt C. 3. habebis – habebunt C. 8. Sed – et.
13. homines secundum – hominum. 14. continuationem S.
16. uno – limo C. 30. singulari – sui gloria CN.
42. viventium uterentur – utendis (utentium *c*) uterentur Q(pL)*c*.
57. Ais enim vel – alii (ais *p*) enim. 63. Et si – Sed CN.
68. daemones – ubique *addunt*.
69. martyres – sicut (quare *p*) martyres *cp*.
70. ara operientur – actu obtinentur.
potuerunt QL*cp*, possunt N. 75. idem – hoc idem.
144 b 11. providentiae – iustitiae C. 14. mirabiliter – invisibiliter.
20. conveniret exire – convenire vel exire Q(pL)*c*, hire (*idest* ire) vel exire sM, communicet N.
27. de *om*. 34. per donum – dona.
36. mirabiliter – rationabiliter. 40. comparere QLN.
48. congruere intuentur – congrue intuentur (invenitur C) C*cp*.
145 a 2. quod *pr. loco* – et quod. 5. ubi – ut.
9. deceptionem – destructionem vel deceptionem QLM*cp*, destructionem C, detestationem N.
22. bono accipiendum – bonum (bono C) accipiendo CQLM*cp*.
29. dicit – dicens. 30. et infra – et ita QLM*cp*, qui N.
31. tuum – tamen. 39. Sed ductus est *hom om* QLN*cp*.
41. omni viventi – Dei viventis C.
46. in morte sua se – se ante mortem (suam *addit* N) S.
58. eandem quietem – eandem aequitatem Q(pL)*c*.
71. omnino – et esse omnino. 74. bono, status – bono statu.
145 b 9. inquantum – tantum QL*c*, tamen M, tantum enim *p*, unde CN.
36. infernum.
146 a 6. Et ... 7. magis – Et sic potest exponi quod est potius verbum.
19. decedunt – descendunt. 25. purgatorius QLMN*c*.
26. Utrum... 29. xxi. *om p*; *cf.* Praef. n. 17.
28. purgatorius QLN*cp*; locus *om* QL*cp*. 58. tantum *om*.
62. vel demeritorum *hom om* QLM*cp*.
65. poenarum – poenalia S. 69. Sed e contra.
146 b 20. puniuntur vel praemiantur. 24. in quo nos – ubi S.
29. aliqua – venialia *addunt*. 37. ante Christi adventum *om*.
40. nunc *om* QLN*c*, huius temporis M.
46. vel est – vel distinctio locorum animae est QLM.
60. multifariam QLN. 69. originali – corporali QLN*c*.
147 a 12. quod – quia CN. 20. hoc quod – licet QLM*cp*, *om* N.

Quaestio lxx.

71. omnia *om omnes*. scilicet – et QLM*cp*, scilicet et CN.
2. habere *om*. 3. sb'atificam *c*, substantificam *p*. 147 b
9. subiectum – in subiectum. deseritur – desideratur.
14. mortem – suam *addunt*.
34. habeat ... visivam – sit eadem numero potentia visiva S.
35. aliqua alia pars eadem – aliqua eadem pars.
52. autem – enim.
56. impossibile – quaerendum est de hoc *addit* C.
61. Reliquae – Aliquae QLMN*c*.
5. non *et* nisi *om*. 7. coniuncti – coniunctae QLM. 148 a
13. erunt – essent QLM, sunt *cp*. 19. animam – ipsam.
21. in potentiis animae sensibilibus – potentias animae sensibiles C.
48. Augustini *om* QLM*cp*, magis N.
62. dicuntur ... potentiales – non dicuntur partes eius integrales sed potentiales S. 68. 70. diminuta – dimidiata S.
4. operationes – ipsorum *addunt*. 8. numero *om*. 148 b
10. eadem – eodem QL, idem *cp*. 14. senium – sensum.
15. aliquid – ad *omnes*. sed – secundum.
34. infra – ita QLMN*c*. autem *om*.
45. illa subductione – illis *cp*.
46. habeat – h' QL, hos *vel* hoc M, hic *c*, habeant N.
47. exierunt QLM*c*, exierint N. 49. eam – eos QM*c*, eas L.
51. loca – locum.
63. et huiusmodi affectiones quas – Huiusmodi (autem *addit p*) affectiones aliquas. 65. animae *om*.
14. posuit – et posuit *p*. 16. a ... movebatur *hom om* QLM*c*. 149 a
55. Patet – patet. Patet. 64. vel – secundum.
68. in I. Libro dictum – in Libro praedicto dictum.
73. hoc corrupto – haec corruptio QpL.
75. imaginis – imaginationis C, *sed cf. loc. cit. in marg.*
12. etiam et delectationes. 13. secundum – sed LM*cp*. 149 b
14. in Deo – de Deo C. 15. delectatione – operatione CN.
34. quae ... 37. ad invicem *hom om* M.
35. communicant – conveniunt. anima ... 36. quia *om*.
67. quia ... fit – ergo (*om p*) cum ... sit S.
68. ab ... 69. patitur – ab illo igne *etc.*
74. quandoque *alt. loco* – cum quandoque (... appareant *p*) S.
75. tamen – tamen tunc S.
14. et angelis eius – etc. 33. Ignem eo ipso – Igne eo tempore. 150 a
40. animae – causae. 53. imaginatione – meditatione S.
54. non *ante* 55. vere. 59. secum ... 60. anima *hom om* QL*c*.
73. vindicantis *om*.
3. vi – virtute. 8. sibi *om*. 10. primam – propriam LM*cp*. 150 b
51. horrorem – errorem.
61. praemissis eius auctoritatibus – dictis eius C.
65. intelligit – dicit vel intelligit.
24. huiusmodi modus – hic modus QLN*cp*. 151 a
32. quodammodo *om*. 35. si – sed sicut si. 36. quod *om*.
40. nativitatis – necessitatis. nostrae *om* CN.

Quaestio lxxi.

17. opere – parte. 23. pro bono – pro bonis QLM*c*, per bona N*p*. 151 b
27. Ecclesiae membra – membrorum (membrum MN, et *addit* L) Ecclesiae S. 33. sicut ... 34. praemium *om* C.
38. iustitiae – oratio misericordiae *addunt* S.
45. dispositionem CN. 48. alteri *om*.
49. enim – igitur. liberalitatem S. 59. etiam *om* S.
62. qui – per QL*c*, qui per M. 63. facit – facta *c*; *cf. var. praec.*
66. quidquid – aliquid.
13. est quod inde Q(pL). 25. ei *om* S. (ideo *om*) ita non. 152 a
45. circumsepsit – circumscripsit QMNpL*cp*.
49. mortuorum ad vivos – vivorum et mortuorum.
53. esset inutile – non esset inutile (utile MsL*cp*). 57. claret – clarat.
60. ab ipsis Apostolis inchoavit – ab ipsis (Apostolis *addunt* M*p*) instituta est.
72. caritas enim vita corporis non finitur, I Cor. xiii. – caritas enim est vita corporis quae non finitur, et super illud Cor. xiii.
9. meruit ut haec ei valerent – quae meruit hic ei prosunt QL*c*, (meruit *marg.*) ut haec ei valeant M, meruit et haec ei valebunt N. 152 b
10. eis iuvatur – iuvantur. 12. Ioannem et Damascenum QL.
24. sed – tamen *modernae* C.
64. per quos suffragia conquireret – per quae suffragia subveniret (conquireret L) QL*cp*, per quos procuraret suffragia M.
2. quantum – et quantum. 153 a
35. inunctus – invictus QLM*cp*, nuncius pN.
44. non est indispositus – est dispositus S.
59. et ex – ex QM*cp*. 62. quod *modernae* Suppl; quae *omnes*.
63. haec – hoc. 64. imperando – in (etiam M) operando S.
7. simul *om*. 16. liniens *om* C. sic *om p*. 17. et sic C. 153 b
46. de donariis – sL; decenariis Q*c*, de denariis CMNpL, donaria *p*.
53. in littera habetur – multa habetur (habenter L*c*) QL*c*.
55. damnatio – poena vel damnatio.
65. mortali – exsistentibus *addunt* QM*cp*. 71. gentilis *om*.
1. illatam – dicentem QLM*cp*, allatam N. 154 a
9. Commentator – communiter *cp* (*pro* qm̄t' *quod* QL; comt' M; *utrumque compendium* commentator *significat*).
16. 17. ut – quare.
22. in littera habetur – multa habetur (habentur *c*) Q*c*.

25. illis – vel QL*cp*, *om* N. 28. in inferno *om*.
36. Ecclesiae *om*. 38. non *pr. loco om* C.
40. imbuti – abuti QL, abluti *cp*. 45. totaliter *om* CN.
48. Praepositus M, Praepositivus *ceteri omnes*.
53. detrudentur QLM*cp*, recludentur N.
67. et ... 68. quartae *hom om* QLM*cp*. 72. invenitur – est S.
154 b 5. corpus – corpus: corpus QLN*cp*.
9. Autissiodorensis – Cassiodorensis QL*c*, Cassiodorus M*p*.
13. facies sua perfunderetur – faciem suam perfunderet.
22. Est – Et *p*. et *pr. loco om* S.
24. fulcita – fulta est QMpL, firmata N, fulcita. Est *c*, fulcita est *p*. nihilominus *om p*. 27. viae – vitae L*p*.
31. consistat QLMN*c*, constat *p*.
40. doloris – eis doloris Q, doloris eis LM*cp*; aliqua ... eis *hom om* N.
55. donaria – denaria QpL*c*, denarii M. 58. ea – eos.
69. per suffragia *om*.
155 a 25. aeternae *om*. 47. detinentur – sunt *ante* in.
48. nihil – non C. 49. ipsam C. 72. quia *om*.
73. sive vivis sive mortuis – sive vivus sive mortuus QL*c et addito* fuerit et ideo *p*; *cf. var. praec.*
155 b 3. finaliter *om* QLM*cp*, simpliciter N. deputati – addicti S.
12. Ninivitis – inimicis QMN(pL)*cp*. 32. ad – apud S.
56. alienis – aliorum QLM*cp*, aliis N. 58. Ecclesiae *om* S.
67. vivorum – parvulorum.
156 a 11. sicut sanctis – sicut. 19. gaudent – in patria *addunt* S.
20. de bonis aliorum – (de bonis N) alienis S.
29. et – sed QLM*cp*. sed – et *p*.
30. quidem – quid QLM*c*, quis *p*.
40. suffragium – Ecclesiae *addunt*.
43. in eo quo – in eo qui QLM*c*, eo qui *p*, in eo quod CN.
49. eorum gloriam solemnius – de eorum gloria solemnia.
59. sequitur – legitur C.
156 b 6. quod ei meritorium fuit *om*.
21. aut orationibus sanctorum *om* QLMN*c*, aut oratione *post* carorum *p*.
26. prodesse defunctis – pro defunctus fieri.
41. sacrificii – sacramenti. 46. refertur – (non Q) fertur.
68. magis *ante* satisfacientis. 75. ei *om*.
157 a 17. resurrectio – nec Q(pL)*c*. 19. baptizantur. 29. magis *om*.
30. iste defectus – ista profectio profecto QL*c*, iste profectus N.
32. facit – iubet. 35. possunt – potest *p*.
36. dantur enim – quae dantur QLM*cp*, et dantur N.
45. etiam decem – etiam QMpL*c*, etiam pro sL, *om* M.
51. cui – quibus. 54. Sed ... 55. foro Ecclesiae *hom om* QLM*c*.
57. alicui *om*.
157 b 7. applicare – ampliare N. 8. aliquid – aliquam S.
18. a – in QL*cp*, de M. 27. aera – arca Q, area C.
28. dispositus. 37. filiis *post* fecissent QL*cp*, *om* MN. sepulcra.
38. huiusmodi aliquid *pr. loco* – aliquid huiusmodi.
43. apud Deum *cp*. 54. potius quam – postquam.
158 a 11. ulterius – et *addit* N. 12. est *om* S.
25. sepultura – Sap. IV. (III. MN) sepultura CMN *(dittographia?)*.
32. holocaustum – sunt *addunt* CN*p*. 41. quod quia – quod.
43. unquam odio habuit – odio habet.
47. evenire praesentiret – *modernae* C; praesentetur QLM*c*, praesentietur N, evenire prius sentiret *p*, evenire praesentaret C.
53. utique *om* S. 64. sepulturam *om*.
74. sicut – scilicet *omnes*.
158 b 13. peioris. 15. pauperes – spiritu *addunt*. Dei – caelorum.
27. praepositi N, Praepositivus *ceteri omnes*. 37. dicunt.
38. promptiores – proniores. 40. ferventius – frequentius.
44. autem – enim. 52. quam – quantum *omnes*.
60. praecipue – praecise *cp*. 70. ex hoc – et.
73. Hoc ... meruerunt *hom om* QLM*cp*. 74. ut sibi – quod.
159 a 17. uni – pro uno. 32. multorum *om*.
44. unientis – viventis *cp*, unienti N. 45. membra *om*.
47. dividatur effectus – distribuatur affectus S.
72. oratio pro eis specialiter – etiam specialiter oratio QLM*cp*, et oratio specialiter pro eis N.
159 b 41. iuvetur unus – aliquis (ãl Q) iuvetur minus QL*c*, aliquis iuvetur M.
60. scilicet – si.
64. sapiens – suscipiens QLM*cp*, suscipiens vere (n^e^ N) CN. defectuum commutationem – defectum et mutationem.
65. secundum quod – si QL*cp*, quod N.
66. alteri supplet – alteri suppleat QL*cp*, alter supplet C.

Quaestio lxxii.

160 a 2. Nam ... 3. Partis *om p*; *cf.* Praef. n. 17.
3. qu. LXXXIII. Secundae Partis – qu. 82 (sz Q) secundae partis QL*c*, 83 partis M. 23. per post.
24. eveniret cognosceret – evenire cognosceret. 28. tanto *om*.
32. multo amplius – multo autem plus QL*c*, multo plus M, multum aut plus *p*. 37. ita – *modernae* C; tantum *omnes*.
40. a nescientia – in (a *c*) scientia. 48. fuerunt.
49. intelliget – intelligunt N, intelligent *ceteri omnes*.
50. sentiendum – sciendum. 51. intus *om*.
51. claritatem – virtutem vel claritatem (charitatem *p*) QL*cp*, virtutem caeli vel claritatem M, virtute vel claritate N.
54. Gregorius *om*. 55. Quantumlibet – cum quamlibet.
58. orationes *om*. 61. nostras *om* S. 72. comprehendunt S.
160 b 7. Hoc ... 8. requiritur *hom om* C.

8. beatitudinis – *praefigunt* divinae QLM, suae *cp*.
15. cooperatores – cooperatio res QL.
54. cognoscere possunt – cognoscunt. 56. alio *om*.
64. eos – Deum eum Q, Deum pL, eum MsL, Deum esse *c*, eum se *p*.
72. Sed ... 73. Deo accepta *hom om* QL*cp*.
74. debemus S. 75. minorem.
2. ei – eum S. 12. eodem modo *om*. 22. Deum *pr. l.* – eum. 161 a
53. proprias – propinquas S. 75. adderetur – adderemus QLM*cp*.
1. videremur – videretur S; *cf. var. praec.* 161 b
referre – referri QM*cp*. 2. vel – illi LM*cp et post* errori Q.
7. dicetur *modernae* C. 24. commemorantur – dicuntur.
35. quas ... 36. Deum *om*.
40. tamen est impedita – non est impetrata (impedita N) CN.
48. non volunt – nolunt.
49. nullus ... 50. Sed *hom om* S, *sed* N *resumit post* 51. eis; *intermedia* hoc ... eis *delet per* va cat.
51. Deus *om*. 54. essent – sunt.
6. quasi *om*. 17. nec ... 19. vult *hom om* QLM*cp*. 162 a
19. impletur – quod impleatur *p*, *om* M; *cf. var. praec.*
21. etiam *om*.
37. intellectus litterae – illius litterae intellectus QLM*cp*, littera ipsius intellectus N. 45. sed – si CQLM*cp*. 51. Unde *om*.
56. enim – est. 62. impetrat ... 63. rogatur *hom om* QLM*cp*.
63. quod tamen – et quod QLM*c*, quod N.
67. non volunt – nolunt. 69. sicut – etiam sicut.
71. in praedestinatis.
3. sunt – non sunt QpLM, qui autem sunt sL. 162 b

Quaestio lxxiii.

25. repentinus ... 26. securitas *hom om* QM.
28. manifestationem – alicuius *addunt* S. 35. signa *om* QM*cp*.
40. cubitus; *cf.* 166 a 40. 44. levabuntur – levabunt capita.
48. faciem firmamenti – firmamentum S.
52–54. Nono omnes lapides *etc.* Decimo omnes plantae *etc.* – Nono omnes plantae *etc.* Decimo omnes lapides *etc.*
54. fluent – dabunt. 56. animalia – elementa *c*, iumenta *p*.
61. sed discurrentes – neque discernentes.
7. crescentia – circumstantia C, circumstantiae *modernae* C. 163 a
14. aliqui securi – alii persecuti (persecutores sL, persecuturi M, securi *p*).
15. dicitur: Cum dixerint – dixerunt C. 19. signa *om*.
25. videntes – iudicantes. 31. primo adventu – principio adventus.
44. sideribus – si omnibus pQL*c*. 47. in – et.
48. ut ... 49. Orbis – ut dicit Averroes sed per lumen ut dictum est in libro de Substantia Orbis QLM*c*, sed per lumen ut *cetera ut nos p*.
63. promittitur augenda – augenda erit QLM*cp*, augebitur N.
65. inconveniens S.
32. videant – irident *credo* Q, di videt pL, videt MsL, vident *cp*. 163 b
videntem omnia vident – videntem omnia videntem QpL.
38. debuit – potuit nec debuit.
42. virtutes *pr. loco* – per virtutes C. 51. communiter *om*.
54. scilicet *om*. 70. vacabunt – non vacabunt.
75. concreatas – concretas.

Quaestio lxxiv.

15. conflagrationis. – *Ita* Q *in infima ora columnae et* L *in summa. ubi rubricatori praenotatur;* confragrationis *in tabula* LN *et hic in titulo Quaestionis* pN; *ceterum ubique* confraga- *pro* conflagra- QLMN*c*; *cf.* 142 b 62. 164 a
24. consumpturus *ex* MN*p*; assumpturus QL*c*.
37. mundavit – mundavit vel creavit QLM*cp*, creavit CN.
38. non immundum. 56. novam *om*. 58. Praeteriit.
2. corporalibus *om*. 3. ditentur – dictentur QL*c*. 164 b
7. inidoneitatem – idoneitatem CQNpL*c*.
18. bonum et malum – et (*om* N) malum et bonum S.
28. possunt consequi – consequuntur S.
37. compositionem – operationem C. 40. perfectio – enim *addunt*.
57. purgabitur. 64. ab invicem *om*. 68. actum – per actum.
72. tempesta. 73. sequetur Q*c*.
8. nobilissimum – nobilissimus CQLN*c*; *cf.* 169 a 1. 165 a
20. Et quoad hoc ... 23. adiunctum – Et ideo quantum ad hoc poterit purgare mundum per ignem in sua puritate exsistentem; quantum vero ad hoc quod habet de extraneo adiunctum poterit purgari. Et sic diverso respectu idem erit purgans et purgatum: quod non est inconveniens QLM*cp*; *cf. var.* C *seq. et* Praef. n. 58.
22. purgari *post* 21 poterit N.
iste ignis – ipse mundus C, *om* N.
28. Sed secunda – secunda. 31. quam per aquam *om*.
32. congregandi S. 40. panni – paleae QL*c*, paniti N.
58. elementari – elemento QLM*cp*, elementato N.
66. ignis – qui est *addit p*. 67. ignis ille *om*.
68. cum isto *om*.
8. undique apposito combustibili – appositus combustibili undique. 165 b
11. videtur – dicitur S. 17. terrae – medium.
24. esset *post* 25. considerantibus.
28. inundatione – mundatione CQL, inmundatione N.
40. calefaciente – faciente *cp*. 41. nisi – non *cp*.
44. alterum – aliquid alterum LM*cp*. 54. virtus – eius *addunt*.
71. eiusdem – alterius CQNpL*cp*.
73. operatione – virtute vel operatione.
32. etiam caeli *om*. 40. cubitus; *cf.* 162 b 40. 166 a

57. aut qualitatem *hom om* QLM*cp*.
166 b 1. verbo – modo. reservari.
16. ille maximus ignis – ignis maximus.
17. consumet – absumuntur QLM*c*, absumet *p*, consumentur CN; *cf.* 167 a 27 consumet.
24. illa – alia S. 28. oportet *om* QpL*c*, videtur sL*p*.
33. mutabuntur – perducentur vel mutabuntur. 53. quia – qua.
61. non *om*. 63. dicitur S. quintum – verum.
167 a 22. corruptibilium *om*. 27. sequitur – quod *addunt* S.
36. esse *om* Q. 44. supra parum ante – parum supra ante.
52. et *om*.
167 b 19. et *om* LM*cp*. 30. altitudines C.
32. transire per – pertransire S. totam *om* Q.
45. concedemus QL*c*, concedamus *p*. 47. virtutem *om c*, vim *p*.
68. In ... illud – Circa. 69. didicimus – dicimus *omnes*.
70. fidem *om c*, conversionem *p*.
71. iudicaturum – venturum vel iudicaturum.
168 a 11. divini iudicii – sententiae vel divini iudicii.
24. initium iudicium – initium. 25. colligitur – colligi potest S.
26. ex ... dicitur *om*. 32. autem – et.
44. omnia – di Q, *om* LM*cp*. 48. quo a me – quo ad me QpL*c*.
61. designatur – in littera designatur CN. 69. Christi – solius *addunt*.
168 b 4. utraque S. 6. status ... 7. quia *om* QLM*c*.
14. inveniuntur. multa *om*. 19. naturalis.
27. camino – ignis *addunt*. 41. per ignem *om* Q.
55. et voluntarii – (et N) voluntarie S. 56. autem – enim.
60. brevis fuit – sit (fuerit N) brevis S.
in comparatione ad poenam – in purgatione C.
62. quantum – quantum quam QL, quam M.
amittet – amittit S. 63. abbreviatione – brevitate.
67. super Malach. illud III. QL.
169 a 9. ab heri – haberi. idest *alt. loco om*.
12. est alius ab – non est.
26. innovationi ... 27. purgatio – innovationi hominis congruat. Purgatio autem QLM*cp*. 27. quando – quod QLM*cp*, quam N.
28. a bonis *om cp*. 32. erit *alt. loco* – erat.
33. retrudetur – remittetur QLM*cp*, recludetur N.
40. subtile – sensibile. 49. detrudetur QLM*cp*, recludetur N.
50. remunerabitur – remutabitur *cp*. 52. recludetur N.
58. damnatorum *om* LN, *post* ab initio *c*, *ante p*.

Quaestio LXXV.

169 b 9. mortuus *om*. 21. omnibus – ceteris S.
24. autem – *modernae* Suppl; enim *omnes*. 28. sufficiat QLN*c*.
34. conformis. 43. nec – non (nunquam N) *ante* 44. erit S.
52. reparabitur – homo reparabitur *modernae* Suppl.
54. capiti – sL; corpori *omnes*.
64. quam quidam ... posuerunt – (ad *p*) quam quidem (quidem *om* M) hominem posse pertingere in hac vita quidam posuerunt.
170 a 13. in principio Secundi Libri *cp*. 18. homo *om* C.
23. si in – sine *cp*. 24. est necesse QLM*c*, et ideo est necesse *p*.
26. atteretur *om* S.
32. Abrahae animae QL, Abrahae ad salutem animae M.
45. sicut... 47. ita – sic ... et ita. 47. habeant – et perfecte *addit* C.
50. purgatorii *p*. 55. quamvis – et quamvis S. conformis.
56. quid – non tamen simpliciter *addunt* LMN*cp*, non tamen simpliciter loquendo non tamen simpliciter est aliquid *etc.* Q.
65. in aeternum. 67. erit – non erit QpL.
170 b 3. particulationem – participationem CN, particularitatem *p*.
36. Psalmus *om*. 39. omnino – animo QLM*cp*, animo omnino pN.
42. multi *om*. frequenter *om* S.
44. particulatio – perditio C, participatio N.
48. quod – omnes *addunt* S. 73. respicitur C. 76. ipsa C.
171 a 6. resurgendo revocatur – vivendo revocatur vel resurgendo.
7. arbustis. 17. expectatio – purgatio QL, operatio *c*, reparatio *p*.
27. naturaliter – similiter Q*cp*, *om* L.
33. sunt – non sunt. unum – non. 34. modum – non modum Q.
38. Ergo – Quare C.
43. quandoque *om* QL. a principio *om* QLM. 56. definita *om* S.
59. potest dici – potest esse QLM*cp*, est N.
171 b 32. supra – contra QL. 40. terminatur – determinat C.
40. secundum – per *omnes*. 53. non *om* Q*c*.

Quaestio LXXVI.

172 a 4. homo liberaretur – hominem liberaret S.
9. aliorum resurrectionis *p*. 18. dormientium *om* C.
25. Ergo – resurrectio *addit c*, resurrectio Christi *addunt* L*p*.
33. primitias – secundum primitias *c*, secundum humanam naturam primitias *p*.
43. istius effectus – respectu istius effectus QLM*cp*, *om* N.
Hoc ... dupliciter *om*. 46. qua – quo S.
54. generativa – generationis S.
56. illud – illud idem S. 75. ipsa *om*.
172 b 4. omnia *om* S. 6. sequatur.
13. in rebus statuit – rebus instituit. 17. ordinem – modum *cp*.
18. ordinaret. 26. homine resurgente – honore resurgente Q.
29. aliquid de similitudine resurrectionis – aliquid similitudinis de resurrectione QL*cp*, aliquid similitudinis (Christi) resurrectionis M.
30. quam – quod S. 41. divina *ante et post* voluntate.

42. haec sint – hoc sit S. 55. aliqua – illa S.
60. primi *om* S. 64. effectui – et effectum.
75. venit – quod venit C, qui venit N.
1. paret – parit QpL*c*, parat M, apparet CN*p*. 3. ut mundo. 173 a
21. quae – qua S. 24. statim *om*. 28. noster *om*.
32. ad ... tubae *om*. 36. proferuntur – feruntur. illa *om*.
39. profertur – fertur S. 40. sentiendi *om cp*.
42. sequitur – se QpL*c*. 46. autem *om* Q, est *om* LM.
54. ostensiva – offensiva. 69. crassiora – grossiora S.
71. omnia – omnino *omnes*; *cf.* I^{a}. qu. cx. art. 1. S. C.
6. absque *om* QL, sine M*c*, non *p*. 173 b
10. patet – dicendum quod patet.

Quaestio LXXVII.

45. aliis – omnibus S. 67. infra – ita S.
70. omnium *om* S.
14. crassiora – grossiora S. 19. statuit (*om* in) rebus. 174 a
21. Et *om* S. resurrectio *om*. 26. hoc – quod.
30. Empedeocles QL. 34. quae – quod. 35. ad hoc *om*.
35. influat – fluat CQL*cp*. 39. quoddam *om* S.
40. consurget 42. resurrectionis *om* S.
47. Christi *om* S. 58. scilicet – si.
62. semper – ut semper S. 64. probabiliter.
67. ibidem – alibi CQMN*cp*.
75. testimonium – testamentum QL, textum C. de anticipatione.
10. Chiliastae – cibaste QLM*c*, thybaste N; *cf.* 187 a 41. 174 b
11. ostendit – dicit. 21. autem non – autem annorum non.
23. Quia – qui C. milarius Q, milinarius L. 25. milliarius QL.
27. decies decem decies mille sunt – decies decem mille sunt QLM*c*, decies decies sunt x mille N, decies decem centum sunt et centum decies mille sunt *p*. 35. quodam periodo CQLM*c*.
41. paratum – determinatum S.
44. Diem pro anno dedi tibi – Dedi tibi diem pro anno dedi tibi QLM, Diem pro anno diem inquam pro anno dedi tibi *cp*.
52. usque ad finem – in fine. 69. nosse – noscere QL*c*, nosce N.
2. aliorum S. 3. omniae aliae Q, reliquae omnes CN. 175 a
7. enumerari L*cp*. 16. nec – non *ante* potest.
17. semper *om*. parati S. Christum.
19. nosse – nosce QN, noscere L*c*. 26. falsiloqui – falso loqui.
41. dies de – de. 45. cum – et. fere – vere C.
58. passa est – et passura *addunt* CN. 74. Iob – Io(annis).
4. finis – perfectissimus *addunt* LM*cp*; temporis *om* Q. 175 b
27. quasi *om*. 33. finis – terminus QLM*cp*, pars N.
45. geruntur S. 55. resurrectio mortuorum *om*.
61. ad quod – quo QL.
6. immediate – mediante. 8. dicat – dicatur *p*. 176 a
14. Ezechiel – ore QLM*c*.
15. (sicut et Moyses *om*) Unde sicut et Moyses.
18. Ezechiel – eczechiel ore QL, ezech. ore M*cp*.
22. natura, tamen – non tamen QL. 23. sunt – simul *addunt*.
25. dicendum *alt. loco om* C.
27. sonus *om* CN. habebunt C. 30. sed – scilicet.
31. facilitatem – facultatem S.

Quaestio LXXVIII.

71. in originali – mortali C. 74. circa finem – in fine S.
6. eliget – elegit C. 8. Semen quod seminas C. 176 b
13. Sed ... 14. vivificabuntur *hom om* QLM*cp*.
14. Ergo ... morientur *per* va cat *delet scriptor* L.
34. necessitatis *om cp*.
37. motus ... 38. omnibus – ut vita quaedam natura existentibus est motus caeli. 48. praeteritorum QMNL*cp*.
51. quando – quasi. 56. scilicet si – si.
61. illi ... conciperentur ... 62. indigerent.
64. non – in N, *om* QLM*c*, *ante* indiguerunt *p*. indigerent M.
68. sanata est – senatio est QpL, sanatio est MN*c*.
69. enim – autem *omnes*. 72. nisi *om* QL*c*. 73. fructus QLN*cp*.
4. sequitur, si – quod sequitur M; *cf. var. seq.* 177 a
5. non moriantur quod – *modernae* Suppl; *om* C, non moriantur quamvis non (non *om* M) QLM*cp*, non moriantur quod possit sine errore poni quod aliqui N *et est homoteleuton : cuius omissione, ut videtur, textus* C *claudicat*.
licet – quamvis CN.
34. termino ... terminus QL*cp*, termino *utroque loco* N.
38. sic si – sic QL*cp*. boni – boni autem *p*, et boni N.
44. saltem *om*. 49. rationibus – orationibus QpL.
66. etiam – enim *p*.
7. ideo – est ratio quia. 177 b
6. Augustinus – Hieronymus QLM*cp*, Dionysius CN; *cf.* I^{a} II^{ae} qu. 4. art. 5. arg. 4.
51. Patet – Prima, *dein* patet *post* Augustini QL*cp*, Prima patet MN.
56. redit – cedet *omnes*. *pro* fieret *lege* homo fieret *cum* C.
quae ... 57. animavit – quo (quo ut L) illud prius fieret et viveret cresceret et animavit QLN, quo (quod M, quae *p*) ut illud prius fieret et viveret (viveret et *p*) cresceret animavit M*cp*.
58. naturali *om* S. 65. semper *om* S.
2. unius – eiusdem. 17. quod – et quod *p*. 178 a
18. cruciabuntur N*p*.

Quaestio lxxix.

56. videtur – ergo videtur. 66. corpus ... idem *om p.*
67. Praeterea ... idem numero *hom om* QL*c*.
178 b 2. forma – poena. 5. dicitur QLN*c*, dicitur in *p.*
6. salvatorem – salutare. 21. secundo *(alt. loco) om* NsL*p*.
23. fuit *om.* 26. rationis – resurrectionis *cp.* bestialem *om* S.
29. canis – carnis. luxuriam – iracundiam N.
36. dicunt quod *om* C. 48. illae duae praedictae.
52. positiones – opiniones (positiones N) philosophorum S.
58. praeter hoc – propter hoc QL*cp*, praeterea M.
60. quam – quod. 62. resurgere *cp.*
66. corporis assumptio – operis (corporis M) sumptio.
70. nec ... habens – sed nec ... habet. 71. fallicolis QpL*c*.
74. est *om* QL, quae est *om cp.*
179 a 25. forma *alt. loco* – qualitas S.
28. materia *om* M. necessaria *in spat. vac.* M; *an* apta *legendum?*
37. quod *om.* 39. philosophorum *om* QLN*cp*.
44. substantialis *om.* 55. quaecumque – enim *addunt.*
58. potest post – potest. mutatione *p.*
63. hominis *et* 64. homo *om* S.
179 b 1. unus – idem QLM*cp*. si est *om* S.
2. idem *om* L. unus – idem unus.
12. II Phys. et Commentator – phi et 9 Q, phi (29 *pro* et 9 *supra r as.*) L, phi 2 *c*, 2. Phy. *p*; *cf.* 154 a 9.
13. aere reficiatur – reficiatur. 31. quod propter – propter quem.
35. loquendo *om.* 36. quod resurgit. 38. praedicit S.
49. et ex igne ... 51. specie *hom om* S.
72. est duplex ... 73. forma totius *hom bis habet* Q; L *post* totius *expungit* duplex materia et forma totius.
74. forma partis *hom om* QL*c*, dicitur autem (sed dicitur *p*) forma partis M*p*. 75. forma – materia.
180 a 11. essentia vel – essentialis.
15. Ratio autem – Prima autem ratio probans diversitatem humanitatis futuram CN.
18. etiam *om* S. 20. Quae *om.* 35. quia – et.
37. sensibilis ... 39. eadem anima *hom om* QL*c*.
50. earum varietas – eorum varietas QL*c*, eorum varietates *p*.
51. potest – possunt QLM*cp*. 52. sicut – sint C, sit N.
61. forma – quaedam *addunt* QLM. 72. in – cum.
180 b 29. totius *post* partes *pr. loco* C.
30. Sicut ... 32. heterogenei *(hom in lectione* Q 32.) *om* L.
31. ossis – ossum Q.
32. heterogenei – homogenei QN*cp*; al' homogenei *margo* M.
46. si – quod. aliquid – ali *in fine lineae c*, aliud aut *p*.
47. in una, in aliam – in unam aliam.
50. non ... 51. accidentalibus *homoeot. om* QL*c*.
61. organicis – vel heterogeneis *addunt modernae* Suppl.
similibus – similaribus *modernae* C, homogeneis vel similibus *modernae* Suppl. 62. materiae *om* S.

Quaestio lxxx.

181 a 25. furi *om* QL*c*, eius M, ei *p*.
32. Sed capilli et ungues – sed ista QLM*cp*, quae N.
44. originaliter – artificialiter et originaliter.
45. partibus – parte. 55. oporteat – oportet; *cf. var. seq.*
56. oportet – etiam *addunt.*
58. hominis *post* corpore QLM*cp et post* reparentur QL.
61. materiae ... 62. habitudinem *hom om* QpL*c*.
181 b 6. serrae – scientiae QLN*cp*, instrumento C.
7. ut principio – ut Philosophus dicit CMN.
9. post meretur – promeretur.
16. capilli et ungues – humores L; *cf. infra* 39. et 182 a 4.
17. non ... 18. ungues *hom om* QL*c*.
19. huiusmodi faeces – superfluitates vel faeces.
27. Sed ... 28. sensibili *hom om* QL*c*.
39. *In* CQL*c sequuntur Responsio et Solutiones articuli tertii, ibi vero quae ad hunc locum pertinent;* N *invertit Responsiones, sed non Solutiones. Notat* L *hic margine* « Nota quod argumenta istius articuli pertinent ad sequentem articulum et argumenta sequentis pertinent ad istum »; *ibi vero:* « nota quod argumenta istius articuli *(supra ras.:)* pertinent ad praecedentem articulum ». *Forte in autographo Commentarii ordo iam inversus erat.*
40. sicut – et sicut. 42. quibusdam – quibus QpL.
51. coopert uram. 56. ipso – Christo QpL*c*.
64. individui ... perfectionem *hom om* QLM*c*.
182 a 4. humores – capilli et ungues L; *cf.* 181 b 16.
22. consimilibus, consimilia – similibus (et *addit* N) similia CN.
26. nunc vinum non – nunc vinum QpL, non vinum sL, vinum non N.
29. *cf.* 181 b 39. ad integritatem – de integritate.
33. eius – humanae naturae QLM*cp*, ipsius N. 38. aliquo.
39. generativae ... nutritivae – generantem ... nutrientem C.
46. secundum quam – quae S. 47. ordinat S.
59. ros – res QLMpN*cp*. 61. vocatur *om.* 66. sit – haec sit.
67. resurget ... resurgunt – et resurget sicut et membra.
70. et sanguinis *om.* 71. Vel *(alt. loco)* – Sed.
182 b 15. totam – tantam S. 31. fuit *om* QL*c*, est MN*p*.
39. non *om p.* quod idem ... 40. potest esse *hom om* QLM*cp*.
45. in carne commesta S. 51. fuerit *om.* 65. qui C.
183 a 3. imperfectio – hominis *addunt.* 9 ad ... habet *hom om* QL.
10. cognitori – cogitari. 13. dicitur S.
26. et ... pervenit – ut ... perveniat. 33. naturalem *om.*
59. et refluere *hom om* S. 63. sed – et.
64. quod radicale dicitur – ut radicale dicatur *modernae* Suppl.
66. quod – quia C. 69. percunctatae – positae S.
69. debent hic repeti – oportet hic repetere S.
2. addit. 13. eo – ex eo QLMN*c*. generatur S. 183 b
16. in *om* S. alimentum – in alimentum MNsL*p*.
25. et non ... 27. quantitatis *hom om* QL*cp*.
29. quod *pr. loco* – quia S. 30. hominis *om* S.
32. duplici – quod patet duplici.
33. super hoc quod – illud (*om* N) quod super hoc S.
ut – propter QLMN, ut propter *c*. 38. veritatem – virtutem S.
58. et primo, et – et QM*cp*, et primo N; L *om hom* et ... 60. naturae.
67. in partibus *om.*
14. illa – *modernae* Suppl; alia S, alia scilicet secunda C. 184 a
20. Ita enim etiam – Alias enim S.
37. fuit ... 38. primo *hom om* QL*cp*.
3. hoc *om* S. 6. supplente – implente S. 184 b
37. ut patet ... 39. materiam *om* QL.
39. materiam – quae non manent in corpore sed fluunt et refluunt *addunt* M*cp*; *cf. var. praec. et contextum.*
59. quantitatem – speciei *addit* L. figuram – signatam.
63. utraeque habent C. 64. et – vel C.
68. ponit – possit *c*. prima ... 69. ponit *hom om* QL*c*.
4. in nutriendo C. 9. ergo – autem QLMN*c*. 185 a
25. ad animam – adā Q *et ut videtur* pL.
30. utrasque – sque Q, *om* L.
31. tamen perficit partes *homoeot. om* QL.
materiam – potentias QL.
32. secundum materiam – scilicet quasque QL.
33. resurrectionem – invicem QL.
35. interminatas oportet – increatas sed QpL.
36. receptionem *om* QpL, adventum sL.
37. secundum huiusmodi dimensiones – huiusmodi dimensiones et dimensiones QpL, huiusmodi dimensionum sL.
38. Sed – si Q*c*. 39. Unde – Et ideo QLM*cp*.
40. fit – est vel fit QL*cp*. respicit – recipit QL*cp*.
41. rationem – resurrectionem C, naturam N. 42. in *om* QL*c*.

Quaestio lxxxi.

69. primo – primum C, *om* L. 73. eadem *om.*
18. crementi – augmenti C; *cf.* 237 b 33. 39. deducetur S. 185 b
49. Sed quantitas durationis *hom om* QL*c*. 52. in omnibus *om cp*.
58. omnia alia – omnia QLN, alia *cp.* 65. alias – nam alias C.
24. proportionem – proportionalem QpL, proportionabilitatem *cp.* 186 a
35. potest – non potest QL.
36. *Solutionem hanc bis habet* Q; *altero loco scriptor expunxit per* va cat, *erroris dum rubricabat conscius factus.*
46. de nanis – inanis Q, in vanis L*c*, de gnanis N.
62. tolletur – cessabit vel tolletur. 65. perfectionem – formam.
4. per dictam – propter. 10. dicuntur – cum dicitur. 186 b
11. occurremus.
12. propter – dicitur propter; *cf. var.* 10. sexum – aetatem.
24. ut ex dictis patet *om* QLN*cp*.
31. nutritivae – virtutis *addunt.*
33. legitur – dicitur, *hic* M, *post* Christum L*cp*, *utroque loco* Q.
34. Ioan. *om* QM, Matth. L*cp*; ult. et *om* M.
38. virtuti nutritivae – virtutē nutritivae QL; Q *rasuris corrigitur.*
43. sive felicitas *om.* 44. perfecta – propria C, prima N.
53. magna – magis. 63. deferetur – differtur S.
69. homini *om.*
12. humanam *om.* sumpsisse *cp*, reassumpsisse N. 187 a
18. Christus – tempus QLM*c*. intermiscuit *c*, non intermisit *p*.
22. varietas – varie C. 23. et in specie et – in specie et etiam.
29. glorificabitur S. 30. erit *modernae* C; erat *omnes*; ei *om* C.
36. ac ... delectationes *homoeot. om* QL*c*.
37. infirmum gustum – instrumentum gratus Q, instrumentum gustus gratia cuius *c*, infectum gustum N.
41. Chiliastae – ciliarce QLM*c*, ciliarche CN*p*; *cf.* 174 b 10.
43. spirituales ... 44. delectationes *hom om* QL*c*.
44. quaerendae – sunt *addunt.*

Quaestio lxxxii.

69. nunquam – nunc QpL.
74. in potentia ... 75. erunt *hom om* QL*c*.
10. post resurrectionem *om* S. 11. erunt passibilia – etc. 187 b
22. deperiet QLMN*c*, deperit *p*.
36. corruptivum – cōmativum Q, commotivum MNpL*c*.
Ab – Sed ab sL. 38. nihil – aliud *addunt.*
53. modo – nunc S. se habent *om.*
62. tollatur – totaliter QpL*c*, totaliter auferetur M.
63. qualitates sed non habebunt *homoeot. bis habent* QpL.
67. actio – et passio *addunt.* 75. divinam virtutem.
4. materia – natura C, m' (*idest* matrimonium) QpL. 188 a
5. quinti – quanti QpL. 10. dominabitur – dabitur.
18. cum – tam Q, tamen L, ut N.
19. attribuit QLN*c*, attribuerit M. 21. etc. *om.*
30. contra naturam – circa materiam C.

31. potest materia – subiici materia subiicitur (subtrahitur N) S.
35. etiam ipsa - iam. 43. immortalitatis.
62. omnino – dia (divina) QL, divina Mc, divina virtute *p*.
65. ideo *om.*
188 b 6. Constantinum QL*cp*, Consentivum C.
12. et dimittet – admittet. 17. qua – quia S.
23. erit; et quaedam – est quaedam QLM*cp*, et quidem C; *cf.* 238 b 52 *et* IIIª. qu. LIV. art. 4.
24. corpore – sancto *addunt.*
35. Sed ... pati *hom om* QLM*cp*.
36. quod – qui QLM*cp* *(cf. var. praec.)*, quia N.
46. maioris meriti – maiores meriti Q*c*, maiores meritis L, maioris meritis M, maiores merito *p*.
59. fruitur – servitur C.
72. propterea – praeterea QLM*cp*, prima CN.
189 a 27. ab animato. 33. eo quod – circa quod QLN*c*, etiam quia M.
37. quod quia ... 40. quod – quod ... quia.
49. aliqua alia – aliqua. 50. fit forma ... nunquam *hom om* QL*c*.
52. sensibilibus – sensibus *cp*.
62. imaginatione – agnatione Q(pL), imagine M.
63. vel in superioribus viribus aliis. 69. corporum – corporibus.
75. ipsum – tempus QpL, ipsis *cp*.
189 b 1. et adusta *om.* 4. species *om.*
6. non *hic et ante* 5. tamen QpL*c*. 9. habebant – exercebat.
16. ex hac passione S. 23. natum sit – sit natum sit (sic M*cp*).
31. et non spiritualiter *om.* 37. intellectus – intelligens *cp*.
45. non *ante et post* minus Q*c*.
46. artis *ante et post* regulas Q, *ante* M*cp*.
49. sentienda – facienda. aut agenda *om.*
50. impedient QLM. 53. comparatur QpL.
54. intensam – diversam QLM*cp*, immensam C.
56. influendum – serviendum QL*c*, instruendum M.
65. actu sensus – actu sensus actu sensus Q*c*, actu sensus actu pL, actu sL*p*, actu sensu C, sensus (tactu *etc.*) N.
190 a 2. fumali – finali. 6. et Sensato *om.*
8. Dei visione – divisione QL. 18. in ea – in QpL, ibi MsL*cp*.
20. Sed ... 25. angulo *homoeot. om* QL*c*.
27. sub *alt. loco* ... 28. videat *hom om* QLM*c*.
28. a remotiori – a remortorio Q, a remotorio pL *ut videtur*, a remoto C.
29. valde *om cp*. 31. actui – actu CQL*c*.
56. Laus etiam vocalis – localis Q(pL)*c*. Augustinus *om.*
59. Esdrae – Oseae *omnes.* 60 canticis. etiam balis Q.
62. in actu *alt. loco* – ibi. 64. erit – ibi *addunt* S.
68. animalis – animatum.
190 b 4. urere *om* S. 7. Si – Sed QLM.
13. vultures currunt – odor in vulneribus (vulturibus sL) immutatur QL*c*, vultures immutantur *p*, *om* N.
ad cadaver – ex cadavere QLM*c*, ad cadavera *p*.
14. nec – cum tamen non *p*. 25. suppressus – respersus.
28. cognoscet – et cognoscet QL*cp*. 29. odorum – odor QpL.
32. quod – et. 33. immutabit QNpL*cp*.
37. incensio QLN*cp*. 39. quod *om.* 52. tollit S.
59. perfectior – fortior S.
60. debilior – fortior magis debilior Q, quamvis (quam sL) debilior L.
64. a remotis.

QUAESTIO LXXXIII.

73. non glorioso *om* QLM*cp*, corpore *praefigit* N.
191 a 1. Quarto ... 2. loco *restituimus ex initio articuli* 4; *om* QL, Quarto utrum duo corpora gloriosa possint esse simul in eodem loco N*cp*; M *om* glorioso in eodem loco. 21. ita *om.*
30. quantum ... 31. maiores *om* QL*c*. 31. nec ... maiores *om* M*p*.
31. ut ... 32. patet *om* S. 32. Ergo non – quae tunc QL*c*.
42. penetrandi – scilicet penetrandi *post* assumptum.
43. quod est *om.* completivum C.
44. partibus – C *interpolat haec*: quia propter naturam humidi, quod male terminatur termino proprio, bene autem alieno, sequitur suum tangens, et fluit undique ad suum capiens, et sua subtilitate quamlibet eius partem minimam subintrat. *Est B. Alberti*; *cf. locum cit. marg.*
53. subtilitatem esse – subtilitates (subtilitatem MN) naturae esse QLMN, subtilitatis esse naturae *cp*.
54. etiam aurum vel aliquid – autem. 63. rei latentis.
64. aliquod – *an* ad aliquod? visu – visum.
66. etiam *om* S. diversi *om.* 71. spiritualia *om.* 73. hoc *om.*
191 b 3. naturaliter *om* C. 4. sicut nominat – nominaret.
13. Luc. ult. – Spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere *addunt* QL*cp*; *est reliquia homoteleuti* quod 14. ... 16. Luc. ult. *omissi et restituti*; *hoc hom om* N.
19. praedictam – hanc. 20. patitur – potest.
38. est – videtur S. 39. complexio.
64. Reformabit – Christus *addunt.*
192 a 7. non *om.* 9. hoc non potest. 27. animo – omnino.
41. ab eo id per *om.* 43. ab hoc – ad hoc.
51. Quod autem – quia quod. 68. in plus – plus S.
71. vacuum *alt. loco om.*
192 b 4. corporis *om.*
7. in minus – minus N*p*. in plus – plus *p*, amplius N.
8. Ergo videtur – Dicendum est ergo S. 12. hoc – in hoc.
26. a natura – an̄ (*idest* ante) Q, an *seq. spat.* M.

27. quia – quod QLN*c*, enim *post* 28. quantitas *p*.
31. enim – autem C. si sint – sint. 37. dimensioni S.
39. lineae ... 40. partes *hom om* QL*c*.
47. Unde ... aufert *hom om* QLM*cp*. 48. situs distinctionis.
53. adventionem – umbram.
67. Prima Parte – Secundo Libro CN; *cf.* Praef. n. 17.
2. puncto C. 8. corpora *om.* 19. duo corpora *om.* 193 a
25. B—V (*ita et* 31.) Q. 27. Quod ... 28. quia – quia ... quod S.
41. communibus – contrariis Q*c*.
49. Conclusio est – conclusionis Q(pL)*c*.
58. non *om.* 67. non *alt. loco om.*
13. esse unum. indistinctum *p*. 15. nisi *om.* 17. et *om* CN. 193 b
19. causis proximis – causa proxima N.
prima – Sicut supra dist. XII. dictum est quod esse accidentis dependet a subiecto sicut a causa proxima sed a Deo sicut a causa prima *hom addit* C.
22. ergo – et ideo QL*c*, ideo MN*p*.
35. fierent – esset QMpL*cp*, essent NsL. 41. ut – in.
54. communem animae conceptionem.
59. scilicet ... 60. distinctionis *hom om* QLM*cp*.
61. Sic – Si QMNpLc. 63. materiali – naturali S.
65. etiam *om* S. 71. nisi ... ab ea *hom om* QLM*c*.
14. aliud – aliquod QLMN*c*. 23. esse – ens. 26. esse *om cp*. 194 a
39. est ... gloriosum *hom om* QLM*c*.
51. suae – suo S; *ita* b 31 *omnes, sed* 196 b 15 suae. *Pro* libito *tribus locis* libitu Q. 55. quamvis ... 56. loco *hom om* QLM*cp*.
67. gloriosa *om.* 72. se ponet QMpL, seponet *cp*, se opponet NsL.
5. dicentur – dicuntur S. 7. humanorum *om.* 194 b
16. immo – unde C. 23. quocumque.
36. est in loco *hom om* QL*c*. 43. mediantibus *om.*
2. Christi – quod QL*cp*, *om* N. 3. et *om* L*p*; *cf. var. praec.* 195 a
17. partium *om.* 23. et ... videri *hom om* Q; vult–non vult LMN*c*.
51. Praeterea ... 54. impalpabile *(alterum argumentum Sed Contra) om* QL*cp*. 56. est tangibile *om* S. 57. natus – natum.
60. nequaquam – nunquam. 64. pertranseatur – pertranseant.
68. corruptibilia – corporalia.
2. sibi – subiecti C. 9. vult – non vult CN. 27. illorum *om.* 195 b

QUAESTIO LXXXIV.

56. proprior – prior CN. 57. ea *om* Q, eas NpL*cp*.
66. non habeat aliam – habeat.
21. eis *om.* 27. vel – illis. 36. localem *om.* 196 a
49. quod – sancti *addunt* S. 50. utantur. 54. adoptionem.
58. in caelo et mundo QL. 66. et *om* S. suum *om.*
75. conveniens *om* S.
3. quod – sancti *addit* *p*; *cf.* 196 a 49. 197 a
9. si fieret – non sit QLN*cp*. quod – quia QL*cp*.
12. in pleno *om* QL*c*, in velocitate *om* *p*.
13. cum ... velocitate *hom om* QL*c*; motuum *om* *p*.
sit secundum – secundum Q*c*. 26. inaequaliter.
36. tempus – tunc. 46. illo et partim in *hom om* QLM*cp*.
49. demonstratum – ostensum QLM*cp*, determinatum N.
51. Ergo non – non QL*c*, nec N, non enim M, non autem *p*.
58. transeat. 59. sicut ... 60. medium *hom om* QLM*cp*.
63. nobilitatem – dignitatem. 72. virtute – de virtute QLMN*c*.
73. qua – quam QLN*cp*. 74. possit non – non posset.
2. sic. Sit – sic QpL, Sit *c*, Si enim *p*. 3. 4. Z – e QLM, c *c*, et N. 197 b
9. alio loco – aliquo alio. 10. seu – et partim S.
15. Z *om* QLMN*c*, c *p*. 19. Z *om* QLN*c*, c M.
55. unum – totum. 70. inducit – dicentes *addunt.*
38. modo – *modernae* C; movetur *omnes.* 50. forma *om* S. 198 a
57. motui ... 58. resistentia est *hom om* QLM*c*. 61. tempus – ipse.
64. manet *ante et post* motus QpL*c*. 73. plenum – vacuum CQLM*c*.
6. temporis – corporis. 11. ex resistentia – ad resistentiam S. 198 b
17. mobilis et sic resistentia *hom om* QLM*c*.
31. superaretur – *modernae* C; separaretur *omnes*; *cf.* 36.
34. ratione ... 37. ad locum *om* QLM*c*.
36. superari – separari *p*; *ita* 38. QM*cp*.
39. tali loco vel in tali situ – tali sive tali loco QL*c*, tali loco M*p*.
45. vel situs – vel finis *c*, *om* *p*.
46. Unde quandiu – nunquam diu QpL, quandiu MsL, diu *c*.
53. totius *om.* 57. quocumque S.

QUAESTIO LXXXV.

67. necessario videatur *(cf. initium. art. 3)* – videri possit S.
1. partibus perviis – partibus (temporibus Q) parvis QL. 199 a
11. membrorum *om* S.
22. glorificatis – caelestibus gloriosis QL*cp*, gloriosis MN.
26. subtilitatis *om* S. 28. maiorem – minorem *cp*.
33. in regno – trē (terrae *pro* ī·re·) QL, terrae c.
43. attribuunt – assignant vel attribuunt.
49. spirituali *p*, spiritualiter C.
62. et vitro: auro *hom om* QLM*cp*.
vitro *(alt. loco)* – et vitro QLM*cp*.
67. causabitur *om.* 74. magis *om.*
2. non tollit sed perficit. 14. respectu *om.* 199 b
21. a non glorioso oculo. 28. claritas *alt. loco om.*
29. ut dicitur – Isaiae XXX *addunt modernae* Suppl; *cf.* 118 a 48.
32. rota – sua *addunt.* 33. multo *om.*

51. claritatem corporum eorum – eorum claritatem. 54. forte *om* S.
63. 64. canem – carnem QMpL*cp*. 64. qui – quae M, quod *cp*.
68. causam – speciei causam L*cp*.
75. Claritas ... 200 a 1. animae *hom om* QLM*c*.
200 a 7. iaspidis – lapidis QMpL, lampadis *cp*, lapidinis N.
9. Et ideo – non QpL*c*, unde sL*p*.
12. Praepositini – praepositìtu *verius quam* praepositini Q, Praepositi C, praeposit! N. 24. visus pL*cp*.
26. a visu alia – visu alia Q, visualia L*c* 28. insunt – sunt.
35. non necessario *om*.
47. et non videatur *hom om* S. (animae *om*) glorificati.
58. in potestate – imperfecte in potestate pL, in perfecta potestate *cp*.
59. Et ideo ... 60. occultet *om* L. 59. occultet *et* 60. vel *om* QM*cp*.

QUAESTIO LXXXVI.

200 b 19. felicitatem – perfectionem C. 29. removebitur *om* S.
31. mortui idest – et QL*c* (*cf. var. seq.*).
32. idest ... 33. membrorum *post* 30. incorrupti QL*cp*; *confusio oritur ex tarda restitutione homoteleuti* 30. Glossa ... 32. incorrupti. M *om* 30. Glossa ... 33. membrorum, *vel verius e lectione* Q *om hom* idest sine ... incorrupti. *Idem hom omiserat* L, *nam post* 30. incorrupti *scribit et expungit* Ergo mali resurgent.
56. enim – tamen. 59. debet – potest vel debet.
73. qui *om* QLM.
201 a 1. modus – autem. 2. poenis – peccatis. 11. et similia *om*.
16. quae *om* QMpL. 23. purum. 33. corporis – generis.
46. Praeterea ... 50. incorruptibilia *idest arg.* 2. *hom om* QLN*c*, *restituimus ex* CM; *solutionem habent omnes*.
73. primum caelum sit.
201 b 5. Corruptio – corpus. 10. providentiae – prudentiae QLN*c*.
20. corruptibilitatis. 29. caeli – caelestis S.
44. delectabile ... 45. simpliciter est *hom bis habent* QpL.
47. omnia *om*. 62. quod – corpora damnatorum *addunt* M*p*.
202 a 2. salamandria QL, b 14 Q. 3. animal – aial' al' QpL, anima M.
3. dolore – dolorem QpL. 4. Si *om* C. 6. dicit – dicere CQL*c*.
13. in praesenti ... separatur – in hac vita animam a corpore separari.
20. (in *om*) gloriae immutabilitate et impassibilitate.
26. simili ratione – resurrectione simili C, ratione simili N.
36. altero aliquo – aliquo subiecto S. 39. qui – quae C(N).
39. qui dicitur passio naturae – secundum quod aliquid in aliquo recipi potest QL*c*; *est incoepta repetitio homoteleuti* 35. secundum quod ... 39. passionis; N *legit*: secundum quod aliquid quae dicitur *etc. ut* C; M *iungit lectionem* Q *et nostram*.
60. afflictivi vel *om*. 67. quo – qui LM*cp*. 68. agentibus *om cp*.
202 b 1. in patiente ... 3. spiritualiter *hom om* QL*c*.
10. Galenus *p*. de Simplici Medicina CN.
12. quamvis quandoque quaedam S. 14. ebano QLM*c*.
14. Unde quod inducitur – Quod autem dicitur.
17. in inferno ... 18. damnatorum *hom om* QLM*c*.
33. ex ira – extra QpL*c*, *om* M. 36. quantumcumque CQLN*c*.

QUAESTIO LXXXVII.

203 a 10. Ergo ... 11. revocabunt – Ergo etc. N.
11. propria – prima *post* peccata.
17. alleviaretur – alienaretur QpL. 36. illa *om* QLMN*c*.
38. Et *om* QLN*cp*. 41. omnia – quia omnia *p*; *cf. var. praec.*
47. qui est *om* C. 75. iam ... quod *hom om* S.
203 b 4. nunc causa – causa nota QpL*c*, causa tota sL, causa vere M.
10. illi quos – aliquos QpL*c*.
14. magis augebitur – inaugmentabitur Q, magis (*om* L*cp*) augmentabitur LMN*cp*. bona – opera. 26. ad ea *om* C.
27. resurgentes non – non (nec N) resurgentes QLMN*c*.
29. vel cognoscitur *hom om* QLM. 37. eis *om*. 38. abolitus.
44. nolens – volens Q, nolens volens pL*cp*. et *om omnes*.
65. condemnantis vel praemiantis. 71. quia *om* QLMN*c*.
204 a 1. haec *om*. 4. hoc – quod *addunt*.
5. perfecte. cognoscatur S.
21. (in *om*) erubescentia vel verecundia. 22. confusione.
27. magna scelera fortiter – magis (magna M) scelera sua QLM*cp*, magis scelera fortiter N. 30. ex hoc quod *hom om* QL.
33. perpendens – agnoscens. 36. Dei – rei.
51. nisi – nisi in S, in C. 53. hominum *om*.
54. bonorum – beatorum et. 56. angeli – naturali.
204 b 11. intuitu – in nutu Q, minuta N. 13. considerabuntur QLN*c*.
19. responsio – solutio S.

QUAESTIO LXXXVIII.

38. unicuique *om*. 45. adoptione.
52. Ergo ... 53. esse – Ergo etc. 63. finem *om* QpL.
66. ipsius *om*. 70. eius *om* C.
205 a 2. procedunt. 3. aliquod – aliud S. 4. primae – potentiae.
13. per bonos – pro bono S.
per malos – pro bonis QLM*c*, pro malis N*p*.
25. datur de – de is Q, datur deus pL. 26. cuius – de cuius C.
29. iudicabit. 32. post quod – postquam.
36. nec etiam – etiam nunc QLM*cp*, etiam nec N.
37. plene – non plane *p*, *om* M. 41. incompleto.
42. quia *om*. 43. tanto plus – magis QLM*cp*, plus N.

45. universalitatem – utilitatem C. 48. omnibus *om*.
66. facta *om*. 75. mira – mentis QL*c*.
1. scientia conscientiam – conscientia QLM*cp*, scientia vel conscientia N. 205 b
2. et singuli – et angeli QL*c*, a singulis M, homines et angeli *p*.
4. simul *om*. 16. quoad *om* S. 32. mentaliter vel *om* CN.
38. etsi – si. innotescerent. 41. ipsis *om*.
44. his ... infideles – infidelibus.
48. immensam – in mensuram QL. prolixitatem – longitudinem.
62. probastis. quod etiam *et* 63. debeat *om*.
65. deveniemus S. 66. ponuntur C.
11. scit *post* Filius. 21. aliquid S. 29. decenter – dicetur C. 206 a
37. possit QNpL*cp*. determinare tempus determinate.
46. Ierusalem destructionis; *cf.* qu. LXXIII. art. 1. corp.
48. ad Ecclesiam suam venit – venit ad animam; *cf. ibidem*.
52. agnosci. 53. etiam – quae. 58. illo – iam *addunt* S.
61. quantum tempus *p*. 71. De Viribus Illustribus QL.
73. hora est *om* QLM*cp*, est *om* N.
5. definitus. 19. unumquodque CN. 206 b
20. non inveniat imparatos – veniat in (inveniat *p*) paratos *cp*.
28. omnes *om* S.
eos autem tantum – aut eos tamen C, eos tantum autem N.
33. Christo in – in Christo QpL, in Christi *c*. 34. qui – quia.
34. Sed ... 35. est *hom om* QLM*cp*. 42. locus *om*.
48. de monte – in caelum a (in *p*) monte QL*cp*, in monte N.
valli – valle QpL*c*.
55. qui descendit et ascendit S. praeeminens (praeminens L).
62. Christus *om*. 63. iniuste – iuste QpL*c*.
73. etiam in nube *hom om* QL*cp*.

QUAESTIO LXXXIX.

30. hominum – omnium QLMN, *iungunt cp*. 41. quasi *om* C. 207 a
50. consentiunt. Christo *om* S. 53. quasi – et quasi.
58. assessionem QLpM*cp*, sessionem N.
59. occurrentes obviam – obviantes QLN*cp*, occurrentes obviantes pM.
65. continetur sententia. 72. iam *om*.
73. infra: Quid vero – ita quia vero (nota *c*) QpL*c*.
3. fert – profert. 5. proprie *om cp*. 8. latam – prolatam. 207 b
12. sic *om* CN. 15. suorum *om* S.
16. visum admittere – insinuare mysterium QLM*cp*.
sensumque – seu unicuique QLM*c*. 24. quando *om* S.
33. duodecim *om*. 39. etiam *om*. 65. recte – ratione.
66. debetur – datur. 70. eis – in eis QLM. 71. reddentur.
75. praecipuum – praecipue QLM*cp*, primum N.
6. quam – qua CLM*c*. aliis – alii CQLM*c*. 208 a
potens erit – potentes erunt QM*c*, potentes erit pL.
13. hinc – hoc. 18. Nec quoniam – nunquam.
19. solos – severos QLpM*c*, seniores N. illis CQLNpM, illos pM*c*.
26. duodenarius – septenarius CQLN*cp*. perfectus S.
29. sectatoribus – sequacibus.
45. proposita – prolata vel proposita.
49. iudiciariam – ordinariam *post* potestatem QLN*cp*.
53. erit – perfecta (perfectio MN*p*) *addunt* S.
13. illo – suo. 18. conformes – proportionales vel conformes CN. 208 b
24. scilicet *om* QLMpN*cp*.
47. secundum Apostolum ... 52. Praeterea (*sive arg. 1*) *om* CQLMN*c*; *solutionem habent omnes*. 57. Deo *om* Q*c*.
60. ei ... eo – eis ... eis S. 74. ordines – omnes QM*cp*.
3. Et ideo sicut hominibus – dicit (enim *addit p*) Hieronymus sicut utique QLM*cp*, et sic ideo uti (et ideo sicuti sN) hominibus N. 209 a
angelos – bonos *addunt* S. 14. et daemones hominibus *om*.
16. ad finem suum – ad finem illum QM*cp*, illa L, ad finem ultimum N.
17. a ... finem *om*. 27. percipiunt S.
31. etiam – in QL, *om* M*cp*.
32. excipietur Q*c*, excipientur L, excipient MN*p*. 40. angelis *om*.
53. homines – in iudicio QM*cp*, homines in iudicio LN.
56. Ergo videtur quod non omnes compareant.
64. omnes homines *om* Q*c*, omnes *p*, homines L.
67. Haec autem non essent.
6. non *alt. loco* – sed. 8. significatae ... 9. gentes *hom om* QLN*c*. 209 b
27. iudicabitur C. 39. concutietur. 44. sive bona sive mala CN.
46. Praeterea ... 47. iudicabuntur, *alt. arg. Sed Contra, hom om* QLM*c*.
51. etiam boni in eo quod – et QMpL*cp*, etiam sL; in *om* N.
60. sed non iudicabuntur *om*. 62. lignum et foenum et CN.
64. proponunt *p*. studeant – praeponunt QLMN*c*, student *p*.
65. expiare – redimere *p*. 69. quod quia – quod CLN.
70. ideo magis iudicio – *modernae* Suppl; magis (autem *addit* C) Deo et iudicio CQLM*c*, magis Deo et in Deo N, et ideo magis *p*.
71. iustitiae *om*.
lege antonomastice, *quod semper scripsimus*; antonomatice *et* antonomasice *scribebant tunc temporis*.
1. incertitudinem CQM*c*. 8. quia *om* C. 210 a
11. tremendum – terrendum QLM*c*, timendum *p*.
20. enim est certa – contingit. 27. locutio.
28. ad fideles damnandos, infideles de sua – ad infideles damnatos ipsa de ipsa QLM*c exceptis* fideles M *et* ipsi M*c*.
35. malis *om*. 36. meritorum – peccatorum CN.
39. meritorum – operum vel meritorum. 40. requirat.
42. quamvis – qui quamvis *modernae* C.
49. audientia exterminari – audacia aestimari.
58. secundum hoc *om*. 59. quod – quia; *cf. var. praec.*

62. omnibus – hominibus. 72. iudicium *om.*
74. praecipitabitur – praecipitabatur.
210 b 6. rudentibus inferni detractos – videntibus (rudentibus sL) in infernum detactos (deiectis *c*) QLM*c*; (N pudentibus).
15. iudicabuntur – ut in littera dicitur *addunt Cp*; *lac.* N.
23. dum – unde. 24. in beatitudine Q*cp*. vero *om* S.
27. boni – et boni QLMN.
31. iudicantium neque ex parte *hom om* QLM*c*, ex parte *om p*.

QUAESTIO XC.

61. servi – humanitatis *p*. 66. invincibilis – invincipabilis QpL.
68. dirumpere. 71. Pater *om.*
73. non debetur Patri et Filio – Patri non datur Filio S.
211 a 5. Ergo – secundum (si N) hoc *addunt* CN.
8. resurrectio *om.* 36. superveniet Q(pL)*cp*, supervenerat sL.
40. admittimur – admittuntur M, admittantur N, admittitur C*p*.
42. quia – qui. 53. dominii – divina.
54. in ... 55. naturam – in ipso C. 63. quidem *om.*
211 b 4. eam *om* C. 8. per – ut per *p*. 9. ut videlicet *om* QpL*cp*.
10. Christus *om.* 11. consimiles – similes.
14. quae ... 15. attribuit *hom om* QLM*c*; *post* carne *adde* nostra *cum* CN.
17. effectum – defectum.
35. Et Chrysostomus dicit – ut Chrysostomus dicit, videlicet.
55. Sic et – Sicut S. 58. in eadem in iudicio – in eodem iudicio QL.
71. in quo veniet *om.*
212 a 13. carne – forma. 17. eorum *om.* 22. passionis – passionem et.
28. vel non demonstret *hom om* QLM*cp*.
30. omnibus – hominibus C. 32. ita gloria *om.*
36. scilicet invidiae – idest invidia. 40. iudicato – iudicio.
49. divinitas *om.* 51. hoc – in hoc. 72. eis *om.*
212 b 16. vel delectabili *om* S. 19. vel delectibilitatis *om* S.
20. id ... 21. potest – id quod non est habet aliquid propter quod ipsum esse potest QL*c et omisso* non M.
22. ita ... 24. admixtum *hom om* QL*c*.
26. delectabile vel appetibile *modernae* Suppl.
27. igitur – autem. 30. bonitas – bonum.
37. sicut ... 38. habere *hom om* QL*c*.
49. ad ... eius – ad essentiam ipsius bonitatis.
53. a contraria causa – a contrario sensu Q(pL)*c*, a contrario suo sL, a contrario M. 54. eam – aliam.
57. per indispositionem – indispositione QLM*c*, per dispositionem *p*.
60. indispositio – dispositio. 61. divinam bonitatem – divinitatem.

QUAESTIO XCI.

213 a 7. Ipsum quod futurum est – Ipsum quod fuit idipsum quod futurum QpL*c*, Idipsum quod futurum M.
12. omne – esse. 41. et mundus renovabitur – similiter et mundus.
61. essentiae – essentia QpL, essentialem *cp*, etiam M.
62. ei – eius CQLN*cp*. 67. oportebat.
73. ex hoc – ex ex° (*idest* exemplo) hoc QLM.
213 b 12. ista *om.* renovatio S. 21. quidem *om.*
23. creaturae – cantetur Q, *abrasa* pL, causaretur M*c*.
indita – inditata Q, indicata LM*c*.
29. insensibilia – sensibilia S. 48. sonat.
50. ut non ... 51. deficiet *hom om* S. 57. factum – falsum.
59. facere nisi – nisi facere. 60. alias ... remanerent *om* S.
73. caeli *om* S.
214 a 12. occidente – accidente QL. 15. soli – ei scilicet soli.
15. Sed nec uterque *hom om* QL*c*. 18. alia *om* S.
22. oporteret quod deficeret *hom om.* QLM*c*, deficeret *p*.
autem – est Q(pL), *om* M, enim N*cp*. 32. tuba – talia QpL.
36. occasus – occasio S. 46. consequeretur S.
47. quiesceret. 61. elementorum – electorum; *cf.* 57.
67. talis *om* C. corporis caelestis.
214 b 1. Altero – Nullo QL*c*, Alio M, Uno N. 2. non *om* QLM*cp*.
6. et alia animalia C; *cf.* 217 a 21. 11. generationis principium.
34. Genesi – genere C. 46. elementorum – electorum C.
57. habens – habent. adiunctum *om.*
59. ad *om.* tendit – intendit MsL*p*. 61. completo QNpLM*c*.
63. laborare – labor QLN*cp*. 65. etiam *om.*
67. in corpore – corpori. 73. situ – statu.
215 a 1. quamvis *om.* 2. habet.
5. respectu ... 7. disponitur *hom om* QLN*cp*. 6. sicut *om* M.
10. nostram – nostrum CQ*cp*, terram M; *cf.* Vol. III. pag. 132. v, 133 ψ.
12. caeli *om.* 18. astrologo *cp*. 25. nunc – nec QL.
28. determinans QLN*cp*. 30. quasi – quod.
31. hoc modo *om.* 38. duas – tres *supra ras.* L.
43. illud – aliud. 44. non *om.*
47. super inferiora – superiora QpL, ad superiora *c*.
49. rationem – quaestionem QNpL*c*, *om* C. 51. per motum *om.*
55. corporum – elementorum QLM*cp*, corpus N.
58. perpetui – perpetuari. 60. terminentur L*cp*.
67. ignem – ignis MsL*cp*; *cf. var. seq.*
68. purgantem – purgationem. purgans nunquam – non.
69. corpora caelestia *om.*
215 b 2. fiant – fuerint etiam QLM*cp*, fuerint N. 9. tunc *om cp*.
16. ut videtur *om.* 29. quae – quantitas.
39. crescet – maiorabitur (meliorabitur N) et crescet CN.
41. futurae *om.* 42. etiam *om.* 43. Ergo *om.*

45. qua – quia. 48. in mundo – mundo S.
57. Quantitas ... 59. Auctor – Quantitatem autem et modum meliorationis Auctor novit QLM*c*; *est correctio omissi homoteleuti* illi soli cognita est qui erit meliorationis.
69. corporis – lucentis *addunt* QLM*cp*; *est reliquia homoteleuti* 69. inquantum ... 70. corporis *omissi et restituti.*
72. non ... 73. eius – remanebit claritas eius et non remanebit motus QLM*cp*; *est correctio homoteleuti omissi* motus sed remanebit.
13. etiam *om* S. 14. germinabat – germinasset S. 216 a
17. augenda – lugenda QpL. 25. Unde *om* M*c*, non *om* QpL.
28. Sed – Et C. 29. alicubi – alicui QMNpL*c*; *cf.* 48.
32. modo luceat – nunc.
35. potest ... dupliciter – plus ... est dupliciter.
38. in auctoritate Apocalypsis – Apoc. XXI. auctoritate QLM*cp*, in auctoritate Apostoli C. 39. eget – indiget.
41. tamen *om.* 43. Moysi – Moyses QLM*c*.
48. alicui – alicubi S. 50. consuetus est – est *post* 49. etiam.
50. e contrario dicitur ei – est e converso. Dicitur enim.
53. expositionibus – opinionibus. 56. hominis – humanum S.
58. si corpora caelestia – ea; *cf. var. seq.*
59. dicantur *om.* tamen sicut propter – sicut ad.
60. omnium – hominum QLMN*c*. 73. propriae *om* S.
1. oporteat – aliquo (alio C) modo *addunt* CN. 216 b
2. raritas – claritas C. 3. per vie etatem QpL*c*.
8. in illa innovatione *om.* 14. sunt – insunt *cp*.
31. alia *om* S. 45. homines – in carne *addit p*.
47. deveniet id – pervenient QLM*cp*, devenient et N.
54. terra enim, ut dicitur – dicitur enim quod terra.
exteriori *om.* 62. maxime *om.* 64. eorum.
70. opacitatem – capacitatem QpL.
6. quantum *om* CN, quantum ad *om modernae* C. 217 a
9. sicut ... caelestibus *om* QLM*c*, sicut est modo in caelestibus N.
21. alia *om* QLN*cp*; *cf.* 214 b 6.
29. et *pr. loco* – similiter. glorificabuntur *om.* 38. finali *om.*
43. Sed *om.* 50. animalia *om.* 51. prius *om.*
52. resurgent *om.* quia ... 53. potest *hom om* QLM*c*.
54. sed *om.* 56. videtur ... 57. remanebit *om* Q.
62. corruptibilibus – corporibus CN. 63. continua occasione N.
64. motus caelestis deficiet – ille cessabit QLM*cp*; *forte est correctio omissi homoteleuti* Sed ... caelestis.
69. virentia – violentia Q, vi(ren *supra ras.*)tia L.
2. ut *ante* 3. perpetuo. 9. quidem *om* S. 14. bruta *om.* 217 b
16. et ex *pr. loco* – sed ex hoc ex Q, sed hoc ex LM*cp*, sed hoc est ex N. 22. generales *om.*
25. non remanebit – remanere non potest.
30. meruit – hoc meruit S. 33. illa *om* Q*cp*.
35. sibi ipsi – ipse sibi ipsi QLM*cp*, ipse sibi N.
41. huiusmodi immutabilitatis. 42. futurae *om.*
43. de *om.* 44. illius *om.* 51. quae inest – in.
54. potest appetitus esse – est appetitus S.
55. primi mobilis motu.

QUAESTIO XCII.

20. cognitionem – omnia existentia et omnem cognitionem. 218 a
24. ut *om.* 31. vidit *alt. loco* – videtur.
35. Invisibilis – Non visibilis QLN*cp*.
37. hominis *pr. loco* – hominum.
38. ita erit invisibilis – sic erit. 41. aliquam *om.*
58. esse unum esse – esse unum S. 62. Sed – et *cp*.
66. per effectus – perfectius QpL*c*.
1. ut ... 2. intellectu *homoeot. om* QL*cp*. 6. sicut – si C. 218 b
19. videre – scire *cp*. 44. sic *om.* 46. in speculo et in C.
54. dicit Glossa *om.* 61. essentialiter – per essentiam S.
71. mihi ... Ostende *hom om* C.
9. refert – confert. 18. in hoc est illis – est illis adhuc. 219 a
21. divinae ... visionis *hom om* QLM*c*.
23. haec positio – hoc ipso QpL*c*, hoc sL, hoc ipsum *p*.
31. videndam – vitandam Q, vidandam L *utra manu* d *nescio.*
36. secundum nos *om* S. 38. possumus.
40. divinam ... 42. essentiam *hom om* QLMN*c*. 44. posuerunt S.
44. Avempace – anepeche Q, avepothe L, an̄ epethea M, avēpethe (*et haec est forma usualis*) CN.
51. me et te – met te Q(pL), Mecte M *in spat. vac.*
54. imaginabilibus; *cf.* 52. 66. non habentes – quae non habent *p*.
75. unius – eiusdem.
27. ab ipsa in – ab ipso QMpL, ab *cp*, ab ipso in CNsL. 219 b
30. perfectae – divinae. 41. eandem – eius.
41. pertingit – non pertingit *cp*. sed – scilicet QLM.
42. analogiam – ad unum *addit* sL *in spat. vac.*, sive proportionem *addunt cp*. 50. fieret – fuerit C. 59. ita *om* C.
65. etiam – scilicet. 71. aliqua – alia.
75. quo – qua CQN*c*; et quo intelligitur *hom om p*.
7. simplex. 10. enim *om.* 15. forma *om.* 220 a
16. lux – vis CN*p*. 20. sufficiat *om* QLM*c*; ad hoc *om* Q.
37. intelligitur – intelligit intellectus S.
46. spiritus – ipse homo S. unitur.
49. visio ... 51. excludatur *hom om* QLM*c*.
51. visio intellectualis – et (etiam L*cp*, esse MN) intellectualis visio S.
52. Tertio – Alio.
55. hic – huiusmodi *omnes.* in evangelica QM(pL)*c*.

57. hic est Evangelistae intellectus - hoc est enuante QpL, hoc est evangelice MsL*c*, hoc est Evangelistae N.
58. comprehensivam visionem – comprehensionem.
64. entia creata – essentiam creatam.
220 b 4. aliquam – aliam 7. subinterfugit.
22. non demonstrata - indeterminata S. per – propter.
36. aequatur – aequaliter. 39. coaequari.
46. habeat – habet LMN*cp*. 49. primam – propriam.
65. quodcumque ... 66. ad cognitionem (*hom*) *om* Q.
66. ad cognitionem – ad cognoscendum LMN*cp*.
221 a 72. melle – felle C. 75. efficiantur – efficiant C.
1. fiant – fiat CM. 13. de ratione – directae.
22. Cum ... 23. intelligibilis - Cum enim substantia naturae separatae essentia sit, per seipsam est intelligibilis.
29. Commentatorem – gm̄t' (commentator) QLM*c*, commentaria *p*.
41. sed - secundum. essentia divina *om*.
53. hoc modo – quodammodo Q*c*; *cf.* 52.
57. visibilia – invisibilia (visibilia NsL*p*) *post* 58. quae S.
221 b 3. Secundum est medium - secundum quod est medium. Secundum est medium *cp*. 4. utriusque.
8. repraesentantur – spectantur S.
9. in ... 10. ducitur *hom om* QN. 14. nunc – non QpL, nos M.
15. secundum - set Q, 2^m^ *supra ras.* L.
24. coniungibile – cognoscibile, *et* 25. cognoscibiles.
25. ratione ... 27. suam *hom om* QM. 33. eundem *om*.
35. intellectum nostrum – intellectus nostri S.
49. videtur quod *om* S. 62. corporalia – corporaliter C.
63. idem quod - ut S. 65. cognoscebam. 74. solo – a solo *p*.
222 a 21. autem *om*. 40. sensui – sensibus.
47. Diaris (Διάρους; De Anima 418 a 21) – dyarry QMN, darry L diarii C*c*, Darii *p*. 49. virtute – in virtute C.
54. sine – et sine. 75. corporaliter – corporalibus S.
222 b 1. locutione – Leone M. tunc *om* S.
8. corporalia – corpora CN.
36. in corpore QLM*cp*, incorporea N. 44. Et *om* S.
45. corpora autem sunt ... hominum ... sunt perfecta S.
54. corporalis – incorporalium C. 56. corporalis – incorporalia C.
64. Quia ut dicit – Sicut QLM*cp*, dicit N.
65. angeli – dicit angeli. 72. vident ... cognoscunt.
223 a 23. nec ... aufertur – et ... non aufertur S. 39. alia – alicuius S.
52. alii *om* S. 69. videntium – videntur Q*cp*, vident LM.
70. Deum ... 71. cognoscent *hom om* Q*c*.
223 b 6. notitia – scientia vel notitia S; *cf.* a 75 *et* Praef. n. 43.
40. ultimus ... 41. erit *om* QL*c*. 43. hoc quod *om* QLN, sicut *c*.
48. dicit quod non – non dicit quod S. 51. sicut – secundum M.
59. percipiant – participent C. 72. excessu – et defectu *addit* C.
74. cognoscibilis – coniungibilis C.
224 a 10. autem – enim S. 16. scilicet *om*. creata S.
24. Vel – Unde C. 26. a re acceptam – receptam C; *lac.* N.
26. lapis – laus Q. 45. in privationem – privationem *p*.
46. sciri debent – scire d'm Q(pL), sciri dicuntur *c*, scire debent MN, scire debet sL. vel – et N.
47. Nullius – Nullus QLM, nihilominus N.
55. Lino – papa Lino S. quod – qui.
59. non ... 61. similitudinem *hom om* QLM*c*. 74. fiat – fuit C.
224 b 13. beatorum – Ierusalem QM*cp*; civitatem beatorum *om* L.
20. ordinum – ordinis C.

QUAESTIO XCIII.

43. magis *om* QLN*cp*. 65. resumptionem – resurrectionem.
69. sub – altare *addit p*. in *om* QLN*p*.
71. iudicium – mortem *omnes*.
225 a 9. etiam *alt. loco om*. ipsius animae beatitudo S.
27. aliquid est *om* Q*c*, aliquid *om* L*p*. 41. Hieronymus S.
47. Sicut ... 48. similius *hom om* QL*c*. 57. operationis – operis S.
64. vitae – *modernae* Suppl; viae *omnes*.
225 b 67. infinitum *alt. loco* – finitum C. 71. etiam – autem *cp*.
17. Ergo ... 18. distingui – Ergo similiter nec in patria S.
21. dignitatibus – gradibus S. 32. quietationem – quietem S.
47. sic *om*. 66. est eius vis – est vis CN.
226 a 3. erunt – non erunt CsL. operum ... 4. gradus *hom om* CQL*cp*.
9. sicut ... 10. ita – si ... et S. 26. actus *om*.
27. Vis – Ius *cp*. 37. meritum ad gloriam – gloriam ad meritum *cp*.
47. actu – caritatis *addunt*.

QUAESTIO XCIV.

74. optime – maxime *cp*. 75. sub visu cadentium S.
226 b 14. intueantur – videant S. 16. possibilitatem S.
21. hoc *om cp*. 23. nescient S. 38. elongati *om*.
43. quicumque – quod QpL*c*, qui MNsL. alii – alicui.
50. passio – compassio *cp*.
55. unde ... 56. non volumus – unde (vel *c*) in illis secundum rationis (rationem L*c*) repellitur non volumus QL*c*; secundum rationem *legit etiam p*. 62. eorum – et eorum.
63. passionem – compassionem C. 65. poterit – debet S.
71. miseriae – malitiae CN.
227 a 9. alterius ad odium – ad odium alterius C.
16. est maxime vituperabile – maxime inculpabile Q, maxime inculpabile (culpabile sL) est L, maxime est (videtur M) culpabile M*cp*.
17. commendabile – coniunctabile QpL, commutabile M, laudabile *cp*.
21. satietatem – societatem QNpL.
29. ordinem – rectitudinem *post* iustitiae S. 39. ei ad – ea ad.
46. aliquid – boni *addunt* S.

QUAESTIO XCV.

74. dona – bona S.
4. matrimonio – carnali *addunt* S. dotes *om*. 227 b
16. bona – obiecta. 39. vitae sufficiens *om* QLM.
43. ut *om p*; *cf. var. seq.* 44. revertatur *om* QL*cp*.
49. dotem – dotes. 53. istud non – non hoc QL*c*, hoc non MN*p*.
58. oportet – ergo videtur C. alia *om* S.
64. traducitur – ita ducitur.
74. pro onere – hōre Q, pro honore L*c*.
3. Gazer – Gazo QpL*c*, Gazō M, Gazem N, Gazam sL*p*. 228 a
9. Hemor – Sichem *omnes*. 11. fit *om*. 12. quam – quod.
43. et per ipsum *hom om* QLM*cp*.
45. est omnis – communis Q, est communis *cp*. dationis.
50. dotes – eas. alleviatur – levigatur QLN*cp*, leviatur N.
60. autem – enim.
2. est animae – animae est Q*cp*. 228 b
3. eius *om* N (*pro* eius. Ergo *interpunge* Eius ergo *cum* C).
4. per quod sponsa – quod per sponsa (sponsam *c*) QL*c*.
7. Augustinum – angelum Q; *argumentum hom om* L.
11. beatum *om* QpL*c*, *post* facit NsL*p*.
beatitudo est dos – est beatitudo CN.
32. etiam realiter – realiter non QLN*c*, realiter *p*.
35. operationem – dispositionem vel operationem S.
44. dona – homini QL*cp*, hominem L, bona N.
61. Christo – ex Christo QpL*c*. 62. conformantur.
66. in Christo – in quod positio QpL.
2. etiam ... sponsum – sponsum et sponsam QLM*cp*, sponsum N. 229 a
4. monilibus – in ovilibus QMpL. 13. Hae – Haec S.
14. Ergo ... dotes – Ergo etc. S. 15. distinctio – discretio CN.
22. Christo non competit – non Christo non (*om* M*cp*) competit QM*cp*, non competit Christo L.
24. hanc difficultatem – hoc S. 50. traducitur S.
56. Ea tamen – eam tamen QpL. dotes – dotis CQLM*c*.
58. quod conformatio – quod formatio QpL*c*.
1. dici – doti Q*c*, *om* L. 12. aliis *om*. 229 b
14. particularitatem S. 15. et integrum C.
17. ipse et alii – *modernae* C; ipso et aliis *omnes*.
18. Ecclesia *semel* S. sed ... 19. sponsam *om* QL*c*.
47. Christo – in Christo. 63. es *om*.
4. divinam ... naturam *hom om* QL*c*. 5. in hominibus. 230 a
9. alio – aliquo S. 20. prohibetur QLN*c*.
30. non sit – non sit nisi.
36. et unius *p*. non tamen si – sed Q, si L*c*, si tamen *p*.
37. est – non est *p*. 75. sine fine *om*.
8. ista potius – post ista QpL. 12. fruitio – comprehensio. 230 b
13. comprehensio et fruitio – fruitio et comprehensio QLM*cp*.
13. comprehensio ... 14. visio *hom om* N.
14. quidam ... comprehensio *hom* (*cf.* 13.) *om* QLM*cp*.
14. delectatio – dilectio C. 21. delectatio – dilectio.
26. cognoscendo – videndo.
28. visio ... 30. requiritur quod *hom om* N.
30. ipsa visio – visio illa.
ex parte visionis *om* QLM*cp*.
31. connaturalis – generalis QMpL*c*, naturalis N.
32. visibilis – visionis C. 47. tres *om* S.
49. delectatio – dilectio CQLM*c*. 51. dilectionem CsL.
55. scilicet *om*. dilectionem – delectationem N*p*. 57. hoc *om*.
4. pro comprehensione – comprehensio. 231 a
7. praesentialiter – quasi praesentialiter S. 16. Illa – Alia S.
17. qualemcumque QMNsL*c*, pL *quid?*
21. vel *om* S. 24. et *om* S. 27. quod – quos.
37. ad beatitudinis actum – ad beatitudinem (beatitudines *cp*) vel (vel ad *p*) beatitudinis actum QLN*cp*, ad beatitudinem M.
39. in *et* rebus *om cp*. 40. etiam *om*. 42. in – in vera; *cf.* 41.
44. consecutionem ... 46. vel ad *hom om* N.
45. vel *pr. loco om*. vel perfecti – et perfectio.

QUAESTIO XCVI.

71. virginum sit potissima – *ita p*; sit (*om* N) virginum QLMN*c*; *recta lectio esset*: utrum una aureola sit potior alia.
8. congregatione. 9. bonum *om* S. 231 b
15. ergo *ante* 15. videtur S. 22. homines beati – omnes homines S.
24. tamen *om* S. 30. excellentius – excellens S.
36. super illud *om*.
38. Agno concinunt – sponso cantant; *cf.* 234 b 54.
44. legitime certaverit – certissime certaverit QL.
1. quod – quasi. 7. qua refertur – quare fertur. 232 a
11. et proximo – ex proximo. 17. quo – quod S; *cf. var. seq.*
18. gaudetur – quid gaudet QpL*c*, quis gaudet NsL*p*, gaudet M.
aurea dicitur – dicitur aurea C *et addit*: Quidam tamen dicunt quod ipsum praemium commune quod est aurea accipit nomen aureolae secundum quod virginibus vel martyribus vel doctoribus redditur: sicut et denarius accipit nomen debiti ex hoc quod alicui debetur, quamvis omnino idem sint debitum et denarius. Non

tamen ita quod praemium essentiale oporteat esse maius quando aureola dicitur, sed quia excellentiori actui respondet: non quidem secundum meriti intentionem (*lege* intensionem) sed secundum modum merendi; ut quamvis in duobus sit aequalis limpiditas divinae visionis, in una tamen dicetur (dicatur *modernae*) aureola, non in altero, inquantum respondet excellentiori merito secundum modum agendi. Sed hoc videtur esse contra intentionem Glossae Exodi 30 (*lege* 25). Si enim idem esset aurea et aureola, non diceretur aureola aureae superponi. Et praeterea, cum merito respondeat praemium, oportet quod illi excellentiae meriti quae est ex modo agendi, respondeat aliqua excellentia in praemio. Et hanc excellentiam vocamus aureolam. Unde oportet aureolam ab aurea differre. N *addit solutiones duarum obiectionum huc non spectantium, incipiendo per* Vel dicendum ad primum. *Post solutionem alteram pergit ut nos* Ad primum ergo dicendum *etc.*
19. in se *om* S.
34. meriti – ex ipso genere operum *addunt* QLc; *cf.* 33.
38. praemium *om.* 53. scilicet *om* C. 57. merentur *om* QpL.
64. enim – vero C. victoribus – auctoribus QLM.
232 b 9. idem – eidem.
15. Sed ... 16. aureolam – Sed praemium (praemio *cp*) essentiali superadditur (Sed ... superadditur *hom om* QM) ut dicitur aureola QLM*cp*; sL:... quod superadditur dicitur aureola. CN *pro* essentiali, essentiale.
36. dulcedo est quae – dulcedinem habet quia (qua N) S.
37. secundum *om* C. 43. quidem *om.* 51. gaudium *om* C.
54. inquantum corporalis fructus *hom om* QL. 56. fructus *om* S.
73. fructus ... fructus – fructus verbi. Secundum hoc igitur fructus verbi Dei secundum hoc igitur fructus Q, fructus verbi. Secundum hoc igitur fructus verbi Dei MpL*cp*.
233 a 4. Quidam – tamen *addunt modernae* Suppl. 17. assignentur.
23. quoddam *om.* 30. illa *om* S. 41. aliud – illud Q, *om cp*.
50. 51. 52. qui – quae *pr. et sec. loco* QLM, quae *tribus locis* N*p*.
233 b 2. illi – alii QMpL. 5. carni – carnali. adeo – ab eo.
8. intelligere – intelligi QLMNc.
22. aptatur continentiae quam fortitudini S. 39. Spiritus *om.*
52. proportionalitatem – proportionem QLN*cp*.
57. superbitertia – superabundantia. 68. abaco – ablato QpL*c*.
234 a 2. a laeva – aliena QM. 3. qui – quae QN*cp*.
5. imperfectionem – infectionem QMNpL*c*; perfectionem C.
11. quidem spiritualitas *om* S.
38. circumstantiis – carnis *addit* C.
46. *pro* enim *lege* etiam; enim *omnes.*
inquantum est *om* S. 47. quadratus *om* N.
55. conveniens – commune. 68. dupli – duplicis *p*.
69. Centenarius vero supra sexagenarium *om* QL.
234 b 1. numerorum – verborum. 3. digitorum et – dictorum *p*.
15. etiam – enim S. 59. et filiabus – et a filiabus LM*cp*.
61. Ergo – sequitur quod *addit p*.
235 a 8. alius – aliquis alius S. 10. omne *om* S.
35. experiendi – expediendi.
36. quasi *om* N, *ante* quadam QL*cp*. etiam – scilicet.
39. inconsideratio – etiam consideratio. 43. praeiudicat.
59. adeo habuit – habuit a Deo (*vel* adeo Q) habuit Q(pL)*c*, quam habuit a Deo habuit *p*. 63. perfectam *om* Q.
72. a carne ... tentationem *om* Q; *cf. var. seq.*
73. tentationem – quae est *addunt* LMN*cp*.
235 b 4. habuisset – addidisset *ante* 3. supra C. 10. etiam *om* S.
18. perpetuo *om* S. 19. si *et* est *om* S. Nec – Non CQLN*cp*.
22. meritorium – ad meritum S. 26. pro virginitatis custodia *p*.
27. Dato – Dico C. 29. tamen – autem Q(pL)*c*, etiam sL.
47. ut sunt eunuchi – non sunt eunuchi QL*c*, sicut eunuchis M.
56. supererogationum *cp*. 59. spontanee *omnes.*
60. pro confessione – professionem QpL, professione *c*.
66. libertate – liberalitate CQL*c*. 70. interiori *om* S.
71. Unde ... voluntate *hom om* QpMc.
72. nece – necessitate QLMNc; *ita statim utroque loco.*
236 a 4. interiores *pr. loco om* QLN*cp*, *alt. om* M.
5. etiam *post* quoddam QLN*cp*. afflictio – passio S.
6. de Assumptione *bis* Q. 7. Recte – Ratione recte.
10. responderit. 12. ipsa *om* S. 16. Poenitentiae – Poenae C.
18. martyrio – debetur aureola *addunt* S.
24. Alexandriam – Antiochiam *modernae* Suppl.
27. postmodum – etiam C. 28. ut videtur *om* S.
36. idem quod – et QLc, et quod M, ut N*p*. ille – tantum ille S.
40. dicuntur *om* S. 41. sustinent – sustinent vel sustinuerunt C.
51. debetur QLN*cp*. 55. Et ... debetur – Ergo idem quod prius S.
236 b 3. praecipuum – *modernae* Suppl; praecipue CQLM*cp*, proprie N.
4. mors locum. 9. ipse *om.* 11. enim – vero.
18. aliquis *om.* 41. voluntas – tamen *addunt.*
42. illud – aliud CQpLc. martyrum – martyrii *p*.
55. illi – illius. 72. ostendendum – extendendum CQNpL*cp*.
237 a 9. perduxisset – induxisset.
11. propter Christum susceptum – quod pro fide acceperat QLM*cp*, quod pro fide ac (ac *expungit*) suscepit N.
12. ei *om.* prima – plena C. 16. non *om.*
17. carcerem – carcera QpL, carceres *cp*. 22. Qualiscumque.
35. Sive igitur – sive etiam QM(pL)*cp*, si vero sL.
40. autem – scilicet. 46. aliquis – qui QM*cp*, quis L.
48. Unde – .vii. Q. 53. et – vel C. 59. peccaret CN.

60. etiam *om.* 64. aliquid – aliquis. Et *om* S.
6. aureolam – et (et ita etiam N) aureolam habent C. 237 b
20. ex doctrina et studio – ex studio doctrinae QLM*cp*, ex studio et ex doctrina N. 22. et acquisitis S.
33. eminens C. crementum – incrementum; *cf.* 185 b 18.
36. Praeterea – Et praeterea. 47. sicut *om* S.
(59. quandoque *omnes*). 67. autem – enim C.
68. doctrinae quae est de – de doctrinis QLM*cp*.
69. quam – quas *p*; *cf. var. praec.*
5. tria *om.* 8. praecipue *om* S. 238 a
19. est augmentatum – augmentatur S. 30. ipso *om.*
31. non – nunquam. 36. victoriae *om* S. 37. alii *om.*
47. tamen – cum. 48. notabilem – nobilem. 74. alias *om.*
7. actui qui – antiqui Q, alicui qui LM, angelis qui *c*, illis qui *p*. 238 b
8. exercentur *cp*; *cf. var. praec.* 14. excellenti in merito S.
16. ad communem – ad actionem QL*c*, ad arciorem M.
statum – rectum statum N. 17. eadem – eorum *omnes.*
18. aureolam S. 22. delectabilibus. 29. quos – quod.
41. respondet – non respondet.
46. apparebit quaedam virtutis pulcritudo – quaedam virtus apparebit.
52. et *om omnes.* 55. etiam *om* C.
56. quae modo – quō QpL, quae nunc M, quando *cp*.
67. redundantiam fulgeat – etiam redundantiam refulgeat.
in carne – in corpore vel in carne.
10. respondeat virtuti – debeatur C. 239 a
24. istas tres – tres praefatas S. 49. etiam *om.*
50. actui *om.* 51. autem – etiam. delectabilibus – carnis *addunt* S.
65. hoc *om.* 67. huiusmodi – actus *addunt* S.
8. doctrinam – Scripturam. 10. dicendi CQ(pL)*c*. 239 b
18. alius *om* S. 31. Quia ... 33. doctoribus *hom om* QLM*cp*.
33. praesunt – possunt Q; *rasa* pL.
38. attendi – considerari vel attendi. 42. enim *om.*
43. Sed *om* C. 47. bona *om* S.
51. etiam – enim QMN*cp*, etiam est *supra ras.* L.
52. quae *om p*. est potior ... 53. nostri *om* QLM*cp*.
57. Beati *om.*
1. supponitur *omnes.* 13. se *om.* 14. elongatur *p*. 240 a
16. Sed *om* QL*cp*, vero *post* intensioni MN.
23. est specie – est spiritus Mc, est *p*; L *legit*: sicut ignis (secundum *supra ras.* sL) spc (m *addit* sL *ut fiat* speciem) subtilissimum est corporum *etc.*

Quaestio xcvii.

1. purum – purgatum C. 240 b
4. Dei est *om* Q; erit M*cp*; est N, *spat. vac.* pL, fiet sL.
6. Sap. – ps. sap. QL. 10. varia – vana C. 14. si – ut C.
18. maximam – maxime N *et ante* habet QLM*cp*.
43. Et ... 44. prius – Ergo etc. S.
47. atque aliis – autem QLM*cp*, *om* C, aliter ab aliis N.
atque aliter *om* N*cp*. est expositus – exponitur.
49. retulerunt – recensent.
50. quod credibilius esse videtur – quia esse (est *c*) credibilius materiae QpL*c*. 64. etiam *om* M, *post* quod QLN*cp*.
66. et hic et – et hoc C. futuro *(sic lege)* – futurum *p*.
14. date – dare. 35. affigentur ... interiori *hom om* QMpL*c*. 241 a
50. tamen – sed. ad *om* S. 52. illustrati *p*.
64. mitti diceretur – dici mitteretur Q, diceretur *cp*.
72. supra *om* QLN*cp*; *cf.* Praef. n. 17.
74. maxime – ut maxime S. competat S. 75. tenebrae S.
7. hoc modo – non QL*c*, hoc modo non *p*. 241 b
8. quod – et QpL*c*, ut sL*p*.
18. commassatione – et impressione *addit* C.
33. cum impiis et peccatoribus. – 34. utique *om.*
35. Ergo ... 36. corporeus – Ergo etc. S. 44. vel – et S.
46. actionis – afflictionis vel actionis.
49. uniuscuiusque – unusquisque QLM*cp*.
50. sentietur poena – sentiet de poena S; *cf. var. praec.*
65. corporalia – corpora. 68. quod *om* S. 71. de *om.*
74. quod – vel S. et – vel.
2. cetera *om* S. 8. 9. respondeat S. 13. somnis CLMN*cp*. 242 a
16. punitionis *om* S. 20. imaginariae S.
22. evitaret – evaderet C. 24. quasi *post* organo.
28. compares stellas – opes stellas QM(pL), orbes stellarum *cp*, corporeas stellas N.
45. Sed hoc supra dictum est qualiter ... puniantur – Qualiter autem ... puniantur infra dicetur CN; *cf.* Praef. n. 18.
54. ad *om cp*. non *ante* dicitur *et om* esse C.
55. quantum *pr. loco om.* 63. Vel – Unde *cp*. 64. saepe S.
71. modum peccati – modum praedictum (praedicti Q) QLM*cp*.
17. creatus – datus *omnes.* 21. unius – eiusdem. 242 b
26. qui apud nos est – nostri S.
28. Ergo ... 29. igne – Ergo et (ut NsL*p*) prius S.
34. homines – omnes homines C. 39. Meteor. – Metaph. S.
51. quod ergo ignis – ergo igitur ignis QpL, cum ergo ignis M, ergo ignis *c*. 62. materialiter S. 74. nunc – non *c*, modo *p*.
6. philosophi dicunt – Philosophus dicit. Similiter *om.* 243 a
7. aliena *om* S. 8. opaca – operata Q(pL).
24. inferni – ille S. 30. dicere *om* C.
33. Praeterea ... 35. terra, *sive arg. 4*, *hom om* Q.
50. nihil – non C. 53. probabilior QpL. 65. animae – *om* QpL*c*.

67. recondantur – retrudantur QLM*cp*, recludantur N.
68. sicut est – sicut. 72. tristiora – terrestria.
72. sic *om* QLM*cp*, sicut *om* N.
243 b 2. retractans – tractans *cp*. docere – dicere *Cp*.
7. erit – erat S *bene*. 8. nobis *om* S.
12. tamen – et QLM*cp*, autem N.
patuit supra – patebit infra CN.
15. Philosophum – harū Q, Aristotelem (ar., arle) LMN*cp*.
17. dicatur – credatur. 36. insatiabilia – insanabilia QL.
39. omnium – omnia Q. 44. puniatur. 49. quis S.

QUAESTIO XCVIII.

61. alios non esse *legimus cum* M*cp*; non QpL, nos sL, non damnatos esse (damnatos) N.
244 a 9. secum detulerunt – detū tulerunt pQ, setū tulerunt Q *se corrigens*, detū detulerunt pL.
17. beatorum ... 18. voluntas *hom om* pQL, damnatorum ad malum ita voluntas beatorum (ad bonum) sL*cp*.
24. Auctore – actione QMpL*cp*. qui – quae M*cp*.
31. rectae – ratione. 72. aliqui – peccatores aliqui C.
244 b 1. Ergo ... 2. poenitebunt – Ergo etc. S.
3. Intra se – Intra Q(pL)c. 6. pravi – mali S.
7. cum sint – sunt Q. pravi maxime.
13. adiuncti ... alicuius *hom om* QLc. 20. omissa *cp*.
21. peccasse – posse peccasse QL. 25. contingit S.
26. refugiunt. 32. bestias *om* QpLc.
39. possint velle se – vellent QM*cp*, est velle L.
42. esse et miserum esse – miseris esse QLc.
50. eo quod – infra quod QLM, ita quod *cp*, quia N.
58. deficit aetate – deficiet. de *om*.
59. sapientiam – patientiam *modernae* Suppl.
64. potest esse – est S. aliquam *om*.
66. vel miserae vitae – vitae vel alicuius miseriae S.
67. boni *om* QpL. 72. Hieronymi – ibi *addit* C.
73. quam ... 245 a 2 eligibile – quam malum (esse *addit p*) per se autem non est (non esse non est *c*, non est non esse *p*) eligibile QL*cp*; *est correctio omissi homoteleuti* 73. quam ... 245 a 2 non esse.
245 a 8. Ad secundum – Ad primum (*et mox* Ad secundum) *c*, Et per hoc patet responsio ad primum. Ad secundum *p*; *cf. var. praec.*
11. inquantum privat esse *om* Qc. 20. rogabat – orabat S.
21. ne venirent – ne irent S.
24. inordinatae – in inferno *praefigunt* QLM*cp*, *affigit* N.
26. quod est – quod Q(pL), scilicet MsL. 38. in patria *om*.
41. mali – ipsi S. 43. zelantes – gloriantes *Cp*, *om* QLMNc.
44. beatos – bonos *omnes*. 51. sanarentur QpL.
54. fratres suos cum omnibus aliis – cum fratribus suis omnes alios.
61. adhuc – ad hunc Qc. 63. tamen – non tamen sL*cp*; tantum *om* sLc.
63. superexcrescet – supercrescent QL*cp*, supercrescet M.
64. eligent S. 65. magis *om* QLN*cp*, plus *ante* torqueri M.
70. non *om* QLMc; LM *se corrigunt*.
245 b 13. videret – vident. posset – possunt. 15. volito *om*.
31. malam *om* QL*cp*. 43. duplicem maledictionem S.
46. quandam *om*. 49. perversa – diversa QpLc.
57. duae – et duae QL. 67. addendum – ad edendum QL.
246 a 3. usque – vel usque QL.
5. trahuntur – contrahuntur QNpLc. beatorum *omnes*.
8. incommodum ad summam *hom om* QL. summum MN*cp*.
16. non *ante* excusantur QLN*cp*, *om* M. 18. summum.
24. primam – propriam *cp*.
37. conclusiones, abstractus – conclusiones abstractas QLMc, constitutiones (quas) abstractus (a poenis patitur) *p*.
47. remanent – in eis *addunt* QL*cp*; *cf. var. seq.*
Si ... 48. remanerent in eis *om* QL*cp*.
54. ergo – enim. 62. ergo – etiam.

65. dilecta – delecta Q, delicta pL, derelicta sL, delectabilia M*cp*.
2. a – ex CN. 8. quacumque. 246 b
9. ante – et ante *modernae* Suppl.
22. erunt – non erunt M*p*; *cf. var. seq.*
imperfectissimo – perfectissimo CQMpL*cp*.
26. proprium – proprium eius M, ei proprium sL*p*.
49. ignorant *om* QLM. 50. vitam CN. 51. circa – post C.
55. magno munere fuit – magno est S.
63. modo – mundo Q, modo *sed non sponte scriptum* L.
65. turbantur QLMNc.
74. videre gloriam – gloria *et om* sancti QLc.
6. quae in eis – ex quibus S. 247 a
augere – *modernae* C; habere S, agere C.

QUAESTIO XCIX.

20. quam daemonum *om* Q. 38. potest esse – est S.
42. iusto *om* S. 48. pro peccatis *om* S, poena *om* QL*cp*.
50. vult nisi – fit Q, vult Lc.
52. perpetuatione – perpetua ratione. 53. perpetuam – talem S.
54. non infert – inferre non debeat S.
61. debet – videtur S, dicitur C, meretur *modernae* Suppl.
beneficia – beneficientia QpL; *ita* 62. Q.
accepta *om cp*. 62. etiam *om*.
63. exstitit (*sic lege pro* existitit) – exsistit *omnes*.
4. peccat ... 7. mortaliter *hom om* N. 247 b
5. honorem alii – honore aliquando aliis C.
23. societate civitatis – civitatis consortio S; *cf.* 248 a 32.
26. civium *om* QM*cp*, civit pL? et – ut *p*. ut – non *cp*.
31. Dei *om* S. 32. quis *om* S. 35. in – est in.
44. et *om* QLMc, vel *p*. infertur ... 45. permaneret S.
45. vero – non QpLc. 46. tamen – inde.
47. peccantium – peccantes *modernae* Suppl. 72. scilicet *om*.
4. illud – aliud. 19. in aeternum *om*. 248 a
42. ad nihilum utiles – inutiles. 43. enim *om* QpL, tamen *cp*.
44. seipsum. 49. cum hoc – dum QL*cp*, hoc M, dum hoc N.
50. cognoscant. 51. ult. *om*.
52. satietatem – societatem QpLc.
63. infectae – inflecte QpL, inflicta *c*. 66. ordinationem.
67. ipsa – ipso. 68. responderet – redderetur CN.
75. ipsius *om* C.
14. Sed *om cp*. 15. sub peccato concludi – claudi S. 248 b
34. sacrae Scripturae S. 51. in *om*. 75. homine *om* QLMNc.
3. aliud – alius Qc, aliud *non sponte* L. punietur. 249 a
9. precibus – in precibus.
14. subversione *om* QLc, submersione C.
15. fuit – fuerat. submersa C.
23. Ergo ... puniet – Ergo etc. S. 24. loquens – et loquitur S.
35. 45. quod – quod est S. 49. Dei *om* C.
51. esse vel permanere – permanere S.
58. esset nobis notum quod *om* QLMNc.
62. Hic – Hoc QMNpLc. 64. resipiscant – res resipiscant Qc.
1. et ... 2. erat *hom om* QLN*cp*. 2. moenibus *om* QpLc. 249 b
30. hoc – hic LMN*cp*. 40. Et ... punientur *homoeot. om* C.
71. caelorum – sed qui facit voluntatem Patris mei qui in caelis est *addunt* S.
6. est intelligendum – intelligitur S. 250 a
13. aliquis se *om* QLM*cp*, se *om* N. 14. privare – privari S.
30. ei – fiet ei C.
15. potest aliquid ... 16. sine ea *om*. 22. aliqua *om*. 250 b
32. poenis – peccatis S. debitis *om* M.
36. neglectu – negligentia sL*cp*. 42. ideo – non.
43. consequentur – consequuntur QLN*cp*, consequantur M.
misericordiam – veniam. iam *dele*.
46. dicit – dicit quod QLNc. 49. quantum ad hoc *om* S.
53. pereundum – parendum *c*, pereundum. Et sic est finis M, pereundum. Amen N.



SUPPLEMENTUM
TERTIAE PARTIS
SUMMAE THEOLOGIAE
SANCTI THOMAE AQUINATIS

SUPPLEMENTUM

TERTIAE PARTIS

SUMMAE THEOLOGIAE

ANGELICI DOCTORIS

SANCTI THOMAE AQUINATIS

QUAESTIO PRIMA

DE CONTRITIONE

Deinde considerandum est de singulis partibus poenitentiae *: et primo, de contritione; secundo, de confessione *; tertio, de satisfactione **. De contritione autem consideranda sunt quinque: primo, quid sit; secundo, de quo esse debeat *; tertio, quanta esse debeat *; quarto, de duratione ipsius **; quinto, de effectu ipsius *.

* Cf. Part. III, qu. xc, Introd. — * Qu. vi. — ** Qu. xii. — * Qu. ii. — * Qu. iii. — ** Qu. iv. — * Qu. v.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo: utrum convenienter definiatur.
Secundo: utrum contritio sit actus virtutis.
Tertio: utrum attritio possit fieri contritio.

ART. I. UTRUM CONTRITIO SIT « DOLOR PRO PECCATIS ASSUMPTUS CUM PROPOSITO CONFITENDI ET SATISFACIENDI ».

IV *Cont. Gent.*, cap. LXXII.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod contritio non sit *dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi*, ut quidam * definiunt. Quia, sicut Augustinus dicit, in libro *de Civ. Dei* *, *dolor est de his quae nobis nolentibus accidunt*. Sed peccata non sunt huiusmodi. Ergo contritio non est *dolor pro peccatis*.

* S. Raym. *Sum., de Poenit. et Remiss.* § 4; Halens. *Sum.* P. IV, qu. xvii, m. 1, art. 3. — * Lib. XIV, cap. vi, xv.

2. Praeterea, contritio nobis a Deo datur. Sed quod datur, non assumitur. Ergo contritio non est dolor *assumptus*.

3. Praeterea, satisfactio et confessio sunt necessaria ad hoc quod poena remittatur quae in contritione remissa non fuit. Sed quandoque tota poena in contritione remittitur. Ergo non est necessarium semper quod contritus habeat *propositum confitendi et satisfaciendi*.

Sed contra est ipsa definitio.

Respondeo dicendum quod *initium omnis peccati est superbia* *, per quam homo, sensui suo inhaerens, a mandatis divinis recedit. Et ideo oportet quod illud quod destruit peccatum, hominem a proprio sensu discedere faciat. Ille autem qui in suo sensu perseverat, *rigidus* et *durus* per similitudinem vocatur: unde et *frangi* dicitur aliquis quando a suo sensu divellitur. Sed inter *fractionem* et *comminutionem* sive *contritionem* in rebus materialibus, unde haec nomina ad spiritualia transferuntur, hoc interest, ut dicitur in IV *Meteor.* *, quod frangi dicuntur aliqua *quando in magnas partes dividuntur*, sed comminui vel conteri *quando ad partes minimas reducitur* hoc quod in se solidum erat. Et quia ad dimissionem peccati requiritur quod homo totaliter affectum peccati dimittat, per quem quandam continuitatem et soliditatem in sensu suo habebat, ideo actus ille quo peccatum dimittitur *contritio* dicitur per similitudinem.

* *Eccli.* cap. x, vers. 15. — * Cap. ix, n. 11. - Continuat. Comment. s. Th. lect. xi.

In qua quidem contritione plura possunt considerari: scilicet ipsa substantia actus, modus agendi, principium, et effectus. Et secundum hoc, de contritione inveniuntur diversae definitiones traditae.

Quantum enim ad ipsam substantiam actus, datur praedicta * definitio. Et quia actus contritionis est actus virtutis; et est pars poenitentiae sacramenti: ideo manifestatur in praedicta definitione, inquantum est actus virtutis, in hoc quod ponitur genus ipsius, scilicet *dolor;* et obiectum, in hoc quod dicit *pro peccatis;* et electio, quae requiritur ad actum virtutis, in hoc quod dicit *assumptus*. Sed inquantum est pars sacramenti, per hoc quod tangitur ordo ipsius ad alias partes, cum dicit, *cum proposito confitendi* etc.

* Arg. 1.

Alia etiam definitio invenitur quae definit contritionem secundum quod est actus virtutis tantum: sed additur ad praedictam definitionem differentia contrahens ipsam ad specialem virtutem, scilicet poenitentiam. Dicit enim quod poenitentia est *dolor voluntarius pro peccato, puniens quod dolet se commisisse* *. In hoc enim quod additur *punitio*, ad specialem virtutem contrahitur.

Alia autem definitio invenitur Isidori *, quae talis est: *Contritio est compunctio et humilitas mentis, cum lacrimis, veniens de recordatione peccati et timore iudicii.* Et haec quidem tangit rationem nominis, in hoc quod dicit *humilitas mentis:* quia, sicut per superbiam aliquis in suo sensu redditur rigidus, ita per hoc quod a suo sensu contritus recedit, humiliatur. Tangit etiam modum exteriorem, in hoc quod dicit *cum lacrimis;* et principium contritionis, in hoc quod dicit, *veniens de recordatione peccati* etc.

* *De Vera et fals. Poen.*, cap. viii (inter Opp. Aug.). - Cf. can. *Poen. est quaed.*, de Poen. dist. III; Mag. IV *Sent.*, dist. xiv, cap. *Post haec.* — * *De Summo Bono*, lib. II, cap. ii.

Alia sumitur ex verbis Augustini, qui tangit effectum contritionis, quae est: *Contritio est dolor remittens peccatum.*

Alia sumitur ex verbis Gregorii *, quae talis est: *Contritio est humilitas spiritus, annihilans peccatum, inter spem et timorem.* Et haec tangit rationem nominis, in hoc quod dicit quod *contritio est humilitas spiritus;* et effectus eius, in hoc quod dicit, *annihilans peccatum;* et originem, in hoc quod dicit, *inter spem et timorem.* Nec solum ponit causam principalem, quae est timor: sed etiam quae est spes, sine qua timor desperationem facere posset.

* Vide *Moral.* lib. XXXIII, cap. xii, al. xi; vet. xvi.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis peccata, quando acciderunt, voluntaria fuerunt; tamen, quando de

eis conterimur, voluntaria non sunt. Et ideo *nobis nolentibus acciderunt,* non quidem secundum voluntatem quam tunc habuimus cum ea volebamus, sed secundum illam quam nunc habemus, qua vellemus quod nunquam fuissent.

Ad secundum dicendum quod contritio est a Deo solo quantum ad formam qua informatur: sed quantum ad substantiam actus, ex libero arbitrio et a Deo, qui operatur in omnibus operibus et naturae et voluntatis.

Ad tertium dicendum quod, quamvis tota poena possit per contritionem dimitti, tamen adhuc necessaria est confessio et satisfactio. Tum quia homo non potest esse certus de sua contritione quod fuerit ad totum tollendum sufficiens. – Tum etiam quia confessio et satisfactio sunt in praecepto. Unde transgressor constitueretur si non confiteretur et non satisfaceret.

ART. II. utrum contritio sit actus virtutis.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod contritio non sit actus virtutis. Passiones enim non sunt actus virtutum: quia eis *non laudamur nec vituperamur,* ut dicitur II *Ethic.* * Sed dolor est passio. Cum ergo contritio sit dolor, videtur quod non sit actus virtutis.

* Cap. v, n. 3. - S. Th. lect. v.

2. Praeterea, sicut contritio dicitur a *terendo,* ita et attritio. Sed attritio non est actus virtutis: ut ab omnibus dicitur. Ergo neque contritio.

Sed contra, nihil est meritorium nisi actus virtutis. Sed contritio est actus quidam meritorius. Ergo est actus virtutis.

Respondeo dicendum quod contritio secundum proprietatem nominis sui non significat actum virtutis, sed potius quandam corporalem passionem: sed hic non quaeritur sic de contritione, sed de eo ad quod significandum hoc nomen per similitudinem adaptatur. Sicut enim inflatio propriae voluntatis ad malum faciendum importat, quantum est de se, malum ex genere; ita illius voluntatis annihilatio et comminutio quaedam de se importat bonum ex genere, quia hoc est detestari propriam voluntatem qua peccatum est commissum. Et ideo contritio, quae hoc significat, importat aliquam rectitudinem voluntatis. Et propter hoc est actus virtutis: illius scilicet cuius est peccatum praeteritum detestari et destruere, scilicet poenitentiae, ut patet ex his quae in xiv distinctione * dicta sunt.

* Qu. I, art. I, qu^a 3.-Cf. Part. III, qu. lxxxv, art. 2, 3.

Ad primum ergo dicendum quod in contritione est duplex dolor de peccato. Unus in parte sensitiva, qui passio est. Et hic non est essentialiter contritio, prout est actus virtutis, sed magis effectus eius. Sicut enim poenitentiae virtus exteriorem poenam suo corpori infligit ad recompensandam offensam quae in Deum commissa est officio membrorum; ita etiam et ipsi concupiscibili poenam infert doloris peccati, quia ipsa etiam ad peccata cooperabatur. – Sed tamen hic dolor potest pertinere ad contritionem inquantum est pars sacramenti: quia sacramenta non solum in interioribus actibus, sed etiam in exterioribus et in rebus sensibilibus nata sunt esse.

Alius dolor est in voluntate, qui nihil aliud est quam displicentia alicuius mali: secundum quod affectus voluntatis nominantur per nomina passionum, ut in Tertio, distinctione xxvi *, dictum est. Et sic contritio est dolor per essentiam, et est actus virtutis poenitentiae.

* Qu. I, art. 5.

Ad secundum ergo dicendum quod attritio dicit accessum ad perfectam contritionem: unde in corporalibus dicuntur *attrita* quae aliquo modo diminuta sunt, sed non perfecte; sed *contritio* dicitur quando omnes partes tritae sunt simul per divisionem ad minima. Et ideo significat attritio in spiritualibus quandam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam: contritio autem perfectam.

ART. III. utrum attritio possit fieri contritio.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod attritio possit fieri contritio. Differt enim attritio a contritione sicut formatum ab informi. Sed fides informis fit formata. Ergo attritio potest fieri contritio.

2. Praeterea, materia recipit perfectionem remota privatione. Sed dolor se habet ad gratiam sicut materia ad formam: quia gratia informat dolorem. Ergo dolor qui prius erat informis culpa existente, quae est privatio gratiae, remota culpa recipiet perfectionem informationis a gratia. Et sic idem quod prius.

Sed contra, quorum principia sunt diversa omnino, eorum non potest fieri unum id quod est alterum. Sed attritionis principium est timor servilis, contritionis autem timor filialis. Ergo attritio non potest fieri contritio.

Respondeo dicendum quod super hoc est duplex opinio. Quidam * dicunt quod attritio fit contritio, sicut fides informis fit formata. – Sed hoc, ut videtur, non potest esse. Quia, quamvis habitus fidei informis fiat formatus, tamen nunquam actus fidei informis fit actus fidei formatae: quia actus ille informis transit et non manet veniente caritate. Attritio autem et contritio non dicunt habitum, sed actum tantum. Habitus autem virtutum infusarum qui voluntatem respiciunt, non possunt esse informes: cum caritatem consequantur, ut in Tertio Libro * dictum est. Unde, antequam gratia infundatur, non est habitus a quo actus contritionis postea elicitur. Et sic nullo modo attritio potest fieri contritio. Et hoc alia opinio dicit.

* B. Alb. IV *Sent.*, d. xvi, a. 8. - Cf. Hal. *Sum.* P. IV, qu. xvii, m. v, a. 4: s. Bonav. ib., d. xvii, p. I, a. I, qu. 3, ad qu. incid.; B. Innoc. V, ib., d. xvii, q. I, a. I, q^a 4.

* Dist. xxvii, qu. II, art. 4, qu^a 3.

Ad primum ergo dicendum quod non est simile de fide et contritione, ut dictum est *.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod, remota privatione a materia quae manet perfectione adveniente, formatur materia illa. Sed dolor ille qui erat informis, non manet caritate adveniente. Et ideo formari non potest.

Vel dicendum quod materia essentialiter non habet originem a forma: sicut actus habet originem ab habitu quo formatur. Unde non est inconveniens materiam informari aliqua forma de novo qua prius non informabatur. Sed hoc de actu est impossibile: sicut impossibile est quod aliquid idem numero oriatur a principio a quo prius non oriebatur; quia res semel tantum in esse procedit.

QUAESTIO SECUNDA

DE OBIECTO CONTRITIONIS

Deinde considerandum est de obiecto contritionis *. Circa quod quaeruntur sex.

* Cf. qu. I, Introd.

Primo: utrum debeat homo conteri de poenis.
Secundo: utrum de peccato originali.
Tertio: utrum de omni actuali commisso.
Quarto: utrum de peccato actuali committendo.
Quinto: utrum de peccato alieno.
Sexto: utrum de singulis peccatis mortalibus.

ART. I. utrum homo debeat conteri de poenis, et non solum de culpa.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod homo debeat conteri de poenis, et non solum de culpa. Augustinus enim, in libro *de Poenitentia* *, dicit: *Nemo vitam aeternam desiderat nisi eum huius vitae mortalis poeniteat.* Sed mortalitas vitae quaedam poena est. Ergo debet poenitens etiam de poenis conteri.

* Hom. ult. inter Quinquaginta, al. Ser. CCCCLI, cap. III.

2. Praeterea, supra * habitum est, ex verbis Augustini **, quod poenitens debet dolere ex hoc quod *virtute se privavit.* Sed privatio virtutis quaedam poena est. Ergo contritio est dolor etiam de poenis.

* IV *Sent.*, dist. xvi, cap. I.
** *De Vera et fals. Poenit.*, cap. xiv, num. 29. - Inter Opp. Aug.

Sed contra, nullus tenet illud de quo dolet. Sed poenitens, secundum suum nomen, *poenam tenet* *. Ergo non dolet de poena. Et sic contritio, quae est dolor poenitentialis, non est de poena.

* Ib., cap. ix.

Respondeo dicendum quod *contritio* importat, ut dictum est *, alicuius duri et integri comminutionem. Haec autem integritas et duritia invenitur in malo culpae: quia voluntas, quae est ipsius causa, in eo qui male agit, in suis terminis stat nec praecepto legis cedit. Et ideo huius mali displicentia contritio per similitudinem dicitur. Haec autem similitudo non potest adaptari ad malum poenae: quia poena simpliciter dicit diminutionem. Et ideo de malis poenae potest esse dolor, sed non contritio.

* Qu. I, art. I.

Ad primum ergo dicendum quod poenitentia, secundum Augustinum, debet esse de hac mortali vita, non ratione ipsius mortalitatis (nisi poenitentia large dicatur omnis dolor), sed ratione peccatorum, ad quae ex infirmitate huius vitae deducimur.

Ad secundum dicendum quod ille dolor quo quis dolet ex amissione virtutis per peccatum, non est essentialiter ipsa contritio, sed est principium eius: sicut enim aliquis movetur ad appetendum aliquid propter bonum quod inde expectat, ita movetur ad dolendum de aliquo propter malum quod inde consecutus est.

ART. II. Utrum contritio esse debeat de originali

De Malo, qu. vii, art. ii, ad 3.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod contritio esse debeat de originali. De peccato enim actuali conteri debemus, non ratione actus inquantum est ens quoddam, sed ratione deformitatis: quia actus secundum suam substantiam bonum quoddam est, et a Deo. Sed peccatum originale habet deformitatem, sicut et actuale. Ergo de eo etiam conteri debemus.

2. Praeterea, per peccatum originale homo fuit a Deo aversus: quia poena eius erat carentia divinae visionis. Sed cuilibet debet displicere se fuisse a Deo aversum. Ergo homo debet habere displicentiam peccati originalis. Et sic debet de eo conteri.

Sed contra, medicina debet esse proportionata morbo. Sed peccatum originale sine nostra voluntate contractum est. Ergo non requiritur quod per actum voluntatis, qui est contritio, ab ipso purgemur.

* Qu. praeced., art. 1, 2.

Respondeo dicendum quod contritio, ut dictum est *, est dolor respiciens et quodammodo comminuens voluntatis duritiem. Et ideo solum de illis peccatis potest esse quae ex duritia nostrae voluntatis in nos proveniunt. Et quia peccatum originale nostra voluntate non est inductum, sed ex vitiatae naturae origine contractum, ideo de ipso non potest esse contritio, proprie loquendo: sed displicentia potest esse de eo, vel dolor.

Ad primum ergo dicendum quod contritio non est de peccato ratione substantiae actus tantum, quia ex hoc non habet rationem mali: neque iterum ratione deformitatis tantum, quia deformitas de se non dicit rationem culpae, sed quandoque importat poenam. Debet autem de peccato esse contritio inquantum importat utramque deformitatem ex actu voluntatis provenientem. Et hoc non est in peccato originali. Et ideo de eo non est contritio.

Et similiter dicendum ad secundum: quia aversio voluntatis est illa cui debetur contritio.

ART. III. Utrum de omni actuali peccato commisso a nobis debeamus conteri

Part. III, qu. lxxxvii, art. 1; *De Malo,* qu. vii, art. 3, ad 3.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non de omni actuali peccato commisso a nobis debeamus conteri. Quia *contraria contrariis curantur* *. Sed quaedam peccata per tristitiam committuntur: sicut acedia et invidia. Ergo medicina eorum non debet esse tristitia, quae est contritio, sed gaudium.

* Hippocrat. *Peri Physon,* sect. ii (Ed. Lugd. Batav. 1665). - Aristol. *Ethic.,* lib. II, cap. iii, n. 4; s. Th. lect. iii.

2. Praeterea, contritio est actus voluntatis, qui non potest esse de eo quod cognitioni non subiacet. Sed quaedam peccata sunt quae in cognitione non habemus, sicut oblita. Ergo de eis non potest esse contritio.

3. Praeterea, per voluntariam contritionem delentur illa quae per voluntatem committuntur. Sed ignorantia voluntarium tollit: ut patet per Philosophum, III *Ethic.* * Ergo de his quae per ignorantiam accidunt, non debet esse contritio.

* Cap. i, n. 15 sqq. - S. Th. lect. iii.

4. Praeterea, de illo peccato non debet esse contritio quod per contritionem non tollitur. Sed quaedam peccata non tolluntur per contritionem: sicut venialia, quae adhuc post contritionis gratiam manent. Ergo non de omnibus peccatis praeteritis debet esse contritio.

Sed contra, poenitentia est medicina contra omnia peccata actualia. Sed poenitentia non est aliquorum quorum non sit contritio, quae est prima pars eius. Ergo et de omnibus peccatis debet esse contritio.

2. Praeterea, nullum peccatum dimittitur nisi quis iustificetur. Sed ad iustificationem requiritur contritio, ut prius * dictum est. Ergo de quolibet peccato conteri oportet.

* IV *Sent.,* dist. xvii, qu. i, art. 3 qu^a 4.

Respondeo dicendum quod omnis actualis culpa ex hoc contingit quod voluntas legi Dei non cedit, vel eam transgrediendo, vel omittendo, vel praeter eam agendo. Et quia durum est quod habet potentiam ut non facile patiatur, ideo in omni actuali peccato duritia quaedam est. Et propter hoc, si debeat peccatum curari, oportet quod per contritionem comminuentem remittatur.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut ex dictis * patet, contritio opponitur peccato ex parte illa qua ex electione voluntatis procedit non sequentis imperium divinae legis, non autem ex parte eius quod est in peccato materiale: et hoc est illud super quod cadit electio. Cadit autem voluntatis electio non solum super actus aliarum virium, quibus voluntas ad suum finem utitur, sed etiam super actum proprium ipsius: voluntas enim vult se velle aliquid. Et sic electio voluntatis cadit super dolorem illum seu tristitiam quae invenitur in peccato invidiae et huiusmodi, sive dolor ille sit in sensu sive in ipsa voluntate. Et ideo illis peccatis contritionis dolor opponitur.

* Art. 2, ad 1.

Ad secundum dicendum quod oblivio de aliquo potest esse dupliciter. Aut ita quod totaliter a memoria exciderit: et tunc non potest aliquis inquirere illud. Aut ita quod partim a memoria exciderit et partim maneat: sicut cum recolo me aliquid audivisse in generali, sed nescio quid in speciali. Et tunc requiro in memoria ad recognoscendum.

Et secundum hoc, etiam aliquod peccatum potest esse oblitum dupliciter. Aut ita quod in generali memoria maneat, sed non in speciali. Et tunc debet recogitare homo ad inveniendum peccatum: quia de quolibet peccato mortali tenetur homo specialiter conteri. Si autem invenire non possit, sufficit de eo conteri secundum quod in notitia tenet. Et debet homo non solum de peccato, sed de oblivione eius dolere, quae ex negligentia contingit.

Si autem peccatum omnino ex memoria excidit, tunc ex impotentia faciendi excusatur a debito, et sufficit generalis contritio de omni eo in quo Deum offendit. Sed quando impotentia tollitur, sicut cum ad memoriam revocatur peccatum, tunc tenetur homo specialiter conteri. Sicut etiam est de paupere qui non potest solvere quod debet: excusatur, et tamen tenetur cum primo poterit.

Ad tertium dicendum quod, si ignorantia omnino tolleret voluntatem male agendi, excusaret, et non esset peccatum. Sed quandoque non totaliter tollit voluntatem: et tunc a toto non excusat, sed a tanto. Et ideo de peccato per ignorantiam commisso debet homo conteri.

Ad quartum dicendum quod post contritionem de mortali potest remanere veniale, sed non post contritionem de veniali. Et ideo de venialibus etiam debet esse contritio, eo modo quo et poenitentia, sicut supra * dictum est.

* IV *Sent.,* dist. xvi, qu. ii, art. 2, qu^a 2. - Cf. Part. III, qu. lxxxvii, art. 1.

ART. IV. Utrum etiam de peccatis futuris aliquis debeat conteri

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod etiam de peccatis futuris aliquis debeat conteri. Contritio enim est actus liberi arbitrii. Sed liberum arbitrium magis se extendit ad futura quam ad praeterita: quia electio, quae est actus liberi arbitrii, est de contingentibus futuris, ut dicitur III *Ethic.* * Ergo contritio magis est de peccatis futuris quam de praeteritis.

* Cap. ii, n. 9; cap. iii, n. 19. - S. Th. lect. v, ix.

2. Praeterea, peccatum aggravatur ex consequenti effectu. Unde Hieronymus * dicit quod poena Arii nondum est terminata, quia adhuc est possibile aliquos per eius haeresim ruere. Et similiter est de illo qui iudicatur homicida si letaliter percussit, etiam antequam percussus moriatur. Sed in illo intermedio debet peccator conteri de peccato. Ergo non solum secundum quod habet quantitatem ex praeterito actu, sed etiam secundum quod habet quantitatem ex futuro. Et sic contritio respicit futurum.

* Cf. Basil., *de Vera Virginit.,* n. 33.

Sed contra, contritio est pars poenitentiae. Sed poenitentia semper respicit praeterita. Ergo et contritio.

Respondeo dicendum quod in omnibus motoribus et mobilibus ordinatis ita est quod motor inferior habet motum proprium, et, praeter hoc, sequitur in aliquo motum superioris motoris: sicut patet in motu planetarum, qui, praeter motus proprios, sequuntur motum primi orbis. In omnibus autem virtutibus moralibus motor est ipsa prudentia, quae dicitur *auriga virtutum* *. Et ideo quaelibet virtus moralis cum motu proprio habet aliquid de motu prudentiae. Et ideo, cum poenitentia sit quaedam virtus moralis, quia est pars iustitiae, cum actu proprio consequitur prudentiae motum.

* Bernard., Serm. XLIX *in Cantic.*, n. 5.

Proprius autem actus eius est in obiectum proprium, quod est peccatum commissum. Et ideo actus eius principalis, scilicet contritio, secundum suam speciem respicit tantum peccatum praeteritum. Sed ex consequenti respicit peccatum futurum, secundum quod habet aliquid de actu prudentiae adiunctum.

Et tamen in illud futurum secundum rationem propriae speciei non movetur. Et propter hoc, ille qui conteritur dolet de peccato praeterito, et cavet futurum: sed non dicitur esse contritio de peccato futuro, sed magis *cautio*, quae est pars prudentiae contritioni adiuncta.

Ad primum ergo dicendum quod liberum arbitrium dicitur esse de contingentibus futuris secundum quod est de actibus: sed non secundum quod est de obiectis actuum. Quia homo potest cogitare ex libero arbitrio de rebus praeteritis et necessariis: sed tamen ipse actus cogitationis, secundum quod sub libero arbitrio cadit, contingens futurum est. Et sic etiam actus contritionis contingens futurum est secundum quod sub libero arbitrio cadit: sed obiectum eius potest esse praeteritum.

Ad secundum dicendum quod ille effectus consequens qui peccatum aggravat, iam in actu praecessit velut in causa. Et ideo, quando commissum est, totam suam quantitatem habuit, et ex effectu consequente non accessit ei aliquid quoad culpae rationem. Quamvis accrescat quoad poenam accidentalem: secundum quod plures habebit rationes dolendi in inferno de pluribus malis ex suo peccato consecutis. Et sic loquitur Hieronymus. Unde non oportet quod contritio sit nisi de peccatis praeteritis.

ART. V. utrum homo debeat conteri de peccato alieno

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod homo debeat conteri de peccato alieno. Non enim petit aliquis indulgentiam nisi de peccato de quo contritus est. Sed de peccatis alienis indulgentia petitur in Psalmo *: *Ab alienis parce servo tuo*. Ergo debet homo conteri de peccatis alienis.

* Ps. xviii, vers. 14.

2. Praeterea, homo ex caritate debet diligere proximum *sicut seipsum* *. Sed propter dilectionem sui et de malis suis dolet et bona desiderat. Ergo, cum teneamur proximo desiderare bona gratiae sicut et nobis, videtur quod debeamus de culpis eius dolere sicut et de nostris. Sed contritio nihil est quam dolor de peccatis. Ergo homo debet conteri de peccatis alienis.

* Matth. cap. xxii, vers. 39.

Sed contra, contritio est actus poenitentiae virtutis. Sed nullus poenitet nisi de his quae ipse fecit. Ergo nullus conteritur de peccatis alienis.

Respondeo dicendum quod illud idem conteritur quod prius durum et integrum fuit. Unde oportet quod contritio pro peccato sit in eodem in quo peccati duritia praecessit. Et sic de alienis peccatis non est contritio.

Ad primum ergo dicendum quod ab alienis peccatis sibi parci Propheta precatur, inquantum ex consortio peccatorum aliquis per consensum aliquam immunditiam contrahit: cum scriptum sit *: *Cum perverso perverteris*.

* Ps. xvii, vers. 27.

Ad secundum dicendum quod de peccatis aliorum dolere debemus, non tamen oportet quod de eis conteramur: quia non omnis dolor de peccato praeterito est contritio, ut ex dictis * patet.

* IV *Sent.*, dist. xv, qu. ii, art. 2, qu^a^ 2.

ART. VI. utrum requiratur de singulis peccatis mortalibus contritio

Iª IIªᵉ, qu. cxiii, art. 5, ad 3; P. III, qu. lxxxvii, art. 1; IV *Sent.*, dist. xvi, qu. iii, art. 2, quª 5, ad 3; dist. xxi, Expos. litt.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod non requiratur de singulis peccatis mortalibus contritio. Est enim motus contritionis in iustificatione in instanti. Sed in instanti non potest homo recogitare singula peccata. Ergo non oportet quod sit contritio de singulis.

2. Praeterea, contritio debet esse de peccatis secundum quod avertunt a Deo: quia conversio ad creaturam sine aversione a Deo contritionem non requirit. Sed omnia peccata mortalia in aversione conveniunt. Ergo contra omnia sufficit una contritio.

3. Praeterea, plus conveniunt peccata mortalia actualia ad invicem quam actuale et originale. Sed unus baptismus delet omnia actualia et originale. Ergo una contritio generalis delet omnia peccata mortalia.

Sed contra, diversorum morborum diversae sunt medicinae: quia *non sanat oculum quod sanat calcaneum*, ut dicit Hieronymus *. Sed contritio est medicina singularis contra unum tantum mortale. Ergo non sufficit una communis de omnibus.

* *Comment. in Marc.*, ad cap. ix, vers. 27, 28. – Inter Opp. Hier.

2. Praeterea, contritio explicatur per confessionem. Sed oportet singula peccata mortalia confiteri. Ergo et de singulis conteri.

Respondeo dicendum quod contritio potest considerari dupliciter: scilicet quantum ad sui principium; et quantum ad terminum. Et dico principium contritionis cogitationem qua quis cogitat de peccato et dolet, etsi non dolore contritionis, saltem dolore attritionis. Terminus autem contritionis est quando dolor ille iam gratia informatur. Quantum ergo ad principium contritionis, oportet quod sit de singulis peccatis quae quis in memoria habet. Sed quantum ad terminum sufficit quod sit una communis de omnibus: tunc enim ille motus agit in vi omnium dispositionum praecedentium.

Et per hoc patet responsio ad primum.

Ad secundum dicendum quod, quamvis omnia mortalia conveniant in aversione, tamen differunt in causa et modo aversionis, et quantitate elongationis a Deo. Et hoc est secundum diversitatem conversionis.

Ad tertium dicendum quod baptismus agit in virtute meriti Christi, quod habuit infinitam virtutem ad delendum omnia peccata: et propterea unus sufficit contra omnia. Sed in contritione cum merito Christi requiritur actus noster. Et ideo oportet quod singulis peccatis respondeat singillatim: cum non habeat infinitam virtutem ad contritionem.

Vel dicendum quod baptismus est spiritualis generatio: sed poenitentia, quantum ad contritionem et alias sui partes, est spiritualis quaedam sanatio per modum cuiusdam alterationis. Patet autem in generatione corporali alicuius, quae est cum corruptione, quod una generatione removentur omnia accidentia contraria rei generatae, quae erant accidentia rei corruptae. Sed in alteratione removetur tantum unum accidens, contrarium accidenti ad quod terminatur alteratio. Et similiter unus baptismus simul delet omnia peccata, novam vitam inducendo. Sed poenitentia non delet omnia peccata nisi ad singula feratur. Et ideo oportet de singulis conteri et confiteri.

QUAESTIO TERTIA

DE QUANTITATE CONTRITIONIS

Deinde considerandum est de quantitate contritionis *. Circa quod quaeruntur tria.

* Cf. qu. 1, Introd.

Primo: utrum contritio sit maior dolor qui esse possit in natura.

Secundo: utrum possit esse nimis magnus dolor.

Tertio: utrum debeat esse maior dolor de uno peccato quam de alio.

ART. I. UTRUM CONTRITIO SIT MAIOR DOLOR QUI ESSE POSSIT IN NATURA

In Ps. XXXVII.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod contritio non sit maior dolor qui esse possit in natura. Dolor enim est sensus laesionis *. Sed aliquae laesiones magis sentiuntur quam laesio peccati: sicut laesio vulneris. Ergo non est maximus dolor contritio.

* Cf. Arist. *Topic.* lib. VI, cap. VI, n. 27.

2. PRAETEREA, ex effectu sumimus iudicium de causa. Sed effectus doloris sunt lacrimae. Cum ergo aliquando contritus non emittat lacrimas corporales de peccatis, quas tamen emittit de morte amici, vel de percussione, vel aliquo huiusmodi; videtur quod contritio non sit dolor maximus.

3. PRAETEREA, quanto aliquid plus habet de admixtione contrarii, tanto est minus intensum. Sed contritionis dolor habet multum de gaudio admixtum: quia contritus gaudet de liberatione, de spe veniae, et de multis huiusmodi. Ergo dolor suus est minimus.

4. PRAETEREA, dolor contritionis displicentia quaedam est. Sed multa sunt quae magis displicent contrito quam peccata praeterita: non enim vellet poenam inferni sustinere potius quam peccare, nec iterum sustinuisse omnes poenas temporales, aut etiam sustinere; alias pauci invenirentur contriti. Ergo dolor contritionis non est maximus.

SED CONTRA, secundum Augustinum * omnis dolor in amore fundatur. Sed amor caritatis, in quo fundatur dolor contritionis, est maximus. Ergo dolor contritionis est maximus.

* *De Civ. Dei,* lib. XIV, cap. XXI, n. 3.

2. PRAETEREA, dolor est de malo. Ergo de magis malo debet esse maior dolor. Sed culpa est magis malum quam poena. Ergo dolor de culpa, qui est contritio, excedit omnem alium dolorem.

RESPONDEO DICENDUM quod in contritione est duplex dolor *. Unus in ipsa voluntate, quae est essentialiter ipsa contritio: quae nihil aliud est quam displicentia praeteriti peccati. Et talis dolor in contritione excedit omnes alios dolores. Quia quantum aliquid placet, tantum contrarium eius displicet. Finis autem super omnia placet: cum omnia propter ipsum desiderentur. Et ideo peccatum, quod a fine ultimo avertit, super omnia displicere debet.

* Cf. qu. I, art. 2, ad 1.

Alius dolor est in parte sensitiva, qui causatur ex primo dolore: vel ex necessitate naturae, secundum quod vires inferiores sequuntur motum superiorum; vel ex electione, secundum quod homo poenitens in seipso hunc dolorem excitat ut de peccatis doleat. Et neutro modo oportet quod sit maximus dolor. Quia vires inferiores moventur vehementius ab obiectis propriis quam ex redundantia superiorum virium. Et ideo, quanto operatio superiorum virium est propinquior obiectis inferiorum, tanto magis sequuntur earum motum. Et ideo maior dolor est in sensitiva parte ex laesione sensibili quam sit ille qui in ipsa redundat ex ratione. Et similiter maior qui redundat ex ratione de corporalibus deliberante, quam qui redundat ex ratione considerante spiritualia. Unde dolor in sensitiva parte ex displicentia rationis proveniens de peccato non est maior dolor aliis doloribus qui in ipsa sunt. – Et similiter nec dolor qui est voluntarie assumptus. Tum quia non obedit affectus inferior superiori ad nutum, ut tanta passio sequatur in inferiori appetitu qualem ordinat superior. Tum etiam quia passiones a ratione assumuntur in actibus virtutum secundum mensuram quandam: quam quandoque dolor qui est sine virtute, non servat, sed excedit.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut dolor sensibilis est de sensu laesionis, ita dolor interior est de cognitione alicuius nocivi. Et ideo, quamvis laesio peccati secundum exteriorem sensum non percipiatur, tamen percipitur esse maxima secundum sensum interiorem rationis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod corporales immutationes immediate consequuntur ad passiones sensitivae partis, et eis mediantibus ad affectiones appetitivae superioris. Et inde est quod ex dolore sensibili, vel etiam sensibili vicino, citius defluunt lacrimae corporales quam de dolore spirituali contritionis.

AD TERTIUM DICENDUM quod gaudium illud quod poenitens de dolore habet, non minuit displicentiam, quia ei non contrariatur, sed auget: secundum quod *omnis operatio augetur per propriam delectationem*, ut dicitur in X *Ethic.* *; sicut qui delectatur in addiscendo aliquam scientiam, melius addiscit. Et similiter qui gaudet de displicentia, vehementius displicentiam habet. – Sed bene potest esse quod illud gaudium temperat dolorem ex ratione in partem sensitivam resultantem.

* Cap. V, n. 2. - S. Th. lect. VII.

AD QUARTUM DICENDUM quod quantitas displicentiae de aliqua re debet esse secundum quantitatem malitiae ipsius. Malitia autem in culpa mortali mensuratur ex eo in quem peccatur, inquantum est ei indigna; et ex eo qui peccat, inquantum est ei nociva. Et quia homo debet magis Deum quam seipsum diligere, ideo plus debet odire culpam inquantum est offensa Dei, quam inquantum est nociva sibi.

Est autem nociva sibi principaliter inquantum separat ipsum a Deo. Et ex hac parte ipsa separatio a Deo, quae poena quaedam est, magis debet displicere quam ipsa culpa inquantum hoc nocumentum inducit, quia quod propter alterum oditur, minus oditur: sed minus quam culpa inquantum est offensa in Deum.

Inter omnes autem poenas attenditur ordo malitiae secundum quantitatem nocumenti. Et ideo, cum hoc sit maximum nocumentum quo maximum bonum privatur, erit inter poenas maxima separatio a Deo.

Est etiam alia quantitas malitiae accidentalis, quam oportet in displicentia attendere secundum rationem praesentis et praeteriti: quia quod praeteritum est, iam non est; unde habet minus de ratione et malitiae et bonitatis. Et inde est quod plus refugit homo sustinere aliquid mali in praesenti vel futuro quam horreat de praeterito. Unde nec aliqua passio animae directe respondet praeterito, sicut dolor respondet praesenti malo, et timor futuro. Et propter hoc de duobus malis praeteritis illud magis abhorret animus cuius maior effectus in praesenti remanet vel in futurum timetur, etiam si in praeterito minus fuerit. Et quia effectus praecedentis culpae non ita percipitur quandoque sicut effectus praeteritae poenae, tum quia culpa perfectius sanatur quam quaedam poena, tum quia defectus corporalis magis est manifestus quam spiritualis; ideo homo, etiam bene dispositus, quandoque magis in se percipit horrorem praecedentis poenae quam praecedentis culpae, quamvis magis esset paratus pati eandem poenam quam committere eandem culpam.

Est etiam considerandum in comparatione culpae et poenae quod quaedam poenae habent inseparabiliter coniunctam Dei offensam, sicut separatio a Deo; quaedam etiam addunt perpetuitatem, sicut poena inferni. Ergo poena illa quae offensam annexam habet, eodem modo cavenda est sicut etiam culpa. Sed illa quae perpetuitatem addit, est magis quam culpa simpliciter fugienda. – Si tamen ab eis separetur ratio offensae et consideretur tantum ratio poenae, minus habent de malitia quam culpa inquantum est offensa Dei. Et propter hoc minus debent displicere.

Sciendum est etiam quod, quamvis talis debeat esse contriti dispositio, non tamen de his tentandus est. Quia affectus suos homo non de facili mensurare potest: et quandoque illud quod minus displicet videtur magis displicere, quia est propinquius nocumento sensibili, quod magis est nobis notum.

ART. II. UTRUM POSSIT ESSE NIMIS MAGNUS CONTRITIONIS DOLOR

Infra, qu. IV, art. 2.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non possit esse nimis magnus contritionis dolor. Nullus enim dolor potest esse immoderatior quam ille qui proprium subiectum destruit. Sed dolor contritionis, si est tantus quod mortem vel corruptionem corporis inducit, est laudabilis: dicit enim Anselmus *: *Utinam sic impinguentur viscera animae meae ut medullae corporis mei exsiccen-*

* Orat. LII, al. LI.

* De Contrit. Cord., cap. x. - Int. Opp. Aug.

tur; et Augustinus dicit * *se esse dignum oculos caecare plorando.* Ergo dolor contritionis non potest esse nimius.

2. Praeterea, dolor contritionis ex amore caritatis procedit. Sed amor caritatis non potest esse nimius. Ergo nec dolor contritionis.

Sed contra, omnis virtus moralis corrumpitur per superabundantiam et defectum. Sed contritio est actus virtutis moralis, scilicet poenitentiae: cum sit pars iustitiae. Ergo potest esse superfluus dolor de peccatis.

Respondeo dicendum quod contritio ex parte doloris qui est in ratione, scilicet displicentiae, quo peccatum displicet inquantum est offensa Dei, non potest esse nimia: sicut nec amor caritatis, quo intenso talis displicentia intenditur, non potest esse nimius. Sed quantum ad dolorem sensibilem potest esse nimia: sicut etiam exterior corporis afflictio potest esse nimia. In his autem omnibus debet accipi pro mensura conservatio subiecti, et bonae habitudinis sufficientis ad ea quae agenda incumbunt. Et propter hoc dicitur, *Rom.* xii *: *Rationabile obsequium vestrum.*

* Vers. 1.

Ad primum ergo dicendum quod Anselmus desiderabat ex pinguedine devotionis medullas corporales exsiccari, non quantum ad humorem naturalem, sed quantum ad desideria et concupiscentias corporales.

Augustinus autem, quamvis dignum se cognosceret amissione exteriorum oculorum propter peccatum, quia quilibet peccator non solum aeterna, sed etiam temporali morte dignus est; non tamen volebat sibi oculos caecare.

Ad secundum dicendum quod ratio illa procedit de dolore qui est in ratione.

Tertia autem * procedit de dolore sensitivae partis.

* Arg. *Sed contra.*

ART. III. UTRUM DEBEAT ESSE MAIOR DOLOR DE UNO PECCATO QUAM DE ALIO

Infra, qu. v, art. 3, ad 2.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non debeat esse maior dolor de uno peccato quam de alio. Hieronymus enim * collaudat Paulam in hoc quod *minima peccata sicut magna plangebat.* Ergo non est magis dolendum de uno quam de alio.

* Ep. CVIII, al. XXVII, n. 15, *ad Eustoch. Virg.*

2. Praeterea, motus contritionis est subitus. Sed non potest esse unus motus intensior simul et remissior. Ergo contritio non debet esse maior de uno quam de alio peccato.

3. Praeterea, de peccato praecipue est contritio secundum quod a Deo avertit. Sed in aversione omnia peccata mortalia conveniunt: quia omnia tollunt gratiam, qua anima Deo coniungitur. Ergo de omnibus peccatis mortalibus aequalis debet esse contritio.

Sed contra, *Deut.* xxv * dicitur: *Secundum mensuram peccati erit et plagarum modus.* Sed contritioni de peccatis plagae commensurantur: quia contritio habet propositum satisfaciendi annexum. Ergo contritio magis debet esse de uno peccato quam de alio.

* Vers. 2.

2. Praeterea, de hoc debet homo conteri quod debuit vitare. Sed homo debuit magis vitare unum peccatum quam aliud quia gravius est, si necessitas alterum faciendi incumberet. Ergo et similiter debet de uno, scilicet graviori, magis quam de alio dolere.

Respondeo dicendum quod de contritione dupliciter possumus loqui. Uno modo, secundum quod singillatim singulis peccatis respondet. Et sic, quantum ad dolorem superioris affectus, requiritur quod de maiori peccato quis doleat magis: quia ratio doloris est magis in uno quam in alio, scilicet offensa Dei; ex magis enim inordinato actu Deus magis offenditur. – Similiter etiam, cum maiori culpae maior poena debeatur, etiam dolor sensitivae partis, secundum quod pro peccato ex electione assumitur quasi poena peccati, debet esse maior de maiori peccato. Secundum autem quod ex impressione superioris appetitus nascitur in inferiori, attenditur quantitas doloris secundum dispositionem partis inferioris ad recipiendam impressionem a superiori, et non secundum quantitatem peccati.

Alio modo potest accipi contritio secundum quod est simul de omnibus: sicut in actu iustificationis. Et haec quidem contritio vel ex singulorum consideratione peccatorum procedit: et sic, quamvis sit actus unus, tamen distinctio peccatorum virtute manet in ipso. Vel ad minus habet propositum de singulis cogitandi annexum. Et sic etiam habitualiter est magis de uno quam de alio.

Ad primum ergo dicendum quod Paula non laudatur de hoc quod de omnibus peccatis doleret aequaliter: sed quia de parvis peccatis tantum dolebat ac si essent magna, per comparationem ad alios qui de peccatis dolent. Sed ipsa multo amplius de maioribus doluisset.

Ad secundum dicendum quod in illo contritionis motu subitaneo, quamvis non actualiter distinctio intensionis respondens diversis peccatis inveniri posset, tamen invenitur ibi eo modo sicut dictum est *. Et etiam alio modo, secundum quod singula peccata ordinem habent ad illud de quo in illa contritione generali contrito dolendum occurrit, scilicet offensa Dei. Qui enim aliquod totum diligit, potentia diligit etiam partes eius, quamvis non actu: et hoc modo, secundum quod habent ordinem ad totum, quasdam plus, quasdam minus; sicut qui aliquam communitatem diligit, virtute singulos diligit plus et minus secundum eorum ordinem in bono communi. Et similiter qui dolet de hoc quod Deum offendit, de diversis implicite dolet diversimode, secundum quod plus vel minus per ea Deum offendit.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod, quamvis quodlibet peccatum mortale a Deo avertat et gratiam tollat, tamen quoddam plus elongat quam aliud, inquantum habet maiorem dissonantiam ex sua inordinatione ad ordinem divinae bonitatis quam aliud.

QUAESTIO QUARTA

DE TEMPORE CONTRITIONIS

Deinde considerandum est de tempore contritionis *. Circa quod tria quaeruntur.

* Cf. qu. 1, Introd.

Primo: utrum tota vita haec sit contritionis tempus.

Secundo: utrum expediat continue de peccato dolere.

Tertio: utrum post hanc vitam animae de peccatis conterantur.

ART. I. UTRUM TOTA HAEC VITA SIT CONTRITIONIS TEMPUS

Part. III, qu. lxxxiv, art. 8.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non tota haec vita sit contritionis tempus. Sicut enim de peccato commisso debet esse dolor, ita et pudor. Sed non per totam vitam durat pudor de peccato: quia, sicut dicit Ambrosius *, *non habet quod erubescat cui peccatum dimissum est.* Ergo videtur quod nec contritio, quae est dolor de peccato.

* *De Poenit.* lib. II, cap. vii, n. 58. - Cf. can. *Quantuslibet, de Poenit.* dist. I.

2. Praeterea, I Ioan. iv * dicitur quod *perfecta caritas foras mittit timorem, quia timor poenam habet.* Sed dolor etiam poenam habet. Ergo in statu perfectae caritatis non potest dolor contritionis manere.

* Vers. 18.

3. Praeterea, de praeterito non potest esse dolor, qui proprie est de malo praesenti, nisi secundum quod aliquid de peccato praeterito in praesenti manet. Sed quandoque pervenitur ad aliquem statum in hac vita in quo nihil de peccato praeterito manet, neque dispositio, neque culpa, neque reatus aliquis. Ergo non oportet ulterius de illo peccato dolere.

4. Praeterea, *Rom.* viii * dicitur quod *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:* etiam peccata, ut dicit Glossa *. Ergo non oportet, post remissionem peccati, quod de ipso doleat.

* Vers. 28.

* Lomb. ex Aug.

5. Praeterea, contritio est pars poenitentiae contra satisfactionem divisa. Sed non oportet semper satisfacere. Ergo nec semper conteri de peccato.

Sed contra, Augustinus, in libro *de Poenitentia* *, dicit quod, *ubi dolor finitur, deficit poenitentia: ubi deficit poenitentia, nihil relinquitur de venia.* Ergo videtur, cum oporteat veniam concessam non perdere, quod oporteat semper de peccato dolere.

* Al. *de Vera et fals. Poen.,* cap. xiii. - Inter Opp. Aug.

2. Praeterea, *Eccli.* v * dicitur: *De propitiatu peccatorum noli esse sine metu.* Ergo homo semper debet dolere, ad peccatorum propitiationem habendam.

* Vers. 5.

Respondeo dicendum quod in contritione est duplex dolor *: unus rationis, qui est detestatio peccati a se commissi; alius sensitivae partis, qui ex isto consequitur. Et quantum ad utrumque, contritionis tempus est totius vitae praesentis status. Quandiu enim est aliquis in statu viae, detestatur incommoda quibus a perventione ad terminum viae impeditur vel retardatur. Unde, cum propter peccatum praeteritum viae nostrae cursus in Deum retardetur, quia tempus illud quod erat deputatum ad currendum recuperari non potest; oportet quod in vitae huius tempore status contritionis maneat quantum ad peccati detestationem. Similiter etiam quantum ad sensibilem dolorem, qui ut poena a voluntate assumitur. Quia enim homo poenam aeternam peccando meruit, et contra aeternum Deum peccavit, debet, poena aeterna in temporalem mutata, saltem dolor in *aeterno hominis* *, idest statu huius vitae, manere. Et propter hoc dicit Hugo de Sancto Victore * quod Deus, absolvens hominem a culpa et poena aeterna, ligat eum vinculo perpetuae detestationis peccati.

* Cf. qu. III, art. 1.
* Cf. I^am II^ae, qu. LXXXVII, art. 3, ad 1.
* Cf. Richard. a S. Vict., *de Potest. ligand. et solvend.*, capp. III, V, XIII.

Ad primum ergo dicendum quod erubescentia respicit peccatum solum inquantum habet turpitudinem. Et ideo, postquam peccatum quantum ad culpam remissum est, non manet pudori locus. Manet autem dolori, qui non solum de culpa est inquantum habet turpitudinem, sed etiam inquantum habet nocumentum annexum.

Ad secundum dicendum quod timor servilis, quem caritas foras mittit, oppositionem habet ad caritatem ratione suae servitutis, qua poenam respicit. Sed dolor contritionis ex caritate causatur, ut dictum est *. Et ideo non est simile.

* Qu. III, art. 1, arg. *Sed cont.* 1.

Ad tertium dicendum quod, quamvis per poenitentiam peccator redeat ad gratiam pristinam et immunitatem a reatu poenae, nunquam tamen redit ad pristinam dignitatem innocentiae. Et ideo semper ex praeterito peccato aliquid in ipso manet.

Ad quartum dicendum quod, sicut non debet homo *facere mala ut veniant bona* *, ita non debet gaudere de malis quia ex eis occasionaliter proveniunt bona, divina providentia agente: quia illorum bonorum peccata causa non fuerunt, sed magis impedimenta. Sed divina providentia ea causavit: et de ea debet homo gaudere, de praeteritis autem dolere.

* *Ad Rom.*, cap. III, vers. 8.

Ad quintum dicendum quod satisfactio attenditur secundum poenam taxatam, quae pro peccatis iniungi debet. Et ideo potest terminari, ut non oporteat ulterius satisfacere. Haec autem poena praecipue proportionatur culpae ex parte conversionis, ex qua finitatem habet: sed dolor contritionis respondet culpae ex parte aversionis, ex qua habet quandam infinitatem. Et ita vera contritio semper debet manere. Nec est inconveniens si, remoto posteriori, manet prius.

ART. II. Utrum expediat continue de peccato dolere

Part. III, qu. LXXXIV, art. 9.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non expediat continue de peccato dolere. Expedit enim quandoque gaudere, ut patet *Philip.* IV *: super illud, *Gaudete in Domino semper,* dicit Glossa * quod *necessarium est gaudere.* Sed non est possibile gaudere simul et dolere. Ergo non expedit continue de peccato dolere.

* Vers. 4.
* Ord. et Lomb.

2. Praeterea, illud quod est de se malum et fugiendum, non est assumendum nisi quatenus est necessarium ut medicina ad aliquid: sicut patet de ustione et sectione vulneris. Sed tristitia de se mala est: unde dicitur *Eccli.* XXX *, *Tristitiam longe expelle a te,* et subditur causa, *Multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa.* Hoc etiam Philosophus dicit expresse in VII * *Ethic.* et X **. Ergo non debet amplius dolere de peccato nisi quatenus sufficit ad peccatum delendum. Sed statim post primam contritionis tristitiam peccatum deletum est. Ergo non expedit ulterius dolere.

* Vers. 24, 25.
* Cap. XIII, n. 1; cap. XIV, n. 2. - S. Th. lect. XIII, XIV.
** Cap. V, n. 5. - S. Th. lect. VII.

3. Praeterea, Bernardus dicit *: *Dolor bonus est si continuus non sit: mel enim absynthio est admiscendum.* Ergo videtur quod non expedit continue dolere.

* Serm. XI *in Cantic.*, n. 2.

Sed contra est quod Augustinus dicit *: *Semper doleat poenitens, et de dolore gaudeat.*

* *De Vera et fals. Poen.*, cap. XIII. - Inter Opp. Aug.

2. Praeterea, actus in quibus consistit beatitudo, expedit semper continuare quantum possibile est. Sed huiusmodi est dolor de peccato: quod patet Matth. v *, *Beati qui lugent.* Ergo expedit dolorem continuare quantum possibile est.

* Vers. 5.

Respondeo dicendum quod haec est conditio in actibus virtutum inventa, quod non potest in eis accipi *superfluum* et *diminutum:* ut in II *Ethic.* * probatur. Unde, cum contritio, quantum ad id quod est displicentia quaedam in appetitu rationis, sit actus poenitentiae virtutis, nunquam potest ibi esse superfluum, sicut nec quantum ad intensionem, ita nec quantum ad durationem: nisi secundum quod actus unius virtutis impedit actum alterius magis necessarium pro tempore illo. Unde, quantumcumque homo continue in actu huius displicentiae esse possit, melius est: dummodo actibus aliarum virtutum vacet suo tempore, secundum quod oportet.

* Cap. VI. - S. Th. lect. VI, VII.

Sed passiones possunt habere superfluum et diminutum, et quantum ad intensionem, et quantum ad durationem. Et ideo, sicut passio doloris quam voluntas assumit, debet esse moderate intensa, ita debet moderate durare: ne, si nimis duret, homo in desperationem et pusillanimitatem et huiusmodi vitia labatur.

Ad primum ergo dicendum quod gaudium saeculi impeditur per dolorem contritionis: non autem gaudium quod de Deo est, quia habet ipsum dolorem pro materia.

Ad secundum dicendum quod *Ecclesiasticus* de tristitia saeculi loquitur. Et Philosophus loquitur de tristitia quae est passio: qua moderate utendum est, secundum quod expedit ad finem ad quem assumitur.

Ad tertium dicendum quod Bernardus loquitur de dolore qui est passio.

ART. III. Utrum etiam post hanc vitam animae de peccatis conterantur

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod etiam post hanc vitam animae de peccatis conterantur. Amor enim caritatis displicentiam de peccato causat. Sed post hanc vitam manet in aliquibus caritas, et quantum ad actum et quantum ad habitum: quia *caritas nunquam excidit,* ut dicitur I *Cor.* XIII *. Ergo manet displicentia de peccato commisso, quae essentialiter est contritio.

* Vers. 8.

2. Praeterea, magis est dolendum de culpa quam de poena. Sed animae in purgatorio dolent de poena sensibili et de dilatione gloriae. Ergo multo magis dolent de culpa ab eis commissa.

3. Praeterea, poena purgatorii est satisfactoria de peccato. Sed satisfactio habet efficaciam ex vi contritionis. Ergo contritio manet post hanc vitam.

Sed contra, contritio est pars poenitentiae sacramenti. Sed sacramenta non manent post hanc vitam. Ergo nec contritio.

2. Praeterea, contritio potest esse tanta quod delet et culpam et poenam. Si ergo animae in purgatorio conteri possent, posset vi contritionis earum reatus poenae eis dimitti, et omnino a poena sensibili liberari: quod est falsum.

Respondeo dicendum quod in contritione tria consideranda sunt: primum est contritionis genus, quod est dolor; secundum est contritionis forma, quia est actus virtutis gratia informatus; tertium est contritionis efficacia, quia est meritorius, et sacramentalis, et quodammodo satisfactorius. Animae igitur post hanc vitam quae in patria sunt, contritionem habere non possunt: quia carent dolore, propter gaudii plenitudinem. Illae vero quae sunt in inferno, carent contritione: quia, etsi dolorem habeant, deficit tamen eis gratia dolorem informans. Sed illi qui in purgatorio sunt, habent dolorem de peccatis gratia informatum, sed non meritorium: quia non sunt in statu merendi. – In hac autem vita omnia tria praedicta inveniri possunt.

Ad primum ergo dicendum quod caritas non causat istum dolorem nisi in illis qui doloris capaces sunt. Sed plenitudo gaudii a beatis omnem capacitatem doloris excludit. Et ideo, quamvis caritatem habeant, tamen contritione carent.

Ad secundum dicendum quod animae in purgatorio dolent de peccatis: sed ille dolor non est contritio, quia deest ei contritionis efficacia.

Ad tertium dicendum quod poena illa quam animae in purgatorio sustinent, non potest proprie dici satisfactio, quia satisfactio opus meritorium requirit: sed largo modo dicitur satisfactio poenae debitae solutio.

QUAESTIO QUINTA

DE EFFECTU CONTRITIONIS

Deinde considerandum est de effectu contritionis *. Circa quod tria quaeruntur.

* Cf. qu. I, Introd.

Primo: utrum peccati remissio sit contritionis effectus.

Secundo: utrum contritio possit totaliter tollere reatum poenae.

Tertio: utrum parva contritio sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum.

ART. I. Utrum peccati remissio sit contritionis effectus

IV *Sent.*, dist. XIV, qu. II, art. 1, qu^a 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXII; *De Verit.*, qu. XXVIII, art. 8; *Quodl.* IV, qu. VII, art. 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod peccati remissio non sit contritionis effectus. Solus enim Deus peccata remittit. Sed contritionis nos sumus aliqualiter causa: quia actus noster est. Ergo contritio non est causa remissionis culpae.

2. Praeterea, contritio est actus virtutis. Sed virtus sequitur culpae remissionem: quia virtus et culpa non sunt simul in anima. Ergo contritio non est causa remissionis culpae.

3. Praeterea, nihil impedit a perceptione Eucharistiae nisi culpa. Sed contritus ante confessionem non debet accedere ad Eucharistiam. Ergo nondum est consecutus remissionem culpae.

Sed contra est quod dicitur in Glossa *, super illud Psalmi *, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* etc.: *Contritio cordis est sacrificium in quo peccata solvuntur.*

* Lomb.
* Ps. L, vers. 19.

2. Praeterea, *virtus et vitium eisdem causis corrumpuntur et generantur,* ut dicitur in II *Ethic.* * Sed per inordinatum amorem cordis peccatum committitur. Ergo per dolorem ex amore caritatis ordinato causatum peccatum solvitur. Et sic peccatum contritio delet.

* Cap. I, n. 6. - S. Th. lect. I.

Respondeo dicendum quod contritio potest dupliciter considerari: vel inquantum est pars sacramenti; vel inquantum est actus virtutis. Et utroque modo est causa remissionis peccati, sed diversimode. Quia inquantum est pars sacramenti, primo operatur ad remissionem peccati instrumentaliter: sicut et de aliis sacramentis in I distinctione * patuit. Inquantum autem est actus virtutis, sic est quasi causa materialis remissionis peccati: eo quod dispositio est quasi necessitas ad iustificationem *; dispositio autem reducitur ad causam materialem, si accipiatur dispositio quae disponit materiam ad recipiendum. Secus autem est de dispositione agentis ad agendum: quia illa reducitur ad genus causae efficientis.

* Qu. I, art. 4, qu^a 1.
* Cf. IV *Sent.*, dist. XVII, qu. I, art. 2, qu^a 3.

Ad primum ergo dicendum quod solus Deus est causa efficiens principalis remissionis peccati: sed causa dispositiva potest etiam esse ex nobis. Et similiter etiam causa sacramentalis: quia formae sacramentorum verba sunt a nobis prolata, quae habent virtutem instrumentalem gratiam inducendi, qua peccata remittuntur.

Ad secundum dicendum quod peccati remissio uno modo praecedit virtutem et gratiae infusionem, et alio modo sequitur. Et secundum hoc quod sequitur, actus a virtute elicitus potest esse causa aliqua remissionis peccati.

Ad tertium dicendum quod dispensatio Eucharistiae pertinet ad ministros Ecclesiae. Et ideo ante remissionem peccati per ministros Ecclesiae non debet aliquis ad Eucharistiam accedere, quamvis sit sibi culpa quoad Deum remissa.

ART. II. Utrum contritio possit totaliter tollere reatum poenae

III *Cont. Gent.*, cap. CLVIII; IV, cap. LXXII; *Ad Heb.*, cap. VI, lect. I.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod contritio non possit totaliter tollere reatum poenae. Quia satisfactio et confessio ordinantur ad liberationem a reatu poenae. Sed nullus ita perfecte conteritur quin oporteat eum confiteri et satisfacere. Ergo contritio nunquam est tanta quod totaliter deleat reatum totum.

2. Praeterea, in poenitentia oportet esse quaedam recompensatio poenae ad culpam. Sed aliqua culpa per membra corporis exercetur. Ergo, cum oporteat ad debitam poenae recompensationem ut *per quae peccat quis, per haec et torqueatur* *, videtur quod nunquam possit poena talis peccati per contritionem absolvi.

* *Sap.* cap. XI, vers. 17.

3. Praeterea, dolor contritionis est finitus. Sed pro aliquo peccato, scilicet mortali, debetur poena infinita. Ergo nunquam potest esse tanta contritio quod totam poenam deleat.

Sed contra est quod Deus plus affectum cordis acceptat quam etiam exteriorem actum. Sed per exteriores actus absolvitur homo a poena et culpa. Ergo et similiter per cordis affectum, qui est contritio.

2. Praeterea, exemplum huius de Latrone habetur, cui dictum est, *Hodie mecum eris in Paradiso,* propter unicum poenitentiae actum *.

* Luc. cap. XXIII, vers. 39 sqq.

Utrum autem totus reatus per contritionem semper tollatur, supra, dist. XIV *, quaesitum est, ubi hoc ipsum de poenitentia quaerebatur.

* Qu. II, art. 1, qu^a 2. - Cf. Part. III, qu. LXXXVI, art. 4, ad 2, 3.

Respondeo dicendum quod intensio contritionis potest attendi dupliciter. Uno modo, ex parte caritatis, quae displicentiam causat. Et sic contingit tantum intendi caritatem in actu quod contritio inde sequens merebitur non solum culpae amotionem, sed etiam absolutionem ab omni poena. – Alio modo, ex parte doloris sensibilis, quem voluntas in contritione excitat. Et quia illa etiam poena quaedam est, tantum potest intendi quod sufficiat ad deletionem culpae et poenae.

Ad primum ergo dicendum quod aliquis non potest esse certus quod contritio sua sit sufficiens ad deletionem poenae et culpae. Et ideo tenetur confiteri et satisfacere: maxime cum contritio vera non fuerit nisi propositum confitendi habuisset annexum. Quod debet ad effectum reduci, etiam propter praeceptum quod est de confessione datum *.

* Cap. *Omnis utriusque, de Poenit. et Remiss.*

Ad secundum dicendum quod, sicut gaudium interius redundat etiam ad exteriores corporis partes, ita etiam dolor interior ad exteriora membra derivatur. Unde dicitur *Prov.* XVII *: *Spiritus tristis exsiccat ossa.*

* Vers. 22.

Ad tertium dicendum quod dolor contritionis, quamvis sit finitus quantum ad intensionem, sicut etiam poena peccato mortali debita finita est, habet tamen infinitam virtutem ex caritate, qua informatur. Et secundum hoc potest valere ad deletionem culpae et poenae.

ART. III. Utrum contritio parva sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod contritio parva non sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum. Quia contritio est medicina peccati. Sed corporalis medicina quae sanat corporalem morbum minorem, non sufficit ad sanandum maiorem. Ergo minima contritio non sufficit ad delendum maxima peccata.

2. Praeterea, supra * dictum est quod oportet de maioribus peccatis magis conteri. Sed contritio non delet peccatum nisi sit secundum quod oportet. Ergo minima contritio non delet omnia peccata.

* Qu. III, art. 3.

Sed contra, quaelibet gratia gratum faciens delet omnem culpam mortalem, quae simul stare cum ea non potest. Sed quaelibet contritio est gratia gratum faciente informata. Ergo, quantumcumque sit parva, delet omnem culpam.

Respondeo dicendum quod contritio, ut saepe dictum est *, habet duplicem dolorem. Unum rationis, qui est displicentia peccati commissi. Et hic potest esse adeo parvus quod non sufficiet ad rationem contritionis, ut si mi-

* Qu. I, art. 2, ad 1; qu. III, art. 1; qu. IV, art. 1.

nus displiceret ei peccatum quam debeat displicere separatio a fine: sicut etiam amor potest esse ita remissus quod non sufficit ad rationem caritatis. – Alium dolorem habet in sensu. Et parvitas huius non impedit rationem contritionis: quia non se habet essentialiter ad contritionem, sed quasi ex accidenti ei adiungitur. Et iterum non est in potestate nostra.

Sic ergo dicendum quod, quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.

Ad primum ergo dicendum quod medicinae spirituales habent efficaciam infinitam ex virtute infinita quae in eis operatur. Et ideo illa medicina quae sufficit ad curationem parvi peccati, sufficit etiam ad curationem magni: sicut patet de baptismo, quo et magna et parva solvuntur. Et similiter est de contritione: dummodo ad rationem contritionis pertingat.

Ad secundum dicendum quod hoc sequitur ex necessitate, quod unus homo plus doleat de maiori peccato quam de minori, secundum quod magis repugnat amori, qui dolorem causat. Sed si unus alius haberet tantum de dolore pro maiori quantum ipse habet de minori, sufficeret ad remissionem culpae.

QUAESTIO SEXTA

DE CONFESSIONIS NECESSITATE

*Cf. qu. I, Introd.

* Qu. vii. * Qu. viii. ** Qu. ix. * Qu. x. ** Qu. xi.

Deinde considerandum est de confessione *. De qua sex sunt consideranda: primo, de confessionis necessitate; secundo, de eius quidditate *; tertio, de ipsius ministro *; quarto, de qualitate eius **; quinto, de eius effectu *; sexto, de eius sigillo **.

Circa primum quaeruntur sex.

Primo: utrum confessio sit necessaria ad salutem.

Secundo: utrum confessio sit de iure naturali.

Tertio: utrum omnes ad confessionem teneantur.

Quarto: utrum aliquis possit confiteri peccatum quod non habet.

Quinto: utrum statim homines peccatum confiteri teneantur.

Sexto: utrum possit cum aliquo dispensari ne homini confiteatur.

ART. I. utrum confessio sit necessaria ad salutem

Part. III, qu. lxix, art. 1, ad 2; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod confessio non sit necessaria ad salutem. Sacramentum enim poenitentiae propter remissionem culpae ordinatum est. Sed culpa per gratiae infusionem sufficienter remittitur. Ergo ad poenitentiam de peccato agendam non est necessaria confessio.

* Luc. cap. xxii, vers. 61, 62. * Ibid., cap. vii, vers. 36 sqq. ** Act. cap. ix, vers. 17, 18.

2. Praeterea, aliquibus est peccatum remissum sine hoc quod confessi legantur: sicut patet de Petro * et Magdalena *, et de Paulo **. Sed non est minoris efficaciae gratia remittens peccatum nunc quam tunc fuerit. Ergo nec nunc de necessitate salutis est quod homo confiteatur.

3. Praeterea, peccatum quod ex alio contractum est, ex alio debet habere medicinam. Ergo peccatum actuale, quod ex proprio motu quilibet commisit, oportet ex seipso tantum habere medicinam. Sed contra tale peccatum ordinatur poenitentia. Ergo confessio non est de necessitate poenitentiae.

4. Praeterea, confessio ad hoc exigitur in iudicio ut secundum quantitatem culpae poena infligatur. Sed homo potest poenam sibi ipsi infligere maiorem quam etiam ab alio sibi infligatur. Ergo videtur quod confessio non sit de necessitate salutis.

* Lib. I, pros. iv.

Sed contra, Boetius, in libro de *Consolatione* *: *Si operam medicantis expectas, oportet quod morbum detegas.* Sed de necessitate salutis est quod homo de peccatis medicinam accipiat. Ergo et de necessitate salutis est quod morbum per confessionem detegat.

2. Praeterea, in iudicio saeculari non est idem iudex et reus. Sed iudicium spirituale est ordinatius. Ergo peccator, qui est reus, non debet esse sui ipsius iudex, sed ab alio iudicari. Et ita oportet quod ei confiteatur.

Respondeo dicendum quod passio Christi, sine cuius virtute nec originale nec actuale peccatum dimittitur, in nobis operatur per sacramentorum susceptionem, quae ex ipsa efficaciam habent. Et ideo ad culpae remissionem, et actualis et originalis, requiritur sacramentum Ecclesiae, vel actu susceptum; vel saltem voto, *quando articulus necessitatis, non contemptus, sacramentum excludit* *. Et per consequens illa sacramenta quae ordinantur contra culpam, cum qua salus esse non potest, sunt de necessitate salutis. Et ideo, sicut baptismus, quo deletur originale, est de necessitate salutis, ita et poenitentiae sacramentum. Sicut autem aliquis per hoc quod baptismum petit se ministris Ecclesiae subiicit, ad quos pertinet dispensatio sacramenti; ita etiam per hoc quod confitetur peccatum suum se ministro Ecclesiae subiicit, ut per sacramentum poenitentiae, ab eo dispensatum, remissionem consequatur. Qui congruum remedium adhibere non potest nisi peccatum cognoscat: quod fit per confessionem peccantis. Et ideo confessio est de necessitate salutis eius qui in peccatum actuale mortale cecidit.

*Cf. Aug. *de Bapt. cont. Donat.* lib. IV, cap. xxii; *De Consecr.* dist. IV, can. *Baptismi vicem.*

Ad primum ergo dicendum quod gratiae infusio sufficit ad culpae remissionem, sed post culpam remissam adhuc est peccator debitor poenae temporalis. Sed ad gratiae infusionem consequendam ordinata sunt gratiae sacramenta: ante quorum susceptionem vel actu vel proposito aliquis gratiam non consequitur, sicut in baptismo patet. Et similiter est de confessione. Et ulterius per confessionis erubescentiam; et vim clavium, quibus se confitens subiicit; et satisfactionem iniunctam, quam sacerdos moderatur secundum qualitatem criminum sibi per confessionem innotescentium, poena temporalis expiatur.

Sed tamen ex hoc quod operatur confessio ad poenae remissionem, non habet quod sit de necessitate salutis. Quia poena ista est temporalis, ad quam post culpae remissionem aliquis remanet ligatus: unde sine hoc quod in praesenti via expiaretur, esset via salutis. Sed habet quod sit de necessitate salutis ex hoc quod ad remissionem culpae modo praedicto operatur.

Ad secundum dicendum quod, etsi non legatur eorum confessio, potuit tamen fieri: *multa enim facta sunt quae non sunt scripta* *. – Et praeterea Christus habet potestatem excellentiae in sacramentis. Unde sine his quae ad sacramentum pertinent, potuit rem sacramenti conferre.

* Mag. IV *Sent.*, dist. xvii, cap. *Cum ergo.*

Ad tertium dicendum quod peccatum quod ex altero contractum est, scilicet originale, potest omnino ab extrinseco remedium habere, ut in parvulis patet: sed peccatum actuale, quod ex seipso quisque commisit, non potest expiari nisi aliquid cooperetur ille qui peccavit. Sed tamen non sufficit ad peccatum expiandum ex seipso, sicut sufficienter peccatum commisit: eo quod peccatum ex parte conversionis est finitum, ex qua parte peccator in ipsum inducitur, sed ex parte aversionis habet infinitatem; ex qua parte oportet quod peccati remissio incipiat, quia *quod est ultimum in generatione est primum in resolutione,* ut dicitur in III *Ethic.* * Et ideo oportet quod etiam peccatum actuale ex alio medicinam habeat.

* Cap. iii, n. 12. - S. Th. lect. viii.

Ad quartum dicendum quod satisfactio non sufficeret ad expiandam poenam peccati ex quantitate poenae quae in satisfactione imponitur: sed sufficit inquantum est pars sacramenti virtutem sacramentalem habens. Et ideo oportet quod per dispensatores sacramentorum imponatur. Et ideo necessaria est confessio.

ART. II. utrum confessio sit de iure naturali

Infra, qu. vii, art. 2, ad 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod confessio sit de iure naturali. Adam enim et Cain non tenebantur nisi ad praecepta legis naturae. Sed reprehenduntur de hoc quod peccatum suum non sunt confessi *. Ergo confessio peccati est de iure naturali.

* Gloss. Ord. et Interl. super *Gen.* cap. iii, vers. 12; cap. iv, vers. 9, 10.

2. Praeterea, praecepta illa quae manent in veteri lege et nova, sunt de iure naturali. Sed confessio fuit in veteri

lege: ut dicitur Isaiae XLIII *: *Narra, si quid habes, ut iustificeris.* Ergo est de iure naturali.

* Vers. 26.

3. PRAETEREA, Iob non erat subiectus nisi legi naturali. Sed ipse peccata confitebatur: quod patet per hoc quod ipse de se dicit, *Iob* XXXI *: *Si abscondi ut homo peccatum meum.* Ergo est de iure naturali.

* Vers. 33.

SED CONTRA, Isidorus dicit * quod *ius naturale est idem apud omnes.* Sed confessio non est eodem modo apud omnes. Ergo non est de iure naturali.

* *Etymol.* lib. V, cap. IV.

2. PRAETEREA, confessio fit ei qui habet claves. Sed claves Ecclesiae non sunt de iure naturali institutae. Ergo nec confessio.

RESPONDEO DICENDUM quod sacramenta sunt quaedam fidei protestationes *: unde oportet ea fidei esse proportionata. Fides autem est supra cognitionem rationis naturalis. Unde et sacramenta sunt supra rationis naturalis dictamen. Et quia ius naturale est *quod non opinio genuit, sed innata quaedam vis inseruit,* ut Tullius dicit *; ideo sacramenta non sunt de iure naturali, sed de iure divino, quod est supra naturale. Et quandoque etiam naturale dicitur, secundum quod cuilibet rei illud est naturale quod ei a suo Creatore imponitur: tamen proprie dicuntur naturalia quae ex principiis naturae causantur. Supra autem naturam sunt quae ipse Deus sibi reservat sine naturae ministerio operanda: sive in operationibus miraculorum, sive in revelationibus mysteriorum, sive in institutionibus sacramentorum. Et sic confessio quae necessitatem sacramentalem habet, non de iure naturali est, sed de divino.

* Cf. IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 2, qu^a 5.

* *De Invent. Rhet.* lib. II, cap. LIII. - Ed. Teubner.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Adam vituperatur ex hoc quod peccatum suum coram Deo non recognovit: confessio enim quae fit Deo per recognitionem peccati, est de iure naturali. Nunc autem loquimur de confessione quae fit homini.

Vel dicendum quod confiteri peccatum in casu est de iure naturali: scilicet cum quis in iudicio constitutus a iudice interrogatur; tunc enim non debet mentiri peccatum excusando vel negando, de quo Adam et Cain vituperantur. Sed confessio quae fit homini sponte ad remissionem peccatorum consequendam a Deo, non est de iure naturali.

AD SECUNDUM DICENDUM quod praecepta legis naturae manent eodem modo in lege Moysi et in nova lege. Sed confessio, quamvis aliqualiter esset in lege Moysi, non tamen eodem modo sicut in lege nova, nec sicut in lege naturae. In lege autem naturae sufficiebat recognitio peccati interior apud Deum. Sed in lege Moysi oportebat aliquo signo exteriori peccatum protestari, sicut per oblationem hostiae pro peccato *, ex quo et homini innotescere poterat eum peccasse. Non autem oportebat ut speciale peccatum a se commissum manifestaret, aut peccati circumstantias: sicut in nova lege oportet.

* *Levit.* capp. IV, V, VI.

AD TERTIUM DICENDUM quod Iob loquitur de illa absconsione peccati quam facit deprehensus peccatum negando aut excusando: ut ex Glossa * ibidem haberi potest.

* Ord. et Interlin.

ART. III. UTRUM OMNES AD CONFESSIONEM TENEANTUR

Infra, qu. VIII, art. 5, ad 4; IV *Sent.*, dist. XVI, qu. II, art. 2, qu^a 3, ad 3; *in Matth.*, cap. III.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non omnes ad confessionem teneantur. Quia, sicut dicit Hieronymus *, *poenitentia est secunda tabula post naufragium.* Sed aliqui post baptismum naufragium non sunt passi. Ergo eis non competit poenitentia. Et sic nec confessio, quae est poenitentiae pars.

* Ep. CLXXX, al. VIII, *ad Demetriad.*

2. PRAETEREA, confessio facienda est iudici in quolibet foro. Sed aliqui sunt qui non habent hominem iudicem supra se. Ergo nec tenentur ad confessionem.

3. PRAETEREA, aliquis est qui non habet peccata nisi venialia. Sed de illis non tenetur homo confiteri. Ergo non quilibet tenetur ad confessionem.

SED CONTRA EST quia confessio contra satisfactionem et contritionem dividitur. Sed omnes tenentur ad contritionem et satisfactionem. Ergo et omnes tenentur ad confessionem.

2. PRAETEREA, hoc patet per decretalem *de Poenitentia et Remissione* *, ubi dicitur quod *omnes utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, tenentur peccata confiteri.*

* Cap. *Omnis utriusque.*

RESPONDEO DICENDUM quod ad confessionem dupliciter obligamur. Uno modo, ex iure divino: ex hoc ipso quod est medicina. Et secundum hoc non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantum qui peccatum mortale incurrunt post baptismum.

Alio modo, ex praecepto iuris positivi. Et sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiae edita in Concilio Generali sub Innocentio III *. Tum ut quilibet peccatorem se cognosceret: quia *omnes peccaverunt et egent gratia Dei* *. – Tum ut cum maiori reverentia ad Eucharistiam accedatur. – Tum ut ecclesiarum rectoribus sui subditi innotescant: ne lupus inter gregem lateat.

* Can. XXI; vid. arg. *Sed cont.* 2.
* *Ad Rom.*, cap. III, vers. 23.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quamvis homo in hac mortali vita post baptismum naufragium evadere possit, quod est per peccatum mortale; non tamen evadere potest venialia, quibus ad naufragium disponitur, contra quae etiam poenitentia ordinatur. Et ideo manet poenitentiae locus etiam in illis qui non mortaliter peccant: et per consequens confessionis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod nullus est qui non habeat iudicem Christum, cui per suum vicarium confiteri debet. Qui quamvis eo inferior sit inquantum ipse praelatus est, tamen est eo superior inquantum peccator est ipse, et ille Christi minister.

AD TERTIUM DICENDUM quod ex vi sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri: sed ex institutione Ecclesiae, quando non habet alia quae confiteatur.

Vel potest dici, secundum quosdam, quod ex decretali praedicta * non obligantur nisi illi qui habent peccata mortalia *: quod patet ex hoc quod dicit quod debet *omnia peccata* confiteri, quod de venialibus intelligi non potest, quia nullus omnia confiteri potest. Et secundum hoc, ille qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem venialium, sed sufficit ad praeceptum Ecclesiae implendum ut se sacerdoti repraesentet, et se ostendat absque conscientia mortalis esse: et hoc ei pro confessione reputatur.

* Arg. *Sed contra* 2.
* Cf. qu. VIII, art. 5, ad 4.

ART. IV. UTRUM ALIQUIS LICITE POSSIT CONFITERI PECCATUM QUOD NON HABET.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod aliquis licite possit confiteri peccatum quod non habet. Quia, ut dicit Gregorius *, *bonarum mentium est ibi culpam agnoscere ubi culpa non est.* Ergo ad bonam mentem pertinet ut de illis culpis se accuset quas non commisit.

* *Regist.* lib. XI, Ep. LXIV, al. XXXI, ad interrog. 10.

2. PRAETEREA, aliquis per humilitatem reputat se deteriorem aliquo qui est manifestus peccator, et in hoc est commendandus. Sed quod corde quis aestimat, licet ore confiteri. Ergo licite potest confiteri se habere gravius peccatum quam habeat.

3. PRAETEREA, aliquis aliquando dubitat de peccato aliquo utrum sit mortale vel veniale. Et talis debet de illo, ut videtur, confiteri ut de mortali. Ergo aliquis debet confiteri aliquando peccatum quod non habet.

4. PRAETEREA, satisfactio ex confessione ordinatur. Sed aliquis potest satisfacere de peccato quod non commisit. Ergo etiam potest confiteri peccatum quod non fecit.

SED CONTRA, quicumque dicit se fecisse quod non fecit, mentitur. Sed nullus in confessione mentiri debet: cum omne mendacium sit peccatum. Ergo nullus debet confiteri peccatum quod non fecit.

2. PRAETEREA, in iudicio exteriori non debet aliquod crimen alicui impingi quod non potest per testes idoneos probari *. Sed testis in foro poenitentiae est conscientia. Ergo aliquis non debet se accusare de peccato quod conscientia non habet.

* Cf. can. *Sciant cuncti*, Caus. II, qu. VIII.

RESPONDEO DICENDUM quod per confessionem debet poenitens se confessori suo manifestare. Ille autem qui aliud sacerdoti de se loquitur quam sua conscientia habeat, sive in bonum sive in malum, non se sacerdoti manifestat, sed magis occultat. Et ideo non est idonea confessio: sed ad

hoc quod sit idonea, requiritur quod os cordi concordet, ut solum hoc os accuset quod conscientia tenet.

Ad primum ergo dicendum quod agnoscere culpam ubi non est, potest esse dupliciter. Uno modo, ut intelligatur quantum ad substantiam actus. Et sic non est verum. Non enim ad bonam mentem pertinet, sed ad errantem, ut se actum aliquem commisisse agnoscat quem non commisit. – Alio modo, quantum ad conditionem actus. Et sic verum est quod Gregorius dicit, quod iustus in actu qui de se bonus videtur, formidat ne aliquis defectus ex parte sua fuerit: et sic dicitur *Iob* IX *: *Verebar omnia opera mea.* Et ideo ad bonam mentem etiam pertinet ut hanc formidinem, quam corde tenet, lingua accuset.

* Vers. 28.

Et per hoc etiam patet solutio ad secundum. Quia iustus, qui est vere humilis, non reputat se deteriorem quantum ad perpetrationem actus qui sit peior ex genere: sed timet ne in his quae bene agere videtur, per superbiam gravius delinquat.

Ad tertium dicendum quod, quando aliquis dubitat de aliquo peccato an sit mortale, tenetur illud confiteri, dubitatione manente. Quia qui aliquid committit vel omittit in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter, discrimini se committens. Et similiter periculo se committit qui de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confiteri. Non tamen debet asserere illud mortale esse: sed cum dubitatione loqui, et iudicium sacerdotis expectare, cuius est discernere *inter lepram et lepram* *.

* *Deut.* cap. XVII, vers. 8 sqq.

Ad quartum dicendum quod ex hoc quod homo satisfacit pro peccato quod non commisit, non incurrit mendacium, sicut cum quis confitetur peccatum quod non credit se fecisse. Si autem dicat peccatum quod non fecit, dum credit se fecisse, non mentitur. Et ideo non peccat si eo modo dicat sicut est in corde suo.

ART. V. UTRUM STATIM TENEATUR CONFITERI

Quodl. I, qu. VI, art. 2.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod statim teneatur confiteri. Dicit enim Hugo de Sancto Victore *: *Si necessitas non est quae praetendatur, contemptus non excusatur.* Sed quilibet tenetur vitare contemptum. Ergo quilibet tenetur statim confiteri cum potest.

* *De Sacram.* lib. I, p. IX, cap. 5.

2. Praeterea, quilibet tenetur plus facere ad evadendum morbum spiritualem quam ad evadendum morbum corporalem. Sed aliquis infirmus corporaliter non sine detrimento salutis medicum requirere tardat. Ergo videtur quod non possit esse sine detrimento salutis quod aliquis sacerdoti cuius copiam habet, non statim de peccato confiteatur.

3. Praeterea, illud quod sine termino debetur, statim debetur. Sed sine termino debet homo confessionem Deo. Ergo tenetur ad statim.

Sed contra, in decretali * simul datur tempus determinatum de confessione, et de Eucharistiae perceptione. Sed aliquis non peccat si non percipiat Eucharistiam ante tempus a iure determinatum. Ergo non peccat si ante tempus illud non confiteatur.

* Cap. *Omnis utriusque, de Poenit. de Remiss.*

2. Praeterea, quicumque illud omittit ad quod ex praecepto tenetur, peccat mortaliter. Si ergo aliquis non statim confitetur quando habet copiam sacerdotis, si ad statim confitendum tenetur, peccaret mortaliter; et eadem ratione alio tempore; et sic deinceps. Et ita multa peccata mortalia homo incurreret pro una poenitentiae dilatione. Quod videtur inconveniens.

Respondeo dicendum quod, cum propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum quando ad contritionem tenetur: scilicet quando peccata memoriae occurrunt, praecipue cum in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo in quo sine peccati remissione oporteat eum peccatum incurrere; sicut, cum tenetur ad celebrandum, si desit copia sacerdotis, saltem conteri tenetur et habere propositum confitendi.

Sed ad confessionem actualiter faciendam obligatur aliquis dupliciter. Uno modo, per accidens: scilicet quando ad aliquid tenetur quod non potest sine peccato facere non confessus. Tunc enim confiteri tenetur: sicut si debeat Eucharistiam percipere, ad quam nullus post peccatum mortale nisi confessus accedere debet, copia sacerdotis oblata et necessitate non urgente. Et inde venit obligatio qua Ecclesia omnes obligat ad semel in anno confitendum, quia instituit ut semel in anno, scilicet in Paschate, omnes sacram communionem accipiant *: et ideo ante tempus illud omnes confiteri tenentur.

* Cf. Arg. *Sed contra* 1.

Alio modo obligatur aliquis ad confessionem per se. Et sic videtur esse eadem ratio de confessione et de baptismo differendo: quia utrumque est sacramentum necessitatis. Ad baptismum autem percipiendum non tenetur aliquis statim postquam habet propositum baptismi, ita quod peccet mortaliter nisi statim baptizetur; nec est aliquod tempus determinatum ultra quod si baptismum differat, peccatum mortale incurrat; sed potest contingere quod in dilatione baptismi erit peccatum mortale vel non erit. Et hoc pensandum est ex causa dilationis: quia, sicut dicit Philosophus, VIII *Physic.* *, voluntas non retardat facere opus volitum nisi propter aliquam causam rationabilem. Unde, si causa dilationis baptismi mortale peccatum annexum habeat, utpote si propter contemptum vel aliquod huiusmodi baptismum differat, dilatio erit peccatum mortale: alias non. Et ideo idem videtur esse de confessione, quae non est maioris necessitatis quam baptismus.

* Vide cap. I, n. 7 sqq. - S. Th. lect. II, n. 19 (Ed. Leon.)

Et quia ea quae sunt de necessitate salutis tenetur homo in hac vita implere, ideo, si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo, obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc, vel baptismum suscipiendum. Et propter hoc etiam Iacobus * simul praeceptum edidit de confessione facienda, et extrema unctione percipienda.

* Cap. V, vers. 14; 16.

Et ideo videtur probabilis illorum opinio qui dicunt quod non tenetur homo ad statim confitendum: quamvis periculosum sit differre *.

* Vide s. Bonav. IV *Sent.*, dist. XVII, p. II, art. 2, qu. II.

Alii * autem dicunt quod tenetur contritus ad statim confitendum, debita opportunitate oblata, secundum rectam rationem. Nec obstat quod decretalis terminum praefigat, ut *semel in anno* confiteatur: quia Ecclesia non indulget dilationi, sed prohibet negligentiam in maiori dilatione. Unde per decretalem illam non excusatur a culpa dilationis quantum ad forum conscientiae: sed excusatur a poena quantum ad forum Ecclesiae, ut non privetur debita sepultura si morte praeventus fuerit ante tempus illud. – Sed hoc videtur nimis durum. Quia praecepta affirmativa non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum; non quidem ex hoc quod tunc commode impleri possunt, quia tunc, si non daret aliquis eleemosynam de superfluo quandocumque pauper offerretur, peccaret mortaliter, quod falsum est; sed ex hoc quod tempus necessitatem urgentem adducit. Et ideo non oportet quod, si statim oblata opportunitate non confiteatur, etiam si maior opportunitas non expectetur, aliquis peccet mortaliter: sed quando ex articulo temporis necessitas confessionis inducitur. Nec hoc est ex indulgentia Ecclesiae quod non teneatur ad statim, sed ex natura praecepti affirmativi. Unde ante Ecclesiae statutum etiam minus debebatur.

* Halens. *Sum.* p. IV, qu. XVIII, m. 4, art. 4.

Quidam * vero dicunt quod saeculares non tenentur ante quadragesimale tempus confiteri, quod est eis poenitentiae tempus: sed religiosi tenentur ad statim, quia totum tempus est eis poenitentiae tempus. – Sed hoc nihil est. Quia religiosi non tenentur ad alia quam alii homines, nisi ad quae ex voto se obligaverunt.

* S. Bonav. loc. cit.

Ad primum ergo dicendum quod Hugo loquitur de illis qui sine sacramento decedunt.

Ad secundum dicendum quod non est de necessitate salutis corporalis quod statim medicum quaerat, nisi quando necessitas curationis incumbit. Et similiter est de morbo spirituali.

Ad tertium dicendum quod retentio rei alienae invito domino contrariatur praecepto negativo, quod obligat semper et ad semper. Et ideo tenetur semper ad statim reddendum. Secus autem est de impletione praecepti affirmativi, quod obligat semper sed non ad semper. Unde non tenetur aliquis ad statim implendum.

ART. VI. UTRUM POSSIT CUM ALIQUO DISPENSARI NE CONFITEATUR HOMINI

Infra, qu. XI, art. 1, ad 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXII; *Quodl.* I, qu. VI, art. 1.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod possit cum aliquo dispensari ne confiteatur homini. Praecepta enim quae sunt de iure positivo, subiacent dispensationi praelatorum Ecclesiae. Sed confessio est huiusmodi, ut ex dictis * patet. Ergo potest dispensari cum aliquo ut non confiteatur.

* Art. 2, 3.

2. PRAETEREA, illud quod ab homine institutum est, potest etiam ab homine dispensationem recipere. Sed confessio non legitur a Deo instituta, sed ab homine, Iac. V *: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Habet autem Papa potestatem dispensandi in his quae per Apostolos instituta sunt: sicut patet de bigamis *. Ergo etiam potest cum aliquo dispensari ne confiteatur.

* Vers. 16.
* Cf. qu. LXVI, art. 5, ad 2.

SED CONTRA, poenitentia, cuius pars est confessio, est sacramentum necessitatis, sicut et baptismus. Cum ergo in baptismo nullus dispensare possit, nec in confessione aliquis dispensare poterit.

RESPONDEO DICENDUM quod ministri Ecclesiae instituuntur in Ecclesia divinitus fundata. Et ideo institutio Ecclesiae praesupponitur ad operationem ministrorum: sicut opus creationis praesupponitur ad opus naturae. Et quia Ecclesia fundatur in fide et sacramentis, ideo ad ministros novos articulos fidei edere aut editos removere, aut nova sacramenta instituere aut instituta removere, non pertinet: sed hoc est potestatis excellentiae, quae soli debetur Christo, qui est Ecclesiae *fundamentum* *. Et ideo, sicut Papa non potest dispensare ut aliquis sine baptismo salvetur, ita nec quod salvetur sine confessione, secundum quod obligat ex ipsa vi sacramenti. Sed potest dispensare in confessione secundum quod obligat de praecepto Ecclesiae, ut possit ad diutius confessionem differre quam ab Ecclesia institutum sit.

* I *ad Cor.*, cap. III, vers. 11.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod praecepta iuris divini non minus obligant quam praecepta iuris naturalis. Unde, sicut non potest dispensari in iure naturali, ita nec in iure positivo divino.

AD SECUNDUM DICENDUM quod praeceptum de confessione non est ab homine primo institutum, quamvis sit a Iacobo promulgatum: sed a Deo institutionem habuit, quamvis expressa ipsius institutio non legatur. Tamen quaedam praefiguratio ipsius invenitur: et in hoc quod Ioanni confitebantur peccata qui baptismo ipsius ad gratiam Christi praeparabantur *; et in hoc quod Dominus sacerdotibus leprosos transmisit *, qui, quamvis non essent novi Testamenti sacerdotes, tamen in eis novi Testamenti sacerdotium significabatur *.

* Matth. cap. III, vers. 6.
* Luc. cap. XVII, vers. 14.
* Cf. August. *de Quaest. Evang.* lib. II, qu. XL, n. 3; S. Th. *Cat. in Luc.* cap. XVII, e; Part. III, qu. XXII, art. 4 sqq.

QUAESTIO SEPTIMA

DE QUIDDITATE CONFESSIONIS

DEINDE considerandum est de quidditate confessionis *. Et circa hoc tria quaeruntur.

* Cf. qu. VI, Introd.

Primo: utrum Augustinus convenienter definiat confessionem.
Secundo: utrum confessio sit actus virtutis.
Tertio: utrum confessio sit actus poenitentiae virtutis.

ART. I. UTRUM AUGUSTINUS CONVENIENTER CONFESSIONEM DEFINIAT

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Augustinus inconvenienter confessionem definiat dicens *: *Confessio est per quam morbus latens spe veniae aperitur.* Morbus enim contra quem confessio ordinatur, peccatum est. Sed peccatum aliquando est apertum. Ergo non debuit dicere morbum latentem esse cuius confessio est medicina.

* Vide *In Psalm. XXXI*, Enarr. II, n. 12; Serm. CCLIV, al. *de Tem.* LXVI (inter Opp. Aug.)

2. PRAETEREA, principium poenitentiae est timor *. Sed confessio est pars poenitentiae. Ergo non debuit pro causa confessionis ponere spem, sed magis timorem.

* Cf. IV *Sent.*, dist. XV, qu. I, art. 2, qa 1.

3. PRAETEREA, illud quod sub sigillo ponitur, non aperitur, sed magis clauditur. Sed peccatum quod quis confitetur, sub sigillo confessionis ponitur. Ergo non aperitur in confessione peccatum, sed magis clauditur.

4. PRAETEREA, inveniuntur quaedam aliae definitiones ab ista differentes. Gregorius enim dicit * quod confessio est *peccatorum detectio et ruptio vulneris.* Quidam * vero dicunt quod confessio est *coram sacerdote legitima peccatorum declaratio.* Quidam * autem dicunt sic: *Confessio est sacramentalis delinquentis accusatio, ex erubescentia et per claves Ecclesiae satisfactoria, obligans ad peragendam poenitentiam iniunctam.* Ergo videtur quod praeassignata definitio, cum non omnia contineat quae in his continentur, insufficiens sit.

* Homil. XL *in Evang.*
* S. Raym. *Sum., de Poenit. et Remiss.*, § IV; Halen. *Sum.* p. IV, qu. XVIII, m. 1.
* Definitio Magistralis. - Cf b. Albert. IV *Sent.*, dist. XVI, art. 16.

RESPONDEO DICENDUM quod in actu confessionis plura consideranda occurrunt: primo, ipsa substantia actus, sive genus eius, quod est manifestatio quaedam; secundo, de quo sit, scilicet peccatum; tertio, cui fiat, scilicet sacerdos; quarto, causa eius, scilicet spes veniae; quinto, effectus, scilicet absolutio a parte poenae et obligatio ad aliam partem exsolvendam. In prima ergo definitione Augustini * tangitur et substantia actus, in *apertione;* et de quo fit confessio, cum dicitur *morbus latens;* et causa, in *spe veniae.* Et in aliis definitionibus * tanguntur aliqua de illis quinque assignatis: ut cuilibet inspicienti patet.

* Arg. 1.
* Arg. 4.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quamvis sacerdos aliquando sciat eius peccatum ut homo, non tamen scit ut Christi vicarius: sicut etiam iudex aliquando scit aliquid ut homo quod nescit ut iudex. Et quantum ad hoc per confessionem aperitur.

Vel dicendum quod, quamvis actus exterior in aperto sit, actus interior, qui tamen principalior est, in occulto est. Et ideo oportet quod per confessionem aperiatur.

AD SECUNDUM DICENDUM quod confessio praesupponit caritatem, qua iam vivus aliquis efficitur: ut in littera * dicitur. Contritio autem est in qua datur caritas. Timor autem servilis, qui est sine spe, est praevius ad caritatem. Sed habens caritatem magis movetur ex spe quam ex timore. Et ideo causa confessionis potius ponitur spes quam timor.

* Dist. XVII, cap. 1.

AD TERTIUM DICENDUM quod peccatum in qualibet confessione aperitur sacerdoti, et clauditur aliis confessionis sigillo.

AD QUARTUM DICENDUM quod non oportet in qualibet definitione omnia tangere quae ad rem definitam concurrunt. Et ideo inveniuntur quaedam definitiones sive assignationes datae penes unam causam, quaedam penes aliam.

ART. II. UTRUM CONFESSIO SIT ACTUS VIRTUTIS

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod confessio non sit actus virtutis. Omnis enim actus virtutis est de iure naturali: quia *ad virtutes apti sumus a natura,* ut Philosophus dicit, in II *Ethic.* * Sed confessio non est de iure naturali. Ergo non est actus virtutis.

* Cap. 1, n. 3. - S. Th. lect. 1.

2. PRAETEREA, actus virtutis magis convenire potest innocenti quam ei qui peccavit. Sed confessio peccati de qua loquimur, non potest innocenti convenire. Ergo non est actus virtutis.

3. PRAETEREA, gratia quae est in sacramentis, aliquo modo differt a gratia quae est in virtutibus et donis *. Sed confessio est pars sacramenti. Ergo non est actus virtutis.

* Cf. IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 4, qa 5.

SED CONTRA, praecepta legis sunt de actibus virtutum *. Sed confessio cadit sub praecepto. Ergo est actus virtutis.

* Aristot. *Ethic.* lib. V, cap. 1, n. 14. - S. Th. lect. II.

2. PRAETEREA, non meremur nisi actibus virtutum. Sed confessio est meritoria: quia *caelum aperit,* ut in littera * Magister dicit. Ergo videtur quod sit actus virtutis.

* IV *Sent.*, dist. XVII, cap. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod ad hoc quod aliquid dicatur actus virtutis, ut prius * dictum est, sufficit quod in sui ratione aliquam conditionem implicet quae ad virtutem pertineat. Quamvis autem non omnia quae ad virtutem requiruntur importet confessio, tamen importat ex suo nomine manifestationem alicuius quod in conscientia tenet aliquis: sic enim simul in unum os et cor conveniunt. Si enim quis aliquid proferat ore quod corde non teneat, non confessio, sed *fictio* dicitur. Haec autem conditio ad virtutem pertinet, ut aliquis ore confiteatur quod corde

* IV *Sent.*, dist. XV, qu. II, art. 1, qa 3; qu. III, art. 1, qa 2.

tenet. Et ideo confessio est bonum ex genere, et est actus virtutis. – Sed tamen potest male fieri, nisi aliis debitis circumstantiis vestiatur.

Ad primum ergo dicendum quod ad confessionem veri modo debito faciendam, ubi oportet et cui oportet, in generali inclinat ratio naturalis. Et secundum hoc confessio est de iure naturali. Sed determinatio circumstantiarum quando et quomodo et quid confiteri oporteat et cui, hoc est ex institutione iuris divini in confessione de qua loquimur. Et sic patet quod ius naturale inclinat ad confessionem mediante iure divino, quo circumstantiae determinantur: sicut etiam in omnibus est quae sunt de iure positivo.

Ad secundum dicendum quod illius virtutis cuius obiectum est peccatum commissum, quamvis habitum possit innocens habere, tamen actum non habet, innocentia permanente *. Et ideo etiam confessio peccatorum de qua nunc loquimur, non competit innocenti, quamvis sit actus virtutis.

* Cf. IV *Sent.*, dist. XIV, qu. 1, art. 3, quª 2.

Ad tertium dicendum quod, quamvis gratia sacramentorum et gratia virtutum sit alia et alia, non tamen sunt contrariae, sed disparatae. Et ideo non est inconveniens ut idem sit actus virtutis secundum quod ex libero arbitrio gratia informato procedit; et sit sacramentum, vel pars sacramenti, secundum quod est medicina in remedium peccati ordinata.

ART. III. utrum confessio sit actus poenitentiae virtutis

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod confessio non sit actus poenitentiae virtutis. Quia actus illius virtutis est quae est causa eius. Sed causa confessionis est *spes veniae:* ut ex definitione inducta * apparet. Ergo videtur quod sit actus spei, et non poenitentiae.

* Art. 1, arg. 1.

2. Praeterea, verecundia est pars temperantiae *. Sed confessio *ex erubescentia* operatur: ut ex praeassignata definitione * apparet. Ergo est actus temperantiae, et non poenitentiae.

* Cf. III *Sent.*, dist. XXXIII, qu. III, art. 2, quª 1.
* Art. 1, arg. 4, definit. Magistr.

3. Praeterea, actus poenitentiae innititur divinae misericordiae. Sed confessio magis innititur sapientiae: propter veritatem quae in ipsa esse debet. Ergo non est actus poenitentiae.

4. Praeterea, ad poenitentiam movet articulus de iudicio: propter timorem, qui poenitentiae origo est. Sed ad confessionem movet articulus de vita aeterna: quia est propter spem veniae. Ergo non est actus poenitentiae.

5. Praeterea, ad virtutem veritatis pertinet ut ostendat se quis talem qualis est *. Sed hoc facit confitens. Ergo est actus virtutis quae dicitur veritas, et non poenitentiae.

* Aristot. *Ethic.* lib. IV, cap. VII, n. 4. – S. Th. lect. XV.

Sed contra, poenitentia ordinatur ad destructionem peccati. Sed ad hoc idem ordinatur confessio. Ergo est actus poenitentiae.

Respondeo dicendum quod hoc in virtutibus considerandum est, quod, quando supra obiectum virtutis additur specialis ratio boni et difficilis, requiritur specialis virtus: sicut magni sumptus ad magnificentiam pertinent, quamvis communiter sumptus mediocres et donationes pertineant ad liberalitatem, ut patet II *Ethic.* * et IV ** . Et similiter est in confessione veri: quae quamvis ad veritatis virtutem pertineat absolute, tamen, secundum quod aliqua ratio boni additur, ad aliam virtutem pertinere incipit. Et ideo dicit Philosophus, IV *Ethic.* *, quod confessio quae fit in iudiciis, non pertinet ad veritatis virtutem, sed magis ad iustitiam. Et similiter confessio beneficiorum Dei in laudem divinam non pertinet ad virtutem veritatis, sed ad virtutem latriae. Et ita etiam confessio peccatorum ad remissionem eorum consequendam, non pertinet elicitive ad virtutem veritatis, ut quidam * dicunt, sed ad virtutem poenitentiae. Imperative autem ad multas virtutes pertinere potest: secundum quod in finem multarum virtutum trahi potest confessionis actus.

* Cap. VII, n. 6. – S. Th. lect. VIII.
** Cap. II, n. 1, 3. – S. Th. lect. VI.
* Cap. VII, n. 7. – S. Th. lect. XV.
* S. Bonav. IV *Sent.*, dist. XVII, p. II, art. 1, qu. 1, ad 6.

Ad primum ergo dicendum quod spes est confessionis causa non sicut eliciens, sed sicut imperans.

Ad secundum dicendum quod erubescentia in illa definitione non ponitur quasi causa confessionis, cum magis nata sit impedire confessionis actum: sed quasi concausa ad liberandum a poena, inquantum ipsa erubescentia poena quaedam est; sicut etiam claves Ecclesiae concausae confessionis ad hoc sunt.

Ad tertium dicendum quod secundum quandam adaptationem partes poenitentiae tribus atttributis Personarum adaptari possunt: ut contritio misericordiae vel bonitati respondeat, propter dolorem de malo; confessio sapientiae, propter veritatis manifestationem; satisfactio potentiae, propter satisfaciendi laborem. Et quia contritio est prima pars poenitentiae, et efficaciam aliis partibus praebens, ideo eodem modo iudicatur de tota poenitentia sicut de contritione.

Ad quartum dicendum quod, quia confessio magis ex spe procedit quam ex timore *, ideo magis innititur articulo de vita aeterna, quem respicit spes, quam articulo de iudicio, quem respicit timor: quamvis poenitentia ratione contritionis e converso se habeat.

* Cf. art. 1, ad 2.

Ad quintum patet solutio ex dictis *.

* In corpore.

QUAESTIO OCTAVA

DE MINISTRO CONFESSIONIS

Deinde considerandum est de ministro confessionis *. Circa quod quaeruntur septem.

* Cf. qu. VI, Introd.

Primo: utrum necessarium sit confiteri sacerdoti.
Secundo: utrum in aliquo casu liceat aliis quam sacerdotibus confiteri.
Tertio: utrum extra casum necessitatis possit aliquis non sacerdos confessionem venialium audire.
Quarto: utrum sit necessarium quod homo confiteatur proprio sacerdoti.
Quinto: utrum possit aliquis alteri quam proprio sacerdoti confiteri ex privilegio vel mandato superioris.
Sexto: utrum poenitens in extremo vitae suae possit absolvi a quolibet sacerdote.
Septimo: utrum poena temporalis taxari debeat secundum quantitatem culpae.

ART. I. utrum sit necessarium sacerdoti confiteri

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non sit necessarium sacerdoti confiteri. Ad confessionem enim non obligamur nisi ex divina institutione. Sed divina institutio nobis proponitur Iac. v *, *Confitemini alterutrum peccata vestra,* ubi non fit mentio de sacerdote. Ergo non oportet confiteri sacerdoti.

* Vers. 16.

2. Praeterea, poenitentia est necessitatis sacramentum, sicut et baptismus. Sed in baptismo, propter necessitatem sacramenti, est minister quilibet homo. Ergo et in poenitentia. Ergo sufficit cuilibet confiteri.

3. Praeterea, confessio est ad hoc necessaria ut taxetur poenitenti satisfactionis modus. Sed aliquando aliquis non sacerdos discretius posset poenitenti dare satisfactionis modum quam multi sacerdotes. Ergo non est necessarium quod confessio fiat sacerdoti.

4. Praeterea, confessio ad hoc est ordinata in Ecclesia ut rectores *pecorum suorum vultum cognoscant* *. Sed quandoque rector vel praelatus non est sacerdos. Ergo confessio non semper facienda est sacerdoti.

* *Prov.* cap. XXVII, vers. 23.

Sed contra, absolutio poenitentis, propter quam fit confessio, non pertinet nisi ad sacerdotes, quibus claves commissae sunt. Ergo confessio debet fieri sacerdoti.

2. Praeterea, confessio praefiguratur in Lazari mortui vivificatione *. Sed Dominus solum discipulis praecepit ut solverent Lazarum: ut patet Ioan. XI *. Ergo sacerdotibus facienda est confessio.

* Cf. IV *Sent.*, dist. XVII, cap. 1.
* Vers. 44.

Respondeo dicendum quod gratia, quae in sacramentis datur, a capite in membra descendit *. Et ideo solus ille minister est sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi verum. Quod solius sacerdotis est, qui consecrare Eucharistiam potest. Et ideo, cum in sacramento poenitentiae gratia conferatur, solus sacerdos minister est huius sacramenti. Et ideo ei soli facienda est sacramentalis confessio, quae ministro Ecclesiae fieri debet.

* Cf. Part. III, qu. VIII, art. 1; qu. LXII, art. 5.

Ad primum ergo dicendum quod Iacobus loquitur ex praesuppositione divinae institutionis. Et quia divinitus institutio praecesserat de confessione sacerdotibus facienda, per hoc quod eis potestatem remittendi peccata in Apostolis dedit, ut patet Ioan. xx *; ideo intelligendum est quod Iacobus sacerdotibus confessionem esse faciendam monuit.

* Vers. 22, 23.

Ad secundum dicendum quod baptismus est magis sacramentum necessitatis quam poenitentia quoad confessionem et absolutionem: quia quandoque baptismus praetermitti non potest sine periculo salutis aeternae, ut patet in pueris qui non habent usum rationis; sed non est ita de confessione et absolutione, quae tantum ad adultos pertinent, in quibus contritio cum proposito confitendi et desiderio absolutionis sufficit ad liberandum a morte aeterna. Et ideo non est simile de baptismo et confessione.

Ad tertium dicendum quod in satisfactione non solum attendenda est quantitas poenae, sed etiam virtus eius secundum quod est pars sacramenti *. Et sic requirit sacramentorum dispensatorem: quamvis etiam ab alio quam a sacerdote quantitas poenae taxari possit.

* Cf. qu. vi, art. 1, ad 4.

Ad quartum dicendum quod cognoscere vultum pecoris ad duo potest necessarium esse. Primo, quod coordinetur gregi Christi. Et sic cognoscere vultum pecoris pertinet ad curam et sollicitudinem pastoralem, quae incumbit quandoque illis qui non sunt sacerdotes. – Secundo, ad hoc quod provideatur ei conveniens medicamentum salutis. Et sic cognoscere vultum pecoris pertinet ad eum cuius est medicamentum salutis, scilicet sacramentum Eucharistiae et alia, praebere, scilicet ad sacerdotem. Et ad talem cognitionem pecoris confessio ordinatur.

ART. II. UTRUM IN ALIQUO CASU LICEAT ALIIS QUAM SACERDOTIBUS CONFITERI

Infra, art. 4, ad 5; qu. ix, art. 3, ad 3.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod in nullo casu liceat aliis quam sacerdotibus confiteri. Quia confessio *sacramentalis accusatio* est: ut ex supra * posita definitione habetur. Sed dispensatio sacramenti ad illum tantum pertinet qui est sacramenti minister. Cum ergo minister sacramenti poenitentiae sit sacerdos, videtur quod nulli alii sit confessio facienda.

* Qu. vii, art. 1, arg. 4, definit. Magistral.

2. Praeterea, confessio in quolibet iudicio ad sententiam ordinatur. Sed sententia in foro contentioso non a suo iudice lata nulla est: et ideo non facienda est confessio nisi iudici. Sed iudex in foro conscientiae non est nisi sacerdos, qui habet potestatem ligandi et solvendi. Ergo non est alii confessio facienda.

3. Praeterea, in baptismo, quia quilibet potest baptizare, si baptizat laicus, etiam absque necessitate, non debet a sacerdote baptismus iterari. Sed si aliquis confiteatur laico in casu necessitatis, iterum tenetur sacerdoti confiteri, si articulum necessitatis evadat. Ergo confessio non potest fieri laico in casu necessitatis.

Sed contra est quod in littera * determinatur.

* Dist. xvii, capp. *Nunc priusquam* et *Cum ergo*.

Respondeo dicendum quod, sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita et poenitentia. Baptismus autem, quia est sacramentum necessitatis, duplicem habet ministrum: unum cui ex officio baptizare incumbit, scilicet sacerdotem; alium cui ratione necessitatis dispensatio baptismi committitur. Et ita etiam minister poenitentiae cui confessio est facienda ex officio, est sacerdos: sed in necessitate etiam laicus vicem sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit.

Ad primum ergo dicendum quod in sacramento poenitentiae non solum est aliquid ex parte ministri, scilicet absolutio et satisfactionis iniunctio; sed etiam aliquid ex parte ipsius qui suscipit sacramentum, quod est etiam de essentia sacramenti, sicut contritio et confessio. Satisfactio autem iam incipit esse a ministro, inquantum eam iniungit; et a poenitente, inquantum eam implet. Et ad plenitudinem sacramenti utrumque debet concurrere, quando possibile est. Sed quando necessitas imminet, debet facere poenitens quod ex parte sua est, scilicet conteri et confiteri cui potest: qui quamvis sacramentum perficere non possit, ut faciat id quod ex parte sacerdotis est, absolutionem scilicet, tamen defectum sacerdotis Summus Sacerdos supplet. Nihilominus confessio laico ex desiderio sacerdotis facta sacramentalis est quodammodo: quamvis non sit sacramentum perfectum, quia deest ei id quod est ex parte sacerdotis.

Ad secundum dicendum quod, quamvis laicus non sit iudex eius qui sibi confitetur absolute, tamen ratione necessitatis accipit iudicium super eum, secundum quod confitens ex desiderio sacerdotis se ei subdit.

Ad tertium dicendum quod per sacramenta homo non solum Deo, sed Ecclesiae oportet quod reconcilietur. Ecclesiae autem reconciliari non potest nisi sanctificatio Ecclesiae ad eum perveniat. In baptismo autem sanctificatio Ecclesiae ad hominem pervenit per ipsum elementum exterius adhibitum, quod *verbo vitae* * sanctificatur, secundum formam Ecclesiae, a quocumque. Et ideo, ex quo semel baptizatus est a quocumque, non oportet quod iterum baptizetur. – Sed in poenitentia Ecclesiae sanctificatio non pervenit ad hominem nisi per ministrum: quia non est ibi aliquod elementum corporale exterius adhibitum, quod ex sanctificatione invisibilem gratiam conferat. Et ideo, quamvis ille laico confessus in articulo necessitatis consecutus sit veniam a Deo, eo quod propositum confitendi, secundum mandatum Dei quod percepit, sicut potuit implevit; non tamen adhuc Ecclesiae reconciliatus est, ut ad sacramenta Ecclesiae admitti debeat, nisi prius a sacerdote absolvatur; sicut ille qui baptismo flaminis baptizatus est, ad Eucharistiam non admittitur. Et ideo oportet quod iterum confiteatur sacerdoti, cum copiam habere potuerit. Et praecipue quia sacramentum poenitentiae perfectum non fuit *. Unde oportet quod perficiatur: ut ex ipsa perceptione sacramenti pleniorem effectum consequatur; et ut mandatum de poenitentiae sacramento recipiendo impleat.

* *Ad Ephes.*, cap. v, vers. 26.

* Cf. resp. ad 1.

ART. III. UTRUM, EXTRA CASUM NECESSITATIS, POSSIT ALIQUIS NON SACERDOS CONFESSIONEM VENIALIUM AUDIRE

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod, extra casum necessitatis, non possit aliquis non sacerdos confessionem venialium audire. Quia sacramentum aliquod committitur laico dispensandum ratione necessitatis. Sed confessio venialium non est de necessitate. Ergo non committitur laico.

2. Praeterea, contra venialia ordinatur extrema unctio, sicut et poenitentia. Sed illa non potest dari a laico: ut patet Iac. ultimo *. Ergo nec confessio venialium potest ei fieri.

* Vers. 14.

Sed contra est quod dicit Beda in littera *.

* Dist. xvii, cap. *Nunc priusquam*.

Respondeo dicendum quod per peccatum veniale homo nec a Deo nec a sacramentis Ecclesiae separatur. Et ideo non indiget novae gratiae collatione ad eius dimissionem, neque indiget reconciliari Ecclesiae. Et propter hoc, non oportet quod venialia aliquis sacerdoti confiteatur: quia ipsa confessio laico facta sacramentale quoddam est (quamvis non sit sacramentum perfectum) et ex caritate procedens; et talibus natum est veniale remitti, sicut per tunsionem pectoris et aquam benedictam.

Et per hoc patet solutio ad primum. Quia venialia non indigent sacramenti perceptione ad dimissionem sui, sed sufficit ibi aliquod sacramentale, ut aqua benedicta et aliquid huiusmodi *.

Ad secundum dicendum quod extrema unctio non datur directe contra veniale *, nec aliquod sacramentum **.

* Cf. Part. III, qu. lxxxvii, art. 3.
* Cf. infra, qu. xxx, art. 1.
** Cf. IV *Sent.*, dist. ii, qu. i, art. 1, qu^a 4; Part. III, qu. lxv, art. 1, ad 8.

ART. IV. UTRUM SIT NECESSARIUM QUOD HOMO CONFITEATUR PROPRIO SACERDOTI

IV *Cont. Gent.*, cap. lxxii.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod non sit necessarium quod homo confiteatur proprio sacerdoti. Gregorius enim dicit *: *Apostolico moderamine et pietatis officio a nobis constitutum est quod sacerdotibus monachis, Apostolorum figuram tenentibus, liceat praedicare,*

* Can. *Ex auctoritate*, caus. XVI, qu. i.

baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, poenitentiam imponere, atque peccata solvere. Sed monachi non sunt proprii sacerdotes aliquorum: cum non habeant curam animarum. Ergo, cum confessio fiat propter absolutionem, sufficit quod fiat cuicumque sacerdoti.

2. PRAETEREA, sicut sacerdos est minister huius sacramenti, ita et Eucharistiae. Sed quilibet sacerdos potest conficere. Ergo quilibet sacerdos potest sacramentum poenitentiae ministrare. Ergo non oportet quod fiat proprio sacerdoti.

3. PRAETEREA, illud ad quod determinate tenemur, non est in nostra electione constitutum. Sed sacerdos cui confiteri debemus est in nostra potestate constitutus: ut patet per Augustinum in littera *. Dicit enim: *Qui vult confiteri peccata, ut inveniat gratiam, quaerat sacerdotem qui sciat solvere et ligare.* Ergo videtur quod non sit necessarium quod sacerdoti proprio aliquis confiteatur.

* Dist. XVII, cap. *Nunc priusqu.* - Ex lib. *de Vera et fals. Poenit.*, cap. X (inter Opp. Aug.).

4. PRAETEREA, quidam sunt, sicut praelati, qui non videntur habere proprium sacerdotem: cum non habeant superiorem. Sed isti tenentur ad confessionem. Ergo non semper tenetur homo confiteri proprio sacerdoti.

5. PRAETEREA, *illud quod est institutum pro caritate, contra caritatem non militat:* ut Bernardus dicit *. Sed confessio, quae pro caritate instituta est, contra caritatem militaret si homo ad confitendum uni sacerdoti esset obligatus: ut puta si peccator sciat sacerdotem suum haereticum, aut sollicitatorem ad malum, aut fragilem, qui ad peccatum quod quis ei confitetur sit pronus; vel si revelator confessionis esse probabiliter aestimetur; vel si peccatum contra ipsum commissum sit de quo quis confiteri debet. Ergo videtur quod non semper oporteat confiteri proprio sacerdoti.

* *De Praecept. et Dispens.*, cap. II, n. 5.

6. PRAETEREA, in eo quod est necessarium ad salutem, non sunt homines arctandi: ne impediantur a via salutis. Sed magna arctatio videtur si oporteat uni homini confiteri de necessitate: et per hoc multi possent a confessione retrahi, vel timore vel verecundia vel aliquo huiusmodi. Ergo, cum confessio sit de necessitate salutis, non debent homines ad hoc arctari, ut videtur, quod proprio sacerdoti confiteantur.

SED CONTRA EST decretalis Innocentii *, qui instituit quod *omnes utriusque sexus semel in anno proprio sacerdoti confiteantur.*

* Cap. *Omnis utriusque, de Poenit. et Remiss.*

2. PRAETEREA, sicut episcopus se habet ad dioecesim suam, ita sacerdos ad suam parochiam. Sed non licet uni episcopo in dioecesi alterius episcopale officium exercere, secundum statuta canonum *. Ergo nec licet uni sacerdoti parochianum alterius audire.

*Can. *Nullus primas*, caus. IX, qu. II; can. *Si quis episcopor.*, caus. XVI, qu. V.

RESPONDEO DICENDUM quod alia sacramenta non consistunt in hoc quod ad sacramentum accedens aliquid agat, sed solum ut recipiat, sicut patet in baptismo et huiusmodi: sed actus recipientis requiritur ad percipiendum utilitatem sacramenti, in eo qui est suae voluntatis arbiter constitutus, quasi removens prohibens, scilicet fictionem. Sed in poenitentia actus accedentis ad sacramentum est de substantia sacramenti: eo quod contritio, confessio et satisfactio sunt poenitentiae partes, quae sunt actus poenitentis. Actus autem nostri, cum in nobis principium habeant, non possunt nobis ab alio dispensari nisi per imperium. Unde oportet quod ille qui dispensator huius sacramenti constituitur, sit talis qui possit imperare aliquid agendum. Imperium autem non competit alicui in alium nisi qui habet super eum iurisdictionem. Et ideo de necessitate huius sacramenti est, non solum ut minister habeat ordinem, sicut in aliis sacramentis, sed etiam quod habeat iurisdictionem. Et ideo, sicut ille qui non est sacerdos non potest hoc sacramentum conferre, ita nec ille qui non habet iurisdictionem. Et propter hoc oportet, sicut sacerdoti, ita proprio sacerdoti confessionem fieri. Cum enim sacerdos non absolvat nisi ligando ad aliquid faciendum, ille solus potest absolvere qui potest per imperium ad aliquid faciendum ligare.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Gregorius loquitur de illis monachis qui iurisdictionem habent, utpote quibus alicuius parochiae cura est commissa: de quibus aliqui dicebant quod, hoc ipso quod monachi erant, non poterant absolvere et poenitentias iniungere. Quod falsum est.

AD SECUNDUM DICENDUM quod sacramentum Eucharistiae non requirit imperium in aliquem hominem. Secus autem est in hoc sacramento, ut dictum est *. Et ideo ratio non sequitur. Et tamen non licet Eucharistiam ab alio quam a proprio sacerdote accipere: quamvis verum sit sacramentum quod ab eo percipitur.

* In corpore.

AD TERTIUM DICENDUM quod electio discreti sacerdotis non est nobis commissa ut nostro arbitrio facienda, sed de licentia superioris, si forte proprius sacerdos esset minus idoneus ad apponendum peccato salutare remedium.

AD QUARTUM DICENDUM quod, quia praelatis incumbit sacramenta dispensare, quae non nisi mundi tractare debent, ideo concessum est eis a iure * quod possunt sibi eligere proprios sacerdotes confessores, qui quantum ad hoc sunt eis superiores: sicut etiam unus medicus ab alio curatur, non inquantum medicus, sed inquantum infirmus.

* Cap. *Ne pro dilat., de Poenit. et Remiss.*

AD QUINTUM DICENDUM quod in casibus illis in quibus probabiliter timet poenitens periculum sibi vel sacerdoti ex confessione ei facta, debet recurrere ad superiorem, vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi. Quod si licentiam habere non possit, idem est iudicium quod de illo qui non habet copiam sacerdotis. Unde magis debet eligere laico confiteri. Nec in hoc transgreditur aliquis praeceptum Ecclesiae: quia praecepta iuris positivi non se extendunt ultra intentionem praecipientis, quae est finis praecepti; haec autem est caritas, secundum Apostolum *. Nec iterum fit aliqua iniuria sacerdoti: quia *privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate* *.

* I *ad Tim.* cap. I, vers. 5.

* Can. *Ubi ista*, dist. LXXIV.

AD SEXTUM DICENDUM quod in hoc quod oportet proprio sacerdoti confiteri, non arctatur via salutis, sed sufficiens ad salutem via statuitur. Peccaret autem sacerdos si non esset facilis ad praebendum licentiam alteri confitendi: quia multi sunt adeo infirmi quod potius sine confessione morerentur quam tali sacerdoti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis solliciti ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis damnationis *laqueum iniiciunt* * et per consequens sibi ipsis.

* I *ad Cor.* cap. VII, vers. 35.

ART. V. UTRUM POSSIT ALIQUIS ALTERI QUAM PROPRIO SACERDOTI CONFITERI EX PRIVILEGIO VEL MANDATO SUPERIORIS

Cont. Impugn. Relig., cap. IV; *Quodl.* XII, qu. XIX.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non possit aliquis alteri quam proprio sacerdoti confiteri etiam ex privilegio vel mandato superioris. Quia non potest aliquod privilegium indulgeri in praeiudicium alterius. Sed hoc esset in praeiudicium alterius sacerdotis, si alius confessionem subditi sui audiat. Ergo non potest per privilegium, seu licentiam seu mandatum superioris, obtineri.

2. PRAETEREA, illud per quod impeditur divinum mandatum, non potest per mandatum vel privilegium alicuius hominis concedi. Sed mandatum divinum est ad rectores ecclesiarum ut diligenter *vultum pecoris sui agnoscant, Proverb.* XXVII *: quod impeditur si alius quam ipse confessionem eius audiat. Ergo hoc non potest per alicuius hominis privilegium vel mandatum ordinari.

* Vers. 23.

3. PRAETEREA, ille qui audit confessionem alicuius, est proprius iudex eius: alias non posset eum ligare et solvere. Sed unius hominis non possunt esse plures proprii iudices vel proprii sacerdotes: quia tunc teneretur pluribus obedire, quod est impossibile, si contraria praeciperent vel incompossibilia. Ergo non potest aliquis confiteri nisi proprio sacerdoti, etiam ex superioris licentia.

4. PRAETEREA, iniuriam sacramento facit qui sacramentum iterat super eandem materiam: vel ad minus inutiliter facit. Sed qui confessus est alii sacerdoti, tenetur iterum confiteri proprio sacerdoti si petat: quia non est absolutus ab obedientia qua ei tenetur ad hoc. Ergo non potest licite fieri quod alii quam proprio sacerdoti confiteatur.

SED CONTRA, ea quae sunt ordinis possunt habenti similem ordinem committi ab eo qui ea facere potest. Sed superior, ut episcopus, potest confessionem audire illius qui est de parochia alicuius presbyteri: quia etiam ali-

quando aliqua sibi reservat, cum sit principalior rector. Ergo etiam potest committere alicui sacerdoti alteri quod ipse audiat.

2. Praeterea, quidquid potest inferior, potest superior. Sed ipse sacerdos potest suo parochiano dare licentiam quod alteri confiteatur. Ergo multo fortius eius superior hoc potest.

3. Praeterea, potestatem quam habet sacerdos in populo, habet ab episcopo. Sed ex illa potestate potest confessionem audire. Ergo et eadem ratione alius cui episcopus potestatem concedit.

Respondeo dicendum quod sacerdos aliquis potest dupliciter impediri ne alicuius confessionem audiat: uno modo, propter defectum iurisdictionis; alio modo, propter impedimentum executionis ordinis, sicut excommunicati et degradati et huiusmodi. Quicumque autem iurisdictionem habet, potest ea quae sunt iurisdictionis committere. Et ideo, si aliquis impediatur quod alterius confessionem audire non possit per iurisdictionis defectum, potest sibi per quemcumque iurisdictionem habentem immediatam in illos, committi quod confessionem audiat et absolvat, sive per ipsum sacerdotem, sive per episcopum, sive per Papam. Si autem propter executionis ordinis impedimentum audire non possit, potest sibi concedi quod confessionem audiat per eum qui impedimentum removere potest.

Ad primum ergo dicendum quod praeiudicium non fit alicui nisi ei subtrahatur quod est in favorem eius indultum. Iurisdictionis autem potestas non est commissa alicui homini in favorem suum, sed in utilitatem plebis et honorem Dei. Et ideo, si superioribus praelatis expedire videatur ad salutem plebis et honorem Dei promovendum, quod aliis quae sunt iurisdictionis committant, in nullo fit praeiudicium inferioribus praelatis: nisi illis qui *quaerunt quae sua sunt, non quae Iesu Christi* *, et qui gregi praesunt, *non ut eos pascant, sed ut ab eis pascantur* *.

* *Ad Philipp.* cap. II, vers. 21.
* Cf. Ezechiel. cap. XXXIV, vers. 2, 8.

Ad secundum dicendum quod rector ecclesiae debet *vultum pecoris sui cognoscere* dupliciter. Uno modo, per sollicitam exterioris conversationis considerationem, qua invigilare debet super gregem sibi commissum. Et in hac cognitione non oportet quod credat subito, sed certitudinem facti, inquantum potest, inquirat. – Alio modo, per confessionis manifestationem. Et quantum ad hanc cognitionem, non potest maiorem certitudinem accipere quam ut subdito credat: quia hoc est ad subveniendum conscientiae ipsius. Unde in foro confessionis creditur homini et pro se et contra se: non autem in foro exterioris iudicii. Et ideo ad hanc cognitionem sufficit quod credat subdito dicenti se alteri absolvere valenti fuisse confessum. Et sic patet quod talis cognitio pecoris per privilegium alicui indultum de confessione audienda non impeditur.

Ad tertium dicendum quod inconveniens esset si duo aequaliter super eandem plebem constituantur. Sed quod duo quorum unus alio principalior est, super eandem plebem constituantur, non est inconveniens. Et secundum hoc, super eandem plebem immediate sunt et sacerdos parochialis, et episcopus, et Papa: et quilibet eorum potest ea quae sunt iurisdictionis ad ipsum pertinentia alteri committere. – Sed si superior committat, qui et principalior est, dupliciter potest committere. Aut ita quod eum vice sui constituat: sicut Papa et episcopus suos poenitentiarios constituunt. Et tunc talis est principalior quam inferior praelatus, sicut poenitentiarius Papae quam episcopus, et poenitentiarius episcopi quam sacerdos parochialis: et magis tenetur ei confitens obedire. – Alio modo, ut eum coadiutorem illius sacerdotis constituat. Et quia coadiutor ordinatur ad eum cui coadiutor datur, ideo coadiutor est minus principalis. Et ideo poenitens non tantum obedire tenetur ei quantum proprio sacerdoti.

Ad quartum dicendum quod nullus tenetur confiteri peccata quae non habet. Et ideo, si aliquis poenitentiario episcopi, vel alteri ab episcopo commissionem habenti, confessus fuerit, cum sint sibi dimissa peccata et quoad Deum et quoad Ecclesiam, non tenetur confiteri proprio sacerdoti, quantumcumque petat. Sed propter statutum Ecclesiae de confessione facienda *proprio sacerdoti semel in anno* *, eodem modo se debet habere sicut ille qui habet solum venialia. Talis enim solum venialia confiteri debet, ut quidam dicunt *: vel profiteri se a peccato mortali immunem. Et sacerdos ei in foro conscientiae credere debet et tenetur.

* Cap. *Omnis utriusque, de Poenit. et Remiss.*
* Cf. qu. VI, art. 3, ad 3.

Si tamen iterum confiteri teneretur, non frustra primo confessus fuisset: quia quanto pluribus sacerdotibus confitetur quis, tanto plus de poena remittitur ei; tum ex erubescentia confessionis, quae in poenam satisfactoriam computatur; tum ex vi clavium. Unde toties posset confiteri quod ab omni poena liberaretur *. Nec reiteratio facit iniuriam sacramento, nisi illi in quo sanctificatio adhibetur vel per characteris impressionem, vel per materiae consecrationem: quorum neutrum est in poenitentia. Unde bonum est quod ille qui auctoritate episcopi confessionem audit, inducat confitentem quod confiteatur proprio sacerdoti. Quod si noluerit, nihilominus eum absolvere debet.

* Cf. qu. XVIII, art. 2, ad 4.

ART. VI. UTRUM IN FINE VITAE POENITENS POSSIT A QUOLIBET SACERDOTE ABSOLVI

IV *Sent.*, dist. XVIII, qu. II, art. 5, qu[a] 1; dist. XIX, qu. I, art. 3, qu[a] 1.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod in fine vitae poenitens non possit a quolibet sacerdote absolvi. Quia ad absolutionem requiritur aliqua iurisdictio, ut dictum est *. Sed sacerdos non acquirit iurisdictionem super illum qui in fine poenitet. Ergo non potest eum in fine absolvere.

* Art. 4.

2. Praeterea, ille qui sacramentum baptismi in articulo mortis ab alio quam proprio sacerdote recipit, non debet a proprio sacerdote iterum baptizari. Si ergo quilibet sacerdos in articulo mortis posset absolvere a quolibet peccato, non deberet poenitens, si evadit, ad suum sacerdotem recurrere. Quod falsum est: quia alias sacerdos non haberet *cognitionem de vultu pecoris sui* *.

* *Prov.* cap. XXVII, vers. 23.

3. Praeterea, in articulo mortis, sicut licet alieno sacerdoti baptizare, ita et non-sacerdoti. Sed non-sacerdos nunquam potest absolvere in foro poenitentiali. Ergo nec sacerdos in articulo mortis eum qui non est sibi subditus.

Sed contra, necessitas spiritualis est maior quam corporalis. Sed aliquis in necessitate ultima potest aliorum rebus uti, etiam invitis dominis, ad subveniendum corporali necessitati. Ergo et in articulo mortis, ad subveniendum spirituali necessitati, potest a non suo sacerdote absolvi.

2. Praeterea, ad idem sunt auctoritates positae in littera *.

* Cf. IV *Sent.*, dist. XX, cap. *Non habet.*

Respondeo dicendum quod quilibet sacerdos, quantum est de virtute clavium, habet potestatem indifferenter in omnes, et quantum ad omnia peccata: sed quod non possit omnes ab omnibus peccatis absolvere, hoc est quia per ordinationem Ecclesiae habet iurisdictionem limitatam, vel omnino nullam habet. Sed quia *necessitas legem non habet* *, ideo, quando necessitatis articulus imminet, per Ecclesiae ordinationem non impeditur quin absolvere possit, ex quo habet claves, etiam sacramentaliter: et tantum consequitur ex absolutione alterius sicut si a proprio sacerdote absolveretur. Nec solum a peccatis tunc potest a quolibet sacerdote absolvi, sed etiam ab excommunicatione, a quocumque sit lata. Et haec absolutio etiam ad iurisdictionem pertinet, quae per legem ordinationis Ecclesiae coarctatur.

* Cap. *Consilium, de Observ. Ieiun.; de Reg. Iur.* (V Decretal.), cap. IV.

Ad primum ergo dicendum quod aliquis potest uti iurisdictione alterius ex eius voluntate: quia ea quae iurisdictionis sunt committi possunt. Unde, quia Ecclesia acceptat ut quilibet sacerdos absolvere possit in articulo mortis, ideo ex hoc ipso quis usum iurisdictionis habet, quamvis iurisdictione careat.

Ad secundum dicendum quod non oportet eum recurrere ad proprium sacerdotem ut iterum a peccatis solvatur, a quibus in articulo mortis absolutus est: sed ut innotescat ei quod est absolutus. – Nec similiter oportet quod absolutus ab excommunicatione ad iudicem vadat, qui alias absolvere potuisset, absolutionem petens, sed satisfactionem offerens.

Ad tertium dicendum quod baptismus habet ex ipsa sanctificatione materiae efficaciam: et ideo, a quocumque conferatur alicui, ille sacramentum recipit. Sed vis sacra-

mentalis poenitentiae consistit in sanctificatione ministri. Et ideo ille qui laico confitetur, quamvis impleat quod ex parte sua est de sacramentali confessione, tamen sacramentalem absolutionem non consequitur. Et ideo aliquid valet ei quantum ad diminutionem poenae, quae fit per confessionis meritum et poenam: sed non consequitur diminutionem illam poenae quae est ex vi clavium. Et ideo oportet quod iterum sacerdoti confiteatur. Et magis sic confessus decedens punitur post hanc vitam quam si sacerdoti fuisset confessus.

ART. VII. UTRUM POENA TEMPORALIS, CUIUS REATUS POST POENITENTIAM MANET, TAXETUR SECUNDUM QUANTITATEM CULPAE

Iª IIªᵉ, qu. cv, art. 2, ad 9; *Quodl.* I, qu. IX, art. 2.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod poena temporalis, cuius reatus post poenitentiam manet, non taxetur secundum quantitatem culpae. Taxatur enim secundum quantitatem delectationis quae fuit in peccato: ut patet *Apoc.* XVIII *, *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Sed quandoque ubi est maior delectatio, ibi est minor culpa: quia peccata carnalia, quae plus habent delectationis quam spiritualia, minus habent de culpa, secundum Gregorium *. Ergo poena non taxatur secundum quantitatem culpae.

* Vers. 7.

* *Moral.* XXXIII, cap. XII, al. XI; in vet. cap. XV.

2. Praeterea, eodem modo aliquis obligatur per praecepta moralia in nova lege et veteri. Sed in veteri lege debebatur pro peccatis poena septem dierum: ut scilicet septem diebus immundi essent *. Cum ergo in novo Testamento imponatur poena septennis pro uno peccato mortali *, videtur quod quantitas poenae non respiciat quantitatem culpae.

* Cf. *Levit.* cap. XV, vers. 24; *Num.* cap. XII, vers. 14, 15; cap XIX, vers. 11, 16.

* Cf. *Canones Poenit.* post Decret. Gratian.

3. Praeterea, maius est peccatum homicidii in laico quam fornicationis in sacerdote: quia circumstantia quae sumitur ex specie peccati, magis aggravat quam quae sumitur ex conditione personae. Sed laico pro homicidio imponitur septennis poenitentia *, sacerdoti pro fornicatione decem annorum *, secundum Canones. Ergo poena non taxatur secundum quantitatem culpae.

* Can. *Si quis homicidium*, dist. L.

* Can. *Presbyter*, dist. LXXXII.

4. Praeterea, maximum peccatum est quod in ipsum corpus Christi committitur: quia tanto gravius quis peccat quanto maior est in quem peccatur. Sed pro effusione sanguinis Christi in sacramento Altaris contenti iniungitur poenitentia quadraginta dierum, vel parum amplius *; pro fornicatione autem simplici iniungitur poenitentia septennis *, secundum Canones. Ergo quantitas poenae non respondet quantitati culpae.

* Can. *Si per negligentiam*, de *Consecr.* dist. II.

* Can. *Presbyter*, dist. LXXXII.

Sed contra, Isaiae XXVII *: *In mensuram contra mensuram, cum abiecta fuerit, iudicabo eam.* Ergo quantitas iudicii punitionis peccati est secundum quantitatem culpae.

* Vers. 8.

2. Praeterea, homo reducitur ad aequalitatem iustitiae per poenam inflictam. Sed hoc non esset si quantitas culpae et poenae non sibi responderent. Ergo unum alteri respondet.

Respondeo dicendum quod poena post dimissionem culpae exigitur ad duo: scilicet ad debitum solvendum, et ad remedium praestandum. Potest ergo taxatio poenae considerari quantum ad duo. Primo, quantum ad debitum. Et sic quantitas poenae radicaliter respondet quantitati culpae antequam de ea aliquid dimittatur. Sed tamen quantum per primum eorum quae poenam nata sunt remittere plus remittitur, secundum hoc per aliud minus remittendum vel solvendum restat: quia quanto per contritionem plus de poena dimissum est, tanto per confessionem minus dimittendum restat. – Secundo, quantum ad remedium vel illius qui peccavit, vel aliorum. Et sic quandoque pro minori peccato iniungitur maior poena. Vel quia peccato unius difficilius potest resisti quam peccato alterius: sicut iuveni imponitur pro fornicatione maior poena quam seni, quamvis minus peccet. Vel quia in uno peccatum est periculosius, sicut in sacerdote, quam in alio. Vel quia multitudo magis prona est ad illud peccatum, et ideo per poenam unius alii sunt exterrendi.

Poena ergo in foro poenitentiae quantum ad utrumque taxanda est. Et ideo non semper pro maiori peccato maior poena imponitur. – Sed poena purgatorii solum est ad solvendum debitum: quia iam ulterius non manet locus peccandi. Et ideo illa poena taxatur solum secundum quantitatem peccati: considerata tamen contritionis quantitate, et confessione et absolutione; quia per omnia haec de poena aliquid dimittitur. Unde etiam a sacerdote in iniungendo satisfactionem sunt consideranda.

Ad primum ergo dicendum quod in verbis illis duo tanguntur ex parte culpae, scilicet glorificatio, et deliciae. Quorum primum pertinet ad elationem peccantis, qua Deo resistit; secundum ad delectationem peccati. Quamvis autem sit minor delectatio quandoque in maiori culpa, tamen est ibi semper maior elatio. Et ideo ratio non procedit.

Ad secundum dicendum quod illa poena septem dierum non erat expiativa a poena debita peccato: unde etiam, si post illos dies moreretur, in purgatorio puniretur. Sed expiabat ab irregularitate, a qua omnia sacrificia legalia expiabant.

Nihilominus, ceteris paribus, plus peccat homo in nova lege quam in veteri: propter sanctificationem ampliorem, qua sanctificatur in baptismo; et propter beneficia Dei potiora humano generi exhibita. Et hoc patet ex hoc quod dicitur *Heb.* X *: *Quanto putatis deteriora mereri supplicia,* etc.

* Vers. 29.

Nec tamen hoc verum est universaliter, quod exigatur pro quolibet peccato mortali septennis poenitentia: sed hoc est quasi quaedam regula communis, ut in pluribus competens, quam tamen oportet dimittere consideratis diversis peccatorum circumstantiis.

Ad tertium dicendum quod episcopus vel sacerdos cum maiori periculo suo et aliorum peccat. Et ideo sollicitius retrahunt eum canones a peccato quam alios, maiorem poenam iniungendo, secundum quod est in remedium: quamvis quandoque non debeatur tanta ex debito. Unde in purgatorio non tanta ab eo exigitur.

Ad quartum dicendum quod poena illa est intelligenda quando nolente sacerdote hoc accidit. Si enim sponte funderetur, multo graviori poena dignus esset.

QUAESTIO NONA

DE QUALITATE CONFESSIONIS

Deinde considerandum est de qualitate confessionis *. Circa quod quaeruntur quatuor.

* Cf. qu. VI, Introd.

Primo: utrum confessio possit esse informis.

Secundo: utrum oporteat confessionem esse integram.

Tertio: utrum possit aliquis per alium, vel per scriptum confiteri.

Quarto: utrum illae sexdecim conditiones quae a magistris assignantur, ad confessionem requirantur.

ART. I. UTRUM CONFESSIO POSSIT ESSE INFORMIS

Ad primum sic proceditur. Videtur quod confessio non possit esse informis. *Eccli.* XVII * dicitur: *A mortuo, velut qui non est, perit confessio.* Sed ille qui non habet caritatem, est mortuus: quia ipsa est animae vita. Ergo absque caritate non potest esse confessio.

* Vers. 26.

2. Praeterea, confessio dividitur contra contritionem et satisfactionem. Sed contritio et satisfactio nunquam possunt extra caritatem fieri. Ergo nec confessio.

3. Praeterea, in confessione oportet quod os cordi concordet: quia hoc ipsum nomen *confessionis* requirit. Sed ille qui adhuc manet in affectu peccati quod confitetur, non habet cor ori conforme: quia corde peccatum tenet quod ore damnat. Ergo talis non confitetur.

Sed contra, quilibet tenetur ad confessionem mortalium. Sed si aliquis semel confessus est etiam in mortali existens, non tenetur ulterius ad confitendum eadem peccata: quia, cum nullus sciat se caritatem habere, nullus sciret se confessum fuisse. Ergo non est de necessitate confessionis quod sit caritate formata.

Respondeo dicendum quod confessio est actus virtutis, et pars sacramenti. Secundum autem quod est actus virtutis, est actus meritorius proprie. Et sic confessio non valet sine caritate, quae est principium merendi. – Sed secundum quod est pars sacramenti, sic ordinat confitentem ad sacerdotem, qui habet claves Ecclesiae, qui per

confessionem conscientiam confitentis cognoscit. Et secundum hoc, confessio potest esse etiam in eo qui non est contritus: quia potest peccata sua confiteri sacerdoti, et clavibus Ecclesiae se subiicere. Et quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen, recedente fictione, percipere incipiet. Et sic etiam est et in aliis sacramentis. Unde non tenetur iterare confessionem qui fictus accedit: sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri.

Ad primum ergo dicendum quod auctoritas illa intelligenda est quantum ad fructum confessionis percipiendum, quem nullus extra caritatem existens percipit.

Ad secundum dicendum quod contritio et satisfactio fiunt Deo, sed confessio fit homini. Et ideo de ratione contritionis et satisfactionis est quod homo sit Deo per caritatem unitus: non autem de ratione confessionis.

Ad tertium dicendum quod ille qui peccata quae habet narrat, vere loquitur. Et sic cor concordat verbis quantum ad substantiam confessionis, quamvis cor discordet a confessionis fine.

ART. II. UTRUM OPORTEAT CONFESSIONEM ESSE INTEGRAM

De Duob. Praecept. Carit. etc., cap. IV; *De Sex Artic.*, art. 6.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non oporteat confessionem esse integram, ut scilicet omnia peccata uni sacerdoti confiteatur aliquis. Quia erubescentia facit ad diminutionem poenae. Sed quanto pluribus sacerdotibus quis confitetur, tanto maiorem erubescentiam patitur. Ergo fructuosior est confessio si pluribus sacerdotibus dividatur.

2. Praeterea, confessio ad hoc necessaria est in poenitentia ut poena secundum arbitrium sacerdotis peccato taxetur. Sed sufficiens poena potest imponi a diversis sacerdotibus de diversis peccatis. Ergo non oportet uni sacerdoti omnia peccata confiteri.

3. Praeterea, potest contingere quod post confessionem factam et satisfactionem perfectam, recordetur quis alicuius peccati mortalis quod dum confitebatur in memoria non habebat, et tunc copiam proprii sacerdotis, cui primo confessus fuerit, habere non poterit. Ergo poterit illud solum peccatum alteri confiteri. Et sic diversa peccata diversis sacerdotibus confitebitur.

4. Praeterea, sacerdoti non debet fieri confessio de peccatis nisi propter absolutionem. Sed quandoque sacerdos qui confessionem audit, potest de quibusdam peccatis absolvere, non de omnibus. Ergo ad minus in tali casu non oportet quod confessio sit integra.

Sed contra, hypocrisis est impedimentum poenitentiae *. Sed dividere confessionem *ad hypocrisim pertinet:* ut Augustinus dicit *. Ergo confessio debet esse integra.

* IV *Sent.*, dist. XVI, qu. IV, art. 1, qua 4.
* *De Vera et fals. Poenit.*, cap. XV. - Inter Opp. Aug.

2. Praeterea, confessio est poenitentiae pars. Sed poenitentia debet esse integra. Ergo et confessio.

Respondeo dicendum quod in medicina corporali oportet quod medicus non unum solum morbum, contra quem medicinam dare debet, cognoscat, sed etiam universaliter totam habitudinem ipsius infirmi: eo quod unus morbus ex adiunctione alterius aggravatur, et medicina quae uni morbo competeret, alteri nocumentum praestaret. Et similiter est in peccatis: quia unum aggravatur ex adiunctione alterius; et illud quod uni peccato esset conveniens medicina, alteri incentivum praestaret, cum quandoque aliquis contrariis peccatis infectus sit, ut Gregorius, in *Pastorali* *, docet. Et ideo de necessitate confessionis est quod homo omnia peccata confiteatur quae in memoria habet: quod si non faciat, non est confessio, sed confessionis simulatio.

* Part. III, cap. III.

Ad primum ergo dicendum quod, etsi erubescentia sit multiplicior quando dividit diversa peccata diversis, tamen omnes simul non sunt ita magnae erubescentiae sicut illa una qua quis omnia peccata sua simul confitetur. Quia unum peccatum per se consideratum non ita demonstrat malam dispositionem peccantis sicut quando est cum pluribus aliis consideratum: quia in unum peccatum aliquis quandoque ex ignorantia vel infirmitate labitur; sed multitudo peccatorum demonstrat malitiam peccantis, vel magnam corruptionem eiusdem.

Ad secundum dicendum quod poena a diversis sacerdotibus imposita non esset sufficiens: quia quilibet consideraret tantum unum peccatum per se, et non gravitatem ipsius quam habet ex adiunctione alterius; et quandoque poena quae contra unum peccatum daretur, esset promotiva alterius peccati.

Et praeterea sacerdos confessionem audiens vicem Dei gerit. Et ideo debet ei fieri hoc modo confessio sicut fit Deo in contritione. Unde, sicut non esset contritio nisi quis de omnibus peccatis contereretur, ita non esset confessio nisi quis de omnibus quae memoriae occurrerint confiteatur.

Ad tertium dicendum quod quidam dicunt quod, quando aliquis recordatur eorum quae prius oblitus erat, debet iterum etiam ea quae prius confessus fuit confiteri: et praecipue si non potest eundem habere cui ante confessus fuerat, qui omnia cognoscit, ut totius culpae quantitas uni sacerdoti innotescat. – Sed hoc non videtur necessarium. Quia peccatum habet quantitatem et ex seipso, et ex adiunctione alterius. Peccatorum autem de quibus confessus est, manifestavit quantitatem quam ex seipsis habent. Ad hoc autem quod sacerdos utramque quantitatem huius peccati cuius fuerat oblitus cognoscat, sufficit quod hoc peccatum confitens dicat explicite, et alia in generali, dicendo quod, cum alia multa confiteretur, huius oblitus fuit.

Ad quartum dicendum quod, etiam si sacerdos non de omnibus possit absolvere, tamen tenetur sibi omnia confiteri, ut quantitatem totius culpae cognoscat, et de illis de quibus non potest absolvere, ad superiorem remittat.

ART. III. UTRUM POSSIT PER ALIUM QUIS CONFITERI, VEL PER SCRIPTUM

Quodl. I, qu. VI, art. 1.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod possit per alium quis confiteri, vel per scriptum. Quia confessio necessaria est ad hoc ut conscientia poenitentis sacerdoti pandatur. Sed homo potest etiam per alium, vel per scriptum suam conscientiam sacerdoti manifestare. Ergo sufficit per alium, vel per scriptum confiteri.

2. Praeterea, quidam non intelliguntur a propriis sacerdotibus, propter linguae diversitatem: et tales non possunt nisi per alios confiteri. Ergo non est de necessitate sacramenti quod per seipsum quis confiteatur. Et ita videtur quod, si per alium quis confessus fuerit qualitercumque, sufficiat ei ad salutem.

3. Praeterea, de necessitate sacramenti est quod homo proprio sacerdoti confiteatur, ut ex dictis * patet. Sed aliquando proprius sacerdos est absens, cui non potest poenitens propria voce loqui; posset autem per scriptum ei suam conscientiam manifestare. Ergo videtur quod per scriptum ei suam conscientiam transmittere debeat.

* Qu. VIII, art. 4.

Sed contra, homo ad confessionem peccatorum sicut ad confessionem fidei obligatur. Sed confessio fidei *ore* est facienda: ut patet *Rom.* X *. Ergo et confessio peccatorum.

* Vers. 10.

2. Praeterea, qui per seipsum peccavit, per seipsum debet poenitere. Sed confessio est poenitentiae pars. Ergo poenitens debet confiteri propria voce.

Respondeo dicendum quod confessio non solum est actus virtutis, sed etiam pars sacramenti. Quamvis autem ad eam secundum quod est actus virtutis, sufficeret qualitercumque fieret, etsi non esset tanta difficultas in uno modo sicut in alio; tamen, secundum quod est pars sacramenti, habet determinatum actum, sicut et alia sacramenta habent determinatam materiam. Et sicut in baptismo ad significandam interiorem ablutionem assumitur illud elementum cuius est maximus usus in abluendo, ita in actu sacramentali ad manifestandum ordinate assumitur ille actus quo maxime consuevimus manifestare, scilicet per proprium verbum. Alii enim modi sunt inducti in supplementum istius.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut in baptismo non sufficit qualitercumque abluere, sed per elementum determinatum; ita nec in poenitentia sufficit qualitercumque peccata manifestare, sed oportet quod per actum determinatum manifestentur.

Ad secundum dicendum quod in eo qui usum linguae non habet, sicut mutus vel qui est alterius linguae, sufficit quod per scriptum, aut per nutum, aut interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus quam possit: quamvis homo non debeat baptismum accipere nisi in aqua. Quia aqua est omnino ab exteriori, et nobis ab alio exhibetur. Sed actus confessionis est a nobis: et ideo, quando non possumus uno modo, debemus secundum quod possumus confiteri.

Ad tertium dicendum quod in absentia proprii sacerdotis potest etiam laico fieri confessio. Et ideo non oportet quod per scriptum fiat: quia plus pertinet ad necessitatem confessionis actus quam ille cui fit confessio.

ART. IV. utrum illae sexdecim conditiones quae a magistris assignantur, requirantur ad confessionem

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod illae sexdecim conditiones quae a magistris assignantur, his versibus contentae, non requirantur ad confessionem: *Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis: Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda: Integra, secreta, lacrimabilis, accelerata: Fortis et accusans, et sit parere parata. Fides* enim et *simplicitas* et *fortitudo* sunt per se virtutes. Ergo non debent poni conditiones confessionis.

2. Praeterea, *purum* est quod non habet permixtionem. Similiter *simplex* compositionem et mixtionem aufert. Ergo superflue utrumque ponitur.

3. Praeterea, peccatum semel commissum nullus tenetur confiteri nisi semel. Ergo, si homo peccatum non iterat, non oportet quod sit *frequens.*

4. Praeterea, confessio ad satisfactionem ordinatur. Sed satisfactio quandoque est publica. Ergo et confessio non semper debet esse *secreta.*

5. Praeterea, illud quod non est in potestate nostra, non requiritur a nobis. Sed *lacrimas emittere* non est in potestate nostra. Ergo non requiritur a confitente.

Respondeo dicendum quod dictarum conditionum quaedam sunt de necessitate confessionis, quaedam de bene esse ipsius. Ea autem quae sunt de necessitate confessionis, vel competunt ei secundum quod est actus virtutis; vel secundum quod est pars sacramenti.

Si primo modo, aut ratione virtutis in genere; aut ratione specialis virtutis cuius est actus; aut ex ipsa ratione actus. Virtutis autem in genere sunt quatuor conditiones: ut in II *Ethic.* * dicitur. Prima est ut aliquis sit *sciens.* Et quantum ad hoc, confessio dicitur esse *discreta:* secundum quod in actu omnis virtutis prudentia requiritur. Est autem haec discretio ut maiora cum maiori pondere confiteatur. – Secunda conditio est ut sit *eligens:* quia actus virtutum debent esse voluntarii. Et quantum ad hoc dicit *libens.* – Tertia conditio est ut *propter hoc,* scilicet debitum finem, operetur. Et quantum ad hoc, dicit quod debet esse *pura:* ut scilicet recta sit intentio. – Quarta est ut *immobiliter operetur.* Et quantum ad hoc, dicit quod debet esse *fortis:* ut scilicet propter verecundiam non dimittat.

* Cap. iv, n. 3. – S. Th. lect. iv.

Est autem confessio actus virtutis poenitentiae. Quae quidem primo initium sumit in horrore turpitudinis peccati. Et quantum ad hoc, confessio debet esse *verecunda:* ut scilicet non se iactet de peccatis propter aliquam saeculi vanitatem admixtam. – Secundo, progreditur ad dolorem de peccato commisso. Et quantum ad hoc, debet esse *lacrimabilis.* – Tertio, in abiectione sui terminatur. Et quantum ad hoc, debet esse *humilis:* ut se miserum confiteatur et infirmum.

Sed ex propria ratione huius actus qui est confessio, habet quod sit manifestativa. Quae quidem manifestatio per quatuor impediri potest. Primo, per falsitatem. Et quantum ad hoc, dicit *fidelis,* idest *vera.* – Secundò, per obscuritatem. Et contra hoc dicit *nuda:* ut non involvat obscuritatem verborum. – Tertio, per verborum multiplicationem. Et contra hoc dicit *simplex:* ut non recitet in confessione nisi quod ad quantitatem peccati pertinet. – Quarto, ut non subtrahatur aliquid de his quae manifestanda sunt. Et contra hoc dicit *integra.*

Secundum autem quod confessio est pars sacramenti, sic concernit iudicium sacerdotis, qui est minister sacramenti. Unde oportet quod sit *accusans* ex parte confitentis; *parere parata* per comparationem ad sacerdotem; *secreta* quantum ad conditionem fori, in quo de occultis conscientiae agitur.

Sed de bene esse confessionis est quod sit *frequens;* et quod sit *accelerata,* ut scilicet statim confiteatur.

Ad primum ergo dicendum quod non est inconveniens quod conditio unius virtutis in actu alterius inveniatur qui ab ipsa imperatur; vel quia medium quod est unius virtutis principaliter, etiam aliae virtutes per participationem habent.

Ad secundum dicendum quod haec conditio *pura* intentionis excludit perversitatem, a qua homo mundatur: sed *simplex* alieni admixtionem excludit.

Ad tertium dicendum quod hoc non est de necessitate confessionis, sed de bene esse.

Ad quartum dicendum quod, propter scandalum aliorum, qui possunt ex peccatis auditis ad malum inclinari, non debet confessio fieri in publico, sed in occulto. Ex poena autem satisfactoria non scandalizatur ita aliquis: quia quandoque pro parvo vel nullo peccato similia opera satisfactoria fiunt.

Ad quintum dicendum quod intelligendum est de lacrimis mentis.

QUAESTIO DECIMA

DE EFFECTU CONFESSIONIS

Deinde considerandum est de effectu confessionis *. Circa quod quaeruntur quinque.

* Cf. qu. vi, Introd.

Primo: utrum confessio liberet a morte peccati.
Secundo: utrum confessio liberet aliquo modo a poena.
Tertio: utrum confessio aperiat paradisum.
Quarto: utrum confessio tribuat spem salutis.
Quinto: utrum confessio generalis deleat peccata mortalia oblita.

ART. I. utrum confessio liberet a morte peccati

IV *Sent.*, dist. xviii, qu. i, art. 3, qu^a 1. 2; dist. xxii, qu. ii, art. 1, qu^a 3; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxii; *Quodl.* IV, qu. vii, art. 1; *In Ps.* XXXI.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod confessio non *liberet a morte* peccati *. Confessio enim contritionem sequitur. Sed contritio sufficienter delet culpam. Ergo confessio non liberat a morte peccati.

2. Praeterea, sicut mortale est culpa, ita etiam veniale. Sed per confessionem *fit veniale quod prius fuit mortale,* ut in littera * dicitur. Ergo per confessionem non remittitur culpa, sed culpa in culpam mutatur.

* Cf. IV *Sent.*, dist. xvii, cap. i. – Ex Ambr. Serm. XXV, al. *de S. Quadrages.* IX; can. *Ecce nunc tempus, de Poenit.*, dist. I.
* Ibid., cap. *Sed quod sacerdotibus.* – Ex lib. *de Vera et fals. Poenit.*, cap. x, (inter Opp. Aug.).

Sed contra est. Confessio est pars poenitentiae sacramenti. Sed poenitentia a culpa liberat. Ergo et confessio.

Respondeo dicendum quod poenitentia, inquantum est sacramentum, praecipue in confessione perficitur: quia per eam homo ministris Ecclesiae se subdit, qui sunt sacramentorum dispensatores. Contritio enim votum confessionis annexum habet: et satisfactio pro iudicio sacerdotis cui fit confessio, taxatur. Et quia in sacramento poenitentiae gratia infunditur, per quam fit remissio peccatorum, sicut in baptismo; ideo eodem modo confessio ex vi absolutionis coniunctae remittit culpam sicut et baptismus. Liberat enim baptismus a morte peccati non solum secundum quod actu percipitur, sed etiam secundum quod in voto habetur: sicut patet in illis qui iam sanctificati ad baptismum accedunt. Et si aliquis impedimentum non praestaret, ex ipsa collatione baptismi gratiam consequeretur remittentem peccata, si prius ei remissa non fuissent. Et similiter dicendum est de confessione adiuncta absolutioni quod, secundum quod in voto poenitentis praecessit, a culpa liberavit; postmodum autem in actu confessionis et absolutionis gratia augetur; et etiam remissio peccatorum daretur, si praecedens dolor de peccatis non sufficiens ad contritionem fuisset, et ipse tunc obicem gratiae non praeberet. Et ideo, sicut de baptismo dicitur quod liberat a morte, ita etiam de confessione dici potest.

Ad primum ergo dicendum quod contritio habet votum confessionis annexum. Et ideo eo modo liberat a culpa poenitentes sicut desiderium baptismi baptizandos.

Ad secundum dicendum quod veniale non sumitur pro culpa, sed pro poena de facili expiabili. Unde non sequitur quod culpa in culpam convertatur, sed penitus annihilatur. Dicitur enim veniale tripliciter: uno modo ex genere, sicut verbum otiosum; alio modo ex causa, idest veniae causam in se habens, sicut peccatum ex infirmitate; alio modo ex eventu, sicut accipitur hic, quia per confessionem hoc evenit quod de culpa praeterita homo veniam consequatur.

ART. II. utrum confessio liberet aliquo modo a poena

IV *Sent.*, dist. xvii, qu. iii, art. 1, qu^a^ 1, ad 1; art. 3, qu^a^ 5, ad 4; dist. xviii, qu. i, art. 3, qu^a^ 2; dist. xxii, qu. ii, art. 1, qu^a^ 3; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxii; *De Orat. Domin.*, cap. ix; *In Ps.* XXXI.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod confessio non liberet aliquo modo a poena. Quia peccato non debetur nisi poena aeterna, vel temporalis. Sed poena aeterna per contritionem dimittitur, poena autem temporalis per satisfactionem. Ergo per confessionem nihil dimittitur de poena.

2. Praeterea, *voluntas pro facto reputatur:* ut in littera * dicitur. Sed ille qui contritus est, habuit propositum confitendi. Ergo tantum valuit sibi sicut si fuisset confessus. Et ita per confessionem quam postea facit, nihil de poena dimittitur.

* Dist. xvii, cap. 1. - Cf. can. *Magna pietas, de Poenit.* dist. I.

Sed contra, confessio poenam habet. Sed per omnia opera poenalia expiatur poena peccato debita. Ergo et per confessionem.

Respondeo dicendum quod confessio, simul cum absolutione, habet vim liberandi a poena dupliciter. Uno modo, ex ipsa vi absolutionis. Et sic quidem liberat, in voto existens, a poena aeterna, sicut etiam a culpa: quae quidem poena est condemnans et ex toto exterminans. A qua homo liberatus, adhuc manet obligatus ad poenam temporalem, secundum quod poena est medicina purgans et promovens. Et haec poena restat in purgatorio patienda etiam his qui a poena inferni liberati sunt. Quae quidem poena est improportionata viribus poenitentis in hoc mundo viventis: sed per vim clavium in tantum minuitur quod proportionata viribus poenitentis remanet, ita quod satisfaciendo se in hac vita purgare potest.

Alio modo diminuit poenam ex ipsa natura actus confitentis, qui habet poenam erubescentiae annexam. Et ideo quanto aliquis pluries de eisdem peccatis confitetur, tanto magis poena minuitur.

Et per hoc patet responsio ad primum.

Ad secundum dicendum quod voluntas pro facto non reputatur in his quae sunt ab alio, sicut est de baptismo: non enim tantum valet voluntas suscipiendi baptismum sicut ipsius susceptio. Sed reputatur voluntas pro facto in his quae sunt omnino ab homine. – Et iterum quantum ad praemium essentiale: non autem quantum ad poenae remotionem et huiusmodi, respectu quorum attenditur meritum accidentaliter et secundario. Et ideo confessus et absolutus minus in purgatorio punietur quam contritus tantum.

ART. III. utrum confessio aperiat paradisum

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod confessio non *aperiat paradisum* *. Quia diversorum diversi sunt effectus. Sed apertio paradisi effectus est baptismi. Ergo non est effectus confessionis.

* Cf. loc. cit. art. 1, arg. 1.

2. Praeterea, in id quod clausum est, ante apertionem intrari non potest. Sed ante confessionem moriens paradisum intrare potest. Ergo confessio non aperit paradisum.

Sed contra, confessio facit hominem subiici clavibus Ecclesiae. Sed per eas aperitur paradisus. Ergo et per confessionem.

Respondeo dicendum quod a paradisi introitu prohibetur aliquis per culpam et reatum poenae. Et quia haec impedimenta confessio amovet, ut ex dictis * patet, ideo dicitur paradisum aperire.

* Art. 1, 2.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis baptismus et poenitentia sint diversa sacramenta, tamen agunt in vi unius passionis Christi, per quam aditus paradisi est apertus.

Ad secundum dicendum quod ante votum confessionis paradisus clausus erat peccanti mortaliter, quamvis postea per contritionem, votum confessionis importantem, apertus sit etiam ante confessionem actualiter factam. Non tamen obstaculum reatus est totaliter amotum ante confessionem et satisfactionem.

ART. IV. utrum effectus confessionis poni debeat quod tribuit spem salutis

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod effectus confessionis poni non debeat quod *tribuit spem salutis* *. Quia spes ex omnibus meritoriis actibus provenit. Et sic non videtur esse proprius effectus confessionis.

* Cf. loc. cit. art. 1, arg. 1.

2. Praeterea, per tribulationem ad spem pervenimus: ut patet *Rom.* v *. Sed tribulationem homo praecipue in satisfactione sustinet. Ergo tribuere spem salutis magis est satisfactionis quam confessionis.

* Vers. 3, 4.

Sed contra, per confessionem homo fit *humilior et mitior:* sicut in littera * Magister dicit. Sed per hoc homo accipit spem salutis. Ergo confessionis effectus est tribuere spem salutis.

* Dist. xviii, cap. ult.

Respondeo dicendum quod spes remissionis peccatorum non est nobis nisi per Christum. Et quia homo per confessionem se subiicit clavibus Ecclesiae ex passione Christi virtutem habentibus, ideo dicitur quod confessio spem salutis tribuit.

Ad primum ergo dicendum quod ex actibus non potest esse spes salutis principaliter, sed ex gratia Redemptoris. Et quia confessio gratiae Redemptoris innititur, ideo spem salutis tribuit, non solum ut actus meritorius, sed ut pars sacramenti.

Ad secundum dicendum quod tribulatio spem salutis tribuit per experimentum propriae virtutis, et purgationem a poena: sed confessio etiam modo praedicto *.

* In corp. et ad 1.

ART. V. utrum confessio generalis sufficiat ad delendum peccata mortalia oblita

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod confessio generalis non sufficiat ad delendum peccata mortalia oblita. Peccatum enim per confessionem deletum non est necesse iterum confiteri. Si ergo peccata oblita per confessionem generalem dimitterentur, non esset necessarium quod, cum ad notitiam redeunt, aliquis ea confiteretur.

2. Praeterea, quicumque non est conscius alicuius peccati, vel non habet peccatum, vel est oblitus sui peccati. Si ergo per generalem confessionem peccata mortalia oblita dimittuntur, quicumque non est sibi conscius de aliquo peccato mortali, per generalem confessionem potest esse certus quod sit immunis a peccato mortali. Quod est contra Apostolum, I *Cor.* iv *: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.*

* Vers. 4.

3. Praeterea, nullus ex negligentia reportat commodum. Sed non potest esse sine negligentia quod aliquis peccatum mortale obliviscatur antequam ei dimittatur. Ergo non reportat ex hoc tale commodum quod sine speciali confessione de peccato ei dimittatur.

4. Praeterea, magis est elongatum a cognitione confitentis illud quod est omnino ignoratum, quam illud cuius est oblitus. Sed peccata per ignorantiam commissa generalis confessio non delet: quia tunc haeretici, qui nesciunt aliqua peccata, in quibus sunt, esse peccata, aut etiam aliqui simplices per generalem confessionem absolverentur; quod falsum est. Ergo generalis confessio non tollit peccata oblita.

Sed contra, Psalmus *: *Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.* Sed iste qui confitetur omnia quae scit, accedit ad Deum quantum potest. Plus autem ab eo requiri non potest. Ergo non confunditur, ut repulsam patiatur, sed veniam consequitur.

* Ps. xxxiii, vers. 6.

2. Praeterea, ille qui confitetur veniam consequitur nisi sit fictus. Sed ille qui confitetur omnia peccata quae

in memoria habet, aliquorum oblitus, non ex hoc est fictus: quia ignorantiam facti patitur, quae a peccato excusat *. Ergo veniam consequitur. Et sic peccata quae oblita sunt relaxantur: cum *impium sit dimidiam sperare veniam* *.

* Cf. II *Sent.*, dist. XXII, qu. II, art. 2; IIa IIae, qu. LIX, art. 4, ad 1. - Cf. Dig. XXII, VI, 9.
* *De Vera et fals. Poenit.*, cap. IX (inter Opp. Aug.). - Cf. can. *Sunt plures, de Poenit.* dist. III.

Respondeo dicendum quod confessio operatur praesupposita contritione, quae culpam delet. Et sic confessio directe ordinatur ad dimissionem poenae: quod quidem facit et ex erubescentia quam habet; et ex vi clavium, quibus se confitens subiicit. Contingit autem quandoque quod per contritionem praecedentem peccatum aliquod deletum est quoad culpam, sive in generali, si eius memoria tunc non habebatur, sive in speciali, et tamen ante confessionem aliquis illius peccati oblitus est. Et tunc confessio generalis sacramentalis operatur ad dimissionem poenae ex vi clavium, quibus se confitens subiicit nullum obstaculum, quantum in ipso est, ponens. Sed ex illa parte qua erubescentia confessionis peccati poenam minuebat, poena ipsius de quo quis specialiter coram sacerdote non erubuit, non est diminuta.

Ad primum ergo dicendum quod in confessione sacramentali non solum requiritur absolutio, sed iudicium sacerdotis satisfactionem imponentis. Et ideo, quamvis iste absolutione sit functus, tamen tenetur confiteri ut suppleatur quod defuit sacramentali confessioni.

Ad secundum dicendum quod confessio non operatur, ut dictum est *, nisi contritione praesupposita. De qua quando vera fuerit, non potest aliquis scire: sicut nec scire potest an gratiam habeat per certitudinem. Et ideo non potest scire utrum per confessionem generalem sit sibi peccatum oblitum dimissum per certitudinem: quamvis possit per coniecturas aliquas aestimare.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod iste non reportat commodum ex negligentia. Quia non ita plenam remissionem consequitur sicut alias consecutus fuisset. Nec tantum meretur. Et tenetur iterum confiteri cum ad memoriam peccatum venerit.

Ad quartum dicendum quod ignorantia iuris non excusat, quia ipsa peccatum est *: sed ignorantia facti excusat **. Unde aliquis de hoc quod non confitetur peccata quae nescit esse peccata propter ignorantiam iuris divini, non excusatur a fictione. Excusaretur autem si nesciret ea esse peccata propter ignorantiam particularis circumstantiae: sicut si cognovit alienam quam credidit esse suam. Sed oblivio de actu peccati habet ignorantiam facti. Et ideo excusat a peccato fictionis in confessione, quod fructum absolutionis et confessionis impedit.

* IaIIae, qu. LXXVI, art. 2. - Cf. Dig. ubi supra.
** Cf. arg. 2 *Sed cont.*

QUAESTIO UNDECIMA

DE SIGILLO CONFESSIONIS

Deinde quaeritur de sigillo confessionis *.
Et circa hoc quaeruntur quinque.

* Cf. qu. VI, Introd.

Primo: utrum in quolibet casu teneatur homo celare ea quae habet sub sigillo confessionis.

Secundo: utrum sigillum confessionis se extendat ad alia quam illa quae sunt de confessione.

Tertio: utrum solus sacerdos sigillum confessionis habeat.

Quarto: utrum sacerdos possit aliis revelare de licentia confitentis.

Quinto: utrum teneatur ea celare etiam si aliter ea noverit.

ART. I. UTRUM IN QUOLIBET CASU TENEATUR SACERDOS CELARE PECCATA QUAE SUB SIGILLO CONFESSIONIS NOVIT

IIa IIae, qu. LXX, art. 1, ad 2; *Quodl.* V, qu. VII, art. 1; XII, qu. XI, art. 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non in quolibet casu teneatur sacerdos celare peccata quae sub sigillo confessionis novit. Quia, sicut dicit Bernardus *, *quod est institutum pro caritate, contra caritatem non militat.* Sed celatio confessionis in aliquo casu contra caritatem militaret: sicut si aliquis in confessione scit aliquem haereticum, quem non potest inducere ad hoc quod desistat a corruptione plebis; et similiter de illo qui scit per confessionem affinitatem esse inter aliquos qui contrahere volunt. Ergo talis debet confessionem revelare.

* *De Praecept. et Dispens.*, cap. II, n. 5.

2. Praeterea, illud ad quod quis obligatur ex praecepto Ecclesiae tantum, non est necesse observari mandato Ecclesiae in contrarium facto. Sed celatio confessionis est introducta ex statuto Ecclesiae tantum. Si ergo per Ecclesiam praecipiatur quod quicumque scit aliquid de tali peccato dicat, ille qui scit per confessionem debet dicere.

3. Praeterea, magis debet homo conservare conscientiam suam quam famam alterius: quia caritas ordinata est. Sed aliquando aliquis peccatum celans incurrit propriae conscientiae damnum: sicut cum in testimonium adducitur pro peccato illo et iurare cogitur de veritate dicenda; vel cum aliquis abbas scit per confessionem alicuius prioris subiecti sibi peccatum cuius occasio inducit ipsum ad ruinam si ei prioratum dimittat, unde tenetur ei auferre propter debitum pastoralis curae, auferendo autem videtur confessionem publicare. Ergo videtur quod in aliquo casu liceat confessionem publicare.

4. Praeterea, aliquis sacerdos per confessionem alicuius quam audit, potest accipere conscientiam quod sit praelatione indignus. Sed quilibet tenetur contradicere promotioni indignorum, si sua intersit. Cum ergo contradicendo suspicionem inducere videatur de peccato, et sic quodammodo confessionem revelare, videtur quod quandoque oporteat confessionem revelare.

Sed contra est quod dicit decretalis *de Poenitentia et Remissione* *: *Caveat sacerdos ne verbo vel signo vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem.*

* Cap. *Omnis utriusque.*

2. Praeterea, sacerdos debet Deo, cuius minister est, conformari. Sed Deus peccata quae per confessionem panduntur non revelat, sed tegit. Ergo nec sacerdos revelare debet.

Respondeo dicendum quod in sacramentis ea quae exterius geruntur sunt signa rerum quae interius contingunt. Et ideo confessio qua quis sacerdoti se subiicit, signum est interioris, qua quis Deo subiicitur. Deus autem peccatum illius qui se sibi subiicit per poenitentiam, tegit *. Unde et hoc oportet in sacramento poenitentiae significari. Et ideo de necessitate sacramenti est quod quis confessionem celet; et tanquam violator sacramenti peccat qui confessionem revelat. Et praeter hoc sunt aliae utilitates huius celationis: quia per hoc homines magis ad confessionem attrahuntur; et simplicius etiam peccata confitentur.

* Cf. *ad Rom.* cap. IV, vers. 7.

Ad primum ergo dicendum quod quidam dicunt quod sacerdos non tenetur servare sub sigillo confessionis nisi peccata de quibus poenitens emendationem promittit: aliter potest ea dicere ei qui potest prodesse et non obesse. Sed haec opinio videtur erronea: cum sit contra veritatem sacramenti. Sicut enim baptismus est sacramentum quamvis quis fictus accedat, nec est immutatum aliquid propter hoc de essentialibus sacramenti; ita confessio non desinit esse sacramentalis quamvis ille qui confitetur emendationem non proponat. Et ideo nihilo minus sub occulto tenendum est.

Nec tamen sigillum confessionis contra caritatem militat. Quia caritas non requirit quod opponatur remedium peccato quod homo nescit. Illud autem quod sub confessione scitur est quasi nescitum: cum illud nesciat ut homo, sed ut Deus.

Tamen aliquod remedium adhibere debet in praedictis casibus, quantum potest sine revelatione confessionis: sicut monendo eos qui confitentur, et aliis diligentiam apponendo ne corrumpantur per haeresim. Potest etiam dicere praelato quod diligentius vigilet super gregem suum: ita tamen quod non dicat aliquid quod verbo vel nutu confitentem prodat.

Ad secundum dicendum quod praeceptum de confessione servanda consequitur ipsum sacramentum. Et ideo, sicut praeceptum de confessione sacramentali facienda est de iure divino, et non potest aliqua dispensatione vel iussione humana homo absolvi ab eo, ita nullus ad revelationem confessionis potest ab homine cogi vel licentiari. Unde, si praecipiatur sub poena excommunicationis iam latae quod dicat si aliquid scit de tali peccato, non debet dicere: quia debet aestimare quod intentio praecipientis est, *si sciat ut homo.* Et si etiam exprimeret de confessione, interrogatus

non deberet dicere. Nec excommunicationem incurreret: quia non est subiectus superiori suo nisi ut homo; hoc autem non scit ut homo, sed ut Deus.

Ad tertium dicendum quod homo non adducitur in testimonium nisi ut homo. Et ideo sine laesione conscientiae potest iurare se nescire quod scit tantum ut Deus.

Similiter etiam potest praelatus sine laesione conscientiae impunitum dimittere peccatum quod scit tantum ut Deus, vel sine aliquo remedio. Quia non tenetur adhibere remedium nisi eo modo quo ad ipsum refertur. Unde in his quae ad ipsum deferuntur in foro poenitentiae, debet in eodem foro, inquantum potest, adhibere remedium: ut abbas in casu praedicto admoneat eum ut prioratui resignet. Vel, si noluerit, potest ex aliqua alia occasione absolvere eum a cura prioratus: ita tamen quod omnis suspicio vitetur de confessionis revelatione.

Ad quartum dicendum quod ex multis aliis causis redditur aliquis indignus ad praelationis officium quam ex peccato: sicut ex defectu scientiae vel aetatis, vel alicuius huiusmodi. Et ideo qui contradicit, nec suspicionem de crimine facit, nec confessionem revelat.

ART. II. UTRUM SIGILLUM CONFESSIONIS SE EXTENDAT AD ALIA QUAM ILLA QUAE SUNT DE CONFESSIONE

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod sigillum confessionis se extendat ad alia quam illa quae sunt de confessione. Quia de confessione non sunt nisi peccata. Sed aliquando cum peccatis alia multa quis narrat, quae ad confessionem non pertinent. Ergo, cum illa sacerdoti dicantur ut Deo, videtur quod etiam ad illa sigillum confessionis se extendat.

2. Praeterea, aliquando aliquis dicit alicui aliquod secretum, et ille recipit, *sub sigillo confessionis*. Ergo sigillum confessionis se extendit ad illa quae non sunt de confessione.

Sed contra, sigillum confessionis est aliquid annexum sacramentali confessioni. Sed ea quae annexa sunt alicui sacramento, non se extendunt ultra sacramentum illud. Ergo sigillum confessionis non se extendit nisi ad ea de quibus est confessio.

Respondeo dicendum qnod sigillum confessionis directe non se extendit nisi ad illa de quibus est sacramentalis confessio. Sed indirecte id quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis pertinet: sicut illa per quae posset peccator vel peccatum deprehendi. Nihilominus tamen alia summo studio sunt celanda: tum propter scandalum; tum propter pronitatem quae ex consuetudine accidere posset.

Et per hoc patet responsio ad primum.

Ad secundum dicendum quod aliquis non debet de facili aliquid recipere hoc modo. Si tamen recipiat, tenetur ex promissione hoc modo celare ac si in confessione haberet: quamvis sub sigillo confessionis non habeat.

ART. III. UTRUM SOLUM SACERDOS SIGILLUM CONFESSIONIS HABEAT

Art. seq., ad 3.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non solum sacerdos sigillum confessionis habeat. Quia aliquando aliquis confitetur sacerdoti per interpretem, necessitate urgente. Sed interpres, ut videtur, tenetur confessionem celare. Ergo etiam non-sacerdos aliquid sub sigillo confessionis habet.

2. Praeterea, aliquando aliquis in casu necessitatis potest laico confiteri. Sed ille tenetur peccata celare: cum sibi dicantur sicut Deo. Ergo non solum sacerdos sigillum confessionis habet.

3. Praeterea, aliquando aliquis se sacerdotem fingit ut conscientiam alicuius exploret per hanc fraudem. Et ille etiam, ut videtur, peccat si confessionem revelet. Ergo non solum sacerdos sigillum confessionis habet.

Sed contra est quod solus sacerdos minister est huius sacramenti. Sed sigillum confessionis est annexum huic samento. Ergo solus sacerdos habet sigillum confessionis.

2. Praeterea, homo tenetur ea quae in confessione audit celare, si non scit ea ut homo, sed ut Deus. Sed solus sacerdos est minister Dei. Ergo solus sacerdos tenetur occultare.

Respondeo dicendum quod sigillum confessionis competit sacerdoti inquantum est minister huius sacramenti: quod nihil est aliud quam debitum confessionem celandi, sicut clavis est potestas absolvendi. Tamen, sicut aliquis qui non est sacerdos, in aliquo casu participat aliquid de actu clavis, dum confessionem audit propter necessitatem; ita etiam participat aliquid de actu sigilli confessionis, et tenetur celare; quamvis, proprie loquendo, sigillum confessionis non habeat.

Et per hoc patet solutio ad obiecta.

ART. IV. UTRUM DE LICENTIA CONFITENTIS POSSIT SACERDOS PECCATUM QUOD HABET SUB SIGILLO CONFESSIONIS, ALTERI PRODERE

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod de licentia confitentis non possit sacerdos peccatum quod habet sub sigillo confessionis, alteri prodere. Quod enim non potest superior, non potest inferior. Sed Papa non posset aliquem licentiare quod peccatum quod habet in confessione, alteri proderet. Ergo nec ille qui confitetur potest ipsum licentiare.

2. Praeterea, illud quod est institutum propter bonum commune, non potest ex arbitrio unius mutari. Sed celatio confessionis est instituta propter bonum totius Ecclesiae, ut homines confidentius ad confessionem accedant. Ergo ille qui confitetur non potest licentiare sacerdotem ad dicendum.

3. Praeterea, si possit licentiari sacerdos, videtur dari *pallium malitiae* * malis sacerdotibus: quia possent praetendere sibi licentiam datam, et sic impune peccarent. Quod est inconveniens. Et sic videtur quod non possit a confitente licentiari.

* I Pet. cap. II, vers. 16.

4. Praeterea, ille cui iste revelabit, non habebit peccatum hoc sub sigillo confessionis. Et sic poterit peccatum publicari quod iam deletum est. Quod est inconveniens. Ergo non potest licentiare.

Sed contra, superior potest mittere peccatorem cum litteris ad inferiorem sacerdotem de voluntate ipsius. Ergo de voluntate confitentis potest sacerdos peccatum revelare alteri.

2. Praeterea, *qui potest aliquid facere per se, potest etiam per alterum facere*. Sed confitens potest peccatum suum quod fecit, per se alteri revelare. Ergo potest per sacerdotem facere.

Respondeo dicendum quod duo sunt propter quae tenetur sacerdos peccatum occultare: primo, et principaliter, quia ipsa occultatio est de essentia sacramenti, inquantum scit illud ut Deus, cuius vicem gerit ad confessionem; alio modo, propter scandalum vitandum. Potest autem confitens facere quod sacerdos illud quod sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo: quod facit dum licentiat eum ad dicendum. Et ideo, si dicat, non frangit sigillum confessionis. Tamen debet vitare scandalum dicendo: ne fractor sigilli praedicti reputetur.

Ad primum ergo dicendum quod Papa non potest licentiare sacerdotem ad dicendum, quia non potest facere quod illud sciat ut homo. Quod tamen facere potest ille qui confitetur.

Ad secundum dicendum quod non tollitur illud quod est institutum propter bonum commune: quia sigillum confessionis non frangitur, quia dicitur quod alio modo scitur.

Ad tertium dicendum quod ex hoc non datur aliqua impunitas malis sacerdotibus: quia imminet eis probatio, si accusantur, quod de licentia confitentis revelaverunt.

Ad quartum dicendum quod ille ad quem notitia peccati devenit mediante sacerdote de voluntate confitentis, participat in aliquo actu sacerdotis. Et ideo simile est de eo et de interprete: nisi forte peccator velit quod ille absolute sciat et libere.

ART. V. UTRUM ILLUD QUOD QUIS SCIT PER CONFESSIONEM ET ETIAM ALIO MODO, POSSIT ALTERI REVELARE

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod illud quod quis scit per confessionem et etiam alio modo, nullo modo possit alteri revelare. Non enim frangitur sigillum confessionis nisi dum peccatum quod scitur in confessione revelatur. Si ergo iste revelat peccatum quod in confessione audivit, qualitercumque alias sciat, sigillum confessionis frangere videtur.

2. Praeterea, quicumque confessionem alicuius audit, ei obligatur ad hoc quod peccata ipsius non revelet. Sed si aliquis promitteret alicui tenere privatum quod ei dicitur, quantumcumque post sciret, deberet privatum tenere. Ergo quod quis in confessione audivit, quantumcumque alias sciat, debet privatum haberi.

3. Praeterea, duorum quod est altero potentius trahit ad se reliquum. Sed scientia qua scit peccatum ut Deus, est potentior et dignior scientia qua scit peccatum ut homo. Ergo trahit ad se eam. Et ita non poterit revelari: secundum quod scientia qua scit ut Deus, exigit.

4. Praeterea, secretum confessionis institutum est ad vitandum scandalum, et ne homines a confessionibus retrahantur. Sed si aliquis posset dicere illud quod in confessione audivit, etiam si aliter sciret, nihilominus scandalum sequeretur. Ergo nullo modo potest dicere.

Sed contra, nullus potest alium obligare ad quod non erat obligatus, nisi sit suus praelatus, qui obliget eum praecepto. Sed ille qui sciebat alicuius peccatum per visum, non erat obligatus ad celandum. Ergo ille qui ei confitetur, cum non sit praelatus suus, non potest eum obligare ad celandum per hoc quod ei confitetur.

2. Praeterea, secundum hoc posset impediri iustitia Ecclesiae, si aliquis, ut evaderet sententiam excommunicationis quae in ipsum ferenda erat propter aliquod peccatum de quo convictus est, confitetur ei qui sententiam ferre debet. Sed iustitiae executio est in praecepto. Ergo non tenetur celare peccatum quod quis in confessione audivit, si alias ipsum scit.

Respondeo dicendum quod circa hoc est triplex opinio. Quidam * enim dicunt quod illud quod in confessione aliquis audivit, non potest aliquo modo dicere si sciat alias, sive ante sive post. – Quidam vero dicunt quod per confessionem praecluditur sibi via ne possit aliquid dicere quod prius scivit: non autem quin possit dicere si post alio modo sciat.

* Autissiod. *Sum.* lib. IV, tr. *de Confess.*, cap. *de Revelat. peccati.*

Utraque autem opinio, dum nimium sigillo confessionis attribuit, praeiudicium veritati et iustitiae servandae facit. Posset enim aliquis ad peccandum esse pronior si non timeret ab illo accusari cui confessus est, si coram illo peccatum iteraret. Similiter etiam multum iustitiae perire poterit si testimonium ferre aliquis non posset de eo quod vidit, post confessionem de hoc factam. – Nec obstat quod quidam dicunt, quod debet protestari se non tenere privatum hoc. Quia hoc non posset protestari nisi postquam peccatum esset sibi dictum. Et tunc quilibet sacerdos posset revelare peccatum, protestationem faciendo, si hoc ipsum ad revelandum liberum redderet.

Et ideo alia opinio est, et verior, quod illud quod homo alias scit, sive ante confessionem sive post, non tenetur celare quantum ad id quod scit ut homo: potest enim dicere, *Scio illud quia vidi.* Tenetur tamen celare illud inquantum scit ut Deus: non enim potest hoc dicere, *Ego audivi hoc in confessione.* – Tamen, propter scandalum vitandum, debet abstinere ne de hoc loquatur, nisi immineat necessitas.

Ad primum ergo dicendum quod, quando aliquis dicit se vidisse quod in confessione audivit, non revelat quod in confessione habet nisi per accidens. Sicut qui scit aliquid per auditum et visum, non revelat quod vidit, per se loquendo, si dicat se audivisse: sed per accidens, quia dicit auditum cui accidit visum esse. Et ideo talis sigillum confessionis non frangit.

Ad secundum dicendum quod non obligatur audiens confessionem quod non revelet peccatum simpliciter: sed prout est in confessione auditum. Nullo enim casu dicere debet se audivisse in confessione.

Ad tertium dicendum quod hoc intelligendum est de duobus quae habent oppositionem. Sed scientia qua scit aliquis peccatum ut Deus, et illa qua scit ut homo, non sunt opposita. Ideo ratio non procedit.

Ad quartum dicendum quod non debet ita vitari peccatum ex una parte quod ex alia iustitia relinquatur: *veritas* enim *non est propter scandalum dimittenda* *. Et ideo, quando imminet periculum iustitiae, non debet dimitti revelatio eius quod quis in confessione audivit, si aliter scit, propter scandalum: dum tamen scandalum, quantum in se est, evitare nitatur.

* *De Reg. Iur.* (V Decretal.), tit. XLI, reg. III. - Ex Bed. in Marc. cap. IX, vers. 41.

QUAESTIO DUODECIMA

DE SATISFACTIONE

Deinde considerandum est de satisfactione *. De qua quatuor consideranda sunt: primo, de eius quidditate; secundo, de ipsius possibilitate *; tertio, de eiusdem qualitate *; quarto, de his per quae homo Deo satisfacit **.

* Cf. qu. I, Introd. – * Qu. XIII. – * Qu. XIV. – ** Qu. XV.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo: utrum satisfactio sit virtus, vel actus virtutis.
Secundo: utrum sit actus iustitiae.
Tertio: utrum definitio satisfactionis quae in littera ponitur, convenienter assignetur.

ART. I. UTRUM SATISFACTIO SIT VIRTUS, VEL ACTUS VIRTUTIS

Ad primum sic proceditur. Videtur quod satisfactio non sit neque virtus, neque actus virtutis. Omnis enim virtutis actus est meritorius. Sed satisfactio non est meritoria, ut videtur: quia meritum gratuitum est, sed satisfactio debitum attendit. Ergo satisfactio non est actus virtutis.

2. Praeterea, omnis actus virtutis est voluntarius. Sed aliquando fit alicui satisfactio de aliquo eo invito: ut quando aliquis pro offensa in alterum commissa a iudice punitur. Ergo satisfactio non est virtutis actus.

3. Praeterea, secundum Philosophum, VIII *Ethic.* *, *in virtute moris principale est electio.* Sed satisfactio non fit per electionem, sed respicit principaliter exteriora opera. Ergo non est virtutis actus.

* Cap. XIII, n. 11. - S. Th. lect. XIII.

Sed contra, satisfactio ad poenitentiam pertinet. Sed poenitentia est virtus. Ergo satisfactio est actus virtutis.

2. Praeterea, nullus actus operatur ad deletionem peccati nisi sit actus virtutis: quia *contrarium destruitur per suum contrarium* *. Sed per satisfactionem peccatum totaliter annihilatur. Ergo satisfactio est virtutis actus.

* Aristot. *Physic.* lib. VIII, cap. VIII, n. 1. - S. Th. lect. XVI.

Respondeo dicendum quod aliquis actus dicitur esse actus virtutis dupliciter. Uno modo, materialiter. Et sic quilibet actus qui malitiam non habet implicitam, vel defectum debitae circumstantiae, actus virtutis dici potest, quia quolibet tali actu potest uti virtus in suum finem: sicut est ambulare, loqui, et huiusmodi.

Alio modo dicitur actus aliquis esse actus virtutis formaliter, quia in suo nomine formam et rationem virtutis implicitam habet: sicut fortiter sustinere dicitur actus fortitudinis. Formale autem cuiuslibet virtutis moralis est ratio medii. Unde omnis actus qui rationem medii importat, actus virtutis formaliter est. Et quia aequalitas medium est, quod suo nomine satisfactio importat, non enim dicitur aliquid *satisfactum* nisi secundum proportionem aequalitatis ad aliquid; constat quod satisfactio etiam formaliter est actus virtutis.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis satisfacere in se sit debitum, tamen, inquantum satisfaciens voluntate hoc opus exequitur, rationem gratuiti accipit ex parte operantis: et sic operans *facit de necessitate virtutem* *. Ex hoc enim debitum diminuere habet meritum, quod necessitatem importat, quae voluntati contrariatur. Unde, si voluntas necessitati consentiat, non ratio meriti tolletur.

* Hier. Ep. LIV, al. X, *ad Furiam.*

Ad secundum dicendum quod actus virtutis non requirit voluntarium in eo qui patitur, sed in eo qui facit: quia illius actus est. Et ideo, cum ille in quem iudex vindictam exercet, se habeat ut patiens ad satisfactionem, non ut

agens; non oportet quod in eo voluntaria sit satisfactio, sed in iudice faciente.

Ad tertium dicendum quod principale in virtute potest accipi dupliciter. Uno modo, principale in ipsa inquantum est virtus. Et sic ea quae ad rationem pertinent, vel magis ei propinqua sunt, principaliora sunt in virtute. Et sic electio et interiores actus in virtute, inquantum virtus est, principaliores sunt.

Alio modo potest accipi principale in virtute inquantum est talis virtus. Et sic principalius in ipsa est ex quo determinationem recipit. Actus autem interiores in aliquibus virtutibus determinantur per exteriores: quia electio, quae est communis omnibus virtutibus, ex hoc quod est electio talis actus, efficitur propria huius virtutis. Et sic actus exteriores in aliquibus virtutibus sunt principaliores. Et ita etiam est in satisfactione.

ART. II. utrum satisfactio sit actus iustitiae

Part. III, qu. LXXV, art. 3; qu. XC, art. 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod satisfactio non sit actus iustitiae. Quia satisfactio fit ad hoc quod reconcilietur ei quem offendit. Sed reconciliatio, cum sit amoris, ad caritatem pertinet. Ergo satisfactio est actus caritatis, et non iustitiae.

2. Praeterea, causae peccatorum in nobis sunt passiones animae, quibus ad malum incitamur. Sed iustitia, secundum Philosophum *, non est circa passiones, sed circa operationes. Cum ergo ad satisfactionem pertineat *peccatorum causas excidere,* ut in littera * dicitur, videtur quod non sit actus iustitiae.

* *Ethic.* lib. V, cap. I, n. 1.- S.Th. lect. I.
* IV *Sent.*, dist. XV, cap. *His responderi.* Cf. art. seq., arg. 1.

3. Praeterea, cavere in futurum non est actus iustitiae, sed magis prudentiae, cuius pars ponitur cautela. Sed hoc pertinet ad satisfactionem: quia ipsius est *suggestionibus peccatorum aditum non indulgere* *. Ergo satisfactio non est actus iustitiae.

* Cf. ibid.

Sed contra, nulla virtus attendit rationem debiti nisi iustitia. Sed satisfactio *honorem debitum Deo impendit:* ut Anselmus ait *. Ergo satisfactio est actus iustitiae.

* *CurDeus homo,* lib. I, cap. XI.

2. Praeterea, nulla virtus habet rerum exteriorum adaequationem perficere nisi iustitia. Sed hoc fit per satisfactionem, qua constituitur aequalitas emendae ad offensam praecedentem. Ergo satisfactio est iustitiae actus.

Respondeo dicendum quod, secundum Philosophum, in V *Ethic.* *, medium iustitiae accipitur secundum adaequationem rei ad rem in proportionalitate aliqua. Unde, cum talem adaequationem ipsum nomen *satis-factionis* importet, quia hoc adverbium *satis* aequalitatem proportionis designat, constat quod satisfactio formaliter iustitiae actus est.

* Capp. III, IV. - S.Th. lect. IV sqq.

Sed iustitiae actus, secundum Philosophum *, est vel *sui ad alterum,* ut quando aliquis reddit alteri quod ei debet; vel *alterius ad alterum,* sicut quando iudex facit iustitiam inter duos. Quando autem est actus iustitiae sui ad alterum, aequalitas in ipso faciente constituitur: quando autem alterius ad alterum, aequalitas constituitur in iustum passo. Et quia *satis-factio* aequalitatem in ipso faciente exprimit, dicit actum iustitiae quae est sui ad alterum, proprie loquendo.

* *Ethic.* lib. V, cap. V, n. 17. - S. Th. lect. X.

Sed sui ad alterum potest aliquis facere iustitiam vel in actionibus et passionibus, vel in rebus exterioribus: sicut et iniuria fit alteri vel subtrahendo res, vel per aliquam actionem laedendo. Et quia usus rerum exteriorum est dare, ideo actum iustitiae secundum quod aequalitatem in rebus exterioribus constituit, proprie dicit hoc quod est *reddere:* sed *satisfacere* manifeste aequalitatem in actionibus demonstrat, quamvis quandoque unum pro alio ponatur.

Et quia adaequatio non est nisi inaequalium, ideo satisfactio inaequalitatem actionum praesupponit, quae quidem offensam constituit: et ideo habet respectum ad offensam praecedentem. Nulla autem pars iustitiae respicit offensam praecedentem nisi iustitia vindicativa. Quae aequalitatem constituit in eo qui iustum patitur, indifferenter, sive sit patiens idem quod agens, ut quando aliquis sibi ipsi poenam infert, sive non sit idem quod agens, ut quando iudex alium punit, ad utrumque vindicativa iustitia se habente. Similiter et poenitentia, quae aequalitatem tantum in faciente importat, quia ipsemet *poenam tenet* *: ut sic quodammodo poenitentia vindicativae iustitiae species sit.

* *De Vera et fals. Poenit.* cap. XIX.- Inter Opp. Aug.

Et per hoc constat quod satisfactio, quae aequalitatem respectu offensae praecedentis in faciente importat, opus iustitiae est quantum ad illam partem quae poenitentia dicitur.

Ad primum ergo dicendum quod satisfactio, ut ex dictis * patet, est quaedam iniuriae illatae recompensatio. Unde, sicut iniuria illata immediate ad inaequalitatem iustitiae pertingebat, et per consequens ad inaequalitatem amicitiae oppositam; ita et satisfactio directe ad aequalitatem iustitiae perducit, et ad aequalitatem amicitiae ex consequenti. Et quia actus aliquis elicitive ab illo habitu procedit ad cuius finem immediate ordinatur, imperative autem ab illo ad cuius finem ultimo tendit, ideo satisfactio elicitive est a iustitia, sed imperative a caritate.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod, quamvis iustitia sit principalior circa operationes, tamen etiam ex consequenti est circa passiones, inquantum sunt operationum causae. Sed, sicut iustitia cohibet iram, ne alteri laesionem iniuste inferat; et concupiscentiam, ne ad alienum torum accedat; sic etiam satisfactio potest *peccatorum causas excidere.*

Ad tertium dicendum quod quaelibet virtus moralis participat actus prudentiae, eo quod formaliter ipsa complet in eis rationem virtutis *: cum secundum eam medium accipiatur in singulis virtutibus moralibus, ut patet per definitionem virtutis in II *Ethicorum* *.

* Cf. Arist. *Ethic.* lib. VI, cap. XIII. - S. Th. lect. XI.
* Cap. VI, n. 15; s. Th. lect. VII. - Cf. lib. VI, cap. XIII, n. 4; s. Th. lect. XI.

ART. III. utrum definitio satisfactionis in littera convenienter ponatur ab Augustino

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod definitio satisfactionis in littera * inconvenienter ponatur ab Augustino *. Dicit enim quod satisfactio est *peccatorum causas excidere et eorum suggestionibus aditum non indulgere.* Causa enim actualis peccati fomes est. Sed in hac vita non possumus fomitem excidere. Ergo satisfactio non est *peccatorum causas excidere.*

* IV *Sent.*, dist. XV, cap. *His responderi.*
* *De Eccl. Dogm.* cap. XXIV, al. LIV.- Inter Opp. Aug.

2. Praeterea, causa peccati est fortior quam peccatum. Sed homo per se non potest peccatum excidere. Ergo multo minus causas peccati. Et sic idem quod prius.

3. Praeterea, satisfactio, cum sit pars poenitentiae, praeteritum respicit, non futurum. Sed *non indulgere aditum suggestionibus peccatorum* respicit futurum. Ergo non debet poni in definitione satisfactionis.

4. Praeterea, satisfactio dicitur respectu offensae praeteritae. Sed de offensa praecedenti nulla fit mentio. Ergo inconvenienter assignatur definitio satisfactionis.

5. Praeterea, Anselmus ponit aliam definitionem, in Libro *Cur Deus homo* *, scilicet: *Satisfactio est honorem debitum Deo impendere.* In qua nulla fit mentio horum quae Augustinus hic ponit. Ergo altera earum videtur esse incompetens.

* Lib. I, cap. XI.

6. Praeterea, honorem debitum Deo potest innocens impendere. Sed satisfacere non competit innocenti. Ergo definitio Anselmi est male assignata.

Respondeo dicendum quod iustitia non ad hoc tantum tendit ut inaequalitatem praecedentem auferat puniendo culpam praeteritam, sed ut in futurum aequalitatem custodiat: quia, secundum Philosophum, in II *Ethic.* *, *poenae medicinae sunt.* Unde et satisfactio, quae est iustitiae actus poenam inferentis, est medicina curans peccata praeterita et praeservans a futuris. Et ideo, quando homo homini satisfacit, et praeterita recompensat et de futuris cavet.

* Cap. III, n. 4. - S. Th. lect. III.

Et secundum hoc, dupliciter potest satisfactio definiri. Uno modo, respectu culpae praeteritae, quam recompensando curat. Et sic dicitur quod satisfactio est *illatae iniuriae recompensatio secundum iustitiae aequalitatem* *. Et in idem videtur redire definitio Anselmi, qui dicit quod satisfacere est *honorem debitum Deo impendere* *, ut consideretur debitum ratione culpae commissae.

* Cf. art. 2, ad 1.
* Cf. arg. 5.

Alio modo potest definiri secundum quod praeservat a culpa futura. Et sic definit eam hic Augustinus *. Praeservatio autem a morbo corporali fit per ablationem cau-

* Cf. arg. 1.

sarum quibus morbus consequi potest: eis enim ablatis, non potest morbus sequi. Sed in morbo spirituali non est ita: quia liberum arbitrium non cogitur; unde, causis praecedentibus, potest vitari, quamvis difficulter; causis amotis, potest incurri. Et ideo in satisfactionis definitione duo ponit: scilicet abscisionem causarum, quantum ad primum; et renitentiam liberi arbitrii ad ipsum peccatum, quantum ad secundum.

Ad primum ergo dicendum quod accipiendae sunt causae proximae peccati actualis: quae dicuntur duo, scilicet libido ex consuetudine vel actu peccati relicta, et aliquae reliquiae peccati praeteriti; et exteriores occasiones ad peccandum, ut locus, societas mala, et huiusmodi. Et tales causae in hac vita per satisfactionem tolluntur: quamvis fomes, qui est causa remota peccati actualis, non tollatur totaliter in hac vita per satisfactionem, etsi debilitetur.

Ad secundum dicendum quod, quia causa mali vel privationis, eo modo quo causam habet, non est nisi bonum deficiens; bonum autem facilius tollitur quam constituatur: ideo facilius est causas privationis et mali abscindere quam ipsum malum removere, quod non removetur nisi per constructionem boni. Quod patet in caecitate et causis eius. – Et tamen causae peccati praedictae non sunt sufficientes causae, cum ex eis non de necessitate sequatur peccatum: sed sunt occasiones quaedam. – Nec iterum satisfactio sine Dei auxilio fit: quia sine caritate esse non potest, ut dicetur *.

* Qu. xiv, art. 2.

Ad tertium dicendum quod, quamvis poenitentia ex prima sui intentione respiciat praeteritum, tamen etiam ex consequenti futurum respicit, inquantum est medicina praeservans. Et sic etiam satisfactio.

Ad quartum dicendum quod Augustinus definit satisfactionem secundum quod fit Deo: cui secundum rei veritatem nihil subtrahi potest, quamvis peccator, quantum in se est, aliquid subtrahat. Et ideo in satisfactione tali principalius requiritur emendatio in futurum quam recompensatio praeteritorum. Et propter hoc ex parte ista Augustinus definivit satisfactionem.

Nihilominus tamen ex cautela futurorum cognosci potest recompensatio praeteritorum, quae fit circa eadem converso modo. In praeterita enim respicientes causas peccatorum propter peccata detestamur, a peccatis incipientes detestationis motum: sed in cautela a causis incipimus, ut, causis subtractis, facilius peccata vitemus.

Ad quintum dicendum quod non est inconveniens quod de eodem dentur diversae assignationes secundum diversa quae in ipso inveniuntur. Et sic est in proposito, ut ex dictis * patet.

* In corpore.

Ad sextum dicendum quod intelligitur debitum quod debemus Deo ratione culpae commissae: quia debitum poenitentia respicit, ut prius * dictum est.

* Art. 2, arg. 1 *Sed cont.*

QUAESTIO DECIMATERTIA

DE POSSIBILITATE SATISFACTIONIS

Deinde considerandum est de possibilitate satisfactionis *. Circa quod duo quaeruntur.

* Cf. qu. xii, Introd.

Primo: utrum homo possit Deo satisfacere.

Secundo: utrum aliquis pro alio satisfacere possit.

ART. I. utrum homo possit deo satisfacere

Part. III, qu. i, art. 2, ad 2; qu. lxxxv, art. 3, ad 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod homo non possit Deo satisfacere. Satisfactio enim debet aequari offensae, ut ex dictis * patet. Sed offensa in Deum commissa est infinita: quia quantitatem recipit ab eo in quem committitur; cum plus offendat qui principem percutit quam alium quemquam. Cum ergo actio hominis non possit esse infinita, videtur quod homo Deo satisfacere non possit.

* Qu. xii, art. 2, 3.

2. Praeterea, servus, quia totum quod habet domini est, non potest aliquid domino recompensare. Sed *nos servi Dei sumus* *, quidquid boni habemus ab ipso habentes. Cum ergo satisfactio sit recompensatio offensae praeteritae, videtur quod Deo satisfacere non possumus.

* I *Esdr.* cap. v, vers. 11.

3. Praeterea, ille cuius totum quod habet non sufficit ad unum debitum exsolvendum, non potest pro alio debito satisfacere. Sed quidquid homo est et potest et habet, non sufficit ad solvendum debitum pro beneficio conditionis: unde Isaiae xl * dicitur quod *ligna Libani non sufficient ad holocaustum.* Ergo nullo modo potest satisfactio esse pro debito offensae commissae.

* Vers. 16.

4. Praeterea, homo totum tempus suum debet in Dei servitium expendere. Sed tempus amissum non potest recuperari: propter quod est gravis iactura temporis, ut Seneca dicit *. Ergo non potest homo recompensationem Deo facere. Et sic idem quod prius.

* Epist. lib. I, Ep. 1, *ad Lucilium.*

5. Praeterea, peccatum actuale mortale est gravius quam originale. Sed pro originali nemo potuit satisfacere nisi Deus et homo. Ergo neque pro actuali.

Sed contra, sicut Hieronymus dicit *: *Qui dicit Deum aliquid impossibile homini praecepisse, anathema sit.* Sed satisfactio est in praecepto, Luc. iii *: *Facite dignos fructus poenitentiae.* Ergo possibile est Deo satisfacere.

* Pelagius, *Explanat. Symb., ad Damas.* - Inter Opp. Hieron.
* Vers. 8.

2. Praeterea, Deus est magis misericors quam aliquis homo. Sed homini est possibile satisfacere. Ergo et Deo.

3. Praeterea, debita satisfactio est cum poena culpae aequatur: quia *iustitia est idem quod contra-passum, ut Pythagorici dixerunt* *. Sed contingit aequalem poenam assumere delectationi quae fuit in peccando. Ergo contingit Deo satisfacere.

* Aristot. *Ethic.* lib. V, cap. v, n. 1. - S. Th. lect. viii.

Respondeo dicendum quod homo Deo debitor efficitur, uno modo, ratione beneficii accepti; alio modo, ratione peccati commissi. Et sicut gratiarum actio, vel latria, vel si quid est huiusmodi, respicit debitum accepti beneficii; ita satisfactio respicit debitum peccati commissi.

In his autem *honoribus qui sunt ad parentes et deos,* etiam secundum Philosophum *, impossibile est aequivalens reddere secundum quantitatem, sed sufficit quod homo reddat quod potest: quia amicitia non exigit aequivalens nisi secundum quod possibile est. Et hoc etiam est aequale aliqualiter, scilicet *secundum proportionalitatem* *: quia, sicut se habet hoc quod Deo est debitum ad ipsum Deum, ita hoc quod iste potest reddere ad eum. Et sic aliquo modo forma iustitiae conservatur.

* *Ethic.* lib. VIII, cap. xiv, n. 3, 4 - S. Th. lect. xiv.
* Cf. ib. lib. V, cap. iii. - S. Th. lect. iv, v.

Et similiter est ex parte satisfactionis. Unde non potest homo Deo satisfacere si ly *satis* aequalitatem quantitatis importet: contingit autem si importet aequalitatem proportionis, ut dictum est. Et hoc, sicut sufficit ad rationem iustitiae, ita sufficit ad rationem satisfactionis.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut offensa habuit quandam infinitatem ex infinitate divinae maiestatis, ita satisfactio accipit quandam infinitatem ex infinitate divinae misericordiae, prout est gratia informata, per quam acceptum redditur quod homo reddere potest.

Quidam * tamen dicunt quod habet infinitatem ex parte aversionis, et sic gratis dimittitur: sed ex parte conversionis finita est, et sic pro ea satisfieri potest. – Sed hoc nihil est. Quia satisfactio non respondet peccato nisi secundum quod est offensa Dei: quod non habet ex parte conversionis, sed solum ex parte aversionis.

* Rich. a S. Vict. *de Potest. ligandi et solv.*, cap. iv. - Cf. s. Bonav. IV *Sent.*, dist. xv, p. 1, art. unic., qu. 1.

Alii * vero dicunt quod etiam quantum ad aversionem pro peccato satisfieri potest, virtute meriti Christi, quod quodammodo infinitum fuit. Et hoc in idem redit quod prius dictum est: quia per fidem Mediatoris gratia data est credentibus. Si tamen alio modo gratiam daret, sufficeret satisfactio per modum praedictum.

* Halens. *Sum.* p. IV, qu. xxiv, m. 1, in respp. ad obiect.

Ad secundum dicendum quod homo, qui *ad imaginem Dei factus est* *, aliquid libertatis participat, inquantum est dominus suorum actuum per liberum arbitrium. Et ideo ex hoc quod per liberum arbitrium agit, Deo satisfacere potest: quia, quamvis Dei sit prout a Deo est sibi concessum, libere tamen traditum est, ut eius dominus sit. Quod servo non competit.

* *Gen.* cap. ix, vers. 6.

Ad tertium dicendum quod ratio illa concludit quod Deo aequivalens satisfactio fieri non possit: non autem quod non possit sibi sufficiens fieri. Quamvis enim posse suum totum homo Deo debeat, non tamen ab eo exigitur de necessitate ut totum quod possit faciat: quia hoc est ei impossibile secundum statum praesentis vitae, ut totum

posse suum in aliquid unum expendat; cum oporteat circa multa esse sollicitum. Sed est quaedam mensura homini adhibita quae ab eo requiritur, scilicet impletio mandatorum Dei: et super ea potest aliquid erogare ut satisfaciat.

Ad quartum dicendum quod, quamvis homo non possit tempus praeteritum recuperare, potest tamen in futuro recompensare illud quod in praeterito facere debuisset: quia non debuit, debito praecepti, totum quod potuit, ut dictum est *.

* Ad 3.

Ad quintum dicendum quod originale peccatum, etsi minus habeat de ratione peccati quam actuale, tamen est gravius malum: quia est ipsius humanae naturae infectio. Et ideo per unius hominis puri satisfactionem expiari non potuit, sicut actuale.

ART. II. UTRUM POENAM SATISFACTORIAM POSSIT UNUS PRO ALIO EXPLERE

Part. III, qu. XLVIII, art. 2, ad 1; III *Cont. Gent.*, cap. CLVIII; IV, cap. LV, n. 20; *De Verit.*, qu. XXIX, art. 7.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod poenam satisfactoriam non possit unus pro alio explere. Quia ad satisfactionem meritum requiritur. Sed unus pro altero non potest mereri vel demereri: cum sit scriptum *: *Reddes tu unicuique secundum opera sua.* Ergo unus pro alio non potest satisfacere.

* Ps. LXI, vers. 13.

2. Praeterea, satisfactio contra contritionem et confessionem dividitur. Sed unus pro alio non potest conteri aut confiteri. Ergo nec satisfacere.

3. Praeterea, unus pro alio orando etiam sibi meretur. Si ergo aliquis pro alio satisfacere potest, satisfaciendo pro alio pro se satisfacit. Et ita ab eo qui pro altero satisfacit, non exigitur alia satisfactio pro peccatis propriis.

4. Praeterea, si unus pro alio satisfacere potest, ergo ex quo unus sibi suscipit debitum poenae, alius statim a debito liberatur. Ergo, si moriatur postquam tota poena debita ab alio suscepta est, statim evolabit. Vel, si adhuc puniatur, duplex poena reddetur pro eodem peccato: scilicet illius qui satisfacere incipit, et illius qui punitur in purgatorio.

Sed contra, *Galat.* VI * dicitur: *Alter alterius onera portate.* Ergo videtur quod unus possit onus poenitentiae impositae pro alio suscipere.

* Vers. 2.

2. Praeterea, caritas magis potest apud Deum quam apud homines. Sed unus potest apud homines pro alterius amore debitum eius solvere. Ergo multo fortius hoc in divino iudicio fieri potest.

Respondeo dicendum quod poena satisfactoria est ad duo: scilicet ad solutionem debiti; et ad medicinam pro peccato vitando. Inquantum ergo est ad remedium sequentis peccati, sic satisfactio unius non prodest alteri, quia ex ieiunio unius caro alterius non domatur, nec ex actibus unius alius bene agere consuevit: nisi secundum accidens, inquantum aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiae, quae efficacissimum remedium est ad vitandum peccatum. Sed hoc est per modum meriti magis quam per modum satisfactionis.

Sed quantum ad solutionem debiti, unus potest pro alio satisfacere: dummodo sit in caritate, ut opera eius satisfactoria esse possint.

Nec oportet quod maior poena imponatur ei qui pro altero satisfacit quam principali imponeretur: ut quidam * dicunt, hac ratione moti, quia poena propria magis satisfacit quam aliena. Quia poena habet vim satisfaciendi maxime ratione caritatis, qua homo ipsam sustinet. Et quia maior caritas apparet in hoc quod aliquis pro altero satisfacit quam si ipse satisfaceret, ideo minor poena requiritur in eo qui pro alio satisfacit quam in principali requireretur. Unde dicitur in *Vitis Patrum* * quod propter caritatem unius qui, alterius fratris caritate ductus, poenitentiam fecit pro peccato quod non commiserat, alteri peccatum quod commiserat, dimissum est.

* Halens. *Sum.* p. IV, qu. XXIII, m. 1, art. 2; s. Bonav. IV *Sent.*, dist. XX, p. II, qu. I.

* Lib. V, libel. V, n. 27.

Nec exigitur etiam, quantum ad absolutionem debiti, quod ille pro quo fit satisfactio, sit impotens ad satisfaciendum. Quia, etiam si esset potens, alio satisfaciente pro ipso, ipse a debito immunis esset. – Sed hoc requiritur inquantum poena satisfactoria est in remedium. Unde non est permittendum quod aliquis pro alio poenitentiam agat, nisi defectus aliquis appareat in poenitente: vel corporalis, per quem fit impotens ad sustinendum; vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandum poenam.

Ad primum ergo dicendum quod praemium essentiale redditur secundum dispositionem hominis: quia secundum capacitatem videntium erit plenitudo visionis divinae. Et ideo, sicut unus non disponitur per actum alterius, ita unus alteri non meretur praemium essentiale: nisi meritum eius habeat efficaciam infinitam, sicut Christi, cuius merito solo pueri per baptismum ad vitam aeternam perveniunt. Sed poena temporalis pro peccato debita post culpae remissionem non taxatur secundum dispositionem eius cui debetur: quia quandoque ille qui est melior, habet maioris poenae reatum. Et ideo quantum ad poenae remissionem, unus alteri potest mereri; et actus unius efficitur alterius, caritate mediante, per quam *omnes unum sumus in Christo* *.

* *Ad Galat.*, cap. III, vers. 28.

Ad secundum dicendum quod contritio ordinatur contra culpam, quae ad dispositionem bonitatis vel malitiae hominis pertinet. Et ideo per contritionem unius alius a culpa non liberatur. – Similiter per confessionem homo se sacramentis Ecclesiae subiicit. Non autem potest unus sacramentum pro alio accipere: quia in sacramento gratia suscipienti datur, non alii. – Et ideo non est similis ratio de satisfactione, contritione et confessione.

Ad tertium dicendum quod in solutione debiti attenditur quantitas poenae: sed in merito attenditur radix caritatis. Et ideo ille qui ex caritate pro alio meretur, saltem merito congrui, etiam sibi magis meretur. Non autem qui pro alio satisfacit, pro se satisfacit: quia illa quantitas poenae non sufficit ad utrumque peccatum. Tamen sibi meretur maius quam sit dimissio poenae, scilicet vitam aeternam.

Ad quartum dicendum quod, si ipsemet ad aliquam poenam se obligasset, non prius a debito esset immunis quam si eam solvisset. Et ideo poenam ipse patietur, quandiu ille satisfactionem pro eo fecerit. Quam si non fecerit, tunc uterque est debitor illius poenae, unus pro commisso, alius pro omisso. Et ita non sequitur quod peccatum unum bis puniatur.

QUAESTIO DECIMAQUARTA

DE QUALITATE SATISFACTIONIS

Deinde considerandum est de qualitate satisfactionis *. Et circa hoc quaeruntur quinque.

* Cf. qu. XII, Introd.

Primo: utrum homo possit de uno peccato sine alio satisfacere.

Secundo: utrum ille qui de omnibus peccatis prius contritus fuit et postea in peccatum incidit, de aliis peccatis, quae sibi per contritionem fuerunt dimissa, satisfacere possit extra caritatem existens.

Tertio: utrum homo postquam caritatem habuit, valere sibi incipiat satisfactio praecedens.

Quarto: utrum opera extra caritatem facta sint alicuius boni meritoria.

Quinto: utrum opera praedicta valeant ad poenae infernalis mitigationem.

ART. I. UTRUM HOMO POSSIT DE UNO PECCATO SINE ALIO SATISFACERE

Part. III, qu. LXXXVI, art. 3.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod homo possit de uno peccato sine alio satisfacere. Eorum enim quae non habent connexionem ad invicem, unum potest auferri sine alio. Sed peccata non habent ad invicem connexionem: alias qui haberet unum haberet omnia. Ergo unum potest expiari sine alio per satisfactionem.

2. Praeterea, Deus est magis misericors quam homo. Sed homo recipit unius debiti solutionem sine alio. Ergo et Deus satisfactionem unius peccati sine alio.

3. Praeterea, *satisfactio,* ut in littera * dicitur, *est peccatorum causas excidere, nec suggestionibus aditum indulgere.* Sed contingit hoc de uno peccato sine alio: ut

* IV *Sent.*, dist. XV, cap. *His respondere.* - Cf. qu. XII, art. 3, arg. 1.

scilicet luxuriam refrenet et avaritiae insistat. Ergo de uno peccato potest fieri satisfactio sine alio.

* Vers. 4, 5.

Sed contra, Isaiae lviii *, ieiunium eorum qui *ad contentiones et lites ieiunabant,* Deo acceptum non erat, licet ieiunium sit satisfactionis opus. Sed non potest fieri satisfactio nisi per opus Deo acceptum. Ergo non potest qui habet aliquod peccatum, Deo satisfacere.

* Qu. xii, art. 3.

2. Praeterea, satisfactio est medicina curans peccata praeterita et praeservans a futuris, ut dictum est *. Sed peccata non possunt sine gratia curari. Ergo, cum quodlibet peccatum gratiam auferat, non potest de uno peccato sine alio fieri satisfactio.

* IV *Sent.*, dist. xv, cap. i.

Respondeo dicendum quod quidam dixerunt quod potest de uno peccato satisfieri sine alio: ut Magister in littera * dicit. – Sed hoc non potest esse. Cum enim per satisfactionem tolli debeat offensa praecedens, oportet quod talis sit modus satisfactionis qui competat ad tollendum offensam. Offensae autem ablatio est amicitiae restitutio. Et ideo, si aliquid sit quod amicitiae restitutionem impediat, etiam apud homines satisfactio esse non potest. Cum ergo quodlibet peccatum amicitiam caritatis impediat, quae est hominis ad Deum, impossibile est quod homo de uno peccato satisfaciat alio retento: sicut nec homini satisfaceret qui pro alapa sibi data ei se prosterneret et aliam simul daret.

Ad primum ergo dicendum quod, quia peccata non habent connexionem ad invicem in aliquo uno, unum potest quis incurrere sine alio. Sed unum et idem est secundum quod omnia peccata remittuntur. Et ideo remissiones diversorum peccatorum connexae sunt. Et ideo de uno sine alio satisfieri non potest.

Ad secundum dicendum quod in obligatione debiti non est nisi inaequalitas iustitiae opposita, quia unus rem alterius habet. Et ideo ad restitutionem non exigitur nisi quod restituatur aequalitas iustitiae. Quod quidem potest fieri de uno debito et non de alio. – Sed ubi est offensa, ibi est inaequalitas non tantum iustitiae opposita, sed etiam amicitiae. Et ideo ad hoc quod per satisfactionem offensa tollatur, non solum oportet quod aequalitas iustitiae restituatur per recompensationem aequalis poenae, sed etiam quod restituatur amicitiae aequalitas. Quod non potest fieri dum aliquid est quod amicitiam impediat.

* *Moral.* lib. XXV, cap. ix; in vet. cap. xii.

Ad tertium dicendum quod *unum peccatum suo pondere ad aliud trahit,* ut Gregorius dicit *. Ideo qui unum peccatum retinet, non sufficienter causas alterius peccati excidit.

ART. II. utrum aliquis de peccatis prius dimissis satisfacere possit extra caritatem existens

IV *Sent.*, dist. xxii, qu. i, art. 1, ad 5.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod qui de omnibus peccatis contritus fuit prius, et postea in peccatum incidit, de aliis peccatis, quae sibi per contritionem dimissa fuerunt, satisfacere possit extra caritatem existens. Dixit enim Daniel Nabuchodonosor, Dan. iv *: *Peccata tua eleemosynis redime.* Sed ipse adhuc peccator erat: quod sequens poena demonstrat *. Ergo potest in peccato existens satisfacere.

* Vers. 24.
* Vers. 25 sqq.

2. Praeterea, *nemo scit utrum sit dignus odio vel amore, Eccle.* ix *. Si ergo non possit fieri satisfactio nisi ab eo qui est in caritate, nullus sciret se satisfacere. Et hoc est inconveniens.

* Vers. 1.

3. Praeterea, ex intentione quam homo habet in principio actus, totus actus informatur. Sed poenitens, quando poenitentiam inchoavit, in caritate erat. Ergo tota satisfactio sequens ex illa caritate intentionem informante efficaciam habebit.

4. Praeterea, satisfactio consistit in quadam adaequatione poenae ad culpam. Sed talis adaequatio poenae potest etiam fieri in eo qui caritatem non habet. Ergo, etc.

* Vers. 12.

Sed contra, *Proverb.* x *: *Universa delicta operit caritas.* Sed satisfactionis est delere delicta. Ergo sine caritate non habet suam virtutem.

2. Praeterea, praecipuum opus in satisfaciendo est eleemosyna. Sed eleemosyna extra caritatem facta non valet: ut patet I *Cor.* xiii *: *Si distribuero in cibos pauperum,* etc. Ergo nec satisfactio aliqua est.

* Vers. 3.

Respondeo dicendum quod quidam dixerunt quod, postquam omnia peccata per praecedentem contritionem remissa sunt, si aliquis ante satisfactionem peractam in peccatum decidat, et in peccato existens satisfaciat, quod satisfactio talis ei valeat, ita quod, si in peccato illo moreretur, in inferno de illis peccatis non puniretur.

Sed hoc non potest esse. Quia in satisfactione oportet quod, etiam amicitia restituta, iustitiae aequalitas restituatur, cuius contrarium amicitiam tollit, ut Philosophus, in IX *Ethic.* *, dicit. Aequalitas autem in satisfactione ad Deum non est secundum aequivalentiam, sed magis secundum acceptationem ipsius. Et ideo oportet quod, etsi iam offensa sit dimissa per praecedentem contritionem, quod opera satisfactoria sint Deo accepta. Quod dat eis caritas. Et ideo sine caritate opera facta non sunt satisfactoria.

* Cap. i, n. 1 sqq.; s. Th. lect. i. – Cf. lib. VIII, cap. iv, n. 1 sqq.; s. Th. lect. iv.

Ad primum ergo dicendum quod consilium Daniel intelligitur quod a peccato cessaret, et poeniteret, et sic per eleemosynas satisfaceret.

Ad secundum dicendum quod, sicut homo nescit pro certo utrum caritatem habuerit in satisfaciendo vel habeat, ita etiam nescit pro certo utrum plene satisfecerit. Et ideo dicitur *Eccli.* v *: *De propitiatu peccatorum noli esse sine metu.* Nec tamen exigitur quod propter hunc metum homo satisfactionem expletam iteret, si conscientiam peccati mortalis non habet. Quamvis enim poenam non expiet per huiusmodi satisfactionem, tamen non incurrit reatum omissionis ex satisfactione neglecta: sicut nec ille qui accedit ad Eucharistiam sine conscientia peccati mortalis cui subiacet, reatum indignae sumptionis incurrit.

* Vers. 5.

Ad tertium dicendum quod intentio illa interrupta est per peccatum sequens. Et ideo non dat vim aliquam operibus post peccatum factis.

Ad quartum dicendum quod non potest fieri adaequatio sufficiens nec secundum divinam acceptationem, nec secundum aequivalentiam. Et ideo ratio illa non sequitur.

ART. III. utrum, postquam homo caritatem habuerit, valere incipiat satisfactio praecedens

Part. III, qu. lxxxix, art. 6, ad 3.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod, postquam homo caritatem habuerit, valere incipiat satisfactio praecedens. Super illud *Levit.* xxv *, *Si attenuatus fuerit frater tuus* etc., dicit Glossa * quod *fructus bonae conversionis debet computari ex eo tempore quo peccavit.* Sed non computarentur nisi aliquam efficaciam acciperent ex caritate sequenti. Ergo post caritatem recuperatam valere incipiunt.

* Vers. 25 sqq.
* Interlin.

2. Praeterea, sicut efficacia satisfactionis impeditur per peccatum, ita efficacia baptismi impeditur per fictionem. Sed baptismus incipit valere recedente fictione. Ergo satisfactio recedente peccato.

3. Praeterea, si alicui pro peccatis commissis iniuncta fuerint multa ieiunia, et in peccatum cadens ea perfecerit, non iniungitur, cum iterum confiteatur, ut ieiunia illa iteret. Iniungeretur autem ei si per ea satisfactio non impleretur. Ergo per poenitentiam sequentem opera praecedentia satisfaciendi efficaciam accipiunt.

Sed contra, opera extra caritatem facta ideo non erant satisfactoria quia fuerunt mortua *. Sed per poenitentiam non vivificantur. Ergo nec incipiunt esse satisfactoria.

* Part. III, qu. lxxxix, art. 6.

2. Praeterea, caritas non informat actum nisi qui ab ipsa aliqualiter procedit. Sed opera non possunt esse Deo accepta, ac per hoc nec satisfactoria, nisi sint caritate informata. Ergo, cum opera facta extra caritatem nullo modo ex caritate processerint, vel de cetero procedere possint, nullo modo poterunt in satisfactionem computari.

Respondeo dicendum quod quidam * dixerunt quod opera in caritate facta, quae viva dicuntur, sunt meritoria vitae aeternae, et satisfactoria respectu poenae dimittendae; et quod per caritatem sequentem opera extra caritatem facta vivificantur quantum ad hoc quod sunt satisfactoria, sed non quantum ad hoc quod sunt meritoria vitae aeternae. Sed hoc non potest esse. Quia utrumque habent ex

* Cf. Mag., IV *Sent.*, dist. xv, capp. *Quibusdam,* et *Ex his ostenditur;* s. Bonav. IV *Sent.*, dist. xv, p. i, art. unic., qu. iv.

eadem ratione opera ex caritate facta, scilicet ex hoc quod sunt Deo grata. Unde, sicut caritas adveniens non potest ea gratificare quantum ad unum, ita nec quantum ad aliud.

Ad primum ergo dicendum quod non debet intelligi quod fructus computetur a tempore quo primo in peccato fuit: sed a tempore in quo peccare cessavit, quo scilicet ultimo in peccato fuit.

Vel intelligitur quando statim post peccatum contritus fuit, et fecit multa bona antequam confiteretur.

Vel dicendum quod, quanto est maior contritio, tanto magis diminuit de poena; et quanto aliquis plura bona facit in peccato existens, magis se ad gratiam contritionis disponit; et ideo probabile est quod minoris poenae sit debitor. Et propter hoc deberet a sacerdote discrete computari, ut ei minorem poenam iniungat, inquantum invenit eum melius dispositum.

Ad secundum dicendum quod baptismus imprimit characterem in anima, non autem satisfactio. Et ideo adveniens caritas, quae fictionem tollit et peccatum, facit quod baptismus effectum suum habeat; non autem facit hoc de satisfactione. – Et praeterea baptismus ex ipso opere operato iustificat, quod non est hominis, sed Dei. Et ideo non eodem modo mortificatur sicut et satisfactio, quae est opus hominis.

Ad tertium dicendum quod aliquae satisfactiones sunt ex quibus manet aliquis effectus in satisfacientibus etiam postquam actus satisfactionis transit: sicut ex ieiunio manet corporis debilitatio, ex eleemosynarum largitione substantiae diminutio, et sic de similibus. Et tales satisfactiones in peccatis factae non oportet quod iterentur: quia quantum ad hoc quod de eis manet, per poenitentiam Deo acceptae sunt. Satisfactiones autem quae non relinquunt aliquem effectum in satisfaciente postquam actus transit, oportet quod iterentur: sicut est de oratione et similibus. Actus autem interior, quia totaliter transit, nullo modo vivificatur, sed oportet quod iteretur.

ART. IV. utrum opera extra caritatem facta sint alicuius boni meritoria, saltem temporalis

Part. III, qu. lxxxix, art. 6, ad 3; II *Sent.*, dist. xxvii, art. 4; *Qq. Dispp.*, *de Pot.*, qu. vi, art. 9; *de Malo*, qu. ii, art. 5, ad 7.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod opera extra caritatem facta sint alicuius boni meritoria, saltem temporalis. Quia sicut se habet poena ad malum actum, ita se habet praemium ad bonum. Sed nullum malum factum apud Deum, *iustum iudicem* *, est impunitum. Ergo nec aliquod bonum irremuneratum. Et sic per illud bonum aliquid meretur.

* II *ad Tim.*, cap. iv, vers. 8.

2. Praeterea, merces non datur nisi merito. Sed operibus extra caritatem factis merces datur: ut dicitur, Matth. vi *, de illis qui propter gloriam humanam opera bona faciunt, quod *receperunt mercedem suam*. Ergo illa fuerunt alicuius boni meritoria.

* Vers. 2, 5, 16.

3. Praeterea, duo existentes in peccato quorum unus multa bona facit ex genere et circumstantia, alius autem nulla, non aequaliter propinque se habent ad accipiendum bona a Deo: alias non esset ei consulendum ut aliquid boni faceret. Sed qui magis appropinquat Deo, magis de bonis eius percipit. Ergo iste per opera bona quae facit, aliquid a Deo meretur.

Sed contra est quod Augustinus dicit, quod *peccator non est dignus pane quo vescitur*. Ergo non potest aliquid a Deo mereri.

2. Praeterea, qui nihil est, non potest aliquid mereri. Sed peccator, non habens caritatem, *nihil est* secundum esse spirituale: ut patet I *Cor.* xiii *. Ergo non potest aliquid mereri.

* Vers. 2.

Respondeo dicendum quod meritum proprie dicitur actio qua efficitur ut ei qui agit sit iustum aliquid dari. Sed iustitia dupliciter dicitur. Uno modo, proprie: quae scilicet respicit debitum ex parte recipientis. Alio modo, quasi similitudinarie, quae respicit debitum ex parte dantis: aliquid enim decet dantem dare quod tamen non habet recipiens debitum recipiendi. Et sic iustitia dicitur *decentia divinae bonitatis:* sicut Anselmus dicit * quod *Deus iustus est cum peccatoribus parcit, quia eum decet.* Et secundum hoc, etiam meritum dupliciter dicitur. Uno modo, actus per quem efficitur ut ipse agens habeat debitum recipiendi. Et hoc vocatur *meritum condigni.* Alio modo, per quem efficitur ut sit debitum dandi in dante secundum decentiam ipsius. Et ideo hoc meritum dicitur *meritum congrui.*

* *Prosolog.* cap. x.

Cum autem in omnibus illis quae gratis dantur, prima ratio dandi sit amor, impossibile est quod aliquid tale sibi debitum faciat qui amicitia caret. Et ideo, cum omnia bona, et temporalia et aeterna, ex divina liberalitate donentur, nullus acquirere potest debitum recipiendi aliquod illorum nisi per caritatem ad Deum. Et ideo opera extra caritatem facta non sunt meritoria ex condigno neque aeterni neque temporalis alicuius boni apud Deum.

Sed quia divinam bonitatem decet ut, ubicumque dispositionem invenit, perfectionem adiiciat; ideo ex merito congrui dicitur aliquis mereri aliquod bonum per opera bona extra caritatem facta. Et secundum hoc, opera ista ad triplex bonum valent: scilicet ad temporalium consecutionem; ad dispositionem ad gratiam; et ad assuetudinem bonorum operum.

Quia tamen hoc meritum non proprie dicitur meritum, ideo magis concedendum est quod huiusmodi opera non sint alicuius meritoria, quam quod sint.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Philosophus dicit, VIII *Ethic.* *, quia filius per omnia quae facere potest, nihil aequale reddere patri potest his quae a patre recipit; ideo nunquam pater debitor filii efficitur. Et multo minus homo potest propter aequivalentiam operis Dominum sibi constituere debitorem. Et ideo nullum opus nostrum ex quantitate suae bonitatis habet quod aliquid mereatur: sed ex vi caritatis, quae facit ea quae sunt amicorum esse communia. Unde, quantumcumque sit opus bonum extra caritatem factum, non facit, proprie loquendo, quod aliquid recipiendi a Deo faciens debitum habeat. Sed opus malum ex quantitate suae malitiae secundum aequivalentiam poenam meretur: quia ex parte Dei non sunt nobis aliqua mala facta, sicut bona. Et ideo, quamvis opus malum mereatur poenam ex condigno, non tamen opus bonum sine caritate meretur ex condigno praemium.

* Cap. xiv, n. 4 - S. Th. lect. xiv.

Ad secundum et ad tertium dicendum quod procedunt de merito congrui.

Aliae autem rationes * procedunt de merito condigni.

* Argg. *Sed contra.*

ART. V. utrum opera praedicta valeant ad poenae infernalis mitigationem

Part. III, qu. lxxxix, art. 6, ad 3.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod opera praedicta non valent ad poenae infernalis mitigationem. Quia secundum quantitatem culpae erit quantitas poenae in inferno. Sed opera extra caritatem non minuunt quantitatem peccati. Ergo nec infernalis poenae.

2. Praeterea, poena infernalis, quamvis sit duratione infinita, tamen intensione finita est. Sed quodlibet finitum consumitur aliqua finita subtractione facta. Si ergo opera extra caritatem facta aliquid subtraherent de poena debita pro peccatis, contingeret tantum multiplicari illa opera quod totaliter tolleretur poena inferni. Quod falsum est.

3. Praeterea, suffragia Ecclesiae sunt magis efficacia quam opera extra caritatem facta. Sed, sicut ait Augustinus, in *Enchirid.* *, damnatis in inferno non prosunt suffragia Ecclesiae. Poenae ergo multo minus per opera extra caritatem facta mitigantur.

* Cap. cx.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in *Enchirid.* *, *quia ad hoc prosunt ut sit plena remissio, vel ut tolerabilior fiat damnatio.*

* Ibid.

2. Praeterea, maius est facere bonum quam dimittere malum. Sed dimittere malum semper vitat poenam, etiam in eo qui caritate caret. Ergo multo fortius facere bonum.

Respondeo dicendum quod diminuere poenam infernalem potest intelligi dupliciter. Uno modo, quod quis liberetur a poena quam iam meruit. Et sic, cum nullus liberetur a poena nisi sit absolutus a culpa, quia effectus non diminuuntur neque tolluntur nisi diminuta vel ablata causa; per opera extra caritatem facta, quia neque culpam

tollere neque diminuere possunt, poena inferni mitigari non potest.

Alio modo, quod meritum poenae impediatur. Et sic huiusmodi opera minuunt poenam inferni. Primo, quia homo reatum omissionis evadit qui huiusmodi opera perficit. – Secundo, quia huiusmodi opera aliquo modo ad bonum disponunt: ut homo ex minori contemptu etiam peccata faciat; vel etiam a multis peccatis per huiusmodi opera retrahatur.

Sed diminutionem vel dilationem temporalis poenae merentur huiusmodi opera, sicut dicitur de Achab, III *Reg.* XXI *, eodem modo sicut et bonorum temporalium consecutionem *.

* Vers. 27 sqq. — * Cf. art. praec.

Quidam autem dicunt quod diminuunt poenam inferni, non subtrahendo aliquid de ipsa quantum ad substantiam, sed fortificando subiectum ut melius sustinere possit. – Sed hoc non potest esse. Quia fortificatio non est nisi ex ablatione passibilitatis. Passibilitas autem est secundum mensuram culpae. Et ideo, si culpa non minuitur, nec subiectum fortificari potest *.

* Cf. qu. LXXI, art. 5.

Quidam etiam dicunt quod diminuitur poena quantum ad vermem conscientiae, licet non quantum ad ignem. – Sed hoc etiam nihil est. Quia sicut poena ignis aequatur culpae, ita et poena remorsionis conscientiae. Unde similis ratio est de utroque.

Et per hoc patet solutio ad obiecta.

QUAESTIO DECIMAQUINTA

DE HIS PER QUAE SATISFACTIO FIT

Deinde considerandum est de his per quae satisfactio fit *. Circa quod quaeruntur tria.

* Cf. qu. XII, Introd.

Primo: utrum satisfactionem oporteat fieri per opera poenalia.

Secundo: utrum flagella quibus a Deo in hac vita homo punitur, sint satisfactoria.

Tertio: utrum convenienter enumerentur opera satisfactoria, cum dicitur quod sunt tria, scilicet eleemosyna, ieiunium et oratio.

ART. I. UTRUM SATISFACTIONEM OPORTEAT FIERI PER OPERA POENALIA

III *Cont. Gent.*, cap. CLVIII.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod satisfactionem non oporteat fieri per opera poenalia. Quia per satisfactionem oportet fieri recompensationem ad divinam offensam. Sed nulla recompensatio videtur fieri per opera poenalia: quia *Deus non delectatur in poenis nostris* *. Ergo non oportet satisfactionem per opera poenalia fieri.

* Tob. cap. III, vers. 22. - Cf. Greg. *Pastoral.* part. III, cap. XXX, al. LIV.

2. Praeterea, quanto aliquod opus ex maiori caritate procedit, tanto minus est poenale: quia *caritas poenam non habet,* I Ioan. IV *. Si ergo oportet opera satisfactoria esse poenalia, quanto magis sunt ex caritate facta, minus erunt satisfactoria. Quod falsum est.

* Vers. 18.

3. Praeterea, satisfacere, ut dicit Anselmus *, est *honorem debitum Deo impendere.* Sed hoc etiam aliis quam operibus poenalibus fieri potest. Ergo satisfactionem non oportet poenalibus operibus fieri.

* *Cur Deus homo,* lib. I, cap. XI.

Sed contra est quod Gregorius dicit *: *Iustum est ut peccator tanto maiora sibi inferat lamenta per poenitentiam, quanto maiora intulit damna per culpam.*

* Homil. XX *in Evang.*, n. 8.

2. Praeterea, per satisfactionem oportet peccati vulnus sanari perfecte. Sed peccatorum *medicinae sunt poenae:* ut Philosophus dicit, II *Ethic.* * Ergo oportet quod per poenalia opera satisfactio fiat.

* Cap. III, n. 4. - S. Th. lect. III.

Respondeo dicendum quod satisfactio respectum habet et ad praeteritam offensam, pro qua recompensatio fit per satisfactionem; et etiam ad futuram culpam, a qua per eam praeservamur *. Et quantum ad utrumque exigit quod satisfactio per opera poenalia fiat. Recompensatio enim offensae importat adaequationem quam oportet esse eius qui offendit ad eum in quem offensa commissa est. Adaequatio autem in humana iustitia attenditur per subtractionem ab uno qui plus habuit iusto, et additionem ad alterum cui subtractum est aliquid. Deo autem quamvis, quantum ex parte sua est, nihil subtrahi possit, tamen peccator, quantum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando, ut dictum est *. Unde oportet, ad hoc quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur de peccante per satisfactionem quod in honorem Dei cedat. Opus autem bonum, ex hoc quod est huiusmodi, non subtrahit aliquid ab operante, sed magis perficit ipsum. Unde subtractio non potest fieri per opus bonum nisi poenale sit. Et ideo, ad hoc quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod sit bonum, ut in honorem Dei sit; et poenale, ut aliquid peccatori subtrahatur.

* Cf. qu. XII, art. 3. — * Ibid., ad 4.

Similiter etiam poena a culpa futura praeservat: quia non facile homo ad peccata redit ex quo poenam expertus est. Unde, secundum Philosophum *, *poenae medicinae sunt.*

* Cf. arg. *Sed cont.* 2.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis Deus non delectetur in poenis ut sunt poenae, delectatur tamen in eis ut sunt iustae. Et sic satisfactoriae esse possunt.

Ad secundum dicendum quod, sicut in satisfactione consideratur poenalitas, ita in merito consideratur difficultas. Diminutio autem difficultatis ex parte ipsius actus diminuit, ceteris paribus, meritum: sed diminutio difficultatis ex promptitudine voluntatis non diminuit meritum, sed auget. Et similiter diminutio poenalitatis ex promptitudine voluntatis, quod facit caritas, non diminuit efficaciam satisfactionis, sed auget.

Ad tertium dicendum quod debitum pro peccato est recompensatio offensae, quae sine poena peccantis non fit. Et de tali debito Anselmus intelligit.

ART. II. UTRUM FLAGELLA QUIBUS A DEO IN HAC VITA PUNIMUR, POSSINT SATISFACTORIA ESSE

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod flagella quibus a Deo in hac vita punimur, non possint satisfactoria esse. Nihil enim potest esse satisfactorium nisi quod est meritorium, ut ex dictis * patet. Sed non meremur nisi per ea quae in nobis sunt *. Cum ergo flagella quibus a Deo punimur, non sint in nobis, videtur quod satisfactoria esse non possunt.

* Qu. XIV, art. 3. — * Cf. Iam IIae, qu. CXIV, art. 1, 4, 6.

2. Praeterea, satisfactio tantum bonorum est. Sed huiusmodi flagella in malis inducuntur, et praecipue eis debentur. Ergo non possunt esse satisfactoria.

3. Praeterea, satisfactio respicit peccata praeterita. Sed aliquando ista flagella infliguntur illis qui peccata non habent: sicut de Iob patet *. Ergo videtur quod non sint satisfactoria.

* *Iob* cap. I, II.

Sed contra est quod dicitur *Rom.* V *: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem:* idest *a peccato purgationem*, ut Glossa * ibidem dicit. Ergo flagella peccata purgant. Et sic sunt satisfactoria.

* Vers. 3, 4. — * Interl. et Lomb.

2. Praeterea, Ambrosius dicit *: *Etsi fides,* idest peccati conscientia, *desit, poena satisfacit.* Ergo huiusmodi flagella sunt satisfactoria.

* *Sup. Ps. CXVIII,* serm. XVIII, n. 2. - Cf. can. *Prima consolatio*, dist. III, *de Poenit.*

Respondeo dicendum quod recompensatio offensae praeteritae potest fieri et ab eo qui offendit, et ab alio. Quando autem fit ab alio, talis recompensatio vindicationis magis quam satisfactionis rationem habet: quando autem fit ab ipso qui offendit, etiam rationem satisfactionis habet. Unde, si flagella quae pro peccatis a Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis, rationem satisfactionis accipiunt. Fiunt autem ipsius inquantum ea acceptat ad purgationem peccatorum, eis utens patienter. Si autem omnino eis per impatientiam dissentiat, tunc non efficiuntur aliquo modo ipsius. Et ideo non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis tantum.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis illa flagella non sint omnino in potestate nostra, tamen quantum ad aliquid sunt, ut scilicet eis patienter utamur. Et sic homo *facit de necessitate virtutem* *. Unde et meritoria et satisfactoria esse possunt.

* Hieron. Epist. LIV, al. X, *ad Furiam.*

Ad secundum dicendum quod, sicut *ex eodem igne,* ut Gregorius * dicit, *aurum rutilat et palea fumat,* ita etiam eisdem flagellis et boni purgantur, et mali magis infitiuntur per impatientiam. Et ideo, quamvis flagella sint communia, tamen satisfactio tantum est bonorum.

* Aug. *de Civ. Dei,* lib. I, cap. VIII.

Ad tertium dicendum quod flagella respectum habent ad culpam praeteritam semper: sed non semper ad culpam personae, sed ad culpam naturae. Si enim in humana natura nulla culpa praecessisset, nulla poena fuisset. Sed quia culpa in natura praecessit, personae alicui divinitus poena infertur sine culpa personae, ad meritum virtutis et cautelam peccati sequentis. Et haec duo etiam necessaria sunt in satisfactione. Oportet enim esse opus meritorium, ut honor Deo exhibeatur; et oportet esse virtutum custodiam, ut a futuris peccatis praeservemur.

ART. III. UTRUM CONVENIENTER ENUMERENTUR OPERA SATISFACTORIA, CUM DICITUR QUOD SUNT TRIA: ELEEMOSYNA, IEIUNIUM ET ORATIO

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod inconvenienter enumerentur opera satisfactoria, cum dicitur quod sunt tria: eleemosyna, ieiunium et oratio. Quia opus satisfactorium debet esse poenale. Sed oratio poenam non habet, cum sit contra poenae tristitiam medicina, sed delectationem: unde dicitur Iac. v *: *Tristatur aliquis in vobis? Oret et psallat.* Ergo non debet computari inter opera satisfactoria.

* Vers. 13.

2. Praeterea, omne peccatum vel est carnale vel spirituale. Sed, sicut dicit Hieronymus *, *ieiunio sanantur pestes corporis, oratione pestes mentis.* Ergo non debet esse aliquod aliud opus satisfactorium.

* *Comment. in Marc.*, ad cap. IX, vers. 28. - Inter Opp. Hieron.

3. Praeterea, satisfactio est necessaria ad emundationem peccatorum. Sed eleemosyna ab omnibus peccatis emundat, Luc. XI *: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis.* Ergo alia duo sunt superflua.

* Vers. 41.

Sed contra, videtur quod debeant esse plura. Quia *contraria contrariis curantur* *. Sed multo plura sunt peccatorum genera quam tria. Ergo debent plura satisfactionis opera computari.

* Cf. qu. II, art. 3, arg. 1.

2. Praeterea, peregrinationes etiam iniunguntur pro satisfactione, et disciplinae sive flagellationes, quae non computantur sub aliquo horum. Ergo insufficienter enumerantur.

Respondeo dicendum quod satisfactio debet esse talis per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei. Nos autem non habemus nisi tria bona: scilicet bona animae, et bona corporis, et bona fortunae, scilicet exteriora. Ex bonis quidem fortunae subtrahimus nobis aliquid per eleemosynam: sed ex bonis corporalibus per ieiunium. Ex bonis autem animae non oportet quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam vel quantum ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficimur Deo accepti: sed per hoc quod ea submittimus Deo totaliter. Et hoc fit per orationem.

Competit etiam iste numerus ex parte illa qua satisfactio *peccatorum causas excidit* *. Quia radices peccatorum tres ponuntur, I Ioan. II *: scilicet *concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae.* Et contra concupiscentiam carnis ordinatur ieiunium; contra concupiscentiam oculorum ordinatur eleemosyna; contra superbiam vitae ordinatur oratio; ut Augustinus dicit, super *Matthaeum* *.

* Cf. qu. XII, art. 3, arg. 1.
* Vers. 16.
* Cf. *Enarrat. in Ps.* XLII, in fine.

Competit etiam quantum ad hoc quod satisfactio *peccatorum est suggestionibus aditum non indulgere* *. Quia omne peccatum vel in Deum committimus: et contra hoc ordinatur oratio. Vel in proximum: et contra hoc eleemosyna. Vel in nos ipsos: et contra hoc ordinatur ieiunium.

* Cf. qu. XII, art. 3, arg. 1.

Ad primum ergo dicendum quod, secundum quosdam *, duplex est oratio. Quaedam quae est contemplativorum, quorum *conversatio in caelis est* *. Et talis, quia totaliter est delectabilis, non est satisfactoria. Alia est quae pro peccatis gemitus fundit. Et talis habet poenam; et est satisfactionis pars.

* Cf. Autissiod. *Sum. Aur.* lib. III, tr. VII, qu. 2.
* *Ad Philipp.*, cap. III, vers. 20.

Vel dicendum melius quod quaelibet oratio habet rationem satisfactionis, quia, quamvis habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis: quia, ut dicit Gregorius, *super Ezech.* *, *dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmamur procul dubio fortitudine carnis.* Unde etiam *nervus femoris Iacob ex lucta angeli emarcuisse* legitur in *Genesi* *.

* Homil. XIV, n. 13.
* Cap. XXXII, vers. 24, 25.

Ad secundum dicendum quod peccatum carnale dicitur dupliciter. Uno modo, quod in ipsa delectatione carnis completur: ut gula et luxuria. Alio modo, quod completur in his quae ad carnem ordinantur, quamvis non in delectatione carnis, sed in delectatione animae magis: ut avaritia. Unde talia peccata sunt quasi media inter spiritualia et carnalia. Et ideo oportet quod eis etiam aliqua satisfactio respondeat propria, scilicet eleemosyna.

Ad tertium dicendum quod, quamvis singula istorum per quandam convenientiam singulis peccatis approprientur, quia congruum est ut *in quo quis peccaverit, in hoc puniatur* *, et quod peccati commissi per satisfactionem radix abscindatur; tamen quodlibet horum pro quolibet peccato satisfacere potest. Unde ei qui non potest unum ex his perficere, iniungatur aliud. Et praecipue eleemosyna aliorum vices supplere potest: inquantum alia satisfactionis opera per eleemosynam quisque sibi mercatur quodammodo in illis quibus eleemosynam tribuit. Unde non oportet quod, si eleemosyna omnia mundat peccata, quod propter hoc aliae satisfactiones superfluant.

* *Sap.* cap. XI, vers. 17.

Ad quartum * dicendum quod, quamvis sint multa peccata in specie, tamen omnia ad illas tres radices, vel ad illa tria peccatorum genera, quibus diximus * dictas satisfactiones respondere, reducuntur.

* Arg. *Sed contra* 1.
* In corpore.

Ad quintum * dicendum quod quidquid ad afflictionem corporis pertinet, totum ad ieiunium refertur; et quidquid in proximi utilitate expenditur, totum eleemosynae rationem habet; et similiter quaecumque latria exhibeatur Deo, orationis accipit rationem. Et ideo etiam unum opus potest habere plures rationes satisfaciendi.

* Arg. *Sed contra* 2.

QUAESTIO DECIMASEXTA

DE SUSCIPIENTIBUS HOC SACRAMENTUM

Deinde considerandum est de suscipientibus hoc sacramentum *.

* Cf. Part. III, qu. LXXXIV, Introd.

Circa quod tria quaeruntur.

Primo: utrum poenitentia possit esse in innocentibus.
Secundo: utrum in sanctis qui sunt in gloria.
Tertio: utrum in angelis bonis seu malis.

ART. I. UTRUM IN INNOCENTIBUS POENITENTIA ESSE POSSIT

Part. I, qu. XC, art. 3; IV *Sent.*, dist. XVII, qu. III, art. 2, qu^a 2, ad 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod in innocentibus poenitentia esse non possit. Quia poenitentia est *commissa mala plangere* *. Sed innocentes nullum malum commiserunt. Ergo in eis poenitentia non est.

2. Praeterea, poenitentia ex suo nomine importat *poenam* *. Sed innocentibus non debetur poena. Ergo non est in eis poenitentia.

3. Praeterea, poenitentia in idem coincidit cum vindicativa iustitia *. Sed, omnibus existentibus innocentibus, vindicativa iustitia locum non haberet. Ergo nec poenitentia. Et ita non est in innocentibus.

* Ambros. Serm. XXV, al. *de Quadrag.* IX, n. 1. - Cf. cap. *Poenitentia est*, dist. III, *de Poenit.* Mag. IV *Sent.*, dist. XIV, cap. 1.
* *De Vera et fals. Poenit.*, cap. XIX. - Inter Opp. Aug.
* Cf. qu. XII, art. 3.

Sed contra, omnes virtutes simul infunduntur. Sed poenitentia est virtus. Cum ergo in baptismo innocentibus infundantur aliae virtutes, infunditur etiam poenitentia.

2. Praeterea, ille qui nunquam fuit infirmus corporaliter, dicitur sanabilis. Ergo et similiter qui nunquam fuit infirmus spiritualiter. Sed, sicut sanatio in actu a vulnere peccati non est nisi per actum poenitentiae, ita nec sanabilitas nisi per habitum. Ergo ille qui nunquam habuit infirmitatem peccati, habet habitum poenitentiae.

Respondeo dicendum quod habitus medius est inter potentiam et actum. Et quia, remoto priori removetur posterius, non autem e converso; ideo, remota potentia ad actum, removetur habitus, non autem remoto actu. Et quia subtractio materiae tollit actum, propter hoc quod actus non potest esse sine materia in quam transit; ideo habitus alicuius virtutis competit alicui cui non suppetit materia, propter hoc quod suppetere potest, et ita in actum exire: sicut pauper homo potest habere habitum magnificentiae, sed non actum, quia non habet magnitudinem divitiarum, quae sunt materia magnificentiae; sed potest habere habitum. Et ideo, cum innocentes in statu innocentiae non habeant peccata commissa, quae sunt materia

poenitentiae, sed possunt habere, actus poenitentiae in eis esse non potest, sed habitus potest. Et hoc si gratiam habeant, cum qua omnes virtutes infunduntur.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis non commiserint, possunt tamen committere. Et ideo eis habitum poenitentiae habere competit. Sed tamen habitus iste nunquam in actum exire potest, nisi forte respectu venialium peccatorum: quia peccata mortalia tollunt ipsum. Nec tamen est frustra: quia est perfectio potentiae naturalis.

Ad secundum dicendum quod, quamvis non sit eis debita poena actu, tamen in eis est possibile esse aliquid pro quo eis poena debeatur.

Ad tertium dicendum quod, remanente potentia ad peccandum, adhuc haberet locum vindicativa iustitia secundum habitum: quamvis non secundum actum, si peccata actu non essent.

ART. II. Utrum sancti homines qui sunt in gloria, habeant poenitentiam

Art. 3, ad 4.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod sancti homines qui sunt in gloria, non habeant poenitentiam. Quia, sicut dicit Gregorius, in *Moral.* *: *Beati peccatorum recordantur sicut nos sani sine dolore dolorum memoramur.* Sed poenitentia est *dolor cordis* *. Ergo sancti in patria non habent poenitentiam.

[* Lib. IV, cap. xxxvi, al. xxxi; vet. xlii. — * Cf. Isidor. *de Sum. Bono.* lib. II, cap. xii.]

2. Praeterea, sancti in patria sunt Christo conformes. Sed in Christo non fuit poenitentia: quia nec fides, quae est principium poenitentiae. Ergo nec sanctis in patria erit poenitentia.

3. Praeterea, frustra est habitus qui ad actum non reducitur. Sed sancti in patria non poenitebunt actu: quia sic eis esset aliquid contra votum. Ergo non est in eis habitus poenitentiae.

Sed contra, poenitentia est pars iustitiae *. Sed *iustitia est perpetua et immortalis* *, et in patria remanebit. Ergo et poenitentia.

[* Cf. Part. III, qu. lxxxv, art. 3. — * *Sap.* cap. 1, vers. 15.]

2. Praeterea, in *Vitis Patrum* legitur a quodam Patre dictum quod etiam Abraham poenitebit de hoc quod non plura bona fecit. Sed magis debet homo poenitere de malo commisso quam de bono omisso ad quod non tenebatur (quia de bono tali loquitur). Ergo erit ibi poenitentia de malis commissis.

Respondeo dicendum quod virtutes cardinales remanebunt in patria, sed secundum actus quos habent in fine suo *. Et ideo, cum poenitentia virtus sit pars iustitiae, quae est habitus cardinalis, quicumque habet habitum poenitentiae in hac vita, habebit in futura. Sed non habebit eundem actum quem nunc habet, sed alium: scilicet gratias agere Deo pro misericordia relaxante peccata.

[* Cf. Iam IIae, qu. lxvii, art. 1.]

Ad primum ergo dicendum quod illa auctoritas probat quod non habent eundem actum quem hic habet poenitentia. Et hoc concedimus.

Ad secundum dicendum quod Christus non potuit peccare. Et ideo materia huius virtutis non competit sibi nec actu nec potentia. Et propter hoc non est simile de ipso et de aliis.

Ad tertium dicendum quod poenitere, proprie loquendo, prout dicit actum poenitentiae qui nunc est, non erit in patria. Nec tamen habitus frustra erit: quia alium actum habebit.

Quartum * concedimus.

Sed quia quinta ratio * probat quod etiam idem actus poenitentiae erit in patria qui modo est: ideo dicendum ad quintum quod voluntas nostra in patria omnino erit conformis voluntati Dei. Unde, sicut Deus voluntate antecedente vult omnia esse bona et per consequens nihil esse mali, non autem voluntate consequente; ita etiam est de beatis. Et talis voluntas improprie dicitur ab illo sancto Patre poenitentia.

[* Arg. *Sed contra* 1. — * Arg. *Sed contra* 2.]

ART. III. Utrum etiam angelus, bonus seu malus, sit susceptivus poenitentiae

Part. I, qu. lxiv, art. 2; II *Sent.*, dist. vii, qu. 1, art. 2; *De Malo*, qu. xvi. art. 5.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod etiam angelus, bonus seu malus, sit susceptivus poenitentiae. Quia timor est initium poenitentiae *. Sed in eis est timor: Iac. ii *, *Daemones credunt et contremiscunt.* Ergo in eis potest esse poenitentia.

[* Part. III, qu. lxxxv, art. 5. — * Vers. 19.]

2. Praeterea, Philosophus dicit, IX *Ethic.* *, quod *poenitudine replentur mali*, et haec est maxima poena eis. Sed daemones maxime sunt pravi, nec aliqua poena eis deest. Ergo daemones possunt poenitere.

[* Cap. iv, n. 10. - S. Th. lect. iv.]

3. Praeterea, facilius movetur aliquid in id quod est secundum naturam, quam in id quod est contra naturam: sicut aqua quae per violentiam calefacta est, etiam per seipsam ad naturalem proprietatem redit. Sed angelus potest mutari in peccatum, quod est contra omnem naturam eorum *. Ergo multo fortius potest revocari in id quod est secundum naturam. Sed hoc facit poenitentia. Ergo sunt susceptibiles poenitentiae.

[* Cf. Damasc. *de Fide Orth.* lib. II, cap. iv.]

4. Praeterea, idem iudicium est, secundum Damascenum *, de angelis et de animabus separatis. Sed in animabus separatis potest esse poenitentia, ut quidam * dicunt: sicut in animabus beatis quae sunt in patria *. Ergo et in angelis potest esse poenitentia.

[* Ibid., cap. xii. — * Mag. IV *Sent.*, dist. xxi; s. Bonav. ibid. p. 1, art. 2, qu. 1. - Cf. Orig. *Peri Archon.* lib. I, cap. vi. — * Cf. art. 2, arg. *Sed contra* 2.]

Sed contra, per poenitentiam homo reparatur ad vitam, peccato dimisso. Sed hoc est impossibile in angelis. Ergo non sunt susceptibiles poenitentiae.

2. Praeterea, Damascenus dicit * quod *homo fungitur poenitentia propter corporis infirmitatem.* Sed angeli sunt incorporei. Ergo in eis non potest esse poenitentia.

[* *De Fide Orth.* lib. II, cap. iii.]

Respondeo dicendum quod poenitentia in nobis dupliciter accipitur. Uno modo, secundum quod est passio: sic enim nihil aliud est quam dolor vel tristitia de malo commisso. Et quamvis, secundum quod est passio, non sit nisi in concupiscibili, tamen aliquis actus voluntatis similitudinarie poenitentia dicitur, quo quis detestatur quod facit: sicut amor et aliae passiones dicuntur in intellectivo appetitu.

Alio modo accipitur secundum quod est virtus. Et hoc modo detestari malum commissum cum emendationis proposito et intentione expiandi, vel Deum placandi de offensa commissa, est actus eius. Detestatio autem competit alicui secundum quod habet ordinem naturalem ad bonum. Et quia in nulla creatura talis ordinatio totaliter tollitur, ideo etiam in damnatis talis detestatio manet: et per consequens poenitentiae passio, vel simile ei, ut dicitur *Sap.* v *: *Intra se poenitentiam agentes.* Et haec quidem poenitentia, cum non sit habitus, sed passio vel actus, nullo modo in beatis angelis esse potest, in quibus peccata commissa non praecesserunt: sed in malis angelis est, cum sit eadem ratio de his et de animabus damnatis, quia, secundum Damascenum *, *quod homini est mors, est angelis casus.* Sed peccatum angeli est irremissibile. Et quia peccatum ut remissibile est vel expiabile, est propria materia ipsius virtutis quae poenitentia dicitur; ideo, cum materia non possit eis competere, non adest eis potentia exeundi in actum. Et ideo nec habitus eis convenit. Et ideo angeli susceptivi virtutis poenitentiae esse non possunt.

[* Vers. 3. — * Loc. cit. cap. iv.]

Ad primum ergo dicendum quod ex timore in eis generatur aliquis poenitentiae motus, sed non quae sit virtus.

Et similiter dicendum ad secundum.

Ad tertium dicendum quod quidquid in eis est naturale, totum est bonum et ad bonum inclinans: sed liberum arbitrium est in eis in malitia obstinatum. Et quia motus virtutis et vitii non sequitur inclinationem naturae, sed magis motum liberi arbitrii; ideo non oportet quod, quamvis naturaliter inclinentur ad bonum, quod motus virtutis in eis sit vel esse possit.

Ad quartum dicendum quod non est eadem ratio de angelis sanctis et de animabus sanctis: quia in animabus sanctis praecessit, vel praecedere potuit peccatum remissibile; non autem in angelis. Et ita, quamvis sint similes quantum ad statum praesentem, non tamen quantum ad statum praeteritum, quem poenitentia respicit directe.

QUAESTIO DECIMASEPTIMA

DE CLAVIBUS ECCLESIAE

Consequenter considerandum est de potestate ministrorum huius sacramenti, quae ad claves pertinet *. Circa quod, primo videndum est de clavibus; secundo, de excommunicatione *; tertio, de indulgentia **; haec enim duo sunt annexa potestati clavium *.

Circa primum consideranda sunt quatuor: primo, de entitate et quidditate clavium; secundo, de effectu earum *; tertio, de ministris clavium *; quarto, de his in quibus potest exerceri usus clavium *.

* Cf. Part. III, qu. LXXXIV, Introd.
* Qu. XXI.
** Qu. XXV.
* Cf. qu. XXII, art. 2, arg. 1; qu. XXV, art. 2, arg. 1.
* Qu. XVIII.
* Qu. XIX.
* Qu. XX.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo: utrum claves in Ecclesia esse debeant.

Secundo: utrum clavis sit potestas ligandi atque solvendi.

Tertio: utrum sint duae claves vel una.

ART. I. UTRUM CLAVES IN ECCLESIA ESSE DEBEANT

Ad primum sic proceditur. Videtur quod claves in Ecclesia esse non debeant. Non enim requiruntur claves ad intrandum domum cuius ostium est apertum. Sed *Apoc.* IV * dicitur: *Vidi, et ecce in caelo ostium apertum:* quod Christus est, qui de seipso dicit *: *Ego sum ostium.* Ergo ad introitum caeli Ecclesia clavibus non indiget.

* Vers. 1.
* Ioan. cap. X, vers. 7.

2. Praeterea, clavis est ad aperiendum et claudendum. Sed hoc solius Christi est, qui *aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit, Apoc.* III *. Ergo Ecclesia in ministris suis claves non habet.

* Vers. 7. - Cf. Isai. cap. XXII, vers. 22.

3. Praeterea, cuicumque clauditur caelum, aperitur infernus, et e contrario. Ergo quicumque habet claves caeli, habet claves inferni. Sed Ecclesia non dicitur habere claves inferni. Ergo nec claves caeli habet.

Sed contra est quod dicitur Matth. XVI *: *Tibi dabo claves regni caelorum.*

* Vers. 19.

2. Praeterea, omnis dispensator debet habere claves eorum quae dispensat. Sed ministri Ecclesiae sunt *dispensatores divinorum mysteriorum,* ut patet I *Cor.* IV *. Ergo debent habere claves.

* Vers. 1.

Respondeo dicendum quod in corporalibus dicitur clavis instrumentum quo ostium aperitur. Regni autem ostium nobis per peccatum clauditur, et quantum ad maculam, et quantum ad reatum poenae. Et ideo potestas qua tale obstaculum Regni removetur, dicitur clavis.

Haec autem potestas est in divina Trinitate per auctoritatem. Et ideo dicitur a quibusdam * quod habet *clavem auctoritatis.*

* Cf. Halens. *Sum.* p. IV, qu. XX, memb. 1.

Sed in Christo homine fuit haec potestas ad removendum praedictum obstaculum per meritum passionis, quae etiam dicitur *ianuam aperire* *. Et ideo dicitur habere, secundum quosdam *, *claves excellentiae.*

* Cf. Part. III, qu. XLIX, art. 5.
* Cf. Halens., ubi supra.

Sed quia *ex latere dormientis in cruce sacramenta fluxerunt, quibus Ecclesia fabricatur* *, ideo in sacramentis Ecclesiae efficacia passionis manet. Et propter hoc etiam ministris Ecclesiae, qui sunt dispensatores sacramentorum, potestas aliqua ad praedictum obstaculum removendum est collata, non propria, sed virtute divina et passionis Christi. Et haec potestas metaphorice *clavis Ecclesiae* dicitur, quae est *clavis ministerii* *.

* Aug. *Enarr.* in Ps. CXXXVIII, n. 2; Gloss. Ord. et Lomb. in *Rom.* cap. V, vers. 14.
* Cf. Halens. loc. cit.

Ad primum ergo dicendum quod ostium caeli, quantum est de se, semper est apertum: sed alicui clausum dicitur propter impedimentum intrandi in caelum quod in ipso est. Impedimentum autem totius humanae naturae, ex peccato primi hominis consecutum, per passionem Christi amotum est. Et ideo Ioannes post passionem *vidit in caelo ostium apertum.* Sed adhuc quotidie alicui manet clausum propter peccatum originale, quod contrahit, vel actuale, quod committit. Et propter hoc indigemus sacramentis et clavibus Ecclesiae.

Ad secundum dicendum quod hoc intelligitur de clausione qua limbum clausit, ne aliquis ultra in illum descendat; et de apertione qua paradisum aperuit, remoto impedimento naturae per suam passionem.

Ad tertium dicendum quod clavis inferni, qua aperitur et clauditur, est potestas gratiam conferendi, per quam homini aperitur infernus, ut de peccato educatur, quod est inferni porta; et clauditur, ne ultra homo in peccatum labatur, gratia sustentatus. Gratiam autem conferre solius Dei est. Et ideo clavem inferni sibi soli retinuit. Sed clavis Regni est potestas etiam dimittendi reatum poenae, per quem homo a Regno prohibetur. Et ideo magis potest dari homini clavis Regni quam clavis inferni: non enim idem sunt, ut ex dictis patet. Aliquis enim de inferno educitur per remissionem aeternae poenae, qui non in instanti in Regnum introducitur, propter reatum temporalis poenae, qui manet.

Vel dicendum est, ut quidam dicunt, quod eadem est clavis inferni et caeli, quia ex hoc ipso quod alicui aperitur unum, clauditur alterum: sed denominatur a digniori.

ART. II. UTRUM CLAVIS SIT POTESTAS LIGANDI ET SOLVENDI

In Matth., cap. XVI.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod clavis non sit *potestas ligandi et solvendi, qua ecclesiasticus iudex dignos recipere, indignos excludere debet a Regno:* ut ex littera * habetur, et ex Glossa Hieronymi **, Matth. XVI ***. Potestas enim spiritualis in sacramento collata est idem quod character *. Sed clavis et character non videntur idem esse: quia per characterem homo Deo comparatur, per claves autem ad subditos. Ergo clavis non est *potestas.*

* IV *Sent.*, dist. XVIII, cap. *Claves istae.*
** Ord. ex Beda, *Comment. in Matth.* lib. III.
*** Vers. 19.
* Cf. Part. III, qu. LXIII.

2. Praeterea, iudex ecclesiasticus non dicitur nisi ille qui habet iurisdictionem: quae simul cum ordine non datur. Sed claves in ordinis susceptione conferuntur. Ergo non debuit de *ecclesiastico iudice* in definitione clavium mentio fieri.

3. Praeterea, ad id quod aliquis habet ex seipso, non indiget aliqua potestate activa per quam inducatur ad actum. Sed eo ipso quod aliquis est dignus, ad Regnum admittitur. Ergo non pertinet ad potestatem clavium *dignos ad Regnum admittere.*

4. Praeterea, peccatores indigni sunt Regno. Sed Ecclesia pro peccatoribus orat ut ad Regnum perveniant. Ergo non *excludit indignos,* sed magis admittit, quantum in se est.

5. Praeterea, in omnibus agentibus ordinatis ultimus finis pertinet ad principale agens, non ad agens instrumentale. Sed principale agens ad salutem hominis est Deus. Ergo ad eum pertinet ad Regnum admittere, quod est ultimus finis; et non ad habentem claves, qui est sicut instrumentum vel minister.

Respondeo dicendum quod, secundum Philosophum, in II *de Anima* *, potentiae per actus definiuntur. Unde, cum clavis sit potentia quaedam, oportet quod per actum vel per usum suum definiatur; et quod in actu obiectum exprimatur, a quo speciem recipit actus et modus agendi, ex quo apparet potentia ordinata. Actus autem potestatis spiritualis non est ut caelum aperiat absolute, quia iam apertum est, ut dictum est *: sed ut quantum ad hunc aperiat. Quod quidem ordinate fieri non potest nisi idoneitate eius cui aperiendum est caelum pensata. Et ideo in praedicta * definitione clavis ponitur genus, scilicet *potestas;* et subiectum potestatis, scilicet *iudex ecclesiasticus;* et actus, scilicet *excludere et recipere,* secundum duos actus materialis clavis, aperire et claudere; cuius obiectum tangit in hoc quod dicit *a Regno;* modum autem in hoc quod *dignitas et indignitas* in illis in quos actus exercetur pensatur.

* Cf. cap. IV, n. 1. - S. Th. lect. VI.
* Art. 1, ad 1.
* Arg. 1.

Ad primum ergo dicendum quod ad duo quorum unum est causa alterius, una potestas ordinatur: sicut in igne calor ad calefaciendum et dissolvendum. Et quia omnis gratia et remissio in corpore mystico ex capite suo provenit, ideo eadem potestas videtur esse per essentiam qua sacerdos conficere potest, et qua potest solvere et ligare si iurisdictio adsit: nec differt nisi ratione, secundum quod ad diversos effectus comparatur; sicut etiam ignis dicitur secundum aliam rationem calefactivus, et liquefactivus. Et quia nihil est aliud character ordinis sacerdotalis quam potestas exercendi illud ad quod principaliter ordo sacerdotii ordinatur (sustinendo quod sit idem quod spiritualis potestas), ideo character et potestas conficiendi et potestas clavium est unum et idem per essentiam, sed differt ratione.

Ad secundum dicendum quod omnis potestas spiritualis datur cum aliqua consecratione. Et ideo clavis cum ordine datur. Sed executio clavis indiget materia debita, quae est plebs subdita per iurisdictionem. Et ideo, antequam iurisdictionem habeat, habet claves, sed non habet actum clavium. Et quia clavis per actum definitur, ideo in definitione clavis ponitur aliquid ad iurisdictionem pertinens.

Ad tertium dicendum quod aliquis potest esse dignus aliquo dupliciter. Aut ita quod ipsum habendi ius habeat. Et sic quilibet dignus iam habet caelum apertum. – Aut ita quod insit ei congruitas ad hoc quod ei detur. Et sic dignos quibus nondum totaliter apertum est caelum, potestas clavium respicit.

Ad quartum dicendum quod, sicut Deus non obdurat impertiendo malitiam, sed non conferendo gratiam, ita sacerdos dicitur excludere, non quod impedimentum ad intrandum ponat, sed quia impedimentum positum non amovet, quia ipse amovere non potest nisi prius Deus amoverit. Et ideo rogatur Deus ut ipse absolvat, ut sic sacerdotis absolutio locum habeat.

Ad quintum dicendum quod actus sacerdotis non est immediate super Regnum, sed super sacramenta, quibus homo ad Regnum pervenit.

ART. III. utrum sint duae claves, vel tantum una

IV *Cont. Gent.*, cap. lxxii; *In Matth.*, cap. xvi.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non sint duae claves, sed tantum una. Ad unam enim seram non requiritur nisi una clavis. Sed sera ad quam amovendam ordinantur Ecclesiae claves, est peccatum. Ergo contra unum peccatum non indiget Ecclesia duabus clavibus.

2. Praeterea, claves in collatione ordinis conferuntur *. Sed scientia non est ex infusione semper, sed quandoque ex acquisitione: nec ab omnibus ordinatis habetur, sed a quibusdam non ordinatis. Ergo *scientia* non est clavis. Et sic est una tantum clavis, scilicet *potestas iudicandi* *.

* Cf. IV *Sent.*, dist. xix, cap. 1.

* Cf. arg. *Sed contra* 1.

3. Praeterea, potestas quam habet sacerdos super corpus mysticum, dependet ex potestate quam habet super corpus Christi verum. Sed potestas ad conficiendum corpus Christi verum est una tantum. Ergo clavis, quae est potestas respiciens corpus Christi mysticum, est una tantum.

Sed contra, videtur quod sint plures quam duae. Quia sicut ad actum hominis requiritur scientia et potentia, ita et voluntas. Sed *scientia discernendi* ponitur clavis, et similiter *potentia iudicandi* *. Ergo et *voluntas absolvendi* deberet dici clavis.

* Cf. IV *Sent.*, dist. xviii, cap. *Claves istae.*

2. Praeterea, tota Trinitas peccatum remittit. Sed sacerdos per claves est minister remissionis peccatorum. Ergo debet habere tres claves, ut Trinitati configuretur.

Respondeo dicendum quod in omni actu qui requirit idoneitatem ex parte recipientis, duo sunt necessaria ei qui debet actum illum exercere: scilicet iudicium de idoneitate recipientis; et expletio actus. Et ideo etiam in actu iustitiae per quem redditur alicui hoc quo dignus est, oportet esse iudicium quo discernatur an iste sit dignus, et ipsa redditio. Et ad utrumque horum auctoritas, sive potestas quaedam exigitur: non enim dare possumus nisi quod in potestate nostra habemus; nec iudicium dici potest nisi vim coactivam habeat, eo quod iudicium ad unum iam terminatur; quae quidem determinatio in speculativis fit per virtutem priorum principiorum, quibus resisti non potest, et in rebus practicis per vim imperativam in iudicante existentem. Et quia actus clavis requirit idoneitatem in eo in quem exercetur, quia *recipit* per clavem *iudex ecclesiasticus dignos et excludit indignos,* ut ex dicta definitione * patet; ideo indiget iudicio discretionis, quo idoneitatem iudicat, et ipso receptionis actu, et ad utrumque potestas quaedam sive auctoritas requiritur. Et secundum hoc, sunt duae claves: quarum una pertinet ad iudicium de idoneitate eius qui absolvendus est; et alia ad ipsam absolutionem. Et hae duae claves non distinguuntur in essentia auctoritatis qua utrumque ex officio sibi competit: sed ex comparatione ad actus, quorum unus alium praesupponit.

* Art. 2, arg. 1.

Ad primum ergo dicendum quod ad unam seram aperiendam una clavis immediate ordinatur: sed non est inconveniens quod una ad actum alterius ordinetur. Et sic est in proposito. Secunda enim clavis, quae dicitur *potestas ligandi et solvendi,* est quae immediate seram aperit peccati: sed clavis quae dicitur *scientia,* ostendit cui aperienda sit sera illa.

Ad secundum dicendum quod circa clavem scientiae duplex est opinio. Quidam * enim dixerunt quod scientia secundum quod est habitus acquisitus vel infusus, dicitur hic clavis; et quod non est principalis clavis, sed in ordine ad aliam clavem clavis dicitur; et ideo, quando est sine alia clavi, non dicitur clavis, sicut in viro litterato qui non est sacerdos. Et similiter etiam quandoque hac clavi aliqui sacerdotes carent, quia non habent scientiam acquisitam neque infusam, qua absolvere et ligare possint: sed quandoque industria naturali ad hoc utuntur, quae secundum eos *claviola* dicitur *. Et sic clavis scientiae quamvis cum ordine non tradatur, traditur tamen cum ordine quod sit clavis quod prius non erat. Et haec videtur opinio Magistri * fuisse.

* Autissiod. *Sum. Aur.* lib. IV, *de Sacram. Poenit.* cap. 1.

* Cf. ibid.

* IV *Sent.*, dist. xix, cap. 1.

Sed hoc non videtur verbis Evangelii * concordare, quae *claves* Petro dandas promittunt: et ita non solum una, sed duae in ordine dantur.

* Matth. cap. xvi, vers. 19.

Et propter hoc alia opinio * est quod scientia quae est habitus, non est clavis: sed auctoritas actum scientiae exercendi. Quae quandoque sine scientia est: quandoque autem scientia sine ipsa. Sicut patet etiam in iudiciis secularibus: aliquis enim est iudex habens auctoritatem iudicandi qui non habet iuris scientiam; et aliquis e converso habet iuris scientiam qui non habet auctoritatem iudicandi. Et quia actus iudicii, ad quos quis ex auctoritate suscepta ordinatur, non autem ex scientia habita, sine utroque bene fieri non potest; ideo auctoritas iudicandi, quae clavis est, sine scientia non potest sine peccato accipi; sed scientia sine auctoritate sine peccato haberi potest.

* Roland. *Sentent., de Clavib. Sacerdot.*; Praepositin., *Summ.*, cap. *de Clavibus*; Hug. a s. Vict. *Sum. Sent.*, tr. VI, cap. xiv; b. Albert. M., IV *Sent.*, dist. xviii, art. 4; Halens. *Sum.* part. IV, qu. xx, m. 3; s. Bonav. IV *Sent.*, dist. xviii, p. 1, art. iii, qu. 2.

Ad tertium dicendum quod potestas conficiendi est ad unum tantum actum alterius generis. Et ideo non connumeratur clavibus: nec multiplicatur sicut potestas clavium, quae est ad diversos actus. Quamvis secundum auctoritatis essentiam sit una, ut dictum est *.

* In corpore; art. praeced. ad 1.

Ad quartum * dicendum quod velle unicuique est liberum. Et ideo ad volendum non exigitur auctoritas. Et propter hoc voluntas non ponitur clavis.

* Arg. *Sed contra* 1.

Ad quintum * dicendum quod tota Trinitas eodem modo remittit peccata sicut una Persona. Et ideo non oportet quod sacerdos, qui minister est Trinitatis, tres claves habeat. Et praecipue cum voluntas, quae Spiritui Sancto appropriatur, clavem non requirat, ut dictum est *.

* Arg. *Sed contra* 2.

* Resp. ad 4.

QUAESTIO DECIMAOCTAVA

DE EFFECTU CLAVIUM

Deinde considerandum est de effectu clavium *. Circa quod quaeruntur quatuor.

* Cf. qu. xvii, Introd.

Primo: utrum potestas clavium se extendat ad remissionem culpae.

Secundo: utrum sacerdos possit remittere peccatum quoad poenam.

Tertio: utrum sacerdos per potestatem clavium ligare possit.

Quarto: utrum possit etiam ligare et solvere secundum proprium arbitrium.

ART. I. utrum potestas clavium se extendat ad remissionem culpae

Supra, qu. x, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxii; *De Forma Absolut.*, cap. ii; *Quodl.* IV, qu. vii, art. 1; *In Matth.*, cap. xvi; *In Ioan.*, cap. xx, lect. iv.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod potestas clavium se extendat ad remissionem culpae. Ioan. xx * dicitur discipulis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sed hoc non dicitur quantum ad manifestationem tantum, ut Magister in littera * dicit: quia sic sacerdos novi Testamenti non haberet maiorem potestatem quam sacerdos veteris. Ergo exercet potestatem in culpae remissionem.

* Vers. 23.

* IV *Sent.*, dist. xviii, capp. *Non autem hoc*, et *Secundum hos.*

2. Praeterea, in poenitentia datur gratia ad remissionem peccati. Sed huius sacramenti dispensator est sacerdos ex vi clavium. Ergo, cum gratia non opponatur peccato ex parte poenae, sed ex parte culpae, videtur quod sacerdos ad remissionem culpae operetur ex vi clavium.

3. Praeterea, maiorem virtutem recipit sacerdos ex sua consecratione quam aqua baptismi ex sua sanctificatione. Sed aqua baptismi vim accipit *ut corpus tangat et cor abluat,* secundum Augustinum *. Ergo multo fortius sacerdos in sui consecratione hanc potestatem accipit ut cor a culpae macula abluere possit.

* *In Ioan. Evang.* tract. LXXX.

Sed contra, supra * Magister dixit quod Deus hanc potestatem non contulit ministro quod ad interiorem mundationem cooperaretur ei. Sed, si peccata quoad culpam remittat, cooperaretur ei in mundatione interiori. Ergo potestas clavium non extendit se ad culpae dimissionem.

* IV *Sent.,* dist. v, capp. *Quia ministerii* et *Hic quaeritur;* dist. xviii, cap. *Sed quaeritur.*

2. Praeterea, peccatum non remittitur nisi per Spiritum Sanctum *. Sed dare Spiritum Sanctum non est alicuius hominis: ut in Libro Primo * Magister dixit. Ergo nec peccata remittere quoad culpam.

* Cf. Ioan. cap. xx, vers. 22, 23.
* Dist. xiv, capp. *Hic quaeritur,* sqq.

Respondeo dicendum quod *sacramenta,* secundum Hugonem *, *ex sanctificatione invisibilem gratiam continent.* Sed haec sanctificatio quandoque ad necessitatem sacramenti requiritur tam in materia quam in ministro, sicut patet in confirmatione: et tunc vis sacramentalis est in utroque coniunctim. Quandoque autem ex necessitate sacramenti non requiritur nisi sanctificatio materiae, sicut est in baptismo, quia non habet ministrum determinatum, quantum ad sui necessitatem: et tunc tota vis sacramentalis consistit in materia. Quandoque vero de necessitate sacramenti requiritur consecratio vel sanctificatio ministri sine aliqua sanctificatione materiae: et tunc tota vis sacramentalis consistit in ministro, sicut est in poenitentia. Unde eodem modo se habet potestas clavium quae est in sacerdote ad effectum sacramenti poenitentiae, sicut se habet virtus quae est in aqua baptismi ad effectum baptismi. Baptismus autem et sacramentum poenitentiae conveniunt quodammodo in effectu: quia utrumque contra culpam ordinatur directe, quod non est de aliis sacramentis. Sed in hoc differunt, quia sacramentum poenitentiae, eo quod habet actus suscipientis quasi materiales, non potest dari nisi adultis, in quibus requiritur praeparatio ad suscipiendum effectum sacramentorum. Sed baptismus quandoque datur adultis, et quandoque pueris et aliis carentibus usu rationis: et ideo per baptismum datur gratia et remissio peccatorum pueris sine aliqua sui praeparatione praecedente; non autem adultis, in quibus praeexigitur praeparatio removens fictionem. Quae quidem praeparatio quandoque praecedit sufficiens ad gratiae susceptionem antequam baptismus actu percipiatur, sed non ante votum baptismi, post tempus propalatae veritatis. Quandoque autem talis praeparatio tempore non praecedit, sed est simul cum baptismi susceptione: et tunc per baptismi susceptionem gratia remissionis culpae confertur. Sed per poenitentiae sacramentum nunquam datur gratia nisi praeparatio adsit, vel prius fuerit. Unde virtus clavium operatur ad culpae remissionem, vel in voto existens vel in actu se exercens, sicut et aqua baptismi.

* *De Sacram.* lib. II, p. ix, cap. 2.

Sed, sicut baptismus non agit sicut principale agens, sed sicut instrumentum, non quidem pertingens ad ipsam gratiae susceptionem creandam, etiam instrumentaliter, sed disponens ad gratiam, per quam fit remissio culpae, ita est de potestate clavium. Unde solus Deus remittit per se culpam; et in virtute eius agit instrumentaliter et baptismus ut instrumentum inanimatum, et sacerdos ut *instrumentum animatum,* quod dicitur *servus,* secundum Philosophum, in VIII *Ethic.* * Et ideo sacerdos agit ut minister.

* Cap. xi, n 6. - S. Th. lect. xi.

Et sic patet quod potestas clavium ordinatur aliquo modo ad remissionem culpae, non sicut causans, sed sicut disponens ad eam. Unde, si ante absolutionem aliquis non fuisset perfecte dispositus ad gratiam suscipiendam, in ipsa confessione et absolutione sacramentali gratiam consequeretur, si obicem non poneret. Si enim clavis nullo modo ad culpae remissionem ordinaretur, sed ad dimissionem poenae tantum, ut quidam * dicunt, non exigeretur votum recipiendi effectum clavium ad culpae remissionem: sicut non exigitur votum suscipiendi alia sacramenta, quae non ordinantur ad culpam sed contra poenam. Sed hoc facit videri quod non ordinantur ad culpae dimissionem: quia semper usus clavium, ad hoc quod effectum habeat, requirit praeparationem ex parte recipientis sacramentum. Et similiter videretur de baptismo, si nunquam daretur nisi adultis.

* S. Raym. *Sum.* lib. III, *de Poenit. et Remiss.,* § 5.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Magister dicit in littera *, sacerdotibus commissa est potestas remittendi peccata, non ut propria virtute remittant, quia hoc Dei est; sed ut operationem Dei remittentis ostendant tanquam ministri. Sed hoc contingit tribus modis. Uno modo, ut ostendant eam non praesentem, sed promittant eam futuram, sine hoc quod aliquid operentur ad ipsam. Et sic sacramenta veteris legis operationem Dei significabant. Unde et sacerdos veteris legis ostendebat tantum, et nihil operabatur.

* Loc. cit. in arg.

Alio modo, ut significent praesentem, et nihil ad eam operentur. Et sic quidam * dicunt quod sacramenta novae legis significant collationem gratiae, quam Deus in ipsa sacramentorum collatione dat, sine hoc quod in sacramentis sit aliqua virtus operans ad gratiam. Et secundum hanc opinionem etiam potestas clavium esset tantum ostendens divinam operationem in culpae remissione in ipsa sacramentali collatione facta.

* S. Bern. Serm. *de Cena Dom.* al. *de Baptism.,* n. 2. - Cf. Part. III, qu. lxii, art. 1.

Tertio modo, ut significent divinam operationem in remissionem culpae praesentem, et ad ipsam aliquid dispositive et instrumentaliter operentur. Et sic, secundum aliam opinionem *, quae sustinetur communius, sacramenta novae legis emundationem ostendunt divinitus factam. Et hoc modo etiam sacerdos novi Testamenti ostendit absolutos a culpa: quia proportionaliter oportet loqui de sacramentis, et potestate ministrorum. – Nec obstat quin claves Ecclesiae ad remissionem culpae disponant quia culpa iam est remissa: sicut nec quod baptismus disponat, quantum in se est, in eo qui iam sanctificatus est.

* Halens. *Sum.* part. IV, qu. v, m. 3, art. 5, § 3.

Ad secundum dicendum quod neque sacramentum poenitentiae, neque sacramentum baptismi, operando pertingit directe ad gratiam nec ad culpae remissionem: sed dispositive.

Unde etiam patet responsio ad tertium.

Aliae rationes * ostendunt quod ad remissionem culpae directe clavium potestas non operetur. Quod concedendum est.

* Argg. *Sed contra.*

ART. II. Utrum sacerdos possit remittere peccatum quoad poenam

IV *Cont. Gent.,* cap. lxxii.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod sacerdos non possit remittere peccatum quoad poenam. Peccato enim debetur poena aeterna et temporalis. Sed adhuc post absolutionem sacerdotis manet poenitens obligatus ad poenam temporalem, in purgatorio vel in hoc mundo faciendam. Ergo non dimittit aliquo modo poenam.

2. Praeterea, sacerdos non potest praeiudicare iustitiae divinae. Sed ex divina iustitia taxata est poenitentibus poena quam debent subire. Ergo sacerdos non potest de ea aliquid remittere.

3. Praeterea, ille qui parvum peccatum commisit, non est minus susceptivus effectus clavium quam ille qui commisit maius peccatum. Sed si aliquid de poena per officium sacerdotis de maiori peccato dimittitur, possibile est esse adeo parvum peccatum cui non debeatur plus de poena quam illud quod de maiori peccato dimissum est. Ergo poterit totam poenam illius peccati parvi dimittere. Quod falsum est.

4. Praeterea, tota poena temporalis peccato debita est unius rationis. Si ergo per primam absolutionem dimittatur aliquid de poena, et per secundam ab eodem peccato absolutionem poterit aliquid remitti. Et sic tantum poterit multiplicari absolutio quod vi clavium tota poena tolletur: cum secunda absolutio non sit minoris efficaciae quam prima. Et sic peccatum remanebit omnino impunitum. Quod est inconveniens.

SED CONTRA, clavis est potestas ligandi et solvendi. Sed potest sacerdos iniungere poenam temporalem. Ergo et potest absolvere a poena.

2. PRAETEREA, sacerdos non potest dimittere peccatum quantum ad culpam, ut in littera * dicitur: nec quantum ad poenam aeternam, pari ratione. Si ergo non potest remittere quantum ad poenam temporalem, nullo modo remittere poterit. Quod est omnino contrarium dictis Evangelii *.

* IV *Sent.*, dist. XVIII, per plura capp.

* Ioan. cap. XX, vers. 23.

RESPONDEO DICENDUM quod idem iudicium est de effectu quem potestas clavium actualiter exercita complet in eo in quo contritio tempore praecessit, et effectu baptismi qui iam habenti gratiam datur. Aliquis enim per fidem et contritionem praecedentem baptismum gratiam remissionis peccatorum quantum ad culpam consecutus est: sed quando actualiter postea baptismum suscipit, gratia augetur, et a reatu poenae totaliter absolvitur, eo quod fit particeps passionis Christi. Et similiter illi qui per contritionem consecutus est remissionem peccatorum quantum ad culpam, et per consequens quantum ad reatum poenae aeternae, quae simul cum culpa dimittitur, ex vi clavium, ex passione Christi efficaciam habentium, augetur gratia et remittitur temporalis poena, cuius reatus adhuc remanserat post culpae remissionem. Non tamen totus, sicut in baptismo: sed pars eius. Quia in baptismo regeneratus homo configuratur passioni Christi totaliter efficaciam passionis Christi, quae sufficit ad omnem poenam delendam, in se suscipiens, ut nihil de prioris peccati actualis poena remaneat: quia non debet alicui imputari ad poenam nisi quod ipsemet fecit; in baptismo autem homo, novam vitam suscipiens, fit per gratiam baptismalem *novus homo* *; et ideo nullus reatus poenae in eo remanet pro praecedenti peccato. Sed in poenitentia non mutatur homo in aliam vitam: quia non est regeneratio, sed sanatio quaedam. Ideo ex vi clavium, quae operatur in sacramento poenitentiae, non tota poena remittitur, sed aliquid de poena temporali, cuius reatus post absolutionem a poena aeterna remanere potuit. Nec solum a poena illa quam habet vel suscipit ab ea poenitens in confitendo, ut quidam dicunt: quia sic confessio et sacramentalis absolutio non esset nisi in onus, quod non competit sacramentis novae legis. Sed etiam de illa poena quae in purgatorio debetur remittitur, ut minus in purgatorio puniatur absolutus ante satisfactionem decedens, quam si ante absolutionem decederet.

* *Ad Rom.* cap VI, vers. 3 sqq.; *ad Ephes.* cap. IV, vers. 24.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod sacerdos non remittit totam poenam temporalem, sed partem. Et ideo adhuc manet obligatus ad poenam satisfactoriam.

AD SECUNDUM DICENDUM quod passio Christi sufficienter satisfecit *pro peccatis totius mundi* *. Et ideo sine praeiudicio divinae iustitiae aliquid de poena sibi debita remitti potest, secundum quod effectus passionis ad ipsum per sacramenta Ecclesiae pertingit.

* I Ioan. cap. II, vers. 2.

AD TERTIUM DICENDUM quod pro quolibet peccato oportet aliquam poenam satisfactoriam remanere, et per quam medicina contra ipsum praestetur. Et ideo, quamvis virtute absolutionis dimittatur aliqua quantitas poenae debitae pro aliquo magno peccato, non oportet quod tanta quantitas poenae dimittatur respectu cuiuslibet peccati, quia secundum hoc aliquod peccatum remaneret omnino sine poena: sed virtute clavium de poenis singulorum peccatorum proportionaliter dimittitur.

AD QUARTUM DICENDUM quod quidam * dicunt quod in prima absolutione tantum dimittitur vi clavium quantum dimitti potest: sed tamen valet iterata confessio, tum propter instructionem; tum propter maiorem certitudinem; tum propter intercessionem confessoris; tum propter verecundiae meritum.

* Halens. *Sum.* p. IV, qu. XXI, m. 2, art. 1, ad ult.

Sed hoc non videtur verum. Quia, si haec esset ratio confessionem iterandi, non tamen esset ratio iterandi absolutionem: praecipue in eo qui non habet aliquam causam dubitationis de praecedenti absolutione; ita enim poterit dubitare post secundam absolutionem sicut post primam. Sicut videmus quod sacramentum extremae unctionis non iteratur super eundem morbum, eo quod totum quod per sacramentum fieri potuit, semel factum est. – Et praeterea in secunda confessione non requireretur quod haberet claves ille cui fit confessio, si nihil ibi vis clavium operatur.

Et ideo dicunt alii * quod etiam in secunda absolutione vi clavium dimittitur de poena. Quia in secunda absolutione gratiae confertur augmentum: et quanto maior gratia recipitur, minus de impuritate praecedentis peccati manet; et ideo minor poena purgans debetur. Unde etiam in prima absolutione alicui plus et minus dimittitur de poena secundum quod plus se ad gratiam disponit. Et potest esse tanta dispositio quod etiam ex vi contritionis tota poena tollitur, ut praedictum est *. Unde etiam non est inconveniens si per frequentem confessionem etiam tota poena tollatur *, ut peccatum omnino remaneat impunitum, pro quo poena Christi satisfecit.

* S. Bonav. IV *Sent.*, dist. XVII, p. II, ad dub. 8; p. III, art. 1, qu. 2, ad 5.

* Qu. V, art. 2.

* Cf. qu. VIII, art. 5, ad 4.

ART. III. UTRUM SACERDOS PER POTESTATEM CLAVIUM LIGARE POSSIT

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacerdos per potestatem clavium ligare non possit. Virtutes enim sacramentales ordinantur contra peccatum ut medicina. Sed ligare non est medicina peccati, sed magis aggravatio morbi, ut videtur. Ergo sacerdos per vim clavium, quae est vis sacramentalis, non potest ligare.

2. PRAETEREA, sicut absolvere vel aperire est amovere obstaculum, ita ligare est obstaculum ponere. Sed obstaculum Regni peccatum est, quod nobis ex alio imponi non potest: quia non nisi voluntate peccatur. Ergo sacerdos ligare non potest.

3. PRAETEREA, claves ex passione Christi efficaciam habent. Sed ligare non est effectus passionis. Ergo ex clavium potestate non potest sacerdos ligare.

SED CONTRA EST quod dicitur Matth. XVI *: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis.*

* Vers. 19.

2. PRAETEREA, *potestates rationales sunt ad opposita* *. Sed potestas clavium est potestas rationalis: cum habeat discretionem adiunctam. Ergo habet se ad opposita. Ergo, si potest solvere, potest et ligare.

* Aristot. *Metaphys.* lib. VIII, cap. II, n. 2; cap. V, n. 2. – S. Th. lect. II, IV.

RESPONDEO DICENDUM quod operatio sacerdotis in usu clavium est conformis Dei operationi, cuius minister est. Deus autem habet operationem et in culpam et in poenam. Sed in culpam ad absolvendum quidem directe, ad ligandum autem indirecte, inquantum *obdurare* dicitur dum gratiam non largitur. Sed in poenam habet operationem directe quantum ad utrumque: quia et poenam parcit, et poenam infligit. Similiter ergo et sacerdos, etsi in absolvendo ex vi clavium habeat aliquam operationem ordinatam ad culpae dimissionem modo iam dicto *, non tamen ligando aliquam operationem habet in culpam: nisi ligare dicatur inquantum non absolvit sed ligatos ostendit. Sed in poenam habet potestatem et ligandi et solvendi. Solvit enim a poena quam dimittit, sed ligat ad poenam quae remanet. Sed ad hanc ligare dupliciter dicitur. Uno modo, considerando ipsam quantitatem poenae in communi: et sic non ligat, nisi inquantum non solvit sed ligatum ostendit. Alio modo, considerando poenam hanc vel illam determinate: et sic ligat ad poenam imponendo eam.

* Art. 1.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illud residuum poenae ad quod obligat, est medicina purgans peccati impuritatem.

AD SECUNDUM DICENDUM quod obstaculum Regni non solum est peccatum, sed etiam poena: quam qualiter sacerdos imponat, dictum est *.

* In corpore.

AD TERTIUM DICENDUM quod etiam passio Christi obligat nos ad poenam aliquam, per quam ei conformemur.

ART. IV. UTRUM SACERDOS POSSIT LIGARE ET SOLVERE SECUNDUM PROPRIUM ARBITRIUM

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sacerdos possit ligare et solvere secundum proprium arbitrium. Hieronymus enim dicit *: *Mensuram temporis in agendo poenitentiam non satis aperte praefigunt canones pro unoquoque crimine, ut de singulis dicat qualiter unumquodque sit emendandum, sed magis arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt.* Ergo videtur quod ipse secundum suum arbitrium possit ligare et solvere.

* Can. *Mensuram, de Poenit.*, dist. I; *de Divin. Offic.*, cap. XIII (Inter Opp. Alcuin.); Mag., IV *Sent.*, dist. XX, cap. *Si vero de illo.*

2. Praeterea, Dominus *laudavit villicum iniquitatis quod prudenter fecisset*, quia debitoribus domini sui remisisset largiter *. Sed Deus magis pronus est ad miserendum quam aliquis dominus temporalis. Ergo videtur quod laudabilior sit quantum plus de poena dimiserit.

* Luc. cap. xvi, vers. 5 sqq.

3. Praeterea, *omnis actio Christi nostra est instructio* *. Sed ipse quibusdam peccantibus nullam poenam imposuit, sed solum emendationem vitae: ut patet de adultera, Ioan. viii *. Ergo videtur quod ad arbitrium suum possit etiam sacerdos, qui est vicarius Christi, dimittere totam poenam vel partem.

* *Instruct. Sacerdot.*, cap. vi. - Inter Opp. Bernard.
* Vers. 11.

Sed contra, Gregorius dicit *: *Falsam poenitentiam dicimus quae non secundum auctoritatem sanctorum Patrum pro qualitate criminis imponitur.* Ergo videtur quod non omnino sit in arbitrio sacerdotis.

* Greg. VII, Concil. Rom. V, can. v. - Cf. can. *Falsas poenitentias, de Poenit.*, dist. V; Mag. IV *Sent.*, dist. xvi, cap. *Et sicut sunt.*

2. Praeterea, ad actum clavium requiritur discretio *. Sed, si esset omnino in voluntate sacerdotis dimittere et imponere de poena quantum vellet, non esset ibi necessaria discretio: quia nunquam ibi indiscretio posset accidere. Ergo non est omnino in arbitrio sacerdotis.

* Qu. xvii, art. 3.

Respondeo dicendum quod sacerdos operatur in usu clavium sicut instrumentum et minister Dei. Nullum autem instrumentum habet efficacem actum nisi secundum quod movetur a principali agente. Et ideo dicit Dionysius, in fine *Eccles. Hier.* *, quod *sacerdotibus utendum est virtutibus hierarchicis quando divinitas eos moverit.* In cuius signum, Matth. xvi *, ante potestatem clavium Petro traditam fit mentio de revelatione divinitatis ei facta; et Ioan. xx * praemittitur potestati remissionis Apostolis datae Spiritus Sancti donum, quo *filii Dei aguntur* *. Unde, si praeter illum motum divinum uti sua potestate praesumpserit, non consequeretur effectum, ut Dionysius dicit *. Et praeter hoc, a divino ordine averteretur, et sic culpam incurreret.

* Cap. ult., part. ii, § vii.
* Vers. 17.
* Vers. 22.
* *Ad Rom.*, cap. viii, vers. 14.
* Loc. cit.

Et quia poenae satisfactoriae infligendae ut medicinae sunt, sicut medicinae in arte determinatae non omnibus competunt, sed variandae sunt secundum arbitrium medici non propriam voluntatem sequentis, sed scientiam medicinae; ita poenae satisfactoriae in canone determinatae non omnibus competunt, sed variandae sunt secundum arbitrium sacerdotis divino instinctu regulatum. Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam efficacem, quae ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturae maius periculum oriatur; ita sacerdos, divino instinctu motus, non semper totam poenam quae uni peccato debetur iniungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine poenae desperet, et a poenitentia totaliter recedat.

Ad primum ergo dicendum quod arbitrium istud debet esse divino instinctu regulatum.

Ad secundum dicendum quod etiam de hoc laudatur villicus quod *prudenter fecit.* Et ideo in remissione poenae debitae discretio adhibenda est.

Ad tertium dicendum quod Christus habuit potestatem excellentiae in sacramentis. Unde ipse ex auctoritate poenam totam vel partem poterat dimittere sicut volebat. Nec est simile de his qui operantur tantum ut ministri.

QUAESTIO DECIMANONA

DE MINISTRIS CLAVIUM ET USU EARUM

Deinde considerandum est de ministris clavium et usu earum *.

* Cf. qu. xvii, Introd.

Circa quod quaeruntur sex.

Primo: utrum sacerdos legalis claves habuerit.
Secundo: utrum Christus claves habuerit.
Tertio: utrum soli sacerdotes claves habeant.
Quarto: utrum sancti homines non sacerdotes usum clavium habeant.
Quinto: utrum mali sacerdotes usum clavium habeant efficacem.
Sexto: utrum schismatici et haeretici, excommunicati et suspensi et degradati, usum clavium habeant.

ART. I. UTRUM SACERDOS LEGALIS CLAVES HABUERIT

Ad primum sic proceditur. Videtur quod sacerdos legalis claves habuerit. Clavis enim est sequela ordinis. Sed ipsi habuerunt ordinem, ex quo sacerdotes dicebantur. Ergo etiam habuerunt clavem sacerdotes legales.

2. Praeterea, sicut supra * Magister dicit, claves sunt duae, scilicet *scientia discernendi et potentia iudicandi.* Sed ad utramque sacerdotes legales habuerunt auctoritatem. Ergo habebant claves.

* IV *Sent.*, dist. xviii, cap. *Claves istae.*

3. Praeterea, sacerdos legalis habebat aliquam potestatem super reliquum populum. Non temporalem: quia sic potestas regia non fuisset distincta a sacerdotali. Ergo spiritualem. Et haec est clavis. Ergo habebat clavem.

Sed contra, claves ordinantur ad aperiendum regnum caelorum, quod aperiri non potest ante Christi passionem. Ergo sacerdos legalis clavem non habuit.

2. Praeterea, sacramenta veteris legis gratiam non conferebant. Sed aditus regni caelestis aperiri non potuit nisi per gratiam. Ergo per illa sacramenta non poterat aperiri. Et sic etiam sacerdos, qui minister eorum erat, claves regni caelestis non habebat.

Respondeo dicendum quod quidam dixerunt quod in veteri lege erant claves apud sacerdotes, quia eis erat commissum imponere poenam pro delicto, ut dicitur *Levit.* v, quod ad claves pertinere videtur: sed fuerunt tunc incompletae, nunc autem per Christum in sacerdotibus novae legis perfectae sunt.

Sed hoc videtur esse contra intentionem Apostoli, in Epistola *ad Heb.* ix *. Ibi enim sacerdotium Christi praefertur sacerdotio legali per hoc quod *Christus assistit Pontifex futurorum bonorum,* ad tabernaculum caeleste introducens *per proprium sanguinem: non manufactum*, in quod introducebat sacerdotium veteris legis *per sanguinem hircorum et taurorum.* Unde patet quod sacerdotii illius potestas non se extendebat ad caelestia, sed ad figuras caelestium. Et ideo, secundum alios *, dicendum quod non habebant claves, sed in eis clavium figura praecessit.

* Vers. 11, 12.
* Halens. *Sum.* p. IV, qu. xx, m. vi, art. 2; b. Albert. Magn. IV *Sent.*, dist. xviii, art. 14, ad obiect.; s. Bonav. IV *Sent.*, dist. xix, art. 1, qu. 1.

Ad primum ergo dicendum quod clavis regni caelestis consequitur ad sacerdotium quo homo in caelestia introducitur. Non autem talis erat ordo sacerdotii Levitici. Et ideo claves caeli non habuerunt, sed claves terreni tabernaculi.

Ad secundum dicendum quod sacerdotes veteris legis habebant auctoritatem discernendi et iudicandi, sed non ut admitteretur homo ab eis iudicatus in caelestia, sed in figuras caelestium.

Ad tertium dicendum quod habebant spiritualem potestatem, quia per sacramenta legalia non a culpis, sed ab irregularitatibus purgabant homines, ut *ad manufactum tabernaculum* * aditus purgatis per eos pateret.

* *Ad Heb.* cap. ix, vers. 11.

ART. II. UTRUM CHRISTUS HABUERIT CLAVEM

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non habuerit clavem. Clavis enim characterem ordinis consequitur. Sed Christus non habuit characterem. Ergo non habuit clavem.

2. Praeterea, Christus habuit in sacramentis potestatem excellentiae, ut effectum sacramenti sine sacramentalibus posset conferre. Sed clavis est sacramentale quoddam. Ergo non indigebat clavi. Et sic frustra eam habuisset.

Sed contra est quod dicitur *Apoc.* iii *: *Haec dicit qui habet clavem David,* etc.

* Vers. 7.

Respondeo dicendum quod virtus aliquid agendi est in instrumento et in per se agente non eodem modo, sed in per se agente perfectius. Potestas autem clavium quam nos habemus, et aliorum sacramentorum virtus est instrumentalis: sed in Christo est ut in per se agente ad salutem nostram, per auctoritatem quidem inquantum est Deus, sed per meritum inquantum est homo. Clavis autem de ratione sua exprimit potestatem aperiendi et claudendi, sive aliquis aperiat quasi principale agens, sive quasi minister. Et ideo in Christo oportet ponere clavem, sed altero modo quam sit in eius ministris. Et ideo dicitur quod habet *clavem excellentiae* *.

* Cf. qu. xvii, art. 1.

Ad primum ergo dicendum quod character de sua ratione dicit aliquid ab aliquo derivatum. Et ideo potestas clavium quae est in nobis a Christo derivata, sequitur characterem quo Christo conformamur. Sed in Christo non consequitur characterem, sed principalem formam.

Ad secundum dicendum quod clavis illa quam Christus habuit, non erat sacramentalis, sed sacramentalis clavis principium.

ART. III. utrum soli sacerdotes claves habeant

IV *Sent.*, dist. vii, qu. iii, art. 1, qu^a 3; dist. xviii, qu. ii, art. 2, qu^a 1, ad 1; qu^a 2, ad 1; dist. xx, art. 3, qu 2, ad 1; art. 4, qu^a 2; dist. xxi, qu. iii, art. 1, qu^a 3; *In Matth.*, cap. xvi.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non soli sacerdotes claves habeant. Dicit enim Isidorus * quod *ostiarii inter bonos et malos habent iudicium: dignos recipiunt, indignos reiiciunt.* Sed haec est definitio clavium, ut ex dictis * patet. Ergo non solum sacerdotes, sed etiam ostiarii clavem habent.

* *Etymol.* lib. VII, cap. xii; *de Eccl. Offic.*, lib. II, cap. xv.
* Qu. xvii, art. 2.

2. Praeterea, claves sacerdotibus dantur dum per unctionem potestatem divinitus accipiunt. Sed reges etiam potestatem in populum fidelem divinitus habent, et unctione sanctificantur. Ergo non soli sacerdotes habent claves.

3. Praeterea, sacerdotium est ordo uni singulari personae conveniens. Sed clavem aliquando videtur habere tota una congregatio: quia quaedam capitula excommunicationem inferre possunt, quod ad potestatem clavium pertinet. Ergo non soli sacerdotes clavem habent.

4. Praeterea, mulier non est sacerdotalis ordinis susceptiva: quia ei docere non competit, secundum Apostolum, I *Cor.* xiv *. Sed aliquae mulieres videntur habere claves: sicut abbatissae, quae habent spiritualem potestatem in subditas. Ergo non soli sacerdotes habent clavem.

* Vers. 34, 35; I *ad Tim.*, cap. ii, vers. 11.

Sed contra est quod Ambrosius dicit *: *Hoc ius,* scilicet ligandi et solvendi, *solum sacerdotibus est concessum.*

* *De Poenit.* lib. I, cap. ii.

2. Praeterea, per potestatem clavium efficitur aliquis medius inter populum et Deum. Sed hoc tantum sacerdotibus competit, qui *constituuntur in his quae sunt ad Deum, ut offerant dona et sacrificia pro peccatis,* ut dicitur *Heb.* v *. Ergo soli sacerdotes claves habent.

* Vers. 1.

Respondeo dicendum quod clavis est duplex. Una quae se extendit ad ipsum caelum immediate, removendo impedimenta introitus in caelum per remissionem peccati. Et haec vocatur *clavis ordinis.* Et hanc soli sacerdotes habent: quia ipsi soli ordinantur populo in his quae directe *sunt ad Deum* *.

* Cf. arg. *Sed contra* 2.

Alia clavis est quae non directe se extendit ad ipsum caelum, sed mediante militante Ecclesia, per quam aliquis ad caelum vadit: dum per eam aliquis excluditur vel admittitur ad consortium Ecclesiae militantis per excommunicationem et absolutionem. Et haec vocatur *clavis iurisdictionis in foro causarum.* Et ideo non-sacerdotes etiam hanc habere possunt: sicut archidiaconi, et electi, et alii qui excommunicare possunt. Sed non proprie dicitur clavis caeli, sed quaedam dispositio ad ipsam.

Ad primum ergo dicendum quod ostiarii habent clavem custodiendi ea quae in templo materiali continentur; et habent iudicium a tali templo excludendi et admittendi, non quidem sua auctoritate iudicantes qui sint digni vel indigni, sed iudicium sacerdotum exequentes; ut sic quodammodo executores potestatis sacerdotis videantur.

Ad secundum dicendum quod reges non habent aliquam potestatem in spiritualibus, et ideo clavem regni caelestis non accipiunt: sed solum in temporalibus, quae etiam non nisi a Deo esse potest, ut patet *Rom.* xiii *. Nec per unctionem in aliquo ordine consecrantur: sed excellentia potestatis ipsorum a Christo descendere significatur, et ut ipsi sub Christo in populo Christiano regnent.

* Vers. 1.

Ad tertium dicendum quod, sicut in politicis quandoque iudex habet totam potestatem, sicut est in regno; quandoque autem multi in diversis officiis constituti, vel etiam ex aequo, ut dicitur VIII *Ethic.* *: ita etiam spiritualis iurisdictio potest haberi ab uno solo, sicut ab episcopo; et pluribus simul, sicut a capitulo. Et sic habent clavem iurisdictionis, non tamen clavem ordinis, simul omnes.

* Cap. x, n. 6; cap. xi, n. 5. - S. Th. lect. x. xi.

Ad quartum dicendum quod mulier, secundum Apostolum *, est in statu subiectionis, et ideo non potest habere aliquam spiritualem iurisdictionem: quia etiam secundum Philosophum, in VIII *Ethic.* *, corruptio urbanitatis est quando ad mulierem dominium pervenit. Unde mulier non habet neque clavem ordinis neque clavem iurisdictionis. Sed committitur mulieri aliquis usus clavium: sicut habere correctionem in subditas mulieres, propter periculum quod imminere posset si viri mulieribus cohabitarent.

* I *ad Cor.*, cap. xiv, vers. 34; I *ad Tim.*, cap. ii, vers. 11; *Ad Tit.*, cap. ii, vers. 5.
* Cap. x, n. 5. - S. Th. lect. x.

ART. IV. utrum etiam sancti homines non sacerdotes usum clavium habeant

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod etiam sancti homines non sacerdotes usum clavium habeant. Absolutio enim et ligatio, quae fit per claves, efficaciam habet ex merito passionis Christi. Sed illi maxime passioni Christi conformantur qui per patientiam et alias virtutes Christum passum sequuntur. Ergo videtur quod, etiam si non habeant sacerdotalem ordinem, quod possint ligare et solvere.

2. Praeterea, *Heb.* vii * dicitur: *Sine ulla contradictione, quod minus est a maiori benedicitur.* Sed in spiritualibus, secundum Augustinum *, *hoc est maius esse quod melius.* Ergo meliores, qui scilicet plus de caritate habent, possunt alios benedicere absolvendo. Et sic idem quod prius.

* Vers. 7.
* *De Trin.*, lib. VI, cap. viii.

Sed contra, *cuius est potentia, eius est actio,* secundum Philosophum *. Sed clavis, quae est potestas spiritualis, est tantum sacerdotum *. Ergo et usus eius non nisi sacerdotibus convenire potest.

* *De Somn. et Vigil.*, cap. 1. - S. Th. lect. 1.
* Cf. art. 3.

Respondeo dicendum quod agens per se et agens instrumentale in hoc differunt quod agens instrumentale non inducit in effectu similitudinem suam, sed similitudinem principalis agentis; principale autem agens inducit similitudinem suam. Et ideo ex hoc aliquid constituitur principale agens quod habet aliquam formam quam in alterum transfundere potest: non autem ex hoc constituitur agens instrumentale, sed ex hoc quod est applicatum a principali agente ad effectum aliquem inducendum. Cum ergo in actu clavium principale agens sit Christus, ut Deus per auctoritatem et ut homo per meritum, ex ipsa plenitudine divinae bonitatis in eo et ex perfectione gratiae consequitur quod possit in actum clavium. Sed homo alius non potest in actum clavium sicut per se agens: quia nec ipse alteri gratiam, qua remittuntur peccata, dare potest, nec sufficienter mereri. Et ideo non est nisi sicut agens instrumentale. Unde ille qui effectum clavium consequitur, non assimilatur utenti clavibus, sed Christo. Et propter hoc, quantumcumque aliquis habeat de gratia, non potest pertingere ad effectum clavium nisi applicetur ad hoc quasi minister per ordinis susceptionem.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut inter instrumentum et effectum non exigitur similitudo secundum convenientiam in forma, sed secundum proportionem instrumenti ad effectum; ita etiam nec inter instrumentum et principale agens. Et talis similitudo est in sanctis hominibus ad Christum passum. Et talis similitudo eis usum clavium non confert.

Ad secundum dicendum quod, quamvis purus homo non possit alteri ex condigno mereri gratiam, tamen unius meritum potest cooperari ad salutem alterius. Ideo duplex est benedictio. Una quae est ab ipso homine puro sicut merente per proprium actum. Et talis potest fieri a quolibet sancto, in quo Christus habitat per gratiam. Et hoc requirit maioritatem bonitatis ad minus inquantum huiusmodi. – Alia est benedictio qua homo benedicit ut benedictionem quae est ex merito Christi instrumentaliter alicui applicans. Et quantum ad hanc requiritur maioritas ordinis, et non virtutis.

ART. V. utrum mali sacerdotes usum clavium habeant

In Ioan., cap. xx, lect. iv.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod mali sacerdotes usum clavium non habeant. Ioan. xx *, ubi usus clavium Apostolis traditur, Spiritus Sancti donum promittitur. Sed mali non habent Spiritum Sanctum. Ergo non habent usum clavium.

* Vers. 22, 23.

2. Praeterea, nullus sapiens rex dispensationem sui thesauri suo inimico committit. Sed usus clavium in dispensatione consistit thesauri caelestis Regis, qui est ipsa Sapientia *. Ergo mali, qui per peccata sunt eius hostes, non habent usum clavium.

* I *ad Cor.*, cap. i, vers. 24.

3. Praeterea, Augustinus dicit * quod *sacramentum gratiae dat Deus etiam per malos, ipsam vero gratiam non nisi per seipsum vel per sanctos suos. Et ideo remissionem peccatorum per seipsum facit, vel per ipsius Columbae membra.* Sed remissio peccatorum est usus clavium. Ergo peccatores, qui non sunt Columbae membra, usum clavium non habent.

* *De Bapt. cont. Donatist.*, lib. V, cap. xxi.

4. Praeterea, intercessio mali sacerdotis non habet aliquam efficaciam ad reconciliandum: quia, secundum Gregorium *, *cum is qui displicet ad interpellandum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.* Sed usus clavium fit per quandam intercessionem: ut patet in forma absolutionis. Ergo non habent efficacem clavium usum.

* *Pastoral.* part. I, cap. x, in fin., al. cap. xi.

Sed contra, nullus potest scire de alio an sit in statu salutis. Si ergo nullus posset uti clavibus in absolvendo nisi existens in statu salutis, nullus sciret se esse absolutum. Quod est valde inconveniens.

2. Praeterea, iniquitas ministri non potest auferre liberalitatem domini. Sed sacerdos est solum minister. Ergo non potest sua malitia donum a Deo transmissum per eum nobis auferre.

Respondeo dicendum quod, sicut participatio formae quae est inducenda in effectum, non facit instrumentum; ita nec subtractio talis formae tollit usum instrumenti. Et ideo, cum homo sit tantum instrumentaliter agens in usu clavium, quantumcumque sit per peccatum gratia privatus, per quam fit remissio peccatorum, nullo modo privatur usu clavium.

Ad primum ergo dicendum quod donum Spiritus Sancti exigitur ad usum clavium non ut sine quo fieri non possit, sed quia sine eo incongrue fit ex parte utentis: quamvis subiiciens se clavibus effectum clavium consequatur.

Ad secundum dicendum quod rex terrenus in thesauro suo defraudari et decipi potest: et ideo hosti eius dispensationem non committit. Sed Rex caelestis defraudari non potest: quia totum ad ipsius honorem cedit, etiam quod aliqui clavibus male utuntur; quia novit ex malis elicere bona, et per malos etiam multa bona facere. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum quod Augustinus loquitur de remissione peccatorum secundum quod sancti homines cooperantur ad ipsam, non ex vi clavium, sed ex merito congrui. Et ideo dicit quod etiam per malos sacramenta ministrat. Et inter alia sacramenta etiam absolutio, quae est usus clavium, computari debet. Sed per *membra Columbae,* idest per sanctos homines, facit remissionem peccatorum inquantum eorum intercessionibus peccata remittit.

Vel potest dici quod *membra Columbae* nominat omnes ab Ecclesia non praecisos. Qui enim ab eis sacramenta recipiunt, gratiam consequuntur: non autem qui recipiunt ab illis qui sunt ab Ecclesia praecisi, quia hoc ipso peccant; excepto baptismo, quem in casu necessitatis licet ab excommunicato recipere.

Ad quartum dicendum quod intercessio quam sacerdos malus ex propria persona facit, non habet efficaciam: sed illa quam facit ut minister Ecclesiae, habet efficaciam ex merito Christi. Utroque tamen modo debet intercessio sacerdotis populo subiecto prodesse.

ART. VI. utrum schismatici et haeretici, excommunicati et suspensi et degradati, usum clavium habeant

Supra, qu. viii, art. 5.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod schismatici et haeretici, excommunicati et suspensi et degradati, usum clavium habeant. Sicut enim potestas clavium dependet ab ordine, ita et potestas conficiendi. Sed non possunt amittere usum potestatis conficiendi: quia, si conficiunt, confectum est, quamvis peccent conficientes. Ergo etiam non possunt amittere usum clavium.

2. Praeterea, omnis potestas spiritualis activa, in eo qui habet usum liberi arbitrii, exit in actum quando vult. Sed potestas clavium adhuc manet in praedictis: quia, cum non detur nisi in ordine, oporteret reordinari eos quando ad Ecclesiam redeunt. Ergo, cum sit potentia activa, possunt in actum eius exire cum voluerint.

3. Praeterea, spiritualis gratia magis impeditur per culpam quam per poenam. Sed excommunicatio et suspensio et degradatio sunt poenae quaedam. Cum ergo propter culpam non amittat aliquis usum clavium, videtur quod nec propter ista.

Sed contra, Augustinus dicit * quod *Ecclesiae caritas peccata dimittit.* Caritas autem est quae facit Ecclesiae unionem. Cum ergo praedicti sint ab Ecclesiae unione divisi, videtur quod usum clavium non habent in remittendis peccatis.

* *In Ioan. Evang.*, tract. CXXI, n. 4.

2. Praeterea, nullus absolvitur a peccato secundum hoc quod peccat. Sed aliquis a praedictis absolutionem petens peccat, contra praeceptum Ecclesiae faciens. Ergo per eos a peccato absolvi non potest. Et sic idem quod prius.

Respondeo dicendum quod in omnibus praedictis * manet clavium potestas quantum ad essentiam, sed usus impeditur ex defectu materiae. Cum enim usus clavium in utente praelationem requirat respectu eius in quem utitur, ut dictum est *, propria materia in quam exercetur usus clavium, est homo subditus. Et quia per ordinationem Ecclesiae subditur unus alteri, ideo etiam per Ecclesiae praelatos potest subtrahi alicui ille qui erat ei subiectus. Unde, cum Ecclesia haereticos et schismaticos, et alios huiusmodi, privet subtrahendo subditos, vel simpliciter vel quantum ad aliquid, quantum ad hoc quo privati sunt, non possunt usum clavium habere.

* Cf. arg. 1.

* Qu. xvii, art. 2, ad 2.

Ad primum ergo dicendum quod materia sacramenti Eucharistiae, in quam suam potestatem exercet sacerdos, non est homo, sed panis triticeus; et in baptismo homo simpliciter. Unde, sicut si subtraheretur haeretico panis triticeus, conficere non posset; ita, si subtrahatur praelato praelatio, nec absolvere poterit. Potest tamen baptizare et conficere: quamvis ad sui damnationem.

Ad secundum dicendum quod propositio habet veritatem quando non deest materia, sicut est in proposito.

Ad tertium dicendum quod ex ipsa culpa non subtrahitur materia, sicut per aliquam poenam. Unde poena non impedit per contrarietatem ad effectum inducendum, sed ratione praedicta *.

* In corpore.

QUAESTIO VIGESIMA

DE HIS IN QUOS USUS CLAVIUM EXERCERI POTEST

Deinde considerandum est de his in quos usus clavium exerceri potest *.

* Cf. qu. xvii, Introd.

Circa quod tria quaeruntur.

Primo: utrum sacerdos possit in quemlibet hominem uti clave quam habet.

Secundo: utrum sacerdos possit semper suum subditum absolvere.

Tertio: utrum aliquis possit uti clavibus in suum superiorem.

ART. I. utrum sacerdos possit uti clave quam habet in quemlibet hominem

Supra, qu. viii, art. 4, 6; IV *Sent.*, dist. xxiv, qu. iii, art. 2, qu^a 1; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxii; *Quodl.* XII, qu. xix.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod sacerdos possit uti clave quam habet in quemlibet hominem. Potestas enim clavium in sacerdote descendit ex illa Domini auctoritate quae dicit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* *. Sed illud indeterminate dixit de omnibus. Ergo habens clavem indeterminate potest ea uti in quoslibet.

* Ioan. cap. xx, vers. 22, 23.

2. Praeterea, clavis corporalis quae aperit unam seram, aperit omnes alias eiusdem modi. Sed omne peccatum cuiuslibet hominis est eiusdem rationis obstaculum respectu introitus caeli. Ergo, si potest unum hominem sacerdos per clavem quam habet absolvere, poterit et quoscumque alios.

3. Praeterea, sacerdotium novi Testamenti est perfectius quam veteris. Sed sacerdos veteris Testamenti poterat uti sua potestate quam habebat discernendi *inter lepram et lepram* *, indifferenter in omnes. Ergo multo fortius sacerdos Evangelicus potest uti potestate sua in omnes.

* *Deut.*, cap. xvii, vers. 8 sqq.

Sed contra est quod dicitur XVI, qu. 1 *: *Nulli sacerdotum liceat parochianum alterius absolvere aut ligare.* Ergo non quilibet potest quemlibet absolvere.

* Append. Gratian. ad can. *Adiicimus.*

2. Praeterea, iudicium spirituale debet esse ordinatius quam temporale. Sed in iudicio temporali non potest quilibet iudex quemlibet iudicare. Ergo, cum usus clavium sit iudicium quoddam, non potest sacerdos sua clavi uti in quemlibet.

Respondeo dicendum quod ea quae circa singularia operari oportet, non eodem modo omnibus competunt. Unde sicut, post generalia medicinae praecepta, oportet adhiberi medicos, quibus praecepta universalia medicinae singulis infirmis secundum quod debent aptentur; ita in quolibet principatu, praeter illum qui universaliter praecepta legis tradit, oportet esse aliquos qui ea singulis secundum quod debent adaptent. Et propter hoc in caelesti hierarchia sub *potestatibus,* qui indistincte praesunt, ponuntur *principatus,* qui singulis provinciis distribuuntur, et sub his *angeli,* qui singulis hominibus in custodiam deputantur: ut patet ex his quae dicta sunt in Secundo Libro *. Unde et ita esse debet in praelatione Ecclesiae militantis: ut apud aliquem esset praelatio indistincte in omnes; et sub hoc essent alii qui super diversos distinctam potestatem acciperent. Et quia usus clavium requirit aliquam praelationis potestatem per quam ille in quem usus clavium communicatur, efficitur materia propria illius actus; ideo ille qui habet indistinctam potestatem super omnes, potest uti clavibus in omnes; illi autem qui sub eo distinctas potestates acceperunt, non in quoslibet uti possunt clavibus, sed in eos tantum qui eis in sortem venerunt; nisi in necessitatis articulo, ubi nemini sacramenta sunt deneganda.

* II *Sent.*, dist. XI, p. 1, qu. 1, art. 1, 2.

Ad primum ergo dicendum quod ad absolutionem a peccato requiritur duplex potestas: scilicet potestas ordinis, et potestas iurisdictionis. Prima quidem potestas aequaliter est in omnibus sacerdotibus, non autem secunda. Et ideo ubi Dominus, Ioan. XX, dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate quae consequitur ordinem. Unde et sacerdotibus, quando ordinantur, illa verba dicuntur. Sed Petro singulariter dedit potestatem dimittendi peccata, Matth. XVI *: ut intelligatur quod ipse prae aliis habet potestatem iurisdictionis. Potestas autem ordinis, quantum est de se, se extendit ad omnes absolvendos: et ideo indeterminate Dominus dixit, *Quorum remiseritis peccata;* intelligens tamen quod usus illius potestatis esse deberet praesupposita potestate Petro collata secundum ipsius ordinationem.

* Vers. 19.

Ad secundum dicendum quod etiam clavis materialis non potest aperire nisi seram propriam: nec aliqua virtus activa potest agere nisi in propriam materiam. Materia autem propria potestatis ordinis efficitur aliquis per iurisdictionem. Et ideo non potest aliquis clave uti in eum in quem iurisdictio non datur.

Ad tertium dicendum quod populus Israel unus populus erat, et unum tantummodo templum habebat. Unde non oportebat sacerdotum iurisdictiones distingui sicut in Ecclesia, in qua congregantur diversi populi et nationes.

ART. II. UTRUM SACERDOS POSSIT SEMPER SUUM SUBDITUM ABSOLVERE

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod sacerdos non possit semper suum subditum absolvere. Sicut enim Augustinus * in littera ** dicit, *nullus officio sacerdotis uti debet nisi immunis ab illis sit quae in aliis iudicat.* Sed quandoque contingit quod sacerdos est particeps criminis quod subditus suus commisit: sicut cum mulierem subditam cognovit. Ergo videtur quod non semper possit in suos subditos potestate clavium uti.

* *De Vera et fals. Poenit.*, cap. XX. Inter Opp. Aug. ** IV *Sent.*, dist. XIX, cap. *Qualem autem.*

2. Praeterea, per potestatem clavium homo ab omnibus defectibus curatur. Sed quandoque alicui peccato annexus est irregularitatis defectus, vel excommunicationis sententia, a qua simplex sacerdos liberare non potest. Ergo videtur quod non possit uti clavium potestate in illos qui talibus irretiti sunt.

3. Praeterea, sacerdotii nostri iudicium et potestas per iudicium veteris sacerdotii figuratur. Sed minoribus iudicibus secundum legem non omnia competebat discutere, sed ad superiores recurrebant: ut dicitur *Exod.* XXIV *: *Si quid natum fuerit quaestionis inter vos,* etc. Ergo videtur quod nec sacerdos de gravibus peccatis possit subditum suum absolvere, sed debeat ad superiorem remittere.

* Vers. 14.

Sed contra, *cuicumque committitur principale, committitur et accessorium* *. Sed sacerdotibus committitur quod subditis suis Eucharistiam dispensent, ad quam ordinatur absolutio a peccatis quibuscumque. Ergo sacerdos ab omnibus peccatis potest absolvere, quantum est de clavium potestate.

* Cf. cap. *Prudentiam tuam, de Offic. et Potest. Iud. deleg.*

2. Praeterea, gratia omne peccatum tollit, quantumcumque sit parva. Sed sacerdos sacramenta dispensat, quibus gratia datur. Ergo, quantum est de potestate clavium, de omnibus peccatis absolvere potest.

Respondeo dicendum quod potestas ordinis, quantum est de se, extendit se ad omnia peccata remittenda: sed quia ad usum huius potestatis requiritur iurisdictio, quae a maioribus in inferiores descendit, ideo potest superior aliqua sibi reservare, in quibus iudicium inferiori non committat. Alias, de quolibet potest simplex sacerdos iurisdictionem habens absolvere.

Sunt autem quinque casus in quibus oportet quod simplex sacerdos poenitentem ad superiorem remittat. Primus est quando est solennis poenitentia imponenda: quia eius minister proprius est episcopus *. – Secundus est de excommunicatis, quando inferior sacerdos non potest absolvere. – Tertius, quando invenit irregularitatem contractam, pro cuius dispensatione debet ad superiorem remittere. – Quartus de incendiariis *. – Quintus, quando est consuetudo in aliquo episcopatu quod enormia crimina, ad terrorem, reservantur episcopo. Quia consuetudo dat vel aufert in talibus potestatem.

* Can. *Presbyter.* caus. XXVI, qu. VI.

* Cap. *Tua nos, de Sent. Excomm.*

Ad primum ergo dicendum quod in tali casu nec sacerdos deberet audire confessionem mulieris cum qua peccavit de illo peccato, sed deberet ad alium mittere. Nec illa deberet ei confiteri, sed deberet petere licentiam ad alium eundi; vel ad superiorem recurrere, si ille licentiam denegaret. Tum propter periculum. Tum quia est minor verecundia. – Si tamen absolveret, absoluta esset. Quod enim Augustinus dicit, quod non debet esse in eodem crimine, intelligendum est secundum congruitatem, non secundum necessitatem sacramenti.

Ad secundum dicendum quod poenitentia ab omnibus defectibus culpae liberat, non autem ab omnibus defectibus poenae: quia adhuc post peractam poenitentiam de homicidio aliquis remanet irregularis. Unde sacerdos potest de crimine absolvere, et pro poena amovenda debet ad superiorem remittere: nisi in excommunicatione, quia absolutio ab ipsa debet praecedere absolutionem a peccato, quia, quandiu aliquis est excommunicatus, non potest recipere aliquod Ecclesiae sacramentum.

Ad tertium dicendum quod ratio illa procedit quantum ad haec in quibus sibi superiores potestates iurisdictionem reservant.

ART. III. UTRUM ALIQUIS POSSIT UTI CLAVIBUS IN SUUM SUPERIOREM

IV *Sent.*, dist. XVIII, qu. II, art. 3, qu^a 1, ad 3.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod aliquis non possit uti clavibus in suum superiorem. Actus enim sacramentalis quilibet requirit propriam materiam. Sed propria materia usus clavium est persona subiecta, ut dictum est *. Ergo in eo qui non est subditus, non potest clavibus sacerdos uti.

* Qu. XIX, art. 6.

2. Praeterea, Ecclesia militans imitatur triumphantem. Sed in caelesti Ecclesia inferior angelus nunquam *purgat* aut *illuminat* aut *perficit* superiorem *. Ergo nec aliquis inferior sacerdos potest uti actione hierarchica, quae est per absolutionem, in superiorem.

* Cf. Part. I, qu. CVI, art. 1, 2, 3.

3. Praeterea, iudicium conscientiae debet esse ordinatius quam iudicium exterioris fori. Sed in exteriori foro inferior non potest excommunicare aut absolvere superiorem. Ergo videtur quod nec in foro poenitentiali.

Sed contra, superior praelatus etiam *circumdatus est infirmitate* *, et contingit ipsum peccare. Sed remedium contra peccatum est potestas clavium. Ergo, cum ipse non possit in seipsum clave uti, quia non potest esse simul iudex et reus, videtur quod possit inferior in ipsum clavis potestate uti.

* *Ad Heb.*, cap. v, vers. 2.

2. Praeterea, absolutio, quae fit per virtutem clavium, ordinatur ad perceptionem Eucharistiae. Sed inferior potest superiori Eucharistiam dispensare, si petat. Ergo et clavium potestate in ipsum uti, si se ei subiecerit.

Respondeo dicendum quod potestas clavium, quantum est de se, extendit se ad omnes, ut dictum est *: sed quod in aliquem sacerdos non possit potestate clavium uti, contingit ex hoc quod eius potestas est ad aliquos specialiter limitata. Unde ille qui limitavit, potest extendere in quem voluerit. Et propter hoc etiam potestatem sibi dare potest in seipsum: quamvis ipse in seipsum uti clavium potestate non possit, quia potestas clavium requirit pro materia aliquem subiectum, et ita alium; sibi ipsi enim aliquis subiectus esse non potest.

* Art. 1, ad 1.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis episcopus quem simplex sacerdos absolvit, sit superior eo simpliciter, est tamen inferior eo inquantum ei se ut peccatorem subiicit.

Ad secundum dicendum quod in angelis non potest accidere aliquis defectus ratione cuius inferioribus suis superiores subdantur, sicut accidit in hominibus. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum quod iudicium exterius est secundum homines: sed iudicium confessionis est quoad Deum, apud quem aliquis redditur minor ex hoc quod peccat, non autem apud hominum praelationes. Et ideo in exteriori iudicio, sicut nullus in seipsum sententiam dare potest excommunicationis, ita nec alteri committere, nec se excommunicare. Sed in foro conscientiae potest alteri committere suam absolutionem: qua ipse uti non possit.

Vel dicendum quod absolutio in foro confessionis est principaliter potestatis clavium, et ex consequenti respicit iurisdictionem. Sed excommunicatio respicit totaliter iurisdictionem. Quantum autem ad potestatem ordinis omnes sunt aequales, non autem quantum ad iurisdictionem. Et ideo non est simile.

QUAESTIO VIGESIMAPRIMA

DE EXCOMMUNICATIONE

Consequenter videndum est de excommunicatione *. De qua primo considerandum est de definitione excommunicationis, et congruitate, et causa; secundo, de eo qui potest excommunicare et excommunicari *; tertio, de participatione cum excommunicatis *; quarto, de absolutione ab excommunicatione *.

* Cf. qu. xvii, Introd.
* Qu. xxii.
* Qu. xxiii.
* Qu. xxiv.

Circa primum quaeruntur quatuor.
Primo: utrum convenienter excommunicatio definiatur.
Secundo: utrum Ecclesia debeat aliquem excommunicare.
Tertio: utrum aliquis pro aliquo temporali damno sit excommunicandus.
Quarto: utrum excommunicatio iniuste lata aliquem effectum habeat.

ART. I. utrum competens sit haec definitio excommunicationis: « excommunicatio est separatio a communione ecclesiae quoad fructum et suffragia generalia »

I *ad Cor.*, cap. v, lect. I, III; I *ad Tim.*, cap. I, lect. IV.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod incompetens sit haec definitio excommunicationis a quibusdam posita: *Excommunicatio est separatio a communione Ecclesiae quoad fructum et suffragia generalia* *. Suffragia enim Ecclesiae valent eis pro quibus fiunt. Sed Ecclesia orat pro eis qui extra Ecclesiam sunt: sicut pro haereticis et paganis. Ergo etiam pro excommunicatis, qui extra Ecclesiam sunt. Et sic eis suffragia Ecclesiae valent.

* Definit. Iurist. - Cf. b. Alb. IV *Sent.*, dist. xviii, art. 16.

2. Praeterea, nullus amittit suffragia Ecclesiae nisi per culpam. Sed excommunicatio non est culpa, sed poena. Ergo per excommunicationem non separatur aliquis a suffragiis Ecclesiae communibus.

3. Praeterea, fructus Ecclesiae non videtur esse aliud quam suffragia: non enim potest intelligi de fructu bonorum temporalium, quia haec excommunicatis non auferuntur. Ergo inconvenienter utrumque ponitur.

4. Praeterea, excommunicatio minor quaedam excommunicatio est. Sed per eam homo non perdit suffragia Ecclesiae. Ergo definitio non est conveniens.

Respondeo dicendum quod ille qui per baptismum in Ecclesia ponitur, ad duo adscribitur: scilicet ad coetum fidelium; et ad participationem sacramentorum. Et hoc secundum praesupponit primum: quia in sacramentis participandis etiam fideles communicant. Et ideo aliquis potest extra Ecclesiam fieri per excommunicationem dupliciter. Uno modo, ita quod separaretur tantum a participatione sacramentorum. Et haec erit excommunicatio minor. – Alio modo, ita quod excludatur ab utroque. Et sic erit excommunicatio maior, quae hic definitur. – Non autem potest esse tertium, scilicet quod excludatur a communione fidelium et non a participatione sacramentorum, ratione iam dicta: quia scilicet fideles in sacramentis communicant.

Sed communicatio fidelium est duplex: quaedam in spiritualibus, sicut mutuae orationes, et conventus ad sacra percipienda; quaedam in corporalibus actibus legitimis. Qui quidem legitimi actus et licita communio his versibus continentur: *Si pro delictis anathema quis efficiatur: Os, orare, vale, communio, mensa negatur. Os* scilicet, ne osculum detur; *orare*, ne cum excommunicatis oremus; *vale*, ne salutentur; *communio*, ne scilicet in sacramentis cum ipsis aliquis communicet; *mensa negatur*, ne aliquis cum eis comedat *.

* Can. *Excommunicatos*, caus. XI, qu. III.

Praemissa ergo definitio importat separationem a sacramentis, in hoc quod dicit, *quantum ad fructum*; et a communione fidelium quantum ad spiritualia, in hoc quod dicit, *et suffragia Ecclesiae communia*.

Alia autem definitio invenitur quae datur secundum separationem ab utrisque actibus, quae talis est: *Excommunicatio est a qualibet licita communione vel legitimo actu separatio* *.

* S. Raym. *Sum.* lib. III, tit. xxxiii, *de Sentent.*, § vi. - Definit. Decretist. (Cf. b. Alb. loc. cit. supra).

Ad primum ergo dicendum quod pro infidelibus oratur, sed ipsi orationis fructum non percipiunt nisi ad fidem convertantur. Similiter et pro excommunicatis orari potest: quamvis non inter orationes quae pro membris Ecclesiae fiunt. Et tamen fructum non percipiunt quandiu in excommunicatione manent: sed oratur ut detur eis spiritus poenitentiae, ut ab excommunicatione solvantur.

Ad secundum dicendum quod suffragia alicuius valent alicui secundum quod ei continuantur. Potest tamen actio unius alteri continuari dupliciter. Uno modo, ex vi caritatis, quae omnes fideles connectit ut sint unum in Deo: sicut dicitur in Psalmo *: *Particeps ego sum*, etc. Et hanc continuationem excommunicatio non intercipit. Quia iuste quis excommunicari non potest nisi pro culpa mortali, per quam a caritate iam divisus est, etiam si non excommunicetur. Iniusta autem excommunicatio caritatem alicui auferre non potest: cum sit de *maximis bonis*, quae non possunt alicui invito auferri *.

* Ps. cxviii, vers. 63.
* Cf. Aug. *de Lib. Arb.* lib. II, cap. xix; *de Morib. Eccl. Cath.* etc., lib. I, capp. III, VI, IX.

Alio modo, per intentionem suffragia facientis, quae in aliquem fertur pro quo fiunt. Et hanc continuationem excommunicatio intercipit: quia Ecclesia per excommunicationis sententiam separat excommunicatos ab universitate fidelium, pro quibus suffragia facit; unde suffragia Ecclesiae ei non prosunt, quae pro tota Ecclesia fiunt. Nec ex persona Ecclesiae oratio pro eis inter membra Ecclesiae fieri potest: quamvis aliqua persona privata possit ad eius conversionem aliquod suffragium per intentionem dirigere.

Ad tertium dicendum quod fructus spiritualis Ecclesiae non solum est ex suffragiis, sed etiam ex perceptione sacramentorum et ex convictu fidelium.

Ad quartum dicendum quod minor excommunicatio non habet perfectam rationem excommunicationis, sed aliquid ipsius participat. Et ideo non oportet quod totaliter ei excommunicationis definitio conveniat, sed solum quoad aliquid.

ART. II. UTRUM ECCLESIA ALIQUEM DEBEAT EXCOMMUNICARE

IIa IIae, qu. XXXIX, art. 4.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Ecclesia nullum debeat excommunicare. Quia excommunicatio maledictio quaedam est. Sed *Rom.* XII * prohibemur maledicere. Ergo Ecclesia excommunicare non debet.

* Vers. 14.

2. Praeterea, Ecclesia militans debet imitari triumphantem. Sed, ut in Epistola Iudae * legitur, *Michael, cum altercaretur cum diabolo de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiae, sed ait: Imperet tibi Deus.* Ergo nec Ecclesia militans debet alicui iudicium maledictionis et excommunicationis inferre.

* Vers. 9.

3. Praeterea, nullus est in manum hostis tradendus nisi omnino desperatus. Sed per excommunicationem traditur aliquis in manum Satanae: ut patet I *Cor.* v *. Cum ergo de nemine sit desperandum in vita ista, Ecclesia nullum debet excommunicare.

* Vers. 5.

Sed contra est quod Apostolus, I *Cor.* v, mandat quendam excommunicari.

2. Praeterea, Matth. XVIII * dicitur de illo qui Ecclesiam audire contemnit: *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Sed ethnici sunt extra Ecclesiam. Ergo illi qui Ecclesiam audire contemnunt, per excommunicationem extra Ecclesiam sunt ponendi.

* Vers. 17.

Respondeo dicendum quod iudicium Ecclesiae conforme debet esse iudicio Dei. Deus autem peccatores multipliciter punit, ut ad bonum eos trahat: uno modo, flagellis castigando; alio modo, hominem sibi relinquendo, ut, auxiliis subtractis quibus a malo praepediebatur, suam infirmitatem cognoscat, et humilis ad Deum redeat, a quo superbus discesserat. Et quantum ad utrumque Ecclesia in excommunicationis sententia imitatur divinum iudicium. Inquantum enim eum a communione fidelium separat *ut erubescat* *, imitatur divinum iudicium quo per flagella castigat. Inquantum autem a suffragiis et aliis spiritualibus separat, imitatur divinum iudicium quo hominem sibi relinquit, ut per humilitatem seipsum cognoscens ad Deum redeat.

* Can. *Audi denique*, caus. XI, qu. III. - Cf. Mag. IV *Sent.*, dist. XVIII, cap. *Ligant quoque.*

Ad primum ergo dicendum quod maledictio potest esse dupliciter. Uno modo, ita quod in malo quod irrogat vel dicit, per intentionem sistat. Et sic maledictio omnibus modis est prohibita. – Alio modo, ita quod malum, quod quidem maledicendo imprecatur, ad bonum illius ordinet qui maledicitur. Et sic maledictio quandoque est licita et salutifera: sicut etiam medicus quandoque nocumentum infert infirmo, ut sectionem, per quam ab infirmitate liberetur.

Ad secundum dicendum quod diabolus incorrigibilis est: et ideo non susceptibilis alicuius boni per excommunicationis poenam.

Ad tertium dicendum quod ex hoc ipso quod aliquis suffragiis Ecclesiae privatur, triplex incommodum incurrit, per tria quae quis ex suffragiis Ecclesiae consequitur. Valent enim ad augmentum gratiae eis qui habent, vel ad merendum eis qui non habent. Et quantum ad hoc Magister Sententiarum * dicit quod *gratia Dei* per excommunicationem *subtrahitur.* – Valent etiam ad custodiam virtutis. Et quantum ad hoc dicit quod *protectio subtrahitur:* non quod omnino a Dei providentia excludantur, sed ab illa protectione qua filios Ecclesiae specialiori modo custodit. – Valent etiam ad defendendum ab hoste. Et quantum ad hoc dicit quod *diabolo maior potestas faciendi in ipsum datur,* et spiritualiter et corporaliter. Unde in primitiva Ecclesia, quando oportebat per signa homines ad fidem invitare, sicut Spiritus Sancti donum visibili signo manifestabatur *, ita et excommunicatio corporali vexatione a diabolo innotescebat. Nec est inconveniens si ille qui non est desperatus hosti datur: quia non datur ei quasi damnandus, sed quasi corrigendus; cum in potestate Ecclesiae sit ex eius manu ipsum cum voluerit eripere.

* Loc. cit. supra. Cf. art. 4, arg. 1.

* *Act.* cap. II, vers. 2 sqq.; cap. IV, vers. 31; cap. VIII, vers. 18; cap. X, vers. 44 sqq.; cap. XIX, vers. 6.

ART. III. UTRUM ALIQUIS PRO TEMPORALI DAMNO DEBEAT EXCOMMUNICARI

Quodl. I, qu. VII, art. 1, ad 1; *In Matth.*, cap. XVIII; I *ad Cor.*, cap. v, lect. III.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod nullus pro temporali damno debeat excommunicari. Quia poena non debet excedere culpam. Sed poena excommunicationis est privatio alicuius boni spiritualis, quod omnibus bonis temporalibus praeeminet. Ergo pro temporalibus nullus est excommunicandus.

2. Praeterea, *nulli malum pro malo reddere debemus,* secundum Apostoli praeceptum *. Sed hoc esset malum pro malo reddere, si pro tali damno quis excommunicatur. Ergo nullo modo hoc debet fieri.

* *Ad Rom.*, cap. XII, vers. 17.

Sed contra est quod Petrus Ananiam et Saphiram pro defraudatione pretii agri sententia mortis damnavit *. Ergo et Ecclesiae licet pro temporalibus damnis excommunicare.

* *Act.* cap. v, 1-10.

Respondeo dicendum quod per excommunicationem iudex ecclesiasticus excommunicatos excludit a Regno quodammodo. Unde, cum non debeat a Regno excludere nisi indignos, ut ex definitione clavis patuit *; nec aliquis redditur indignus nisi per peccatum mortale caritatem amiserit, quae est via ducens ad Regnum: ideo nullus excommunicari debet nisi pro peccato mortali *. Et quia in damnificando aliquem corporaliter vel in rebus temporalibus aliquis mortaliter peccat, et contra caritatem facit, ideo pro damno temporali illato Ecclesiae aliquem excommunicare potest.

* Qu. XVII, art. 2, arg. 1.

* Cf. can. *Nemo episcoporum*, caus. XI, qu. III.

Sed quia excommunicatio est gravissima poenarum; *poenae* autem *medicinae sunt,* secundum Philosophum, in II *Ethic.* *; sapientis autem medici est a levioribus incipere medicinis et minus periculosis: ideo excommunicatio infligi non debet, etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit, vel non veniendo ad iudicium, vel ante terminationem iudicii sine licentia recedendo, vel determinationi non parendo *. Tunc enim, post quam monitus fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur; et excommunicari debet a iudice, iam non habente quod contra ipsum faciat amplius.

* Cap. III, n. 4. - S. Th. lect. III.

* Can. *Certum est*, caus. XI, qu. III.

Ad primum ergo dicendum quod culpae quantitas non mensuratur ex nocumento quod quis facit, sed ex voluntate qua quis facit, contra caritatem agens. Et ideo, quamvis poena excommunicationis excedat nocumentum, non tamen excedit quantitatem culpae.

Ad secundum dicendum quod, cum aliquis per poenam aliquam corrigitur, non redditur ei malum, sed bonum: quia *poenae medicinae sunt,* ut dictum est *.

* In corpore.

ART. IV. UTRUM EXCOMMUNICATIO INIUSTE LATA ALIQUO MODO EFFECTUM HABEAT

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod excommunicatio iniuste lata nullo modo effectum habeat. Quia per excommunicationem *protectio et gratia Dei subtrahitur* *, quae non iniuste subtrahi potest. Ergo excommunicatio iniuste lata non habet effectum.

* Mag. IV *Sent.*, dist. XVIII, cap. *Ligant quoque.*

2. Praeterea, Hieronymus dicit * quod est *de supercilio Pharisaeorum* aestimare esse ligatum vel solutum qui ligatur vel solvitur iniuste. Sed eorum supercilium erat superbum et erroneum. Ergo excommunicatio iniusta nullum habet effectum.

* *Comment. in Matth.* lib. III, ad cap. XVI, vers. 19.

Sed contra: secundum Gregorium *, *praecepta pastoris, sive iusta sive iniusta, timenda sunt.* Non autem essent timenda nisi aliquid nocerent etiam iniusta. Ergo, etc.

* Homil. XXVI *in Evang.* - Cf. can. *Sententia*, caus. XI, qu. III.

Respondeo dicendum quod excommunicatio potest dici iniusta dupliciter. Uno modo, ex parte excommunicantis: sicut cum ex odio vel ex ira aliquis excommunicat. Et tunc excommunicatio nihilominus habet effectum suum, quamvis ille qui excommunicat peccet: quia iste iuste patitur, quamvis ille iniuste faciat.

Alio modo, ex parte excommunicationis ipsius: vel quia causa excommunicationis est indebita; vel quia infertur sententia iuris ordine praetermisso. Et tunc, si sit talis error ex parte sententiae qui sententiam nullam esse faciat, non habet effectum: quia non est excommunicatio.

Si autem non annullet sententiam, habet effectum suum. Et debet excommunicatus humiliter obedire, et erit ei ad meritum; vel absolutionem petere debet ab excommunicante; vel ad superiorem iudicem recurrere. Si autem contemneret, eo ipso mortaliter peccaret.

Contingit autem quandoque quod est debita causa ex parte excommunicantis quae non est debita ex parte excommunicati: sicut cum quis pro falso crimine in iudicio probato excommunicatur. Et tunc, si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis homo gratiam Dei iniuste amittere non possit, potest tamen iniuste amittere illa quae ex parte nostra sunt quae ad gratiam Dei disponunt: sicut patet si subtrahatur alicui doctrinae verbum quod ei debetur. Et hoc modo excommunicatio gratiam Dei subtrahere dicitur, ut in praedictis * patet.

* Art. 2, ad 3.

Ad secundum dicendum quod Hieronymus loquitur quantum ad culpas, et non quantum ad poenas: quae possunt etiam iniuste infligi a rectoribus ecclesiarum.

QUAESTIO VIGESIMASECUNDA

DE HIS QUI POSSUNT EXCOMMUNICARE ET EXCOMMUNICARI

Deinde considerandum est de his qui posssunt excommunicare et excommunicari *.

* Cf. qu. xxi, Introd.

Circa quod quaeruntur sex.

Primo: utrum quilibet sacerdos possit excommunicare.
Secundo: utrum non-sacerdos excommunicare possit.
Tertio: utrum excommunicatus vel suspensus possit excommunicare.
Quarto: utrum aliquis seipsum, vel aequalem vel superiorem possit excommunicare.
Quinto: utrum aliqua universitas excommunicari possit.
Sexto: utrum semel excommunicatus excommunicari possit ulterius.

ART. I. utrum quilibet sacerdos possit excommunicare

Ad primum sic proceditur. Videtur quod quilibet sacerdos possit excommunicare. Excommunicatio enim est actus clavium *. Sed quilibet sacerdos habet claves. Ergo quilibet potest excommunicare.

* Mag. IV *Sent.*, dist. xviii, cap. *Ligant quoque.*

2. Praeterea, maius est solvere et ligare in foro poenitentiae quam in foro iudicii. Sed quilibet sacerdos potest sibi subditos in foro poenitentiali absolvere et ligare. Ergo etiam potest sibi subditos quilibet sacerdos excommunicare.

Sed contra, ea in quibus imminet periculum, sunt maioribus reservanda. Sed poena excommunicationis est valde periculosa, nisi cum moderamine fiat. Ergo non debet cuilibet sacerdoti committi.

Respondeo dicendum quod in foro conscientiae causa agitur inter hominem et Deum: in foro autem exterioris iudicii causa agitur hominis ad hominem. Et ideo absolutio vel ligatio quae unum hominem obligat quoad Deum tantum, pertinet ad forum poenitentiae: sed illa quae hominem obligat in comparatione ad alios homines, ad forum publicum exterioris iudicii pertinet. Et quia homo per excommunicationem a communione fidelium separatur, ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet. Et ideo illi soli possunt excommunicare qui habent iurisdictionem in foro iudiciali. Et propter hoc soli episcopi propria auctoritate et maiores praelati, secundum communiorem opinionem, possunt excommunicare: sed presbyteri parochiales non nisi ex commissione eis facta, vel in certis casibus, sicut in furto et rapina et huiusmodi, in quibus est eis a iure concessum quod excommunicare possint *.

* Vide cap. *Cum ab Ecclesiarum praelatis, de Offic. Iudic. ordin.*- Cf. Gloss. Ord. ibid.

Alii * autem dixerunt quod etiam sacerdotes parochiales possunt excommunicare. Sed praedicta opinio est rationabilior.

* S. Raym. *Sum.* lib. III, *de Sententiis* etc.

Ad primum ergo dicendum quod excommunicatio non est actus clavis directe, sed magis respectu exterioris iudicii. Sed sententia excommunicationis, quamvis in exteriori iudicio promulgetur, quia tamen aliquo modo pertinet ad aditum Regni, secundum quod Ecclesia militans est via ad triumphantem; ideo etiam talis iurisdictio per quam homo excommunicare potest, clavis potest dici. Et secundum hoc a quibusdam distinguitur quod est *clavis ordinis,* quam omnes sacerdotes habent; et *clavis iurisdictionis in foro iudiciali,* quam habent soli iudices exterioris fori *. Utramque tamen Deus Petro contulit, *Matth.* xvi *: et ab ipso in alios descendit qui utramque habent.

* Cf. qu. xix, art. 3.
* Vers. 19.

Ad secundum dicendum quod sacerdotes parochiales habent quidem iurisdictionem in subditos suos quantum ad forum conscientiae, sed non quantum ad forum iudiciale: quia non possunt conveniri coram eis in causis contentiosis. Et ideo excommunicare non possunt: sed absolvere possunt in foro poenitentiali. Et quamvis forum poenitentiale sit dignius, tamen in foro iudiciali maior solemnitas requiritur: quia in eo oportet quod non solum Deo, sed etiam homini satisfiat.

ART. II. utrum non-sacerdotes excommunicare possint

Supra, qu. xix, art. 3.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non-sacerdotes excommunicare non possint. Quia excommunicatio est actus clavium, ut in IV *Sententiarum* * dicitur. Sed non-sacerdotes non habent claves. Ergo excommunicare non possunt.

* Dist. xviii, cap. *Ligant quoque.*

2. Praeterea, plus requiritur ad excommunicationem quam ad absolutionem in foro poenitentiae. Sed non-sacerdos in foro poenitentiae absolvere non potest. Ergo nec excommunicationem inferre.

Sed contra est quod archidiaconi, legati et electi excommunicant, qui quandoque non sunt sacerdotes. Ergo non solum sacerdotes excommunicare possunt.

Respondeo dicendum quod sacramenta, in quibus gratia confertur, dispensare ad solos sacerdotes pertinet. Et ideo ipsi soli possunt absolvere et ligare in foro poenitentiali. Sed excommunicatio non directe respicit gratiam, sed ex consequenti, inquantum homo suffragiis Ecclesiae privatur, quae ad gratiam disponunt vel in gratia conservant. Et ideo etiam non-sacerdotes, dummodo iurisdictionem habeant in foro contentioso, possunt excommunicare.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis non habeant clavem ordinis, habent tamen clavem iurisdictionis.

Ad secundum dicendum quod ista duo se habent sicut excedentia et excessa. Et ideo alicui competit unum cui non competit aliud.

ART. III. utrum excommunicatus vel suspensus excommunicare possit

II^a II^{ae}, qu. xxxix, art. 3.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod excommunicatus vel suspensus excommunicare possit. Ille enim qui est excommunicatus vel suspensus, neque ordinem neque iurisdictionem amittit: quia neque reordinatur cum absolvitur, neque cura iterum ei committitur. Sed excommunicatio non requirit nisi ordinem vel iurisdictionem. Ergo etiam excommunicatus vel suspensus excommunicare possunt.

2. Praeterea, maius est conficere corpus Christi quam excommunicare. Sed excommunicati conficere possunt *. Ergo et excommunicare possunt.

* IV *Sent.*, dist. xiii, qu. i, art. 1, qu^a 3; Part. III, qu. lxxxii, art. 7.

Sed contra, ligatus corporaliter non potest alium ligare. Sed vinculum spirituale est fortius quam corporale. Ergo excommunicatus non potest alium excommunicare: cum excommunicatio sit vinculum spirituale.

Respondeo dicendum quod usus iurisdictionis est in comparatione ad alium hominem. Et ideo, cum omnis excommunicatus a communione fidelium separetur, quilibet excommunicatus usu iurisdictionis privatur. Et quia excommunicatio est iurisdictionis, ideo excommunicatus excommunicare non potest.

Et eadem ratio est de suspenso a iurisdictione. Si enim sit suspensus ab ordine tantum, tunc non potest ea quae sunt ordinis, sed potest ea quae sunt iurisdictionis. Et e converso si sit suspensus a iurisdictione et non ab ordine. Si autem ab utroque, tunc neutrum potest.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis non amittat iurisdictionem, amittit tamen iurisdictionis usum.

Ad secundum dicendum quod conficere consequitur potestatem characteris, qui indelebilis est. Et ideo homo, ex quo characterem ordinis habet, semper potest conficere: licet non semper ei liceat. Secus autem est de excommunicatione, quae iurisdictionem sequitur, quae auferri potest et ligari.

ART. IV. Utrum aliquis possit seipsum, vel aequalem vel superiorem excommunicare

Supra, qu. xx, art. 3, ad 3; IV *Sent.*, dist. xx, art. 5, qu^a 4, ad 3.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod aliquis possit seipsum, vel aequalem vel superiorem excommunicare. Quia angelus Dei maior erat Paulo: Matth. xi *, *Qui minor est in regno caelorum, maior est eo quo nemo inter natos mulierum maior.* Sed Paulus excommunicavit *angelum de caelo:* ut patet *Galat.* i *. Ergo homo potest superiorem excommunicare.

* Vers. 11.
* Vers. 8.

2. Praeterea, sacerdos aliquando excommunicat in generali pro furto, vel pro aliquo huiusmodi *. Sed potest contingere quod ipsemet fecit, vel superior aut aequalis. Ergo aliquis potest se, vel aequalem vel superiorem excommunicare.

* Cf. art. 1.

3. Praeterea, aliquis potest superiorem absolvere in foro poenitentiali, vel aequalem: sicut cum episcopi suis subditis confitentur, et cum unus sacerdos alteri venialia confitetur. Ergo videtur quod etiam excommunicare aliquis superiorem vel aequalem possit.

Sed contra, excommunicatio est actus iurisdictionis. Sed aliquis non habet in se iurisdictionem: quia in eadem causa non potest quis esse reus et iudex. Nec iterum in superiorem vel aequalem. Ergo non potest aliquis superiorem vel aequalem, aut se excommunicare.

Respondeo dicendum quod, cum per iurisdictionem aliquis constituatur in gradu superioritatis respectu eius in quem habet iurisdictionem, quia iudex est eius; ideo nullus habet in seipsum, vel in superiorem vel aequalem iurisdictionem. Et per consequens nullus potest seipsum excommunicare, vel superiorem aut aequalem.

Ad primum ergo dicendum quod Apostolus loquitur sub hypothesi, idest, *si poneretur angelus peccare:* sic enim non esset Apostolo superior, sed inferior. Nec est inconveniens quod in conditionalibus quarum antecedentia impossibilia sunt, et consequentia impossibilia sint *.

Ad secundum dicendum quod in tali casu nullus excommunicatur: quia *par in parem non habet imperium* *.

* Cf. Aristot. *de Cael.* lib. I, cap. xii, n. 2. - S. Th. lect. xxvi.
* Cap. *Innotuit, de Electione.*

Ad tertium dicendum quod absolutio et ligatio in foro confessionis est quoad Deum tantum, apud quem aliquis alio superior redditur inferior per peccatum. Sed excommunicatio est in iudicio exteriori, in quo aliquis non amittit superioritatem ex hoc ipso quod peccat. Unde non est similis ratio de utroque.

Et tamen etiam in foro confessionis aliquis non potest seipsum absolvere; nec superiorem aut aequalem, nisi ex commissione sibi facta. De venialibus autem potest: quia venialia ex quibuslibet sacramentis gratiam conferentibus remittuntur; unde remissio venialium sequitur potestatem ordinis.

ART. V. Utrum in aliquam universitatem sententia excommunicationis ferri possit

Quodl. X, qu. vii, art. 1, ad 1.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod in aliquam universitatem sententia excommunicationis ferri possit. Contingit enim quod aliqua universitas sibi in malitia colligatur. Sed pro malitia in qua quis contumax exstitit, debet excommunicatio ferri. Ergo potest in aliquam universitatem ferri excommunicatio.

2. Praeterea, illud quod est gravissimum in excommunicatione, est separatio a sacramentis Ecclesiae. Sed aliquando tota civitas interdicitur a divinis. Ergo et excommunicari universitas aliqua potest.

Sed contra est Glossa * Augustini, Matth. xiii **, quae dicit quod *princeps et multitudo non est excommunicanda.*

* Ord.
** Vers. 29.

Respondeo dicendum quod excommunicari non debet aliquis nisi pro peccato mortali. Peccatum autem in actu consistit. Actus autem non est communitatis, sed singularium personarum, ut frequenter. Et ideo singuli de communitate excommunicari possunt, non autem ipsa communitas.

Et si sit quandoque etiam actus alicuius totius multitudinis, ut quando multi navem trahunt quam nullus trahere posset, tamen non est probabile quod aliqua communitas ita tota ad malum consentiat quin aliqui sint dissentientes. Et quia non *non est Dei, qui iudicat omnem terram, ut condemnet iustum cum impio,* ut dicitur *Gen.* xviii *; ideo Ecclesia, quae Dei iudicium imitari debet, satis provide statuit * ut communitas non excommunicetur, *ne, collectis zizaniis, simul eradicetur et triticum* *.

* Vers. 25.
* Cf. can. *Si habes,* caus. XXIV, qu. iii: cap. *Romana Eccles., de Sent. Excomm.,* in Sexto.
* Matth. loc. cit.

Ad primum ergo patet solutio ex dictis.

Ad secundum dicendum quod suspensio non tanta poena est quanta excommunicatio: quia suspensi non fraudantur Ecclesiae suffragiis, sicut excommunicati. Unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur: sicut et totum regnum ponitur sub interdicto pro peccato regis. Et ideo non est simile de excommunicatione et suspensione.

ART. VI. Utrum ille qui semel est excommunicatus, ulterius excommunicari possit

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod ille qui semel est excommunicatus, ulterius excommunicari non possit. I *Cor.* v * dicit Apostolus: *Quid mihi est de his qui foris sunt iudicare?* Sed excommunicati iam sunt extra Ecclesiam. Ergo super eos Ecclesia iudicium non habet, ut possit eos iterum excommunicare.

* Vers. 12.

2. Praeterea, excommunicatio est separatio quaedam a divinis et a communione fidelium. Sed postquam est aliquis privatus aliquo, non potest iterum illo privari. Ergo unus excommunicatus non debet iterum excommunicari.

Sed contra, excommunicatio quaedam poena est et medicinale remedium. Sed poenae omnes et medicinae iterantur cum causa exigit. Ergo excommunicatio iterari potest.

Respondeo dicendum quod ille qui excommunicatus est una excommunicatione, potest iterum excommunicari: vel per eiusdem excommunicationis iterationem, ad maiorem sui confusionem, ut vel sic a peccato resiliat; vel propter alias causas. Et tunc tot sunt principales excommunicationes quot causae pro quibus quis excommunicatur.

Ad primum ergo dicendum quod Apostolus loquitur de paganis et aliis infidelibus, qui non habent characterem, per quem annumerati sint populo Dei. Sed quia character baptismalis, quo quis populo Dei annumeratur, est indelebilis, ideo semper remanet aliquo modo de Ecclesia baptizatus. Et sic semper Ecclesia de illo iudicare potest.

Ad secundum dicendum quod privatio, quamvis non recipiat maius et minus secundum se, recipit tamen secundum causam suam. Et secundum hoc, excommunicatio potest iterari. Et magis est elongatus a suffragiis Ecclesiae qui pluries est excommunicatus, quam qui semel tantum.

QUAESTIO VIGESIMATERTIA

DE PARTICIPATIONE CUM EXCOMMUNICATIS

Deinde considerandum est de participatione cum excommunicatis *.

* Cf. qu. xxi, Introd.

Circa quod quaeruntur tria.

Primo: utrum liceat excommunicato participare in puris corporalibus.

Secundo: utrum participans excommunicato sit excommunicatus.

Tertio: utrum participare excommunicato in casibus non concessis semper sit peccatum mortale.

ART. I. Utrum liceat excommunicato communicare in pure corporalibus

II^a II^{ae}, qu. xxxi, art. 2, ad 3; qu. xxxix, art. 4, ad 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod liceat excommunicato communicare in pure corporalibus. Excommunicatio enim est actus clavium *. Sed potestas clavium se extendit ad spiritualia tantum. Ergo per excommunicationem non prohibetur quin unus alii in corporalibus communicare possit.

* IV *Sent.*, dist. xviii, cap. *Ligant quoque.*

2. Praeterea, *quod est institutum pro caritate, contra caritatem non militat* *. Sed ex praecepto caritatis tenemur inimicis subvenire, quod sine aliqua communicatione fieri non potest. Ergo licet alicui excommunicato in corporalibus communicare.

* S. Bern. *de Praecept. et Dispens.*, cap. II, n. 5.

Sed contra est quod dicitur I *Cor.* v *: *Cum eiusmodi nec cibum sumere.*

* Vers. 11.

Respondeo dicendum quod duplex est excommunicatio. Una est minor, quae separat tantum a participatione sacramentorum, sed non a communione fidelium. Et ideo tali excommunicato licet communicare, sed non licet ei sacramenta conferre.

Alia est maior excommunicatio: et haec separat hominem a sacramentis Ecclesiae et a communione fidelium. Et ideo tali excommunicato communicare non licet. Sed quia Ecclesia excommunicationem ad medelam, et non ad interitum inducit, excipiuntur ab hac generalitate quaedam in quibus communicare licet, scilicet in his quae pertinent ad salutem. Quia in talibus homo licite cum excommunicato loqui potest: et etiam alia verba interserere, ut facilius salutis verba ex familiaritate recipiantur.

Excipiuntur etiam quaedam personae, ad quas specialiter pertinet provisio excommunicati: ut *uxor, filius, servus rusticus et serviens* *. Sed hoc intelligendum est de filiis non emancipatis: alias tenentur vitare patrem. De aliis autem intelligitur quod licet excommunicato communicare si ante excommunicationem se ei subdiderunt: non autem si post *. – Quidam ** autem intelligunt e converso, scilicet quod superiores possunt licite communicare inferioribus. Alii * vero contradicunt. Sed ad minus in his communicare eis debent in quibus sunt eis obligati: quia, sicut inferiores obligantur ad obsequium superiorum, ita superiores ad providentiam inferiorum.

* Can. *Quoniam multos*, caus. XI, qu. III.
* Cap. *Inter alia, de Sentent. Excomm.*
** Halens. *Sum.* p. IV, qu. XXIII, m. 1, art. 6, § 1.
* Gloss. in can. *Quoniam multos*, ubi supra.

Sunt etiam quidam casus excepti *: sicut *quando ignoratur excommunicatio;* et quando aliqui sunt *peregrini et viatores in terra excommunicatorum,* qui licite possunt ab eis *emere,* vel etiam *accipere* eleemosynam. Et similiter etiam si aliquis videat excommunicatum in necessitate *: quia tunc ex praecepto caritatis tenetur ei providere.

* Can. cit.
* Ibid.

Et ista hoc versu continentur: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse:* ut *utile* referatur ad verba salutis, *lex* ad matrimonium, *humile* ad subiectionem. Cetera patent.

Ad primum ergo dicendum quod corporalia ad spiritualia ordinantur. Et ideo potestas quae se extendit ad spiritualia, etiam ad corporalia se extendere potest: sicut *ars quae est de fine, imperat de his quae sunt ad finem* *.

* Aristot. *Ethic.* lib. II, cap. 1, n. 4. – S. Th. lect. 1.

Ad secundum dicendum quod in illo casu in quo aliquis ex praecepto caritatis communicare tenetur, non prohibetur communio, ut ex dictis * patet.

* In corpore.

ART. II. utrum participans excommunicato sit excommunicatus

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod participans excommunicato non sit excommunicatus. Plus enim separatus est ab Ecclesia gentilis quam excommunicatus. Sed ille qui participat gentili aut Iudaeo, non est excommunicatus. Ergo nec ille qui participat Christiano excommunicato.

2. Praeterea, si ille qui participat excommunicato est excommunicatus, eadem ratione qui participat participanti erit excommunicatus: et sic in infinitum procedet. Quod videtur absurdum. Ergo non est excommunicatus qui excommunicato participat.

Sed contra est quod excommunicatus est positus extra communionem. Ergo qui ei communicat, a communione Ecclesiae recedit. Et sic videtur quod sit excommunicatus.

Respondeo dicendum quod excommunicatio potest in aliquem ferri dupliciter. Aut ita quod ipse sit excommunicatus cum omnibus ei participantibus. Et tunc non est dubium quod quicumque participat ei, est excommunicatus maiori excommunicatione. – Aut est excommunicatus simpliciter. Et tunc aut participat aliquis in crimine, ei praebendo consilium, auxilium aut favorem: et sic iterum est excommunicatus maiori excommunicatione *. Aut in aliis, sicut in verbo vel in osculo vel in mensa *: et sic est excommunicatus minori excommunicatione.

* Can. *Praecipue*, sqq., caus. XI, qu. III.
* Can. *Excommunicatos*, ibid.

Ad primum ergo dicendum quod Ecclesia non ita intendit corrigere infideles sicut fideles, quorum cura sibi incumbit. Et ideo non arcet a communione infidelium, sicut a communione fidelium illorum quos excommunicat, super quos habet aliquam potestatem.

Ad secundum dicendum quod excommunicato minori excommunicatione licet communicare. Et sic excommunicatio non transit in tertiam personam *.

* Can. *Quoniam multos*, ibid.

ART. III. utrum participare cum excommunicato in casibus non concessis semper sit peccatum mortale

Quodl. XI, qu. VIII, art. 2.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod participare cum excommunicato in casibus non concessis semper sit peccatum mortale. Quia decretalis quaedam * respondet quod propter metum mortis non debet aliquis excommunicato communicare, quia aliquis debet prius subire mortem quam mortaliter peccet. Sed haec ratio nulla esset nisi participare excommunicato esset peccatum mortale. Ergo, etc.

* Cap. *Sacris, de His quae vi metusve* etc.

2. Praeterea, facere contra praeceptum Ecclesiae est peccatum mortale. Sed Ecclesia praecipit quod excommunicato nullus communicet. Ergo participare excommunicato est peccatum mortale.

3. Praeterea, nullus arcetur a perceptione Eucharistiae pro peccato veniali. Sed ille qui participat excommunicato in casibus non concessis arcetur a perceptione Eucharistiae: quia incurrit minorem excommunicationem. Ergo participans excommunicato in casibus non concessis peccat mortaliter.

4. Praeterea, nullus debet excommunicari maiori excommunicatione nisi pro peccato mortali. Sed aliquis, secundum iura *, potest excommunicari maiori excommunicatione propter hoc quod excommunicato participat. Ergo excommunicato participare est peccatum mortale.

* Can. *Praecipue*, sqq., caus. XI, qu. III.

Sed contra, a peccato mortali nullus potest absolvere nisi super eum habeat iurisdictionem. Sed potest absolvere a participatione cum excommunicatis quilibet sacerdos. Ergo non est peccatum mortale.

2. Praeterea, *pro mensura peccati debet esse poenitentiae modus* *. Sed pro participatione excommunicationis secundum communem consuetudinem non imponitur poena debita mortali peccato, sed magis debita veniali. Ergo non est peccatum mortale.

* Cf. *Deut.* cap. XXV, vers. 2.

Respondeo dicendum quod quidam dicunt quod, quandocumque aliquis participat excommunicato vel verbo vel quocumque dictorum * modorum secundum quos ei communicare non licet, peccat mortaliter, nisi in casibus exceptis a iure *. – Sed quia hoc videtur valde grave, quod homo pro uno verbo levi, quo excommunicatum alloquitur, mortaliter peccet; et multis excommunicantes laqueum damnationis iniicerent, quod in eos retorqueretur: ideo aliis probabilius videtur quod non semper peccat mortaliter, sed solum quando in crimine sibi participat, vel in divinis, vel in contemptum Ecclesiae *.

* Art. praeced.
* Can. *Quoniam multos*, caus. XI, qu. III.
* Cf. Halens. *Sum.* p. IV, qu. XXIII, m. 1, art. 6, § 2; b. Albert. IV *Sent.*, dist. XVIII, art. 21.

Ad primum ergo dicendum quod decretalis illa loquitur de participatione in divinis.

Vel dicendum quod similis ratio est de peccato mortali et de veniali quantum ad hoc quod, sicut peccatum mortale non potest bene fieri, ita nec veniale. Et ideo, sicut homo debet prius sustinere mortem quam peccet mortaliter, ita etiam quam peccet venialiter: illo modo debiti quo debet venialia vitare.

Ad secundum dicendum quod praeceptum Ecclesiae directe respicit spiritualia, et ex consequenti legitimos actus. Et ideo qui communicat eis in divinis, facit contra praeceptum, et mortaliter peccat: qui autem participat eis in aliis, facit praeter praeceptum, et venialiter peccat.

Ad tertium dicendum quod aliquis etiam sine aliqua culpa quandoque ab Eucharistia arctatur, sicut patet in suspensis vel interdictis: quia tales poenae quandoque alicui pro culpa alterius, quae in eis punitur, inferuntur.

Ad quartum dicendum quod, quamvis participare excommunicato sit peccatum veniale, tamen participare pertinaciter est peccatum mortale. Et propter hoc potest aliquis excommunicari secundum iura *.

* Can. *Nemo episcoporum*, caus. XI, qu. III.

QUAESTIO VIGESIMAQUARTA

DE ABSOLUTIONE AB EXCOMMUNICATIONE

Deinde considerandum est de absolutione ab excommunicatione *.

* Cf. qu. XXI, Introd.

Circa quod tria quaeruntur.

Primo: utrum quilibet sacerdos possit subditum suum ab excommunicatione absolvere.

Secundo: utrum aliquis possit invitus ab excommunicatione absolvi.

Tertio: utrum aliquis possit absolvi ab una excommunicatione et non ab alia.

ART. I. UTRUM QUILIBET SACERDOS SUBDITUM SUUM POSSIT AB EXCOMMUNICATIONE ABSOLVERE

Ad primum sic proceditur. Videtur quod quilibet sacerdos subditum suum possit ab excommunicatione absolvere. Maius enim est vinculum peccati quam excommunicationis. Sed quilibet sacerdos potest suum subditum a peccato absolvere. Ergo multo fortius ab excommunicatione.

2. Praeterea, remota causa removetur effectus. Sed excommunicationis causa est peccatum mortale. Ergo, cum possit quilibet sacerdos a peccato illo mortali absolvere, poterit ab excommunicatione similiter.

Sed contra, eiusdem potestatis est excommunicare et excommunicatum absolvere. Sed sacerdotes inferiores non possunt suos subditos excommunicare. Ergo nec absolvere.

Respondeo dicendum quod a minori excommunicatione quilibet potest absolvere qui potest a peccato participationis absolvere. Si autem est maior, aut est lata a iudice: et sic ille qui tulit, vel eius superior, potest absolvere. Vel est lata a iure: et tunc episcopus, vel etiam sacerdos potest absolvere, exceptis sex casibus quos sibi iuris conditor, scilicet Papa, reservavit. Primus est quando aliquis iniicit manus in clericum vel religiosum *; secundus est de illo qui incendit ecclesiam, et est denuntiatus *; tertius est de illo qui frangit ecclesiam, et denuntiatus est *; quartus est de illo qui in divinis communicat scienter excommunicatis nominaliter a Papa *; quintus, de illo qui falsificat litteras Sedis Apostolicae *; sextus de illo qui excommunicatis in crimine communicat *. Non enim debet absolvi nisi ab eo qui excommunicavit, etiam si non sit eius subditus: nisi, propter difficultatem accedendi ad ipsum, absolveretur ab episcopo, vel a sacerdote proprio, praestita iuratoria cautione quod parebit mandato illius iudicis qui sententiam tulit *.

A primo autem casu octo excipiuntur. Primus est in articulo mortis *, in quo a qualibet excommunicatione potest quis a quolibet sacerdote absolvi *; secundus, si sit ostiarius alicuius potentis, et non ex odio vel proposito percussit *; tertius, si percutiens sit mulier **; quartus, si sit servus, et dominus laederetur de eius absentia, qui non est in culpa *; quintus, si regularis regularem, et non sit enormis excessus *; sextus, si sit pauper **; septimus, si sit impubes, vel senex, vel valetudinarius *; octavus, si habeat inimicitias capitales *.

Sunt etiam alii casus in quibus percutiens clericum excommunicationem non incurrit. Primo, si causa disciplinae, ut magister vel praelatus, percusserit *; secundo, si iocosa levitate *; tertio, si invenerit eum turpiter agentem cum uxore vel matre vel sorore vel filia *; quarto, si statim vim vi repellat *; quinto, si ignoret eum esse clericum *; sexto, si inveniat eum in apostasia post tertiam admonitionem *; septimo, si transfert se clericus ad actum penitus contrarium, ut si fiat miles *, vel ad bigamiam transeat *.

* Can. *Si quis suadente*, caus. XVII, qu. IV; cap. *Non dubium, de Sent. Excomm.*
* Ibid., cap. *Tua nos.*
* Ibid., cap. *Conquesti.*
* Ibid., cap. *Significavit.*
* Cap. *Ad falsariorum, de Crim. Fals.*
* Cap. *Nuper a nobis, de Sent. Excomm.*
* Ibid.
* Cap. *Quamvis incidens, de Sent. Excomm.*
* Cf. Can. *His qui in tempore*, caus. XXVI, qu. VI; Gloss. in cap. *A nobis, de Sent. Excomm.*
* Ibid., cap. *Si vero alicuius.*
** Ibid., capp. *Mulieres* et *Ea noscitur.*
* Ibid., cap. *Relatum.*
* Ibid., cap. *Monachi.*
** Ibid., cap. *Quamvis incidens.*
* Ibid., capp. *Super eo, Mulieres* et *Ea noscitur.*
* Ibid., cap. *De cetero.*
* Ibid., cap. *Super eo.*
* Ibid., in eod. cap.
* Ibid., cap. *Si vero alicuius.*
* Ibid., in eod. cap.
* Ibid., cap. *Si vero aliquis.*
* Ibid., cap. *Contingit interdum* (cap. XLV).
* Ibid., cap. *In audientia.*
* Can. *Quisquis clericus*, dist. LXXXIV.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis vinculum peccati sit maius simpliciter quam excommunicatio, tamen quoad aliquid vinculum excommunicationis est maius, inquantum non solum obligat quoad Deum, sed etiam in facie Ecclesiae. Et ideo in absolvendo ab excommunicatione requiritur iurisdictio in exteriori foro: non autem in absolutione a peccato; nec exigitur cautio iuramenti, sicut exigitur in absolutione ab excommunicatione; per iuramentum enim controversiae quae sunt inter homines terminantur, secundum Apostolum *.

* *Ad Heb.*, cap. VI, vers. 16.

Ad secundum dicendum quod, cum excommunicatus non sit particeps sacramentorum Ecclesiae, sacerdos non potest absolvere excommunicatum a culpa nisi sit prius absolutus ab excommunicatione.

ART. II. UTRUM ALIQUIS POSSIT ABSOLVI INVITUS

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod nullus possit absolvi invitus. Spiritualia enim non conferuntur invito alicui. Sed absolutio ab excommunicatione est beneficium spirituale. Ergo non potest praestari invito.

2. Praeterea, excommunicationis causa est contumacia. Sed quando aliquis non vult absolvi, excommunicationem contemnens, tunc est maxime contumax. Ergo non potest absolvi.

Sed contra, excommunicatio contra voluntatem alicui potest inferri. Sed quae contra voluntatem eveniunt, etiam contra voluntatem amoveri possunt: sicut patet de bonis fortunae. Ergo excommunicatio potest tolli ab aliquo invito.

Respondeo dicendum quod malum culpae et poenae in hoc differunt quod culpae principium est in nobis, quia omne peccatum voluntarium est; poenae autem principium quandoque extra nos est. Non enim requiritur ad poenam quod sit voluntaria: immo est magis de ratione poenae quod sit contra voluntatem. Et ideo, sicut peccata non committuntur nisi voluntate, ita non remittuntur alicui invito: sed excommunicatio sicut in aliquem invitum ferri potest, ita et invitus ab ea absolvi poterit.

Ad primum ergo dicendum quod propositio habet veritatem de illis bonis spiritualibus quae in voluntate nostra consistunt: sicut sunt virtutes, quae non possunt a nolentibus perdi. Scientia enim, quamvis sit spirituale bonum, tamen potest a nolente per infirmitatem amitti. Et ideo ratio non est ad propositum.

Ad secundum dicendum quod, etiam manente contumacia, potest aliquis discrete excommunicationem iuste latam remittere, si videat saluti illius expedire in cuius medicinam excommunicatio lata est.

ART. III. UTRUM ALIQUIS POSSIT ABSOLVI AB UNA EXCOMMUNICATIONE SINE HOC QUOD ABSOLVATUR AB OMNIBUS

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod aliquis non possit absolvi ab una excommunicatione nisi absolvatur ab omnibus. Effectus enim debet proportionari suae causae. Sed causa excommunicationis est peccatum. Cum ergo aliquis non possit absolvi ab uno peccato nisi absolvatur ab omnibus, nec in excommunicatione hoc esse poterit.

2. Praeterea, excommunicationis absolutio in Ecclesia fit. Sed ille qui una excommunicatione est irretitus, extra Ecclesiam est. Ergo, quandiu una manet, ab alia absolvi non potest.

Sed contra, excommunicatio quaedam poena est. Sed ab una poena aliquis liberatur alia remanente. Ergo ab una excommunicatione, alia remanente, quis absolvi potest.

Respondeo dicendum quod excommunicationes non habent connexionem in aliquo. Et ideo possibile est quod aliquis ab una absolvatur, et in altera remaneat.

Sed circa hoc sciendum est quod aliquis quandoque est excommunicatus pluribus excommunicationibus ab uno iudice. Et tunc, quando absolvitur ab una, intelligitur ab omnibus absolvi: nisi contrarium exprimatur; vel nisi in causa qua quis absolutionem impetrat de uno tantum casu excommunicationis, cum pluribus excommunicatus sit *. — Quandoque est excommunicatus a diversis iudicibus. Et tunc absolutus ab una excommunicatione, non propter hoc est absolutus ab altera: nisi omnes alii, ad petitionem eius, absolutionem eius confirmaverint; vel nisi omnes demandent uni absolutionem *.

* Cap. *Cum pro causa, de Sent. Excomm.* - Cf. Gloss.
* Ibid., cap. *Officio*. - Cf. Gloss.

Ad primum ergo dicendum quod omnia peccata habent connexionem in aversione voluntatis a Deo, cum quo non potest esse peccatorum remissio: et ideo unum peccatum sine altero remitti non potest. Sed excommunicationes non habent aliquam talem connexionem. Nec iterum absolutio ab excommunicatione impeditur propter voluntatis contrarietatem. Et ideo ratio non sequitur.

Ad secundum dicendum quod, sicut pluribus de causis erat aliquis extra Ecclesiam, ita possibile est quod ista separatio removeatur quantum ad unam causam, et maneat quantum ad alteram.

QUAESTIO VIGESIMAQUINTA

DE INDULGENTIA

* Cf. qu. xvii, Introd.
* Qu. xxvi.
** Qu. xxvii.

Consequenter considerandum est de indulgentia *. Et primo, de ea secundum se; secundo, de facientibus indulgentiam *; tertio, de recipientibus eam **.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo: utrum per indulgentiam possit aliquid remitti de poena satisfactoria.

Secundo: utrum indulgentiae tantum valeant quantum pronuntiantur.

Tertio: utrum pro temporali subsidio sit indulgentia facienda.

ART. I. utrum per indulgentiam possit aliquid remitti de poena satisfactoria

Exposit. Orat. Domin., cap. vi; *Quodl.* II, qu. viii, art. 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod per indulgentiam non possit aliquid remitti de poena satisfactoria. Quia super illud II *Tim.* ii *, *Negare seipsum non potest*, dicit Glossa *: *Quod faceret si dicta sua non impleret.* Sed ipse dicit, *Deut.* xxv *: *Secundum mensuram delicti erit et plagarum modus.* Ergo non potest aliquid remitti de poena satisfactionis taxata secundum quantitatem culpae.

* Vers. 13.
* Lomb.
* Vers. 2.

2. Praeterea, inferior non potest absolvere ab eo ad quod superior obligavit. Sed Deus, absolvendo a culpa, obligat ad poenam temporalem: ut dicit Hugo de Sancto Victore *. Ergo nullus homo potest absolvere a poena illa aliquid dimittendo.

* Cf. *Summ. Sent.* tract. VI, cap. xi. - Vide Richard. a S. Vict., *de Potest. ligand. et solvend.*, cap. xii.

3. Praeterea, hoc ad potestatem excellentiae pertinet ut sine sacramentis effectus sacramentorum tradatur. Sed nullus habet potestatem excellentiae in sacramentis nisi Christus. Cum ergo satisfactio sit pars sacramenti, operans ad dimissionem poenae debitae, videtur quod nullus homo purus possit dimittere debitum poenae sine satisfactione.

4. Praeterea, potestas ministris Ecclesiae non est tradita *in destructionem, sed in aedificationem* *. Sed hoc ad destructionem pertinet, si satisfactio, quae est ad utilitatem nostram, inquantum remedium praebet, tolleretur. Ergo potestas ministrorum Ecclesiae ad hoc se non extendit.

* II *ad Cor.*, cap. x, vers. 8; cap. xiii, vers. 10.

Sed contra, II *Cor.* ii *: *Nam et ego quod donavi, si quid, propter vos donavi in persona Christi:* Glossa *, *idest, ac si Christus donasset.* Sed Christus poterat relaxare absque omni satisfactione poenam peccati: ut patet Ioan. viii * de muliere adultera. Ergo et Paulus potuit. Ergo et Papa, qui non est minoris potestatis in Ecclesia quam Paulus fuerit.

* Vers. 10.
* Lomb.
* Vers. 11.

2. Praeterea, Ecclesia generalis non potest errare: quia ille qui *in omnibus exauditus est pro sua reverentia* *, dixit Petro, super cuius confessione Ecclesia fundata est *: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua,* Luc. xxii *. Sed Ecclesia generalis indulgentias approbat et facit. Ergo indulgentiae aliquid valent.

* *Ad Heb.*, cap. v, vers. 7.
* Chrys. homil. LIV, al. LV, *in Matth.*, n. 2.
* Vers. 32.

Respondeo dicendum quod ab omnibus conceditur indulgentias aliquid valere: quia impium esset dicere quod Ecclesia aliquid vanum faceret. Sed quidam dicunt quod non valent ad absolvendum a reatu poenae quam quis in purgatorio secundum iudicium Dei meretur, sed valent ad absolvendum ab obligatione qua sacerdos obligavit poenitentem ad poenam aliquam, vel ad quam etiam ordinatur ex canonum statutis.

Sed haec opinio non videtur vera. Primo, quia est expresse contra privilegium Petro datum, ut *quod in terra remitteret, in caelo remitteretur* *. Unde remissio quae fit quantum ad forum Ecclesiae, valet etiam quantum ad forum Dei. – Et praeterea, Ecclesia, huiusmodi indulgentias faciens, magis damnificaret quam adiuvaret: quia remitteret ad graviores poenas, scilicet purgatorii, absolvendo a poenitentiis iniunctis.

* Matth. cap. xvi, vers. 19.

Et ideo aliter dicendum est, quod valent, et quantum ad forum Ecclesiae et quantum ad iudicium Dei, ad remissionem poenae residuae post contritionem et absolutionem et confessionem, sive sit iniuncta sive non. Ratio autem quare valere possunt, est unitas corporis mystici: in qua multi in operibus poenitentiae supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum; et multas etiam tribulationes iniustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo poenarum poterat expiari, si eis deberetur; quorum meritorum tanta est copia quod omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt. Et praecipue propter meritum Christi: quod etsi in sacramentis operatur, non tamen efficacia eius in sacramentis includitur, sed sua infinitate excedit efficaciam sacramentorum.

Dictum est autem supra * quod unus pro alio satisfacere potest. Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto qui remissione indiget, huiusmodi opera fecerunt, alias absque omni indulgentia consequerentur remissionem: sed communiter pro tota Ecclesia, sicut Apostolus ait se *implere ea quae desunt passionum Christi in corpore suo pro Ecclesia,* ad quam scribit, *Coloss.* i *. Et sic praedicta merita sunt communia toti Ecclesiae. Ea autem quae sunt communia multitudinis alicuius, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium eius qui multitudini praeest. Unde, sicut aliquis consequeretur remissionem poenae si alius pro eo satisfecisset, ita si satisfactio alterius sibi per eum qui potest distribuatur.

* Qu. xiii, art. 2.
* Vers. 24.

Ad primum ergo dicendum quod remissio quae per indulgentias fit, non tollit quantitatem poenae ad culpam: quia pro culpa unius alius sponte poenam sustinuit.

Ad secundum dicendum quod iste qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo, a debito poenae: sed datur sibi unde debitum solvat.

Ad tertium dicendum quod effectus sacramentalis absolutionis est diminutio reatus. Et hic effectus non inducitur per indulgentias: sed pro eo faciens indulgentias solvit poenam quam debuit, de bonis Ecclesiae communibus, ut ex dictis * patet.

* In corpore.

Ad quartum dicendum quod maius remedium praebetur contra peccata vitanda ex gratia quam ex assuetudine nostrorum operum. Et quia ex affectu quem accipiens indulgentias concipit ad causam pro qua indulgentia datur, ad gratiam disponitur; ideo etiam per indulgentias remedium ad peccata vitanda datur. Et ideo non est in destructionem indulgentias dare, nisi inordinate dentur.

Tamen consulendum est eis qui indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus poenitentiae iniunctis abstineant: ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis a debito poenae essent immunes; et praecipue quia quandoque sunt plurium debitores quam credant.

ART. II. utrum indulgentiae valeant tantum quantum pronuntiantur

Quodl. II, qu. viii, art. 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod indulgentiae non valeant tantum quantum pronuntiantur. Indulgentiae enim non habent effectum nisi ex vi clavium. Sed ex vi clavium non potest habens clavem dimittere de poena peccati nisi aliquid determinatum, considerata quantitate peccati et contritionis poenitentis. Ergo, cum indulgentiae fiant pro libito instituentis indulgentiam, videtur quod non valeant tantum quantum pronuntiantur.

2. Praeterea, per debitum poenae homo a gloriae adeptione retardatur, quam summe appetere debet. Sed si indulgentiae tantum valent quantum pronuntiantur, in brevi homo, per indulgentias discurrens, posset ab omni reatu temporalis poenae immunis reddi. Ergo videtur quod deberet his acquirendis, omnibus aliis operibus dimissis, homo vacare.

3. Praeterea, aliquando datur indulgentia quod qui dat auxilium ad aliquam fabricam erigendam, tertiam partem remissionis peccatorum consequatur. Si ergo indulgentiae tantum valent quantum praedicantur, tunc qui dat unum denarium, et secundo unum, et iterum tertium, plenam absolutionem ab omni peccatorum poena consequetur. Quod videtur absurdum.

4. Praeterea, quandoque datur hoc modo indulgentia quod qui vadit ad aliquam ecclesiam septem annos remissionis consequatur. Si ergo tantum valet indulgentia quantum praedicatur, ille qui habet domum iuxta ecclesiam illam, vel clerici ecclesiae, qui quotidie vadunt, consequuntur tantum quantum ille qui a remotis partibus venit: quod videtur iniustum. Et iterum, ut videtur, pluries indulgentiam consequetur in die, cum pluries vadat.

5. Praeterea, idem videtur remittere alicui poenam ultra iustam aestimationem, quam remittere absque causa: quia quantum ad hoc quod excedit, non recompensatur. Sed ille qui facit indulgentiam, non posset remittere absque causa poenam in toto vel in parte alicui: ut si diceret Papa alicui: *Ego remitto tibi omnem poenam debitam pro peccato.* Ergo videtur quod nec possit aliquid dimittere ultra iustam aestimationem. Sed indulgentiae plerumque praedicantur ultra iustam aestimationem. Ergo non tantum valent quantum praedicantur.

* Vers. 7.

Sed contra, *Iob* xiii *: *Nunquid Deus indiget mendacio nostro, ut pro eo loquamur dolos?* Ergo Ecclesia, praedicando indulgentias, non mentitur. Et ita tantum valent quantum praedicantur.

* Vers. 14.

2. Praeterea, I *Cor.* xv * dicit Apostolus: *Si inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides nostra.* Ergo quicumque in praedicatione falsum dicit, fidem, quantum est in se, evacuat, et ita mortaliter peccat. Si ergo non tantum valent indulgentiae quantum praedicantur, omnes mortaliter peccant indulgentiam praedicantes. Quod est absurdum.

Respondeo dicendum quod circa hoc est multiplex opinio. Quidam enim dicunt quod huiusmodi indulgentiae non tantum valent quantum praedicantur, sed unicuique tantum valent quantum fides et devotio sua exigit. Sed dicunt quod Ecclesia ad hoc ita pronuntiat ut quadam pia fraude homines ad bene faciendum alliciat: sicut mater quae, promittens filio pomum, ipsum ad ambulandum provocat.

Sed hoc videtur valde periculosum dicere. Sicut enim dicit Augustinus, in Epistola *ad Hieronymum* *, si in sacra Scriptura deprehenditur aliquid falsitatis, iam robur auctoritatis sacrae Scripturae perit. Et similiter, si in praedicatione Ecclesiae aliqua falsitas deprehenderetur, non essent documenta Ecclesiae alicuius auctoritatis ad roborandam fidem.

* Ep. XXVIII, al. VIII, cap. iii.

Et ideo alii * dixerunt quod valent tantum quantum pronuntiantur, secundum iustam aestimationem: non tamen dantis indulgentiam, qui minus forte aestimat quod dat; aut secundum aestimationem recipientis, qui nimis parum aestimare posset quod datur; sed secundum aestimationem quae iusta est secundum iudicium bonorum, pensata conditione personae et utilitate et necessitate Ecclesiae; quia uno tempore Ecclesia plus indiget quam alio.

* B. Albert. IV *Sent.*, dist. xx, art. 17.

Sed haec etiam opinio stare non potest, ut videtur. Primo, quia secundum hoc indulgentiae non valerent ad remissionem, sed magis ad commutationem quandam. – Et praeterea, praedicatio Ecclesiae a mendacio non excusaretur: cum quandoque indulgentia praedicetur longe maior quam iusta aestimatio possit requirere, omnibus praedictis conditionibus pensatis; sicut quando dat Papa indulgentiam quod pergens ad unam ecclesiam habeat septem annos indulgentiae; cuiusmodi etiam indulgentiae a beato Gregorio in stationibus Romae institutae sunt.

Et ideo alii * dicunt quod quantitas remissionis in indulgentiis non est mensuranda secundum devotionem tantum suscipientis, ut prima opinio dicebat; neque secundum quantitatem eius quod datur, sicut dicebat secunda; sed secundum causam pro qua indulgentia datur, ex qua reputatur dignus ut talem indulgentiam consequatur. Unde secundum quod accedit ad illam causam, secundum hoc consequitur remissionem indulgentiae vel in toto vel in parte.

* S. Bonav. IV *Sent.*, dist. xx, p. ii, qu. 6.

Sed hoc iterum non potest salvare consuetudinem Ecclesiae, quae interdum pro eadem causa maiorem indulgentiam ponit: sicut, rebus eodem modo se habentibus, quandoque datur unus annus visitantibus ecclesiam unam, quandoque quadraginta dies, prout gratiam Papa facere voluerit indulgentiam constituens. Unde quantitas remissionis non est mensuranda ex causa quae facit indulgentia dignum.

Et ideo aliter dicendum est quod quantitas effectus sequitur quantitatem suae causae. Causa autem remissionis poenae in indulgentiis non est nisi abundantia meritorum Ecclesiae, quae se habet sufficienter ad totam poenam expiandam: non autem causa remissionis effectiva est vel devotio aut labor aut datum recipientis indulgentiam, aut causa pro qua fit indulgentia. Unde non oportet ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiae, quae semper superabundant: et ideo, secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur. Ad hoc autem quod applicentur isti, requiritur auctoritas dispensandi huiusmodi thesaurum; et unio eius cui dispensatur ad eum qui merebatur, quod est per caritatem; et ratio dispensationis secundum quam salvetur intentio illorum qui opera meritoria fecerunt; fecerunt enim ad honorem Dei et utilitatem Ecclesiae in generali. Unde quaecumque causa adsit quae in utilitatem Ecclesiae et honorem Dei vergat, sufficiens est ratio indulgentias faciendi.

Et ideo, secundum alios *, dicendum quod indulgentiae simpliciter tantum valent quantum praedicantur: dummodo ex parte dantis sit *auctoritas*, et ex parte recipientis *caritas*, et ex parte causae *pietas*, quae comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem. Nec in hoc fit *nimis magnum forum de misericordia Dei*, ut quidam * dicunt, nec divinae iustitiae derogatur: quia nihil de poena dimittitur, sed unius poena alteri computatur.

* Gulielm. Paris., *de Sacram. Ordin.*, cap. xiii; b. Innoc. V, IV *Sent.*, dist. xx, qu. iii, art. 1.

* S. Bonav. loc. cit.; b. Albert. loc. cit.

Ad primum ergo dicendum quod clavis est duplex: scilicet ordinis, et iurisdictionis *. Clavis ordinis sacramentale quoddam est. Et quia sacramentorum effectus non sunt determinati ab homine sed a Deo, non potest taxare sacerdos quantum per clavem ordinis in foro confessionis de poena debita dimittat, sed tantum dimittitur quantum Deus ordinavit. Sed clavis iurisdictionis non est quid sacramentale, et effectus eius arbitrio hominis subiacet. Et huius clavis effectus est remissio quae est per indulgentias: cum non pertineat ad dispensationem sacramentorum talis dimissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesiae. Et ideo etiam legati non sacerdotes indulgentias facere possunt. Unde in arbitrio dantis indulgentiam est taxare quantum per indulgentiam de poena dimittatur. – Si tamen inordinate remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus poenitentiae revocentur, peccat faciens tales indulgentias, nihilominus quis plenam indulgentiam consequitur.

* Cf. qu. xix, art. 3.

Ad secundum dicendum quod, quamvis huiusmodi indulgentiae multum valeant ad remissionem poenae, tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu praemii essentialis: quod in infinitum melius est quam dimissio poenae temporalis.

Ad tertium dicendum quod, quando datur indulgentia indeterminate, *qui dant auxilium ad fabricam ecclesiae*, intelligitur tale auxilium quod sit conveniens ei qui auxilium dat: et secundum quod accedit ad hoc, secundum hoc plus vel minus de indulgentia consequitur. Unde etiam aliquis pauper dans unum denarium consequitur totam indulgentiam: non autem dives, quem non decet ad opus tam pium ita parum dare; sicut non diceretur rex alicui homini auxilium facere si ei obolum daret.

Ad quartum dicendum quod ille qui est vicinus ecclesiae, et ecclesiae sacerdotes et clerici, consequuntur tantam indulgentiam sicut illi qui venirent a mille diaetis: quia remissio non proportionatur labori, ut dictum est *, sed meritis quae dispensantur. Sed ille qui plus laboraret, acquireret plus de merito.

* In corpore.

Sed hoc intelligendum quando indistincte indulgentia datur. Quandoque enim distinguitur. Sicut Papa, in generalibus absolutionibus, illis qui transeunt mare, dat quinque annos; aliis, qui transeunt montes, tres; aliis unum.

Nec tamen quotiescumque vadit infra tempus indulgentiae, toties eam consequitur. Quandoque autem ad determinatum tempus datur, ut cum dicitur, *Quicumque vadit ad ecclesiam talem usque ad tale tempus, habeat tantum de indulgentia:* intelligitur *semel tantum*. Sed si in aliqua Ecclesia sit indulgentia perennis, sicut in ecclesia beati Petri quadraginta dierum, tunc, quoties aliquis vadit, toties indulgentiam consequitur.

Ad quintum dicendum quod causa non requiritur ad hoc quod secundum eam mensurari debeat remissio poenae: sed ad hoc quod intentio illorum quorum merita communicantur, ad ipsum pervenire possint. Bonum autem unius continuatur alteri dupliciter. Uno modo, per caritatem: et sic etiam sine indulgentiis aliquis est omnium bonorum particeps quae fiunt, si in caritate sit. Alio modo, per intentionem facientis. Et sic per indulgentias, si causa legitima adsit, potest intentio illius qui pro utilitate Ecclesiae operatus est, ad istum continuari.

ART. III. UTRUM PRO TEMPORALI SUBSIDIO DEBEAT FIERI INDULGENTIA

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod pro temporali subsidio non debeat fieri indulgentia. Quia remissio peccatorum est quoddam spirituale. Sed dare spirituale pro temporali est simonia. Ergo hoc fieri non debet.

2. Praeterea, spiritualia subsidia sunt magis necessaria quam temporalia. Sed pro spiritualibus subsidiis non videntur fieri indulgentiae. Ergo multo minus pro temporalibus fieri debent.

Sed contra est communis Ecclesiae consuetudo, quae pro peregrinationibus et eleemosynis faciendis indulgentias facit.

Respondeo dicendum quod temporalia ad spiritualia ordinantur: quia propter spiritualia debemus uti temporalibus. Et ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia: sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia; sicut repressio inimicorum Ecclesiae, qui pacem Ecclesiae perturbant, sicut constructio ecclesiarum et pontium, et aliarum eleemosynarum. Et per hoc patet quod non fit ibi simonia: quia non datur spirituale pro temporali.

Unde patet solutio ad primum.

Ad secundum dicendum quod etiam pro pure spiritualibus potest fieri indulgentia, et fit quandoque: sicut quicumque orat pro rege Franciae, habet decem dies pro indulgentia a Papa Innocentio IV. Et similiter crucem praedicantibus datur quandoque eadem indulgentia quae crucem accipientibus.

QUAESTIO VIGESIMASEXTA

DE HIS QUI POSSUNT INDULGENTIAS FACERE

Deinde considerandum est de his qui possunt indulgentias facere *.

* Cf. qu. xxv, Introd.

Circa quod quatuor quaeruntur.

Primo: utrum quilibet sacerdos parochialis possit indulgentias facere.

Secundo: utrum diaconus vel non-sacerdos possit eas facere.

Tertio: utrum episcopus possit eas facere.

Quarto: utrum existens in peccato mortali possit eas facere.

ART. I. UTRUM QUILIBET SACERDOS PAROCHIALIS POSSIT INDULGENTIAS FACERE

Ad primum sic proceditur. Videtur quod quilibet sacerdos parochialis possit indulgentias facere. Indulgentia enim habet efficaciam ex abundantia meritorum Ecclesiae. Sed non est aliqua congregatio in qua non sit aliqua meritorum abundantia. Ergo quilibet sacerdos potest facere indulgentiam si habet plebem subiectam: et similiter quilibet praelatus.

2. Praeterea, praelatus quilibet gerit personam totius multitudinis sicut unus homo gerit personam suam. Sed quilibet potest alteri communicare bona sua pro altero satisfaciendo. Ergo et praelatus potest communicare bona multitudinis sibi commissae. Et sic videtur quod possit indulgentias facere.

Sed contra, minus est excommunicare quam indulgentias facere. Sed hoc non potest sacerdos parochialis *. Ergo nec illud.

* Cf. qu. xxii, art. 1.

Respondeo dicendum quod indulgentiae effectum habent secundum quod opera satisfactoria unius alteri computantur, non solum ex vi caritatis, sed ex intentione operantis aliquo modo directa ad ipsum. Sed intentio alicuius potest ad alterum dirigi tripliciter: aut in speciali, aut in generali, aut in singulari. In singulari quidem, sicut cum quis pro alio satisfacit determinate. Et sic quilibet potest alteri sua opera communicare. – In speciali autem, sicut cum quis orat pro congregatione sua et familiaribus et benefactoribus, et ad hoc etiam ordinat sua opera satisfactoria. Et sic ille qui congregationi praeest, potest opera illa alii communicare, applicando intentionem illorum qui sunt de congregatione sua ad hunc determinate. – Sed in generali, sicut cum quis opera sua ordinat ad bonum commune in generali. Et sic ille qui praeest Ecclesiae generaliter, potest opera illa communicare, applicando intentionem suam ad hunc vel ad illum. Et quia homo est pars congregationis, et congregatio est pars Ecclesiae, ideo in intentione privati boni intentio boni congregationis includitur, et boni totius Ecclesiae. Et ideo ille qui praeest Ecclesiae potest communicare ea quae sunt congregationis, et huius hominis; et ille qui praeest congregationi, ea quae sunt huius hominis; sed non convertitur.

Sed neque prima communicatio neque secunda indulgentia dicitur, sed solum tertia: propter duo. Primo, quia per illas communicationes, quamvis homo solvatur a reatu poenae quantum ad Deum, tamen non solvitur a debito faciendi satisfactionem iniunctam ad quam obligatus est ex praecepto Ecclesiae. Sed per tertiam communicationem homo etiam ab hoc debito solvitur. – Secundo, quia in una persona, vel in una congregatione, non est indeficientia meritorum, ut sibi et omnibus aliis valere possint. Unde iste non absolvitur a poena debita pro toto, nisi tantum determinate pro eo fiat quantum debebatur. Sed in Ecclesia tota est indeficientia meritorum: praecipue propter meritum Christi. – Et ideo solus ille qui praeficitur Ecclesiae, potest indulgentias facere.

Sed, cum Ecclesia sit *congregatio fidelium;* congregatio autem hominum sit duplex, scilicet oeconomica, ut illi qui sunt de una familia, et politica, sicut illi qui sunt de uno populo: Ecclesia assimilatur congregationi politicae, quia ipse populus Ecclesia dicitur; sed conventus diversi vel parochia in una dioecesi, assimilantur congregationi in diversis familiis vel in diversis officiis. Et ideo solus episcopus proprie praelatus Ecclesiae dicitur: et ideo ipse solus, quasi sponsus, anulum Ecclesiae recipit. Et ideo ipse solus habet potestatem plenam in dispensatione sacramentorum, et iurisdictionem in foro causarum, quasi persona publica: alii autem secundum quod ab eis committitur. Sed sacerdotes qui plebibus praeficiuntur, non sunt simpliciter praelati, sed quasi coadiutores: unde in consecratione sacerdotum episcopus dicit, *Quanto fragiliores sumus, tanto magis auxiliis his indigemus.* Et propter hoc etiam non omnia sacramenta dispensant. Unde sacerdotes parochiales, vel abbates, aut alii huiusmodi praelati, non possunt indulgentias facere.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

ART. II. UTRUM DIACONUS POSSIT INDULGENTIAS FACERE, VEL ALIUS NON-SACERDOS

Supra, qu. xxv, art. 2, ad 1; *Quodl.* II, qu. viii, art. 2, ad 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod diaconus non possit indulgentias facere, vel alius non-sacerdos. Quia remissio peccatorum est effectus clavium. Sed non habet claves nisi solus sacerdos. Ergo ipse solus potest indulgentias facere.

2. Praeterea, plenior remissio poenae est in indulgentiis quam in foro poenitentiali. Sed hoc non potest nisi sacerdos. Ergo nec illud.

Sed contra, eidem confertur dispensatio thesauri Ecclesiae cui committitur regimen Ecclesiae. Sed hoc committitur quandoque non-sacerdoti. Ergo potest indulgentias facere: nam ex dispensatione thesauri Ecclesiae efficaciam habent.

Respondeo dicendum quod potestas faciendi indulgentias sequitur iurisdictionem, ut supra * dictum est. Et quia diaconi et alii non-sacerdotes possunt habere iurisdictionem, vel commissam, sicut legati, vel ordinariam, sicut electi; ideo possunt indulgentias facere etiam non-sacerdotes; quamvis non possunt absolvere in foro poenitentiali, quod est ordinis.

* Qu. xxv, art. 2, ad 1.

Et per hoc patet solutio ad obiecta. Indulgentias enim facere pertinet ad clavem iurisdictionis, et non ad clavem ordinis.

ART. III. utrum episcopus possit indulgentias facere

Quodl. II, qu. viii, art. 2.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod etiam episcopus non possit indulgentias facere. Quia thesaurus Ecclesiae est communis toti Ecclesiae. Sed id quod est commune toti Ecclesiae, non potest dispensari nisi per illum qui toti Ecclesiae praeest. Ergo solus Papa potest indulgentias facere.

2. Praeterea, nullus potest remittere poenas a iure determinatas nisi ille qui habet potestatem ius condendi. Sed poenae satisfactoriae sunt pro peccatis determinatae in iure. Ergo remittere huiusmodi poenas potest solus Papa, qui est conditor iuris.

Sed contra est consuetudo Ecclesiae, secundum quam episcopi dant indulgentias.

Respondeo dicendum quod Papa habet plenitudinem pontificialis potestatis, quasi rex in regno. Sed episcopi assumuntur *in partem sollicitudinis,* quasi iudices singulis civitatibus praepositi: propter quod eos solos in suis litteris Papa *fratres* vocat, reliquos autem omnes vocat *filios.* Et ideo potestas faciendi indulgentias plene residet in Papa: quia potest facere prout vult, causa tamen existente legitima. Sed in episcopis est taxata secundum ordinationem Papae. Et ideo possunt facere secundum quod eis est taxatum, et non amplius *.

* Cf. cap. *Cum ex eo, de Poenit. et Remiss.*

Et per hoc patet solutio ad obiecta.

ART. IV. utrum ille qui est in peccato mortali possit facere indulgentias

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod ille qui est in peccato mortali, non possit facere indulgentias. Quia rivus cui fons non influit, nihil profluere potest. Sed praelato in peccato mortali existenti non influit fons gratiae, scilicet Spiritus Sanctus. Ergo non potest in alios profluere faciendo indulgentias.

2. Praeterea, maius est facere indulgentiam quam recipere. Sed ille qui est in peccato mortali non recipit, ut dicetur *. Ergo nec facere potest.

* Qu. seq., art. 1.

Sed contra, indulgentiae fiunt per potestatem praelatis Ecclesiae traditam. Sed peccatum mortale non tollit potestatem, sed bonitatem. Ergo potest aliquis in peccato mortali existens indulgentias facere.

Respondeo dicendum quod facere indulgentias pertinet ad iurisdictionem. Sed per peccatum homo non amittit iurisdictionem. Et ideo indulgentiae aeque valent si fiant ab eo qui est in peccato mortali, sicut si fierent ab eo qui est sanctissimus: cum non remittat poenam ex vi meritorum suorum, sed ex vi meritorum reconditorum in thesauris Ecclesiae.

Ad primum ergo dicendum quod iste praelatus in peccato mortali indulgentias faciens non profluit de suo aliquid. Et ideo non requiritur quod influxum recipiat a fonte ad hoc quod eius indulgentiae valeant.

Ad secundum dicendum quod maius est facere indulgentias quam recipere quantum ad potestatem: sed est minus quantum ad propriam utilitatem.

QUAESTIO VIGESIMASEPTIMA

DE HIS QUIBUS VALET INDULGENTIA

Deinde considerandum est de his quibus valet indulgentia *.

* Cf. qu. xxv, Introd.

Circa quod quaeruntur quatuor.

Primo: utrum indulgentia valeat existentibus in mortali peccato.

Secundo: utrum valeat religiosis.

Tertio: utrum valeat non facienti illud pro quo indulgentia datur.

Quarto: utrum valeat ei qui indulgentiam facit.

ART. I. utrum indulgentia valeat existentibus in peccato mortali

Quodl. II, qu. viii, art. 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod indulgentia valeat existentibus in peccato mortali. Quia aliquis potest alteri mereri, etiam in peccato mortali existenti, gratiam et multa alia bona. Sed indulgentiae habent efficaciam ex hoc quod merita sanctorum applicantur ad istum. Ergo habent effectum in illis qui sunt in peccato mortali.

2. Praeterea, ubi est maior indigentia, magis habet locum misericordia. Sed ille qui est in peccato mortali maxime indiget. Ergo ei maxime debet fieri misericordia per indulgentias.

Sed contra, membrum mortuum non suscipit influentiam ab aliis vivis. Sed ille qui est in peccato mortali est quasi membrum mortuum. Ergo per indulgentias non suscipit influentiam ex meritis vivorum membrorum.

Respondeo dicendum quod quidam * dicunt indulgentias valere etiam existentibus in mortali peccato. Non quidem ad dimissionem poenae, quia nulli potest dimitti poena nisi cui dimissa est culpa; qui enim non est consecutus operationem Dei in remissionem culpae, non potest consequi remissionem poenae a ministro Ecclesiae, neque in indulgentiis neque in foro poenitentiali: valent tamen eis ad acquirendum gratiam.

* B. Albert. IV *Sent.*, dist. xx, art. 18, qu^a 1.

Sed hoc non videtur verum. Quia, quamvis merita illa quae per indulgentiam communicantur, possunt valere ad merendum gratiam, non tamen propter hoc dispensantur, sed determinate ad remissionem poenae. Et ideo non valent existentibus in mortali. Et ideo in omnibus indulgentiis fit mentio de *vere contritis et confessis.*

Si autem fieret communicatio per hunc modum, *Facio te participem meritorum totius Ecclesiae,* vel *unius congregationis,* vel *unius specialis personae,* sic posset valere ad merendum aliquid illi qui est in peccato mortali, ut praedicta opinio dicit.

Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad secundum dicendum quod, quamvis sit magis indigens qui est in peccato mortali, tamen est minus capax.

ART. II. utrum indulgentiae valeant religiosis

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod indulgentiae non valeant religiosis. Non enim competit eis suppleri ex quorum abundantia aliis suppletur. Sed ex superabundantia operum satisfactionis quae sunt in religiosis, aliis suppletur per indulgentias. Ergo eis non competit per indulgentiam suppleri.

2. Praeterea, in Ecclesia non debet aliquid fieri quod inducat religionis dissolutionem. Sed si religiosis indulgentiae prodessent, esset occasio dissolutionis disciplinae regularis: quia religiosi nimis vagarentur per huiusmodi indulgentias, et poenas impositas in capitulo sibi negligerent. Ergo religiosis non prosunt.

Sed contra, nullus ex bono reportat damnum. Sed religio bonum est. Ergo religiosi non consequuntur hoc damnum, ut eis indulgentiae non valeant.

Respondeo dicendum quod tam saecularibus quam religiosis valent indulgentiae, dummodo sint in caritate, et servent ea quae pro indulgentiis indicuntur: non enim religiosi sunt minus adiuvabiles meritis aliorum quam saeculares.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis religiosus sit in statu perfectionis, tamen ipse sine peccato vivere non potest. Et ideo, si aliquando propter peccatum aliquod commissum fit reus poenae, potest per indulgentiam ab hoc expiari. Non enim est inconveniens si ille qui est simpliciter superabundans, aliquo tempore indigeat et quantum ad aliquid, et sic indiget supplemento quo sublevetur. Unde dicitur *Galat.* VI *: *Alter alterius onera portate.*

* Vers. 2.

Ad secundum dicendum quod propter indulgentias non debet dissolvi regularis observantia: quia religiosi magis merentur religionem suam servando, quantum ad praemium vitae aeternae, quam indulgentias exquirendo; quamvis minus quantum ad dimissionem poenae, quod est minus bonum. – Nec iterum per indulgentias dimittuntur poenae iniunctae in capitulo: quia in capitulo agitur quasi forum iudiciale magis quam poenitentiale; unde etiam non-sacerdotes capitulum tenent. Sed absolvitur a poena iniuncta vel debita pro peccato in foro poenitentiali.

ART. III. Utrum ei qui non facit hoc pro quo indulgentia datur, possit quandoque indulgentia dari

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod ei qui non facit hoc pro quo indulgentia datur, possit quandoque indulgentia dari. Quia ei qui non potest operari, *voluntas pro facto reputatur* *. Sed aliquando fit indulgentia pro aliqua eleemosyna facienda, quam aliquis pauper facere non potest, et tamen libenter faceret. Ergo indulgentia ei valet.

* Cf. qu. X, art. 2, arg. 2.

2. Praeterea, unus potest pro alio satisfacere. Sed indulgentia ad remissionem poenae operatur sicut et satisfactio. Ergo unus pro alio potest indulgentiam accipere. Et sic ille consequetur indulgentiam qui non facit hoc pro quo indulgentia datur.

Sed contra, remota causa removetur effectus. Si ergo aliquis non facit hoc pro quo indulgentia datur, quod est indulgentiae causa, indulgentiam non consequitur.

Respondeo dicendum quod, non existente conditione, non consequitur illud quod sub conditione datur. Unde, cum indulgentia detur sub hac conditione quod aliquis aliquid faciat vel det, si illud nòn exerceat, indulgentiam non consequitur.

Ad primum ergo dicendum quod hoc intelligitur quantum ad praemium essentiale: sed non quantum ad accidentalia aliqua praemia, sicut est dimissio poenae, vel aliquid huiusmodi.

Ad secundum dicendum quod opus proprium potest quis applicare per intentionem cuicumque voluerit: et ideo potest pro quocumque vult satisfacere. Sed indulgentia non potest applicari ad alterum nisi ex intentione eius qui dat indulgentiam. Et ideo, cum ipse applicet ad facientem vel dantem hoc aut illud, non potest ille qui hoc facit ad alterum hanc intentionem transferre. Si tamen sic fieret indulgentia, *Ille qui facit, vel pro quo hoc fit, habeat tantam indulgentiam,* valeret ei pro quo fit. Nec tamen iste qui facit hoc opus, daret alteri indulgentiam: sed ille qui indulgentiam sub tali forma facit.

ART. IV. Utrum indulgentia valeat ei qui facit

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod indulgentia non valeat ei qui facit. Quia facere indulgentias est iurisdictionis. Sed nullus in seipsum potest exercere ea quae sunt iurisdictionis. Ergo nullus potest indulgentiae a se factae particeps esse.

2. Praeterea, secundum hoc, ille qui facit indulgentiam posset pro aliquo modico facto sibi poenam remittere omnium peccatorum, et ita impune peccare. Quod videtur absonum.

3. Praeterea, eiusdem potestatis est facere indulgentias et excommunicare. Sed aliquis non potest excommunicare seipsum. Ergo nec indulgentiae quam facit particeps esse potest.

Sed contra est quia tunc esset ipse peioris conditionis quam alii, si ipse non posset uti thesauro Ecclesiae, quem aliis dispensat.

Respondeo dicendum quod indulgentia debet ex aliqua causa dari, ad hoc quod aliquis per indulgentiam ad actum aliquem provocetur qui in utilitatem Ecclesiae et in honorem Dei vergat. Praelatus autem, cui cura Ecclesiae utilitatis et honoris divini propagandi est commissa, non habet causam, ut seipsum ad hoc provocet. Et ideo non potest facere sibi indulgentiam. Sed potest uti indulgentia quam pro aliis facit, quia aliis subest causa faciendi.

Ad primum ergo dicendum quod actus iurisdictionis non potest aliquis in seipsum exercere. Sed eis quae auctoritate iurisdictionis dantur aliis, potest etiam praelatus uti, tam in temporalibus quam in spiritualibus: sicut etiam sacerdos sibi Eucharistiam accipit, quam aliis dat. Et ita etiam episcopus potest accipere sibi suffragia Ecclesiae, quae aliis dispensat, quorum effectus immediatus est remissio poenae per indulgentias, et non iurisdictionis.

Ad secundum patet solutio ex dictis *.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod excommunicatio profertur per modum sententiae, quam nullus in seipsum ferre potest: eo quod in iudicio non potest idem esse iudex et reus. Indulgentia autem datur non per modum sententiae, sed per modum dispensationis cuiusdam: quam homo potest facere ad seipsum.

QUAESTIO VIGESIMAOCTAVA

DE SOLEMNITATE POENITENTIAE

Consequenter considerandum est de solemnitate poenitentiae *.

* Cf. Part. III, qu. LXXXIV, Introd.

Circa quod tria quaeruntur.

Primo: utrum aliqua poenitentia possit publicari vel solemnizari.

Secundo: utrum solemnis poenitentia possit iterari.

Tertio: de ritu solemnis poenitentiae.

ART. I. Utrum debeat aliqua poenitentia publicari vel solemnizari

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non debeat aliqua poenitentia publicari vel solemnizari. Quia non licet sacerdoti, etiam metu, peccatum alicuius confiteri, quantumcumque publicum. Sed per poenitentiam solemnem publicatur peccatum. Ergo non debet solemnizari.

2. Praeterea, iudicium debet esse secundum conditionem fori. Sed poenitentia est quoddam iudicium quod in foro occulto agitur. Ergo non debet publicari vel solemnizari.

3. Praeterea, *poenitentia omnes defectus revocat ad perfectum:* ut Ambrosius dicit *. Sed solemnizatio facit contrarium, quia poenitentem multis defectibus innectit: non enim laicus potest post solemnem poenitentiam ad clericatum promoveri, nec clericus ad superiores ordines. Ergo poenitentia non est solemnizanda.

* Pseudo-Aug., *Hypognost.*, cap. IX.

Sed contra, poenitentia est quoddam sacramentum. Sed in quolibet sacramento solemnitas quaedam adhibetur. Ergo et in poenitentia adhiberi debet.

2. Praeterea, medicina debet respondere morbo. Sed peccatum quandoque est publicum, quod multos ad exemplum peccandi trahit. Ergo et poenitentia, quae est medicina eius, debet esse publica et solemnis, qua multi aedificentur.

Respondeo dicendum quod aliqua poenitentia debet esse publica et solemnis, propter quatuor. Primo, ut peccatum publicum publicam habeat medicinam. – Secundo, quia maxima confusione in hoc mundo etiam est dignus qui gravissimum scelus commisit. – Tertio, ut aliis sit ad terrorem. – Quarto, ut sit ad exemplum poenitendi: ne desperent qui in gravibus peccatis detinentur.

Ad primum ergo dicendum quod sacerdos non revelat confessionem talem poenitentiam iniungendo, quamvis suspicio oriatur illum aliquod enorme peccatum commisisse. Non enim culpa pro certo scitur ex poena, quia quandoque aliquis poenitentiam pro alio facit: sicut legitur in *Vitis Patrum* * de quodam qui, ut socium suum ad poenitentiam provocaret, ipse cum eo poenitentiam egit. Si autem sit peccatum publicum, ipse poenitens, exequendo poenitentiam, confessionem a se factam manifestat.

* Lib. III, cap. XII; lib. V, libell. V, n. 27.

Ad secundum dicendum quod poenitentia solemnis, quantum ad iniunctionem, non exit forum occultum: quia, sicut occulte quis confitetur, ita occulte ei poenitentia iniungitur. Sed executio exit forum occultum. Et hoc non est inconveniens.

Ad tertium dicendum quod poenitentia, quamvis revocet omnes defectus restituendo in pristinam gratiam, non tamen restituit in pristinam dignitatem. Et ideo etiam mulieres post peractam poenitentiam de fornicatione non velantur, quia dignitatem virginitatis non recuperant. Et similiter post publicam poenitentiam peccator non redit ad hanc dignitatem ut possit ad clericatum assumi *, et episcopus talem ordinans potestate ordinandi privari debet *: nisi forte necessitas ecclesiae id exposcat, aut consuetudo *; tunc enim dispensative recipitur ad minores ordines, non autem ad sacros ordines *. Primo, propter dignitatem ordinum istorum. Secundo, propter timorem recidivi. Tertio, propter scandalum vitandum, quod posset in populo oriri ex memoria praecedentium peccatorum. Quarto, quia non haberet frontem alios corrigendi, cum peccatum eius fuerit publicum.

* Can. *Ex poenitentibus*, et *Illud quoque*, dist. L.
* Can. *Ex poenit.*, ibid.
* Can. *Placuit*, ibid.
* Ibid.

ART. II. utrum solemnis poenitentia iterari possit

Part. III, qu. lxxxiv, art. 10, ad 2; IV *Sent.*, dist. xiv, Expos. litt.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod solemnis poenitentia iterari possit. Sacramenta enim quae characterem non imprimunt, cum sua solemnitate iterantur: sicut Eucharistia et extrema unctio et huiusmodi. Sed poenitentia non imprimit characterem. Ergo cum sua solemnitate iterari debet.

2. Praeterea, poenitentia solemnizatur propter gravitatem et manifestationem peccati. Sed post peractam poenitentiam contingit similia peccata committere, vel etiam graviora. Ergo solemnis poenitentia iterum debet adhiberi.

Sed contra, solemnis poenitentia significat eiectionem primi hominis de paradiso *. Sed haec tantum semel est facta. Ergo et poenitentia solemnis tantum semel debet fieri.

* Cf. art. 3.

Respondeo dicendum quod solemnis poenitentia iterari non debet, propter tria. Primo, ne ex iteratione vilescat *. – Secundo, propter significationem *. – Tertio, quia solemnizatio est quasi quaedam professio perpetuo poenitentiam conservandi: et ideo iteratio solemnitati resistit.

* Cf. Aug. Epist. CLIII, al. LIV, *ad Macedon.*, cap. III.
* Cf. arg. *Sed contra*.

Si tamen postmodum peccaverit, non clauditur ei locus poenitentiae: sed poenitentia solemnis iterum ei iniungenda non est.

Ad primum ergo dicendum quod in illis sacramentis in quibus solemnitas iteratur, iteratio solemnitati non repugnat, ut est in proposito. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum quod, quamvis ratione criminis deberetur sibi eadem poenitentia, tamen solemnitatis iteratio non competit, propter praedictas * causas.

* In corpore.

ART. III. utrum sit conveniens ritus solemnis poenitentiae

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod mulieribus non sit imponenda. Quia vir cui imponitur solemnis poenitentia, debet comam abiicere *. Sed hoc non competit mulieri: ut patet I *Cor.* xi *. Ergo non debet agere solemnem poenitentiam.

* Can. *Poenitentes tempore*, dist. L.
* Vers. 5 sqq.

2. Item, videtur quod clericis sit imponenda. Quia imponitur propter gravitatem delicti. Sed idem peccatum gravius est in clerico quam in laico. Ergo magis debet imponi clerico quam laico.

3. Item, videtur quod a quolibet sacerdote possit imponi. Quia absolvere in foro poenitentiali est eius qui habet claves. Sed simplex sacerdos habet claves. Ergo potest esse minister huius poenitentiae.

Respondeo dicendum quod omnis solemnis poenitentia est publica, sed non convertitur. Poenitentia enim solemnis hoc modo fit *. In capite quadragesimae tales poenitentes praesentant se cum presbyteris suis episcopis civitatum ante fores ecclesiae sacco induti, nudis pedibus, vultibus demissis, coma deposita *; et eis in ecclesia deductis, episcopus cum omni clero septem psalmos poenitentiales dicit, et postmodum eis manum imponit aqua benedicta aspersa, et cinerem capitibus imponit, cilicio colla eorum operit, et denuntiat eis lacrimabiliter quod, sicut Adam eiectus est de paradiso, ita ipsi de ecclesia eiiciuntur; et iubet ministris ut eos ab ecclesia pellant, clero eos prosequente cum hoc responsorio, *In sudore vultus tui,* etc. In Cena autem Domini quolibet anno a suis presbyteris in ecclesia reducuntur, et erunt ibi usque ad octavas Paschae: ita tamen quod non communicabunt nec pacem accipient. Et sic fiet quolibet anno quousque aditus ecclesiae est eis interdictus. Ultima autem reconciliatio reservatur episcopo, ad quem solum spectat solemnis poenitentiae impositio *.

* Cf. can. *In capite*, dist. L.
* Cf. arg. 1.
* Can. *Presbyter.*, caus. XXVI, qu. VI.

Potest autem imponi viris et mulieribus: sed non clericis *, propter scandalum. Non autem talis poenitentia debet imponi nisi pro peccato *quod totam commoverit urbem* *.

* Can. *Illud quoque*, dist. L.
* Can. *Presbyter*, supra citat.

Publica autem et non solemnis, quae in facie Ecclesiae fit sed non cum solemnitate praedicta, sicut peregrinatio per mundum cum baculo cubitali, haec potest iterari; et a simplici sacerdote iniungi; et potest etiam clerico imponi *.

* Can. *Presbyter*, dist. XXVIII.

Quandoque tamen *solemnis* ponitur *publica*. Et secundum hoc, auctoritates quaedam varie loquuntur de solemni.

Ad primum ergo dicendum quod mulier habet comam in signum subiectionis *, non autem vir. Et ideo non competit ut in poenitentia mulieri coma deponatur, sicut viro.

* Can. *Quaecunque mulier*, dist. XXX.

Ad secundum dicendum quod, quamvis in eodem genere peccati clericus plus peccet quam laicus, tamen non iniungitur ei poenitentia solemnis, ne ordo veniat in contemptum. Unde defertur non personae, sed ordini.

Ad tertium dicendum quod magna peccata indigent maiori cautela ad sui curationem. Et ideo iniunctio poenitentiae solemnis, quae non nisi pro gravissimis peccatis fit, soli episcopo reservatur.

QUAESTIO VIGESIMANONA

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

Post hoc considerandum est de sacramento extremae unctionis *. De quo quinque videnda sunt: primo, de essentialibus ipsius, et de eius institutione; secundo, de effectu ipsius *; tertio, de ministro ipsius **; quarto, de eo cui conferri debet, et in qua parte *; quinto, de eius iteratione *.

* Cf. Part. III, qu. LXVI, Introd.
* Qu. XXX.
** Qu. XXXI.
* Qu. XXXII.
* Qu. XXXIII.

Circa primum quaeruntur novem.

Primo: utrum extrema unctio sit sacramentum.
Secundo: utrum sit unum sacramentum.
Tertio: utrum hoc sacramentum fuerit a Christo institutum.
Quarto: utrum oleum olivae sit conveniens materia huius sacramenti.
Quinto: utrum oporteat oleum esse consecratum.
Sexto: utrum huius sacramenti materia debeat per episcopum consecrari.
Septimo: utrum hoc sacramentum habeat aliquam formam.
Octavo: utrum forma huius sacramenti debeat proferri per orationem deprecativam.
Nono: utrum praedicta oratio sit competens forma huius sacramenti.

ART. I. utrum extrema unctio sit sacramentum

Part. III, qu. lxv, art. 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod extrema unctio non sit sacramentum. Quia sicut oleum assumitur ad infirmos, ita ad catechumenos. Sed unctio quae fit oleo ad catechumenos non est sacramentum. Ergo nec extrema unctio, quae fit oleo ad infirmos.

2. Praeterea, sacramenta veteris legis fuerunt signa sacramentorum novae legis. Sed extrema unctio non habuit aliquam figuram in veteri lege. Ergo non est sacramentum novae legis.

3. Praeterea, secundum Dionysium *, omne sacramentum vel ad *purgandum* est, vel ad *illuminandum*, vel ad *perficiendum*. Sed extrema unctio non ponitur nec ad purgandum nec ad illuminandum, quia hoc soli baptismo attribuitur *: nec ad perficiendum, quia hoc, secundum ipsum Dionysium *, pertinet ad chrisma et ad Eucharistiam. Ergo extrema unctio non est sacramentum.

* *Eccles. Hier.* cap. v, § 3.
* Ibid., cap. ii, § 2.
* Ibid., et cap. iii, § 3.

Sed contra, sacramenta Ecclesiae sufficienter subveniunt defectibus hominum secundum quemlibet statum. Sed exeuntibus non subvenit aliud quam extrema unctio. Ergo ipsa est sacramentum.

2. Praeterea, sacramenta nihil aliud sunt quam quaedam spirituales medicinae *. Sed extrema unctio est quaedam spiritualis medicina: quia valet ad remissionem peccatorum, ut habetur Iac. v *. Ergo est sacramentum.

* Mag. IV *Sent.*, dist. i, cap. i.
* Vers. 14, 15.

Respondeo dicendum quod in his quae Ecclesia visibiliter operatur, quaedam sunt sacramenta, ut baptismus; quaedam sacramentalia, ut exorcismus. Quorum est haec differentia, quia sacramentum dicitur illa actio Ecclesiae quae attingit ad effectum principaliter intentum in administratione sacramentorum: sed sacramentale dicitur illa actio quae, quamvis non pertingat ad illum effectum, tamen ordinatur aliquo modo ad illam actionem principalem *. Effectus autem intentus in administratione sacramentorum est curatio morbi peccati: Isaiae xxvii *, *Hic est omnis fructus, ut tollatur peccatum.* Et ideo, cum ad hunc effectum pertingat extrema unctio, ut ex verbis Iacobi * patet; nec ordinetur ad aliud sacramentum quasi ei annexum: constat quod extrema unctio non est sacramentale, sed sacramentum.

* Cf. Part. III, qu. lx, art. 2, ad 3; IV *Sent.*, dist. viii, qu. i, art. i, qu^a^ i.
* Vers. 9.
* Cf. arg. *Sed contra.*

Ad primum ergo dicendum quod oleum quo catechumeni inunguntur, sua unctione non perducit ad peccati remissionem, quia hoc ad baptismum pertinet: sed aliquo modo ad baptismum disponit *. Et ideo non est sacramentum illa unctio, sicut unctio extrema.

* Cf. IV *Sent.*, dist. vi, qu. ii, art. 3, qu^a^ 2, 3; Part. III, qu. lxxi, art. 2, 3.

Ad secundum dicendum quod hoc sacramentum immediate hominem ad gloriam disponit, cum exeuntibus a corpore detur. Et quia in veteri lege non erat adhuc tempus perveniendi ad gloriam, quia *neminem ad perfectum adduxit lex* *; ideo illud sacramentum ibi praefigurari non debuit per aliquod sacramentum sibi respondens, sicut per figuram eiusdem generis. Quamvis per figuras remotas aliquo modo figuratum sit in omnibus curationibus quae leguntur in veteri lege.

* *Ad Heb.*, cap. vii, vers. 19.

Ad tertium dicendum quod Dionysius non facit aliquam mentionem de extrema unctione, sicut nec de poenitentia nec de matrimonio, quia ipse non intendit determinare de sacramentis nisi quatenus per ea innotescere potest ecclesiasticae hierarchiae ordinata dispositio quantum ad ministros et actiones ministrorum et recipientes. Tamen, cum per extremam unctionem aliquis consequatur gratiam et remissionem peccatorum, non est dubium quod habet vim illuminativam et purgativam, sicut baptismus: quamvis non ita plenam.

ART. II. utrum extrema unctio sit unum sacramentum

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod extrema unctio non sit unum sacramentum. Quia unitas rei est ex sua materia et ex sua forma: cum ex eodem habeat res esse et unitatem. Sed forma huius sacramenti frequenter iteratur, etiam eadem vice; et materia pluries inuncto adhibetur, secundum diversas partes. Ergo non est unum sacramentum.

2. Praeterea, ipsa unctio est sacramentum: ridiculum enim est dicere quod oleum sit sacramentum. Sed sunt plures unctiones. Ergo sunt plura sacramenta.

3. Praeterea, unum sacramentum ab uno ministro perfici debet. Sed in aliquo casu extrema unctio non potest perfici ab uno ministro: sicut si post primam unctionem factam sacerdos moriatur; tunc enim alius sacerdos debet ulterius procedere. Ergo extrema unctio non est sacramentum unum.

Sed contra, sicut se habet immersio ad baptismum, ita se habet unctio ad hoc sacramentum. Sed plures immersiones sunt unum sacramentum baptismi. Ergo et plures unctiones sunt unum sacramentum.

2. Praeterea, si non esset unum sacramentum, tunc, facta prima unctione, non oporteret ad perfectionem sacramenti quod fieret secunda: quia quodlibet sacramentum per se habet esse perfectum. Sed hoc falsum est. Ergo est unum sacramentum.

Respondeo dicendum quod unum numero, per se loquendo, dicitur tripliciter *. Uno modo, sicut indivisibile, quod nec actu nec potentia est plura: ut punctus et unitas. Alio modo, sicut continuum, quod quidem actu est unum, sed plura potentia: ut linea. Tertio modo, sicut perfectum aliquod quod ex pluribus partibus constituitur: ut domus, quae est multa quodammodo in actu, sed illa multa conveniunt in aliquo uno. Et hoc modo quodlibet sacramentum dicitur unum: inquantum multa quae sunt in uno sacramento, adunantur ad unum significandum vel causandum. Quia sacramentum significando causat. Et ideo, quando una actio sufficit ad perfectam significationem, unitas sacramenti consistit in illa actione tantum: sicut patet in confirmatione. Quando autem significatio sacramenti potest esse et in una et in multis actionibus, tunc sacramentum perfici potest et una actione et pluribus: sicut baptismus una immersione et tribus, quia ablutio, quae significatur in baptismo, potest esse per unam immersionem et per multas. Quando autem perfecta significatio non potest esse nisi per plures actiones, tunc plures actiones sunt de perfectione sacramenti: sicut patet in Eucharistia, quia refectio corporalis, quae significat spiritualem, non potest esse nisi per cibum et potum. Et similiter est in hoc sacramento: quia curatio interiorum vulnerum non potest perfecte significari nisi per appositionem medicinae ad diversas vulnerum radices. Et ideo plures actiones sunt de perfectione huius sacramenti.

* Aristot. *Metaphys.* lib. IV, cap. vi; s. Th. lib. V, lect. vii, viii. — Cf. Part. III, qu. lxxiii, art. 2.

Ad primum ergo dicendum quod unitas totius perfecta non tollitur per diversitatem materiae aut formae quae est in partibus totius. Sicut constat quod non est eadem materia carnis et ossis, ex quibus constituitur unus homo, nec eadem forma. Et similiter in sacramento Eucharistiae, et in hoc sacramento, pluralitas materiae et formae unitatem sacramenti non tollit.

Ad secundum dicendum quod, quamvis illae actiones sint plures simpliciter, tamen uniuntur in una perfecta actione, quae est unctio omnium exteriorum sensuum, quibus hauritur morbus interior.

Ad tertium dicendum quod, quamvis in Eucharistia, si post consecrationem panis moriatur sacerdos, alius sacerdos possit procedere ad consecrationem vini, incipiens ubi ille dimisit, vel etiam incipere a capite supra aliam materiam; tamen in extrema unctione non potest a capite incipere, sed debet semper procedere: quia unctio in eadem parte facta tantum valet ac si consecraretur bis eadem hostia, quod nullo modo faciendum est. Nec tamen ministrorum pluralitas tollit unitatem huius sacramenti: quia instrumentaliter tantum operantur; mutatio autem martellorum non tollit unitatem operationis fabri.

ART. III. utrum hoc sacramentum fuerit institutum a Christo

IV *Sent.*, dist. ii, qu. i, art. 4, qu^a^ 4, ad i.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non fuerit institutum a Christo. Quia de institutione sacramentorum quae Christus instituit, fit mentio in Evangelio: sicut de Eucharistia * et baptismo **. Sed nulla fit mentio de extrema unctione. Ergo non est a Christo instituta.

* Matth. cap. xxvi, vers. 26 sqq.
** Matth. cap. iii, vers. 11 sqq.; cap. xxviii, vers. 19.

2. Praeterea, Magister expresse dicit, in Quarto, xxiii dist. *, quod est institutum ab Apostolis. Ergo ipse Christus per se non instituit.

* Cap. *Hoc sacramentum.*

3. Praeterea, sacramentum Eucharistiae, quod Christus instituit, etiam ipse per se exhibuit *. Sed hoc sacramentum ipse nulli exhibuit. Ergo per se non instituit.

* Matth. cap. xxvi, vers. 26 sqq.

Sed contra, sacramenta novae legis sunt digniora quam sacramenta veteris legis. Sed omnia sacramenta veteris legis

sunt ab ipso Deo instituta. Ergo, multo fortius, omnia sacramenta novae legis habent institutionem ab ipso Christo.

2. Praeterea, eiusdem est instituere, et statutum removere. Sed Ecclesia, quae in successoribus Apostolorum habet eandem auctoritatem quam Apostoli habuerunt, non posset auferre sacramentum extremae unctionis. Ergo Apostoli non instituerunt, sed ipse Christus.

Respondeo dicendum quod circa hoc est duplex opinio. Quidam * dicunt quod sacramentum illud, et confirmationis, Christus non instituit per se, sed Apostolis instituendum dimisit: quia haec duo, propter plenitudinem gratiae quae in eis confertur, non potuerunt ante Spiritus Sancti missionem plenissimam institui. Unde sunt ita sacramenta novae legis quod in veteri figuram non habuerunt. – Sed haec ratio non multum cogit: quia, sicut Christus ante passionem promisit plenam Spiritus Sancti missionem *, ita potuit instituere huiusmodi sacramentum.

* Hug. a S. Vict. *de Sacram.* lib. II, part. xv, cap. 2; Mag. IV *Sent.*, loc. cit., arg. 2; Halens. *Summ.* part. IV, qu. v, m. 2, art. 1; s. Bonav. IV *Sent.*, dist. xxiii, art. 1, qu. 2.

* Ioan. cap. xiv, vers. 16, 17, 26; cap. xv, vers. 26; cap. xvi, vers. 13 sqq.

Et ideo alii * dicunt quod omnia sacramenta Christus instituit per seipsum: sed quaedam per seipsum promulgavit, quae sunt maioris difficultatis ad credendum; quaedam autem Apostolis promulganda reservavit, sicut extremam unctionem et confirmationem. Et haec opinio pro tanto videtur probabilior, quia sacramenta ad fundamentum legis pertinent; et ideo ad Legislatorem pertinet eorum institutio. Et iterum, quia ex institutione efficaciam habent: quae eis non nisi divinitus inest.

* B. Albert. IV *Sent.*, dist. xxiii, art. 13.

Ad primum ergo dicendum quod multa Dominus fecit et dixit quae in Evangeliis non continentur *. Illa enim praecipue curaverunt Evangelistae tradere quae ad necessitatem salutis et Ecclesiae dispositionem pertinent. Et ideo potius institutionem baptismi et poenitentiae et Eucharistiae et ordinis factam a Christo narraverunt quam sacramentum extremae unctionis, quae neque est de necessitate salutis, neque ad dispositionem sive distinctionem Ecclesiae pertinet. Tamen etiam de olei unctione fit mentio in Evangelio, Marc. vi *, ubi dicitur quod Apostoli *oleo ungebant infirmos.*

* Cf. Ioan. cap. xx, vers. 30; cap. xxi, vers. 25.

* Vers. 13.

Ad secundum dicendum quod Magister dicit ab Apostolis institutum, quia per doctrinam Apostolorum nobis promulgata est eius institutio.

Ad tertium dicendum quod Christus non exhibuit aliquod sacramentum nisi quod ipse accepit in exemplum. Accipere autem poenitentiam et extremam unctionem sibi non competebat: quia sine peccato erat. Et ideo ipse non exhibuit.

ART. IV. Utrum oleum olivae sit conveniens materia huius sacramenti

IV *Cont. Gent.*, cap. lxxiii.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod oleum olivae non sit conveniens materia huius sacramenti. Quia hoc sacramentum immediate ad incorruptionem ordinat. Sed incorruptio significatur per balsamum, quod in chrismate ponitur. Ergo chrisma esset convenientior materia huius sacramenti.

2. Praeterea, hoc sacramentum est spiritualis medicatio. Sed spiritualis medicatio per vini appositionem significatur: sicut patet Luc. x *, in parabola de sauciato. Ergo vinum esset convenientior materia huius sacramenti.

* Vers. 34.

3. Praeterea, ubi est maius periculum, ibi debet esse commune remedium. Sed oleum non est commune remedium: quia non invenitur in qualibet terra. Ergo, cum hoc sacramentum detur exeuntibus, qui sunt in maximo periculo, videtur quod oleum olivae non sit materia conveniens.

Sed contra est quod Iac. v * oleum materia huius sacramenti determinatur. Sed oleum proprie non dicitur nisi oleum olivae. Ergo hoc est materia huius sacramenti.

* Vers. 14.

2. Praeterea, spiritualis sanatio per olei inunctionem significatur: ut patet Isaiae i *, ubi dicitur: *Plaga tumens non est curata medicamine neque fota oleo.* Ergo conveniens materia huius sacramenti est oleum.

* Vers. 6.

Respondeo dicendum quod spiritualis curatio quae in fine adhibetur, debet esse perfecta, quia post eam alia non relinquitur; et lenis, ut spes, quae exeuntibus est maxime necessaria, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem lenitivum est, et penetrativum usque ad intima, et etiam diffusivum. Et ideo quantum ad utrumque praedictorum est conveniens materia huius sacramenti. Et quia oleum principaliter nominatur olivae liquor, cum alii liquores ex similitudine ad ipsum olei nomen accipiant; ideo oleum olivae etiam debet esse quod assumitur in materia huius sacramenti.

Ad primum ergo dicendum quod incorruptio gloriae est res non contenta in hoc sacramento: nec oportet quod tali rei significatio materiae respondeat. Unde non oportet quod balsamum ponatur materia huius sacramenti: quia balsamum, propter odorem, pertinet ab *bonitatem famae* *, qua de cetero non indigent, propter se, exeuntes; sed indigent tantum *nitore conscientiae,* qui in oleo significatur *.

* Cap. *Cum venisset, de Sacra Unct.*

* Ibid.

Ad secundum dicendum quod vinum sanat mordicando: sed oleum leniendo. Et ideo curatio per vinum magis pertinet ad poenitentiam quam ad hoc sacramentum.

Ad tertium dicendum quod oleum olivae, quamvis non ubique crescat, tamen de facili potest ad quemlibet locum transferri. – Et praeterea hoc sacramentum non est tantae necessitatis quod exeuntes sine hoc sacramento non possint salutem consequi.

ART. V. Utrum oporteat esse oleum consecratum

Part. III, qu. lxxii, art. 3.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod non oporteat esse oleum consecratum. Quia hoc sacramentum habet unam sanctificationem in usu per formam verborum. Ergo superfluit alia sanctificatio, si ad materiam ipsius fiat.

2. Praeterea, sacramenta habent efficaciam et significationem in ipsa materia. Sed significatio effectus huius sacramenti competit oleo ex naturali proprietate, efficacia autem ex institutione divina. Ergo non est necessaria aliqua sanctificatio materiae.

3. Praeterea, baptismus est perfectius sacramentum quam extrema unctio. Sed in baptismo non praeexigitur materiae sanctificatio, quantum est de necessitate sacramenti. Ergo nec in extrema unctione.

Sed contra est, quia in omnibus aliis unctionibus est materia consecrata prius. Ergo, cum hoc sacramentum sit quaedam unctio, requirit materiam consecratam.

Respondeo dicendum quod quidam dicunt quod oleum simplex est materia huius sacramenti; et in ipsa sanctificatione olei, quae est per episcopum, perficitur sacramentum. – Sed hoc patet esse falsum ex his quae de Eucharistia dicta sunt *, ubi ostensum est quod solum illud sacramentum consistit in consecratione materiae.

* IV *Sent.*, dist. viii, qu. ii, art. 1, qu^a 1, ad 2. – Cf. Part. III, qu. lxxviii, art. 1.

Et ideo dicendum quod hoc sacramentum consistit in ipsa unctione, sicut baptismus in ablutione: et materia huius sacramenti est oleum sanctificatum. Potest autem triplex ratio assignari quare exigitur materiae sanctificatio in hoc sacramento et in quibusdam aliis. Prima est, quia omnis efficacia sacramentorum a Christo descendit. Et ideo sacramenta illa quibus ipse est usus, habent efficaciam ex ipso usu suo: sicut *tactu suae carnis vim regenerativam contulit aquis* *. Sed hoc sacramento non est usus, nec aliqua corporali unctione. Et ideo in omnibus unctionibus requiritur sanctificatio materiae.

* Mag. IV *Sent.*, dist. iii, cap. *Si vero.* – Cf. Bed. *Exp. in Luc.* lib. I, ad cap. iii, vers. 21.

Secunda causa est propter plenitudinem gratiae, quae confertur non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias et infirmitatem corporis.

Tertia est ex hoc quod effectus eius corporalis, scilicet sanatio, non causatur ex materiae naturali proprietate. Et ideo oportet quod haec efficacia sibi per sanctificationem detur.

Ad primum ergo dicendum quod prima sanctificatio est materiae secundum se: sed secunda magis pertinet ad usum ipsius, secundum quod est actu conferens effectum suum. Et ideo neuter superfluit: quia etiam instrumenta efficaciam accipiunt ab artifice et dum fiunt, et dum ad actum applicantur.

Ad secundum dicendum quod illa efficacia quae est ex institutione sacramenti, applicatur huic materiae per sanctificationem.

Ad tertium patet solutio ex dictis *.

* In corpore.

ART. VI. UTRUM OPORTEAT MATERIAM HUIUS SACRAMENTI ESSE CONSECRATAM PER EPISCOPUM

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod non oporteat materiam huius sacramenti esse consecratam per episcopum. Quia dignior est consecratio materiae in sacramento Eucharistiae quam in hoc sacramento. Sed in Eucharistia materiam sacerdos potest consecrare. Ergo et in hoc sacramento.

2. Praeterea, in operibus corporalibus ars dignior numquam praeparat materiam inferiori: quia dignior est quae utitur quam quae materiam praeparat, ut dicitur II *Physic.* * Sed episcopus est supra sacerdotem. Ergo non praeparat materiam in illo sacramento quo sacerdos utitur. Sed sacerdos dispensat hoc sacramentum, ut dicetur *. Ergo consecratio materiae ad episcopum non pertinet.

* Cap. II, n. 10. - S. Th. lect. IV.
* Qu. XXXI, art. 3.

Sed contra est, quia in aliis unctionibus etiam materia per episcopum consecratur. Ergo ita debet esse in ista.

Respondeo dicendum quod minister sacramenti non propria virtute effectum sacramenti inducit ut principale agens, sed per efficaciam sacramenti quod dispensat. Quae quidem efficacia primo est a Christo, et ab ipso in alios descendit ordinate: scilicet in populum mediantibus ministris, qui sacramenta dispensant; et in ministros inferiores mediantibus superioribus, qui materiam sanctificant. Et ideo in omnibus sacramentis quae indigent materia sanctificata, prima sanctificatio materiae fit per episcopum, et usus quandoque per sacerdotem, ut ostendatur sacerdotalis potestas ab episcopali derivata: secundum illud Psalmi *: *Sicut unguentum in capite, quod* prius *descendit in barbam,* deinde usque ad *oram vestimenti.*

* Ps. CXXXII, vers. 2.

Ad primum ergo dicendum quod sacramentum Eucharistiae consistit in ipsa materiae sanctificatione, non autem in usu. Et ideo, proprie loquendo, illud quod est materia sacramenti, non est quid consecratum. Unde non praeexigitur aliqua sanctificatio circa materiam per episcopum facta. Sed exigitur sanctificatio altaris et huiusmodi, et etiam ipsius sacerdotis, quae non nisi per episcopum fieri potest. Unde in illo etiam sacramento ostenditur potestas sacerdotalis ab episcopo derivata: ut Dionysius dicit *. Ideo autem illam consecrationem materiae potest facere sacerdos quae est in se sacramentum, et non illam quae ut sacramentale quoddam ordinatur ad sacramentum, quod consistit in usu fidelium, quia quantum ad corpus Christi verum nullus ordo est supra sacerdotium, sed quantum ad corpus Christi mysticum episcopalis ordo est supra sacerdotalem, ut infra * dicetur.

* *Eccl. Hier.* cap. V, § 5.
* Qu. XL, art. 4.

Ad secundum dicendum quod materia sacramenti non est talis materia ut in qua fiat aliquid per eum qui ea utitur, sicut est in artibus mechanicis: sed ut cuius virtute aliquid fiat, et sic percipiat aliquid de ratione causae agentis, inquantum est instrumentum quoddam divinae operationis. Et ideo oportet quod a superiori arte vel potestate talis virtus materiae acquiratur. Quia in causis agentibus, quanto aliquod agens est prius, tanto est perfectius: in causis autem pure materialibus, quanto materia est prior, tanto imperfectior.

ART. VII. UTRUM HOC SACRAMENTUM HABEAT ALIQUAM FORMAM

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non habeat aliquam formam. Cum enim efficacia sacramentorum sit ab institutione et item a forma, oportet quod forma tradatur ab ipso qui sacramentum instituit. Sed forma huius sacramenti non invenitur tradita neque a Christo neque ab Apostolis. Ergo hoc sacramentum non habet aliquam formam.

2. Praeterea, ea quae sunt de necessitate sacramenti, observantur eodem modo apud omnes. Sed nihil magis est de necessitate sacramenti habentis formam quam ipsa forma. Ergo, cum non sit aliqua forma communiter observata ab omnibus in hoc sacramento, quia diversi diversis verbis utuntur *, videtur quod hoc sacramentum non habeat aliquam formam.

* Cf. art. seq.

3. Praeterea, in baptismo non requiritur forma nisi ad sanctificationem materiae, quae est *aqua verbo vitae diluendis criminibus sanctificata* *. Sed hoc sacramentum habet materiam prius sanctificatam. Non ergo indiget aliqua forma verborum.

* Hug. a S. Vict., *de Sacram.* lib. II, p. VI, cap. 2.

Sed contra est quod Magister dicit *, quod omne sacramentum novae legis consistit in rebus et in verbis. Verba autem sunt forma sacramenti. Cum ergo hoc sit sacramentum novae legis, videtur quod habeat formam.

* IV *Sent.*, dist. I, cap. *Sunt autem exercitationum.*

2. Praeterea, ad hoc est ritus universalis Ecclesiae, quae quibusdam verbis utitur in collatione huius sacramenti.

Respondeo dicendum quod quidam dixerunt quod nulla forma est de necessitate huius sacramenti. – Sed hoc videtur derogare effectui huius sacramenti. Quia omne sacramentum efficit significando. Significatio autem materiae non determinatur ad effectum determinatum, cum ad multa se possit habere, nisi per formam verborum. Et ideo in omnibus sacramentis novae legis, quae *efficiunt quod figurant* *, oportet esse et res et verba. Et praeterea Iacobus * totam vim sacramenti huius videtur constituere in *oratione,* quae est forma huius sacramenti, ut dicetur *. Et ideo praedicta opinio praesumptuosa videtur, et erronea. Et propter hoc dicendum, sicut communiter dicitur, quod habet formam determinatam, sicut et alia sacramenta.

* Part. III. qu. LXII. art. 1. ad 1.
* Cap. V, vers. 15.
* Art. 8, 9.

Ad primum ergo dicendum quod sacra Scriptura omnibus communiter proponitur. Et ideo forma baptismi, qui ab omnibus dari potest, debet in sacra Scriptura exprimi. Et similiter forma Eucharistiae, quae exprimit sacramenti illius fidem, quae est de necessitate salutis. Sed formae aliorum sacramentorum non inveniuntur in Scriptura traditae, sed Ecclesia ex traditione Apostolorum habet, qui a Domino acceperunt: ut dicit Apostolus, I *Cor.* XI *: *Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis.*

* Vers. 23.

Ad secundum dicendum quod illa verba quae sunt de essentia formae, scilicet oratio deprecativa, ab omnibus dicuntur: sed alia, quae sunt de bene esse, non observantur ab omnibus.

Ad tertium dicendum quod materia baptismi habet quandam sanctificationem per se ex ipso tactu carnis Salvatoris: sed ex forma verborum accipit sanctificationem actu sanctificantem. Et similiter, post sanctificationem materiae huius sacramenti secundum se, requiritur sanctificatio in usu, per quam actu sanctificet.

ART. VIII. UTRUM FORMA HUIUS SACRAMENTI DEBEAT PROFERRI PER ORATIONEM INDICATIVAM, ET NON DEPRECATIVAM

De Forma Absolut., cap. I.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod forma huius sacramenti debeat proferri per orationem indicativam, et non deprecativam. Quia sacramenta novae legis habent certum effectum. Sed certitudo effectus non exprimitur in formis sacramentorum nisi per orationem indicativam, cum dicitur, *Hoc est corpus meum,* vel, *Ego te baptizo.* Ergo debet esse forma huius sacramenti oratio indicativa.

2. Praeterea, in formis sacramentorum debet exprimi intentio ministri, quae requiritur ad sacramentum. Sed intentio conferendi sacramentum non exprimitur nisi per orationem indicativam. Ergo, etc.

3. Praeterea, in quibusdam ecclesiis dicuntur huiusmodi verba in collatione huius sacramenti: *Ungo hos oculos oleo sanctificato in nomine Patris,* etc. *: et hoc est conforme aliis formis sacramentorum. Ergo videtur quod in hoc consistat forma huius sacramenti.

* Cf. B. Albert. IV *Sent.*, dist. XXIII, art. 4.

Sed contra, illud quod est forma sacramenti, ab omnibus oportet quod servetur. Sed verba praedicta * non dicuntur secundum consuetudinem omnium ecclesiarum, sed tantum verba deprecativa, scilicet: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum,* etc. Ergo forma huius sacramenti est oratio deprecativa.

* Arg. 3.

2. Praeterea, hoc videtur ex verbis Iacobi, qui attribuit efficaciam huius sacramenti orationi: *Oratio fidei,* inquit *, *sanabit infirmum.* Ergo, cum efficacia sacramenti sit ex forma, videtur quod forma huius sacramenti sit praedicta oratio *.

* Cap. V, vers. 15.
* Arg. praeced.

Respondeo dicendum quod oratio deprecativa est forma huius sacramenti: ut patet per verba Iacobi *; et ex usu Romanae Ecclesiae, quae solum verbis deprecativis utitur in collatione huius sacramenti *. Cuius ratio multiplex assignatur.

* Cf. arg. *Sed cont.* 2.

* Cf. *Ord. Roman.* lib. X, n. 33. - Append. Opp. Greg. Magni.

Primo, quia suscipiens sacramentum hoc est viribus propriis destitutus. Unde indiget orationibus sublevari.

Secundo, quia datur exeuntibus, qui iam desinunt esse de foro Ecclesiae, et in solius Dei manu requiescunt. Unde ei per orationem committuntur.

Tertio, quia hoc sacramentum non habet aliquem effectum qui semper ex operatione ministri consequatur, omnibus quae sunt de essentia sacramenti rite peractis: sicut character in baptismo et confirmatione; et transubstantiatio in Eucharistia; et remissio peccati in poenitentia, existente contritione, quae est de essentia sacramenti poenitentiae, non autem de essentia huius sacramenti. Et ideo in hoc sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in praedictis sacramentis.

Ad primum ergo dicendum quod hoc sacramentum, sicut et praedicta *, quantum est de se habet certitudinem, sed potest impediri ex fictione recipientis, etiam si sacramento se subiiciat per intentionem, quod nullum effectum consequatur. Et propter hoc non est simile de hoc et de aliis sacramentis, in quibus semper aliquis effectus consequitur.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod per ipsum actum, qui ponitur in forma, scilicet, *per istam sanctam unctionem,* satis exprimitur intentio.

Ad tertium dicendum quod verba illa indicativi modi quae secundum morem quorundam praemittuntur orationi, non sunt forma huius sacramenti: sed sunt quaedam dispositio ad formam, inquantum intentio ministri determinatur ad actum illum per illa verba.

ART. IX. Utrum praedicta oratio sit competens forma huius sacramenti

Ad nonum sic proceditur. Videtur quod praedicta oratio * non sit competens forma huius sacramenti. Quia in formis aliorum sacramentorum fit mentio de materia: sicut patet in confirmatione. Quae non fit in verbis praedictis. Ergo non est conveniens forma.

* Cf. art. praec., arg. *Sed cont.* 1.

2. Praeterea, sicut effectus huius sacramenti provenit in nos per misericordiam divinam, ita et aliorum sacramentorum. Sed in formis aliorum sacramentorum non fit mentio de misericordia divina, sed magis de Trinitate et de passione. Ergo similiter debet esse hic.

3. Praeterea, duplex effectus huius sacramenti in littera ponitur *. Sed in verbis praedictis non fit mentio nisi de uno, scilicet de remissione peccatorum: non autem de corporali sanatione, ad quam Iacobus ordinat orationem fidei, dicens *: *Oratio fidei sanabit infirmum.* Ergo forma praedicta est incompetens.

* Dist. xxiii, cap. *Hoc sacramentum.*

* Cap. v, vers. 15.

Respondeo dicendum quod praedicta oratio est competens forma huius sacramenti. Quia tangit sacramentum, in hoc quod dicitur, *per istam sanctam unctionem;* et illud quod operatur in sacramento, scilicet *divinam misericordiam;* et effectum, scilicet *remissionem peccatorum.*

Ad primum ergo dicendum quod materia huius sacramenti potest intelligi per actum unctionis: non autem materia confirmationis per actum in forma expressum. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum quod misericordia respicit miseriam. Et quia hoc sacramentum datur in statu miseriae, scilicet infirmitatis, ideo potius hic quam in aliis fit mentio de misericordia.

Ad tertium dicendum quod in forma debet exprimi effectus principalis, et qui semper inducitur ex sacramento nisi sit defectus ex parte recipientis. Non autem talis effectus est corporalis sanitas, ut ex dictis * patet, quamvis quandoque sequatur. Ratione cuius Iacobus hunc effectum attribuit orationi, quae est forma huius sacramenti.

* IV *Sent.*, dist. xxiii, qu. i, art. 2, qu^a 2. - Cf. infra qu. xxx, art. 2.

QUAESTIO TRIGESIMA

DE EFFECTU SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS

Deinde considerandum est de effectu huius sacramenti *. Circa quod quaeruntur tria.

* Cf. qu. xxix, Introd.

Primo: utrum extrema unctio valeat ad remissionem peccatorum.

Secundo: utrum sanitas corporalis sit effectus huius sacramenti.

Tertio: utrum hoc sacramentum characterem imprimat.

ART. I. Utrum extrema unctio valeat ad remissionem peccatorum

Supra, qu. viii, art. 3, ad 2; IV *Sent.*, dist. ii, qu. i, art. 1, qu^a 4; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxiii; *De Malo,* qu. vii, art. 11, ad 14.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod extrema unctio non valeat ad remissionem peccatorum. Ad hoc enim quod per unum potest effici, aliud non exigitur. Sed in eo qui extremam unctionem accipit, requiritur poenitentia ad peccatorum remissionem. Ergo per extremam unctionem non dimittuntur peccata.

2. Praeterea, in peccato non sunt nisi tria: macula, reatus poenae, et reliquiae peccati. Sed per extremam unctionem non remittitur peccatum quoad maculam sine contritione: quae etiam sine unctione remittit. Nec iterum quoad poenam: quia adhuc, si convalescat, tenetur perficere satisfactionem iniunctam. Nec quoad reliquias culpae: quia adhuc remanent dispositiones ex actibus praecedentibus relictae, ut patet post convalescentiam. Ergo nullo modo per extremam unctionem fit peccatorum remissio.

3. Praeterea, remissio peccatorum non fit successive, sed in instanti. Sed extrema unctio non fit tota simul: quia plures unctiones requiruntur. Ergo eius effectus non est remissio peccatorum.

Sed contra est quod dicitur Iac. v *: *Si in peccatis est, dimittentur ei.*

* Vers. 15.

2. Praeterea, omne sacramentum novae legis gratiam confert. Sed per gratiam fit remissio peccatorum. Ergo extrema unctio, cum sit sacramentum novae legis, operatur ad remissionem peccati.

Respondeo dicendum quod quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit. Et quia sacramentum *efficit quod figurat* *, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi eius principalis effectus. Adhibetur autem hoc sacramentum secundum modum cuiusdam medicationis: sicut baptismus per modum ablutionis. Medicina autem est ad pellendum infirmitatem. Unde principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandum infirmitatem peccati: ut, sicut baptismus est quaedam spiritualis regeneratio, et poenitentia quaedam spiritualis suscitatio, ita et extrema unctio est quaedam spiritualis sanatio vel medicatio. Sicut autem corporalis medicatio praesupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem. Et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum originale et mortale: sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitae gratiae vel gloriae. Et hic defectus nihil est aliud quam quaedam debilitas et ineptitudo quae in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali. Et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum.

* Part. III, qu. lxii, art. 1, ad 1.

Sed quia hoc robur gratia facit, quae secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale vel veniale, quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis: sicut etiam de Eucharistia et confirmatione supra * dictum est. Et ideo etiam Iacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens *: *Si in peccatis sit, dimittentur ei* quoad culpam. Non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit: sed semper remittit quoad debilitatem praedictam, quam quidam * *reliquias peccati* dicunt.

* IV *Sent.*, dist. vii, qu. ii, art. 2, qu^a 1, ad 1; dist. ix, qu. i, art. 3, qu^a 2; dist. xii, qu. ii, art. 2, qu^a 1, ad 1, 3. - Cf. Part. III, qu. lxxii, art. 7, ad 2; qu. lxxix, art. 3.

* Cf. arg. *Sed contra* 1.

* B. Albert., IV *Sent.*, dist. xxiii, art. 14.

Quidam * vero dicunt quod principaliter est institutum contra veniale: quod quidem non potest, dum haec vita

* Cf. Halens. *Summ.* p. IV, qu. v, m. 7, art. 2; s. Bonav. IV *Sent.*, dist. xxiii, art. 2, qu. 2.

agitur, perfecte curari; et ideo sacramentum exeuntium specialiter contra veniale ordinatur. – Sed hoc non videtur verum. Quia poenitentia sufficienter, etiam in vita, delet venialia quoad culpam. Quod autem non potest evitari post peractam poenitentiam, non aufert praecedenti poenitentiae suum effectum. – Et iterum hoc pertinet ad debilitatem praedictam.

Unde dicendum quod principalis effectus huius sacramenti est remissio peccatorum quoad reliquias peccati; et ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniat.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis effectus principalis alicuius sacramenti possit haberi sine actuali perceptione illius sacramenti, vel sine sacramento, vel per aliud sacramentum ex consequenti; nunquam tamen haberi potest sine proposito illius sacramenti. Et ideo, quia poenitentia est principaliter instituta contra actualem culpam, quodcumque aliud sacramentum actualem culpam deleat ex consequenti, non excludit necessitatem poenitentiae.

Ad secundum dicendum quod extrema unctio aliquo modo quantum ad illa tria remittit peccatum. Quamvis enim culpa quoad maculam sine contritione non dimittatur, tamen hoc sacramentum per gratiam quam infundit, facit quod ille motus liberi arbitrii in peccatum sit contritio: sicut etiam in Eucharistia et confirmatione potest accidere. – Similiter etiam et reatum poenae temporalis diminuit: sed ex consequenti, inquantum debilitatem tollit, quia eandem poenam levius portat fortis quam debilis. Unde non oportet quod propter hoc minuatur satisfactionis mensura. – Reliquiae autem peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictae, quae sunt quidam habitus inchoati: sed quaedam spiritualis debilitas in ipsa mente existens, qua sublata, et eisdem habitibus vel dispositionibus manentibus, non ita potest inclinari mens ad peccatum.

Ad tertium dicendum quod, quando sunt multae actiones ordinatae ad unum effectum, ultima est formalis respectu omnium praecedentium, et agit in virtute earum. Et ideo in ultima unctione gratia infunditur, quae effectum sacramento praebet.

ART. II. Utrum sanitas corporalis sit effectus huius sacramenti

IV *Cont. Gent.*, cap. lxxiii.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod sanitas corporalis non sit effectus huius sacramenti. Omne enim sacramentum est medicina spiritualis. Sed spiritualis medicina ad spiritualem sanitatem ordinatur, sicut corporalis ad corporalem. Ergo sanitas corporalis non est effectus huius sacramenti.

2. Praeterea, sacramentum semper habet effectum suum in eo qui non fictus accedit. Sed quandoque non sanatur corporaliter suscipiens hoc sacramentum, quantumcumque devotus accipiat. Ergo sanitas corporalis non est effectus eius.

3. Praeterea, efficacia huius sacramenti nobis ostenditur Iac. v *. Sed ibi non attribuitur sanatio effectus unctioni, sed orationi: dicit enim: *Oratio fidei sanabit infirmum.* Ergo corporalis sanatio non est effectus huius sacramenti.

* Vers. 15.

Sed contra, operatio Ecclesiae habet maiorem efficaciam post Christi passionem quam ante. Sed ante oleo inuncti per Apostolos sanabantur: ut patet Marc. vi *. Ergo et nunc habet effectum in corporali sanatione.

* Vers. 13.

2. Praeterea, sacramenta significando efficiunt. Sed baptismus per ablutionem corporalem, quam exterius facit, significat et efficit spiritualem. Ergo et extrema unctio per sanationem corporalem, quam exterius efficit, significat et causat spiritualem.

Respondeo dicendum quod, sicut baptismus per ablutionem corporalem facit spiritualem emundationem a maculis spiritualibus, ita hoc sacramentum per medicationem sacramentalem exteriorem facit sanationem interiorem: et sicut ablutio baptismi habet effectum corporalis ablutionis, quia etiam corporalem mundationem habet; ita extrema unctio habet effectum corporalis medicationis, scilicet corporalem sanationem. Sed haec est differentia, quia corporalis ablutio ex ipsa naturali proprietate elementi facit corporalem mundationem: et ideo semper eam facit. Sed extrema unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiae, sed virtute divina, quae rationabiliter operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum nisi secundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc sacramento non sequitur corporalis sanatio semper, sed quando expedit ad spiritualem sanationem. Et tunc semper eam inducit: dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.

Ad primum ergo dicendum quod obiectio illa probat quod corporalis sanitas non sit effectus principalis huius sacramenti. Et hoc verum est.

Ad secundum patet solutio ex dictis *.

* In corp. et qu. xxix, art. 8.

Ad tertium dicendum quod oratio illa est forma huius sacramenti, ut dicetur *. Et ideo hoc sacramentum, et sua forma, habet efficaciam, quantum est de se, ad sanationem corporalem.

* IV *Sent.*, dist. xxiii, qu. 1, art. 4, qu^a 2, 3. - Cf. supra qu. xxix, art. 8, 9.

ART. III. Utrum hoc sacramentum imprimat characterem

IV *Sent.*, dist. xxiii, qu. ii, art. 1, qu^a 3, ad 1.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum imprimat characterem. Character enim signum distinctivum est. Sed, sicut baptizatus distinguitur a non baptizato, ita unctus a non uncto. Ergo, sicut baptismus imprimit characterem, ita et extrema unctio.

2. Praeterea, in ordinis et confirmationis sacramentis est unctio, sicut in hoc sacramento. Sed in illis imprimitur character. Ergo et in isto.

3. Praeterea, in omni sacramento est aliquid quod est res tantum, et aliquid quod est sacramentum tantum, et aliquid quod est res et sacramentum. Sed non potest aliquid assignari in hoc sacramento quod sit res et sacramentum nisi character. Ergo in hoc sacramento imprimitur character.

Sed contra, nullum sacramentum imprimens characterem iteratur. Hoc autem iteratur, ut dicetur *. Ergo non imprimit characterem.

* Qu. xxxiii, art. 1.

2. Praeterea, distinctio quae fit secundum characterem sacramentalem, est distinctio eorum qui sunt in praesenti Ecclesia. Sed extrema unctio confertur ei qui exit de praesenti Ecclesia. Ergo non decet quod in eo character conferatur.

Respondeo dicendum quod character non imprimitur nisi in illis sacramentis in quibus homo ad aliquod sacrum deputatur. Sed hoc sacramentum est solum in remedium, et non deputatur per ipsum homo ad aliquod sacrum agendum vel suscipiendum. Et ideo non imprimitur in eo character.

Ad primum ergo dicendum quod character facit distinctionem statuum quantum ad ea quae in Ecclesia sunt agenda. Et talem distinctionem homo non habet ab aliis per hoc quod ipse est inunctus.

Ad secundum dicendum quod unctio quae fit in ordine et confirmatione, est unctio consecrationis, qua homo deputatur ad aliquod sacrum. Sed haec unctio est unctio medicationis. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum quod in hoc sacramento res et sacramentum non est character, sed quaedam interior devotio, quae est spiritualis unctio.

QUAESTIO TRIGESIMAPRIMA

DE MINISTRO SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS

Deinde considerandum est de administratione huius sacramenti *.

* Cf. qu. xxix, Introd.

Circa quod tria quaeruntur.

Primo: utrum laicus possit hoc sacramentum conferre.
Secundo: utrum diaconus.
Tertio: utrum solus episcopus.

ART. I. Utrum etiam laicus possit hoc sacramentum conferre

Ad primum sic proceditur. Videtur quod etiam laicus possit hoc sacramentum conferre. Quia hoc sacramen-

tum habet efficaciam ex oratione, ut Iacobus dicit *. Sed oratio laici quandoque est a Deo accepta sicut sacerdotis. Ergo potest hoc sacramentum conferre.

* Cap. v, vers. 15.

2. Praeterea, de quibusdam Patribus in Aegypto legitur quod oleum ad infirmos transmittebant et sanabantur *. Et similiter de beata Genovefa quod oleo infirmos ungebat *. Ergo hoc sacramentum potest conferri etiam a laicis.

* Cf. *Vit. S. Hilarion.*, auct. s. Hieron.; *Vit. PP.* lib. VIII, cap. xliii, de Abbat. Ioann.
* Bolland. die 3 Ian., 1ª Vita S. Genov., cap. x, n. 57; 2ª Vit., cap. x, n. 3, 8.

Sed contra est, quia in hoc sacramento fit remissio peccatorum. Sed laici non habent potestatem dimittendi peccata. Ergo, etc.

Respondeo dicendum quod, secundum Dionysium, in *Eccles. Hier.* *, sunt quidam exercentes actiones hierarchicas, et quidam recipientes tantum, qui sunt laici. Et ideo nullius sacramenti dispensatio laico ex officio competit: sed quod baptizare possunt in causa necessitatis est divina dispensatione factum, ut nulli regenerationis spiritualis facultas desit.

* Cap. v, § 2.

Ad primum ergo dicendum quod oratio illa non fit a sacerdote in persona sua, quia, cum sit quandoque peccator, non esset exaudibilis *: sed fit in persona totius Ecclesiae, in cuius persona orare potest quasi persona publica; non autem laicus, qui persona privata est.

* Cf. Ioan. cap. ix, vers. 31.

Ad secundum dicendum quod illae unctiones non erant sacramentales: sed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, et meritis unguentium vel oleum mittentium, consequebatur effectus sanitatis corporalis per *gratiam sanitatum* *, non per gratiam sacramentalem.

* I *ad Cor.*, cap. xii, vers. 9.

ART. II. Utrum diaconi possint hoc sacramentum conferre

IV *Sent.*, dist. xxiv, qu. ii, art. 2, ad 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod diaconi possint hoc sacramentum conferre. Quia secundum Dionysium *, diaconi habent virtutem *purgativam.* Sed hoc sacramentum est institutum ad purgandum tantum ab infirmitate mentis et corporis. Ergo diaconi possunt conferre.

* *Eccl. Hier.* cap. v, § 3, 6.

2. Praeterea, dignius sacramentum est baptismus quam hoc de quo hic agimus. Sed diaconi possunt baptizare: ut patet de beato Laurentio *. Ergo possunt hoc sacramentum conferre.

* Bolland. die 10 Aug., Act. ex Martyr. Adonis, n. 3. 7.

Sed contra est quod dicitur Iac. v *: *Inducat presbyteros Ecclesiae.*

* Vers. 14.

Respondeo dicendum quod diaconus habet vim purgativam tantum, non illuminativam. Unde, cum illuminatio fiat per gratiam, nullum sacramentum in quo gratia confertur, diaconus potest dare ex officio. Et ideo nec hoc: cum in eo gratia conferatur.

Ad primum ergo dicendum quod hoc sacramentum illuminando per gratiae collationem purgat. Et ideo diacono eius collatio non competit.

Ad secundum dicendum quod hoc sacramentum non est necessitatis, sicut baptismus. Unde non ita committitur dispensatio eius omnibus in articulo necessitatis, sed solum illis quibus ex officio competit. Diaconis autem etiam baptizare non competit ex officio.

ART. III. Utrum solus episcopus possit hoc sacramentum conferre

IV *Cont. Gent.*, cap. lxxiii.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod solus episcopus possit hoc sacramentum conferre. Quia hoc sacramentum unctione perficitur, sicut et confirmatio. Sed solus Episcopus potest confirmare. Ergo solus potest hoc sacramentum conferre.

2. Praeterea, qui non potest quod minus est, non potest quod est maius. Sed maior est usus materiae sanctificatae quam sanctificatio eius: quia est finis ipsius. Ergo, cum sacerdos non possit sanctificare materiam, non potest materia sanctificata uti.

Sed contra, huius sacramenti minister *inducendus est* ad eum qui suscipit sacramentum: ut patet Iac. v *. Sed episcopus non posset accedere ad omnes infirmos suae dioecesis. Ergo non solus episcopus potest hoc sacramentum conferre.

* Vers. 14.

Respondeo dicendum quod, secundum Dionysium *, episcopus proprie habet *perficiendi* officium, sicut sacerdos *illuminandi.* Unde illa sacramenta dispensanda solis episcopis reservantur quae suscipientem in aliquo statu perfectionis super alios ponunt. Hoc autem non est in hoc sacramento: cum omnibus detur. Et ideo per simplices sacerdotes potest administrari.

* *Eccl. Hier.* cap. v, § 3, 6.

Ad primum ergo dicendum quod confirmatio imprimit characterem, quo collocatur homo in statu perfectionis, ut supra * dictum est. Non autem hoc est in hoc sacramento. Et ideo non est simile.

* IV *Sent.*, dist. vii, qu. ii, art. 1, quª 1. - Cf. Part. III, qu. lxxii, art. 5.

Ad secundum dicendum quod, quamvis in genere causae finalis usus materiae sanctificatae sit potior quam sanctificatio materiae, tamen in genere causae efficientis sanctificatio materiae est potior: quia ab eodem pendet usus sicut ab activa causa. Et ideo sanctificatio requirit altiorem virtutem activam quam usus.

QUAESTIO TRIGESIMASECUNDA

DE HIS QUIBUS SACRAMENTUM EXTREMAE UNCTIONIS CONFERRI DEBEAT, ET IN QUA PARTE CORPORIS

Deinde considerandum est de his quibus hoc sacramentum conferri debet, et in qua parte corporis *.

* Cf. qu. xxix, Introd.

Circa quod septem quaeruntur.
Primo: utrum sanis debeat hoc sacramentum conferri.
Secundo: utrum debeat conferri in qualibet infirmitate.
Tertio: utrum debeat conferri furiosis et amentibus.
Quarto: utrum pueris.
Quinto: utrum totum corpus hoc sacramento inungi debeat.
Sexto: utrum convenienter determinentur partes in quibus inungitur.
Septimo: utrum mutilati in praedictis partibus inungi debeat.

ART. I. Utrum etiam sanis conferri debeat hoc sacramentum

IV *Cont. Gent.*, cap. lxxiii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod etiam sanis conferri debeat hoc sacramentum. Quia principalior effectus huius sacramenti est sanatio mentis quam sanatio corporis, ut dictum est *. Sed etiam sani corpore indigent sanatione mentis. Ergo eis etiam debet hoc sacramentum conferri.

* Qu. xxx, art. 2.

2. Praeterea, hoc sacramentum est exeuntium, sicut baptismus intrantium. Sed omnibus intrantibus baptismus datur. Ergo omnibus exeuntibus debet dari hoc sacramentum. Sed quandoque illi qui sunt in propinquo exitu, sani sunt: sicut illi qui decapitandi sunt. Ergo talibus debet hoc sacramentnm dari.

Sed contra est quod dicitur Iac. v *: *Infirmatur quis in vobis,* etc. Ergo solum infirmis competit.

* Vers. 14, 15.

Respondeo dicendum quod hoc sacramentum est quaedam spiritualis curatio, ut dictum est *, quae quidem per quendam corporalis curationis modum significatur. Et ideo illis quibus corporalis curatio non competit, scilicet sanis, non debet hoc sacramentum conferri.

* Qu. xxx, art. 1, 2.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis spiritualis sanitas sit principalis effectus huius sacramenti, tamen oportet quod per curationem corporalem significetur curatio spiritualis, etiam si corporalis sanatio non sequatur. Et ideo solum illis hoc sacramento sanitas spiritualis dari potest quibus corporalis curatio competit, scilicet infirmis: sicut ille solus potest baptismum suscipere qui potest corporalis ablutionis esse particeps, non autem puer in ventre matris existens.

Ad secundum dicendum quod baptismus etiam non est nisi illorum intrantium qui corporali ablutioni subiici possunt. Et ideo hoc sacramentum illorum tantum exeuntium est quibus corporalis curatio competit.

ART. II. Utrum hoc sacramentum dari debeat in qualibet infirmitate

IV *Cont. Gent.*, cap. lxxiii.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum dari debeat in qualibet infirmitate. Quia Iac. v *, ubi hoc sacramentum traditur, nulla infirmitas determina-

* Vers. 14, 15.

tur. Ergo omnibus infirmantibus debet hoc sacramentum conferri.

2. Praeterea, quanto remedium est dignius, tanto debet esse generalius. Sed hoc sacramentum est dignius quam medicina corporalis. Cum ergo medicina corporalis omnibus infirmis detur, videtur quod etiam hoc sacramentum.

Sed contra, hoc sacramentum dicitur ab omnibus *extremae unctionis*. Sed non omnis infirmitas ad extremum vitae perducit: cum quaedam aegritudines sint causa longioris vitae, ut dicit Philosophus *. Ergo non omnibus infirmantibus debet hoc sacramentum dari.

* *De Longit. et Brevit. Vitae*, cap. I.

Respondeo dicendum quod hoc sacramentum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, immediate quasi disponens ad gloriam. Et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod aegritudo nata est inducere mortem, et de periculo timetur.

Ad primum ergo dicendum quod quaelibet infirmitas augmentata potest mortem inducere. Et ideo, si genera infirmitatum pensentur, in qualibet aegritudine potest dari hoc sacramentum: quia Apostolus non determinat infirmitatem aliquam. Sed si pensetur infirmitatis modus et status, non semper debet infirmantibus hoc sacramentum dari.

Ad secundum dicendum quod medicina corporalis habet pro principali effectu sanitatem corporalem, qua omnes infirmi in quolibet statu indigent. Sed hoc sacramentum habet pro principali effectu illam sospitatem quae exeuntibus et iter ad gloriam agentibus est necessaria. Et ideo non est simile.

ART. III. utrum furiosis et amentibus hoc sacramentum dari debeat

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod furiosis et amentibus hoc sacramentum dari debeat. Quia tales aegritudines sunt periculosissimae, et cito ad mortem disponunt. Sed periculo debet adhiberi remedium. Ergo hoc sacramentum, quod est in remedium infirmitatis humanae, debet talibus conferri.

2. Praeterea, dignius sacramentum est baptismus quam istud. Sed baptismus datur furiosis, ut supra * dictum est. Ergo et hoc sacramentum eis debet dari.

* IV *Sent.*, dist. IV, qu. III, art. 1, qua 3. - Cf. Part. III, qu. LXVIII, art. 12.

Sed contra, hoc sacramentum non est dandum nisi recognoscentibus ipsum. Sed tales non sunt furiosi et amentes. Ergo eis dari non debet.

Respondeo dicendum quod ad effectum huius sacramenti percipiendum plurimum valet devotio suscipientis, et personale meritum conferentium, et generale totius Ecclesiae: quod patet ex hoc quod per modum deprecationis forma huius sacramenti confertur. Et ideo illis qui non possunt recognoscere et cum devotione suscipere hoc sacramentum, dari non debet: et praecipue furiosis et amentibus, qui possent irreverentiam sacramento per aliquam immunditiam facere; nisi haberent lucida intervalla, quibus sacramenta recognoscerent, et sic eis conferri in statu illo possent.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis in periculo mortis tales quandoque sint, tamen remedium per devotionem propriam non potest eis applicari. Et ideo non debet eis conferri.

Ad secundum dicendum quod baptismus non requirit motum liberi arbitrii, quia datur contra originale principaliter, quod non curatur in nobis ex nostro libero arbitrio. Sed in hoc sacramento requiritur motus liberi arbitrii. Et ideo non est simile. – Et praeterea baptismus est sacramentum necessitatis: non extrema unctio.

ART. IV. utrum hoc sacramentum debeat dari pueris

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod debeat dari pueris. Quia eisdem infirmitatibus quandoque laborant pueri et adulti. Sed eidem morbo debet adhiberi idem remedium. Ergo, sicut adultis, ita et pueris debet hoc sacramentum dari.

2. Praeterea, hoc sacramentum datur ad purgandum reliquias peccati, ut supra * dictum est, tam originalis quam actualis. Sed in pueris sunt reliquiae originalis peccati. Ergo eis debet hoc sacramentum dari.

* Qu. XXX, art. 1.

Sed contra est quod nulli debet dari hoc sacramentum cui non competit forma sacramenti. Sed forma huius sacramenti non competit pueris: quia non peccaverunt *per visum et auditum*, ut in forma exprimitur. Ergo eis dari non debet hoc sacramentum.

Respondeo dicendum quod hoc sacramentum exigit actualem devotionem in suscipiente, sicut et Eucharistia. Unde, sicut Eucharistia non debet dari pueris, ita nec hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum quod infirmitates in pueris non sunt ex peccato actuali causatae, sicut in adultis. Et contra illas praecipue infirmitates hoc sacramentum datur quae sunt ex peccato causatae quasi peccati reliquiae.

Ad secundum dicendum quod non datur contra reliquias originalis peccati nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatae. Unde principaliter contra actualia peccata datur, ut ex ipsa forma patet *: quae non sunt in pueris.

* Cf. qu. XXIX, art. 8, arg. *Sed cont.* 1.

ART. V. utrum hoc sacramento totum corpus inungi debeat

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramento totum corpus inungi debeat. Quia secundum Augustinum *, *tota anima est in toto corpore*. Sed praecipue datur hoc sacramentum ad sanandum animam. Ergo in corpore toto debet inunctio fieri.

* *De Trin.* lib. VI, cap. VI.

2. Praeterea, ubi est morbus, ibi debet apponi medicina. Sed quandoque morbus est universalis et in toto corpore, sicut febris. Ergo totum corpus debet inungi.

3. Praeterea, in baptismo totum corpus immergitur. Ergo et hic totum deberet inungi.

Sed contra est universalis Ecclesiae ritus, secundum quem non inungitur infirmus nisi in determinatis partibus corporis.

Respondeo dicendum quod hoc sacramentum per modum curationis exhibetur. Curatio autem corporalis non oportet quod fiat per medicinam toti corpori appositam, sed illis partibus ubi est radix morbi. Et ideo etiam unctio sacramentalis debet fieri in illis partibus tantum in quibus est radix spiritualis infirmitatis.

Ad primum ergo dicendum quod anima, quamvis sit tota in qualibet parte corporis quantum ad essentiam, non tamen quantum ad potentias, quae sunt radices actuum peccati. Et ideo oportet quod in determinatis partibus fiant, in quibus illae potentiae habent esse.

Ad secundum dicendum quod non semper apponitur medicina ubi est morbus: sed congruentius ubi est radix morbi.

Ad tertium dicendum quod baptismus fit per modum ablutionis. Ablutio autem corporalis non purgat maculam ab aliqua parte nisi cui apponitur. Et ideo baptismus toti corpori adhibetur. Secus autem est de extrema unctione, ratione iam * dicta.

* In corp. et ad 1, 2.

ART. VI. utrum convenienter determinentur partes ungendae

IV *Cont. Gent.*, cap. LXXIII.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter determinentur istae partes: ut scilicet infirmans inungatur in oculis, in naribus, in auribus, in labiis, in manibus et pedibus. Quia sapiens medicus curat morbum in radice. Sed *de corde exeunt cogitationes quae coinquinant hominem*, ut dicitur Matth. XV *. Ergo in pectore debet fieri inunctio.

* Vers. 18 sqq.

2. Praeterea, puritas mentis non minus est necessaria exeuntibus quam intrantibus. Sed intrantes unguntur chrismate in vertice a sacerdote ad significandum mentis puritatem. Ergo et exeuntes hoc sacramento ungi debent in vertice.

3. Praeterea, ibi debet adhiberi remedium ubi est maior vis morbi. Sed spiritualis morbus praecipue viget in renibus viris, et mulieribus in umbilico: ut dicitur *Iob* XL *, *Potestas eius in lumbis eius*, secundum expositionem Gregorii *. Ergo ibi debet fieri inunctio.

* Vers. 11.

* *Moral.* lib. XXXII, cap. XIV, al. XI.

4. Praeterea, sicut per pedes peccatur, ita et per alia membra corporis. Ergo, sicut inunguntur pedes, ita et alia corporis membra inungi debent.

Respondeo dicendum quod principia peccandi in nobis sunt eadem quae et principia agendi: quia peccatum consistit in actu. Principia autem agendi in nobis sunt tria: primum est dirigens, scilicet vis cognoscitiva; secundum est imperans, scilicet vis appetitiva; tertium est exequens, scilicet vis motiva. Omnis autem nostra cognitio a sensu ortum habet. Et quia ubi est in nobis prima origo peccati, ibi debet unctio adhiberi, ideo inunguntur loca quinque sensuum: scilicet oculi, propter visum; aures, propter auditum; nares, propter odoratum; os, propter gustum; manus, propter tactum, qui in pulpis digitorum praecipue viget. Sed propter appetitivam unguntur a quibusdam renes. Propter motivam unguntur pedes, qui sunt principalius eius instrumentum. Et quia primum principium est cognoscitiva, ideo illa unctio ab omnibus observatur quae fit ad quinque sensus, quasi de necessitate sacramenti. Sed quidam non servant alias, quidam vero servant illam quae ad pedes et non quae ad renes: quia appetitiva et motiva sunt secundaria principia.

Ad primum ergo dicendum quod cognitio a corde non exit nisi per aliquam imaginationem, quae est *motus a sensu factus,* ut dicitur in II *de Anima* *. Et ideo cor non est prima radix cogitationis, sed organa sensuum: nisi quatenus cor est principium totius corporis. Sed hoc principium est radix remota.

* Text. comm. 160, al. lib. III, cap. III, n. 13; S. Th. lect. VI.

Ad secundum dicendum quod intrantes debent acquirere puritatem: sed exeuntes debent eam purgare. Et ideo exeuntes debent inungi in illis partibus quibus contingit puritatem mentis inquinari.

Ad tertium dicendum quod secundum quorundam consuetudinem fit in renibus, propter hoc quod ibi maxime viget appetitus concupiscibilis. Sed appetitiva non est prima radix, ut dictum est *.

* In corpore.

Ad quartum dicendum quod organa corporis quibus actus peccati exercentur, sunt pedes, manus et lingua, quibus etiam exhibetur unctio; et membra genitalia, quibus, propter immunditiam illarum partium et honestatem sacramenti, non debet unctio adhiberi.

ART. VII. Utrum mutilati sint ungendi illis unctionibus quae partibus illis competunt

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod mutilati non sunt ungendi illis unctionibus quae partibus illis competunt. Quia sicut hoc sacramentum exigit determinatam dispositionem in suscipiente, ut scilicet sit infirmus, ita et determinatam partem. Sed ille qui non habet infirmitatem, non potest inungi. Ergo nec ille qui non habet partem illam in qua debet fieri unctio.

2. Praeterea, ille qui est caecus a nativitate, non delinquit per visum. Sed in unctione quae fit ad oculos, fit mentio de *delicto per visum.* Ergo talis unctio caeco nato non deberet fieri. Et sic de aliis.

Sed contra est quod defectus corporis non impedit aliquod aliud sacramentum. Ergo nec istud impedire debet. Sed de necessitate istius sacramenti est quaelibet unctionum. Ergo omnes debent fieri mutilatis.

Respondeo dicendum quod mutilati inungi debent quam propinquius esse potest ad partes illas in quibus unctio fieri debuerat. Quia, quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animae quae illis membris debentur, saltem in radice: et interius peccare possunt per ea quae ad partes illas pertinent, quamvis non exterius.

Et per hoc patet solutio ad obiecta.

QUAESTIO TRIGESIMATERTIA

DE ITERATIONE SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS

Deinde considerandum est de iteratione huius sacramenti *.

* Cf. qu. XXIX, Introd.

Circa quod duo quaeruntur.

Primo: utrum hoc sacramentum debeat iterari.

Secundo: utrum in eadem infirmitate debeat iterari.

ART. I. Utrum hoc sacramentum debeat iterari

IV *Cont. Gent.*, cap. LXXIII.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non debeat iterari. Quia dignior est unctio quae fit homini, quam quae fit lapidi. Sed unctio altaris non iteratur, nisi altare illud fractum fuerit. Ergo nec unctio extrema, quae adhibetur homini, debet iterari.

2. Praeterea, post ultimum nihil est. Sed haec unctio dicitur *extrema.* Ergo non debet iterari.

Sed contra, hoc sacramentum est quaedam spiritualis curatio per modum curationis corporalis exhibita *. Sed curatio corporis iteratur. Ergo et hoc sacramentum iterari debet.

* Qu. XXX, art. 1, 2.

Respondeo dicendum quod nullum sacramentum quod habet effectum perpetuum, debet iterari: quia ostenderetur sacramentum non fuisse efficax ad faciendum illum effectum, et sic fieret iniuria illi sacramento. Sacramentum autem quod habet effectum non perpetuum, potest iterari sine iniuria, ut effectus deperditus iterato recuperetur. Et quia sanitas corporis et mentis, quae sunt effectus huius sacramenti, possunt amitti postquam fuerint per sacramentum effecta, ideo hoc sacramentum sine sui iniuria potest iterari.

Ad primum ergo dicendum quod unctio lapidis fit ad ipsius altaris consecrationem, quae est perpetuo in lapide quandiu altare manet: et ideo non potest iterari. Sed haec unctio non fit ad consecrationem hominis: cum non imprimatur character. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum quod illud quod secundum aestimationem hominum est extremum, quandoque secundum rei veritatem non est extremum. Et sic dicitur hoc sacramentum extrema unctio, quia non debet dari nisi illis quorum mors est propinqua secundum aestimationem hominum.

ART. II. Utrum in eadem infirmitate debeat iterari

Supra, qu. XVIII, art. 2, ad 4.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod in eadem infirmitate non debeat iterari. Quia uni morbo non debetur nisi una medicina. Sed hoc sacramentum est quaedam spiritualis medicina *. Ergo contra unum morbum non debet iterari.

* Qu. XXX, art. 1.

2. Praeterea, secundum hoc posset aliquis infirmus tota die inungi, si in eodem morbo posset iterari unctio. Quod est absurdum.

Sed contra est quod aliquando morbus diu durat post sacramenti perceptionem: et sic reliquiae peccatorum contrahuntur, contra quas principaliter hoc sacramentum datur *. Ergo iterato debet inungi.

* Ibid.

Respondeo dicendum quod hoc sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum: quia non debet dari nisi infirmis qui, secundum humanam aestimationem, videntur morti appropinquare. Quaedam autem infirmitates non sunt diuturnae. Unde, si in eis datur hoc sacramentum tunc cum homo ad statum illum perveniat quod sit in periculo mortis, non recedit a statu illo nisi infirmitate curata, et ita iterum non debet inungi: sed, si recidivum patiatur, erit alia infirmitas, et poterit alia fieri inunctio. Quaedam vero sunt aegritudines diuturnae: ut ethica et hydropisis, et huiusmodi. Et in talibus non debet fieri unctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis. Et si homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, et iterum ad similem statum per illam aegritudinem reducatur, iterum potest inungi: quia iam quasi est alius status infirmitatis, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter.

Et per hoc patet solutio ad obiecta.

QUAESTIO TRIGESIMAQUARTA

DE SACRAMENTO ORDINIS

Post hoc considerandum est de sacramento ordinis *. Et primo, de ordine in communi; secundo, de distinctione ordinum *; tertio, de conferentibus ordinem **;

* Cf. Part. III, qu. LXVI, Introd.
* Qu. XXXVII.
** Qu. XXXVIII.

quarto, de impedimentis ordinandorum *; quinto, de his quae sunt ordinibus annexa *.

* Qu. XXXIX.
* Qu. XL.

De ipso autem ordine in communi tria videnda sunt: primo, de eius entitate et quidditate, et partibus eius; secundo, de eius effectu *; tertio, de suscipientibus ipsum **. Circa primum quaeruntur quinque.

* Qu. XXXV.
** Qu. XXXVI.

Primo: utrum in Ecclesia esse debeat.
Secundo: utrum convenienter definiatur.
Tertio: utrum sit sacramentum.
Quarto: utrum eius forma exprimatur convenienter.
Quinto: utrum hoc sacramentum materiam habeat.

ART. I. UTRUM ORDO IN ECCLESIA ESSE DEBEAT

IV *Cont. Gent.*, cap. LXXIV.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod ordo in Ecclesia esse non debeat. Ordo enim requirit subiectionem et praelationem. Sed subiectio videtur repugnare *libertati in quam vocati sumus per Christum* *. Ergo ordo in Ecclesia esse non debet.

* *Ad Galat.*, cap. IV, vers. 31; cap. V, vers. 13.

2. Praeterea, ille qui in ordine constituitur, alio superior fit. Sed in Ecclesia quilibet debet se altero inferiorem reputare: *Philipp.* II *, *Superiores invicem arbitrantes.* Ergo non debet in Ecclesia esse ordo.

* Vers. 3.

3. Praeterea, ordo invenitur in angelis propter distinctionem eorum in naturalibus et gratuitis. Sed omnes homines sunt in natura unum: gratiarum etiam dona quis eminentius habeat, ignotum est. Ergo ordo in Ecclesia esse non potest.

Sed contra, *Rom.* XIII *: *Quae a Deo sunt, ordinata sunt.* Sed Ecclesia a Deo est: quia ipse eam aedificavit sanguine suo. Ergo ordo in Ecclesia esse debet.

* Vers. 1.

2. Praeterea, status Ecclesiae est medius inter statum naturae et gloriae. Sed in natura invenitur ordo, quo quaedam aliis superiora sunt: et similiter in gloria, ut patet in angelis. Ergo in Ecclesia debet esse ordo.

Respondeo dicendum quod Deus sua opera in sui similitudinem producere voluit quantum possibile fuit, ut perfecta essent, et per ea cognosci posset. Et ideo, ut in suis operibus repraesentaretur non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit, hanc legem naturalem imposuit omnibus, ut ultima per media perficerentur et media per prima, ut Dionysius dicit *. Et ideo, ut ista pulcritudo Ecclesiae non deesset, posuit ordinem in ea, ut quidam aliis sacramenta traderet, suo modo Deo in hoc assimilati, quasi Deo cooperantes: sicut et in corpore naturali quaedam membra aliis influunt.

* *Cael. Hier.* cap. IV, § 3; cap. VIII, § 2; *Eccl. Hier.* cap. V, § 4.

Ad primum ergo dicendum quod subiectio servitutis repugnat libertati: quae servitus est cum aliquis dominatur ad sui utilitatem subiectis utens. Talis autem subiectio non requiritur in ordine, per quem qui praesunt salutem subditorum quaerere debent, non propriam utilitatem.

Ad secundum dicendum quod quilibet debet se reputare inferiorem merito, sed non officio. Ordines autem officia quaedam sunt.

Ad tertium dicendum quod ordo in angelis non attenditur secundum distinctionem naturae nisi per accidens, inquantum ad distinctionem naturae sequitur in eis distinctio gratiae. Attenditur autem per se secundum distinctionem in gratia: quia eorum ordines respiciunt participationem divinorum, et communicationem in statu gloriae, quae est secundum mensuram gratiae, quasi gratiae finis et effectus quodammodo. Sed ordines Ecclesiae militantis respiciunt participationem sacramentorum et communicationem, quae sunt causa gratiae, et quodammodo gratiam praecedunt. Et sic non est de necessitate nostrorum ordinum gratia gratum faciens, sed solum potestas dispensandi sacramenta. Et propter hoc ordo non attenditur per distinctionem gratiae gratum facientis, sed per distinctionem potestatis.

ART. II. UTRUM CONVENIENTER ORDO A MAGISTRO SENTENTIARUM DEFINIATUR

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter ordo a Magistro Sententiarum, XXIV distinctione *, definiatur, ubi dicitur: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesiae, per quod spiritualis potestas traditur ordinato.* Pars enim non debet poni genus totius. Sed *character,* qui per *signaculum* exponitur in consequenti definitione *, est pars ordinis: quia dividitur contra id quod est res tantum, vel sacramentum tantum, cum sit res et sacramentum *. Ergo *signaculum* non debet poni quasi genus ordinis.

* Cap. *Si autem quaeritur.*
* In littera.
* Cf. Part. III, qu. LXIII, art. 3, ad 2.

2. Praeterea, sicut in sacramento ordinis imprimitur character, ita in sacramento baptismi. Sed in definitione baptismi non ponebatur character *. Ergo nec in definitione ordinis debet poni.

* IV *Sent.*, dist. III, cap. I.

3. Praeterea, in baptismo etiam quaedam spiritualis datur potestas accedendi ad sacramenta: et iterum est quoddam signaculum, cum sit sacramentum. Ergo haec definitio convenit baptismo. Et sic inconvenienter assignatur de ordine.

4. Praeterea, ordo relatio quaedam est quae in utroque extremorum salvatur. Extrema autem huius relationis sunt superior et inferior. Ergo inferiores habent ordinem sicut et superiores. Sed in eis non est aliqua potestas praeeminentiae, qualis ponitur hic in definitione ordinis, ut patet per expositionem sequentem *, ubi ponitur *promotio potestatis.* Ergo inconvenienter definitur hic ordo.

* Citato cap. *Si autem quaeritur.*

Respondeo dicendum quod definitio quam Magister de ordine ponit, convenit ordini secundum quod est Ecclesiae sacramentum. Et ideo duo ponit: signum exterius, ibi, *signaculum quoddam* etc., idest, signum quoddam; et effectum interiorem, ibi, *quo spiritualis potestas* etc. *

* Cf. Hug. a S. Vict. *de Sacram.*, lib. II, p. III, cap. 5.

Ad primum ergo dicendum quod *signaculum* non ponitur hic pro charactere interiori: sed pro eo quod exterius geritur, quod est signum interioris potestatis et causa. Et sic etiam sumitur *character* in alia definitione.

Si tamen pro interiori charactere sumeretur, non esset inconveniens. Quia divisio sacramenti in illa tria non est in partes integrales, proprie loquendo. Quia illud quod est res tantum, non est de essentia sacramenti. Quod est etiam sacramentum tantum, transit: et sacramentum manere dicitur. Unde relinquitur quod ipse character interior sit essentialiter et principaliter ipsum sacramentum ordinis.

Ad secundum dicendum quod baptismus, quamvis in eo conferatur aliqua spiritualis potestas recipiendi alia sacramenta, ratione cuius characterem imprimit, non tamen hic est principalis effectus eius: sed ablutio interior, propter quam baptismus fieret etiam priori causa non existente. Sed ordo potestatem principaliter importat. Et ideo character, qui est spiritualis potestas, in definitione ordinis ponitur, non autem in definitione baptismi.

Ad tertium dicendum quod in baptismo datur quaedam potentia spiritualis ad recipiendum, et ita quodammodo passiva. *Potestas* autem proprie nominat *potentiam activam cum aliqua praeeminentia.* Et ideo haec definitio baptismo non competit.

Ad quartum dicendum quod nomen *ordinis* dupliciter accipitur. Quandoque enim significat ipsam relationem. Et sic est tam in inferiori quam in superiori, ut obiectio tangit. Et sic non accipitur hic. – Aliquando autem accipitur pro ipso gradu qui ordinem primo modo acceptum facit. Et quia ratio ordinis prout est relatio, invenitur ubi primo aliquid superius alteri occurrit, ideo hic gradus eminens per potestatem spiritualem ordo nominatur.

ART. III. UTRUM ORDO SIT SACRAMENTUM

Part. III, qu. LXV, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXIV.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod ordo non sit sacramentum. *Sacramentum* enim, ut dicit Hugo de Sancto Victore *, *est materiale elementum.* Sed ordo non nominat aliquid huiusmodi, sed magis relationem vel potestatem: quia ordo est pars potestatis, secundum Isidorum. Ergo non est sacramentum.

* *De Sacram.*, lib. I, p. IX, cap. 2.

2. Praeterea, sacramenta non sunt de Ecclesia triumphante. Sed ordo est ibi: ut patet de angelis. Ergo ordo non est sacramentum.

3. Praeterea, sicut praelatio spiritualis, quae est ordo, datur cum quadam consecratione, ita et praelatio secularis: quia et reges inunguntur, ut dictum est *. Sed regia dignitas non est sacramentum. Ergo nec ordo de quo loquimur.

* Qu. XIX, art. 3, arg. 2.

SED CONTRA EST, quia ab omnibus enumeratur inter septem Ecclesiae sacramenta.

2. PRAETEREA, *propter quod unumquodque, et illud magis* *. Sed propter ordinem fit homo dispensator aliorum sacramentorum. Ergo ordo habet magis rationem quod sit sacramentum quam etiam alia.

*Aristot. *Analyt. Post.* lib. I, cap. II, n. 15. - S. Th. lect. VI.

RESPONDEO DICENDUM quod sacramentum, ut ex dictis * patet, nihil est aliud quam quaedam sanctificatio homini exhibita cum aliquo signo visibili. Unde, cum in susceptione ordinis quaedam consecratio homini exhibeatur per visibilia signa, constat ordinem esse sacramentum.

* IV *Sent.*, dist. I, qu. I, art. I. - Cf. Part. III, qu. LX, art. 2.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quamvis ordo in suo nomine non exprimat aliquod materiale elementum, tamen ordo non confertur sine aliquo elemento materiali.

AD SECUNDUM DICENDUM quod potestates proportionari debent illis ad quae sunt. Communicatio autem divinorum, ad quam datur spiritualis potestas, non fit angelis per aliqua sensibilia signa, sicut in hominibus contingit. Et ideo potestas spiritualis, quae est ordo, non adhibetur angelis cum aliquibus signis visibilibus sicut hominibus. Et ideo in hominibus est ordo sacramentum, sed non in angelis.

AD TERTIUM DICENDUM quod non omnis benedictio quae hominibus adhibetur, vel consecratio, est sacramentum. Quia et monachi et abbates benedicuntur: tamen illae benedictiones non sunt sacramenta. Et similiter nec regalis unctio. Quia per huiusmodi benedictiones non ordinantur aliqui ad dispensationem divinorum sacramentorum, sicut per benedictiones ordinis.

ART. IV. UTRUM FORMA HUIUS SACRAMENTI CONVENIENTER IN LITTERA EXPRIMATUR

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod forma huius sacramenti inconvenienter in littera * exprimatur. Quia sacramenta efficaciam habent ex forma. Sed efficacia sacramentorum est ex *virtute divina,* quae in eis *secretius operatur salutem* *. Ergo in forma huius sacramenti deberet fieri mentio de virtute divina per invocationem Trinitatis: sicut in aliis sacramentis.

* Dist. XXIV, capp. *Ostiarii*, sqq.

* Isidor. *Etymol.* lib. VI, cap. XIX. - Cf. can. *Multi saecular.*, caus. I, qu. I.

2. PRAETEREA, imperare est eius qui habet auctoritatem. Sed auctoritas non residet apud eum qui sacramenta dispensat, sed ministerium tantum. Ergo non deberet uti imperativo modo, ut diceret sic: *Agite* vel *Accipite* hoc vel illud, vel aliquid huiusmodi.

3. PRAETEREA, in forma sacramenti non debet fieri mentio nisi de illis quae sunt de essentia sacramenti. Sed usus potestatis acceptae non est de essentia huius sacramenti, sed consequitur ad ipsum. Ergo non debet de eo fieri mentio in forma huius sacramenti.

4. PRAETEREA, omnia sacramenta ordinant ad aeternam remunerationem. Sed in formis aliorum sacramentorum non fit mentio de remuneratione. Ergo nec in forma huius sacramenti deberet de ea fieri mentio, sicut fit cum dicitur: *Habiturus partem si fideliter,* etc.

RESPONDEO DICENDUM quod hoc sacramentum principaliter consistit in potestate tradita. Potestas autem a potestate traducitur sicut simile ex simili. Et iterum potestas per usum innotescit: quia potentiae notificantur per actus. Et ideo in forma ordinis exprimitur usus ordinis per actum qui imperatur; et exprimitur traductio potestatis per imperativum modum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod alia sacramenta non ordinantur principaliter ad effectus similes potestati per quam sacramenta dispensantur, sicut hoc sacramentum. Et ideo in hoc sacramento est quasi quaedam communicatio univoca. Unde in aliis sacramentis exprimitur aliquid ex parte divinae virtutis, cui effectus sacramenti assimilatur: non autem in hoc sacramento.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quamvis in episcopo, qui est minister huius sacramenti, non sit auctoritas respectu collationis huius sacramenti, tamen habet aliquam potestatem respectu potestatis ordinis quae confertur per ipsum, inquantum a sua potestate derivatur.

AD TERTIUM DICENDUM quod usus potestatis est effectus potestatis in genere causae efficientis: et sic non habet quod in definitione ordinis ponatur. Sed est quodammodo causa in genere causae finalis. Et ideo secundum hanc rationem poni potest in definitione ordinis.

ART. V. UTRUM HOC SACRAMENTUM HABEAT MATERIAM

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod hoc sacramentum non habeat materiam. Quia in omni sacramento quod habet materiam, virtus operans in sacramento est in materia. Sed in rebus materialibus quae hic adhibentur, sicut sunt claves et candelabra et huiusmodi, non videtur esse aliqua virtus sanctificandi. Ergo non habet materiam.

2. PRAETEREA, in isto sacramento confertur plenitudo *gratiae septiformis,* ut in littera * dicitur, sicut in confirmatione. Sed materia confirmationis praeexigit sanctificationem. Cum ergo ea quae in hoc sacramento videntur esse materialia, non sint praesanctificata, videtur quod non sint materia huius sacramenti.

* Dist. XXIV, cap. I.

3. PRAETEREA, in quolibet sacramento habente materiam requiritur contactus materiae ad eum qui suscipit sacramentum. Sed, ut a quibusdam dicitur, contactus dictorum materialium ab eo qui suscipit sacramentum, non est de necessitate sacramenti, sed solum porrectio. Ergo praedictae res materiales non sunt materia huius sacramenti.

SED CONTRA EST, quia omne sacramentum consistit in rebus et verbis. Sed res in quolibet sacramento sunt materia ipsius. Ergo et res quae in hoc sacramento adhibentur, sunt materia huius sacramenti.

2. PRAETEREA, plus requiritur ad dispensandum sacramenta quam ad suscipiendum sacramenta. Sed baptismus, in quo datur potestas ad suscipiendum sacramenta, indiget materia. Ergo et ordo, in quo datur potestas ad ea dispensanda.

RESPONDEO DICENDUM quod materia in sacramentis exterius adhibita significat virtutem in sacramentis agentem ex extrinseco omnino advenire. Unde, cum effectus proprius huius sacramenti, scilicet character, non percipiatur ex aliqua operatione ipsius qui ad sacramentum accedit, sicut erat in poenitentia *, sed omnino ex extrinseco adveniat, competit ei materiam habere. Tamen diversimode ab aliis sacramentis quae materiam habent. Quia hoc quod in sacramento confertur, in aliis sacramentis derivatur tantum a Deo, non a ministro, qui sacramentum dispensat: sed illud quod in hoc sacramento traditur, scilicet spiritualis potestas, derivatur etiam ab eo qui sacramentum dat, sicut potestas imperfecta a perfecta. Et ideo efficacia aliorum sacramentorum principaliter consistit in materia, quae virtutem divinam significat et continet ex sanctificatione per ministerium adhibita. Sed efficacia huius sacramenti principaliter residet penes eum qui sacramentum dispensat: materia autem adhibetur magis ad determinandum potestatem, quae traditur particulariter ab habente eam complete, quam ad potestatem causandam. Quod patet ex hoc quod materia competit usui potestatis.

* Cf. IV *Sent.*, dist. XXII, qu. II, art. I, qa I.

Et per hoc patet solutio ad primum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod materiam in aliis sacramentis oportet sanctificari propter virtutem quam continet. Sed non est ita in proposito.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sustinendo illud dictum, ex dictis * apparet causa eius. Quia enim potestas ordinis non accipitur a materia sed a ministro, ideo porrectio materiae magis est de essentia sacramenti quam tactus. – Tamen ipsa verba formae videntur ostendere quod tactus materiae sit de essentia sacramenti: quia dicitur, *Accipe* hoc vel illud.

* In corpore.

QUAESTIO TRIGESIMAQUINTA

DE EFFECTU SACRAMENTI ORDINIS

DEINDE considerandum est de effectu huius sacramenti *. Circa quod quaeruntur quinque.

* Cf. qu. XXXIV, Introd.

Primo: utrum in sacramento ordinis gratia conferatur.
Secundo: utrum imprimatur character.
Tertio: utrum character ordinis praesupponat characterem baptismalem.
Quarto: utrum praesupponat characterem confirmationis.
Quinto: utrum character unius ordinis praesupponat characterem alterius.

ART. I. UTRUM IN SACRAMENTO ORDINIS CONFERATUR GRATIA GRATUM FACIENS

IV *Cont. Gent.*, cap. LXXIV.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod in sacramento ordinis non conferatur gratia gratum faciens. Quia communiter dicitur quod sacramentum ordinis ordinatur contra defectum ignorantiae *. Sed contra ignorantiam non datur gratia gratum faciens, sed gratia gratis data: quia gratia gratum faciens magis respicit affectum. Ergo in hoc sacramento ordinis non datur gratia gratum faciens.

* Cf. Part. III, qu. LXV, art. 1.

2. Praeterea, ordo distinctionem importat. Sed membra Ecclesiae non distinguuntur per gratiam gratum facientem, sed secundum gratiam gratis datam, de qua dicitur, I *Cor.* XII *: *Divisiones gratiarum sunt.* Ergo in ordine non datur gratia gratum faciens.

* Vers. 4.

3. Praeterea, nulla causa praesupponit effectum suum. Sed in eo qui accedit ad ordines praesupponitur gratia, per quam fit idoneus ad executionem ordinis. Ergo talis gratia non confertur in ordinis collatione.

Sed contra, sacramenta novae legis *efficiunt quod figurant* *. Sed ordo per numerum septenarium significat septem dona Spiritus Sancti, ut in littera * dicitur. Ergo dona Spiritus Sancti, quae non sunt sine gratia gratum faciente, in ordine dantur.

* Part. III, qu. LXII, art. 1, ad 1.
* Dist. XXIV, capp. *Nunc ad consid.*, et *Tales autem.*

2. Praeterea, ordo est sacramentum novae legis. Sed in definitione talis sacramenti ponitur ut *causa gratiae existat* *. Ergo causat gratiam in suscipiente.

* IV *Sent.*, dist. I, cap. *Sacramentum.*

Respondeo dicendum quod *Dei perfecta sunt opera,* ut dicitur *Deut.* XXXII *. Et ideo cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur ea per quae executio illius potentiae potest congrue fieri. Et hoc etiam in naturalibus patet: quia animalibus dantur membra quibus potentiae animae possunt exire in actus suos, nisi sit defectus ex parte materiae. Sicut autem gratia gratum faciens est necessaria ad hoc quod homo digne sacramenta recipiat, ita etiam ad hoc quod homo digne sacramenta dispenset. Et ideo, sicut in baptismo, per quem fit homo susceptivus aliorum sacramentorum, datur gratia gratum faciens; ita in sacramento ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum sacramentorum dispensationem.

* Vers. 4.

Ad primum ergo dicendum quod ordo datur non in remedium unius personae, sed totius Ecclesiae. Unde quod dicitur *contra ignorantiam dari,* non est intelligendum ita quod per susceptionem ordinis pellatur ignorantia in suscipiente: sed quia suscipiens ordinem praeficitur ad pellendam ignorantiam in plebe.

Ad secundum dicendum quod, quamvis dona gratiae gratum facientis communia sint omnibus membris Ecclesiae, tamen illorum actus donorum secundum quae attenditur distinctio in membris Ecclesiae idoneus susceptor aliquis esse non potest nisi caritas adsit: quae quidem sine gratia gratum faciente esse non potest.

Ad tertium dicendum quod ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens: ut sicut illi qui ordinem suscipiunt super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis. Et ideo praeexigitur gratia quae sufficiebat ad hoc quod digne connumerentur in plebe Christi: sed confertur in ipsa susceptione ordinis amplius gratiae munus, per quod ad maiora reddantur idonei.

ART. II. UTRUM IN SACRAMENTO ORDINIS IMPRIMATUR CHARACTER QUANTUM AD OMNES ORDINES

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod in sacramento ordinis non imprimatur character quantum ad omnes ordines. Quia ordinis character est quaedam spiritualis potestas. Sed quidam ordines non ordinantur nisi ad quosdam actus corporales, scilicet ostiarii vel acolythi. Ergo in eis non imprimitur character.

2. Praeterea, omnis character est indelebilis. Ergo per characterem homo ponitur in tali statu a quo non possit recedere. Sed illi qui habent aliquos ordines, possunt licite redire ad laicatum. Ergo non imprimitur character in omnibus ordinibus.

3. Praeterea, per characterem homo adscribitur ad aliquid sacrum dandum vel accipiendum. Sed ad susceptionem sacramentorum homo sufficienter ordinatur per characterem baptismalem. Dispensator autem sacramentorum non constituitur aliquis nisi in ordine sacerdotali. Ergo in aliis ordinibus non imprimitur character.

Sed contra, omne sacramentum in quo non imprimitur character, est iterabile. Sed nullus ordo est iterabilis. Ergo in quolibet ordine imprimitur character.

2. Praeterea, character est signum distinctivum. Sed in quolibet ordine est aliqua distinctio. Ergo quilibet ordo imprimit characterem.

Respondeo dicendum quod circa hoc fuit triplex opinio. Quidam enim dixerunt quod in solo ordine sacerdotali character imprimitur. – Sed hoc non est verum. Quia actum diaconi nullus potest exercere licite nisi diaconus. Et ita patet quod habet aliquam specialem potestatem in dispensatione sacramentorum, quam alii non habent.

Et propter hoc alii dixerunt quod in sacris ordinibus imprimitur character, non autem in minoribus. – Sed hoc iterum nihil est. Quia per quemlibet ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatae ad sacramentorum dispensationem.

Unde, cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quod in omnibus character imprimatur. Cuius etiam signum est quod perpetuo manent, et nunquam iterantur. Et haec est tertia opinio: quae communior est.

Ad primum ergo dicendum quod quilibet ordo vel habet actum circa ipsum sacramentum, vel ordinatum ad sacramentorum dispensationem: sicut ostiarii habent actum admittendi homines ad divinorum sacramentorum inspectionem, et sic de aliis. Et ideo in omnibus requiritur spiritualis potestas.

Ad secundum dicendum quod, quantumcumque homo ad laicatum se transferat, semper tamen manet in eo character. Quod patet ex hoc quod, si ad clericatum revertatur, non iterum ordinem quem habuerat, suscipit.

Ad tertium dicendum sicut ad primum.

ART. III. UTRUM CHARACTER ORDINIS PRAESUPPONAT CHARACTEREM BAPTISMALEM

IV *Sent.*, dist. VII, qu. II, art. 1, qu^a^ 3.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod character ordinis non praesupponat characterem baptismalem. Quia per characterem ordinis homo efficitur dispensator sacramentorum: per characterem baptismalem susceptivus eorundem. Sed potestas activa non praesupponit de necessitate passivam: quia potest esse sine ea, sicut patet in Deo. Ergo character ordinis non praesupponit de necessitate characterem baptismalem.

2. Praeterea, potest contingere quod aliquis non sit baptizatus qui se baptizatum existimat probabiliter. Si ergo talis ad ordines accedat, non consequetur characterem ordinis, si character ordinis praesupponit characterem baptismalem. Et sic ea quae faciet vel in consecratione vel in absolutione, nihil erunt, et in hoc Ecclesia decipietur. Quod est inconveniens.

Sed contra, baptismus est *ianua sacramentorum* *. Ergo, cum ordo sit quoddam sacramentum, praesupponit baptismum.

* Cf. Gloss. in dist. XXXII, part. 3, in fine.

Respondeo dicendum quod nihil potest aliquis accipere cuius receptivam potentiam non habet. Per characterem autem baptismalem efficitur homo receptivus aliorum sacramentorum. Unde qui characterem baptismalem non habet, nullum alterum sacramentum recipere potest. Et sic character ordinis baptismalem characterem praesupponit.

Ad primum ergo dicendum quod in eo qui habet potentiam activam a se, potentia activa non praesupponit passivam. Sed in eo qui habet potentiam activam ab altero, praeexigitur ad potentiam activam potentia passiva, quae recipere possit potentiam activam.

Ad secundum dicendum quod talis, si ad sacerdotium promoveatur, non est sacerdos, nec conficere potest, nec absolvere in foro poenitentiali. Unde secundum canones * debet iterato baptizari et ordinari. Et si etiam in episco-

* Cap. *Si quis*, et cap. *Veniens, de Presbytero non baptizato.*

pum promoveatur, illi quos ordinat non habent ordinem. – Sed tamen pie credi potest quod, quantum ad ultimos effectus sacramentorum, Summus Sacerdos suppleret defectum; et quod non permitteret hoc ita latere quod Ecclesiae posset periculum imminere.

ART. IV. UTRUM CHARACTER ORDINIS PRAESUPPONAT DE NECESSITATE CHARACTEREM CONFIRMATIONIS

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod praesupponat de necessitate characterem confirmationis. Quia in his quae sunt ordinata ad invicem, sicut medium praesupponit primum, ita ultimum praesupponit medium. Sed character confirmationis praesupponit baptismalem quasi primum. Ergo character ordinis praesupponit characterem confirmationis quasi medium.

2. PRAETEREA, qui ad alios confirmandos ponuntur, maxime debent esse firmi. Sed illi qui sacramentum ordinis suscipiunt sunt aliorum confirmatores. Ergo ipsi maxime debent habere sacramentum confirmationis.

* Vers. 22.

SED CONTRA, Apostoli receperunt potestatem ordinis ante Ascensionem, Ioan. XX *, ubi dictum est: *Accipite Spiritum Sanctum.* Sed confirmati sunt post Ascensionem per adventum Spiritus Sancti. Ergo ordo non praesupponit confirmationem.

RESPONDEO DICENDUM quod ad susceptionem ordinis praeexigitur aliquid quasi de necessitate sacramenti, et aliquid de congruitate. De necessitate enim sacramenti exigitur quod ille qui accedit ad ordines sit susceptivus, quod competit ei per baptismum. Et ideo character baptismalis praesupponitur de necessitate sacramenti, ita quod sine eo sacramentum ordinis conferri non potest. Sed de congruitate requiritur omnis perfectio per quam aliquis reddatur idoneus ad executionem ordinis: et unum de istis est ut sit confirmatus. Et ideo de congruitate character ordinis characterem confirmationis praesupponit, et non de necessitate.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod non est similis habitudo huius medii ad ultimum, et primi ad medium: quia per characterem baptismalem fit homo susceptivus sacramenti confirmationis, non autem per sacramentum confirmationis fit susceptivus sacramenti ordinis. Et ideo non est similis ratio.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illa ratio procedit de idoneitate quantum ad congruitatem.

ART. V. UTRUM CHARACTER UNIUS ORDINIS PRAESUPPONAT DE NECESSITATE CHARACTEREM ALTERIUS ORDINIS.

IV *Sent.*, dist. VII, qu. II, art. 1, qu^a 3, ad 3.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod character unius ordinis praesupponat de necessitate characterem alterius ordinis. Quia maior est convenientia ordinis ad ordinem quam ordinis ad aliud sacramentum. Sed character ordinis praesupponit characterem alterius sacramenti, scilicet baptismi *. Ergo multo fortius character unius ordinis praesupponit characterem alterius.

* Cf. art. 3.

2. PRAETEREA, ordines sunt quidam gradus *. Sed nullus potest pervenire ad posteriorem gradum nisi priorem ascenderit. Ergo nullus potest accipere characterem ordinis sequentis nisi prius accipiat ordinem praecedentem.

* Cf. IV *Sent.*, dist. XXIX, in princip.

SED CONTRA, si omittatur aliquid in sacramento quod sit de necessitate sacramenti, oportet quod sacramentum iteretur. Sed si aliquis accipiat sequentem ordinem praetermisso primo, non reordinabitur, sed confertur sibi quod deerat, secundum statuta canonum *. Ergo praecedens ordo non est de necessitate sequentis.

* Cap. *Tuae litterae, de Cleric. per salt. promot.* - Cf. can. *Sollicitudo,* dist. LII.

RESPONDEO DICENDUM quod non est de necessitate superiorum ordinum quod aliquis minores ordines prius habeat: quia potestates sunt distinctae; et una, quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subiecto. Et ideo etiam in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in presbyteros qui prius inferiores ordines non susceperant: et tamen poterant omnia quae inferiores ordines possunt; quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu et ducatus in regno. Sed postea per constitutionem Ecclesiae determinatum est quod ad maiores ordines se non ingerat qui prius in minoribus officiis se non humiliavit. Et inde est quod qui ordinantur per saltum, secundum canones *, non reordinantur, sed id quod omissum fuerat de praecedentibus ordinibus eis confertur.

* Cf. arg. *Sed contra.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod magis conveniunt ordines ad invicem secundum similitudinem speciei quam ordo cum baptismo: sed secundum proportionem potentiae ad actum magis convenit baptismus cum ordine quam ordo cum ordine. Quia per baptismum acquirit homo potentiam passivam recipiendi ordines: non autem per ordinem inferiorem datur potentia passiva recipiendi maiores ordines.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ordines non sunt gradus qui occurrant in actione una vel in uno motu, ut oporteat ad ultimum per primum devenire: sed sunt sicut gradus in diversis rebus constituti. Sicut est gradus inter hominem et angelum: nec oportet quod ille qui sit angelus, prius fuerit homo. Similiter etiam est gradus inter caput et omnia membra corporis: nec oportet quod illud quod est caput, prius fuerit pes. Et similiter est in proposito.

QUAESTIO TRIGESIMASEXTA

DE QUALITATE SUSCIPIENTIUM HOC SACRAMENTUM

DEINDE considerandum est de qualitate suscipientium hoc sacramentum *.

* Cf. qu. XXXIV, Introd.

Circa quod quaeruntur quinque.

Primo: utrum in suscipientibus hoc sacramentum requiratur bonitas vitae.

Secundo: utrum requiratur scientia totius sacrae Scripturae.

Tertio: utrum ex ipso merito vitae aliquis ordinis gradus consequatur.

Quarto: utrum promovens indignos ad ordines peccet.

Quinto: utrum aliquis in peccato existens possit sine peccato ordine suscepto uti.

ART. I. UTRUM IN SUSCIPIENTIBUS ORDINES REQUIRATUR BONITAS VITAE

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in suscipientibus ordines non requiratur bonitas vitae. Quia per ordinem aliquis ordinatur ad dispensationem sacramentorum. Sed sacramenta possunt dispensari a bonis et malis. Ergo non requiritur bona vita.

2. PRAETEREA, non est maius ministerium quod Deo in sacramentis exhibetur, quam quod ipsi corporaliter exhibetur. Sed a ministerio ipsius corporali non repulit Dominus mulierem peccatricem et infamem: ut patet Luc. VII *. Ergo nec a ministerio eius in sacramentis tales sunt amovendi.

* Vers. 37 sqq.

3. PRAETEREA, per omnem gratiam datur aliquod remedium contra peccatum. Sed illis qui habent peccatum, non debet aliquod remedium denegari quod eis valere possit. Cum ergo in sacramento ordinis gratia conferatur, videtur quod debeat etiam peccatoribus hoc sacramentum dari.

SED CONTRA, *Levit.* XXI *: *Homo de semine Aaron qui habuerit maculam, non offerat panes coram Domino, nec accedat ad ministerium eius.* Sed per *maculam*, ut dicit Glossa *, omne *vitium* intelligitur. Ergo ille qui est aliquo vitio irretitus, non debet ad ministerium ordinis adhiberi.

* Vers. 17, 18.

* Ord. Hesych.

2. PRAETEREA, Hieronymus dicit * quod *non solum episcopi, presbyteri et diaconi debent magnopere providere ut cunctum populum cui praesident sermone et conversatione praecedant, verum etiam inferiores gradus, et omnes qui Domini oraculo deserviunt: quia vehementer Ecclesiam Dei destruit meliores esse laicos quam clericos.* Ergo in omnibus ordinibus requiritur sanctitas vitae.

* *Comment. in Ep. ad Tit.*, ad cap. II, vers. 15. - Cf. can. *Qualis enim*, caus. VIII, qu. I.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Dionysius dicit, III cap. *Eccles. Hier.* *: *Ut subtiliores et clariores essentiae, repletae influxu solarium splendorum, lumen in eis supereminens, ad similitudinem solis, ad alia corpora invehunt; sic in omni divino non est audendum aliis dux esse, nisi secundum omnem habitum suum factus deiformissimus et Deo simillimus.* Unde, cum in quolibet ordine aliquis

* § 14.

constituatur dux aliis in rebus divinis, quasi praesumptuosus mortaliter peccat qui cum conscientia peccati mortalis ad ordines accedit. Et ideo sanctitas vitae requiritur ad ordinem de necessitate praecepti. Sed non de necessitate sacramenti. Unde, si malus ordinatur, nihilominus ordinem habet: tamen cum peccato.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut vera sacramenta sunt quae peccator dispensat, ita verum sacramentum ordinis recipit: et sicut indigne dispensat, ita indigne recipit.

Ad secundum dicendum quod illud ministerium erat tantum in executione corporalis obsequii: quod etiam licite peccatores facere possunt. Secus autem est de ministerio spirituali, ad quod applicantur ordinati: quia per ipsum efficiuntur medii inter Deum et plebem *; et ideo debent de bona conscientia nitere quoad Deum, et bona fama quoad homines.

* Ad Heb. cap. v, vers. 1.

Ad tertium dicendum quod aliquae medicinae sunt quae exigunt robur naturae, alias cum periculo mortis assumuntur: et aliae sunt quae debilibus dari possunt. Ita etiam in spiritualibus quaedam sacramenta sunt ordinata ad remedium peccati: et talia peccatoribus sunt exhibenda, sicut baptismus et poenitentia. Illa vero quae perfectionem gratiae conferunt, requirunt hominem per gratiam confortatum.

ART. II. utrum in suscipientibus ordines requiratur scientia totius sacrae scripturae

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod requiratur scientia totius Sacrae Scripturae. Quia ille debet habere legis scientiam a cuius ore lex requiritur. Sed *legem requirunt de ore sacerdotis*, ut patet Malach. II *. Ergo ipse debet legis totius habere scientiam.

* Vers. 7.

2. Praeterea, I *Pet.* III *: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est fide et spe.* Sed reddere rationem de his quae sunt fidei et spei, est illorum qui perfectam scientiam sacrarum Scripturarum habent. Ergo talem scientiam debent habere illi qui ponuntur in ordinibus, quibus verba praedicta dicuntur.

* Vers. 15.

3. Praeterea, nullus congrue legit qui non intelligit quod legit: quia *legere et non intelligere negligere est,* ut dicit Cato *. Sed ad lectores, qui est quasi infimus ordo, pertinet legere vetus Testamentum, ut in littera * dicitur. Ergo ad eos pertinet habere totius veteris Testamenti intellectum. Et multo fortius ad alios superiores ordines.

* *Distich.* lib. I, praefat.
* Dist. XXIV, cap. *Diaconorum*, et cap. *Secundus est.*

Sed contra est quod multi promoventur ad sacerdotium qui penitus de talibus nihil sciunt, etiam in religionibus multis. Ergo videtur quod talis scientia non requiratur.

2. Praeterea, in *Vitis Patrum* * legitur aliquos simplices monachos ad sacerdotium promotos, qui erant sanctissimae vitae. Ergo non requiritur praedicta scientia in ordinandis.

* Lib. IV, cap. XLIX *(de Abb. Daniel.)*; lib. VIII, cap. XIX et XX *(de duob. Macariis)*; LXXXIX *(Vit. Abb. Chronii)*.

Respondeo dicendum quod in quolibet actu hominis, si debeat esse ordinatus, oportet quod adsit directio rationis. Unde ad hoc quod ordinis officium exequatur, oportet quod habeat tantum de scientia quae sufficiat ad hoc quod dirigatur in actum ordinis illius. Et ideo etiam talis scientia requiritur in eo qui debet ad ordines promoveri: et non quod universaliter in tota Scriptura sit instructus, sed plus vel minus secundum quod ad plura vel pauciora se eius officium extendit; ut scilicet illi qui aliis praeponuntur curam animarum suscipientes, sciant ea quae ad doctrinam fidei et morum pertinent, et alii sciant ea quae ad executionem sui ordinis spectant.

Ad primum ergo dicendum quod sacerdos habet duos actus: unum principalem, supra corpus Christi verum; et alium secundarium, supra corpus Christi mysticum. Secundus autem actus dependet a primo, sed non convertitur. Et ideo aliqui ad sacerdotium promoventur quibus committitur primus actus tantum: sicut religiosi quibus cura animarum non committitur. Et a talium ore lex non requiritur, sed solum quod sacramenta conficiant. Et ideo talibus sufficit si tantum de scientia habeant quod ea quae ad sacramentum perficiendum spectant, rite servare possint. Alii autem promoventur ad alium actum, qui est supra corpus Christi mysticum. Et a talium ore populus legem requirit. Unde scientia legis in eis debet esse: non quidem ut sciant omnes difficiles quaestiones legis, quia in his debet ad superiores recursus haberi; sed sciant ea quae populus debet credere et observare de lege. Sed ad superiores sacerdotes, scilicet episcopos, pertinet ut etiam ea quae difficultatem in lege facere possunt, sciant: et tanto magis quanto in maiori gradu collocantur.

Ad secundum dicendum quod ratio reddenda de fide et spe non est intelligenda talis quae sufficiat ad probandum quae fidei vel spei sunt, cum utrumque de invisibilibus sit: sed ut sciant in communi probabilitatem utriusque ostendere. Ad quod non requiritur multum magna scientia.

Ad tertium dicendum quod ad lectorem non pertinet tradere intellectum sacrae Scripturae populo, quia hoc est superiorum ordinum: sed solum pronuntiare. Et ideo ab eo non exigitur quod habeat tantum de scientia quod sacram Scripturam intelligat: sed solum quod recte pronuntiare sciat. Et quia talis scientia de facili addiscitur et a multis, ideo probabiliter aestimari potest quod ordinatus talem scientiam acquiret, si etiam tunc eam non habeat: maxime si in via ad hoc esse videatur.

ART. III. utrum ex ipso merito vitae aliquis ordinis gradus consequatur

Supra, qu. XXXIV, art. 1, ad 3.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod ex ipso merito vitae aliquis ordinis gradus consequatur. Quia, sicut dicit Chrysostomus *, *non omnis sacerdos sanctus est, sed omnis sanctus sacerdos est.* Sed ex merito vitae aliquis efficitur sanctus. Ergo et sacerdos. Et multo fortius alios ordines habens.

* *Op. Imperf. in Matth.*, homil. XLIII. - Inter Opp. Chrys.

2. Praeterea, in rebus naturalibus ex hoc ipso aliqua in gradu superiori collocantur quod Deo appropinquant, et magis de eius bonitatibus participant: ut Dionysius dicit, IV cap. *Eccles. Hier.* * Sed ex merito sanctitatis et scientiae aliquis efficitur Deo propinquior, et plus de eius bonitatibus recipiens. Ergo ex hoc ipso in gradu ordinis collocatur.

* § 5.

Sed contra, sanctitas semel habita potest amitti. Sed ordo semel habitus nunquam amittitur. Ergo ordo non consistit in ipso merito sanctitatis.

Respondeo dicendum quod causa debet esse proportionata suo effectui. Et ideo, sicut in Christo, a quo descendit gratia in omnes homines, oportet quod sit gratiae plenitudo; ita in ministris Ecclesiae, quorum non est dare gratiam, sed gratiae sacramenta, non constituitur gradus ordinis ex hoc quod habeat gratiam, sed ex hoc quod percipit aliquod gratiae sacramentum.

Ad primum ergo dicendum quod Chrysostomus accipit sacerdotis nomen quantum ad rationem interpretationis, secundum quod *sacerdos* idem est quod *sacra dans* *: sic enim quilibet iustus, inquantum sacra merita alicui in auxilium dat, sacerdotis interpretationem habet. Non autem loquitur secundum nominis significationem. Est enim hoc nomen *sacerdos* institutum ad significandum eum *qui sacra dat in sacramentorum dispensatione.*

* Isidor. *Etymol.* lib. VIII, cap. XIII, n. 21.

Ad secundum dicendum quod res naturales efficiuntur in gradu super alia secundum quod in ea agere possunt ex forma sua: et ideo ex hoc ipso quod formam nobiliorem habent, in altiori gradu constituuntur. Sed ministri Ecclesiae non proponuntur aliis ut eis ex propriae sanctitatis virtute aliquid attribuant, quia hoc solius Dei est: sed sicut ministri et quodammodo instrumenta illius effluxus qui fit a capite in membra. Et ideo non est simile quantum ad dignitatem ordinis: quamvis sit simile quantum ad congruitatem.

ART. IV. utrum promovens indignos ad ordines peccet

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod promovens indignos ad ordines non peccet. Quia episcopus indiget coadiutoribus in minoribus officiis constitutis. Sed non posset eos invenire in sufficienti numero si talem idoneitatem requireret in eis qualis a Sanctis describitur. Ergo, si aliquos non idoneos promovet, videtur quod sit excusabilis.

2. Praeterea, Ecclesia non solum indiget ministris ad dispensationem spiritualium, sed ad gubernationem temporalium. Sed quandoque illi qui non habent scientiam vel sanctitatem vitae, possunt esse utiles ad gubernationem temporalium: vel propter potentiam saecularem, vel propter industriam naturalem. Ergo videtur quod tales sine peccato possent promoveri.

3. Praeterea, quilibet tenetur vitare peccatum quantum potest. Si ergo episcopus peccat indignos promovens, debet adhibere maximam diligentiam ad sciendum an illi qui accedunt ad ordines sint digni, ut fieret diligens inquisitio de moribus et scientia eorum. Quod non videtur alicubi observari.

Sed contra, peius est promovere malos ad sacra mysteria quam iam promotos non corrigere. Sed Heli mortaliter peccavit non corrigens filios suos de malitia sua: unde, *retrorsum cadens mortuus est,* ut dicitur I *Regum* iv *. Ergo non sine peccato evadit si indignos promovet.

* Vers. 18. - Cf. cap. iii, vers. 11 sqq.

2. Praeterea, spiritualia temporalibus sunt praeponenda in Ecclesia. Sed mortaliter peccaret qui res Ecclesiae temporales scienter sub periculo poneret. Ergo multo fortius qui poneret res spirituales sub periculo. Sed sub periculo ponit res spirituales quicumque indignos promovet: quia *cuius vita despicitur,* ut dicit Gregorius *, *restat ut eius praedicatio contemnatur,* et eadem ratione omnia spiritualia ab eis exhibita. Ergo indignos promovens mortaliter peccat.

* Homil. XII *in Evang.*

Respondeo dicendum quod a Domino * describitur *fidelis servus, qui est constitutus supra familiam, ut det illis tritici mensuram.* Et ideo infidelitatis reus est qui alicui supra mensuram eius divina tradit. Hoc autem facit quicumque indignos promovet. Et ideo crimen mortale committit, quasi summo Domino infidelis: et praecipue cum hoc in detrimentum Ecclesiae vergat et honoris divini, qui per bonos ministros promovetur. Esset enim infidelis terreno domino qui in eius officio aliquos inutiles poneret.

* Luc. cap. xii, vers. 42. - Cf. Matth. cap. xxiv, vers. 45.

Ad primum ergo dicendum quod Deus nunquam ita deserit Ecclesiam suam quin inveniantur idonei ministri sufficientes ad necessitatem plebis, si digni promoverentur et indigni repellerentur. Et, si non possunt tot ministri inveniri quot modo sunt, *melius esset habere paucos ministros bonos quam multos malos,* ut dicit beatus Clemens *.

* Epist. decretal. 2ª, ad Iacobum fratr. Dom. - Cf. can. *Tales,* dist. XXIII.

Ad secundum dicendum quod temporalia non sunt quaerenda nisi propter spiritualia. Unde omne incommodum temporale deberet eligi, et omne lucrum sperni, propter spirituale bonum promovendum.

Ad tertium dicendum quod ad minus hoc requiritur quod nesciat ordinans aliquid contrarium sanctitati in ordinando esse. Sed etiam exigitur amplius ut, secundum mensuram ordinis vel officii iniungendi, diligentior cura apponatur ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio aliorum. Et hoc est quod Apostolus dicit, I *Tim.* v *: *Nemini cito manum imposueris.*

* Vers. 22.

ART. V. utrum aliquis in peccato existens possit sine peccato ordine suscepto uti

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod aliquis in peccato existens possit sine peccato ordine suscepto uti. Quia peccat si non utatur, cum ex officio tenetur. Si ergo utendo peccat, non potest peccatum vitare. Quod est inconveniens.

2. Praeterea, *dispensatio est iuris relaxatio* *. Ergo, quamvis de iure esset ei illicitum uti ordine suscepto, tamen ex dispensatione ei liceret.

* S. Raym. *Summ.* lib. III, *de Lapsis et Dispens.* § 2.

3. Praeterea, quicumque communicat alicui in peccato mortali, peccat mortaliter. Si ergo peccator in usu ordinis peccat mortaliter, tunc etiam peccat mortaliter qui ab eo aliquid divinorum accipit, vel ab eo exigit. Quod videtur absurdum.

4. Praeterea, si utendo ordine suo peccat, ergo quilibet actus ordinis quem facit, est peccatum mortale. Et ita, cum in una executione ordinis multi actus concurrant, videtur quod multa peccata mortalia committat. Quod valde durum videtur.

Sed contra est quod dicit Dionysius, in Epistola *ad Demophilum* *: *Talis,* scilicet qui non est illuminatus, *audax videtur sacerdotalibus manum apponens; et non timet neque verecundatur divina praeter dignitatem exequens, et putans Deum ignorare quae ipse in seipso cognovit; et decipere existimat falso nomine Patrem ab ipso appellatum; et audet ipsius immundas infamias, non enim dicam orationes, super divina signa Christiformiter enuntiare.* Ergo sacerdos est quasi blasphemus et deceptor qui indigne suum ordinem exequitur. Et sic mortaliter peccat. Et eadem ratione quilibet alius ordinatus.

* Ep. VIII.

2. Praeterea, sanctitas requiritur in susceptione ordinis ut sit idoneus ad exequendum. Sed peccat mortaliter qui cum peccato mortali ad ordines accedit. Ergo multo fortius peccat mortaliter in qualibet executione sui ordinis.

Respondeo dicendum quod lex praecipit ut homo *iuste ea quae sunt iusta* exequatur *. Et ideo quicumque hoc quod sibi competit ex ordine facit indigne, quod iustum est iniuste exequitur, et contra praeceptum legis facit, ac per hoc mortaliter peccat. Quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium quin indigne illud facit. Unde patet quod mortaliter peccat.

* *Deut.* cap. xvi, vers. 20.

Ad primum ergo dicendum quod non est perplexus, ut necessitatem peccandi habeat: quia potest peccatum dimittere, vel officio resignare ex quo obligabatur ad ordinis executionem.

Ad secundum dicendum quod ius naturale est indispensabile. Hoc autem est de iure naturali, ut homo sancta sancte pertractet. Unde contra hoc nullus potest dispensare.

Ad tertium dicendum quod, quandiu minister Ecclesiae qui est in peccato mortali ab Ecclesia sustinetur, ab eo sacramenta eius subditus recipere debet: quia ad hoc est ei obligatus. Sed tamen, praeter necessitatis articulum, non esset tutum quod eum induceret ad aliquid sui ordinis exequendum durante tali conscientia quod ille in peccato mortali esset. Quam tamen deponere posset: quia in instanti homo a divina gratia emundatur.

Ad quartum dicendum quod, quandocumque exhibet se in aliquo actu ut minister Ecclesiae, mortaliter peccat, et toties quoties huiusmodi actum facit: quia, ut Dionysius dicit, I cap. *Eccles. Hier.* *, *immundis nec symbola,* idest sacramentalia signa, *tangere fas est.* Unde, quando tangunt res sacras quasi suo officio utentes, peccant mortaliter.

* § 5.

Secus autem esset si in aliqua necessitate aliquod sacrum contingerent vel exequerentur in illo casu in quo et laicis liceret: sicut si baptizaret in articulo necessitatis, vel si corpus Christi in terram proiectum colligeret.

QUAESTIO TRIGESIMASEPTIMA

DE DISTINCTIONE ORDINUM, ET EORUM ACTIBUS, ET CHARACTERIS IMPRESSIONE

Consequenter agendum est de distinctione ordinum, et eorum actibus, et characteris impressione *.

* Cf. qu. xxxiv, Introd.

Circa quod quaeruntur quinque.

Primo: utrum ordo debeat in plures distingui.
Secundo: quot sint.
Tertio: utrum debeant distingui per sacros et non sacros.
Quarto: utrum actus ordinum convenienter assignentur.
Quinto: quando ordinum characteres imprimuntur.

ART. I. utrum debeant plures ordines distingui

IV *Cont. Gent.,* cap. lxxv.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non debeant plures ordines distingui. Quanto enim aliqua virtus est maior, tanto minus est multiplicata *. Sed hoc sacramentum est dignius aliis sacramentis: inquantum constituit suscipientes in aliquo gradu super alios. Cum ergo alia sacramenta non distinguantur in plura quae recipiant praedicationem totius, nec hoc sacramentum debet in plures ordines distingui.

* Cf. lib. *de Causis,* prop. 17 (inter Opp. Arist.) - S. Th. lect. xvii.

2. Praeterea, si dividitur, aut est divisio totius in partes integrales, aut in partes subiectivas. Non autem in partes integrales: quia sic non reciperent praedicationem totius. Ergo est divisio in partes subiectivas. Sed partes subiectivae recipiunt in plurali praedicationem generis remoti sicut

generis proximi: sicut homo et asinus sunt plura *animalia*, et plura *corpora animata*. Ergo et sacerdotium et diaconatus, sicut sunt plures ordines, ita sunt plura sacramenta: cum *sacramentum* sit quasi genus ad ordines.

3. Praeterea, secundum Philosopum, VIII *Ethic.* *, regimen in quo unus tantum principatur, est nobilius regimen communitatis quam aristocratia, qua diversi in diversis officiis constituuntur. Sed regimen Ecclesiae debet esse nobilissimum. Ergo non deberet esse in Ecclesia distinctio ordinum ad diversos actus, sed tota potestas deberet apud unum residere. Et sic deberet esse tantum unus ordo.

* Cap. x, n. 2. - S. Th. lect. x.

Sed contra, Ecclesia est corpus Christi mysticum, simile corpori naturali, secundum Apostolum *. Sed in corpore naturali sunt diversa membrorum officia. Ergo et in Ecclesia debent esse diversi ordines.

* *Ad Rom.*, cap. xii, vers. 4, 5; I *ad Cor.*, cap. xii, vers. 12 sqq.; *Ad Ephes.* cap. i, vers. 22, 23; cap. iv, vers. 15, 16.

2. Praeterea, ministerium novi Testamenti est dignius quam veteris: ut patet II *Cor.* iii *. Sed in veteri Testamento non solum sacerdotes, sed etiam ministri eorum, levitae, sanctificabantur *. Ergo et in novo Testamento debent consecrari per ordinis sacramentum non solum sacerdotes, sed ministri eorum. Et ita oportet quod sint plures ordines.

* Vers. 7 sqq.
* *Num.* cap. viii, vers. 6 sqq.

Respondeo dicendum quod ordinum multitudo est inducta in Ecclesia propter tria. Primo quidem, propter Dei sapientiam commendandam, quae in distinctione ordinata rerum maxime relucet, tam in naturalibus quam in spiritualibus. Quod significatur in hoc quod *regina Saba, videns ordinem ministrorum Salomonis, non habebat ultra spiritum* *, deficiens in admiratione sapientiae illius.

* III *Reg.*, cap. x, vers. 4, 5.

Secundo, ad subveniendum humanae infirmitati: quia per unum non poterant omnia quae ad divina mysteria pertinebant expleri sine magno gravamine. Et ideo distinguuntur ordines diversi ad diversa officia. Et hoc patet per hoc quod Dominus, *Num.* xi *, dedit Moysi *septuaginta senes populi* in adiutorium.

* Vers. 16, 17.

Tertio, ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diversis officiis distribuuntur, ut omnes sint Dei cooperatores: quo *nihil est divinius,* ut Dionysius dicit *.

* *Cael. Hier.*, cap. iii, § 2.

Ad primum ergo dicendum quod illa sacramenta dantur ad effectus aliquos percipiendos: sed hoc sacramentum datur principaliter ad actus aliquos agendos. Et ideo secundum diversitatem actuum oportet quod ordinis sacramentum distinguatur: sicut potentiae distinguuntur per actus.

Ad secundum dicendum quod distinctio ordinis non est totius integralis in partes, neque totius universalis, sed totius potestativi. Cuius haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius. Et ita est hic. Tota enim plenitudo huius sacramenti est in uno ordine, scilicet sacerdotio: sed in aliis est quaedam participatio ordinis. Et hoc significatum est in hoc quod Dominus dixit, *Num.* xi *, Moysi: *Auferam de spiritu tuo et tradam eis, ut sustentent tecum onus populi.* Et ideo omnes ordines sunt unum sacramentum.

* Vers. 17.

Ad tertium dicendum quod in regno, quamvis tota potestatis plenitudo resideat penes regem, non tamen excluduntur ministrorum potestates, quae sunt participationes quaedam regiae potestatis. Et similiter est in ordine. In aristocratia autem apud nullum residet plenitudo potestatis, sed apud omnes.

ART. II. utrum sint septem ordines

IV *Cont. Gent.*, cap. lxxv; *Cont. Impugn. Relig.*, cap. iv; I *ad Tim.*, cap. iii, lect. ii.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non sint septem ordines. Ordines enim Ecclesiae ordinantur ad actus hierarchicos. Sed tres sunt tantum actus hierarchici, scilicet *purgare, illuminare* et *perficere*, secundum quos Dionysius distinguit tres ordines, in v cap. *Eccles. Hier.* * Ergo non sunt septem.

* Part. i, § 6.

2. Praeterea, omnia sacramenta habent efficaciam et auctoritatem ex institutione Christi, vel saltem Apostolorum eius. Sed in doctrina Christi et Apostolorum non fit mentio nisi de presbyteris et diaconibus. Ergo videtur quod non sint alii ordines.

3. Praeterea, per sacramentum ordinis constituitur aliquis dispensator aliorum sacramentorum. Sed alia sacramenta sunt sex. Ergo debent esse tantum sex ordines.

Sed contra, videtur quod debeant esse plures. Quia quanto aliqua virtus est altior, tanto est minus multiplicabilis *. Sed potestas hierarchica est altiori modo in angelis quam in nobis: ut Dionysius dicit *. Cum ergo in hierarchia angelica sint novem ordines, totidem deberent esse in Ecclesia, vel plures.

* Cf. lib. *de Causis*, prop. 17 (inter Opp. Arist.).- S. Th. lect. xvii.
* *Eccl. Hier.* cap. i, § 4.

2. Praeterea, prophetia psalmorum est nobilior inter omnes alias prophetias *. Sed ad pronuntiandum in Ecclesia alias prophetias est unus ordo, scilicet lectorum. Ergo et ad pronuntiandum psalmos deberet esse alius ordo: et praecipue cum in Decretis, dist. XXI *, *psalmista* secundus ab ostiario inter ordines ponatur.

* Cf. Lombard. *Praef. in Psalm.*
* Cap. *Cleros.*

Respondeo dicendum quod quidam sufficientiam ordinum assumunt per quandam adaptationem ad gratias gratis datas, de quibus habetur I *Cor.* xii *. Dicunt enim quod *sermo sapientiae* competit episcopo, quia ipse aliorum ordinator est, quod ad sapientiam pertinet; *sermo scientiae* sacerdoti, quia debet habere clavem scientiae *; *fides* diacono, qui praedicat Evangelium; *opera virtutum* subdiacono, qui se ad opera perfectionis extendit per votum continentiae; *interpretatio sermonum* acolytho, quod significatur in lumine quod defert; *gratia sanitatum* exorcistae; *gratia linguarum* psalmistae; *prophetia* lectori; *discretio spirituum* ostiario, qui quosdam repellit et quosdam admittit.

* Vers. 4 sqq.
* Cf. Luc. cap. xi, vers. 52.

Sed hoc nihil est. Quia gratiae gratis datae non dantur eidem, sicut omnes ordines dantur eidem: dicitur enim I *Cor.* xii *: *Divisiones gratiarum sunt.* – Et iterum ponuntur quaedam quae ordines non dicuntur: scilicet episcopatus * et psalmistatus **.

* Vers. 4.
* Cf. qu. xl, art. 5.
** Cf. infra resp. ad 5.

Et ideo alii assignant secundum quandam assimilationem ad caelestem hierarchiam, in quibus ordines distinguuntur secundum purgationem, illuminationem et perfectionem. Dicunt enim quod ostiarius *purgat* exterius, segregando bonos a malis etiam corporaliter; interius vero acolythus, quia per lumen quod portat significat se interiores tenebras pellere; sed utroque modo exorcista, quia diabolum, quem expellit, utroque modo perturbat. Sed *illuminatio,* quae fit per doctrinam, quantum ad doctrinam propheticam fit per lectores; quantum ad Apostolicam fit per subdiaconos; quantum ad Evangelicam fit per Diaconos. Sed *perfectio* communis, utpote quae est poenitentiae et baptismi et huiusmodi, fit per sacerdotem; excellens vero per episcopum, ut consecratio sacerdotum et virginum; sed excellentissima per Summum Pontificem, in quo est plenitudo auctoritatis.

Sed hoc nihil est. Tum quia ordines caelestis hierarchiae non distinguuntur per praedictas actiones hierarchicas: cum quaelibet cuilibet ordinum conveniat. – Tum quia, secundum Dionysium *, solis episcopis convenit perficere, illuminare autem sacerdotibus, purgare autem ministris omnibus.

* *Eccl. Hier.* cap. v, part. i, § 5, 6.

Et ideo alii * appropriant ordines septem donis: ut sacerdotio respondeat donum sapientiae, quae nos *pane vitae et intellectus cibat* *, sicut sacerdos nos pane caelesti reficit; sed timor ostiario, quia nos separat a malis; et sic intermedii ordines respondent mediis donis.

* Hugo Rothomag. *de Eccl. et eius ministris*, lib. II, cap. 2 sqq. - Cf. Hug. a S. Vict. *de Sacram.* lib. II, p. iii, cap. v.
* *Eccli.* cap. xv, vers. 3.

Sed hoc iterum nihil est. Quia in quolibet ordine septiformis gratia datur.

Et ideo aliter dicendum quod ordinis sacramentum ad sacramentum Eucharistiae ordinatur, quod est *sacramentum sacramentorum,* ut Dionysius dicit *. Sicut enim templum et altare, et vasa et vestes, ita et ministeria quae ad Eucharistiam ordinantur, consecratione indigent: et haec consecratio est ordinis sacramentum. Et ideo distinctio ordinis est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam.

* *Eccl. Hier.* cap. iii, § 1.

Quia potestas ordinis aut est ad consecrationem Eucharistiae ipsius, aut ad aliquod ministerium ordinandum ad hoc. Si primo modo, sic est ordo *sacerdotum.* Et ideo, cum ordinantur, accipiunt calicem cum vino et patenam cum pane, potestatem accipientes consecrandi corpus et sanguinem Christi.

Cooperatio autem ministrorum est vel in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si primo modo, sic tripliciter. Primo enim est ministerium quo minister cooperatur sacerdoti in ipso sacramento, quantum ad dispensationem, sed non quantum ad consecrationem, quam solus sacerdos facit. Et hoc pertinet ad *diaconum*. Unde in littera * dicitur quod *ad diaconum pertinet ministrare sacerdotibus in omnibus quae aguntur in sacramentis Christi*. Unde et ipsi sanguinem dispensant. – Secundo est ministerium ordinatum ad materiam sacramenti ordinandam in sacris vasis ipsius sacramenti. Et hoc pertinet ad *subdiaconum*. Unde dicitur in littera * quod corporis et sanguinis Domini vasa portant, et oblationes in altari ponunt. Et ideo accipiunt calicem de manu episcopi, sed vacuum, cum ordinantur. – Tertio est ministerium ordinatum ad praesentandum materiam sacramenti. Et hoc competit *acolytho*. Ipse enim, ut in littera * dicitur, urceolum cum vino et aqua praeparat. Unde accipiunt urceolum vacuum.

* Dist. xxiv, cap. *Diaconorum*.
* Ibid., cap. *Quintus est*.
* Ibid., cap. *Quarto loco*.

Sed ministerium ad praeparationem recipientium ordinatum non potest esse nisi super immundos: quia qui mundi sunt, iam sunt ad sacramenta percipienda idonei. Triplex autem est genus immundorum, secundum Dionysium *. Quidam enim sunt omnino infideles, credere nolentes. Et hi totaliter etiam a visione divinorum et a coetu fidelium arcendi sunt. Et hoc pertinet ad *ostiarios*. – Quidam autem sunt volentes credere, sed non instructi, scilicet catechumeni. Et ad horum instructionem ordinatur ordo *lectorum*. Et ideo prima rudimenta doctrinae fidei, scilicet vetus Testamentum, eis legendum committitur. – Quidam vero sunt fideles et instructi, sed impedimentum habentes ex daemonis potestate, scilicet energumeni. Et ad hoc habet ministerium ordo *exorcistarum*.

* *Eccl. Hier.* cap. III, § 6, 7.

Et sic patet ratio numeri et gradus ordinum.

Ad primum ergo dicendum quod Dionysius loquitur de ordinibus non secundum quod sunt sacramenta, sed secundum quod ad hierarchicas actiones ordinantur. Et ideo secundum actiones illas tres ordines distinguit. Quorum primus habet omnes tres, scilicet episcopus; secundus habet duas, scilicet sacerdos; sed tertius habet unam, scilicet purgare, scilicet diaconus, qui *minister* dicitur; et sub hoc omnes inferiores ordines comprehenduntur. – Sed ordines habent quod sint sacramenta ex relatione ad maximum sacramentorum. Et ideo secundum hoc debet numerus ordinum accipi.

Ad secundum dicendum quod in primitiva Ecclesia, propter paucitatem ministrorum, omnia inferiora ministeria diaconibus committebantur: ut patet per Dionysium, III cap. *Eccles. Hier.* *, ubi dicit: *Ministrorum alii stant ad portas templi clausas, alii aliud quid proprii ordinis operantur, alii autem sacerdotibus proponunt super altare sacrum panem et benedictionis calicem*. Nihilominus erant omnes praedictae potestates, sed implicite, in una diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus, et Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis. Et secundum hoc dicit Magister in littera * quod *Ecclesia* alios ordines *sibi instituit* **.

* § 2.
* Dist. xxiv, cap. *Septimus est*.
** Cf. Gratian. in praefat. ad dist. XXI.

Ad tertium dicendum quod ordines ordinantur principaliter ad sacramentum Eucharistiae, ad alia autem per consequens: quia etiam alia sacramenta ab eo quod in Sacramento continetur, derivantur. Unde non oportet quod distinguantur ordines secundum sacramenta.

Ad quartum * dicendum quod Angeli differunt specie: et propter hoc in eis potest esse modus diversus recipiendi divina. Et ideo etiam diversae hierarchiae in eis distinguuntur. Sed in ordinibus tantum est una hierarchia, propter unum modum accipiendi divina, qui consequitur humanam speciem, scilicet per similitudinem rerum sensibilium. Et ideo distinctio ordinum in angelis non potest esse per comparationem ad aliquod sacramentum, sicut est apud nos: sed solum per comparationem ad hierarchicas actiones quas in inferiores exercet quilibet ordo in eis. Et secundum hoc nostri ordines eis respondent: quia in nostra hierarchia sunt tres ordines secundum hierarchicas actiones distincti, sicut in qualibet hierarchia una angelorum.

* Arg. *Sed contra* 1.

Ad quintum * dicendum quod psalmistatus non est ordo, sed officium ordini annexum: quia enim psalmi cum cantu pronuntiantur, ideo dicitur psalmista cantor. *Cantor* autem non est nomen ordinis specialis. Tum quia cantare pertinet ad totum chorum. – Tum quia non habet aliquam specialem relationem ad Eucharistiae sacramentum. – Tum quia officium quoddam est: quod inter ordines largo modo acceptos computatur quandoque.

* Arg. *Sed contra* 2.

ART. III. UTRUM ORDINES DEBEANT DISTINGUI PER SACROS ET NON SACROS

IV *Sent.*, dist. VII, p. III, art. 1, qu^a 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXV.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod ordines non debeant distingui per sacros et non sacros. Omnes enim ordines sacramenta quaedam sunt. Sed omnia sacramenta sunt sacra. Ergo omnes ordines sunt sacri.

2. Praeterea, secundum ordines Ecclesiae non deputatur aliquis nisi ad divina officia. Sed omnia talia sunt sacra. Ergo omnes ordines sunt sacri.

Sed contra est quod ordines sacri impediunt matrimonium contrahendum et dirimunt iam contractum *. Sed quatuor inferiores ordines non impediunt contrahendum nec dirimunt contractum. Ergo non sunt sacri ordines.

* Cf. qu. LIII, art. 3.

Respondeo dicendum quod ordo sacer dicitur dupliciter. Uno modo, secundum se. Et sic quilibet ordo est sacer: cum sit sacramentum quoddam. – Alio modo, ratione materiae circa quam habet aliquem actum. Et sic ordo sacer dicitur qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam. Et sic sunt tantum tres ordines sacri: scilicet sacerdos; et diaconus, qui habet actum circa corpus Christi et sanguinem consecratum; et subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata. Et ideo etiam eis continentia indicitur, ut mundi sint qui sancta tractant *.

* Cf. Isai. cap. LII, vers. 11.

Et per hoc patet solutio ad obiecta.

ART. IV. UTRUM ACTUS ORDINUM CONVENIENTER IN LITTERA ASSIGNENTUR

IV *Cont. Gent.*, cap. LXXV.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod actus ordinum inconvenienter in littera * assignentur. Quia per absolutionem praeparatur aliquis ad corpus Christi sumendum. Sed praeparatio suscipientium sacramentum pertinet ad inferiores ordines. Ergo inconvenienter absolutio a peccatis inter actus ponitur sacerdotis.

* Dist. XXIV.

2. Praeterea, homo per baptismum est immediate Deo configuratus, characterem configurantem suscipiens. Sed orare et offerre oblationes sunt actus immediate ad Deum ordinati. Ergo quilibet baptizatus potest hos actus facere, et non soli sacerdotes.

3. Praeterea, diversorum ordinum diversi sunt actus. Sed oblationes in altari ponere et epistolam legere ad subdiaconum pertinet. Crucem etiam ferunt subdiaconi coram Papa. Ergo hi non debent poni actus diaconi.

4. Praeterea, eadem veritas continetur in novo et in veteri Testamento. Sed legere vetus Testamentum est lectorum. Ergo, eadem ratione, et legere novum: et non diaconorum.

5. Praeterea, Apostoli nihil aliud praedicaverunt quam Evangelium Christi, ut patet *Rom.* I *. Sed doctrina Apostolorum committitur subdiaconibus enuntianda. Ergo et doctrina Evangelii.

* Vers. 1. – Cf. I *ad Cor.*, cap. I, vers. 17.

6. Praeterea, secundum Dionysium *, quod est superioris ordinis, non debet inferiori convenire. Sed ministrare cum urceolo est actus subdiaconorum. Ergo non debet acolythis attribui.

* *Eccl. Hier.* cap. V, part. I, § 7.

7. Praeterea, actus spirituales debent corporalibus praeeminere. Sed acolythus non habet nisi actum corporalem. Ergo exorcista non habet actum spiritualem pellendi daemones: cum sit inferior.

8. Praeterea, quae magis conveniunt, iuxta se ponenda sunt. Sed legere vetus Testamentum maxime debet convenire cum lectore novi Testamenti, quod competit superioribus ministris. Ergo legere vetus Testamentum non debet poni actus lectoris, sed magis acolythi: et praecipue

cum lumen corporale quod acolythi deferunt, significet lumen spirituale doctrinae.

9. Praeterea, in quolibet actu ordinis spiritualis debet esse aliqua vis spiritualis quam habeant ordinati prae aliis. Sed in apertione et clausione ostiorum non habent aliam potestatem ostiarii quam alii homines. Ergo non debet poni actus ipsorum.

Respondeo dicendum quod, cum consecratio quae fit in ordinis sacramento, ordinetur ad sacramentum Eucharistiae, ut dictum est *; ille est principalis actus uniuscuiusque ordinis secundum quem magis proxime ordinatur ad Eucharistiae sacramentum. Et secundum hoc etiam unus ordo est alio eminentior, secundum quod unus actus magis de proximo ad praedictum sacramentum ordinatur. Sed quia ad Eucharistiae sacramentum, quasi dignissimum, multa ordinantur; ideo non est inconveniens ut, praeter principalem actum, etiam multos actus unus ordo habeat; et tanto plures quanto est eminentior, quia virtus, quanto est superior, tanto ad plura se extendit.

* Art. 2.

Ad primum ergo dicendum quod duplex est praeparatio suscipientium sacramentum. Quaedam remota: et haec per ministros efficitur. Quaedam proxima, qua statim efficiuntur idonei ad sacramentorum susceptionem. Et haec pertinet ad sacerdotes. Quia etiam in naturalibus ab eodem agente fit materia in ultima dispositione ad formam, et recipit formam. Et quia in proxima dispositione ad Eucharistiam fit aliquis per hoc quod a peccatis purgatur, ideo omnium sacramentorum quae sunt instituta principaliter ad purgationem peccatorum, est minister proprius sacerdos: scilicet baptismi, poenitentiae et extremae unctionis.

Ad secundum dicendum quod actus aliqui immediate ad Deum ordinantur dupliciter. Uno modo, ex parte unius personae tantum, sicut facere orationes singulares, et vovere, et huiusmodi. Et talis actus competit cuilibet baptizato. – Alio modo, ex parte totius Ecclesiae. Et sic solus sacerdos habet actus immediate ad Deum ordinatos: quia ipse solus potest gerere personam totius Ecclesiae qui consecrat Eucharistiam, quae est sacramentum universalis Ecclesiae.

Ad tertium dicendum quod oblationes a populo oblatae per sacerdotem offeruntur. Et ideo duplex ministerium circa oblationes est necessarium. Unum ex parte populi: et hoc est subdiaconi, qui accipit oblationes a populo et altari imponit, vel offert diacono. Aliud ex parte sacerdotis: et hoc diaconi est, qui oblationes ministrat ipsi sacerdoti. Et in hoc est actus principalis utriusque ordinis. Et propter hoc ordo diaconi est superior. – Legere autem epistolam non est actus diaconi: nisi secundum quod actus inferiorum ordinum superioribus attribuuntur. – Similiter etiam crucem ferre. Et hoc secundum consuetudinem aliquarum ecclesiarum: quia in actibus secundariis non est inconveniens diversas consuetudines esse.

Ad quartum dicendum quod doctrina est remota praeparatio ad sacramentum suscipiendum: et ideo pronuntiatio doctrinae ministris committitur. Sed doctrina veteris Testamenti adhuc est magis remota quam doctrina novi: quia non instruit de hoc sacramento nisi in figuris. Et ideo novum Testamentum superioribus ministris pronuntiandum committitur, vetus autem inferioribus. Doctrina etiam novi Testamenti perfectior est quam Dominus per seipsum tradidit, quam ipsius manifestatio per Apostolos. Et ideo Evangelium diaconis, epistola subdiaconis committuntur.

Et secundum hoc patet solutio ad quintum.

Ad sextum dicendum quod acolythi habent actum super urceolum tantum, non super ea quae in urceolo continentur. Sed subdiaconus habet actum super contentis in urceolo: quia utitur aqua et vino ad ponendum in calice, et aquam iterum manibus sacerdotis praebet. Et diaconus, sicut et subdiaconus, solum actum habet super calicem, non super contenta: sed sacerdos super contenta. Et ideo, sicut subdiaconus in sui ordinatione accipit calicem vacuum, sacerdos plenum; ita acolythus urceolum vacuum, sed subdiaconus plenum. Et sic est quaedam connexio in ordinibus.

Ad septimum dicendum quod corporales actus acolythi magis de proximo ordinantur ad actum sacrorum ordinum quam actus exorcistarum, quamvis sit aliquo modo spiritualis: quia acolythi habent ministerium super vasa in quibus materia sacramenti continetur, quantum ad vinum, quod vase continente indiget propter sui humiditatem. Et ideo inter minores ordines ordo acolythorum superior est.

Ad octavum dicendum quod actus acolythorum se habet propinquius ad actus principales superiorum ministrorum quam actus aliorum minorum ordinum, ut per se patet. Et similiter etiam quantum ad actus secundarios, quibus populum per doctrinam disponunt: quia acolythus doctrinam novi Testamenti visibiliter figurat lumen portans, sed lector recitando figuras alias. Ideo acolythus est superior. – Similiter etiam exorcista. Quia, sicut se habet actus lectorum ad actum secundarium diaconi et subdiaconi, ita se habet actus exorcistae ad secundarium actum sacerdotis, scilicet ligare et solvere, per quem totaliter homo a servitute diaboli liberatur.

Et in hoc patet ordinatissimus ordinis progressus. Quia sacerdoti, quantum ad actum eius principalem, scilicet consecrare corpus Christi, cooperantur tantum tres superiores ordines. Sed quantum ad actum eius secundarium, qui est absolvere et ligare, cooperantur superiores et inferiores.

Ad nonum dicendum quod quidam * dicunt quod in susceptione ordinis ostiario datur quaedam vis divina ut arcere possit aliquos ab introitu templi, sicut in Christo fuit quando eiecit vendentes de Templo *. – Sed hoc magis pertinet ad gratiam gratis datam quam ad gratiam sacramenti.

* B. Albert. IV *Sent.*, dist. xxiv, art. 16, ad 3; art. 17, ad ult.

* Ioan. cap. II, vers. 15.

Et ideo dicendum quod suscipit potestatem ut ex officio hoc agere possit: quamvis etiam et hoc ab aliis fieri possit, sed non ex officio. Et ita est in omnibus actibus minorum ordinum, quod possunt per alios licite fieri, quamvis illi ad hoc non habeant officium. Sicut etiam in domo non consecrata potest dici missa, quamvis consecratio ecclesiae ad hoc ordinetur ut in ea missa dicatur.

ART. V. Utrum sacerdoti character imprimatur in ipsa calicis porrectione

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod sacerdoti character non imprimatur in ipsa calicis porrectione. Quia consecratio sacerdotis fit cum quadam unctione, sicut et confirmatio. Sed in confirmatione in ipsa unctione imprimitur character. Ergo et in sacerdotio: et non in calicis porrectione.

2. Praeterea, Dominus dedit discipulis sacerdotalem potestatem quando dixit: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata,* etc., Ioan. xx *. Sed Spiritus datur per manus impositionem. Ergo in ipsa manus impositione imprimitur character ordinis.

* Vers. 22, 23.

3. Praeterea, sicut consecrantur ministri, ita et vestes ministrorum. Sed vestes sola benedictio consecrat. Ergo in ipsa benedictione episcopi consecratio sacerdotis efficitur.

4. Praeterea, sicut sacerdoti datur calix, ita et vestis sacerdotalis. Ergo, si in datione calicis imprimitur character, eadem ratione et in datione casulae. Et sic haberet duos characteres: quod falsum est.

5. Praeterea, ordo diaconi conformior est ordini sacerdotis quam ordo subdiaconi. Sed, si character imprimeretur sacerdoti in ipsa calicis porrectione, subdiaconus conformior esset sacerdoti quam diaconus: quia subdiaconus characterem recipit in ipsa calicis porrectione, non autem diaconus. Ergo character sacerdotalis non imprimitur in ipsa calicis porrectione.

6. Praeterea, acolythorum ordo magis appropinquat ad actum sacerdotis per hoc quod habet actum super urceolum, quam per hoc quod habet actum super candelabrum. Sed magis imprimitur character in acolythatu quando accipiunt candelabrum, quam quando accipiunt urceum: quia nomen *acolythi* cerei portationem significat *. Ergo et in sacerdotio non imprimitur character quando calicem accipit.

* Mag. dist. xxiv, cap. *Quarto loco*; can. *Cleros*, dist. XXI; Isidor. *Etymol.* lib, VII, cap. xii, n. 29.

Sed contra, principalis actus ordinis sacerdotis est con-

secrare corpus Christi. Sed ad hoc datur sibi potestas in acceptione calicis. Ergo tunc imprimitur character.

* Art. 4, ad 1.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, eiusdem est formam aliquam inducere, et materiam de proximo praeparare ad formam. Unde episcopus in collatione ordinum duo facit: praeparat enim ordinandos ad ordinis susceptionem; et ordinis potestatem tradit.

Praeparat quidem et instruendo eos de proprio officio; et aliquid circa eos operando ut idonei sint potestatem accipiendi. Quae quidem operatio in tribus consistit: scilicet benedictione, manus impositione, et unctione. Per benedictionem divinis obsequiis mancipantur. Et ideo benedictio omnibus datur. – Sed per manus impositionem datur plenitudo gratiae, per quam ad magna officia sunt idonei. Et ideo solis diaconibus et sacerdotibus fit manus impositio, quia eis competit dispensatio sacramentorum: quamvis uni sicut principali, alteri sicut ministro. – Sed unctione ad aliquod sacramentum tractandum consecrantur. Et ideo unctio solis sacerdotibus fit, qui propriis manibus corpus Christi tangunt: sicut etiam calix inungitur, qui tenet sanguinem, et patena, quae continet corpus.

Sed potestatis collatio fit per hoc quod datur eis aliquid quod ad proprium actum pertinet. Et quia principalis actus sacerdotis est consecrare corpus et sanguinem Christi, ideo in ipsa datione calicis, sub forma verborum determinata, character sacerdotalis imprimitur.

Ad primum ergo dicendum quod in confirmatione non datur officium operandi super aliquam materiam exteriorem. Et ideo character ibi non imprimitur in aliqua exhibitione alicuius rei, sed in sola manus impositione et unctione. Sed in ordine sacerdotali aliter est. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum quod Dominus discipulis dedit potestatem sacerdotalem quantum ad principalem actum, ante passionem in Cena, quando dixit *: *Accipite et manducate*. Unde subiunxit *: *Hoc facite in meam commemorationem*. Sed post resurrectionem dedit eis potestatem sacerdotalem quantum ad actum secundarium, qui est ligare et solvere.

* I *ad Cor.*, cap. xi, vers. 24.
* Ibid.; et Luc. cap. xxii, vers 19.

Ad tertium dicendum quod in vestibus non requiritur alia consecratio nisi quod divino cultui mancipentur. Et ideo sufficit eis pro consecratione benedictio. Sed aliter est de ordinatis, ut ex dictis * patet.

* In corpore.

Ad quartum dicendum quod vestis sacerdotalis non significat potestatem sacerdoti datam, sed idoneitatem quae in eo requiritur ad actum potestatis exequendum. Et ideo nec sacerdoti nec alicui alii imprimitur character in alicuius vestis datione.

Ad quintum dicendum quod potestas diaconi est media inter potestatem subdiaconi et sacerdotis: sacerdos enim directe habet potestatem super corpus Christi, subdiaconus autem super vasa tantum, sed diaconus super corpus in vase contentum. Unde eius non est tangere corpus Christi, sed portare corpus in patena, et dispensare sanguinem cum calice. Et ideo eius potestas ad actum principalem non potuit exprimi nec per dationem vasis tantum, nec per dationem materiae. Sed exprimitur potestas eius ad actum secundarium, in hoc quod datur ei liber Evangeliorum: et in hac potestate intelligitur alia. Et ideo in ipsa libri datione imprimitur character.

Ad sextum dicendum quod principalior actus acolythi est quo ministrat in urceolo quam quo ministrat in candelabro: quamvis denominetur ab actu secundario, propter hoc quod est magis notus et magis proprius ei. Et ideo in datione urceoli imprimitur acolytho character, virtute verborum ab episcopo prolatorum.

QUAESTIO TRIGESIMAOCTAVA

DE CONFERENTIBUS HOC SACRAMENTUM

Deinde considerandum est de conferentibus hoc sacramentum *.

* Cf. qu. xxxiv, Introd.

Circa quod quaeruntur duo.

Primo: utrum solus episcopus possit hoc sacramentum conferre.

Secundo: utrum haereticus, vel quicumque ab Ecclesia praecisus, possit hoc sacramentum conferre.

ART. I. utrum tantum episcopus ordinis sacramentum conferat

Part. III, qu. lxv, art. 3, ad 2; IV *Sent.*, dist. vii, qu. iii, art. 1, qua 3; dist. xiii, qu. 1, art. 1, qua 2, ad 2; *Quodl.* IV, qu. vii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non tantum episcopus ordinis sacramentum conferat. Quia manus impositio ad consecrationem aliquid facit. Sed sacerdotibus qui ordinantur non solum episcopus manus imponit, sed etiam sacerdotes adstantes. Ergo non solus episcopus confert ordinis sacramentum.

2. Praeterea, tunc unicuique datur potestas ordinis quando ei exhibetur quod ad actum sui ordinis pertinet. Sed subdiacono datur urceolus cum aqua, bacili et manutergio, ab archidiacono: similiter acolythis candelabrum cum cereo et urceolus vacuus. Ergo non solus episcopus confert ordinis sacramentum.

3. Praeterea, illa quae ordinis sunt, non possunt alicui committi qui non habet ordinem. Sed conferre ordines minores committitur aliquibus qui non sunt episcopi, sicut presbyteris Cardinalibus. Ergo conferre ordines non est episcopalis ordinis.

4. Praeterea, *cuicumque committitur principale, et accessorium* *. Sed ordinis sacramentum ordinatur ad Eucharistiam sicut accessorium ad principale. Cum ergo sacerdos consecret Eucharistiam, ipse etiam poterit ordines conferre.

* Cf. cap. *Prudentiam tuam, de Offic. et Potest. Iud. deleg.*

5. Praeterea, plus distat sacerdos a diacono quam episcopus ab episcopo. Sed episcopus potest consecrare episcopum. Ergo et sacerdos potest promovere diaconum.

Sed contra, nobiliori modo applicantur ad divinum cultum ministri per ordines quam vasa sacra. Sed consecratio vasorum pertinet ad solum episcopum. Ergo multo fortius consecratio ministrorum.

2. Praeterea, sacramentum ordinis est excellentius quam confirmationis. Sed solus episcopus confirmat. Ergo multo magis solus confert ordinis sacramentum.

3. Praeterea, virgines per benedictionem non constituuntur in aliquo gradu spiritualis potestatis, sicut ordinati constituuntur. Sed virgines benedicere est solius episcopi. Ergo multo magis solus ipse potest aliquos ordinare.

Respondeo dicendum quod potestas episcopalis habet se ad potestatem ordinum inferiorum sicut politica, quae coniectat bonum commune, ad inferiores artes et virtutes, quae coniectant aliquod bonum speciale, ut ex dictis * patet. Politica autem, ut dicitur in I *Ethic.* *, ponit legem inferioribus artibus: scilicet, quis quam debeat exercere, et quantum et qualiter. Et ideo ad episcopum pertinet in omnibus divinis ministeriis alios collocare. Unde ipse solus confirmat: quia confirmati in quodam officio confitendi fidem constituuntur. Ideo etiam solus ipse virgines benedicit, quae figuram gerunt Ecclesiae Christo desponsatae, cuius cura ipsi principaliter committitur. Ipse etiam in ministeriis ordinum ordinandos consecrat, et vasa quibus debent uti eis determinat sua consecratione: sicut et officia saecularia in civitatibus distribuuntur ab eo qui habet excellentiorem potestatem, sicut a rege.

* Dist. xxiv, qu. iii, art. 2, qua 3.
* Cap. ii, n. 6. – S. Th. lect. ii.

Ad primum ergo dicendum quod in impositione manuum non datur character sacerdotalis ordinis, ut ex dictis * patet, sed gratia secundum quam ad exequendum ordinem sint idonei. Et quia indigent amplissima gratia, ideo sacerdotes manus cum episcopo imponunt eis qui in sacerdotes promoventur: sed diaconis solus episcopus.

* Qu. xxxvii, art. 5.

Ad secundum dicendum quod, quia archidiaconus est quasi *princeps ministerii*, ideo omnia quae ad ministerium pertinent ipse tradit: sicut cereum, quo acolythus diacono servit ante Evangelium ipsum portando, et urceum, quo servit subdiacono; et similiter dat subdiacono ea quibus superioribus ordinibus servit. Sed tamen in illis non consistit principalis actus subdiaconi, sed in hoc quod cooperatur circa materiam sacramenti. Et ideo characterem accipit in eo quod datur ei calix ab episcopo. Sed acolythus accipit characterem ex verbis episcopi in hoc quod accipit praedicta ab archidiacono: et magis in acceptione urcei quam candelabri. Unde non sequitur quod archidiaconus ordinem conferat.

Ad tertium dicendum quod Papa, qui habet plenitudinem potestatis pontificalis, potest committere non-episcopo ea quae ad episcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum corpus Christi. Et ideo ex eius commissione aliquis sacerdos simplex potest conferre minores ordines et confirmare: non autem aliquis non sacerdos. Nec iterum sacerdos maiores ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet maiorem potestatem quam simplex sacerdos.

Ad quartum dicendum quod, quamvis sacramentum Eucharistiae sit maximum sacramentum in se, tamen non collocat in aliquo officio, sicut ordinis sacramentum. Et ideo non est similis ratio.

Ad quintum dicendum quod ad communicandum alteri quod quis habet, non exigitur solum propinquitas, sed completio potestatis. Et quia sacerdos non habet completam potestatem in hierarchicis officiis, sicut episcopus, ideo non sequitur quod possit diaconos facere, quamvis ille ordo sit sibi propinquus.

ART. II. Utrum haeretici et ab Ecclesia praecisi possint ordines conferre

Part. III, qu. lxiv, art. 9.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod haeretici et ab Ecclesia praecisi non possint ordines conferre. Maius est enim conferre ordines quam aliquem absolvere vel ligare. Sed haereticus non potest absolvere aut ligare *. Ergo nec ordines conferre.

* Cf. qu. xix, art. 6.

2. Praeterea, sacerdos ab Ecclesia separatus conficere potest quia in eo character indelebiliter manet, per quem hoc potest. Sed episcopus non accipit aliquem characterem in sui promotione. Ergo non est necesse quod episcopalis potestas remaneat in eo post separationem eius ab Ecclesia.

3. Praeterea, in nulla communitate ille qui a communitate expellitur potest officia communitatis disponere. Sed ordines sunt quaedam officia Ecclesiae. Ergo ille qui extra Ecclesiam ponitur non potest ordines conferre.

4. Praeterea, sacramenta habent efficaciam ex passione Christi *. Sed haereticus non continuatur passioni Christi: neque per propriam fidem, cum sit infidelis; neque per fidem Ecclesiae, cum sit ab Ecclesia separatus. Ergo non potest sacramentum ordinis conferre.

* Part. III, qu. lxii, art. 5.

5. Praeterea, in ordinis collatione exigitur benedictio. Sed haereticus non potest benedicere: quinimmo benedictio sua in maledictionem convertitur, ut patet per auctoritates in littera * inductas. Ergo non potest ordines conferre.

* Dist. xxv, cap. *Solet etiam.* - Cf. dist. xix, cap. *Praemissae.*

Sed contra est quod aliquis episcopus in haeresim lapsus, quando reconciliatur, non iterum reconsecratur. Ergo non amisit potestatem quam habebat ordines conferendi.

2. Praeterea, maior est potestas conferendi ordines quam potestas ordinum. Sed potestas ordinum non amittitur propter haeresim vel aliquod huiusmodi *. Ergo nec potestas conferendi ordines.

* Cf. Part. III, qu. lxiv, art. 9.

3. Praeterea, sicut baptizans exhibet tantum ministerium exterius, ita et conferens ordines, Deo interius operante. Sed nulla ratione aliquis ab Ecclesia praecisus amittit baptizandi potestatem. Ergo nec ordines conferendi.

Respondeo dicendum quod circa hoc ponuntur in littera * quatuor opiniones. Quidam * enim dixerunt quod haeretici, quandiu ab Ecclesia tolerantur, habent potestatem ordines conferendi, non autem postquam fuerunt praecisi: similiter nec degradati et alii huiusmodi. Et haec est prima opinio.

* Dist. xxv, cap. *Haec autem.*
* Cf. Gratian. Append. ad canon. *Quod quidam*, caus. I, qu. 1.

Sed hoc non potest esse. Quia omnis potestas quae datur cum aliqua consecratione, nullo casu contingente tolli potest, sicut nec ipsa consecratio annullari: quia etiam altare vel chrisma semel consecrata perpetuo consecrata manent. Unde, cum episcopalis potestas cum quadam consecratione detur, oportet quod perpetuo maneat, quantumcumque aliquis peccet, vel ab Ecclesia praecidatur.

Et ideo alii * dixerunt quod praecisi ab Ecclesia qui in Ecclesia episcopalem potestatem habuerunt, retinent potestatem alios ordinandi et promovendi, sed promoti ab eis hoc non habent. Et haec est quarta opinio.

* Cf. Gratian. Append. ad can. *Per illicitam*, caus. IX, qu. 1. - Vide s. Raym. *Summ.* tit. V, *de Haeret.* etc., § vi, cont. Ioan. et Roffred.

Sed hoc non potest esse. Quia si illi qui fuerunt in Ecclesia promoti, retinent potestatem quam acceperunt, patet quod, exequendo suam potestatem, veram consecrationem faciunt. Et ideo vere tribuunt omnem potestatem quae cum consecratione datur. Et sic ordinati ab eis, vel promoti, habent eandem potestatem quam et ipsi.

Et ideo alii dixerunt quod etiam praecisi ab Ecclesia possunt ordines conferre et alia sacramenta, dummodo formam debitam et intentionem servent, et quantum ad primum effectum, qui est collatio sacramenti, et quantum ad ultimum, qui est collatio gratiae. Et haec est secunda opinio.

Sed hoc etiam non potest stare. Quia ex hoc ipso quod aliquis haeretico praeciso ab Ecclesia in sacramentis communicat, peccat. Et ita fictus accedit, et gratiam consequi non potest: nisi forte in baptismo in articulo necessitatis.

Et ideo alii * dicunt quod vera sacramenta conferunt, sed cum eis gratiam non dant: non propter inefficaciam sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis sacramenta contra prohibitionem Ecclesiae. Et haec est tertia opinio, quae vera est.

* Cf. Gratian. Append. ad canon. *Quod quidam*, caus. I, qu. 1.

Ad primum ergo dicendum quod effectus absolutionis non est aliud quam remissio peccatorum, quae per gratiam fit. Et ideo haereticus non potest absolvere: sicut nec gratiam in sacramentis conferre. Et iterum ad absolutionem requiritur iurisdictio, quam non habet ab Ecclesia praecisus.

Ad secundum dicendum quod in promotione episcopi datur sibi potestas quae perpetuo manet in eo: quamvis dici non possit character *, quia per eam non ordinatur homo directe ad Deum, sed ad corpus Christi mysticum. Et tamen indelebiliter manet sicut character, et per consecrationem datur.

* Cf. infra, qu. xl, art. 5, ad 2.

Ad tertium dicendum quod illi qui promoventur ab haereticis, quamvis accipiant ordinem, non tamen recipiunt executionem, ut licite possint in suis ordinibus ministrare, ratione illa quam obiectio tangit.

Ad quartum dicendum quod per fidem Ecclesiae continuatur passioni Christi. Quia, quamvis in ea non sint secundum se, sunt tamen in ea secundum formam Ecclesiae, quam servant.

Ad quintum dicendum quod hoc est referendum ad ultimum effectum sacramentorum, ut tertia opinio dicit *.

* Cf. corp.

QUAESTIO TRIGESIMANONA

DE IMPEDIMENTIS HUIUS SACRAMENTI

Deinde considerandum est de impedimentis huius sacramenti *.

* Cf. qu. xxxiv, Introd.

Circa quod quaeruntur sex.

Primo: utrum sexus femineus impediat huius sacramenti susceptionem.
Secundo: utrum carentia usus rationis.
Tertio: utrum servitus.
Quarto: utrum homicidium.
Quinto: utrum illegitima nativitas.
Sexto: utrum defectus membrorum.

ART. I. Utrum sexus femineus impediat ordinis susceptionem

IV *Sent.*, dist. xxv, qu. ii, art. 2, qª 1, ad 4.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod sexus femineus non impediat ordinis susceptionem. Quia officium prophetiae est maius quam officium sacerdotis: quia propheta est medium inter Deum et sacerdotes, sicut sacerdos est inter Deum et populum *. Sed prophetiae officium aliquando mulieribus est concessum: ut patet IV *Reg.* *. Ergo et sacerdotii officium eis competere potest.

* *Ad Heb.* cap. v, vers. 1.
* Cap. xxii, vers. 14 sqq.

2. Praeterea, sicut ordo ad quandam perfectionem pertinet, ita et praelationis officium, et martyrium, et religionis status. Sed praelatio committitur mulieribus in novo Testamento, ut patet de abbatissis: et in veteri, ut patet de Debbora, quae iudicavit Israel, *Iudic.* iv *. Competit etiam eis martyrium, et religionis status. Ergo et ordo Ecclesiae.

* Vers. 4 sqq.

3. Praeterea, ordinum potestas in anima fundatur. Sed sexus non est in anima. Ergo diversitas sexus non facit distinctionem in receptione ordinum.

Sed contra est quod dicitur I Tim. II *: *Mulierem in Ecclesia docere non permitto, nec dominari in virum.*

* Vers. 12. - Cf. I *Cor.*, cap. XIV, vers. 34.

2. Praeterea, in ordinandis praeexigitur corona: quamvis non de necessitate sacramenti. Sed corona et tonsura non competunt mulieribus: ut patet I *Cor.* XI *. Ergo nec ordinum susceptio.

* Vers. 6.

Respondeo dicendum quod quaedam requiruntur in recipiente sacramentum quasi de necessitate sacramenti: quae si desunt, non potest aliquis suscipere neque sacramentum neque rem sacramenti. Quaedam vero requiruntur non de necessitate sacramenti, sed de necessitate praecepti, propter congruitatem ad sacramentum. Et sine talibus aliquis suscipit sacramentum, sed non rem sacramenti. Dicendum ergo quod sexus virilis requiritur ad susceptionem ordinum non solum secundo modo, sed etiam primo. Unde, etsi mulieri exhibeantur omnia quae in ordinibus fiunt, ordinem non suscipit. Quia, cum sacramentum sit signum, in his quae in sacramento aguntur requiritur non solum res, sed signum rei: sicut dictum est * quod in extrema unctione exigitur quod sit infirmus ut significetur curatione indigens. Cum igitur in sexu femineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quia mulier statum subiectionis habet; ideo non potest ordinis sacramentum suscipere.

* Qu. XXXII, art. I.

Quidam autem dixerunt quod sexus virilis est de necessitate praecepti, sed non de necessitate sacramenti, quia etiam in Decretis * fit mentio de *diaconissa* et *presbytera.* – Sed diaconissa dicitur quae in aliquo actu diaconi participat, sicut quae legit homiliam in ecclesia *. Presbytera autem dicitur vidua *, quia *presbyter* idem est quod *senior.*

* Can. *Mulieres*, dist. XXXII; can. *Diaconissam*, caus. XXVII, qu. I.
* Cf. Gloss. in can. *Diaconissam.*
* Cf. can. *Mulieres.*

Ad primum ergo dicendum quod prophetia non est sacramentum, sed Dei donum. Unde ibi non exigitur significatio, sed solum res. Et quia secundum rem in his quae sunt animae mulier non differt a viro, cum quandoque mulier inveniatur melior quantum ad animam viris multis; ideo donum prophetiae et alia huiusmodi potest recipere, sed non ordinis sacramentum.

Et per hoc patet solutio ad secundum et tertium.

De abbatissis tamen dicitur quod non habent praelationem ordinariam, sed quasi ex commissione, propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres. – Debbora autem in temporalibus praefuit, non in sacerdotalibus: sicut et nunc possunt mulieres temporaliter dominari.

ART. II. Utrum pueri, et qui carent usu rationis, possint ordines suscipere

IV *Sent.*, dist. VII, qu. III, art. 2, qa 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod pueri, et qui carent usu rationis, non possint ordines suscipere. Quia, ut in littera * dicitur, sacri canones in suscipientibus ordines certum et determinatum tempus statuerunt aetatis. Sed hoc non esset si pueri recipere possent ordinis sacramentum. Ergo, etc.

* Dist. XXV, cap. *Sacri inquit.*

2. Praeterea, ordinis sacramentum est dignius quam matrimonium. Sed pueri, et alii carentes usu rationis, non possunt contrahere matrimonium. Ergo nec ordines suscipere.

3. Praeterea, *cuius est potentia, eius est actus*: secundum Philosophum, in libro *de Somno et Vigilia* *. Sed actus ordinis requirit usum rationis. Ergo et ordinum potestas.

* Cap. I. - S. Th. lect. I.

Sed contra, ille qui est ante annos discretionis promotus ad ordines, sine iteratione ipsorum quandoque in eis conceditur ministrare: ut patet Extra, *de Clerico per saltum promoto* *. Hoc autem non esset si ordinem non suscepisset. Ergo puer potest ordines suscipere.

* Cap. unic.

2. Praeterea, alia sacramenta in quibus character imprimitur, possunt pueri suscipere, ut baptismum et confirmationem. Ergo pari ratione et ordines.

Respondeo dicendum quod per pueritiam et alios defectus quibus tollitur usus rationis, praestatur impedimentum actui. Et ideo omnia illa sacramenta quae actum requirunt suscipientis sacramentum, talibus non competunt: sicut poenitentia, matrimonium et huiusmodi. Sed quia potestates infusae sunt priores actibus, sicut et naturales, quamvis acquisitae sunt posteriores; remoto autem posteriori non tollitur prius: ideo omnia sacramenta in quibus non requiritur actus suscipientis de necessitate sacramenti, sed potestas aliqua spiritualis divinitus datur, possunt pueri suscipere, et alii qui usu rationis carent; hac tamen distinctione habita, quod in minoribus ordinibus requiritur discretionis tempus de honestate, propter dignitatem sacramenti, sed non de necessitate praecepti neque de necessitate sacramenti. Unde aliqui, si necessitas adsit et spes profectus, ad minores ordines possunt ante annos discretionis promoveri sine peccato, et suscipient ordinem: quia, quamvis tunc non sint idonei ad officia quae eis committuntur, tamen per assuefactionem idonei reddentur. – Sed ad maiores ordines requiritur usus rationis et de honestate et necessitate praecepti: propter votum continentiae, quod habent annexum; et quia etiam eis sacramenta tractanda committuntur. – Sed ad episcopatum, ubi in corpus mysticum accipitur potestas, requiritur actus suscipientis curam pastoralem. Et ideo est etiam de necessitate consecrationis episcopalis quod usum rationis habeat.

Quidam autem dicunt quod ad omnes ordines requiritur usus rationis de necessitate sacramenti. Sed eorum dictum ratione vel auctoritate non confirmatur.

Ad primum ergo dicendum quod non omne quod est de necessitate praecepti, est de necessitate sacramenti, ut dictum est *.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod matrimonium causat consensus, qui sine usu rationis esse non potest. Sed in receptione ordinis non requiritur aliquis actus ex parte recipientis. Quod patet ex hoc quod nullus actus ex parte eorum exprimitur in eorum consecratione. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum quod eiusdem est actus et potentia: sed tamen aliquando potentia praecedit, sicut liberum arbitrium usum suum. Et sic est in proposito.

ART. III. Utrum servitus impediat aliquem a susceptione ordinum

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod servitus non impediat aliquem a susceptione ordinum. Subiectio enim corporalis non repugnat praelationi spirituali. Sed in servo est subiectio corporalis. Ergo non impeditur quin debeat suscipere praelationem spiritualem, quae in ordine datur.

2. Praeterea, illud quod est occasio humilitatis, non debet impedire susceptionem alicuius sacramenti. Sed servitus est huiusmodi: unde Apostolus consuluit quod, *si aliquis possit, magis utatur servitute,* I *Cor.* VII *. Ergo non debet impedire a promotione ordinis.

* Vers. 21.

3. Praeterea, magis est turpe clericum in servum vendi, quam servum in clericum promoveri. Sed licite clericus in servum vendi potest: quia episcopus Nolanus, scilicet beatus Paulinus, seipsum in servum vendidit, ut in *Dialogis* * legitur. Ergo multo fortius potest servus in clericum promoveri.

* S. Greg. *Dialog.* lib. III, cap. I.

Sed contra, videtur quod impediat quantum ad necessitatem sacramenti. Quia mulier non potest suscipere sacramentum ratione subiectionis. Sed maior subiectio est in servo: quia mulier non datur viro in ancillam; propter quod, non est de pedibus sumpta *. Ergo et servus sacramentum non suscipit.

* *Gen.* cap. II, vers. 21, 22.

2. Praeterea, aliquis ex quo suscipit ordinem, tenetur in ordine ministrare. Sed non potest simul ministrare domino suo carnali, et in spirituali ministerio. Ergo videtur quod non possit ordinem suscipere: quia dominus debet conservari indemnis.

Respondeo dicendum quod in susceptione ordinis mancipatur homo divinis officiis. Et quia nullus potest dare quod suum non est, ideo servus, qui non habet potestatem sui, non potest ad ordines promoveri. Si tamen pro-

movetur, ordinem suscipit: quia libertas non est de necessitate sacramenti, sed de necessitate praecepti *; cum non impediat potestatem, sed actum tantum. Et similis ratio est de omnibus qui sunt aliis obligati: ut ratiociniis detenti *, et huiusmodi personae.

* Can. *Nullus episcoporum*, dist. LIV; cap. *Ut filii, de Filiis presbyt.* etc.; cap. *Consuluit nos, de Servis non ordinand.* etc.
* *De Obligatis ad ratioc.*, cap. unic.

Ad primum ergo dicendum quod in susceptione spiritualis potestatis est aliqua obligatio ad aliqua etiam corporaliter agenda. Et ideo per corporalem subiectionem impeditur.

Ad secundum dicendum quod ex multis aliis, quae non praestant impedimentum executioni ordinum, potest aliquis occasionem humilitatis accipere. Et ideo ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum quod beatus Paulinus ex abundantia caritatis, Spiritu Dei ductus, hoc fecit. Quod rei eventus probat: quia per eius servitutem multi de grege suo sunt de servitute liberati *. Et ideo non est ad consequentiam trahendum: quia, *ubi Spiritus Domini, ibi libertas,* II *Cor.* III *.

* Cf. loc. cit. in arg.
* Vers. 17.

Ad quartum * dicendum quod signa sacramentalia ex naturali similitudine repraesentant. Mulier autem habet subiectionem a natura, sed non servus. Et ideo non est simile.

* Arg. *Sed contra* 1.

Ad quintum * dicendum quod, si est promotus sciente domino et non reclamante, ex hoc ipso efficitur ingenuus *. Si autem eo nesciente, tunc episcopus et ille qui praesentavit tenentur domino in duplum quam sit pretium servi, si sciverunt ipsum esse servum *. Alias, si servus habeat peculium, debet seipsum redimere *: alioquin redigetur in servitutem domini sui, non obstante quod ordinem suum exequi non potest.

* Arg. *Sed contra* 2.
* Can. *Si servus*, dist. LIV.
* Ibid.
* Can. *Ex antiquis*, ibid.

ART. IV. Utrum propter homicidium aliquis debeat prohiberi a sacris ordinibus

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod propter homicidium aliquis non debeat prohiberi a sacris ordinibus. Quia ordines nostri sumpserunt initium a levitarum officio: ut in praecedenti distinctione * dictum est. Sed levitae *consecraverunt manus suas* in sanguinis effusione fratrum suorum, ut patet *Exod.* XXXII *. Ergo et in novo Testamento non debent aliqui ab assumptione ordinum prohiberi propter sanguinis effusionem.

* Dist. XXIV.
* Vers. 26 sqq.

2. Praeterea, propter actum virtutis nullus debet impediri ab aliquo sacramento. Sed aliquando sanguis effunditur per iustitiam, sicut a iudice: et peccaret habens officium si non effunderet. Ergo non impeditur propter hoc a sacramenti susceptione.

3. Praeterea, poena non debetur nisi culpae. Sed aliquis sine culpa quandoque homicidium committit: sicut se defendendo, vel etiam casualiter. Ergo non debet incurrere irregularitatis poenam.

Sed contra hoc sunt plura canonum statuta *, et Ecclesiae consuetudo.

* Can. *Miror* sqq., dist. L; cap. *Continebatur, de Homicid. volunt.* etc.

Respondeo dicendum quod omnes ordines referuntur ad Eucharistiae sacramentum, quod est sacramentum pacis nobis factae per effusionem sanguinis Christi. Et quia homicidium maxime contrariatur paci; et homicidae magis conformantur occidentibus Christum quam ipsi Christo occiso, cui omnes ministri praedicti sacramenti debent conformari: ideo de necessitate praecepti est quod non sit homicida qui ad ordines promovetur; quamvis non sit de necessitate sacramenti.

Ad primum ergo dicendum quod vetus lex inferebat poenam sanguinis, non autem nova lex. Et ideo non est simile de ministris veteris et novae legis, quae est *iugum suave et onus leve* *.

* Matth. cap. XI, vers. 30.

Ad secundum dicendum quod irregularitas non incurritur propter peccatum tantum, sed principaliter propter ineptitudinem personae ad sacramentum Eucharistiae ministrandum. Et ideo iudex, et omnes qui in causa sanguinis ei participant, sunt irregulares *, propter hoc quod effusio sanguinis non decet ministros dicti sacramenti.

* Can. *Si quis viduam*, dist. L. – Cf. Glossa. ibid.

Ad tertium dicendum quod nullus facit nisi illud cuius est causa, quod est voluntarium in homine. Et ideo ille qui ignorans hominem occidit homicidio casuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit: nisi operam dederit illicitae rei, vel nisi omiserit debitam diligentiam *, quia iam quodammodo efficitur voluntarium. Nec hoc est propter hoc quod culpa careat: quia etiam sine culpa incurritur irregularitas. Et ideo etiam ille qui, se defendendo in aliquo casu non peccat homicidium committendo, nihilominus irregularis est *.

* *De Homicid. volunt.* etc., cap. *Presbyterum*, et sqq.
* Can. *De his clericis*, dist. L.

ART. V. Utrum illegitime nati debeant impediri a susceptione ordinum

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod illegitime nati non debeant impediri a susceptione ordinum. Quia *filius non debet portare iniquitatem patris* *. Portaret autem si propter hoc impediretur ab ordinibus suscipiendis. Ergo, etc.

* Ezech. cap. XVIII, vers. 20.

2. Praeterea, magis impeditur aliquis propter defectum proprium quam alienum. Sed a susceptione ordinum propter illicitum concubitum suum non semper aliquis impeditur. Ergo nec propter illicitum concubitum patris sui.

Sed contra est quod dicitur *Deut.* XXIII *: *Non ingredietur mamzer, hoc est de scorto natus, ecclesiam Dei, usque in decimam generationem.* Ergo multo minus debet promoveri ad ordines.

* Vers. 2.

Respondeo dicendum quod ordinati in quadam dignitate prae aliis constituuntur. Ideo ex quadam honestate requiritur in eis claritas quaedam, non de necessitate sacramenti, sed de necessitate praecepti: ut scilicet sint bonae famae, bonis moribus ornati, non publice poenitentes *. Et quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa origine, ideo etiam ex illegitimo toro nati a susceptione ordinum repelluntur *, nisi cum eis dispensetur: et tanto est difficilior eorum dispensatio quanto eorum origo est turpior.

* Can. *Priscis*, et can. *Poenitentes*, dist. LV.
* Can. *Ut filii, de Filiis presbyt.*; cap. *Consuluit, de Servis non ordinand.* etc.

Ad primum ergo dicendum quod irregularitas non est poena iniquitati debita. Et ideo patet quod illegitime nati non portant iniquitatem patris ex hoc quod irregulares sunt.

Ad secundum dicendum quod ea quae per actum committuntur, possunt per poenitentiam et actum contrarium aboleri: non autem ea quae ex natura sunt. Et ideo non est simile de vitioso actu et de vitiosa origine.

ART. VI. Utrum propter defectum membrorum debeat aliquis impediri

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod propter defectum membrorum non debeat aliquis impediri. Quia *afflictio non debet addi afflicto* *. Ergo non debet privari ordinis gradu propter poenam corporalis defectus.

* Cf. cap. *Cum percussio, de Clerico aegrot.* etc.

2. Praeterea, plus exigitur ad actum ordinis integritas discretionis quam integritas corporis. Sed aliqui possunt promoveri ante annos discretionis *. Ergo et cum corporis defectu.

* Cf. art. 2.

Sed contra, tales prohibebantur a ministerio veteris legis *. Ergo multo fortius debent in nova prohiberi. – De bigamia vero dicetur in tractatu de matrimonio *.

* *Levit.* cap. XXI, vers. 17 sqq.
* Qu. LXVI.

Respondeo dicendum quod, sicut ex dictis * patet, aliquis efficitur ineptus ad susceptionem ordinum vel propter impedimentum actus, vel propter impedimentum claritatis personae. Et ideo patientes defectum in membris impediuntur a susceptione ordinis si sit talis defectus qui maculam notabilem inferat, per quem obscuretur personae claritas, ut abscissio nasi; vel periculum in executione facere possit. Alias non impeditur. Haec autem integritas exigitur de necessitate praecepti *, sed non de necessitate sacramenti.

* Art. 2, 5.
* Can. *Illiteratos*, dist. XXXVI.

Et per haec patet solutio ad obiecta.

QUAESTIO QUADRAGESIMA

DE HIS QUAE SUNT ANNEXA SACRAMENTO ORDINIS

Deinde considerandum est de his quae sunt annexa sacramento ordinis *.

* Cf. qu. XXXIV, Introd.

Et circa hoc quaeruntur septem.

Primo: utrum ordinati debeant habere coronae rasuram et tonsuram.

Secundo: utrum corona sit ordo.

Tertio: utrum per acceptionem coronae aliquis abrenuntiet corporalibus bonis.

Quarto: utrum supra sacerdotalem debet esse potestas episcopalis.

Quinto: utrum episcopatus sit ordo.

Sexto: utrum supra episcopos possit esse aliqua potestas superior.

Septimo: utrum vestes ministrorum convenienter sint institutae.

ART. I. UTRUM ORDINATI DEBEANT CORONAE RASURAM DEFERRE

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ordinati non debeant coronae rasuram habere. Quia Dominus comminatur captivitatem et dispersionem his qui sic attonduntur: ut patet *Deut.* XXXII *, *de captivitate inimicorum denudati capitis;* et Ierem. XLIX *, *Dispergam in omnem ventum eos qui attonsi sunt in comam.* Sed ministris Christi non debetur captivitas, sed libertas. Ergo coronae rasura et tonsura eis non competit.

* Vers. 42.
* Vers. 32.

2. PRAETEREA, veritas debet respondere figurae. Sed figura coronae praecessit in veteri lege in tonsura Nazaraeorum, sicut in littera * dicitur. Ergo, cum Nazaraei non essent ordinati ad ministerium divinum *, videtur quod ministris Ecclesiae non debeatur tonsura vel rasura coronae. Et hoc etiam videtur per hoc quod conversi, qui non sunt ministri Ecclesiae, tonduntur in religionibus.

* Dist. XXIV, cap. *Tales autem.*
* Cf. *Num.* cap. VI.

3. PRAETEREA, per capillos superflua significantur: quia capilli ex superfluis generantur. Sed ministri altaris omnem superfluitatem a se debent expellere. Ergo totaliter debent caput radere, et non in modum coronae.

SED CONTRA, quia, secundum Gregorium *, *servire Deo regnare est.* Sed corona est signum regni. Ergo illis qui ad divinum ministerium applicantur, corona competit.

* Hug. a S. Vict. *de Sacram.* lib. II, p. III, cap. I. - Cf. Greg. in Ps. CI (Poenitent. VI), vers. 23.

2. PRAETEREA, *capilli in velamen dati sunt:* ut patet I *Cor.* XI *. Sed ministri altaris debent habere mentem revelatam. Ergo competit eis rasura coronae.

* Vers. 15.

RESPONDEO DICENDUM quod eis qui ad divina ministeria applicantur competit rasura et tonsura in modum coronae, ratione figurae. Quia corona est signum regni et perfectionis: cum sit circularis. Illi autem qui divinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, et perfecti in virtute esse debent.

Competit etiam eis ratione subtractionis capillorum: et ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus a contemplatione divinorum retardetur; et ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obvolvantur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Dominus comminatur illis qui hoc ad cultum daemonum faciebant.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ea quae fiebant in veteri Testamento imperfecte repraesentant ea quae sunt in novo. Et ideo ea quae pertinent ad ministros novi Testamenti non solum significabantur per officia levitarum, sed per omnes illos qui aliquam perfectionem profitebantur. Nazaraei autem profitebantur perfectionem quandam in depositione comae, significantes temporalium contemptum. Quamvis non in modum coronae deponerent, sed omnino totum: quia nondum erat tempus regalis et perfecti sacerdotii.

Et similiter etiam conversi tonduntur propter renuntiationem temporalium. Sed non raduntur: quia non occupantur divinis ministeriis, in quibus divina oporteat eos mente contemplari.

AD TERTIUM DICENDUM quod non solum debet significari temporalium abiectio, sed etiam regalis dignitas in forma coronae. Et ideo non debet totaliter coma tolli. – Et etiam ne indecens videatur.

ART. II. UTRUM CORONA SIT ORDO

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod corona sit ordo. Quia in actibus Ecclesiae spiritualia corporalibus respondent. Sed corona est quoddam corporale signum quod Ecclesia adhibet. Ergo videtur quod significatum interius ei respondeat. Et ita in coronatione imprimetur character, et erit ordo.

2. PRAETEREA, sicut ab episcopo solum datur confirmatio et alii ordines, ita et corona. Sed in confirmatione et aliis ordinibus imprimitur character. Ergo et in corona. Et sic idem quod prius.

3. PRAETEREA, ordo importat quendam dignitatis gradum. Sed clericus, hoc ipso quod clericus est, in gradu supra populum constituitur. Ergo corona, per quam efficitur clericus, est aliquis ordo.

SED CONTRA, nullus ordo datur nisi in missae celebratione. Sed corona datur etiam absque officio missae. Ergo non est ordo.

2. PRAETEREA, in collatione cuiuslibet ordinis fit mentio de aliqua potestate data. Non autem in collatione coronae. Ergo non est ordo.

RESPONDEO DICENDUM quod ministri Ecclesiae a populo separantur ad vacandum divino cultui. In cultu autem divino quaedam sunt quae per potentias determinatas sunt exercenda: et ad hoc datur spiritualis potestas ordinis. Quaedam autem sunt quae communiter a toto ministrorum collegio fiunt: sicut dicere divinas laudes. Et ad hoc non praeexigitur aliqua potestas ordinis, sed solum quaedam deputatio ad tale officium. Et hoc fit per coronam. Et ideo non est ordo, sed praeambulum ad ordinem.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod corona habet interius aliquod spirituale quod ei respondet sicut signum significato. Sed haec non est aliqua spiritualis potestas. Et ideo in corona non imprimitur character, nec est ordo.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quamvis per coronam non imprimatur character, tamen deputatur homo ad divinum cultum. Et ideo talis deputatio debet fieri per summum ministrorum, scilicet per episcopum: qui etiam vestes benedicit et vasa et omnia quae ad divinum cultum applicantur.

AD TERTIUM DICENDUM quod ex hoc quod aliquis est clericus, est in altiori statu quam laicus: non tamen habet ampliorem potestatis gradum, quod ad ordinem requiritur.

ART. III. UTRUM PER ACCEPTIONEM CORONAE ALIQUIS RENUNTIET TEMPORALIBUS BONIS

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per acceptionem coronae aliquis renuntiet temporalibus bonis. Ipsi enim dicunt, cum coronantur: *Dominus pars hereditatis meae* *. Sed, sicut dicit Hieronymus **, *Dominus cum his temporalibus fieri dedignatur pars.* Ergo abrenuntiant temporalibus.

* Ps. XV, vers. 5.
** Ep. LII, al. II, *ad Nepotian.*

2. PRAETEREA, iustitia ministrorum novi Testamenti debet abundare super ministros veteris testamenti: ut patet Matth. V *. Sed ministri veteris Testamenti, scilicet levitae, *non acceperunt partem hereditatis cum fratribus suis* *. Ergo nec ministri novi Testamenti habere debent.

* Vers. 20.
* *Num.* cap. XVIII, vers. 20; *Deut.* cap. X, vers. 9; cap. XVIII, vers. 1.

3. PRAETEREA, Hugo dicit * quod, *postquam aliquis est factus clericus, deinceps debet stipendiis ecclesiae sustentari.* Sed hoc non esset si patrimonium suum retineret. Ergo videtur quod abrenuntiet in hoc quod clericus fit.

* *De Sacram.* lib. II, p. III, cap. 2.

SED CONTRA EST quod Ieremias fuit de ordine sacerdotali: ut patet Ierem. I *. Sed ipse habuit possessionem ex hereditatis iure: ut patet Ierem. XXXII *. Ergo clerici possunt habere patrimonialia bona.

* Vers. 1.
* Vers. 8 sqq.

2. PRAETEREA, si hoc non possent, non videretur tunc differentia inter religiosos et clericos saeculares.

RESPONDEO DICENDUM quod clerici, in hoc quod coronam accipiunt, non renuntiant patrimonio, nec aliis rebus temporalibus. Quia terrenorum possessio non contrariatur divino cultui, ad quem clerici deputantur, sed nimia eorum sollicitudo: quia, ut dicit Gregorius *, *affectus in crimine est.*

* *Moral.* lib. X, cap. XXX, al. XVII, in vet. XXVIII.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Dominus dedignatur pars fieri ut ex aequo cum aliis diligatur: ita scilicet quod aliquis ponat finem suum in Deo et in rebus mundi. Non tamen dedignatur fieri pars eorum qui res mundi ita possident quod per eas a cultu divino non retrahuntur.

AD SECUNDUM DICENDUM quod levitae in veteri Testamento habebant ius in hereditate paterna. Sed ideo non acceperunt partem cum aliis tribubus, quia erant per omnes tribus dispergendi *: quod fieri non potuisset si unam determinatam partem cepissent, sicut aliae tribus.

* Num. cap. XXXV, vers. 1-8; *Ios.* cap. XXI.

AD TERTIUM DICENDUM quod, si sint indigentes clerici ad sacros ordines promoti, episcopus qui eos promovit tenetur eis providere: alias non tenetur. Ipsi autem ex

ordine suscepto tenentur ecclesiae ministrare. Verbum autem Hugonis intelligitur de illis qui non habent unde sustententur.

ART. IV. UTRUM SUPRA SACERDOTALEM ORDINEM DEBEAT ESSE ALIQUA POTESTAS EPISCOPALIS

Part. III, qu. LXXXII, art. 1, ad 4; IV *Sent.*, dist. XXIII, qu. 1, art. 3, qu^a 3, ad 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXVI.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod supra sacerdotalem ordinem non debet esse aliqua potestas episcopalis. Sicut enim in littera * dicitur, *ordo sacerdotalis ab Aaron sumpsit exordium.* Sed in veteri lege nullus erat supra Aaron. Ergo nec in nova lege debet aliqua potestas esse supra sacerdotalem.

* Dist. XXIV, cap. *Septimus est.*

2. PRAETEREA, potestas ordinatur secundum actus. Sed nullus actus sacer potest esse maior quam consecrare corpus Christi, ad quod est potestas sacerdotalis. Ergo supra sacerdotalem potestatem non debet esse episcopalis.

3. PRAETEREA, sacerdos in offerendo gerit figuram Christi in Ecclesia, qui se Patri pro nobis obtulit. Sed in Ecclesia nullus est maior Christo: quia *ipse est caput Ecclesiae* *. Ergo nulla potestas debet esse supra sacerdotalem potestatem.

* *Ad Ephes.*, cap. I, vers. 22; cap. V, vers. 23.

SED CONTRA, potestas tanto est altior quanto ad plura se extendit. Sed potestas sacerdotalis, ut Dionysius dicit *, extendit se ad *purgandum* et *illuminandum* tantum; episcopalis autem ad hoc et ad *perficiendum.* Ergo supra sacerdotalem potestatem debet esse episcopalis.

* *Eccl. Hier.* cap. V, part. 1, § 7.

2. PRAETEREA, divina ministeria debent esse magis ordinata quam humana. Sed humanorum officiorum ordo exigit ut in quolibet officio praeponatur unus qui sit princeps illius officii: sicut praeponitur militibus dux. Ergo et sacerdotibus debet aliquis praeponi qui sit sacerdotum princeps. Et hic est episcopus. Ergo episcopalis potestas debet esse supra sacerdotalem.

RESPONDEO DICENDUM quod sacerdos habet duos actus: principalem, scilicet consecrare verum corpus Christi; et secundarium, scilicet praeparare populum ad susceptionem huius sacramenti, ut prius * dictum est. Quantum autem ad primum actum, actus sacerdotis non dependet ab aliqua superiori potestate nisi divina. Sed quantum ad secundum, dependet ab aliqua superiori potestate et humana. Omnis enim potestas quae non potest exire in actum nisi praesuppositis quibusdam ordinationibus, dependet ab illa potestate quae illas ordinationes facit. Sacerdos autem non potest absolvere et ligare nisi praesupposita praelationis iurisdictione, qua sibi subdantur illi quos absolvit. Potest autem consecrare quamlibet materiam a Christo determinatam, nec aliud requiritur, quantum est de necessitate sacramenti: quamvis ex quadam congruitate praesupponatur actus episcopalis in consecratione altaris vel vestium et huiusmodi. Et ita patet quod oportet esse supra sacerdotalem potestatem episcopalem quantum ad actum secundarium sacerdotis, non quantum ad primum.

* Qu. XXXVII, art. 2, 4.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Aaron sacerdos fuit et pontifex *, idest *sacerdotum princeps* **. Sumpsit ergo sacerdotalis potestas ab ipso exordium inquantum fuit sacerdos sacrificia offerens: quod etiam minoribus sacerdotibus licebat *. Sed non ab eo inquantum fuit pontifex: per quam potestatem poterat aliqua facere, ut *ingredi semel in anno sancta sanctorum,* quod aliis non licebat *.

* *Exod.* cap. XXV, vers. 19.
** Isidor. *Etymol.* lib. VIII, cap. XII. - Cf. *Levit.* cap. XXI, vers. 10.
* *Ad Heb.* cap. IX, vers. 8.
* Ibid. vers. 7. - Cf. *Exod.* cap. XXX, vers. 10; *Levit.* cap. XVI, vers. 2.

AD SECUNDUM DICENDUM quod quantum ad illum actum non est aliqua potestas superior, sed quantum ad alium, ut dictum est *.

* In corpore.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut omnium rerum naturalium perfectiones praeexistunt exemplariter in Deo, ita Christus fuit exemplar omnium officiorum ecclesiasticorum. Unde unusquisque minister Ecclesiae quantum ad aliquid gerit typum Christi, ut ex littera * patet: et tamen ille est superior qui secundum maiorem perfectionem Christum repraesentat. Sacerdos autem repraesentat Christum in hoc quod per seipsum aliquod ministerium implevit: sed episcopus in hoc quod alios ministros instituit et Ecclesiam fundavit. Unde ad episcopum pertinet mancipare aliquid divinis officiis, quasi cultum divinum ad similitudinem Christi statuens. Et propter hoc etiam episcopus specialiter *sponsus* dicitur ecclesiae, sicut et Christus *.

* Dist. XXIV, cap. I.
* Matth. cap. IX, vers. 15; Ioan. cap. III, vers. 29.

ART. V. UTRUM EPISCOPATUS SIT ORDO

IV *Sent.*, dist. VII, qu. III, art. 1, qu^a 2, ad 3; dist. XXIII, qu. I, art. 3, qu^a 3, ad 1; *De Perfect. Vitae Spirit.*, cap. XXIII; *Quodl.* III, qu. VI, art. 3, ad 5.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod episcopatus sit ordo. Primo, per hoc quod Dionysius * assignat hos tres ordines ecclesiasticae hierarchiae, episcopum, sacerdotem et ministrum. In littera * etiam dicitur quod *est ordo episcoporum quadripartitus.*

* *Eccl. Hier.* cap. V, p. I, § 6.
* Dist. XXIV, cap. *Ordo autem.*

2. PRAETEREA, ordo nihil aliud est quam quidam potestatis gradus in spiritualibus dispensandis. Sed episcopi possunt dispensare aliqua sacramenta quae non possunt dispensare sacerdotes: sicut confirmationem et ordinem. Ergo episcopatus est ordo.

3. PRAETEREA, in Ecclesia non est aliqua spiritualis potestas nisi ordinis vel iurisdictionis. Sed ea quae pertinent ad episcopalem potestatem non sunt iurisdictionis: alias possent committi non-episcopo, quod falsum est. Ergo sunt potestatis ordinis. Ergo episcopus habet aliquem ordinem quem non habet sacerdos simplex. Et sic episcopatus est ordo.

SED CONTRA EST quod unus ordo non dependet a praecedenti, quantum ad necessitatem sacramenti. Sed episcopalis potestas dependet a sacerdotali: quia nullus potest recipere episcopalem potestatem nisi prius habeat sacerdotalem. Ergo episcopatus non est ordo.

2. PRAETEREA, maiores ordines non conferuntur nisi in sabbatis *. Sed episcopalis potestas traditur in Dominicis **. Ergo non est ordo.

* Can. *Quod a Patribus*, dist. LXXV
** Can. *Ordinationes episcoporum*, dist. LXXV.

RESPONDEO DICENDUM quod ordo potest accipi dupliciter. Uno modo, secundum quod est sacramentum *. Et sic, ut prius * dictum est, ordinatur omnis ordo ad Eucharistiae sacramentum. Unde, cum episcopus non habeat potestatem superiorem sacerdote quantum ad hoc, episcopatus non erit ordo.

* Cf. qu. XXXV, art. 5.
* Qu. XXXVII, art. 4.

Alio modo potest considerari ordo secundum quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum. Et sic, cum episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra sacerdotem, episcopatus erit ordo. Et secundum hoc loquuntur auctoritates inductae *.

* In arg. 1.

Unde patet solutio ad primum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ordo, prout est sacramentum imprimens characterem, ordinatur specialiter ad sacramentum Eucharistiae, in quo ipse Christus continetur: quia per characterem ipsi Christo configuramur. Et ideo, licet detur aliqua potestas spiritualis episcopo in sui promotione respectu aliquorum sacramentorum, non tamen illa potestas habet rationem characteris *. Et propter hoc episcopatus non est ordo, secundum quod ordo est sacramentum quoddam.

* Cf. qu. XXXVIII, art. 2, ad 2.

AD TERTIUM DICENDUM quod potestas episcopalis non est tantum iurisdictionis, sed etiam ordinis, ut ex dictis * patet, secundum quod ordo communiter accipitur.

* In corpore.

ART. VI. UTRUM SUPRA EPISCOPOS POSSIT ESSE ALIQUIS SUPERIOR IN ECCLESIA

Cont. Error. Graec. (Opusc. I), vers. fin.; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXVI.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod supra episcopos non possit esse aliquis superior in Ecclesia. Quia omnes episcopi sunt Apostolorum successores. Sed potestas quae est data uni Apostolorum, scilicet Petro, Matth. XVI *, est data omnibus Apostolis Ioan. XX *. Ergo episcopi sunt pares, et unus non est supra alium.

* Vers. 19.
* Vers. 23. - Cf. Matth. cap. XVIII, vers. 18.

2. PRAETEREA, ritus Ecclesiae magis debet esse conformis ritui Iudaeorum quam ritui gentilium. Sed distinctio episcopalis dignitatis, et ordinatio unius super alium, ut in littera * dicitur, *est a gentilibus introducta:* in veteri autem lege non erat. Ergo nec in Ecclesia episcopus unus super alium esse debet.

* Dist. XXIV, cap. *Ordo autem.*

3. PRAETEREA, superior potestas non potest conferri per inferiorem, neque aequalis per aequalem: quia, *sine ulla*

contradictione, quod minus est a maiori benedicitur, *Heb.* VII *. Unde etiam sacerdos non promovet episcopum neque sacerdotem: sed episcopus sacerdotem. Sed episcopus potest quemlibet episcopum promovere: quia etiam Ostiensis episcopus consecrat Papam. Ergo episcopalis dignitas in omnibus est aequalis. Et sic unus episcopus non debet alii subesse, ut in littera * dicitur.

* Vers. 7.
* Loc. cit.

Sed contra est quod legitur in Concilio Constantinopolitano: *Veneramur, secundum Scripturas et secundum canonum definitiones, sanctissimum antiquae Romae Episcopum primum esse et maximum episcoporum, et post ipsum Constantinopolitanum episcopum.* Ergo unus episcopus est super alium.

2. Praeterea, beatus Cyrillus, episcopus Alexandrinus, dicit: *Ut membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum, a quo nostrum est quaerere quid credere et quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes prae omnibus. Quoniam ipsius solius est reprehendere, corripere, statuere, disponere, solvere et ligare, loco illius qui ipsum aedificavit, et nulli alii quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit; cui omnes iure divino caput inclinant, et primates mundi tanquam ipsi Domino Iesu Christo obediunt.* Ergo episcopi alicui subsunt etiam de iure divino.

Respondeo dicendum quod, ubicumque sunt multa regimina ordinata in unum, oportet esse aliquod universale regimen super particularia regimina. Quia in omnibus virtutibus et actibus, ut dicitur in I *Ethic.* *, est ordo secundum ordinem finium. *Bonum* autem *commune est divinius quam bonum speciale* *. Et ideo supra potestatem regitivam quae coniectat bonum speciale, oportet esse potestatem universalem respectu boni communis: alias non posset esse colligatio ad unum. Et ideo, cum tota Ecclesia sit *unum corpus* *, oportet, si ista unitas debet conservari, quod sit aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesiae, supra potestatem episcopalem, qua unaquaeque specialis ecclesia regitur. Et haec est potestas Papae. Et ideo illi qui hanc potestatem negant, *schismatici* dicuntur, quasi *divisores* ecclesiasticae unitatis. Et inter episcopum simplicem et Papam sunt alii gradus dignitatum, correspondentes gradibus unionis, secundum quos una congregatio vel communitas includit aliam: sicut communitas provinciae includit communitatem civitatis, et communitas regni communitatem unius provinciae, et communitas totius mundi communitatem unius regni.

* Cap. I, n. 4; cap. II, n. 6, 7. - S. Th. lect. I, II.
* Ibid. cap. II, n. 8. - S. Th. lect. II.
* I *ad Cor.*, cap. X, vers. 17.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi et solvendi, tamen, ut in hac potestate ordo aliquis significaretur, primo soli Petro data est, ut ostendatur quod ab eo in alios ista potestas debeat descendere. Propter quod etiam ei dixit singulariter, *Confirma fratres tuos* *, et, *Pasce oves meas* **, *idest: Loco mei*, ut dicit Chrysostomus, *praepositus et caput esto fratrum: ut ipsi te in loco meo assumentes, ubique terrarum te in throno tuo sedentem praedicent et confirment.*

* Luc. cap. XXII, vers. 32.
** Ioan. cap. XXI, vers. 17.

Ad secundum dicendum quod ritus Iudaeorum non erat diffusus in diversis regnis et provinciis, sed tantum in una gente. Et ideo non oportebat quod sub eo qui habebat potestatem principalem alii pontifices distinguerentur. Sed Ecclesiae ritus, sicut et gentilium ritus, per diversas nationes diffunditur. Et ideo oportet quod, quantum ad hoc, magis gentilium ritui quam Iudaeorum status Ecclesiae conformetur.

Ad tertium dicendum quod potestas sacerdotis exceditur a potestate episcopi quasi a potestate alterius generis. Sed potestas episcopi exceditur a potestate Papae quasi a potestate eiusdem generis. Et ideo omnem actum hierarchicum quem potest facere Papa in ministratione sacramentorum, potest facere episcopus: non autem omnem actum quem potest facere episcopus, potest facere sacerdos in sacramentorum collatione. Et ideo, quantum ad ea quae sunt episcopalis ordinis, omnes episcopi sunt aequales. Et propter hoc quilibet alium potest consecrare.

ART. VII. Utrum vestes ministrorum convenienter sint in Ecclesia institutae

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod vestes ministrorum non convenienter sint in Ecclesia institutae. Ministri enim novi Testamenti magis tenentur ad castitatem quam ministri veteris. Sed inter alias vestes ministrorum veteris Testamenti erant *feminalia* *, in signum castitatis. Ergo multo fortius nunc esse debent inter vestes ministrorum Ecclesiae.

* *Exod.* cap. XXVIII, vers. 42.

2. Praeterea, sacerdotium novi Testamenti est dignius quam sacerdotium veteris. Sed veteres sacerdotes habebant *mitras* *, quod est signum dignitatis. Ergo sacerdotes novae legis eas debent habere.

* Ibid. cap. XXIX, vers. 9.

3. Praeterea, sacerdos est propinquior ordinibus ministrorum quam ordo episcopalis. Sed episcopi utuntur vestibus ministrorum: scilicet *dalmatica,* quae est vestis diaconi; et *tunica,* quae est vestis subdiaconi. Ergo multo fortius debent uti eis simplices sacerdotes.

4. Praeterea, in veteri lege pontifex deferebat *superhumerale* *: quod significabat *onus Evangelii*, ut dicit Beda *. Hoc autem maxime pontificibus nostris incumbit. Ergo debent habere superhumerale.

* *Exod.* cap. XXVIII, vers. 4.
* *De Tabernac.* etc. lib. III, cap. IV.

5. Praeterea, in *rationali,* quo utebantur pontifices veteris legis, scribebatur *Doctrina et Veritas* *. Sed veritas maxime in nova lege declarata est. Ergo pontificibus novae legis competit.

* *Exod.* cap. XXVIII, vers. 30.

6. Praeterea, *lamina aurea* *, in qua scriptum erat dignissimum nomen Dei *, erat dignissimum ornamentum legis veteris. Ergo illud maxime debuit transferri in novam legem.

* Ibid. vers. 36.
* Cf. Hier. *ad Fabiol.* Ep. LXIV, al. CXXVIII, n. 18; Innoc. III, *de S. Altar. Myst.* lib. I, cap. XXX.

7. Praeterea, ea quae exterius geruntur in ministris Ecclesiae, sunt signa interioris potestatis. Sed archiepiscopus non habet alterius generis potestatem quam episcopus, ut dictum est *. Ergo non debet habere *pallium*, quod non habent episcopi.

* Art. 6, ad 3.

8. Praeterea, potestatis plenitudo residet penes Romanum Pontificem. Sed ipse non habet *baculum*. Ergo nec alii episcopi debent habere.

Respondeo dicendum quod vestes ministrorum designant idoneitatem quae in eis requiritur ad tractandum divina. Et quia quaedam sunt quae in omnibus requiruntur, et quaedam requiruntur in superioribus quae non ita exiguntur in inferioribus; ideo quaedam vestes sunt omnibus ministris communes, quaedam autem superiorum tantum.

Et ideo omnibus ministris competit *amictus* humeros tegens, quo significatur fortitudo ad divina officia exequenda, quibus mancipatur; et similiter *alba*, quae significat puritatem vitae; et *cingulum,* quod significat repressionem carnis *.

* Innoc. III, *de S. Altar. Myst.* lib. I, cap. L sqq.

Sed subdiaconus ulterius habet *manipulum,* quo significatur extersio minimarum macularum *, quia manipulus est quasi sudarium ad extergendum vultum: ipsi enim primo ad sacra tractanda admittuntur. Habent etiam *tunicam strictam,* per quam doctrina Christi significatur *: unde et in veteri lege in ipsa *tintinnabula* pendebant *. Subdiaconi enim primo admittuntur ad doctrinam novae legis annuntiandam.

* Ibid., cap. LIX.
* Ibid., cap. XXXIX,
* *Exod.* cap. XXVIII, vers. 33, 34.

Sed diaconus habet amplius *stolam* in sinistro humero: in signum quod applicatur ad ministerium in ipsis sacramentis. Et *dalmaticam,* quae est vestis larga, sic dicta quia in Dalmatiae partibus primo usus eius fuit *: ad designandum quod ipse primo dispensator sacramentorum ponitur *, ipse enim sanguinem dispensat; in dispensatione autem largitas requiritur.

* Isid. *Etymol.* lib. XIX, cap. XXII, n. 9.
* Innoc. III, lib. cit., cap. LVI.

Sed sacerdoti in utroque humero ponitur *stola:* ut ostendatur quod ei plena potestas dispensandi sacramenta datur, non ut ministro alterius; et ideo stola descendit usque ad inferiora. Habet etiam *casulam,* quae significat caritatem *: quia *sacramentum* consecrat *caritatis* **, scilicet Eucharistiam.

* Ibid., cap. LVIII.
** Cf. Part. III, qu. LXXIII, art. 3, ad 3.

Sed episcopis adduntur novem ornamenta super sacerdotes, quae sunt caligae, sandalia, succinctorium, tunica, dalmatica, mitra, chirothecae, anulus et baculus: quia novem sunt quae supra sacerdotes possunt, scilicet clericos

ordinare, virgines benedicere, basilicas dedicare, clericos deponere, synodos celebrare, chrisma conficere, vestes et vasa consecrare. – Vel per *caligas* significatur rectitudo gressuum. Per *sandalia,* quae pedes tegunt, contemptus terrenorum *. Per *succinctorium,* quo stola ligatur cum alba, amor honestatis *. Per *tunicam,* perseverantia **: quia Ioseph *tunicam talarem* dicitur habuisse *, quasi descendentem usque ad talos, per quos significatur extremitas vitae. Per *dalmaticam,* largitas in operibus misericordiae *. Per *chirothecas,* cautela in opere *. Per *mitram,* scientia utriusque Testamenti: unde et duo cornua habet *. Per *baculum* cura pastoralis, qua debet *colligere vagos,* quod significat curvitas in capite baculi; *sustentare infirmos,* quod ipse stipes significat baculi; sed *pungere lentos,* quod significat stimulus in pede baculi; unde versus: *Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta* *. Per *anulum,* sacramenta fidei, qua Ecclesia desponsatur Christo *: ipsi enim sunt Ecclesiae sponsi loco Christi.

* Vide Innoc. III, lib. cit. cap. XLVIII. – * Ibid., cap. LII. – ** Ibid., cap. LV. – * Gen. cap. XXXVII, vers. 23. – * Innoc. III, lib. cit., cap. LVI. – * Ibid., cap. LVII. – * Ibid., cap. LX. – * Ibid., cap. LXII. – * Ibid., cap. LXI.

Sed ulterius archiepiscopi pallium habent, in signum privilegiatae potestatis: significat enim *torquem auream* quam solebant legitime certantes accipere *.

* Ibid., cap. LXIII.

Ad primum ergo dicendum quod sacerdotibus veteris legis indicebatur continentia illo tantum tempore quo ad suum ministerium accedebant. Et ideo, in signum castitatis tunc servandae, in sacrificiorum oblatione feminalibus utebantur *. Sed ministris novi testamenti indicitur perpetua continentia. Et ideo non est simile *.

* *Exod.* cap. XXVIII, vers. 43. – * Innoc. III, lib. cit., cap. XIII.

Ad secundum dicendum quod mitra illa non erat signum alicuius dignitatis: fuit enim sicut quoddam galerum, ut Hieronymus dicit *. Sed *cidaris,* quae erat signum dignitatis, solum pontificibus dabatur *: sicut et nunc mitra.

* Ep. LXIV, al. CXXVIII, *ad Fabiolam,* n. 13. – * *Exod.* cap. XXVIII, vers. 4; *Levit.* cap. VIII, vers. 9.

Ad tertium dicendum quod potestas ministrorum est in episcopo sicut in origine: non autem in sacerdote, quia ipse non confert illos ordines. Et ideo magis episcopus quam sacerdos vestibus ministrorum utitur.

Ad quartum dicendum quod loco superhumeralis utitur stola: quae ad idem significandum est ad quod erat superhumerale.

Ad quintum dicendum quod pallium succedit loco rationalis.

Ad sextum dicendum quod pro illa lamina habet pontifex noster crucem, ut Innocentius * dicit: sicut pro feminalibus habet sandalia, pro linea * albam, pro balteo ** cingulum, pro podere * tunicam, et pro ephod ** amictum, pro rationali pallium, pro cidari mitram.

* Innoc. III, lib. cit. cap. LIII. – * *Exod.* cap. XXVIII, vers. 4. – ** Ibid. – * *Sap.* cap. XVIII, vers. 24. – ** *Exod.* cap. XXV, vers. 7.

Ad septimum dicendum quod, quamvis non habeat alterius generis potestatem, tamen eandem habet ampliorem. Et ideo, ad hanc perfectionem designandam, sibi pallium datur, quo undique circumdatur.

Ad octavum dicendum quod Romanus Pontifex non utitur baculo, quia Petrus misit ipsum ad suscitandum quendam discipulum suum, qui postea factus est episcopus Treverensis. Et ideo in dioecesi Treverensi Papa baculum portat, et non in aliis locis *. – Vel etiam in signum quod non habet coarctatam potestatem, quod curvatio baculi significat.

* Innoc. III, lib. cit. cap. LXII – Cf. cap. *Cum venisset, de Sacra Unct.*

QUAESTIO QUADRAGESIMAPRIMA

DE MATRIMONIO INQUANTUM EST IN OFFICIUM NATURAE

Post haec considerandum est de matrimonio *. Et primo agendum est de eo inquantum est in officium naturae; secundo, inquantum est sacramentum *; tertio, inquantum absolute et secundum se consideratur *.

* Cf. Part. III, qu. LXVI, Introd. – * Qu. seq. – * Qu. XLIII.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo: utrum sit de iure naturali.
Secundo: utrum nunc sit in praecepto.
Tertio: utrum eius actus sit licitus.
Quarto: utrum possit esse meritorius.

ART. I. UTRUM MATRIMONIUM SIT NATURALE

IIª IIae, qu. CLIV, art. 2; III *Cont. Gent.,* cap. CXXII; I *ad Cor.,* cap. VII, lect. 1; VIII *Ethic.,* lect. XII.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod matrimonium non sit naturale. Quia *ius naturale est quod natura omnia animalia docuit* *. Sed in aliis animalibus est coniunctio sexuum absque matrimonio. Ergo matrimonium non est de iure naturali.

* *Dig.* I, I, *de Iustit. et Iure,* I.

2. Praeterea, id quod est de iure naturali, invenitur in hominibus secundum quemlibet statum eorum. Sed matrimonium non fuit in quolibet statu hominum: quia, sicut dicit Tullius, in I *Rhetoric.* *, *homines a principio sylvestres erant, et tunc nemo scivit proprios liberos nec certas nuptias,* in quibus matrimonium consistit. Ergo non est naturale.

* *De Invent. Rhetor.* lib. I, cap. II.

3. Praeterea, naturalia sunt eadem apud omnes *. Sed non eodem modo est matrimonium apud omnes: cum pro diversis legibus diversimode matrimonium celebretur. Ergo non est naturale.

* Aristot. *Physic.* lib. VIII, cap. VII, n. 10. - S. Th. lect. XV.

4. Praeterea, illa sine quibus potest salvari naturae intentio, non videntur esse naturalia. Sed natura intendit conservationem speciei per generationem, quae potest esse sine matrimonio, ut patet in fornicariis. Ergo matrimonium non est naturale.

Sed contra est quod in principio *Digestorum* * dicitur: *Ius naturale est maris et feminae coniunctio, quam nos matrimonium appellamus.*

* Loc. cit. supra.

2. Praeterea, Philosophus, VIII *Ethic.* *, dicit quod *homo est magis naturaliter coniugale animal quam politicum.* Sed *homo est naturaliter animal politicum et gregale,* ut ipse dicit *. Ergo est naturaliter coniugale. Et sic coniugium, sive matrimonium, est naturale.

* Cap. XII, n. 7. - S. Th. lect. XII. – * *Ethic.* lib. IX, cap. IX, n. 3; S. Th. lect. X. - Cf. *Polit.* lib. I, cap. II, n. 9; S. Th. lect. I.

Respondeo dicendum quod aliquid dicitur esse naturale dupliciter. Uno modo, sicut ex principiis naturae ex necessitate causatum: ut moveri sursum est naturale igni, etc. Et sic matrimonium non est naturale: nec aliquid eorum quae mediante libero arbitrio complentur.

Alio modo dicitur naturale ad quod natura inclinat, sed mediante libero arbitrio completur: sicut actus virtutum dicuntur naturales. Et hoc modo matrimonium est naturale: quia ratio naturalis ad ipsum inclinat dupliciter. Primo, quantum ad principalem eius finem, qui est bonum prolis. Non enim intendit natura solum generationem prolis, sed traductionem et promotionem usque ad perfectum statum hominis inquantum homo est, qui est status virtutis. Unde, secundum Philosophum *, tria a parentibus habemus: scilicet *esse, nutrimentum* et *disciplinam.* Filius autem a parente educari et instrui non posset nisi determinatos et certos parentes haberet. Quod non esset nisi esset aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quae matrimonium facit.

* *Ethic.* lib. VIII, cap. XII, n. 5. - S. Th. lect. XII.

Secundo, quantum ad secundarium finem matrimonii, qui est mutuum obsequium sibi a coniugibus in rebus domesticis impensum. Sicut enim naturalis ratio dictat ut homines simul cohabitent, quia unus non sufficit sibi in omnibus quae ad vitam pertinent, ratione cuius dicitur homo *naturaliter politicus* *; ita etiam eorum quibus indigetur ad humanam vitam, quaedam opera sunt competentia viris, quaedam mulieribus. Unde natura monet ut sit quaedam associatio viri ad mulierem, in qua est matrimonium. – Et has duas causas ponit Philosophus in VIII *Ethicorum* *.

* Cf. arg. *Sed cont.* 2. – * Loc. cit. in arg. *Sed cont.* 2.

Ad primum ergo dicendum quod natura hominis ad aliquid inclinat dupliciter. Uno modo, quia est conveniens naturae generis: et hoc est commune omnibus animalibus. Alio modo, quod est conveniens naturae differentiae, qua species humana *abundat a genere* *, inquantum est rationalis: sicut est prudentiae actus vel temperantiae. Et sicut natura generis, quamvis sit una in omnibus animalibus, non tamen est eodem modo in omnibus, ita etiam non inclinat eodem modo in omnibus, sed secundum quod unicuique competit.

* Porphyr. *Praedicab.,* cap. *de Differentia,* part. III.

Ad matrimonium ergo inclinat natura hominis ex parte differentiae, quantum ad rationem secundam assignatam *. Unde Philosophus * hanc rationem assignat hominibus supra alia animalia. – Sed quantum ad rationem primam *, inclinat ex parte generis. Unde dicit * quod *filiorum procreatio communis est omnibus animalibus.* Tamen ad hoc non inclinat eodem modo in omnibus. Quia quaedam animalia sunt quorum filii, statim nati, possunt sufficienter sibi victum

* In corpore. – * Loc. cit. in fine corp. – * Vide in corp. – * Loc. prox. cit.

quaerere, vel ad quorum sustentationem mater sufficit: et in his non est aliqua maris ad feminam determinatio. In illis autem quorum filii indigent utriusque sustentatione, sed ad parvum tempus, invenitur aliqua determinatio quantum ad tempus illud: sicut in avibus quibusdam patet. Sed in homine, quia indiget filius cura parentum usque ad magnum tempus, est maxima determinatio masculi ad feminam, ad quam etiam natura generis inclinat.

Ad secundum dicendum quod verbum Tullii potest esse verum quantum ad aliquam gentem (si tamen accipiatur principium proximum illius gentis, per quod ab aliis gentibus est distincta): quia non in omnibus producitur ad effectum hoc ad quod naturalis ratio inclinat. Non autem est verum universaliter: quia a principio humani generis sacra Scriptura recitat fuisse coniugia *.

* *Gen.* cap. II, vers. 23, 24; cap. IV, vers. 17 sqq.

Ad tertium dicendum quod, secundum Philosophum, in VII *Ethic.* *, natura humana non est immobilis, sicut divina. Et ideo diversificantur ea quae sunt de iure naturali secundum diversos status et conditiones hominum: quamvis ea quae sunt in rebus divinis naturaliter nullo modo varientur.

* Cap. XIV, n. 8. - S. Th. lect. XIV.

Ad quartum dicendum quod natura non tantum intendit esse in prole, sed esse perfectum. Ad quod exigitur matrimonium, ut ex dictis * patet.

* In corpore.

ART. II. Utrum matrimonium adhuc maneat sub praecepto

III *Cont. Gent.*, cap. CXXXVI.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod matrimonium adhuc maneat sub praecepto. Quia praeceptum obligat quandiu non revocatur. Sed prima institutio matrimonii fuit sub praecepto, ut in littera * dicitur: nec unquam hoc praeceptum legitur revocatum; immo confirmatum, Matth. XIX *: *Quod Deus coniunxit homo non separet.* Ergo adhuc est matrimonium sub praecepto.

* Dist. XXVI, cap. *Prima institutio.*
* Vers. 6.

2. Praeterea, praecepta iuris naturalis secundum omne tempus obligant. Sed matrimonium est de iure naturali, ut dictum est *. Ergo, etc.

* Art. praeced.

3. Praeterea, bonum speciei est melius quam bonum individui: quia *bonum gentis est divinius quam bonum unius hominis,* ut dicitur I *Ethic.* * Sed praeceptum primo homini datum ad conservationem individui per actum nutritivae *, adhuc obligat. Ergo multo magis praeceptum de matrimonio, quod pertinet ad conservationem speciei.

* Cap. II, n. 8. - S. Th. lect. II.
* *Gen.* cap. I, vers. 29; cap. II, vers. 16.

4. Praeterea, ubi manet eadem ratio obligans, eadem obligatio manere debet. Sed propter hoc obligabantur homines ad matrimonium antiquo tempore, ne multiplicatio humani generis cessaret. Cum ergo hoc idem sequatur si quilibet libere potest a matrimonio abstinere, videtur quod matrimonium sit in praecepto.

Sed contra est quod dicitur I *Cor.* VII *: *Qui non iungit matrimonio virginem suam, melius facit,* scilicet quam qui iungit. Ergo contractus matrimonii nunc non est sub praecepto.

* Vers. 38.

2. Praeterea, nulli debetur praemium pro transgressione praecepti. Sed virginibus debetur speciale praemium, scilicet aureola *. Ergo matrimonium non est sub praecepto.

* Cf. infra, qu. XCVI, art. 5.

Respondeo dicendum quod natura inclinat ad aliquid dupliciter. Uno modo, sicut ad id quod est necessarium ad perfectionem unius. Et talis inclinatio quemlibet obligat: quia naturales perfectiones omnibus sunt communes. – Alio modo inclinat ad aliquid quod est necessarium multitudini. Et cum multa sint huiusmodi, quorum unum impedit aliud, ex tali obligatione non obligatur quilibet homo per modum praecepti, alias quilibet homo obligaretur ad agriculturam et ad aedificatoriam et ad huiusmodi officia, quae sunt necessaria communitati humanae: sed inclinationi naturae satisfit cum per diversos diversa complentur de praedictis.

Cum ergo ad perfectionem humanae multitudinis sit necessarium aliquos contemplativae vitae inservire, quae maxime per matrimonium impeditur; inclinatio naturae ad matrimonium non obligat per modum praecepti, etiam secundum philosophos. Unde Theophrastus probat * quod sapienti non expedit nubere.

* Apud Hieron. *Cont. Iovin.* lib. I, n. 47.

Ad primum ergo dicendum quod praeceptum illud non est revocatum. Nec tamen obligat unumquemque, ratione iam * dicta: nisi illo tempore quo paucitas hominum exigebat ut quilibet generationi vacaret.

* In corpore.

Ad secundum et tertium patet responsio ex dictis *.

* Ibid.

Ad quartum dicendum quod natura humana communiter ad diversa officia et actus inclinat, ut dictum est *: sed quia est diversimode in diversis, secundum quod individuatur in hoc vel in illo, unum magis inclinat ad unum illorum officiorum, alium ad aliud. Et ex hac diversitate, simul cum divina providentia, quae omnia moderatur, contingit quod unus eligat unum officium, ut agriculturam, alius aliud. Et sic etiam contingit quod quidam eligunt matrimonialem vitam, et quidam contemplativam. Unde nullum periculum imminet.

* Ibid.

ART. III. Utrum actus matrimonialis semper sit peccatum

Infra, qu. XLIX, art. 4, 5: Iª IIªᵉ, qu. XXXIV, art. 1, ad 1; IIª IIªᵉ, qu. CLIII, art. 2; II *Sent.*, dist. XXXI, qu. I, art. 1, ad 3; III *Cont. Gent.*, cap. CXXVI; I *ad Cor.*, cap. VII, lect. 1: I *ad Thess.*, cap. IV, lect. 1; *Ad Heb.*, cap. XIII, lect. 1.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod actus matrimonialis semper sit peccatum. I *Cor.* VII *: *Qui nubunt, sint tanquam non nubentes.* Sed non nubentes non habent actum matrimonialem. Ergo etiam nubentes peccant in actu illo.

* Vers. 29.

2. Praeterea, Isaiae LIX *: *Iniquitates nostrae diviserunt inter nos et Deum nostrum.* Sed actus matrimonialis dividit hominem a Deo: unde *Exodi* XIX * praecipitur populo qui debebat Deum videre, quod *non accederent ad uxores suas;* et Hieronymus dicit * quod *in actu matrimoniali Spiritus Sanctus prophetarum corda non tangit.* Ergo est iniquitas.

* Vers. 2.
* Vers. 15.
* Origen. *Homil.* VI *in Num.* - Cf. Hieron. Ep. CXXIII, al. XI, *ad Ageruch.*

3. Praeterea, illud quod secundum se est turpe, nullo modo potest bene fieri. Sed actus matrimonialis habet concupiscentiam adiunctam, quae semper est turpis. Ergo semper est peccatum.

4. Praeterea, nihil *excusatur* nisi peccatum. Sed actus matrimonialis indiget excusari per bona matrimonii, ut Magister dicit *. Ergo est peccatum.

* IV *Sent.*, dist. XXVI, cap. *Coniugii autem.*

5. Praeterea, de similibus specie idem est iudicium. Sed concubitus matrimonialis est eiusdem speciei cum actu adulterii: quia ad idem terminantur, scilicet speciem humanam. Ergo, cum actus adulterii sit peccatum, et actus matrimonii.

6. Praeterea, superfluitas in passionibus corrumpit virtutem *. Sed semper in actu matrimoniali est superfluitas delectationis: adeo quod absorbet rationem, quae est principale hominis bonum; unde Philosophus dicit, in VII *Ethic.* *, quod *impossibile est hominem aliquid in ipsa intelligere.* Ergo actus matrimonialis semper est peccatum.

* Cf. Arist. *Ethic.* lib. II, cap. VI, n. 9 sqq. - S. Th. lect. VI.
* Cap. XI, n. 4. - S. Th. lect. XI.

Sed contra, I *Cor.* VII * dicitur: *Virgo, si nubat, non peccat;* et I *Tim.* V *: *Volo iuvenculas nubere, procreare filios.* Sed procreatio filiorum non potest esse sine carnali coniunctione. Ergo actus matrimonialis non est peccatum: alias Apostolus non voluisset illud.

* Vers. 28, 36.
* Vers. 14.

2. Praeterea, nullum peccatum est in praecepto. Sed actus matrimonialis est in praecepto: I *Cor.* VII *, *Uxori vir debitum reddat.* Ergo non est peccatum.

* Vers. 3.

Respondeo dicendum quod, supposito quod natura corporalis sit a Deo bona instituta, impossibile est dicere quod ea quae pertinent ad conservationem naturae corporalis, et ad quae natura inclinat, sint universaliter mala. Et ideo, cum inclinatio sit naturae ad prolis procreationem, per quam natura speciei conservatur, impossibile est dicere quod actus quo procreatur proles sit universaliter illicitus, ut in eo medium virtutis inveniri non possit: – nisi ponatur, secundum quorundam * insaniam, quod res corruptibiles creatae sunt a malo deo. Ex quo forte ista opinio derivatur quae in littera * tangitur. Et ideo est pessima haeresis.

* Manich. - Cf. s. Epiphan. *Adversus* LXXX *haeres.*, haeres. XLVI, al. LXVI, n. 8, 25; s. Aug. *de Vera Relig.*, cap. IX; I *Retract.*, cap. XV, n. 1.
* Dist. XXVI, cap. *Fuerunt.*

Ad primum ergo dicendum quod Apostolus in verbis illis non prohibuit matrimonii actum, sicut nec rerum possessionem cum dixit *, *Qui utuntur hoc mundo, sint quasi non utentes:* sed in utroque fruitionem prohibuit. Quod patet ex ipso modo loquendi. Non enim dixit, *sint non*

* Vers. 31.

utentes, vel *non habentes:* sed, *quasi non utentes* vel *non habentes.*

Ad secundum dicendum quod Deo coniungimur et secundum habitum gratiae, et secundum actum contemplationis et amoris. Quod ergo primam coniunctionem separat, semper est peccatum. Non autem quod separat secundam: quia aliqua occupatio licita circa res inferiores animum distrahit, ut actu Deo coniungi non sit idoneus. Et hoc praecipue accidit in carnali coniunctione, in qua detinetur mens propter delectationem intensam. Et propter hoc illis quibus competit divina contemplari aut sacra tractare, indicitur pro tempore isto abstinentia ab uxoribus. Et secundum hoc etiam dicitur quod Spiritus Sanctus, quantum ad actum revelationis secretorum, non tangebat mentes prophetarum in usu matrimonii.

Ad tertium dicendum quod turpitudo illa concupiscentiae quae actum matrimonialem semper comitatur, non est turpitudo culpae, sed poenae, ex peccato primo proveniens *: ut scilicet inferiores vires et membra corporis rationi non obediant. Et propter hoc ratio non sequitur.

* *Gen.* cap. iii, vers. 7.

Ad quartum dicendum quod illud proprie *excusari* dicitur quod aliquam similitudinem mali habet et tamen non est malum, vel non tantum quantum apparet. Quorum quaedam excusantur a toto, quaedam a tanto. Et quia actus matrimonialis propter corruptionem concupiscentiae habet similitudinem actus inordinati, ideo pro bono matrimonii excusatur a toto, ut non sit peccatum.

Ad quintum dicendum quod, quamvis sint idem specie naturae, tamen differunt in specie moris, quam una circumstantia variat, scilicet accedere ad suam vel non suam. Sicut etiam occidere hominem per violentiam, vel per iustitiam, facit diversam speciem moris, quamvis sit una species naturae: et tamen unum est licitum, aliud illicitum.

Ad sextum dicendum quod superfluum passionis quod virtutem corrumpit, non solum impedit rationis actum, sed tollit rationis ordinem. Quod non facit delectationis intensio in actu matrimoniali: quia, etsi tunc non ordinetur homo, tamen a ratione est praeordinatus.

ART. IV. utrum actus matrimonialis sit meritorius

Qq. Dispp., de Malo, qu. iv, art. 1, ad 17; I *ad Cor.,* cap. vii, lect. 1.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod actus matrimonialis non sit meritorius. Chrysostomus enim dicit, *super Matth.* *: *Matrimonium, etsi utentibus se poenam non inferat, mercedem tamen non praestat.* Sed meritum respectu mercedis dicitur. Ergo actus matrimonialis non est meritorius.

* *Op. Imperf. in Matth.,* homil. I, versus fin. - Inter Opp. Chrys.

2. Praeterea, illud quod est meritorium dimittere non est laudabile. Sed laudabilis est virginitas, per quam matrimonium dimittitur. Ergo matrimonialis actus non est meritorius.

3. Praeterea, qui utitur indulgentia sibi facta *, beneficio recepto utitur. Sed ex hoc quod alicui praestatur beneficium, non meretur. Ergo actus matrimonialis non est meritorius.

* Cf. I *ad Cor.,* cap. vii, vers. 6.

4. Praeterea, meritum in difficultate consistit: sicut et virtus *. Sed actus matrimonialis non habet difficultatem, sed delectationem. Ergo non est meritorius.

* Cf. Arist. *Ethic.* lib. II, cap. iii, n. 10. - S. Th. lect. iii.

5. Praeterea, illud quod non potest fieri sine peccato veniali, non est meritorium: quia non potest homo simul mereri et demereri. Sed in actu matrimoniali semper est peccatum veniale: quia etiam primus motus in huiusmodi delectatione est peccatum veniale *. Ergo actus praedictus non potest esse meritorius.

* II *Sent.,* dist. xxiv, cap. *Nunc superest,* et cap. *Itaque.*

Sed contra, omnis actus in quo impletur praeceptum, est meritorius si ex caritate fiat. Sed actus matrimonialis est huiusmodi: quia dicitur I *Cor.* vii *: *Uxori vir debitum reddat.* Ergo, etc.

* Vers. 3.

2. Praeterea, omnis actus virtutis est meritorius. Sed actus praedictus est actus iustitiae: quia dicitur *redditio debiti.* Ergo meritorius est.

Respondeo dicendum quod, cum nullus actus ex deliberata voluntate procedens sit indifferens, ut in II libro * dictum est; actus matrimonialis semper est peccatum vel meritorius, in eo qui gratiam habet. Si enim ad actum matrimonialem virtus inducat vel iustitiae, ut debitum reddat; vel religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur; est meritorius. Si autem moveat libido sistens infra bona matrimonii, ut scilicet nullo modo ad aliam accedere vellet, est peccatum veniale. Si autem extra bona matrimonii efferatur, ut scilicet cum quacumque muliere id facere proponeret, est peccatum mortale. Natura autem movere non potest quin vel ordinetur ratione, et sic erit motus virtutis; vel non ordinetur, et sic erit motus libidinis.

* II *Sent.,* dist. xl, art. 5. - Cf. I^am^ II^ae^, qu. xviii, art. 9.

Ad primum ergo dicendum quod radix merendi quantum ad praemium substantiale est ipsa caritas. Sed quantum ad aliquod accidentale praemium ratio meriti existit in difficultate actus. Et sic actus matrimonii non est meritorius, sed primo modo.

Ad secundum dicendum quod homo potest mereri et in minoribus bonis et in maioribus. Unde, quando aliquis minora bona dimittit ut maiora faciat, laudandus est, a minus meritorio actu discedens.

Ad tertium dicendum quod *indulgentia* quandoque est de minoribus malis. Et sic indulgetur actus matrimonii prout ad ipsum movet libido infra terminos matrimonii consistens: sic enim est veniale peccatum. Sed prout ad ipsum movet virtus, ut est meritorius, non habet indulgentiam, nisi secundum quod est indulgentia de minoribus bonis, quae idem est quod *concessio.* Nec est inconveniens quod ille qui tali concessione utitur, mereatur: quia bonus usus beneficiorum Dei meritorius est.

Ad quartum dicendum quod difficultas laboris requiritur ad meritum praemii accidentalis: sed ad meritum praemii essentialis requiritur difficultas consistens in ordinatione medii. Et hoc est etiam in actu matrimoniali.

Ad quintum dicendum quod primus motus, secundum quod dicitur peccatum veniale, est motus appetitus in aliquod inordinatum delectabile. Quod non est in actu matrimoniali. Et ideo ratio non sequitur.

QUAESTIO QUADRAGESIMASECUNDA

DE MATRIMONIO INQUANTUM EST SACRAMENTUM

Deinde considerandum est de matrimonio inquantum est sacramentum *.

* Cf. qu. xli. Introd.

Circa quod quaeruntur quatuor.

Primo: utrum sit sacramentum.

Secundo: utrum debuerit institui ante peccatum.

Tertio: utrum conferat gratiam.

Quarto: utrum carnalis commixtio sit de integritate matrimonii.

ART. I. utrum matrimonium sit sacramentum

Infra, qu. xlix, art. 2, ad 7; IV *Sent.,* dist. 1, qu. 1, art. 3, ad 5; IV *Cont. Gent.,* cap. lxxviii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod matrimonium non sit sacramentum. Omne enim sacramentum novae legis habet aliquam formam, quae est de essentia sacramenti. Sed benedictio quae fit per sacerdotes in nuptiis, non est de essentia matrimonii. Ergo non est sacramentum.

2. Praeterea, sacramentum, secundum Hugonem *, est *materiale elementum.* Sed matrimonium non habet pro materia aliquod materiale elementum. Ergo non est sacramentum.

* *De Sacrament.* lib. I, p. ix, cap. 2.

3. Praeterea, sacramenta habent efficaciam ex passione Christi *. Sed per matrimonium non conformatur homo passioni Christi, quae fuit poenalis: cum habeat delectationem adiunctam. Ergo non est sacramentum.

* Part. III, qu. lxii, art. 5.

4. Praeterea, omne sacramentum novae legis *efficit quod figurat* *. Sed matrimonium non efficit coniunctionem Christi et Ecclesiae, quam significat *. Ergo matrimonium non est sacramentum.

* Cf. IV *Sent.,* dist. 1, p. 1, cap. *Sacramentum.*
* *Ad Ephes.* cap. v, vers. 32.

5. Praeterea, in aliis sacramentis est aliquid quod est *res et sacramentum* *. Sed hoc non potest inveniri in matrimonio: cum non imprimat characterem; alias non iteraretur. Ergo non est sacramentum.

* Cf. Part. III, qu. lxiii, art. 6, ad 3, et loca ibi cit.

Sed contra est quod dicitur *Ephes.* v *: *Sacramentum hoc magnum est.* Ergo, etc.

* Vers. 32.

2. Praeterea, sacramentum est *sacrae rei signum* *. Sed matrimonium est huiusmodi. Ergo, etc.

* IV *Sent.,* dist. 1, part. 1, cap. *Sacramentum.* - Cf. Part. III, qu. lx, art. 2, *Sed cont.*

RESPONDEO DICENDUM quod sacramentum importat aliquod remedium sanctitatis homini contra peccatum exhibitum per sensibilia signa *. Unde, cum hoc inveniatur in matrimonio, inter sacramenta computatur.

* IV *Sent.*, dist. I, p. I, cap. *Samaritanus*, et cap. *Triplici*.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod verba quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma huius sacramenti: non autem benedictio sacerdotis, quae est quoddam sacramentale.

AD SECUNDUM DICENDUM quod sacramentum matrimonii perficitur per actum eius qui sacramento illo utitur, sicut poenitentia *. Et ideo, sicut poenitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subiectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de matrimonio.

* Part. III, qu. LXXXIV, art. I, ad I, 2; qu. XC, art. I, 2, 3.

AD TERTIUM DICENDUM quod, quamvis matrimonium non conformet passioni Christi quantum ad poenam, conformat tamen ei quantum ad caritatem, per quam pro Ecclesia sibi in sponsam coniungenda passus est *.

* *Ad Ephes.*, cap. V, vers. 25 sqq.

AD QUARTUM DICENDUM quod unio Christi ad Ecclesiam non est res contenta in hoc sacramento, sed res significata non contenta: et talem rem nullum sacramentum efficit. Sed habet aliam rem contentam et significatam, quam efficit, ut dicetur *. – Magister autem ponit rem non contentam *, quia erat huius opinionis quod non haberet rem aliquam contentam *.

* Ad 5.
* Dist. XXVI, cap. *Cum ergo*.
* Cf. IV *Sent.*, dist. II, cap. I: dist. XXVI, capp., *Prima instit.* et *Indulgentia*.

AD QUINTUM DICENDUM quod etiam in hoc sacramento sunt illa tria. Quia *sacramenta tantum* sunt actus exterius apparentes; sed *res et sacramentum* est obligatio quae innascitur viri ad mulierem ex talibus actibus; sed *res ultima contenta* est effectus huius sacramenti *; *non contenta* autem est res quam Magister determinat *.

* Cf. art. 3, in fin. corp.
* Dist. XXVI, cap. *Cum ergo*; cf. resp. ad 4.

ART. II. UTRUM MATRIMONIUM DEBUERIT INSTITUI ANTE PECCATUM

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod matrimonium non debuit institui ante peccatum. Quia illud quod est de iure naturali, non indiget institutione. Sed matrimonium est huiusmodi, ut ex dictis * patet. Ergo non debuit institui.

* Qu. XLI, art. I.

2. PRAETEREA, sacramenta sunt quaedam medicinae contra morbum peccati. Sed medicina non praeparatur nisi morbo. Ergo ante peccatum non debuit institui.

3. PRAETEREA, ad idem sufficit una institutio. Sed matrimonium fuit institutum etiam post peccatum, ut in littera * dicitur. Ergo ante peccatum non fuit institutum.

* Dist. XXVI, cap. *Coniugii*. – Cf. dist. II, cap. *Fuit tamen*.

4. PRAETEREA, institutio sacramenti debet esse a Deo. Sed ante peccatum verba quae ad matrimonium pertinent determinate, non sunt dicta a Deo, sed ab Adam *: illa autem verba quae Deus dixit *, *Crescite et multiplicamini*, dicta sunt etiam brutis *, in quibus non est matrimonium. Ergo matrimonium non fuit institutum ante peccatum.

* *Gen.* cap. II, vers. 23, 24.
* Ibid., cap. I, vers. 28.
* Ibid., vers. 22.

5. PRAETEREA, matrimonium est sacramentum novae legis *. Sed sacramenta novae legis a Christo initium sumpserunt. Ergo non debuit ante peccatum institui.

* Art. I.

SED CONTRA EST quod dicitur Matth. XIX *: *Non legistis quod ab initio qui fecit homines, masculum et feminam fecit eos?*

* Vers. 4.

2. PRAETEREA, matrimonium est institutum ad procreationem prolis. Sed ante peccatum erat necessaria homini procreatio prolis. Ergo ante peccatum debuit matrimonium institui.

RESPONDEO DICENDUM quod natura inclinat ad matrimonium intendens aliquod bonum, quod quidem variatur secundum diversos hominum status. Et ideo oportet quod illud bonum diversimode in diversis statibus hominum instituatur. Et ideo matrimonium, secundum quod ordinatur ad procreationem prolis, quae erat necessaria etiam peccato non existente, institutum fuit ante peccatum. Secundum autem quod remedium praebet contra vulnus peccati, institutum fuit post peccatum tempore legis naturae. Secundum autem determinationem personarum, institutionem habuit in lege Moysi *. Sed secundum quod repraesentat mysterium coniunctionis Christi et Ecclesiae *, institutionem habuit in nova lege: et secundum hoc est sacramentum novae legis. Quantum autem ad alias utilitates quae ex matrimonio consequuntur, sicut est amicitia et mutuum obsequium sibi a coniugibus impensum, habet institutionem in lege civili.

* *Levit.* cap. XVIII, vers. 6 sqq.
* *Ad Ephes.*, cap. V, vers. 32.

Sed quia de ratione sacramenti est quod sit signum et remedium, ideo quantum ad medias institutiones competit ei ratio sacramenti; sed quantum ad primam institutionem, competit ei quod sit in officium naturae; quantum vero ad ultimam, quod sit in officium civilitatis.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illa quae in communi sunt de iure naturali, indigent institutione quantum ad eorum determinationem, quae diversimode competit secundum diversos status: sicut de iure naturali est quod maleficia puniantur, sed quod talis poena tali culpae apponatur, per determinationem iuris positivi fit.

AD SECUNDUM DICENDUM quod matrimonium non est tantum in remedium contra peccatum, sed principaliter est in officium naturae. Et sic institutum fuit ante peccatum, non autem prout est in remedium.

AD TERTIUM DICENDUM quod, secundum diversa quae oportet in matrimonio determinari, non est inconveniens quod habuerit diversas institutiones. Et sic illa diversa institutio non est eiusdem secundum idem.

AD QUARTUM DICENDUM quod matrimonium ante peccatum institutum fuit a Deo in hoc quod homini mulierem in adiutorium de costa formavit *, et dixit eis, *Crescite et multiplicamini* *. Quod quamvis aliis animalibus dixerit, non tamen per ea eodem modo implendum sicut per homines. Adam vero verba illa protulit a Deo inspiratus ut intelligeret matrimonii institutionem a Deo factam.

* *Gen.* cap. II, vers. 18 sqq.
* Ibid., cap. I, vers. 28.

AD QUINTUM DICENDUM quod, quantum ad hoc quod matrimonium est sacramentum novae legis, non fuit ante Christum institutum, ut ex dictis * patet.

* In corpore.

ART. III. UTRUM MATRIMONIUM CONFERAT GRATIAM

II[a] II[ae], qu. C, art. 2, ad 6; IV *Sent.*, dist. II, qu. I, art. I, qu[a] 2; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXVIII.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod matrimonium non conferat gratiam. Quia secundum Hugonem *, *sacramenta ex sanctificatione invisibilem gratiam conferunt.* Sed matrimonium non habet aliquam sanctificationem quae sit de essentia eius. Ergo non confertur gratia in ipso.

* *De Sacrament.* lib. I, p. IX, cap. 2.

2. PRAETEREA, omne sacramentum conferens gratiam confert ipsam ex materia et forma sua. Sed actus, qui sunt materia in hoc sacramento, non sunt causa gratiae: quia hoc esset Pelagiana haeresis, scilicet quod actus nostri sint causa gratiae *. Verba etiam exprimentia censensum non sunt causa gratiae: nam ex eis non fit aliqua sanctificatio. Ergo in matrimonio nullo modo gratia datur.

* Aug. *Retract.* lib. I, cap. IX, n. 3; Mag. II *Sent.*, dist. XXVIII, cap I.

3. PRAETEREA, gratia ordinata contra vulnus peccati est necessaria omnibus habentibus vulnus illud. Sed in omnibus invenitur concupiscentiae vulnus. Si ergo in matrimonio detur gratia contra vulnus concupiscentiae *, debent omnes homines matrimonium contrahere. Et sic esset valde stultum a matrimonio abstinere.

* Cf. Part. III, qu. LXV, art. I.

4. PRAETEREA, infirmitas non accipit medicamentum ab eo a quo accipit intensionem. Sed per matrimonium concupiscentia accipit intensionem: quia, sicut dicit Philosophus. in III *Ethic.* *, *insatiabilis est concupiscentiae appetitus, et per operationem congruam augetur.* Ergo videtur quod in matrimonio non conferatur remedium gratiae contra concupiscentiam.

* Cap. XII, n. 7. – S. Th. lect. XXII.

SED CONTRA, definitio et definitum debent converti *. Sed in definitione sacramenti ponitur causalitas gratiae *. Ergo, cum matrimonium sit sacramentum, erit gratiae causa.

* Cf. Boet. *in Porphyr.* dialog. I, cap. *de Genere*, in fine.
* IV *Sent.*, dist. I, p. I, cap. *Sacramentum*.

2. PRAETEREA, Augustinus dicit * quod matrimonium est *aegrotis in remedium.* Sed non est in remedium nisi inquantum aliquam efficaciam habet. Ergo habet aliquid efficaciae ad reprimendum concupiscentiam. Sed concupiscentia non reprimitur nisi per gratiam. Ergo in ipso confertur gratia.

* *De Gen. ad litt.*, lib. IX, cap. VII.

RESPONDEO DICENDUM quod circa hoc fuit triplex opinio. Quidam * enim dixerunt quod matrimonium nullo modo est causa gratiae, sed est tantum signum. – Sed hoc non potest stare. Quia secundum hoc in nullo abundaret a sacramentis veteris legis: unde non esset aliqua ratio quare sacramentis novae legis annumeraretur. Quod enim reme-

* Mag. IV *Sent.*, dist. II, per plura capp.; Autissiod. *Summ. Aur.* lib. IV, cap. *de Sacrament. Novae Legis in communi.*

dium praebeat satisfaciendo concupiscentiae, ne in praeceps ruat dum nimis arctatur, habuit etiam in veteri lege ex ipsa natura actus.

Et ideo alii * dixerunt quod confertur ibi gratia in ordine ad recessum a malo, quia excusatur actus a peccato, qui sine matrimonio peccatum esset. – Sed hoc esset nimis parum: quia hoc etiam in veteri lege habuit.

* B. Albert., IV *Sent.*, dist. xxvi, art. 8, 14.

Et ideo dicunt quod facit recedere a malo inquantum constringit concupiscentiam ne extra bona matrimonii feratur: non autem per gratiam illam fit aliquod auxilium ad bene operandum. – Sed hoc non potest stare. Quia eadem gratia est quae impedit peccatum, et quae ad bonum inclinat: sicut idem calor qui aufert frigus, et qui calefacit.

Unde alii * dicunt quod matrimonium, inquantum in fide Christi contrahitur, habet ut conferat gratiam adiuvantem ad illa operanda quae in matrimonio requiruntur. Et hoc probabilius est. Quia ubicumque datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia quibus homo convenienter uti possit facultate illa: sicut patet quod omnibus potentiis animae respondent aliqua membra corporis, quibus in actum exire possint. Unde, cum in matrimonio detur homini ex divina institutione facultas utendi uxore sua ad procreationem prolis, datur etiam gratia sine qua id convenienter facere non posset: sicut etiam de potestate ordinis supra * dictum est. Et sic ista gratia data est ultima res contenta in hoc sacramento.

* S. Bonavent. IV *Sent.*, dist. xxvi, art. 2, qu. 2; b. Innoc. V, ibid., qu. iii, art. 2.

* Qu. xxxv, art. 1

Ad primum ergo dicendum quod, sicut habet aqua baptismi quod *corpus tangat et cor abluat* * ex tactu carnis Christi *; ita matrimonium hoc habet ex hoc quod Christus sua passione illud repraesentavit; et non principaliter ex aliqua sanctificatione sacerdotis.

* Aug. *In Ioan Evangel.* tract. LXXX.
* IV *Sent.*, dist. iii, cap. *Si vero.*

Ad secundum dicendum quod, sicut aqua baptismi cum forma verborum non operatur immediate ad gratiam, sed ad characterem *; ita actus exteriores et verba exprimentia consensum directe faciunt nexum quendam, qui est sacramentum matrimonii; et huiusmodi nexus ex virtute divinae institutionis dispositive operatur ad gratiam.

* Cf. IV *Sent.*, dist. i, qu. i, art. 4, qa 1.

Ad tertium dicendum quod ratio illa procederet nisi contra concupiscentiae morbum posset aliquod efficacius remedium adhiberi. Adhibetur autem maius remedium per opera spiritualia et carnis mortificationem ab illis qui matrimonio non utuntur.

Ad quartum dicendum quod contra concupiscentiam potest praestari remedium dupliciter. Uno modo, ex parte ipsius concupiscentiae, ut reprimatur in sua radice. Et sic remedium praestat matrimonium per gratiam quae in eo datur.

Alio modo, ex parte actus eius. Et hoc dupliciter. Uno modo, ut actus ad quem concupiscentia inclinat exterius, turpitudine careat. Et hoc fit per bona matrimonii, quae honestant carnalem concupiscentiam. – Alio modo, ut actus turpitudinem habens impediatur. Quod fit ex ipsa natura actus: quia, dum concupiscentiae satisfit in actu coniugali, ad alias corruptelas non ita incitat. Propter quod dicit Apostolus *: *Melius est nubere quam uri.* Quamvis enim opera concupiscentiae congrua secundum se nata sint concupiscentiam augere, tamen secundum quod ratione ordinantur, ipsam reprimunt: quia *ex similibus actibus similes relinquuntur dispositiones et habitus* *.

* I *ad Cor.*, cap. vii, vers. 9.
* Aristot. *Ethic.* lib. II, cap. 1, n. 7. - S. Th. lect. 1.

ART. IV. UTRUM CARNALIS COMMIXTIO SIT DE INTEGRITATE MATRIMONII

Part. III, qu. xxix, art. 2; IV *Sent.*, dist. xxx, qu. ii, art. 2.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod carnalis commixtio sit de integritate matrimonii. In ipsa enim institutione matrimonii dictum est: *Erunt duo in carne una* *. Sed hoc non fit nisi per carnalem commixtionem. Ergo est de integritate matrimonii.

* *Gen.* cap. ii, vers. 24. - Cf. Matth. cap. xix, vers. 5; I *ad Cor.*, cap. vi, vers. 16.

2. Praeterea, illud quod pertinet ad sacramenti significationem, est de necessitate sacramenti, ut praedictum est *. Sed carnalis commixtio pertinet ad significationem sacramenti, ut in littera * dicitur. Ergo est de integritate sacramenti.

* Art. 2; qu. xxxix, art. 1.
* Dist. xxvi, cap. *Cum ergo.*

3. Praeterea, huiusmodi sacramentum ordinatur ad conservationem speciei. Sed conservatio speciei non potest fieri sine carnali commixtione. Ergo est de integritate sacramenti.

4. Praeterea, matrimonium est sacramentum secundum quod remedium contra concupiscentiam praestat, de quo dicit Apostolus, I *Cor.* vii *, quod *melius est nubere quam uri.* Sed hoc remedium non praestat his qui carnaliter non commiscentur. Ergo idem quod prius.

* Vers. 9.

Sed contra, in paradiso fuit matrimonium *. Sed ibi non fuit carnalis copula *. Ergo commixtio carnalis non est de integritate matrimonii.

* *Gen.* cap. ii, vers. 22 sqq.; cap. iii, vers. 8, 16 sqq.
* Cf. *Gen.* cap. iv, vers. 1.

2. Praeterea, sacramentum ex suo nomine sanctificationem importat. Sed sine carnali commixtione est matrimonium sanctius, ut in littera * dicitur. Ergo carnalis commixtio non est de necessitate sacramenti.

* Dist. xxvi, cap. *Inde est.*

Respondeo dicendum quod duplex est integritas: una quae attenditur secundum perfectionem primam, quae consistit in ipso esse rei; alia quae attenditur secundum perfectionem secundam, quae consistit in operatione. Quia ergo carnalis commixtio est quaedam operatio sive usus matrimonii, per quod facultas ad hoc datur; ideo erit carnalis commixtio de secunda perfectione matrimonii, et non de prima.

Ad primum ergo dicendum quod Adam exposuit integritatem matrimonii quantum ad utramque perfectionem: quia res ex suo actu innotescit.

Ad secundum dicendum quod significatio rei contentae est de necessitate sacramenti. Et ad hanc significationem non pertinet carnalis commixtio, sed ad rem non contentam: ut ex dictis * patet.

* Art. 1, ad 4, 5.

Ad tertium dicendum quod res non pervenit ad finem suum nisi per actum proprium. Unde ex hoc quod finis matrimonii non habetur sine carnali commixtione, ostenditur quod sit de integritate secunda *, et non de prima.

* Cf. corp.

Ad quartum dicendum quod ante commixtionem carnalem est matrimonium in remedium ex gratia, quae in eo datur, quamvis non ex actu. Quod pertinet ad integritatem secundam *.

* Cf. resp. ad 3.

QUAESTIO QUADRAGESIMATERTIA

DE SPONSALIBUS

Consequenter considerandum est de matrimonio absolute considerato *. Ubi primo agendum est de sponsalibus; secundo, de matrimonii ratione *; tertio, de eius causa efficiente, scilicet de consensu *; quarto, de eius bonis *; quinto, de impedimentis ipsius **; sexto, de secundis nuptiis *; septimo, de quibusdam matrimonio annexis **.

* Cf. qu. xli, Introd.
* Qu. xliv.
* Qu. xlv.
* Qu. xlix.
** Qu. l.
* Qu. lxiii.
** Qu. lxiv.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo: quid sint sponsalia.
Secundo: qui possunt contrahere sponsalia.
Tertio: utrum sponsalia dirimi possint.

ART. I. UTRUM SPONSALIA CONVENIENTER DICANTUR « FUTURARUM NUPTIARUM PROMISSIO »

Ad primum sic proceditur. Videtur quod sponsalia non convenienter dicantur *futurarum nuptiarum promissio*, ut habetur ex verbis Nicolai Papae *. Quia, sicut dicit Isidorus *, est aliquis *sponsus, non quia promittit, sed quia spondet et sponsores dat.* Sed a sponsalibus dicitur aliquis sponsus. Ergo male dicitur *promissio.*

* Primi.- *Ad consulta Bulgaror.*, n. iii. Cf. can. *Nostrates*, caus. XXX, qu. v.
* *Etymol.* lib. IX, cap. vii.

2. Praeterea, quicumque promittit aliquid, debet compelli ad solvendum. Sed illi qui sponsalia contraxerunt, non compelluntur per Ecclesiam ad matrimonium contrahendum *. Ergo sponsalia non sunt *promissio.*

* Cap. *Requisivit, de Sponsal. et Matrimon.*

3. Praeterea, in sponsalibus non est quandoque sola promissio, sed adiicitur iuramentum, et aliquae arrhae. Ergo videtur quod non debuerint solum per promissionem definiri.

4. Praeterea, matrimonia debent esse libera * et absoluta. Sed sponsalia quandoque fiunt sub aliqua conditione, etiam accipiendae pecuniae. Ergo non convenienter dicuntur promissio *nuptiarum.*

* Capp. *Requisivit* et *Gemma, de Sponsal. et Matrim.*

5. Praeterea, promissio, quae est de rebus futuris, vituperatur Iac. iv *. Sed circa sacramenta non debet aliquid

* Vers. 13 sqq.

esse vituperabile. Non ergo debet fieri *futurarum nuptiarum* promissio.

6. Praeterea, nullus dicitur sponsus nisi a sponsalibus. Sed aliquis dicitur sponsus ex praesentibus nuptiis, ut in littera * dicitur. Ergo sponsalia non semper sunt *futurarum nuptiarum* promissio.

Respondeo dicendum quod consensus in coniugalem copulam per verba de futuro non facit matrimonium, sed matrimonii promissionem *. Et haec promissio dicitur *sponsalia* a *spondendo,* ut dicit Isidorus *: *nam, ante usum tabularum matrimonii, cautiones dabant, quibus spondebant se invicem consentire in iure matrimonii, et fideiussores dabant.*

Fit autem ista promissio dupliciter *: scilicet absolute; et sub conditione. Absolute quatuor modis. Primo, nuda promissione: ut cum dicitur, *Accipiam te in meam,* et e converso. Secundo, datis arrhis sponsalitiis: ut pecunia, vel aliquid huiusmodi. Tertio, anuli subarrhatione. Quarto, interveniente iuramento.

Si autem fiat dicta promissio sub conditione, distinguendum est *. Quia aut est conditio honesta, ut cum dicitur, *Accipiam te si parentibus placeat:* et tunc, stante conditione stat promissio, et non stante non stat. – Aut est inhonesta. Et hoc dupliciter. Quia aut est contraria bonis matrimonii, ut si dicam, *Accipiam te si venena sterilitatis procures:* et tunc non contrahuntur sponsalia. Aut non est contraria bonis matrimonii, ut si dicam, *Accipiam te si furtis meis consentias:* et tunc stat promissio, sed tollenda est conditio.

Ad primum ergo dicendum quod ipsa sponsalia et sponsorum datio est promissionis confirmatio. Et ideo ab hoc denominatur, quasi a perfectiori *.

Ad secundum dicendum quod ex tali promissione obligatur unus alteri ad matrimonium contrahendum: et peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat. Et secundum hoc Ecclesia cogit, iniungendo poenitentiam pro peccato. Tamen in foro contentioso non compellitur: quia *matrimonia coacta consueverunt malos exitus habere* *. – Nisi forte iuramentum intervenerit. Quia tunc cogendus est, ut quidam * dicunt. Quamvis aliis * non videatur, propter causam praedictam: praecipue si de uxoricidio timeretur.

Ad tertium dicendum quod illa addita non sunt nisi ad confirmandam promissionem. Unde non sunt aliud quam promissio.

Ad quartum dicendum quod conditio illa quae apponitur, non tollit matrimonii libertatem. Quia, si est inhonesta, debet abiici. Si autem honesta, aut de bonis simpliciter, ut si dicatur, *Accipiam te si placet parentibus:* et haec conditio non tollit libertatem sponsalium, sed auget ei honestatem. Aut est de utilibus, ut si dicat, *Contraham tecum si dabis mihi centum:* et tunc hoc non ponitur quasi ad vendendum consensum matrimonii, sed intelligitur ut promissio dotis; unde matrimonium libertatem non perdit.

Quandoque autem apponitur conditio pecuniae per modum poenae. Et tunc, quia matrimonia debent esse libera, talis conditio non stat; nec potest exigi poena illa ab eo qui non vult matrimonium complere.

Ad quintum dicendum quod Iacobus non intendit prohibere quod omnino aliquis nullam promissionem faciat de futuris: sed quod non promittat quasi fiduciam habens de vita sua. Unde docet quod debet apponi conditio, *Si Deus voluerit* *. Quae etiam si verbis non exprimatur, corde tamen debet intelligi.

Ad sextum dicendum quod in matrimonio potest considerari ipsa coniunctio matrimonialis, et actus eius. Et a sponsione primi in futurum dicitur sponsus a sponsalibus contractis per verba de futuro. Et a sponsione secundi dicitur aliquis sponsus etiam quando contractum est matrimonium per verba de praesenti: quia ex hoc ipso matrimonii spondet actum. – Tamen a prima sponsione dicuntur sponsalia proprie, quae sunt quaedam sacramentalia matrimonii, sicut exorcismus baptismi.

* Dist. xxvii, capp. *His autem, Aliquando,* et *Haec etiam.*
* Cf. infra, qu. xlv, art. 3.
* Loc. cit. supra, n. 3.
* Cf. b. Albert. IV *Sent.*, dist. xxvii, art. 15.
* B. Albert. ibid.; s. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. iv, *de Imped. Condit.*
* Cf. Aristot. *de Anima*, lib. II, cap. iv, n. 15. – S. Th. lect. ix.
* Cap. *Requisivit, de Sponsal. et Matrim.*
* Gloss. ibid.
* Gloss in cap. *Ex litteris Silvani, de Sponsal. et Matrim.*
* Vers. 15.

ART. II. utrum tempus septennii sit competenter assignatum sponsalibus contrahendis

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod tempus septennii non sit competenter assignatum sponsalibus contrahendis *. Contractus enim qui per alios fieri potest, non requirit discretionem in illis ad quos pertinet. Sed sponsalia fieri possunt per parentes, utroque illorum ignorante quorum sunt sponsalia. Ergo ita possunt fieri ante septennium sicut post.

2. Praeterea, sicut ad contractum sponsalium requiritur aliquis rationis usus, ita ad consentiendum in peccatum mortale. Sed, sicut Gregorius narrat, in IV *Dialog.* *, quidam puer propter blasphemiae peccatum extinctus est. Ergo ante septennium possunt sponsalia contrahi.

3. Praeterea, sponsalia ad matrimonium ordinantur. Sed in matrimonio non assignatur unum tempus puellae et puero *. Ergo nec in sponsalibus septennium utrique assignari debet.

4. Praeterea, ex tunc aliqui possunt sponsalia contrahere ex quo eis possunt futurae nuptiae placere *. Sed signa talis placentiae frequenter apparent in pueris ante septennium. Ergo ante illud tempus possunt contrahi sponsalia.

5. Praeterea, si aliqui ante septimum annum contrahunt sponsalia, et postea, post septennium ante tempus pubertatis, contrahunt per verba de praesenti, reputantur inter eos esse sponsalia *. Sed hoc non est ex secundo contractu: quia tunc non intendunt sponsalia, sed matrimonium contrahere. Ergo ex primo. Et sic ante septennium possunt sponsalia contrahi.

6. Praeterea, in his quae communiter fiunt a pluribus, quod deest uni suppletur ab altero: sicut patet in trahentibus navem. Sed contractus sponsalium est quaedam actio communis inter contrahentes. Ergo, si unus sit pubes, potest contrahere cum puella quae non habet septem annos sponsalia: quia quod uni deficit de tempore, alteri superabundat.

7. Praeterea, si aliqui iuxta aetatem pubertatis, quamvis ante eam, contrahunt per verba de praesenti, reputatur inter eos matrimonium esse *. Ergo, pari ratione, si ante septennium, dummodo sint propinqui, contrahunt per verba de futuro, reputabuntur inter eos esse sponsalia.

Respondeo dicendum quod septennium est tempus determinatum a iure * sponsalibus contrahendis satis rationabiliter. Quia, cum sponsalia sint quaedam promissio futurorum, ut dictum est *, oportet quod illorum sint qui aliquo modo promittere possunt. Quod non est nisi illorum qui habent aliquam prudentiam de futuris: quae usum rationis requirit. Respectu cuius triplex gradus notatur, secundum Philosophum, in I *Ethic.* *: primus est cum quis neque intelligit per se, neque ab alio capere potest; secundus status est quo homo ab aliis capere potest, sed ipse per se non sufficit ad intelligendum; tertius est cum homo et ab alio iam capere potest, et per seipsum considerare. Et quia ratio paulatim in homine convalescit, secundum quod quietantur motus et fluxibilitates humorum, ideo primum statum rationis obtinet homo ante primum septennium: et propter hoc illo tempore nulli contractui aptus est, et ita nec sponsalibus. Sed ad secundum statum incipit pervenire in fine primi septennii: unde etiam tunc temporis pueri ad scholas ponuntur. Sed ad tertium statum incipit homo pervenire in fine secundi septennii, quantum ad ea quae ad personam ipsius pertinent, in qua ratio naturalis citius convalescit: sed quantum ad ea quae extra ipsum sunt, in fine tertii septennii. Et ideo ante primum septennium nulli contractui homo aptus est. Sed in fine primi septennii incipit esse aptus ad aliqua promittendum in futurum, praecipue de his ad quae ratio naturalis inclinat magis: non autem ad obligandum se perpetuo vinculo, quia adhuc non firmam voluntatem habet. Et ideo tali tempore possunt contrahere sponsalia. Sed in fine secundi septennii, iam potest obligare se de his quae ad personam ipsius pertinent, vel ad religionem vel ad coniugium. Sed post tertium septennium etiam

* Caus. XXX, qu. ii, Introd. Gratian.; capp. *Litteras*, et *Accessit, de Despons. Impub.*
* Cap. xviii.
* Capp. *Puberes*, et *Continebatur, de Despons. Impub.*
* Cap. *Litteras*, ibid.
* Cf. s. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. i, *de Sponsal*, § 2.
* Cap. *Continebatur, de Despons. Impub.*
* Cf. arg. 1.
* Art. 1.
* Cap. iv, n. 7. – S. Th. lect. iv.

potest de aliis se obligare. Et secundum leges * constituitur ei potestas de rebus suis disponendi post viginti quinque annos.

* Dig. IV, iv, *de Minoribus viginti quinque annis*, 3.

Ad primum ergo dicendum quod, si ante annos pubertatis fiat contractus sponsalium per alium, ambo vel alter reclamare possunt. Unde nihil tunc actum est: adeo quod nec aliqua affinitas contrahatur ex hoc *. Et ideo sponsalia quae inter aliquos per personas alias contrahuntur, robur habent inquantum illi inter quos contrahuntur, ad aetatem debitam venientes, non reclamant, ex quo intelliguntur consentire de his quae per alios facta sunt.

* S. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. xiv, *de Publ. Honest. Iustit.*

Ad secundum dicendum quod quidam * dicunt quod ille puer de quo Gregorius narrat, non fuit damnatus, nec mortaliter peccavit, sed visio illa ostensa fuit ad patrem contristandum, qui in puero illo peccaverat non corrigens eum. – Sed hoc est expresse contra intentionem Gregorii dicentis * quod *pater pueri, animam parvuli filii negligens, non parvulum peccatorem gehennae ignibus nutrivit.*

* B. Albert. IV *Sent.*, dist. xxvii, art. 13.
* Loc. cit. in arg.

Et ideo dicendum quod ad peccatum mortale sufficit etiam consensus in praesens. Sed in sponsalibus est consensus in futurum. Maior autem discretio rationis requiritur ad providendum in futurum quam ad consentiendum in actum unum praesentem. Et ideo ante potest homo peccare mortaliter quam possit se obligare ad aliquid futurum.

Ad tertium dicendum quod in tempore contractus matrimonii non solum requiritur dispositio ex parte usus rationis, sed etiam ex parte corporis, ut sit tempus generationi aptum *. Et quia puella in duodecimo anno ad hoc venit ut possit esse actui generationis apta, puer autem in finem secundi septennii, ut Philosophus ait, in IX *Animalium* *; simul autem usum discretionis accipiunt, qui tantum in sponsalibus requiritur: ideo in sponsalibus determinatur unum tempus utrique, non autem in matrimonio.

* Cap. *Quod sedem, de Frigid. et Malef.*
* Didot. *de Animal. Histor.* lib. V, cap. xiv, n. 2; lib. VII, cap. 1, n. 1.

Ad quartum dicendum quod illa placentia quae est in pueris ante septennium, non procedit ex perfecto usu rationis, cum nondum sint plene susceptibiles disciplinae: sed magis contingit ex motu naturae quam ex aliqua ratione. Et ideo non sufficit talis placentia ad sponsalia contrahendum.

Ad quintum dicendum quod, quamvis per secundum contractum in casu illo non faciant matrimonium, tamen ostendunt se ratam habere priorem promissionem. Et ideo prior contractus accipit firmitatem.

Ad sextum dicendum quod trahentes navem agunt per modum unius causae: et ideo quod deest uni potest suppleri ex altero. Sed sponsalia contrahentes agunt ut distinctae personae: quia sponsalia non nisi inter duos esse possunt. Unde in utroque requiritur quod sit sufficiens ad contrahendum. Et ideo defectus unius sponsalia impedit, nec ex altero potest suppleri.

Ad septimum dicendum quod in sponsalibus etiam similiter, si appropinquant contrahentes ad tempus septennii, contractus sponsalium habet robur: quia, secundum Philosophum, in II *Physic.* *, *quod parum deest, quasi nihil deesse videtur.*

* Cap. v, n. 9. - S. Th. lect. ix.

Haec autem propinquitas a quibusdam determinatur tempus sex mensium. Sed melius est quod determinetur secundum conditionem contrahentium: quia in quibusdam magis acceleratur usus rationis quam in aliis.

ART. III. utrum sponsalia dirimi possint

Ad tertium sic proceditur *. Videtur quod sponsalia dirimi non possunt altero religionem intrante *. Quia de pecunia quam alteri promisi, non possum alteri licite oblationem facere. Sed ille qui sponsalia contrahit, corpus suum promittit mulieri. Ergo non potest se offerre Deo ulterius in religionem.

2. Item, videtur quod non debeant dirimi quando alter coniugum ad longinquam regionem se transfert *. Quia *in dubiis semper tutior pars est eligenda* *. Sed tutius esset quod eum expectaret. Ergo tenetur eum expectare.

3. Item, videtur quod nec dirimantur per aegritudinem quam aliquis incurrit post contracta sponsalia *. Quia pro poena nullus debet puniri. Sed vir qui infirmitatem incurrit, punitur in eo quod ei ius suum aufertur, quod in illa habebat quae sibi fuerat desponsata. Ergo propter corporalem infirmitatem non debent sponsalia dirimi.

* Cf. s. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. 1, *de Sponsal.*, § 4; b. Albert. IV *Sent.*, dist. xxvii, art. 16.
* Capp. *Verum*, et *Ex publico*, *de Convers. Coniug.*
* Cap. *De illis autem, de Sponsal. et Matrim.*
* Cap. *Illud Dominus, de Cleric. excomm.*
* Cap. *Quemadmodum, de Iureiur.*; cap. *Litteras, de Coniug. lepros.*

4. Item, videtur quod nec propter affinitatem intervenientem: utpote si sponsus consanguineam sponsae fornicario concubitu cognoscat *. Quia secundum hoc sponsa puniretur pro peccato sponsi. Quod non est conveniens.

* Cap. *Libertas, de Despons. Impub.*

5. Item, videtur quod non possint se invicem absolvere *. Quia hoc est maximae levitatis, ut primo contrahant et postmodum se absolvant. Sed talia non debent ab Ecclesia sustineri. Ergo, etc.

* Cap *Praeterea hi, de Sponsal. et Matrim.*

6. Item, videtur quod nec propter alterius fornicationem *. Quia adhuc per sponsalia unus non accipit potestatem in corpus alterius. Et ita videtur quod in nullo contra invicem peccent si interim fornicantur. Et sic sponsalia dirimi non debent per hoc.

* Cap. *Quemadmodum, de Iureiur.*

7. Item, videtur quod nec per contractum cum alia per verba de praesenti *. Quia venditio secunda non derogat venditioni primae. Ergo nec secundus contractus potest derogare primo.

* Cap. *Si inter virum, de Sponsal. et Matrim.*

8. Item, videtur quod nec per defectum aetatis possint dirimi *. Quia quod non est, non potest dissolvi. Sed ante aetatem determinatam nulla fuerunt sponsalia. Ergo dirimi non possunt.

* Cap. *De illis, de Despons. Impub.*

Respondeo dicendum quod in omnibus praedictis casibus sponsalia contracta dirimuntur, sed diversimode. Quia in duobus, scilicet cum quis ad religionem confugit *, et cum alter coniugum cum altero per verba de praesenti contrahit *, ipso iure sponsalia dirimuntur. Sed in aliis casibus dirimi debent secundum iudicium Ecclesiae *.

* Arg. 1.
* Arg. 7.
* Cf. s. Raym. et b. Albert. loc. cit. supra.

Ad primum ergo dicendum quod talis promissio solvitur per mortem spiritualem: cum sit spiritualis tantum, ut dictum est *.

* Dist. xxvii, qu. 1, art. 3, qu[a] 2.

Ad secundum dicendum quod dubium illud determinatur ex hoc quod alter non comparet tempore statuto ad matrimonium perficiendum. Unde, si ex parte eius non defuit quin matrimonium compleret, potest licite alteri nubere sine peccato aliquo. Si autem per eum stetit quod matrimonium non est completum, debet agere poenitentiam de peccato fractae promissionis, aut iuramenti, si iuramentum intervenit; et contrahere cum alia, si vult, iudicio Ecclesiae *.

* Cf. cap. *De illis*, cit. in arg.

Ad tertium dicendum quod si, ante contractum matrimonium, aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum inter quos sunt contracta sponsalia, quae ipsum debilitet nimis, ut epilepsia aut paralysis; aut eum deformet, ut abscissio nasi vel orbitas oculorum aut aliquid huiusmodi; aut quae sunt contra bonum prolis, utpote lepra, quae solet prolem inficere: possunt sponsalia dirimere, ne sibi invicem displiceant, et matrimonium sic contractum malum exitum sortiatur. Nec pro poena punitur aliquis: sed ex poena damnum reportat. Quod non est inconveniens.

Ad quartum dicendum quod, si sponsus cognovit consanguineam sponsae vel e converso, tunc dirimi debent sponsalia *. Et ad hoc probandum sola fama sufficit **, propter scandalum vitandum. Causae enim quae in futurum expectant effectus suos, impediuntur a suis effectibus non solum ex eo quod est, sed ex eo quod futurum est. Unde, sicut affinitas, si esset tempore contractus sponsalium, impedivisset contractum illum; ita, si interveniat ante matrimonium, quod est effectus quidam sponsalium, prior contractus ab effectu suo impeditur. Nec in hoc aliquid detrahitur alteri: immo ei confertur, quia absolvitur ab eo qui per fornicationem se Deo odiosum reddidit.

* Cap. cit. in arg.
** Cap. *Super eo, de Consang. et Affin.*

Ad quintum dicendum, quod quidam * non recipiunt istum casum. – Sed contra eos est decretalis *, quae expresse dicit: *Ad instar,* inquit, *eorum qui societatem interpositione fidei contrahunt, et postea eandem remittunt, potest in patientia tolerari,* si mutuo se absolvunt qui sponsalia contraxerunt.

* Hugut. - Vide Gloss. in cap. cit. in arg.
* Citat. in arg.

Sed ad hoc dicunt quod Ecclesia magis hoc sustinet ne peius eveniat *, quam hoc sit de iure. – Sed hoc non videtur exemplo convenire quod decretalis adducit.

* Cf. decretal. cit.

Et ideo dicendum quod non semper est levitatis retractare quae prius firmata sunt: quia *incertae sunt providentiae nostrae,* ut dicitur in libro *Sapientiae* *.

* Cap. IX, vers. 14.

Ad sextum dicendum quod, quamvis non dederint sibi mutuo potestatem corporis sponsalia contrahentes, tamen ex hoc efficiuntur sibi invicem suspecti de non servanda fide in futurum. Et ideo potest sibi praecavere unus contra alium, sponsalia dirimendo.

Ad septimum dicendum quod ratio illa teneret si esset unius rationis uterque contractus. Sed secundus contractus matrimonii est fortior primo. Et ideo solvit ipsum.

Ad octavum dicendum quod, quamvis non fuerint vera sponsalia, tamen fuit ibi quidam modus sponsalium. Et ideo, ne videatur approbare ad annos legitimos veniens, debet petere solutionem sponsalium iudicio Ecclesiae faciendam, propter bonum exemplum.

QUAESTIO QUADRAGESIMAQUARTA

DE MATRIMONII DEFINITIONE

Deinde considerandum est de ratione matrimonii *. Circa quod quaeruntur tria.

* Cf. qu. XLIII, Introd.

Primo: utrum matrimonium sit in genere coniunctionis.
Secundo: utrum convenienter nominetur.
Tertio: utrum convenienter definiatur.

ART. I. UTRUM MATRIMONIUM SIT IN GENERE CONIUNCTIONIS

Infra, qu. XLVIII, art. 2, ad 2; Part. III, qu. XXIX, art. 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod matrimonium non sit in genere coniunctionis. Quia vinculum quo aliqua ligantur, differt a coniunctione ipsa, sicut causa ab effectu. Sed matrimonium est vinculum quoddam quo iuncti matrimonio ligantur. Ergo non est in genere coniunctionis.

2. Praeterea, omne sacramentum est sensibile signum *. Sed nulla relatio est accidens sensibile. Ergo matrimonium, cum sit sacramentum, non erit in genere relationis. Et ita nec in genere coniunctionis.

* Part. III, qu. LX, art. 4.

3. Praeterea, coniunctio est relatio aequiparentiae, sicut aequalitas. Sed non est una numero aequalitatis relatio in utroque extremorum: ut Avicenna dicit *. Ergo nec una coniunctio. Et sic, si matrimonium est in genere coniunctionis, non est unum tantum matrimonium inter duos coniuges.

* *Metaphys.* tract. III, cap. X.

Sed contra, relatio est secundum quam aliqua ad invicem referuntur *. Sed secundum matrimonium aliqua ad invicem referuntur: dicitur enim maritus vir uxoris, et uxor mariti uxor. Ergo matrimonium est in genere relationis. Nec est aliud quam coniunctio.

* Cf. Aristot. *Categ.* cap. V, n. 8, 12.

2. Praeterea, unio duorum ad aliquid unum non fit nisi secundum coniunctionem. Hoc autem fit per matrimonium: ut patet *Genes.* II *, *Erunt duo in carne una.* Ergo matrimonium est in genere coniunctionis.

* Vers. 24.

Respondeo dicendum quod coniunctio adunationem quandam importat. Unde ubicumque est adunatio aliquorum, ibi est aliqua coniunctio. Ea autem quae ordinantur ad aliquid unum, dicuntur in ordine ad illud adunari: sicut multi homines adunantur ad unam militiam vel negotiationem exequendam, ex qua dicuntur commilitones ad invicem, vel socii negotiationis. Et ideo, cum per matrimonium ordinentur aliqui ad unam generationem et educationem prolis; et iterum ad unam vitam domesticam; constat quod in matrimonio est aliqua coniunctio secundum quam dicitur maritus et uxor. Et talis coniunctio ex hoc quod ordinatur ad aliquod unum, est matrimonium. Coniunctio autem corporum vel animorum ad matrimonium consequitur.

Ad primum ergo dicendum quod matrimonium est vinculum quo ligantur formaliter, non effective. Ideo non oportet quod sit aliud a coniunctione.

Ad secundum dicendum quod, quamvis ipsa relatio non sit sensibile accidens, tamen causae eius possunt esse sensibiles. Nec in sacramento requiritur quod sit sensibile illud quod est res et sacramentum: hoc enim modo se habet in hoc sacramento praedicta coniunctio. Sed verba exprimentia consensum, quae sunt sacramentum tantum, et causa praedictae coniunctionis, sunt sensibilia *.

* Cf. qu. XLII, art. 1, ad 5.

Ad tertium dicendum quod relatio fundatur in aliquo sicut in causa, ut similitudo in qualitate; et in aliquo sicut in subiecto, ut in ipsis similibus. Et ex utraque parte potest attendi unitas et diversitas ipsius. Quia ergo in similitudine non est eadem qualitas numero, sed specie, in utroque simili; et iterum subiecta similitudinis sunt duo numero; et similiter est de aequalitate: ideo et aequalitas et similitudo omnibus modis est alia numero in utroque similium et aequalium. Sed relatio quae est matrimonium, ex una parte habet unitatem in utroque extremorum, scilicet ex parte causae, quia ad eandem numero generationem ordinatur: sed ex parte subiecti habet diversitatem secundum numerum. Et ideo haec relatio est una et multiplex. Et secundum quod est multiplex ex parte subiecti, significatur his nominibus, *uxor et maritus:* secundum autem quod est una, significatur hoc nomine, *matrimonium.*

ART. II. UTRUM MATRIMONIUM CONGRUE NOMINETUR

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod *matrimonium* incongrue nominetur. Quia denominatio debet fieri a digniori *. Sed pater dignior est matre. Ergo magis debet denominari a patre quam a matre coniunctio utriusque.

* Vide Aristot. *de Anima*, lib. II, cap. IV, n. 15. - S. Th. lect. IX.

2. Praeterea, res debet denominari ab eo quod est de essentia sua: quia *ratio quam significat nomen, est definitio,* ut dicitur in IV *Metaphys.* * Sed nuptiae non sunt de essentia matrimonii. Ergo non debet matrimonium *nuptiae* appellari.

* S. Th. lect. XVI. - Did. lib. III, cap. VII, n. 9.

3. Praeterea, species non potest proprio nomine nominari ab eo quod est generis. Sed coniunctio est genus ad matrimonium *. Ergo non potest proprie *coniugium* nominari.

* Cf. art. praeced.

Sed in contrarium est communis usus loquentium.

Respondeo dicendum quod in matrimonio est tria considerare. Primo, essentiam ipsius, quae est coniunctio. Et secundum hoc vocatur *coniugium* *.

* Isidor. *Etymol.* lib. IX, cap. VII, n. 20.

Secundo, causam eius, quae est desponsatio. Et secundum hoc vocantur *nuptiae* a *nubo:* quia in ipsa solemnitate desponsationis, qua matrimonium perficitur, capita nubentium velantur *.

* Ibid., n. 12.

Tertio, effectum, qui est proles. Et sic dicitur *matrimonium:* ut Augustinus dicit, *contra Faustum* *, *ob hoc quod mulier non debet ad aliud nubere nisi ut sit mater.* – Potest etiam dici matrimonium quasi *matris munium,* idest officium: quia feminis incumbit maxime educandae prolis officium *. – Vel dicitur matrimonium quasi *matrem muniens:* quia iam habet quo defendatur et muniatur, scilicet virum. – Vel dicitur matrimonium quasi *matrem monens,* ne virum relinquat alteri adhaerens. – Vel dicitur matrimonium quasi *materia unius,* quia in eo fit coniunctio ad unam prolem materialiter inducendam: ut dicatur matrimonium a *monos* et *materia.* – Vel dicitur matrimonium, ut Isidorus dicit *, a *matre* et *nato:* quia per matrimonium efficitur aliqua mater nati.

* Lib. XIX, cap. XXVI.

* S. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. II, *de Matrim.*, § 1.

* Loc. cit. n. 13.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis pater sit dignior quam mater, tamen circa prolem mater magis est officiosa quam pater. – Vel ideo quia mulier ad hoc principaliter facta est ut sit homini in adiutorium prolis. Non autem vir propter hoc factus est. Unde magis pertinet ad rationem matrimonii mater quam pater.

Ad secundum dicendum quod aliquando essentialia cognoscuntur per accidentalia. Et ideo etiam per accidentalia aliqua nominari possunt: cum nomen detur causa rei innotescendae.

Ad tertium dicendum quod aliquando species nominatur ab eo quod est generis propter imperfectionem speciei: quando scilicet complete habet generis rationem, nec tamen aliquid addit quod ad dignitatem pertineat; sicut proprium accidentale retinet nomen proprii communis. Aliquando autem propter perfectionem: quando in una specie complete invenitur ratio generis, et non in alia; sicut animal denominatur ab *anima*, quae competit animato corpori, quod est genus animalis, sed animatio non invenitur perfecte in animatis quae non sunt animalia. Et

similiter est in proposito: quia coniunctio viri ad mulierem per matrimonium est maxima, cum sit et animarum et corporum. Et ideo *coniugium* nominatur.

ART. III. UTRUM MATRIMONIUM CONVENIENTER DEFINIATUR IN LITTERA

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod inconvenienter definiatur in littera *. Quia in *mariti* definitione oportet quod matrimonium ponatur: quia maritus est qui est mulieri matrimonio iunctus. Sed ipse ponit *maritalem coniunctionem* in definitione matrimonii. Ergo videtur quod sit circulatio in definitionibus istis.

* Dist. xxvii, cap. *Sunt ergo.*

2. Praeterea, per matrimonium, sicut vir efficitur maritus mulieris, ita mulier uxor viri. Ergo non debet magis dici coniunctio *maritalis* quam *uxoria.*

3. Praeterea, consuetudo ad genus moris pertinet. Sed frequenter matrimonio iuncti sunt valde moribus diversi. Ergo non debet poni in definitione matrimonii, *individuam vitae consuetudinem retinens.*

4. Praeterea, inveniuntur aliae definitiones de matrimonio datae. Quia secundum Hugonem *, matrimonium est *duarum idonearum personarum legitimus de coniunctione consensus.* – Secundum quosdam * autem matrimonium est *consortium communis vitae et communicatio divini et humani iuris.* – Et quaeritur qualiter hae definitiones differant.

* *Summ. Sent.*, tract. VII, cap. vi.
* Dig. XXIII, ii, *de Ritu Nupt.*, 1. - Cf. s. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. ii, *de Matrim.*, § 1.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, in matrimonio tria considerantur: scilicet causa ipsius, et essentia eius, et effectus. Et secundum hoc tres definitiones inveniuntur de matrimonio datae. Nam definitio Hugonis * tangit causam, scilicet consensum: et per se nota est.

* Art. praeced.
* Cf. arg. 4.

Definitio autem in littera posita * tangit essentiam matrimonii, scilicet *coniunctionem.* Et addit determinatum subiectum, in hoc quod dicit *inter legitimas personas.* Ponit etiam differentiam contrahentem ad speciem, in hoc quod dicit *maritalis:* quia, cum matrimonium sit coniunctio in ordine ad aliquid unum, talis coniunctio in speciem trahitur per illud ad quod ordinatur; et hoc est id quod ad maritum pertinet. Ponit etiam virtutem huius coniunctionis, quia indissolubilis est, in hoc quod dicit, *individuam* etc.

* Cf. arg. 1.

Sed alia definitio * tangit effectum ad quem ordinatur matrimonium, scilicet *vita communis* in rebus domesticis. Et quia omnis communicatio aliqua lege ordinatur, ideo ponitur ordinativum istius communionis, scilicet *ius divinum et humanum.* Aliae autem communicationes, ut negotiatorum et militantium, solo iure humano institutae sunt.

* Cf. arg. 4.

Ad primum ergo dicendum quod aliquando priora, ex quibus debet dari definitio, non sunt nominata; et ideo in definitione aliquorum ponuntur aliqua posteriora simpliciter quae sunt priora quoad nos; sicut in definitione qualitatis ponitur *quale* a Philosopho, cum dicit *: *Qualitas est secundum quam quales dicimur.* Et ita etiam hic in definitione matrimonii ponitur *maritalis:* ut sit sensus quod matrimonium est *coniunctio ad ea quae mariti officium requirit,* quae non poterant uno nominari nomine.

* *Categ.* cap. vi, n. 1.

Ad secundum dicendum quod per hanc differentiam tangitur finis coniunctionis, ut dictum est *. Et quia, ut dicit Apostolus *, *vir non est propter mulierem, sed mulier propter virum,* ideo haec differentia potius debet sumi a viro quam a muliere.

* In corpore.
* I *ad Cor.*, cap. xi, vers. 9.

Ad tertium dicendum quod, sicut vita civilis non importat actum singularem huius vel illius, sed ea quae ad communicationem civilem pertinent; ita vita coniugalis nihil aliud est quam conversatio ad communicationem talem pertinens. Et ideo quantum ad hanc vitam semper consuetudo est individua: quamvis sit diversa quantum ad actus singulares utriusque.

Ad quartum patet solutio ex dictis *.

* In corpore.

QUAESTIO QUADRAGESIMAQUINTA

DE CONSENSU MATRIMONII

Consequenter considerandum est de consensu *. Ubi primo agendum est de consensu secundum se considerato; secundo, de consensu iuramento vel carnali copula firmato *; tertio, de consensu coacto et conditionato **; quarto, de obiecto consensus *.

* Cf. qu. xliii, Introd.
* Qu. xlvi.
** Qu. xlvii.
* Qu. xlviii.

Circa primum quaeruntur quinque.

Primo: utrum consensus sit causa efficiens matrimonii.
Secundo: utrum consensum oporteat per verba exprimi.
Tertio: utrum consensus expressus per verba de futuro faciat matrimonium.
Quarto: utrum consensus expressio per verba, si desit interior consensus, faciat matrimonium.
Quinto: utrum consensus in occulto factus per verba de praesenti faciat matrimonium.

ART. I. UTRUM CONSENSUS SIT CAUSA EFFICIENS MATRIMONII

Infra, qu. xlvii, art. 3, ad 1; *De Verit.*, qu. xxviii, art. 8, ad 7; *Quodl.* V, qu. viii, art. 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod consensus non sit causa efficiens matrimonii. Sacramenta enim non sunt a voluntate humana, sed ab institutione divina *. Sed consensus ad voluntatem pertinet. Ergo non est causa matrimonii, sicut nec aliorum sacramentorum.

* IV *Sent.*, dist. ii, qu. i, art. 4, qu^a 4; Part. III, qu. lxiv, art. 2.

2. Praeterea, idem non est causa sui ipsius. Sed matrimonium nihil aliud videtur esse quam consensus: quia consensus ipse significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam. Ergo consensus non est causa matrimonii.

3. Praeterea, unius debet esse una causa. Sed matrimonium inter duos est unum, ut dictum est *. Consensus autem duorum sunt diversi, quia diversorum sunt, et in diversa: ab una enim parte est consensus in virum, ex alia in uxorem. Ergo mutuus consensus non est causa matrimonii.

* Qu. xliv, art. 1.

Sed contra est quod Chrysostomus dicit *: *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.*

* *Op. Imperf. in Matth.*, homil. XXXII. - Inter Opp. Chrys. - Cf. Dig. L, *de diversis reg. Iuris*, 30.

2. Praeterea, unus non accipit potestatem in eo quod est libere alterius, nisi per eius consensum. Sed per matrimonium accipit uterque coniugum potestatem in corpus alterius, ut patet I *Cor.* vii *, cum prius uterque liberam potestatem sui corporis haberet. Ergo consensus facit matrimonium.

* Vers. 4.

Respondeo dicendum quod in omnibus sacramentis est aliqua spiritualis operatio, mediante materiali operatione quae eam significat: sicut per ablutionem corporalem in baptismo fit ablutio interior spiritualis. Unde, cum in matrimonio sit quaedam spiritualis coniunctio, inquantum matrimonium est sacramentum; et aliqua materialis, secundum quod est in officium naturae et civilis vitae: oportet quod mediante materiali fiat spiritualis virtute divina. Unde, cum coniunctiones materialium contractuum fiant per mutuum consensum, oportet quod hoc modo etiam fiat matrimonialis coniunctio.

Ad primum ergo dicendum quod sacramentorum prima causa est *divina virtus, quae in eis operatur salutem* *: sed causae secundae instrumentales sunt materiales operationes ex divina institutione habentes efficaciam. Et sic consensus in matrimonio est causa.

* Isid. *Etymol.* lib. VI, cap. xix.

Ad secundum dicendum quod matrimonium non est ipse consensus, sed quaedam unio ordinatorum ad unum, ut dictum est *, quam consensus facit. Nec consensus, proprie loquendo, coniunctionem Christi ad Ecclesiam significat: sed voluntatem eius, qua factum est ut Ecclesiae coniungeretur.

* Qu. xliv, art. 1.

Ad tertium dicendum quod, sicut matrimonium est unum ex parte eius in quod fit coniunctio, quamvis sit multiplex ex parte coniunctorum; ita etiam consensus est unus ex parte eius in quod consentitur, scilicet praedictae coniunctionis, quamvis multiplex ex parte consentientium. Nec est directe consensus in virum, sed in coniunctionem ad virum, ex parte uxoris: et similiter, ex parte viri, consensus in coniunctionem ad uxorem.

ART. II. UTRUM OPORTEAT CONSENSUM PER VERBA EXPRIMI

De Forma Absolut., cap. 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non oportet consensum per verba exprimi. Quia sicut per matrimonium redigitur homo in potestatem alterius, ita per votum. Sed votum obligat quoad Deum etiam si non ex-

primatur verbis. Ergo et consensus facit matrimonii obligationem etiam sine expressione verborum.

2. Praeterea, matrimonium potest esse inter aliquos qui suum consensum sibi mutuo verbis exprimere non possunt, quia vel sunt muti *, vel diversarum linguarum. Ergo expressio consensus per verba non requiritur ad matrimonium.

* Capp. *Cum apud* et *Tuae fraternit.*, *de Sponsal. et Matrim.*

3. Praeterea, si omittatur illud quod est de necessitate sacramenti quacumque ex causa, non est sacramentum. Sed in aliquo casu est matrimonium sine expressione verborum: sicut quando puella tacet prae verecundia, parentibus eam viro tradentibus. Ergo expressio verborum non est de necessitate matrimonii.

Sed contra, matrimonium est sacramentum quoddam *. Sed in omni sacramento requiritur aliquod sensibile signum *. Ergo et in matrimonio. Et ita oportet ibi saltem esse verba exprimentia consensum sensibiliter.

* Qu. xlii, art. 1.

* Part. III, qu. lx, art. 4.

2. Praeterea, in matrimonio fit contractus inter virum et mulierem. Sed in quolibet contractu oportet esse expressionem verborum, quibus se mutuo homines obligent. Ergo et in matrimonio oportet esse consensum per verba expressum.

Respondeo dicendum quod, sicut ex dictis * patet, coniunctio matrimonialis fit ad modum obligationis in contractibus materialibus. Et quia materiales contractus non possunt fieri nisi sibi invicem voluntatem suam verbis promant qui contrahunt, ideo etiam oportet quod consensus matrimonium faciens verbis exprimatur: ut expressio verborum se habeat ad matrimonium sicut ablutio exterior ad baptismum.

* Art. praeced.

Ad primum ergo dicendum quod in voto non est aliqua sacramentalis obligatio, sed spiritualis tantum. Et ideo non oportet quod fiat ad modum materialium contractuum ad hoc quod obliget, sicut est de matrimonio.

Ad secundum dicendum quod, quamvis non possint vota sua mutuo verbis tales exprimere, possunt tamen exprimere nutibus. Et tales nutus pro verbis computantur.

Ad tertium dicendum quod, sicut dicit Hugo de Sancto Victore *, *eos qui coniunguntur sic oportet consentire ut invicem se spontanee recipiant: quod iudicatur fieri si in desponsatione non contradicant.* Unde verba parentum computantur in casu illo ac si essent puellae: sunt enim sufficiens signum quod sunt eius, ex quo non contradicit.

* *Summ. Sent.*, tract. VII, cap. vi.

ART. III. Utrum consensus expressus per verba de futuro matrimonium faciat

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod consensus expressus per verba de futuro matrimonium faciat. Quia sicut se habet praesens ad praesens, ita futurum ad futurum. Sed consensus per verba de praesenti expressus facit matrimonium in praesenti. Ergo consensus expressus per verba de futuro facit matrimonium in futuro.

2. Praeterea, sicut in matrimonio fit quaedam obligatio per verba exprimentia consensum, ita et in aliis civilibus contractibus. Sed in aliis contractibus non differt utrum per verba de praesenti vel de futuro obligatio fiat. Ergo nec in matrimonio differt.

3. Praeterea, per votum religionis homo contrahit matrimonium spirituale cum Deo. Sed votum religionis fit per verba de futuro, et obligat. Ergo et similiter potest fieri matrimonium per verba de futuro.

Sed contra est quia ille qui consentit in aliquam per verba de futuro, et postea cum alia per verba de praesenti, secundum iura debet habere secundam uxorem *. Sed hoc non esset si consensus per verba de futuro faceret matrimonium: quia ex quo verum est matrimonium cum una, ea vivente non potest contrahi cum alia. Ergo consensus per verba de futuro non facit matrimonium.

* Cap. *Sicut ex litteris*, *de Sponsal. et Matrim.*

2. Praeterea, qui promittit aliquid se facturum, nondum facit illud. Sed qui consentit per verba de futuro, promittit se cum aliqua contracturum matrimonium. Ergo non contrahit adhuc cum illa.

Respondeo dicendum quod causae sacramentales significando efficiunt: unde *hoc efficiunt quod significant* *. Et quia, cum aliquis consensum suum per verba de futuro exprimit, non significat se facere matrimonium, sed promittit se facturum, ideo talis expressio consensus non facit matrimonium, sed sponsionem eius, quae sponsalia nominantur *.

* Cf. IV *Sent.*, dist. 1, p. 1, cap. *Sacramentum.*

* Cf. qu. xliii, art. 1.

Ad primum ergo dicendum quod, cum consensus exprimitur per verba de praesenti, et verba sunt praesentia, et in praesens consentitur pro eodem tempore. Sed quando consensus fit per verba de futuro, verba sunt praesentia, sed consentitur in futurum. Et ideo non pro eodem tempore. Et propter hoc non est simile.

Ad secundum dicendum quod etiam in aliis contractibus qui verbis futuris utitur non transfert potestatem rei suae in alterum, ut si dicat, *Dabo tibi:* sed solum quando verbis praesentibus utitur.

Ad tertium dicendum quod in voto professionis actus spiritualis matrimonii per verba de futuro exprimitur, scilicet obedientia vel observantia regulae: et non ipsum matrimonium spirituale. Si autem spirituale matrimonium in futurum voveatur, non est matrimonium spirituale: quia nondum ex hoc aliquis est monachus, sed se futurum monachum pollicetur.

ART. IV. Utrum consensus expressio, etiam per verba, si desit interior consensus, faciat matrimonium

IV *Sent.*, dist. xxvii, Expos. litt.; dist. xxviii, art. 2; dist. xxix, Expos. litt.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod consensus expressio, etiam per verba, si desit interior consensus, faciat matrimonium. Quia *fraus et dolus nemini patrocinari debet,* secundum iura *. Sed ille qui verbis exprimit consensum quem in corde non habet, dolum committit. Ergo non debet sibi patrocinari, ut ab obligatione matrimonii liber reddatur.

* Capp. *Sedes Apostolica*, et *Ex tenore*, *de Rescript.*; cap. *Si vir*, *de Cognat. Spirit.*

2. Praeterea, consensus mentalis alterius non potest esse alicui notus nisi quatenus per verba exprimitur. Si ergo expressio verborum non sufficit, sed consensus interior requiritur in utroque coniugum, tunc neuter poterit scire de altero an sit ei verus coniux. Et ita erit fornicator quandocumque matrimonio utetur.

3. Praeterea, si aliquis probatur per verba de praesenti in aliquam consensisse, cogitur per excommunicationis sententiam ut eam habeat in uxorem, quamvis dicat consensum mentalem defuisse, etiam si postea cum alia contraxerit consensu mentali verbis expresso *. Sed hoc non esset si requireretur consensus mentalis ad matrimonium. Ergo non requiritur.

* Cap. *Licet praeter solutum*, *de Spons. duor.*

Sed contra est quod Innocentius III dicit, in decretali quadam *, in casu isto loquens: *Sine consensu nequeunt cetera foedus perficere coniugale.*

* Cap. *Tua nos duxit*, *de Sponsal. et Matrim.*

2. Praeterea, intentio requiritur in omnibus sacramentis *. Sed ille qui corde non consentit, non habet intentionem matrimonii contrahendi. Ergo non fit matrimonium.

* Part. III, qu. lxiv, art. 8.

Respondeo dicendum quod, sicut se habet ablutio exterior ad baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc sacramentum, ut dictum est *. Unde sicut, si aliquis ablutionem exteriorem reciperet non intendens recipere sacramentum sed ludum et dolum facere, non esset baptizatus *; ita expressio verborum sine interiori consensu matrimonium non facit.

* Art. 2.

* IV *Sent.*, dist. vi, Expos. litt.; Part. III, qu. lxiv, art. 10, ad 2.

Ad primum ergo dicendum quod ibi sunt duo: scilicet defectus consensus, qui sibi patrocinatur in foro conscientiae, ut non adstringatur vinculo matrimonii, quamvis non in foro Ecclesiae, in quo iudicatur secundum allegata; et dolus verborum, et hic non patrocinatur nec in foro poenitentiae nec in foro Ecclesiae, quia in utroque pro hoc punitur.

Ad secundum dicendum quod, si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est matrimonium: quia matrimonium consistit in mutua coniunctione, ut dictum est *. Tamen probabiliter potest credi dolus non esse, nisi signa evidentia doli appareant: quia de quolibet praesumendum est bonum nisi probetur contrarium. Unde ille ex cuius parte dolus non est, a peccato excusatur per ignorantiam.

* Qu. xliv, art. 1.

Ad tertium dicendum quod in tali casu Ecclesia compellit eum ad standum cum prima uxore, quia secundum

ea iudicat *quae foris apparent* *: nec decipitur in iustitia, quamvis decipiatur in facto. Sed ille debet potius excommunicationem sustinere quam ad primam uxorem accedat *; vel in alias regiones remotas fugere.

* Cf. I *Reg.*, cap. xvi, vers. 7. - Vide s. Th. *Quodl.* V, qu. viii, art. 1, ad 1.
* Cap. *Inquisitioni*, *de Sent. Excom.*

ART. V. UTRUM CONSENSUS IN OCCULTO FACTUS PER VERBA DE PRAESENTI FACIAT MATRIMONIUM

IV *Sent.*, dist. xxviii, Expos. litt.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod consensus in occulto factus per verba de praesenti non faciat matrimonium. Res enim in potestate alterius existens non transfertur in potestatem alterius nisi consentiente illo in cuius potestate erat. Sed puella erat in potestate patris. Ergo non potest per matrimonium transire in potestatem viri nisi patre consentiente. Et ita, si fiat in occulto consensus, etiam per verba de praesenti expressus, non erit matrimonium.

2. Praeterea, sicut in matrimonio est actus noster quasi de essentia sacramenti, ita in poenitentia *. Sed sacramentum poenitentiae non perficitur nisi mediantibus Ecclesiae ministris *, qui sunt sacramentorum dispensatores. Ergo nec matrimonium perfici potest in occulto, absque sacerdotali benedictione.

* Part. III, qu. lxxxiv, art. 1, ad 1.
* Ibid., ad 2; art. 4, ad 3.

3. Praeterea, baptismus, quia potest in occulto et in aperto fieri, non prohibetur ab Ecclesia fieri in occulto. Sed Ecclesia prohibet clandestina matrimonia *. Ergo non possunt fieri in occulto.

* Cap. *Cum inhibitio*, *de Clandest. Despons.*

4. Praeterea, inter eos qui in secundo gradu sibi attinent, matrimonium contrahi non potest quia Ecclesia prohibuit *. Sed similiter Ecclesia prohibuit clandestina matrimonia *. Ergo non possunt esse vera matrimonia.

* Cap. *Non debet*, *de Consang. et Affin.*
* Cf. arg. praeced.

Sed contra, posita causa ponitur effectus *. Sed causa efficiens matrimonii est consensus per verba de praesenti expressus. Ergo, sive fiat in publico sive in occulto, matrimonium sequetur.

* Aristot. *Physic.* lib II, cap. iii, n. 11; s. Th. lect. vi. - Cf. *Post. Anal.* lib. II, cap. xiv, n. 4, 5; s. Th. lect. xviii: Boet. *de Diff. Topic.* lib. III.

2. Praeterea, ubi est debita materia et debita forma, ibi est sacramentum. Sed in occulto matrimonio servatur debita forma, quia sunt ibi verba de praesenti consensum exprimentia; et debita materia, quia sunt legitimae personae ad contrahendum. Ergo est ibi verum matrimonium.

Respondeo dicendum quod, sicut in aliis sacramentis quaedam sunt de essentia sacramenti, quibus omissis non est sacramentum; quaedam autem ad solemnitatem sacramenti pertinent, quibus omissis verum perficitur sacramentum, quamvis peccet qui omittit: ita etiam consensus expressus per verba de praesenti, inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit. Quia haec duo sunt de essentia sacramenti: alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti, quia ad hoc adhibentur ut matrimonium convenientius fiat. Unde, si omittantur, verum est matrimonium *: quamvis peccent sic contrahentes, nisi per aliquam legitimam causam excusentur.

* Cap. *Quod nobis*, *de Clandest Despons.*

Ad primum ergo dicendum quod puella non est in potestate patris quasi ancilla, ut sui corporis potestatem non habeat, sed quasi filia ad educandum. Et ideo, secundum hoc quod libera est, potest se in potestate alterius absque consensu patris dare: sicut etiam potest aliquis vel aliqua intrare religionem absque consensu parentum, cum sit persona libera.

Ad secundum dicendum quod actus noster in poenitentia, quamvis sit de essentia sacramenti, non est sufficiens ad inducendum proximum effectum, scilicet absolutionem a peccatis: et ideo oportet quod ad perfectionem sacramenti interveniat actus sacerdotis. Sed in matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio: quia quicumque est sui iuris, potest se alteri obligare. Et ideo sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio quasi de essentia sacramenti.

Ad tertium dicendum quod etiam prohibitum est quod baptismum nullus accipiat nisi a sacerdote, nisi in articulo necessitatis *. Matrimonium autem non est sacramentum necessitatis. Et ideo non est similis ratio.

* Can. *Diaconos propriam*, dist. XCIII; can. *Constat baptisma*, dist. IV, *de Consecr.*

Prohibentur autem clandestina matrimonia propter pericula quae inde evenire solent. Quia frequenter in talibus est aliqua fraus ex altera parte; frequenter etiam ad alia coniugia transeunt, dum poenitent de his quae subito facta sunt; et multa alia mala inde accidunt. Et speciem turpitudinis praeter hoc habent.

Ad quartum dicendum quod non sunt prohibita clandestina matrimonia quasi contra essentialia matrimonii existentia, sicut sunt prohibita matrimonia illegitimarum personarum, quae sunt materia indebita huic sacramento. Et ideo non est simile.

QUAESTIO QUADRAGESIMASEXTA

DE CONSENSU CUI ADVENIT IURAMENTUM VEL COPULA CARNALIS

Deinde considerandum est de consensu cui advenit iuramentum vel copula carnalis *.

* Cf. qu. xlv, Introd.

Circa quod quaeruntur duo.

Primo: utrum iuramentum adiunctum consensui per verba de futuro expresso, faciat matrimonium.

Secundo: utrum copula carnalis eidem consensui adveniens faciat matrimonium.

ART. I. UTRUM IURAMENTUM ADIUNCTUM CONSENSUI PER VERBA DE FUTURO EXPRESSO, FACIAT MATRIMONIUM

Ad primum sic proceditur. Videtur quod iuramentum adiunctum consensui per verba de futuro expresso, faciat matrimonium. Nullus enim potest se obligare ut faciat contra ius divinum. Sed implere iuramentum est de iure divino: ut patet Matth. v *: *Reddes autem Domino iuramenta tua.* Ergo per nullam obligationem sequentem potest evenire quod homo non debeat tenere iuramentum prius factum. Si ergo post consensum in aliquam per verba de futuro iuramento firmatum, aliquis alteri se obligat per verba de praesenti; videtur quod nihilominus debeat iuramentum primum servare. Sed hoc non esset nisi iuramento illo esset matrimonium illud perfectum. Ergo iuramentum adiunctum consensui per verba de futuro, facit matrimonium.

* Vers. 33.

2. Praeterea, veritas divina fortior est quam veritas humana. Sed per iuramentum veritate divina firmatur aliquid. Cum ergo verba exprimentia consensum de praesenti, in quibus est sola veritas humana, matrimonium perficiant; videtur quod multo amplius id efficere possint verba de futuro iuramento firmata.

3. Praeterea, secundum Apostolum, *ad Heb.* *, *omnis controversiae finis est iuramentum.* Ergo, in iudicio saltem, plus standum est iuramento quam simplici verbo. Si ergo aliquis simplici verbo consentiat in aliquam per verba de praesenti postquam consenserit in aliam per verba de futuro iuramento firmata, videtur quod iudicio Ecclesiae debeat compelli stare cum prima, et non cum secunda *.

* Cap. vi, vers. 16.
* Cap. *Sicut ex litteris*, *de Sponsal. et Matrim.*

4. Praeterea, verba de futuro simpliciter prolata faciunt sponsalia *. Sed iuramentum ibi aliquid operatur. Ergo facit plus quam sponsalia. Sed ultra sponsalia non est nisi matrimonium. Ergo faciunt matrimonium.

* Cf. qu. xliii, art. 1.

Sed contra, quod futurum est, non est. Sed iuramentum additum non facit quin verba de futuro significent consensum de futuro. Ergo adhuc matrimonium non est.

2. Praeterea, postquam perfectum est matrimonium, non oportet quod alius consensus interveniat ad matrimonium. Sed post iuramentum advenit alius consensus, qui matrimonium facit: alias frustra iuraretur illud esse futurum. Ergo non facit matrimonium.

Respondeo dicendum quod iuramentum adhibetur ad confirmationem dictorum. Unde illud tantum confirmat quod in dictis significatur, nec significatum mutat. Et ideo, cum verba de futuro ex ipsa significatione sua habeant quod matrimonium non faciant, quia quod futurum promittitur nondum fit; etiam si iuramentum adveniat, nondum est matrimonium factum, sicut Magister in littera * dicit.

* Dist. xxviii, cap. 1. - Cf. cap. *Si inter virum*, *de Sponsal. et Matrim.*

Ad primum ergo dicendum quod implere iuramentum licitum est de iure divino, non autem implere iuramentum illicitum. Unde, si aliqua obligatio sequens iuramentum faciat illud illicitum, cum prius fuisset licitum, non derogat iuri divino qui iuramentum prius factum non servat. Et ita est in proposito. Illicite enim iuratur quod il-

licite promittitur. Promissio autem de alieno est illicita. Unde consensus sequens per verba de praesenti, quo quis transfert dominium sui corporis in aliam, facit praecedens iuramentum esse illicitum, quod prius licitum erat.

Ad secundum dicendum quod veritas divina efficacissima est ad firmandum illud cui adhibetur.

Unde patet solutio ad tertium.

Ad quartum dicendum quod iuramentum aliquid operatur, non novam obligationem faciens, sed factam confirmans. Et sic gravius peccat qui eam violat.

ART. II. utrum carnalis copula, post verba de futuro consensum exprimentia, faciat matrimonium

Quodl. V, qu. viii, art. 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod carnalis copula, post verba de futuro consensum exprimentia, faciat matrimonium. Quia maius est consentire facto quam verbo. Sed ille qui carnaliter commiscetur, facto consentit promissioni quam prius fecit. Ergo videtur quod multo magis per hoc fiat matrimonium quam si solis verbis de praesenti consensus fieret.

2. Praeterea, consensus non solum expressus, sed etiam interpretativus, facit matrimonium *. Sed nulla potest esse maior interpretatio consensus quam carnalis copula. Ergo perficitur matrimonium per hoc.

* Cf. qu. xlv, art. 2, ad 3.

3. Praeterea, omnis coniunctio carnalis praeter matrimonium facta est peccatum. Sed mulier non videtur peccare admittens sponsum ad carnalem copulam. Ergo per hoc fit matrimonium.

4. Praeterea, *non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum* *. Sed aliquis non potest mulieri quam defloravit sub specie matrimonii, restituere ablatum, nisi eam coniugio ducat. Ergo videtur quod si etiam, post carnalem copulam, cum alia contraxerit per verba de praesenti, quod teneatur ad primam redire. Quod non esset nisi inter eos esset matrimonium. Ergo carnalis copula, post consensum de futuro, facit matrimonium.

* Aug. Ep. CLIII, al. LIV, *ad Macedonium*. - Cf. can. *Si res aliena*, caus. XIV, qu. vi.

Sed contra est quod dicit Nicolaus Papa *: *Si consensus in nuptiis defuerit, cetera, etiam cum ipso coitu celebrata, frustrantur.*

* Primus. - Can. *Sufficiat*, caus. XXVII, qu. ii. Cf. cap. *Tuas dudum, de Sponsa duor.*

2. Praeterea, quod consequitur ad aliquid, non facit ipsum. Sed carnalis copula sequitur ipsum matrimonium, sicut effectus causam. Ergo non potest facere matrimonium.

Respondeo dicendum quod de matrimonio possumus loqui dupliciter. Uno modo, quantum ad forum conscientiae. Et sic in rei veritate carnalis copula non habet quod perficiat matrimonium cuius sponsalia praecesserunt per verba de futuro, si consensus interior desit: quia verba de praesenti etiam consensum exprimentia, si consensus mentalis deesset, non facerent matrimonium *.

* Qu. xlv, art. 4.

Alio modo, quantum ad iudicium Ecclesiae. Et quia in exteriori iudicio secundum ea *quae foris patent* * iudicatur, cum nihil possit expressius significare consensum quam carnalis copula, secundum iudicium Ecclesiae carnalis copula consequens sponsalia matrimonium facere iudicatur *, nisi aliqua signa expressa doli vel fraudis appareant.

* Cf. I *Reg.*, cap. xvi, vers. 7.

* Cap. *Is qui fidem, de Sponsal. et Matrim.*

Ad primum ergo dicendum quod ille qui carnaliter commiscetur, facto consentit in carnalem copulam secundum rei veritatem: sed in matrimonium non consentit ex hoc ipso nisi secundum interpretationem iuris.

Ad secundum dicendum quod interpretatio illa non mutat rei veritatem, sed iudicium quod de rebus exterius fit.

Ad tertium dicendum quod, si sponsa sponsum admittat credens eum velle matrimonium consummare, excusatur a peccato: nisi aliqua signa expressa fraudis appareant, sicut si sunt multum distantis conditionis vel quantum ad nobilitatem vel quantum ad fortunam, vel aliud signum evidens appareat. Sed tamen sponsus peccat et fornicando; et, quod plus est, fraude quam facit.

Ad quartum dicendum quod in tali casu sponsus, antequam aliam duxerit, tenetur eam ducere in uxorem si sint aequalis conditionis, vel si sponsa sit melioris conditionis. Sed si aliam duxerit, factus est iam impotens ad solvendum illud ad quod tenebatur. Et ideo sufficit si ei de nuptiis provideat *. Et ad hoc etiam non tenetur, ut quidam * dicunt, si sponsus sit multo melioris conditionis, aut aliquod signum evidens fraudis fuerit: quia praesumi probabiliter potest quod sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit.

* S. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. ii, *de Matrim.*, § 2; b. Albert. IV *Sent.*, dist. xxviii, art. 3.

* B. Albert. loc. cit.

QUAESTIO QUADRAGESIMASEPTIMA

DE CONSENSU COACTO ET CONDITIONATO

Deinde considerandum est de consensu coacto et conditionato *.

* Cf. qu. xlv, Introd.

Circa quod quaeruntur sex.

Primo: utrum aliquis consensus possit esse coactus.
Secundo: utrum aliqua coactio cadat in constantem virum.
Tertio: utrum consensus coactus faciat matrimonium.
Quarto: utrum consensus coactus faciat matrimonium ex parte cogentis.
Quinto: utrum consensus conditionatus matrimonium faciat.
Sexto: utrum aliquis possit cogi a patre ad matrimonium contrahendum.

ART. I. utrum aliquis consensus possit esse coactus

I^a II^{ae}, qu. vi, art. 4; II *Sent.*, dist. xxv, qu. 1, art. 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod nullus consensus possit esse coactus. Coactio enim in libero arbitrio cadere non potest secundum aliquem statum eius: ut in II libro, dist. xxv *, dictum est. Sed consensus est actus liberi arbitrii. Ergo non potest esse coactus.

* Cap. *Esse namque.*

2. Praeterea, violentum, quod est idem quod coactum, secundum Philosophum *, est *cuius principium est extra, nihil conferente vim passo.* Sed omnis consensus principium est intra. Ergo nullus consensus potest esse coactus.

* *Ethic.* lib. III, cap. 1, n. 3. - S. Th. lect. 1.

3. Praeterea, omne peccatum consensu perficitur. Sed illud quo perficitur peccatum, cogi non potest: quia, secundum Augustinum *, *nullus peccat in eo quod vitare non potest.* Cum ergo vis a iuristis * definiatur esse *maioris rei impetus qui repelli non potest,* videtur quod consensus non possit esse coactus vel violentus.

* *De Lib. Arbit.* lib. III, cap. xviii.

* Dig. IV, ii, *Quod metus causa* etc., 2.

4. Praeterea, dominium libertati opponitur. Sed coactio ad dominium pertinet, ut patet in quadam Tullii definitione *: dicit enim quod vis est *impetus dominantis retinens rem intra terminos alienos.* Ergo vis in liberum arbitrium non cadit. Et ita nec in consensum, qui est actus eius.

* Vide b. Albert. IV *Sent.*, dist. xxix, art. 1.

Sed contra, illud quod esse non potest, non potest aliquid impedire. Sed coactio consensus impedit matrimonium, ut in littera * dicitur. Ergo consensus cogi potest.

* Dist. xxix, cap. 1.

2. Praeterea, in matrimonio est quidam contractus. Sed in contractibus potest esse voluntas coacta: unde Legislator in integrum restitutionem adiudicat, *ratum non habens quod vi metusve causa factum est* *. Ergo et in matrimonio potest esse consensus coactus.

* Dig. IV, ii, *Quod metus causa* etc., 1, 9.

Respondeo dicendum quod duplex est coactio vel violentia. Una quae facit necessitatem absolutam. Et tale violentum dicitur a Philosopho * violentum simpliciter: ut cum quis aliquem corporaliter impellit ad motum. – Alia quae facit necessitatem conditionatam. Et hanc vocat Philosophus * violentum *mixtum:* sicut cum quis proiicit merces in mare ne periclitetur. Et in isto violento, quamvis hoc quod fit non sit per se voluntarium, tamen, consideratis circumstantiis, hic et nunc voluntarium est. Et quia *actus in particularibus sunt* *, ideo simpliciter voluntarium est, sed secundum quid involuntarium. Unde haec violentia vel coactio potest esse de consensu, qui est actus voluntatis: non autem prima. Et quia haec coactio fit ex hoc quod timetur aliquod periculum imminens, ideo ista vis idem est quod *metus,* qui voluntatem cogit quodammodo. Sed prima vis cadit et in corporalibus actibus.

* Loc. cit. in arg. 2.

* Ibid., n. 6.

* Aristot. *Ethic.* lib. III, cap. 1, n. 10; S. Th. lect. ii. - Cf. *Metaphys.* lib. I, cap. 1, n. 6; S. Th. lect. 1.

Et quia Legislator considerat non solum interiores actus, sed magis exteriores, ideo per vim intelligit coactionem simpliciter: propter quod *vim* contra *metum* dividit *. Sed nunc agitur de consensu interiori, in quem non cadit coactio seu vis quae a metu distinguitur. Et ideo, quantum

* Dig., loc. cit., 1.

ad propositum pertinet, idem est coactio quod metus. Est autem metus, secundum iurisperitos *, *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio.*

* Dig., loc. cit., 1.

Et per hoc patet solutio ad obiecta. Nam primae rationes procedunt de coactione prima; secundae * de secunda.

* Argg. *Sed contra.*

ART. II. UTRUM COACTIO METUS CADAT IN CONSTANTEM VIRUM

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod coactio metus non cadat *in constantem virum* *. Quia de ratione constantis est quod non trepidet in periculis. Cum ergo metus sit *trepidatio mentis ratione periculi imminentis* *, videtur quod non cogatur metu.

* Cap. *Ad audientiam, De his quae vi metusque* etc.; Dig. IV, II, *Quod metus causa* etc., 6.
* Dig. ibid., 1.

2. Praeterea, *omnium terribilissimum est mors,* secundum Philosophum, in III *Ethic.* *, quasi perfectissimum inter terribilia. Sed constantes non coguntur morte: quia fortis etiam pericula mortis sustinet *. Ergo nullus metus cadit in constantem virum.

* Cap. VI, n. 6. - S. Th. lect. XIV.
* Ibid., n. 10.

3. Praeterea, inter alia pericula praecipue timetur a bonis periculum famae. Sed timor infamiae non reputatur timor cadens in constantem virum: quia, ut dicit lex *, *timor infamiae non continetur illo edicto, Quod metus causa factum est.* Ergo nec aliquis alius metus cadit in constantem virum.

* Dig. loc. cit., 7.

4. Praeterea, metus in eo qui metu cogitur peccatum relinquit: quia facit eum promittere quod non vult solvere, et sic facit eum mentiri. Sed non est constantis aliquod peccatum, etiam minimum, pro aliquo timore facere. Ergo nullus metus cadit in constantem virum.

Sed contra, Abraham et Isaac constantes fuerunt. Sed in eis cecidit metus: quia ratione metus dixerunt uxores suas sibi esse sorores *. Ergo metus potest cadere in constantem virum.

* *Gen.* cap. XII, vers. 13 sqq.; cap. XX; cap. XXVI, vers. 7 sqq.

2. Praeterea, ubicumque est violentum mixtum, est aliquis metus cogens *. Sed aliquis quantumcumque constans potest pati tale violentum: quia, si sit in mari, merces proiiciet tempore naufragii *. Ergo metus potest cadere in constantem virum.

* Cf. art. praec.
* Cf. Aristot. *Ethic.* lib. III, cap. I, n. 5. - S. Th. lect. I.

Respondeo dicendum quod cadere metum in aliquem est aliquem metu cogi. Cogitur autem aliquis metu quando aliquid facit quod alias non vellet, ad evitandum aliquid quod timet. In hoc autem constans ab inconstanti distinguitur quantum ad duo. Primo, quantum ad qualitatem periculi quod timetur. Quia constans sequitur rationem rectam, per quam scit quid pro quo dimittendum sit vel faciendum. Semper autem minus malum vel maius bonum eligendum est. Et ideo constans ad minus malum sustinendum cogitur metu maioris mali: non autem cogitur ad maius malum ut vitet minus malum. Sed inconstans cogitur ad maius malum propter metum minoris mali: sicut ad peccatum propter metum corporalis poenae. Sed pertinax e contra non potest cogi etiam ad minus malum sustinendum vel faciendum ut evitet maius malum. Unde constans est medius inter inconstantem et pertinacem.

Secundo differunt quantum ad aestimationem periculi imminentis. Quia fortis non nisi ex forti aestimatione et probabili cogitur: sed inconstans ex levi, *Proverb.* XXVIII *: *Fugit impius nemine persequente.*

* Vers. 1.

Ad primum ergo dicendum quod constans, sicut et de forti dicit Philosophus *, est intrepidus, non quod omnino non timeat, sed quia non timet quae non oportet, vel nisi quando oportet.

* *Ethic.* lib. III, cap. VII, n. 2. - S. Th. lect. XV.

Ad secundum dicendum quod peccata sunt maxima malorum. Et ideo ad haec nullo modo potest homo constans cogi: immo magis debet homo mori quam talia sustinere, ut etiam Philosophus, III *Ethic.* *, dicit.

* Cap. I, n. 8. - S. Th. lect. II.

Sed quaedam damna corporalia sunt minora quibusdam aliis. Inter quae sunt praecipua quae ad personam pertinent, sicut mors, verbera, dehonestatio per stuprum, et servitus. Et ideo ex istis constans cogitur ad alia damna corporalia *. Et haec continentur hoc versu: *Stupri sive status, verberis atque necis* *. Nec differt utrum haec pertineant ad personam propriam, vel uxoris, vel filiorum, vel aliorum huiusmodi.

* Dig. IV, II, *Quod metus causa* etc., 7, 8; cap. *Cum dilectus, De his quae vi* etc.
* Cf. s. Raym. *Summ* lib. I, tit. VIII, *de Voto* etc., § 6.

Ad tertium dicendum quod infamia quamvis sit magnum damnum, tamen ei de facili occurri potest. Et ideo non reputatur cadere in constantem virum metus infamiae, secundum iura.

Ad quartum dicendum quod constans non cogitur ad mentiendum, quia tunc vult dare: sed tamen postea vult petere restitutionem; vel saltem iudici denuntiare, si se promisit non petiturum restitutionem. Non potest autem promittere se non denuntiaturum: cum hoc sit contra bonum iustitiae, ad quod cogi non potest, ut scilicet contra iustitiam faciat.

ART. III. UTRUM CONSENSUS COACTUS TOLLAT MATRIMONIUM

III *Sent.*. dist. XXXIX, art. 3, qu^a 2, ad 2.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod consensus coactus non tollat matrimonium. Quia sicut ad matrimonium requiritur consensus, ita ad baptismum requiritur intentio. Sed coactus timore ad recipiendum baptismum, recipit sacramentum *. Ergo coactus ad consentiendum aliquo timore matrimonio obligatur.

* Can. *De Iudaeis*, dist. XLV: Cap. *Maiores, de Baptismo* etc.

2. Praeterea, violentum mixtum, secundum Philosophum *, plus habet de voluntario quam de involuntario. Sed non potest aliter consensus esse coactus nisi per violentum mixtum *. Ergo non omnino excluditur voluntarium. Et ita adhuc est matrimonium.

* *Ethic.* lib. III. cap. I, n. 6. - S. Th. lect. I.
* Cf. art. I.

3. Praeterea, ei qui consentit in matrimonium coactus, consulendum videtur quod in matrimonio illo stet: quia *speciem mali* habet promittere et non solvere, a quo Apostolus * vult nos abstinere. Hoc autem non esset si consensus coactus omnino matrimonium tolleret. Ergo, etc.

* I *ad Thess.*, cap. V, vers. 22.

Sed contra est quod decretalis * dicit: *Cum consensus locum non habeat ubi metus vel coactio intercidit, necesse est ut, ubi communis consensus requiritur, coactionis materia repellatur.* Sed in matrimonio requiritur communis consensus. Ergo, etc.

* *Cum locum, de Sponsal. et Matrim.*

2. Praeterea, matrimonium significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam *, quae fit secundum libertatem amoris. Ergo non potest fieri per consensum coactum.

* *Ad Ephes.*, cap. V, vers. 32.

Respondeo dicendum quod vinculum matrimonii est perpetuum. Unde illud quod perpetuitati repugnat, matrimonium tollit. Metus autem *qui cadit in constantem virum,* perpetuitatem contractus tollit: quia potest peti restitutio in integrum *. Et ideo haec coactio tollit matrimonium, et non alia *. – Constans autem vir iudicatur *virtuosus,* qui est *mensura* in omnibus operibus humanis, ut Philosophus dicit, in III *Ethic.* *

* Dig. IV, II, *Quod metus causa* etc., 9.
* Capp. *Veniens ad nos,* et *Consultationi tuae, de Sponsal. et Matrim.*
* Cap. IV, n. 5; s. Th. lect. X. - Cf. lib. IX, cap. IV, n. 2; s. Th. lect. IV.

Quidam autem dicunt quod, si adsit consensus, quamvis coactus, interius est matrimonium quantum ad Deum; sed non quantum ad statum Ecclesiae, quae praesumit ibi non fuisse consensum interiorem propter metum *. – Sed hoc nihil est. Quia Ecclesia non debet praesumere de aliquo peccatum quousque non probetur. Peccavit autem si dixit se consentire, et non consensit. Unde Ecclesia praesumit eum consensisse, sed iudicat consensum illum extortum non esse sufficientem ad faciendum matrimonium.

* Vide Postillat. in *Summ.* s. Raym. lib. IV, tit. XI; § 1.

Ad primum ergo dicendum quod intentio non est causa efficiens sacramenti in baptismo, sed solum eliciens actionem agentis. Sed consensus est causa efficiens in matrimonio *. Et ideo non est simile.

* Qu. XLV, art. 1.

Ad secundum dicendum quod ad matrimonium non sufficit quodcumque voluntarium, sed voluntarium complete: quia debet esse perpetuum. Et ideo per violentum mixtum impeditur.

Ad tertium dicendum quod non semper debet induci ad hoc quod in matrimonio illo stet, sed solum quando timetur periculum de dissolutione. Alias autem non peccat: quia non solvere promissa quae nolens facit, non est species mali.

ART. IV. UTRUM CONSENSUS COACTUS SALTEM EX PARTE COGENTIS FACIAT MATRIMONIUM

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod consensus coactus saltem ex parte cogentis faciat matrimonium. Quia matrimonium est signum spiritualis coniunctionis. Sed spiritualis coniunctio, quae est per caritatem, potest

esse ad eum qui non habet caritatem. Ergo et matrimonium est ad eum qui non vult.

2. Praeterea, si illa quae fuit coacta, postmodum consentiat, erit matrimonium verum. Sed iste qui coegit primo, ex consensu illius non ligatur. Ergo ex primo consensu ligabatur matrimonio.

Sed contra, matrimonium est relatio aequiparantiae. Sed talis relatio aequaliter est in utroque. Ergo, si sit impedimentum ex parte unius, non erit matrimonium ex parte alterius.

Respondeo dicendum quod, cum matrimonium sit quaedam relatio; et non possit innasci relatio in uno extremorum sine hoc quod fiat in alio: ideo quidquid impedit matrimonium in uno, impedit ipsum in altero; quia non potest esse quod aliquis sit vir non uxoris, vel aliqua sit uxor non habens virum, sicut mater non habens filium. Et ideo dicitur communiter quod *matrimonium non claudicat*.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis actus amantis possit transire in non amantem, tamen unio inter eos non potest esse nisi sit mutua amatio. Et ideo dicit Philosophus, in VIII *Ethic.* *, quod ad amicitiam, quae in quadam unione consistit, requiritur redamatio.

* Cap. II, n. 3. - S. Th. lect. II.

Ad secundum dicendum quod ex consensu libero illius qui prius coactus est, non fit matrimonium nisi inquantum consensus praecedens in altero adhuc manet in suo vigore. Unde, si dissentiret, non fieret matrimonium.

ART. V. Utrum per consensum conditionatum fiat matrimonium

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod nec per consensum conditionatum fiat matrimonium. Quia quod sub conditione ponitur, non simpliciter enuntiatur. Sed in matrimonio oportet esse verba simpliciter exprimentia consensum. Ergo conditio alicuius consensus non facit matrimonium.

2. Praeterea, matrimonium debet esse certum. Sed ubi dicitur aliquid sub conditione, ponitur illud sub dubio. Ergo talis consensus non facit matrimonium.

Sed contra, in aliis contractibus fit obligatio sub conditione, et stat stante conditione. Ergo, cum matrimonium sit contractus quidam, videtur quod possit fieri per conditionatum consensum.

Respondeo dicendum quod conditio apposita aut est de praesenti, aut est de futuro. Si de praesenti, et non est contraria matrimonio, sive sit honesta sive inhonesta, stat matrimonium stante conditione, et ea non stante non stat. Sed si sit contraria bonis matrimonii, non efficitur matrimonium *.

* Cap. *Si conditiones*, *de Conditionibus* etc.

Si autem sit conditio de futuro, aut est necessaria, sicut solem oriri cras. Et tunc est matrimonium: quia talia futura iam sunt praesentia in causis suis. – Aut est contingens, ut datio pecuniae vel acceptatio parentum. Et tunc idem est iudicium de tali consensu sicut de consensu qui fit per verba de futuro. Unde non facit matrimonium *.

* Cap. *Super eo*, *de Conditionibus* etc.- Cf. qu. XLIII, art. 1.

Et per hoc patet solutio ad obiecta.

ART. VI. Utrum aliquis praecepto patris possit compelli ad matrimonium contrahendum

IIa IIae, qu. CIV, art. 5.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod aliquis praecepto patris possit compelli ad matrimonium contrahendum. Dicitur enim *ad Coloss.* III *: *Filii, obedite parentibus vestris per omnia.* Ergo etiam in hoc eis obedire tenentur.

* Vers. 20.

2. Praeterea, *Gen.* XXVIII *, Isaac *praecepit* Iacob quod *non acciperet uxorem de filiabus Chanaan.* Nec praecepisset nisi de iure praecipere potuisset. Ergo filius in hoc tenetur obedire patri.

* Vers. 1.

3. Praeterea, nullus debet promittere, praecipue per iuramentum, pro illo quem non potest cogere ad servandum. Sed parentes promittunt futura matrimonia pro filiis, et etiam iuramento firmant. Ergo possunt praecepto cogere filios ad implendum.

4. Praeterea, pater spiritualis, scilicet Papa, potest compellere praecepto ad matrimonium spirituale, scilicet ad episcopatum accipiendum. Ergo potest et pater carnalis ad matrimonium carnale.

Sed contra, patre imperante matrimonium, filius potest sine peccato religionem intrare *. Ergo non tenetur ei in hoc obedire.

* Vide can. *Puella*, caus. XX, qu. II.

2. Praeterea, si teneretur obedire, sponsalia per parentes contracta absque consensu filiorum essent stabilia. Sed hoc est contra iura *. Ergo, etc.

* Cap. *Ex litteris*, *de Despons. Impub.* - Cf. cap. *Tua nos requisivit*, ibid.

Respondeo dicendum quod, cum in matrimonio sit quasi quaedam servitus perpetua, pater non potest cogere filium ad matrimonium per praeceptum, cum sit liberae conditionis. Sed potest eum inducere ex rationabili causa. Et tunc, sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad praeceptum patris: ut, si causa illa cogat de necessitate vel de honestate, et praeceptum similiter cogat; alias non.

Ad primum ergo dicendum quod verbum Apostoli non intelligitur in illis in quibus est liber sui sicut pater. Et huiusmodi est matrimonium, per quod etiam filius fit pater.

Ad secundum dicendum quod Iacob alias tenebatur ad faciendum hoc quod mandabat Isaac: tum propter malitiam illarum mulierum *; tum quia semen Chanaan de terra quae semini Patriarcharum promittebatur *, erat disperdendum *. Et ideo Isaac praecipere poterat.

* Cf. *Gen.* cap. XXVI, vers. 34, 35; cap. XXVII, vers. 46.
* *Gen.* cap. XII, vers. 7; cap. XIII, vers. 15.
* Cf. *Gen.* cap. XV, vers. 16; *Exod.* cap. XXIII, vers. 23.

Ad tertium dicendum quod non iurant nisi illa conditione subintellecta, *si illis placuerit*. Et ipsi obligantur ad eos bona fide inducendum.

Ad quartum dicendum quod quidam dicunt quod Papa non potest praecipere alicui quod accipiat episcopatum, quia consensus debet liber esse. – Sed, hoc posito, periret ecclesiasticus ordo. Nisi enim aliquis posset cogi ad suscipiendum regimen Ecclesiae, Ecclesia conservari non posset: cum quandoque illi qui sunt idonei ad hoc, nolint suscipere nisi coacti.

Et ideo dicendum quod non est simile hinc inde. Quia non est aliqua corporalis servitus in matrimonio spirituali, sicut in corporali. Est enim spirituale matrimonium sicut quoddam officium dispensandae reipublicae: I *Cor.* IV *, *Sic nos existimet homo,* etc.

* Vers. 1.

QUAESTIO QUADRAGESIMAOCTAVA
DE OBIECTO CONSENSUS

Deinde considerandum est de obiecto consensus *. Circa quod quaeruntur duo.

* Cf. qu. XLV, Introd.

Primo: utrum consensus qui facit matrimonium, sit consensus in carnalem copulam.

Secundo: utrum consensus in aliquam propter causam inhonestam faciat matrimonium.

ART. I. Utrum consensus qui facit matrimonium sit consensus in carnalem copulam

Ad primum sic proceditur. Videtur quod consensus qui facit matrimonium, sit consensus in carnalem copulam. Dicit enim Hieronymus * quod *voventibus virginitatem non solum nubere, sed velle nubere damnabile est.* Sed non esset damnabile nisi esset virginitati contrarium: cui nuptiae non contrariantur nisi ratione carnalis copulae. Ergo consensus voluntatis qui est in nuptiis, est in carnalem copulam.

* Aug. *de Bono Viduit.*, cap. IX. - Vide can. *Voventibus*, dist. XXVII, et caus. XVII, qu. I.

2. Praeterea, omnia quae sunt in matrimonio inter virum et uxorem, possunt esse licita inter fratrem et sororem, excepta carnali copula. Sed non potest fieri licite inter eos consensus matrimonialis. Ergo consensus matrimonialis est consensus in carnalem copulam.

3. Praeterea, si mulier dicat viro, *Consentio in te, ut non cognoscas me,* non est consensus matrimonialis: quia est ibi aliquid contra substantiam praedicti consensus. Sed non esset nisi dictus consensus esset in carnalem copulam. Ergo, etc.

4. Praeterea, in qualibet re initium consummationi respondet. Sed matrimonium consummatur per carnalem copulam. Ergo, cum initietur per consensum, videtur quod consensus sit in carnalem copulam.

Sed contra, nullus consentiens in carnalem copulam est virgo mente et carne. Sed beatus Ioannes Evangelista

post consensum nuptialem fuit virgo mente et carne *. Ergo non consensit in carnalem copulam.

* Cf. Bed. Homil. VIII; Prolog. in Evang. Ioan. (inter Opp. Hieron.).

2. Praeterea, effectus respondet causae *. Sed consensus est causa matrimonii *. Cum ergo de essentia matrimonii non sit carnalis copula, videtur quod nec consensus qui matrimonium causat, sit in carnalem copulam.

* Aristot. *Physic.* lib. II, cap. III, n. 12. – S. Th. lect. VI.
* Qu. XLV, art. 1.

Respondeo dicendum quod consensus qui matrimonium facit, est consensus in matrimonium: quia effectus proprius voluntatis est ipsum volitum. Unde, sicut carnalis copula se habet ad matrimonium, ita consensus qui matrimonium causat, est in carnalem copulam. Matrimonium autem, ut supra * dictum est, non est essentialiter ipsa coniunctio carnalis: sed quaedam associatio viri et uxoris in ordine ad carnalem copulam et alia quae ex consequenti ad virum et uxorem pertinent, secundum quod eis datur potestas in invicem respectu carnalis copulae. Et haec associatio *coniugalis copula* dicitur. Unde patet quod bene dixerunt illi qui dixerunt quod consentire in matrimonium est consentire in carnalem copulam implicite, non explicite *. Non enim debet intelligi nisi sicut implicite continetur effectus in causa: quia potestas carnalis copulae in quam consentitur, est causa carnalis copulae sicut potestas utendi re sua est causa usus.

* Qu. XLII, art. 2; qu. XLIV, art. 1; qu. XLV, art. 1, ad 2.
* Vide Autissiod. *Summ. Aur.* lib. III, tract. *de Voto*, cap. II, qu. 3. – Cf. S. Bonavent. IV *Sent.*, dist. XXVIII, qu. 6.

Ad primum ergo dicendum quod consensus in matrimonium ideo est damnabilis post votum virginitatis, quia per talem consensum datur potestas ad id quod non licet: sicut peccaret qui daret potestatem alteri accipiendi illud quod ipse in deposito habet, non solum in hoc quod ei actualiter traderet. De consensu autem Beatae Virginis infra * dicetur.

* Dist. XXX, qu. II, art. 2. – Cf. Part. III, qu. XXIX, art. 2.

Ad secundum dicendum quod inter fratrem et sororem non potest esse potestas in invicem ad carnalem copulam, sicut nec licite carnalis copula. Et ideo ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum quod illa conditio explicita non solum actui, sed potestati contrariatur copulae carnalis. Et ideo est contraria matrimonio.

Ad quartum dicendum quod initiatum matrimonium respondet consummato sicut habitus vel potestas actui qui est operatio.

Rationes autem in contrarium * ostendunt quod non sit consensus in carnalem copulam explicite. Et hoc est verum.

* Argg. *Sed contra.*

ART. II. Utrum matrimonium possit esse ex consensu alicuius in aliquam propter causam inhonestam

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod matrimonium non possit esse ex consensu alicuius in aliquam propter causam inhonestam. Unius enim una est ratio. Sed matrimonium est unum sacramentum. Ergo non potest fieri ex alterius finis intentione quam illius ad quem a Deo institutum est, scilicet ad procreationem prolis.

2. Praeterea, coniunctio matrimonii est a Deo: ut patet Matth. XIX *, *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Sed coniunctio quae fit propter turpes causas, non est a Deo. Ergo non est matrimonium.

* Vers. 6.

3. Praeterea, in aliis sacramentis, si non servetur intentio Ecclesiae, non est verum sacramentum. Sed intentio Ecclesiae in sacramento matrimonii non est ad aliquam turpem causam. Ergo, si ex aliqua turpi causa matrimonium contrahatur, non erit verum matrimonium.

4. Praeterea, secundum Boetium *, *cuius finis est bonus, ipsum quoque bonum est.* Sed matrimonium semper est bonum. Ergo non est matrimonium si propter malum finem fiat.

* *De Different. Topic.* lib. II, post med.

5. Praeterea, matrimonium significat coniunctionem Christi et Ecclesiae *. Sed ibi non cadit aliqua turpitudo. Ergo non potest matrimonium contrahi propter aliquam turpem causam.

* *Ad Ephes.*, cap. V, vers 32.

Sed contra est quod qui baptizat alium intentione lucrandi, vere baptizat. Ergo et qui contrahit cum aliqua intentione lucri, verum est matrimonium.

2. Praeterea, hoc idem probant exempla et auctoritates quae ponuntur in littera *.

* Dist. XXX, capp. *Expositio* et seq.

Respondeo dicendum quod causa finalis matrimonii potest accipi dupliciter: scilicet per se, et per accidens. Per se quidem causa matrimonii est ad quam matrimonium est de se ordinatum: et haec semper bona est, scilicet procreatio prolis et vitatio fornicationis. Sed per accidens causa finalis ipsius est hoc quod contrahentes intendunt ex matrimonio. Et quia hoc quod ex matrimonio intenditur consequitur ad matrimonium; et priora non variantur ex posterioribus, sed e converso: ideo ex illa causa non recipit matrimonium bonitatem vel malitiam, sed ipsi contrahentes, quorum est finis per se. Et quia *causae per accidens sunt infinitae* *, ideo infinitae tales causae possunt esse in matrimonio, quarum sunt quaedam honestae et quaedam inhonestae.

* Aristot. *Physic.* lib. II, cap. V, n. 3. – S. Th. lect. VIII.

Ad primum ergo dicendum quod verum est de causa per se et principali. Sed quod habet unum finem per se et principalem, potest habere plures secundarios per se, et infinitos per accidens.

Ad secundum dicendum quod coniunctio potest accipi pro ipsa relatione quae est matrimonium. Et talis semper est a Deo: et bona est, quacumque fiat causa. – Vel pro actu eorum qui coniunguntur. Et sic est quandoque mala: et non est a Deo, simpliciter loquendo. Nec est inconveniens quod aliquis effectus sit a Deo cuius causa est mala: sicut proles quae ex adulterio suscipitur. Non enim est ex illa causa inquantum est mala, sed inquantum habet aliquid de bono, secundum quod est a Deo, quamvis non simpliciter sit a Deo.

Ad tertium dicendum quod intentio Ecclesiae qua intendit sacramentum tradere, est de necessitate cuiuslibet sacramenti, ita quod, ea non observata, nihil in sacramentis agitur *. Sed intentio Ecclesiae qua intendit utilitatem ex sacramento provenientem, est de bene esse sacramenti, et non de necessitate eius. Unde, si non observetur, nihilominus est verum sacramentum *. Sed tamen praetermittens hanc intentionem peccat: sicut si in baptismo non intendatur sanitas mentis, quam Ecclesia intendit. Et similiter ille qui intendit matrimonium contrahere, quamvis matrimonium non ordinet ad illum finem quem Ecclesia intendit, nihilominus verum matrimonium contrahit.

* Cf. Part. III, qu. LXIV, art. 8.
* Cf. ibid., art. 10.

Ad quartum dicendum quod illud malum intentum non est finis matrimonii, sed contrahentium.

Ad quintum dicendum quod ipsa unio est signum coniunctionis Christi et Ecclesiae, et non operatio unitorum. Et ideo ratio non sequitur.

QUAESTIO QUADRAGESIMANONA

DE BONIS MATRIMONII

Consequenter considerandum est de bonis matrimonii *. Circa quod quaeruntur sex.

* Cf. qu. XLIII, Introd.

Primo: utrum debeant haberi aliqua bona ad excusandum matrimonium.
Secundo: utrum sufficienter assignentur.
Tertio: utrum bonum sacramenti sit principalius inter alia bona.
Quarto: utrum actus matrimonii per praedicta bona a peccato excusetur.
Quinto: utrum sine eis aliquando a peccatis excusari possit.
Sexto: utrum quando est sine eis, sit semper peccatum mortale.

ART. I. Utrum matrimonium debeat habere aliqua bona quibus excusetur

Ad primum sic proceditur. Videtur quod matrimonium non debeat habere aliqua bona quibus excusetur. Sicut enim conservatio individui, quae fit per ea quae ad nutritivam pertinent, est de intentione naturae, ita conservatio speciei, quae fit per matrimonium: et multo magis, quanto melius et dignius est bonum speciei quam bonum unius individui *. Sed ad actum nutritivae excusandum non indigetur aliquibus. Ergo nec etiam ad excusandum matrimonium.

* Cf. Aristot. *Ethic.* lib. I, cap. II, n. 8. – S. Th. lect. II.

2. Praeterea, secundum Philosophum, in VIII *Ethic.* *, amicitia quae est inter virum et uxorem est naturalis, et claudit in se *honestum, utile* et *delectabile.* Sed illud quod de se est honestum, non indiget aliqua excusatione. Ergo nec matrimonio debent attribui aliqua bona excusantia.

* Cap. XII, n. 7. – S. Th. lect. XII.

3. Praeterea, matrimonium est institutum in remedium et in officium *. Sed secundum quod est in officium, non indiget excusatione: quia sic etiam in paradiso excusatione indiguisset, quod falsum est; ibi enim fuissent *honorabiles nuptiae et torus immaculatus* *, ut Augustinus dicit **. Similiter nec secundum quod est in remedium: sicut nec alia sacramenta, quae in remedium peccati sunt instituta. Ergo matrimonium huiusmodi excusantia habere non debet.

* Qu. xlii, art. 2.
* *Ad Heb.*, cap. xiii, vers. 4.
** *De Gen. ad litt.*, lib. IX, cap. iii.

4. Praeterea, ad omnia quae honeste fieri possunt, virtutes dirigunt. Si ergo matrimonium aliquibus bonis potest honestari, non indiget aliis honestatibus quam animi virtutibus. Et sic non debent matrimonio aliqua bona assignari quibus honestetur: sicut nec aliis in quibus virtutes dirigunt.

Sed contra, ubicumque est indulgentia, ibi est necessaria aliqua excusationis ratio. Sed matrimonium conceditur in statu infirmitatis *secundum indulgentiam*: ut patet I *Cor.* vii *. Ergo indiget per aliqua bona excusari.

* Vers. 6.

2. Praeterea, concubitus matrimonialis et fornicarius sunt eiusdem speciei quantum ad speciem naturae. Sed concubitus fornicarius de se est turpis. Ergo ad hoc quod matrimonialis non sit turpis, oportet ei aliquid addi quod ad honestatem eius pertineat, et in aliam speciem moris trahat.

Respondeo dicendum quod nullus sapiens debet iacturam aliquam sustinere nisi pro aliqua recompensatione alicuius aequalis vel melioris boni. Unde electio alicuius quod aliquam iacturam habet annexam, indiget alicuius boni adiunctione, per cuius recompensationem ordinetur et honestetur. In coniunctione autem viri et mulieris rationis iactura accidit: tum quia propter vehementiam delectationis absorbetur ratio, ut *non possit aliquid intelligere in ipso*, ut Philosophus dicit *; tum etiam propter *tribulationem carnis*, quam oportet tales sustinere ex sollicitudine temporalium, ut patet I *Cor.* vii *. Et ideo talis coniunctionis electio non potest esse ordinata nisi per recompensationem aliquorum ex quibus dicta coniunctio honestetur. Et haec sunt bona quae matrimonium excusant et honestum reddunt.

* *Ethic.* lib. VII, cap. xi, n. 4. - S. Th. lect. xi.
* Vers. 28.

Ad primum ergo dicendum quod in actu comestionis non est tam vehemens delectatio rationem absorbens sicut est in praedicta * delectatione. Tum quia vis generativa, per quam originale traducitur, est infecta et corrupta: nutritiva autem, per quam non traducitur, est corrupta et non infecta *. – Tum etiam quia defectum individui quilibet magis sentit in seipso quam defectum speciei. Unde ad excitandum ad comestionem, secundum quam defectui individui subvenitur, sufficit sensus ipsius defectus. Sed ad excitandum ad actum quo defectui speciei subvenitur, divina providentia delectationem apposuit in illo actu *, quae etiam animalia bruta movet, in quibus non est infectio originalis peccati. – Et ideo non est simile.

* In corpore.
* B. Albert. II *Sent.*, dist. xxxi, art. 3; S. Bonavent. II *Sent.*, dist. xxxi, art. 1, qu. 3. Cf. Iam IIae, qu. lxxxiii, art. 4.
* Cf. qu. lxv, art. 3.

Ad secundum dicendum quod ista bona quae matrimonium honestant, sunt de ratione matrimonii. Et ideo non indiget eis quasi exterioribus quibusdam ad honestandum, sed quasi causantibus in ipso honestatem quae ei secundum se competit.

Ad tertium dicendum quod matrimonium, ex hoc ipso quod est in officium vel in remedium, habet rationem utilis et honesti; sed utrumque horum ei competit ex hoc quod huiusmodi bona habet, quibus fit et officiosum et remedium concupiscentiae adhibens.

Ad quartum dicendum quod aliquis actus virtutis honestatur et virtute, quasi principio elicitivo; et circumstantiis, quasi formalibus principiis ipsius. Hoc autem modo se habent bona ad matrimonium sicut circumstantiae ad actus virtutis, ex quibus habet quod virtutis actus esse possit.

ART. II. Utrum sufficienter bona matrimonii assignentur a Magistro Sententiarum: scilicet fides, proles et sacramentum

Infra, qu. lxv, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxviii; I *ad Cor.*, cap. vii, lect. 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod insufficienter bona matrimonii assignentur a Magistro Sententiarum *: scilicet *fides, proles* et *sacramentum*. Quia matrimonium non solum fit in hominibus ad prolem procreandam et nutriendam, sed ad consortium communis vitae, propter operum communicationem, ut dicitur in VIII *Ethic.* * Ergo, sicut ponitur proles bonum matrimonii, ita debet poni *communicatio operum*.

* Dist. xxxi, cap. 1.
* Cap. xii, n. 7. - S. Th. lect. xii.

2. Praeterea, coniunctio Christi ad Ecclesiam, quam matrimonium significat *, perficitur per caritatem. Ergo inter bona matrimonii magis debet poni caritas quam *fides*.

* *Ad Ephes.*, cap. v, vers. 32.

3. Praeterea, in matrimonio, sicut exigitur quod neuter coniugum ad alterius torum accedat, ita exigitur quod unus alteri debitum reddat *. Sed primum pertinet ad fidem, ut Magister dicit *. Ergo deberet etiam *iustitia*, propter redditionem debiti, inter bona matrimonii computari.

* Cf. qu. lxiv, art. 1.
* Loc. cit.

4. Praeterea, sicut in matrimonio, inquantum significat coniunctionem Christi et Ecclesiae, requiritur indivisibilitas, ita et *unitas*, ut sit *una unius* *. Sed *sacramentum*, quod inter tria bona matrimonii computatur, pertinet ad indivisionem *. Ergo deberet esse aliquid aliud quod pertineret ad unitatem.

* Cf. cap. *Debitum pastoralis*, *de Bigam. non ordinand.*
* Dist. xxxi, capp. 1 sqq.

Sed contra, videtur quod superfluant. Quia unica virtus sufficit ad unum actum honestandum. Sed *fides* est una virtus. Ergo non oportuit alia duo addere ad honestandum matrimonium.

2. Praeterea, non ex eodem aliquid accipit rationem utilis et honesti: cum utile et honestum ex opposito bonum dividant. Sed ex prole matrimonium accipit rationem utilis. Ergo *proles* non debet computari inter bona quibus matrimonium honestatur.

3. Praeterea, nihil debet poni ut proprietas vel conditio sui ipsius. Sed haec bona ponuntur ut quaedam conditiones matrimonii. Ergo, cum matrimonium sit sacramentum, non debet poni *sacramentum* inter bona matrimonii.

Respondeo dicendum quod matrimonium est in officium naturae, et est sacramentum Ecclesiae. Inquantum ergo est in officium naturae, duobus ordinatur, sicut et quilibet alius virtutis actus. Quorum unum exigitur ex parte ipsius agentis: et haec est intentio finis debiti. Et sic ponitur bonum matrimonii *proles*. – Aliud exigitur ex parte ipsius actus, qui est bonus in genere ex hoc quod cadit supra debitam materiam. Et sic est *fides*, per quam homo ad suam accedit et non ad aliam. – Sed ulterius habet aliquam bonitatem inquantum est sacramentum. Et hoc significatur ipso nomine *sacramenti*.

Ad primum ergo dicendum quod in *prole* non solum intelligitur procreatio prolis, sed etiam educatio ipsius, ad quam sicut ad finem ordinatur tota communicatio operum quae est inter virum et uxorem inquantum sunt matrimonio coniuncti: quia patres naturaliter *thesaurizant filiis*, ut patet II *Cor.* xii *. Et sic in *prole*, quasi in principali fine, alius quasi secundarius includitur.

* Vers. 14.

Ad secundum dicendum quod *fides* non accipitur hic prout est virtus theologica, sed prout est pars iustitiae: secundum quod fides dicitur ex hoc quod *fiunt dicta* * in conservatione promissorum. Quia in matrimonio, cum sit quidam contractus, est quaedam promissio per quam talis vir tali mulieri determinatur.

* Tullius, *de Republica*, lib. IV.

Ad tertium dicendum quod, sicut in promissione matrimonii continetur ut neuter ad alium torum accedat, ita etiam quod sibi invicem debitum reddant. Et hoc etiam est principalius: cum sequatur ex ipsa mutua potestate in invicem data. Et ideo utrumque ad *fidem* pertinet. Sed in libro *Sententiarum* ponitur quod est minus manifestum.

Ad quartum dicendum quod in *sacramento* non solum intelligenda est indivisio, sed omnia illa quae consequuntur matrimonium ex hoc quod est signum coniunctionis Christi et Ecclesiae.

Vel dicendum quod unitas quam obiectio tangit, pertinet ad *fidem*, sicut et indivisio ad *sacramentum*.

Ad quintum * dicendum quod *fides* non accipitur hic pro aliqua virtute: sed pro quadam conditione virtutis ex qua fides nominatur quae ponitur pars iustitiae.

* Arg. *Sed contra* 1.

Ad sextum * dicendum quod, sicut debitus usus boni utilis accipit rationem honesti, non quidem ex utili, sed

* Arg. *Sed contra* 2.

ex ratione, quae rectum usum facit; ita etiam ordinatio ad aliquod bonum utile potest facere bonitatem honestatis ex vi rationis debitam ordinationem facientis. Et hoc modo matrimonium, ex hoc quod ordinatur ad prolem, et utile est, et nihilominus honestum, inquantum debite ordinatur.

Ad septimum * dicendum quod, sicut Magister dicit, xxxi dist. * IV *Sent.*, *sacramentum* non dicitur hic ipsum matrimonium, sed inseparabilitas eius, quae est eiusdem rei signum cuius et matrimonium.

* Arg. *Sed contra* 3.
* Cap. *Separatio.*

Vel dicendum quod, quamvis matrimonium sit sacramentum, tamen aliud est matrimonio esse matrimonium, et aliud est ei esse sacramentum: quia non solum ad hoc est institutum ut sit in signum rei sacrae, sed etiam ut sit in officium naturae. Et ideo ratio sacramenti est quaedam conditio adveniens matrimonio secundum se considerato, ex quo etiam honestatem habet. Et ideo sacramentalitas eius, ut ita dicam, ponitur inter bona honestantia matrimonium. Et secundum hoc in tertio bono matrimonii, scilicet *sacramento*, non solum intelligitur inseparabilitas, sed etiam omnia quae ad significationem ipsius pertinent.

ART. III. Utrum sacramentum sit principalius inter bona matrimonii

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod *sacramentum* non sit principalius inter bona matrimonii. Quia *finis est potissimum in unoquoque* *. Sed proles est matrimonii finis. Ergo *proles* est principalius matrimonii bonum.

* Aristot. *Topic.* lib. VI, cap. viii, n. 2.

2. Praeterea, principalius in ratione speciei est differentia, quae complet speciem, quam genus: sicut forma quam materia in constitutione rei naturalis. Sed *sacramentum* competit matrimonio ex ratione sui generis; *proles* autem et *fides* ex ratione differentiae, inquantum est tale sacramentum. Ergo alia duo sunt magis principalia in matrimonio quam sacramentum.

3. Praeterea, sicut invenitur matrimonium sine prole et fide, ita invenitur sine inseparabilitate: sicut patet quando alter coniugum ante matrimonium consummatum ad religionem transit. Ergo nec ex hac ratione sacramentum est in matrimonio principalius.

4. Praeterea, effectus non potest esse principalior sua causa. Sed consensus, qui est causa matrimonii, frequenter immutatur. Ergo et matrimonium solvi potest. Et sic inseparabilitas non semper comitatur matrimonium.

5. Praeterea, sacramenta quae habent effectum perpetuum, imprimunt characterem. Sed in matrimonio non imprimitur character. Ergo non adest ei inseparabilitas perpetua. Et ideo, sicut est matrimonium sine *prole*, ita potest esse sine *sacramento*. Et sic idem quod prius.

Sed contra, illud quod ponitur in definitione rei est sibi maxime essentiale. Sed *indivisio*, quae pertinet ad *sacramentum*, ponitur in definitione supra * de matrimonio data, non autem *proles* vel *fides*. Ergo *sacramentum* inter alia est matrimonio essentialius.

* Dist. xxvii, cap. *Sunt ergo*. - Cf. qu. xliv, art. 3.

2. Praeterea, *virtus divina*, quae *in sacramentis operatur* *, est efficacior quam virtus humana. Sed *proles* et *fides* pertinent ad matrimonium secundum quod est in officium naturae humanae; *sacramentum* autem secundum quod est ex institutione divina. Ergo *sacramentum* est principalius in matrimonio quam alia duo.

* Isidor. *Etymol.* lib. VI, cap. xix.

Respondeo dicendum quod aliquid dicitur in re aliqua principalius, altero duorum modorum: aut quia altero essentialius; aut quia dignius. Si quia dignius, sic omnibus modis *sacramentum* est principalius inter tria bona coniugii. Quia pertinet ad matrimonium inquantum est sacramentum gratiae. Alia vero duo pertinent ad ipsum inquantum est quoddam naturae officium. Perfectio autem gratiae est dignior perfectione naturae.

Si autem dicatur principalius quod est essentialius, sic distinguendum est. Quia *fides* et *proles* possunt dupliciter considerari. Uno modo, in seipsis. Et sic pertinent ad usum matrimonii, per quem et proles producitur, et pactio coniugalis servatur. Sed indivisibilitas, quam *sacramentum* importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se: quia ex hoc ipso quod per pactionem coniugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum coniuges tradunt, sequitur quod separari non possint. Et inde est quod matrimonium nunquam invenitur sine inseparabilitate: invenitur autem sine fide et prole, quia esse rei non dependet ab usu suo. Et secundum hoc *sacramentum* est essentialius matrimonio quam *fides* et *proles*.

Alio modo possunt considerari fides et proles secundum quod sunt in suis principiis: ut pro *prole* accipiatur intentio prolis, et pro *fide* debitum servandi fidem. Sine quibus etiam matrimonium esse non potest: quia haec in hoc matrimonio ex ipsa pactione coniugali causantur; ita quod, si aliquid contrarium huius exprimeretur in consensu qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium. Et sic accipiendo fidem et prolem, *proles* est essentialissimum in matrimonio, et secundo *fides*, et tertio *sacramentum:* sicut etiam homini est essentialius esse naturae quam esse gratiae, quamvis esse gratiae sit dignius.

Ad primum ergo dicendum quod finis secundum intentionem est primum in re, sed secundum consecutionem est ultimum *. Et similiter *proles* se habet inter matrimonii bona. Et ideo quodammodo est principalius, et quodammodo non.

* Cf. Aristot. *Ethic.* lib. III, cap. iii, n. 12; s. Th. lect. viii; *Metaphys.* lib. VI, cap. vii, n. 5, 7; s. Th. lib. VII, lect. vi.

Ad secundum dicendum quod *sacramentum*, prout ponitur tertium matrimonii bonum, pertinet ad matrimonium ratione suae differentiae: dicitur enim *sacramentum* ex significatione huius rei sacrae determinatae quam matrimonium significat.

Ad tertium dicendum quod nuptiae, secundum Augustinum *, sunt bona mortalium: unde *in resurrectione neque nubent neque nubentur*, ut dicitur Matth. xxii *. Et ideo vinculum matrimonii non se extendit ultra vitam in qua contrahitur: et ideo dicitur inseparabile, quia non potest in hac vita separari. Sed per mortem separari potest: sive corporalem, post carnalem coniunctionem; sive spiritualem, post spiritualem tantum.

* *De Bono Coniug.*, cap. viii.
* Vers. 30.

Ad quartum dicendum quod, quamvis consensus qui facit matrimonium, non sit perpetuus materialiter, idest quantum ad substantiam actus, quia ille actus cessat et potest contrarius succedere; tamen, formaliter loquendo, est perpetuus, quia est de perpetuitate vinculi: alias non faceret matrimonium; non enim consensus ad tempus in aliquam matrimonium facit. Et dico *formaliter*, secundum quod actus accipit speciem ab obiecto. Et secundum hoc matrimonium ex consensu inseparabilitatem accipit.

Ad quintum dicendum quod in sacramentis in quibus imprimitur character, traditur potestas ad actus spirituales: sed in matrimonio ad actus corporales. Unde matrimonium, ratione potestatis quam in se invicem coniuges accipiunt, convenit cum sacramentis in quibus character imprimitur, et ex hoc habet inseparabilitatem, ut Magister dicit *: sed differt ab eis inquantum potestas illa est ad actus corporales. Et propter hoc non imprimit characterem spiritualem.

* Dist. xxxi, cap. *Separatio.*

ART. IV. Utrum actus matrimonii possit excusari per bona praedicta ut non sit omnino peccatum

II *Sent.*, dist. xx, Expos. litt.; IV, dist. xxvi, qu. 1, art. 3, ad 4; 1 *ad Cor.*, cap. vii, lect. 1.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod actus matrimonii non possit excusari per bona praedicta ut non sit omnino peccatum. Quia quicumque sustinet damnum maioris boni propter minus bonum, peccat: quia inordinate sustinet. Sed bonum rationis, quod laeditur in ipso actu coniugali *, est maius quam haec tria coniugii bona. Ergo praedicta bona non sufficiunt ad excusandum coniugalem concubitum.

* Cf. art. 1.

2. Praeterea, si bonum malo additur, in genere moris totum efficitur malum, non autem totum bonum: quia una circumstantia mala facit actum malum, non autem una bona facit ipsum bonum *. Sed actus coniugalis secundum se est malus: alias excusatione non indigeret. Ergo bona matrimonii adiuncta non possunt ipsum bonum facere.

* Cf. Dionys. *de Div. Nom.*, cap. iv. - S. Th. lect. xxii.

3. Praeterea, ubicumque est immoderatio passionis, ibi est vitium in moribus. Sed bona matrimonii non possunt efficere quin delectatio illius actus sit immoderata. Ergo non possunt excusare quin sit peccatum.

4. Praeterea, verecundia non est nisi de *turpi actu,* secundum Damascenum *. Sed bona matrimonii non tollunt erubescentiam ab illo actu. Ergo non possunt excusare quin sit peccatum.

* *De Fide Orth.,* lib. II, cap. xv.

Sed contra, concubitus coniugalis non differt a fornicario nisi per bona matrimonii. Si ergo haec non sufficerent excusare ipsum, tunc matrimonium semper illicitum remaneret.

2. Praeterea, bona matrimonii se habent ad actum eius sicut circumstantiae debitae, ut dictum est *. Sed circumstantiae tales sufficienter faciunt quod actus aliquis non sit malus. Ergo et haec bona possunt excusare matrimonium ut nullo modo sit peccatum.

* Art. 1, ad 4.

Respondeo dicendum quod actus dicitur excusari dupliciter. Uno modo, ex parte facientis: ita quod non imputetur facienti in culpam, quamvis sit malus, vel saltem non in tantam culpam; sicut ignorantia dicitur excusare peccatum in toto vel in parte. – Alio modo dicitur excusari actus ex parte sui: ita scilicet quod non sit malus. Et hoc modo praedicta bona dicuntur excusare actum matrimonii.

Ex eodem autem habet actus aliquis quod non sit malus in genere moris, et quod sit bonus: quia non est aliquis actus indifferens, ut in II libro * dictum est. Dicitur autem aliquis humanus actus bonus dupliciter. Uno modo, bonitate virtutis. Et sic habet actus quod sit bonus ex his quae ipsum in medio ponunt. Et hoc faciunt in actu matrimonii *fides* et *proles,* ut ex dictis * patet. – Alio modo, bonitate *sacramenti,* secundum quod actus non solum bonus, sed etiam sanctus dicitur. Et hanc bonitatem habet actus matrimonii ex indivisibilitate coniunctionis, secundum quam significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam *. – Et sic patet quod praedicta bona sufficienter actum matrimonii excusant.

* Dist. xl, art. 5. - Cf. Iam IIae, qu. xviii, art. 9.
* Art. 2.
* *Ad Ephes.,* cap. v, vers. 31, 32.

Ad primum ergo dicendum quod per matrimonii actum non incurrit homo in damnum rationis quantum ad habitum, sed solum quantum ad actum. Nec est inconveniens quod quandoque aliquis actus melior secundum genus suum interrumpatur pro aliquo minus bono actu: hoc enim sine peccato fieri potest, sicut patet in eo qui ab actu contemplationis cessat ut interdum actioni vacet.

Ad secundum dicendum quod ratio illa procederet si malum quod inseparabiliter comitatur concubitum, esset malum culpae. Nunc autem non est malum culpae, sed poena tantum, quae est inobedientia concupiscentiae ad rationem. Et ideo ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum quod superabundantia passionis quae facit vitium, non attenditur secundum quantitativam ipsius intensionem, sed secundum proportionem ad rationem. Unde tunc solum passio reputatur immoderata quando limites rationis excedit. Delectatio autem quae fit in actu matrimoniali, quamvis sit intensissima secundum quantitatem, non tamen excedit limites sibi a ratione praefixos ante principium suum: quamvis in ipsa delectatione ratio eos ordinare non possit.

Ad quartum dicendum quod turpitudo quae semper est in actu matrimoniali et erubescentiam facit, est turpitudo poenae, et non culpae: quia de quolibet defectu homo naturaliter erubescit.

ART. V. Utrum actus matrimonialis excusari possit etiam sine bonis matrimonii

De Malo., qu. xv, art. 1.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod actus matrimonialis excusari possit etiam sine bonis matrimonii. Qui enim a natura tantum movetur ad actum matrimonii, non videtur aliquod bonum matrimonii intendere: quia bona matrimonii pertinent ad gratiam vel virtutem. Sed quando aliquis solo appetitu naturali movetur ad actum praedictum, non videtur esse peccatum: quia nullum naturale est malum, cum malum sit *praeter naturam* et *praeter ordinem,* ut Dionysius dicit *. Ergo actus matrimonii excusari potest etiam sine bonis matrimonii.

* *De Div. Nom.,* cap. iv. - S. Th. lect. xxii.

2. Praeterea, ille qui utitur coniuge ad fornicationem vitandam, non videtur aliquod bonum matrimonii intendere. Sed talis non peccat, ut videtur: quia ad hoc est matrimonium concessum humanae infirmitati, ut fornicatio vitetur, ut patet I *Cor.* vii *. Ergo etiam sine bonis matrimonii potest actus eius excusari.

* Vers. 2, 5, 9.

3. Praeterea, ille qui utitur re sua ad libitum, non facit contra iustitiam, et sic non peccat, ut videtur. Sed per matrimonium uxor efficitur res viri, et e converso. Ergo, si se invicem ad libitum utuntur libidine movente, non videtur esse peccatum. Et sic idem quod prius.

4. Praeterea, illud quod est bonum ex genere, non efficitur malum nisi ex mala intentione fiat. Sed actus matrimonii, quo quis suam cognoscit, est ex genere bonus. Ergo non potest malus esse nisi mala intentione fiat. Sed potest bona intentione fieri etiam si non intendat aliquod bonum matrimonii: puta cum quis salutem corporalem per hoc intendit servare aut consequi. Ergo videtur quod etiam sine matrimonii bonis actus ille possit excusari.

Sed contra, *remota causa removetur effectus* *. Sed causa honestatis actus matrimonialis sunt matrimonii bona. Ergo sine eis non potest actus matrimonialis excusari.

* Cf. Aristot. *Physic.* lib. II, cap. iii, n. 11; s. Th. lect. vi. - Cap. *Cum cessante, de Appellat.*

2. Praeterea, non differt actus praedictus ab actu fornicario nisi in praedictis bonis. Sed concubitus fornicarius semper est malus. Ergo, si non excusatur praedictis bonis, etiam matrimonialis actus semper erit malus.

Respondeo dicendum quod, sicut bona matrimonii, secundum quod sunt in habitu, faciunt matrimonium honestum et sanctum; ita etiam, secundum quod sunt in actuali intentione, faciunt actum matrimonii honestum, quantum ad illa duo bona matrimonii quae ipsius actum respiciunt. Unde quando coniuges conveniunt causa prolis procreandae, vel ut sibi invicem debitum reddant, quod ad *fidem* pertinet, totaliter excusantur a peccato. Sed tertium bonum non pertinet ad usum matrimonii, sed ad essentiam ipsius, ut dictum est *. Unde facit ipsum matrimonium honestum: non autem actum eius, ut per hoc actus eius absque peccato reddatur, quia causa alicuius significationis conveniunt. Et ideo duobus solis modis coniuges absque omni peccato conveniunt: scilicet causa procreandae prolis, et debiti reddendi *. Alias autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale.

* Art. 3.
* Cf. qu. xli, art. 4.

Ad primum ergo dicendum quod proles prout est bonum sacramenti, addit supra prolem prout est bonum intentum a natura. Natura enim intendit prolem prout in ipsa salvatur bonum speciei: sed in prole secundum quod est bonum sacramenti matrimonii, ultra hoc intelligitur ut proles suscepta ulterius ordinetur in Deum. Et ideo oportet quod intentio naturae, qua prolem intendit, referatur, actu vel habitu, ad intentionem prolis prout est bonum sacramenti: alias staretur in creatura, quod sine peccato esse non potest. Et ideo, quando natura tantum movet ad actum matrimonii, non excusatur a peccato omnino, nisi inquantum motus naturae ordinatur, actu vel habitu, ulterius ad prolem secundum quod est bonum sacramenti. – Nec tamen sequitur quod motus naturae sit malus. Sed quod sit imperfectus, nisi ad aliquod bonum matrimonii ulterius ordinetur.

Ad secundum dicendum quod, si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in coniuge, non est aliquod peccatum: quia hoc est quaedam redditio debiti, quae ad bonum *fidei* pertinet. Sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas. Et secundum hoc est peccatum veniale. Nec ad hoc est matrimonium institutum nisi *secundum indulgentiam* * quae est de peccatis venialibus *.

* I *ad Cor.,* cap. vii, vers. 5, 6.
* Cf. qu. xli, art. 4, ad 3.

Ad tertium dicendum quod una debita circumstantia non sufficit ad hoc quod actus sit bonus *. Et ideo non oportet quod, qualitercumque quis re sua utatur, usus sit bonus: sed quando utitur re sua ut debet secundum omnes circumstantias.

* Cf. Dionys. loc. cit. in arg. 1.

Ad quartum dicendum quod, quamvis intendere sanitatis conservationem non sit per se malum, tamen haec intentio efficitur mala si ex aliquo sanitas intendatur quod non est ad hoc de se ordinatum: sicut qui ex sacramento baptismi tantum salutem corporalem quaereret. Et similiter etiam est in proposito in actu matrimonii.

ART. VI. UTRUM QUANDOCUMQUE ALIQUIS UXOREM COGNOSCIT NON INTENDENS ALIQUOD BONUM MATRIMONII SED SOLAM DELECTATIONEM, MORTALITER PECCET

Supra, qu. XLI, art. 4; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXXIII; *De Malo*, qu. XV, art. 2; I *ad Cor.*, cap. VII, lect. I; I *ad Thess.*, cap. IV, lect. I.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod, quandocumque aliquis uxorem cognoscit non intendens aliquod bonum matrimonii sed solam delectationem, mortaliter peccet. Quia Hieronymus dicit *, et habetur in littera **: *Voluptates quae de meretricum amplexibus capiuntur, in uxore damnandae sunt.* Sed non dicitur esse damnabile nisi peccatum mortale. Ergo cognoscere uxorem propter voluptatem solam est semper peccatum mortale.

* Comm. in Ep. *ad Ephes.* cap. V, vers. 25. - Cf. can. *Liberorum*, caus. XXXII, qu. IV.
** Dist. XXXI, cap. *Cum ergo.*

2\. PRAETEREA, consensus in delectationem est peccatum mortale, ut in II libro * dictum est. Sed quicumque cognoscit uxorem suam causa delectationis, consentit in delectationem. Ergo mortaliter peccat.

* Dist. XXIV, qu. III, art. 4. - Cf. I^am^ II^ae^, qu. LXXIV, art. 8.

3\. PRAETEREA, quicumque usum creaturae non refert in Deum, creatura fruitur: quod est peccatum mortale. Sed quicumque uxore propter solam delectationem utitur, hunc usum non refert in Deum. Ergo mortaliter peccat.

4\. PRAETEREA, nullus debet excommunicari nisi pro peccato mortali *. Sed aliquis uxorem sola libidine cognoscens ab introitu ecclesiae arcetur, ut in littera * dicitur, quasi sit excommunicatus. Ergo omnis talis peccat mortaliter.

* Can. *Nemo episcoporum*, caus. XI, qu. III.
* Dist. XXI, capp. *Sed forte* et *Hoc autem*. - Cf. Greg. M. Ep. LXIV, al. XXI, *ad Aug.*, ad interrog. 10.

SED CONTRA EST quia, secundum Augustinum *, talis concubitus ponitur inter peccata quotidiana, pro quibus dicitur, *Pater noster* etc., ut habetur in littera *. Sed talia non sunt peccata mortalia. Ergo, etc.

* Cf. *de Bono Coniug.*, cap. VI; Hug. a S. Vict. *Summ. Sent.* tr. VII, cap. III.
* Loc. cit. arg. 1.

2\. PRAETEREA, qui cibo utitur ad delectationem tantum, non peccat mortaliter. Ergo, pari ratione, qui utitur uxore tantum causa libidinis satiandae.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam * dicunt quod, quandocumque ad actum coniugalem libido principaliter movet, est peccatum mortale; sed quando movet ex latere, tunc est peccatum veniale; quando autem omnino delectationem respuit et displicet ei, tunc est omnino sine veniali peccato: ut sic delectationem in illo actu quaerere sit peccatum mortale; delectationem oblatam acceptare sit peccatum veniale; sed eam odire sit perfectionis.

* Autiss. *Summ. Aur.*, lib. IV, tr. *de Matrim.*, qu. *Utrum bona matrimon. excusent* etc.

Sed hoc non potest esse. Quia secundum Philosophum, in X *Ethic.* *, idem iudicium est de delectatione et operatione: quia operationis bonae est delectatio bona, et malae mala. Unde, cum actus matrimonialis non sit per se malus, nec quaerere delectationem erit peccatum mortale semper.

* Cap. III, n. 10. - S. Th. lect. IV.

Et ideo dicendum quod, si delectatio quaeratur ultra honestatem matrimonii, ut scilicet aliquis in coniuge non attendat quod coniux est, sed solum quod mulier, paratus idem facere cum ea si non esset coniux, est peccatum mortale. Et talis dicitur *ardentior amator uxoris* *: quia ardor ille extra bona matrimonii effertur. Si autem quaeratur delectatio infra limites matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quaereretur quam in coniuge, sic est veniale peccatum.

* Cap. *Cum ergo*, ubi supra; ex Sentent. Sixti Pythag. apud Hieron. lib. I *cont. Iovinian.* Cf. can. *Origo quidem*, caus. XXXII, qu. IV.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod tunc voluptates meretricias vir in uxore quaerit quando nihil aliud in ea attendit quam quod in meretrice attenderet.

AD SECUNDUM DICENDUM quod consensus in delectationem concubitus qui est peccatum mortale, est peccatum mortale. Non autem talis est delectatio matrimonialis actus.

AD TERTIUM DICENDUM quod, quamvis delectationem non referat actu in Deum, non tamen ponit in ea ultimum voluntatis finem: alias eam ubicumque indifferenter quaereret. Et ideo non oportet quod creatura fruatur: sed utitur creatura propter se, se autem habitualiter propter Deum, quamvis non actu.

AD QUARTUM DICENDUM quod hoc non dicitur propter hoc quod ex hoc peccato homo excommunicationem mereatur: sed quia spiritualibus se reddit inhabilem, propter hoc quod in actu illo homo efficitur *totus caro* *.

* August. Serm. CLXII, al. fragment. 3, n. 2.

QUAESTIO QUINQUAGESIMA

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IN GENERALI

DEINDE considerandum est de impedimentis matrimonii *. Et primo, in generali; secundo, in speciali *.

* Cf. qu. XLIII, Introd.
* Qu. LI.

ART. UNICUS. UTRUM MATRIMONIO CONVENIENTER IMPEDIMENTA ASSIGNENTUR

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod matrimonio inconvenienter impedimenta assignentur. Matrimonium enim quoddam sacramentum est contra alia divisum. Sed aliis non assignantur impedimenta. Ergo nec matrimonio assignari debent.

2\. PRAETEREA, quanto aliquid est minus perfectum, tanto paucioribus modis impediri potest. Sed matrimonium inter alia sacramenta est minus perfectum. Ergo vel nulla, vel paucissima impedimenta ei assignari debent.

3\. PRAETEREA, ubicumque est morbus, est necessarium remedium morbi. Sed concupiscentia, in cuius remedium matrimonium est indultum, est in omnibus. Ergo non debet esse aliquod impedimentum quod aliquam personam penitus illegitimam faciat ad contrahendum.

4\. PRAETEREA, illegitimum dicitur quod est contra legem. Sed huiusmodi impedimenta quae in matrimonio assignantur, non sunt contra legem naturae: quia non similiter inveniuntur in quolibet statu humani generis; plures enim gradus consanguinitatis inveniuntur esse prohibiti uno tempore quam alio. Lex autem humana non potest, ut videtur, matrimonio impedimenta praestare: quia matrimonium non est ex institutione humana, sed divina, sicut et alia sacramenta. Ergo matrimonio non debent alia impedimenta assignari, quae faciant personas illegitimas ad contrahendum.

5\. PRAETEREA, illegitimum et legitimum differunt per hoc quod est contra legem, vel non contra legem. Inter quae non cadit medium: cum sint opposita secundum affirmationem et negationem *. Ergo non possunt esse aliqua matrimonii impedimenta quibus personae mediae inter legitimas et illegitimas constituantur.

* Cf. Aristot. *Categ.* cap. VIII, n. 18.

6\. PRAETEREA, coniunctio viri et mulieris non est licita nisi in matrimonio. Sed omnis coniunctio illicita dirimi debet. Ergo, si aliquid matrimonium contrahendum impediat, hoc dirimet contractum de facto. Et sic non debent aliqua impedimenta matrimonio assignari quae impediant contrahendum et non dirimant contractum.

7\. PRAETEREA, nullo impedimento potest a re aliqua removeri quod in definitione ipsius cadit. Sed *indivisibilitas* cadit in definitione matrimonii *. Ergo non possunt esse aliqua impedimenta quae matrimonium contractum dirimant.

* IV *Sent.*, dist. XXVII, cap. *Sunt ergo.* - Cf. qu. XLIV, art. 3.

SED CONTRA, videtur quod debeant esse infinita matrimonii impedimenta. Quia matrimonium quoddam bonum est. Sed infinitis modis est defectus boni: ut dicit Dionysius, IV cap. *de Div. Nom.* * Ergo infinita sunt matrimonii impedimenta.

* S. Th. lect. XXII.

2\. PRAETEREA, impedimenta matrimonii accipiuntur secundum conditiones particularium personarum. Sed conditiones huiusmodi sunt infinitae. Ergo et matrimonii impedimenta.

RESPONDEO DICENDUM quod in matrimonio sunt quaedam quae sunt de essentia ipsius, et quaedam quae sunt de solemnitate eius, sicut et in aliis sacramentis. Et quia, remotis his quae non sunt de necessitate sacramenti, adhuc manet verum sacramentum; ideo impedimenta quae contrariantur his quae sunt de solemnitate sacramenti, non officiunt quin sit verum matrimonium. Et talia dicuntur *impedire contrahendum*, sed *non dirimunt contractum*: sicut *prohibitio Ecclesiae*, et *tempus feriatum*. Unde versus: *Ecclesiae vetitum, nec non tempus feriatum: Impediunt fieri, permittunt iuncta teneri.*

Impedimenta autem quae contrariantur his quae sunt de essentia matrimonii, faciunt ut non sit verum matrimonium. Et ideo dicuntur non solum *impedire contrahendum*, sed *dirimere iam contractum*. Quae his versibus continentur: *Error, conditio, votum, cognatio, crimen: Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas: Si sit affinis, si forte coire nequibis: Haec socianda vetant connubia, facta retractant.*

Horum autem numerus hoc modo accipi potest. Potest enim matrimonium impediri aut ex parte contractus matrimonii; aut ex parte contrahentium. Si primo modo, cum contractus matrimonii fiat per voluntarium consensum, qui tollitur per ignorantiam et per violentiam, erunt duo impedimenta matrimonii: scilicet *vis* *, idest coactio; et *error* * ex parte ignorantiae. Et ideo de istis duobus impedimentis supra * Magister determinavit, ubi agebatur de causa matrimonii.

* Supra, qu. XLVII.
* Qu. LI.
* Dist. XXIX, cap. I; dist. XXX, cap. I.

Nunc autem agit de impedimentis quae accipiuntur ex parte personarum contrahentium. Quae sic distinguuntur. Potest enim aliquis impediri a matrimonio contrahendo vel simpliciter; vel respectu alicuius personae. Si simpliciter, ut cum nulla possit matrimonium contrahere, hoc non potest esse nisi quia impeditur a matrimoniali actu. Quod quidem contingit dupliciter. Primo, quia non potest de facto: sive quia omnino non possit, et sic ponitur impedimentum *impotentia coeundi* *; sive quia non libere possit, et sic ponitur impedimentum *servitutis conditio* *. – Secundo, quia non licite potest. Et hoc secundum quod ad continentiam obligatur. Quod contingit dupliciter. Vel quia obligatur ex officio suscepto: et sic est impedimentum *ordinis* *. Vel ex voto emisso: et sic impedit *votum* **.

* Qu. LVIII.
* Qu. LII.
* Qu. LIII.
** Ibid. et qu. LXI.

Si autem aliquis impeditur a matrimonio non simpliciter, sed respectu alicuius personae: – vel propter obligationem ad alteram personam: sicut qui uni matrimonio iunctus est, non potest alteri coniungi; et sic est *ligamen* *, scilicet matrimonii. – Vel quia deficit proportio ad alteram personam. Et hoc propter tria. Primo quidem, propter nimiam distantiam ad ipsam: et sic est *disparitas cultus* *. – Secundo, propter nimiam propinquitatem, et sic ponitur triplex impedimentum: scilicet *cognatio* *, quae importat propinquitatem duarum personarum secundum se; et *affinitas* *, quae importat propinquitatem duarum personarum ratione tertiae matrimonio coniunctae; et *publicae honestatis iustitia* *, in qua est propinquitas duarum personarum respectu tertiae per sponsalia iunctae. – Tertio, propter indebitam coniunctionem ad ipsam primo factam. Et sic impedit *crimen* * adulterii prius cum ipsa commissi.

* Cf. qu. LXVII.
* Qu. LIX.
* Qu. LIV.
* Qu. LV.
* Qu. LV, art. 4; qu. LVI, LVII.
* Cf. qu. LX.

Ad primum ergo dicendum quod etiam alia sacramenta impediri possunt, si aliquid quod sit de essentia vel solemnitate sacramenti subtrahatur, ut dictum est *. Sed tamen magis matrimonio quam aliis sacramentis impedimenta assignantur, propter tres rationes. Primo, quia matrimonium consistit in duobus. Et ideo pluribus modis potest impediri quam alia sacramenta, quae uni personae competunt singulariter. – Secundo, quia matrimonium habet in nobis causam, sed alia quaedam sacramenta solum in Deo. Unde et poenitentiae, quae habet causam in nobis aliquo modo, Magister supra * quaedam impedimenta assignavit, ut hypocrisim, ludos et huiusmodi. – Tertio, quia de aliis sacramentis est praeceptum vel consilium, sicut de bonis perfectioribus: sed de matrimonio est *indulgentia* *, sicut de bono minus perfecto. Et ideo, ut detur occasio proficiendi in melius, plura impedimenta assignantur matrimonio quam aliis sacramentis.

* In corpore. - Cf. IV *Sent.*, dist. XIII, qu. I, art. 2, qu^a 6.
* Dist. XVI, cap. I.
* I *ad Cor.*, cap. VII, n. 6. - Cf. qu. XLI, art. 4, ad 3.

Ad secundum dicendum quod perfectiora pluribus modis impediri possunt inquantum ad ea plura requiruntur. Si autem sit aliquod imperfectum ad quod plura requiruntur, illud etiam habebit plura impedimenta. Et sic est de matrimonio.

Ad tertium dicendum quod ratio illa procederet si non essent alia remedia, quibus etiam posset efficacius morbo concupiscentiae subveniri *. Quod falsum est.

* Cf. qu. XLII, art. 3, ad 3.

Ad quartum dicendum quod personae illegitimae ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo quod sunt contra legem qua matrimonium statuitur. Matrimonium autem, inquantum est in officium naturae, statuitur lege naturae; inquantum est sacramentum, statuitur iure divino; inquantum est in officium communitatis, statuitur lege civili. Et ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium illegitima. Nec est simile de aliis sacramentis, quae sunt sacramenta tantum. Et quia lex naturalis secundum diversos status respicit determinationes diversas; et ius positivum variatur etiam secundum diversas hominum conditiones in diversis temporibus: ideo Magister * ponit in diversis temporibus diversas personas illegitimas fuisse.

* Dist. XXXIV, cap. I.

Ad quintum dicendum quod lex potest aliquid prohibere vel universaliter, vel in parte quantum ad aliquos casus. Et ideo inter esse totaliter secundum legem, et esse totaliter contra legem, quae sunt contrarie opposita, et non secundum affirmationem et negationem, cadit medium esse aliqualiter secundum legem et aliqualiter contra legem. Et propter hoc ponuntur quaedam personae mediae inter simpliciter legitimas et simpliciter illegitimas.

Ad sextum dicendum quod illa impedimenta quae non dirimunt matrimonium contractum, impediunt quandoque contrahendum, non ut non fiat, sed ut non licite fiat. Et tamen, si fiat, matrimonium verum contractum est: quamvis contrahens peccet. Sicut, si aliquis consecraret post comestionem, peccaret contra statutum Ecclesiae faciens; nihilominus verum sacramentum perficeret, quia ieiunium consecrantis non est de necessitate sacramenti.

Ad septimum dicendum quod impedimenta praedicta non dicuntur dirimere matrimonium contractum quasi solventia verum matrimonium, quod rite contractum est: sed quia solvunt matrimonium quod contractum est de facto et non de iure. Unde, si impedimentorum aliquod matrimonio rite facto superveniat, matrimonium solvere non valet.

Ad octavum * dicendum quod impedimenta quibus aliquod bonum per accidens impeditur, sunt infinita: sicut et omnes *causae per accidens* *. Sed causae corrumpentes aliquod bonum per se, sunt determinatae, sicut etiam causae constituentes: quia causae destructionis et constructionis alicuius rei sunt oppositae *, vel eaedem contrario modo sumptae *.

* Arg. *Sed contra* 1.
* Aristot. *Physic.* lib. II, cap. V, n. 3. - S. Th. lect. VIII.
* Cf. Aristot. *Meteor.* lib IV, cap. VII, n. 16. - S. Th. lect. IX.
* Cf. Aristot. *Physic.* lib. II, cap. III, n. 4. - S. Th. lect. V.

Ad nonum * dicendum quod conditiones particularium personarum in singulari sunt infinitae, sed in generali possunt reduci ad certum numerum: sicut in medicina patet et in omnibus artibus operativis, quae particularium, in quibus est actus *, conditiones considerant.

* Arg. *Sed contra* 2.
* Aristot. *Metaphys.* lib. I, cap. I, n. 6. - S. Th. lect. III.

QUAESTIO QUINQUAGESIMAPRIMA
DE IMPEDIMENTO ERRORIS

Deinde considerandum est de impedimentis matrimonii in speciali *. Et primo, de impedimento erroris.

* Cf. qu. L, Introd.

Circa quod quaeruntur duo.

Primo: utrum error de sui natura matrimonium impediat.

Secundo: quis error.

ART. I. UTRUM ERROR DEBEAT PONI MATRIMONII IMPEDIMENTUM PER SE

Ad primum sic proceditur. Videtur quod error non debeat poni matrimonii impedimentum per se. Consensus enim, qui est causa matrimonii, impeditur sicut et voluntarium. Sed voluntarium, secundum Philosophum, in III *Ethic.* *, potest impediri per ignorantiam. Quae non est idem quod error: quia ignorantia nullam cognitionem ponit; sed error ponit, eo quod *approbare falsa pro veris* sit error, secundum Augustinum *. Ergo non debuit hic poni impedimentum matrimonii error, sed magis ignorantia.

* Cap. I, n. 13 sqq. - S. Th. lect. III.
* *De Trin.* lib. IX, cap. XI; *Enchirid.*, cap. XVII, XIX.

2. Praeterea, illud potest impedire matrimonium de sui natura quod habet contrarietatem ad bona matrimonii. Sed error non est huiusmodi. Ergo error de sui natura non impedit matrimonium.

3. Praeterea, sicut consensus requiritur ad matrimonium, ita intentio requiritur ad baptismum. Sed si aliquis baptizat Ioannem et credit baptizare Petrum, nihilominus vere baptizatus est. Ergo error non excludit matrimonium.

4. Praeterea, inter Liam et Iacob fuit verum matrimonium *. Sed ibi fuit error. Ergo error non excludit matrimonium.

* *Gen.* cap. XXIX, vers. 21 sqq.

Sed contra est quod in Digestis * dicitur: *Quid tam contrarium est consensui quam error?* Sed consensus requiritur ad matrimonium. Ergo error matrimonium impedit.

* Dig. II, 1, *de Iurisdict.*, 15.

2. Praeterea, consensus aliquid voluntarium nominat. Sed error impedit voluntarium: quia voluntarium, secundum Philosophum * et Gregorium Nyssenum ** et Da-

* *Ethic.* lib. III, cap. I, n. 20. - S. Th. lect. IV.
** Nemes., *de Nat. Hom.*, cap. XXXII, al. lib V, cap. III.

mascenum *, est *cuius principium est in aliquo sciente singularia in quibus est actus*, quod erranti non competit. Ergo error matrimonium impedit.

* De Fide Orth. lib. II, cap. XXIV.

Respondeo dicendum quod quidquid impedit causam de sui natura, impedit et effectum similiter. Consensus autem est causa matrimonii, ut dictum est *. Et ideo quod evacuat consensum, evacuat matrimonium. Consensus autem voluntatis est actus, qui praesupponit actum intellectus. Deficiente autem primo, necesse est defectum contingere in secundo. Et ideo, quando error cognitionem impedit, sequitur etiam in ipso consensu defectus. Et per consequens in matrimonio. Et sic error de iure naturali habet quod evacuet matrimonium.

* Qu. XLV, art. 1.

Ad primum ergo dicendum quod ignorantia differt, simpliciter loquendo, ab errore: quia ignorantia de sui ratione non importat aliquem cognitionis actum; sed error ponit iudicium rationis perversum de aliquo. Tamen quantum ad hoc quod est impedire voluntarium, non differt utrum dicatur ignorantia vel error. Quia nulla ignorantia potest impedire voluntarium nisi quae habet errorem adiunctum: eo quod actus voluntatis praesupponit aestimationem sive iudicium de aliquo in quod fertur; unde, si est ibi ignorantia, oportet ibi esse errorem. Et ideo etiam ponitur error, quasi causa proxima.

Ad secundum dicendum quod, quamvis non contrarietur secundum se matrimonio, contrariatur ei tamen quantum ad causam suam.

Ad tertium dicendum quod character baptismalis non causatur ex intentione baptizantis directe, sed ex elemento materiali exterius adhibito: intentio autem operatur solum ut dirigens elementum materiale ad effectum proprium. Sed vinculum coniugale ex ipso consensu causatur directe. Et ideo non est simile.

Ad quartum dicendum quod, sicut Magister, XXX dist. * IV *Sent.*, dicit, matrimonium quod fuit inter Liam et Iacob non fuit perfectum ex ipso concubitu, qui ex errore contigit; sed ex consensu qui postmodum accessit *. Tamen uterque a peccato excusatur: ut in eadem distinctione * patet.

* Cap. 1.
* Gen. loc. cit. in arg., vers. 28.
* Ibid.

ART. II. Utrum omnis error matrimonium impediat

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod omnis error matrimonium impediat, et non solum error *conditionis* * aut *personae*, ut in littera ** dicitur. Quia quod convenit alicui secundum se, convenit ei secundum totum suum ambitum. Sed error de sui natura habet quod matrimonium impediat, ut dictum est *. Ergo omnis error matrimonium impedit.

* Cf. qu. LII.
** Dist. XXX, cap. 1.
* Art. praeced.

2. Praeterea, si error inquantum huiusmodi matrimonium impedit, maior error magis debet impedire. Sed maior est error fidei, qui est in haereticis non credentibus hoc sacramentum, quam error personae. Ergo magis debet impedire quam error personae.

3. Praeterea, error non evacuat matrimonium nisi inquantum tollit voluntarium. Sed ignorantia cuiuslibet circumstantiae voluntarium tollit, ut patet in III *Ethic.* * Ergo non solum error conditionis et personae matrimonium impediunt.

* Cap. 1, n. 18. - S. Th. lect. III.

4. Praeterea, sicut conditio servitutis aliquid est annexum accidens personae, ita qualitas corporis aut animi. Sed error conditionis impedit matrimonium. Ergo, eadem ratione, error qualitatis aut fortunae.

5. Praeterea, sicut ad conditionem personae pertinet servitus et libertas, ita nobilitas vel ignobilitas, aut status dignitatis et privatio eius. Sed error conditionis libertatis vel servitutis impedit matrimonium. Ergo et error aliorum dictorum.

6. Praeterea, sicut conditio servitutis impedit, ita etiam disparitas cultus et impotentia coeundi, ut infra * dicetur. Ergo, sicut error conditionis ponitur matrimonii impedimentum, ita error circa alia huiusmodi deberet impedimentum matrimonii poni.

* Qu. LII, art. 1; qu. LVIII, art. 1; qu. LIX, art. 1.

Sed contra, videtur quod nec error personae matrimonium impediat. Quia sicut emptio est quidam contractus, ita etiam matrimonium. Sed in emptione et venditione, si detur aurum aequivalens pro alio auro, non impeditur venditio. Ergo nec matrimonium impeditur si pro una muliere alia accipiatur.

2. Praeterea, potest contingere quod per multos annos isto errore detineantur, et filios et filias generent simul. Sed grave esset dicere quod tunc essent dividendi. Ergo error primus non frustravit matrimonium.

3. Praeterea, potest contingere quod frater viri in quem consentire credit mulier, offeratur ei, et cum eo commisceatur carnaliter. Et tunc videtur quod non possit redire ad illum in quem consentire se credidit, sed debeat stare cum fratre eius. Et sic error personae non impedit matrimonium.

Respondeo dicendum quod, sicut error ex hoc quod involuntarium causat, habet excusare peccatum, ita habet quod matrimonium impediat ex eodem. Error autem non excusat a peccato nisi sit illius circumstantiae cuius appositio vel remotio facit differentiam liciti et illiciti in actu. Si enim aliquis percutiat patrem baculo ferreo, quem credit ligneum esse, non excusatur a toto, quamvis forte a tanto: sed si credat quis percutere filium causa disciplinae, et percutiat patrem, excusatur a toto, adhibita debita diligentia. Unde oportet quod error qui matrimonium impedit, sit alicuius eorum quae sunt de essentia matrimonii. Duo autem includit ipsum matrimonium, scilicet personas duas quae coniunguntur, et mutuam potestatem in invicem, in qua matrimonium consistit. Primum autem tollitur per errorem personae; secundum per errorem conditionis, quia servus non potest potestatem sui corporis libere alteri tradere sine consensu domini sui. Et propter hoc hi duo errores matrimonium impediunt, et non alii.

Ad primum ergo dicendum quod error non habet ex natura generis quod impediat matrimonium, sed ex natura differentiae adiunctae: prout scilicet est error alicuius eorum quae sunt de essentia matrimonii.

Ad secundum dicendum quod error infidelis de matrimonio est circa ea quae sunt matrimonium consequentia, sicut an sit sacramentum, vel an sit licitum. Et ideo error talis matrimonium non impedit: sicut nec error circa baptismum impedit acceptionem characteris, dummodo intendat facere vel recipere quod Ecclesia dat, quamvis credat nihil esse *.

* Cf. Part. III, qu. LXVII, art. 5, ad 2; qu. LXVIII, art. 7, ad 1.

Ad tertium dicendum quod non quaelibet circumstantiae ignorantia causat involuntarium quod excusat peccatum, ut dictum est *. Et propter hoc ratio non sequitur.

* In corpore.

Ad quartum dicendum quod diversitas fortunae non variat aliquid eorum quae sunt de essentia matrimonii, nec diversitas qualitatis, sicut facit conditio servitutis. Et ideo ratio non sequitur.

Ad quintum dicendum quod error nobilitatis, inquantum huiusmodi, non evacuat matrimonium *: eadem ratione qua nec error qualitatis *. Sed si error nobilitatis vel dignitatis redundat in errorem personae, tunc impedit matrimonium. Unde si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error nobilitatis ipsius non impedit matrimonium. Si autem directe intendit consentire in filium regis, quicumque sit ille, tunc, si alius praesentetur ei quam filius regis, est error personae, et impedietur matrimonium.

* Cf. can. *Quod autem*, caus. XXIX, qu. 1.
* Cf. resp. ad 4.

Ad sextum dicendum quod error etiam aliorum impedimentorum matrimonii, quantum ad ea quae faciunt personas illegitimas, impedit matrimonium. Sed ideo de errore illorum non facit mentionem, quia illa impediunt matrimonium sive cum errore sint sive sine errore: ut, si aliqua contrahat cum subdiacono, sive sciat sive nesciat, non est matrimonium. Sed conditio servitutis non impedit si servitus sciatur *. Et ideo non est simile.

* Cf. qu. LII, art. 1.

Ad septimum * dicendum quod pecunia in contractibus accipitur quasi mensura aliarum rerum, ut patet in V *Ethic.* *, et non quasi propter se quaesita. Et ideo, si non detur illa pecunia quae creditur sed alia aequivalens, nihil obest contractui. Sed si in re quaesita propter se esset error, impediretur contractus: sicut si alicui venderetur asinus pro equo. Et similiter est in proposito.

* Arg. *Sed contra* 1.
* Cap. V, n. 10 sqq. - S. Th. lect. IX.

Ad octavum * dicendum quod, quantumcumque fuerit cum ea, nisi de novo consentire velit, non est matrimonium.

* Arg. *Sed contra* 2.

Ad nonum * dicendum quod, si ante non consenserat in fratrem eius, potest eum quem per errorem accepit retinere: nec potest ad fratrem eius redire, praecipue si sit cognita carnaliter ab eo quem accepit. Si autem consenserat in primum per verba de praesenti, non potest secundum habere primo vivente: sed potest vel secundum relinquere, vel ad primum redire. Et ignorantia facti excusat: sicut excusaretur si post consummatum matrimonium a consanguineo viri sui fraudulenter cognosceretur; quia fraus alterius non debet sibi praeiudicare.

* Arg. *Sed contra* 3.

QUAESTIO QUINQUAGESIMASECUNDA

DE IMPEDIMENTO CONDITIONIS SERVITUTIS

Deinde considerandum est de impedimento conditionis *. Circa quod quaeruntur quatuor.

* Cf. qu. LI, Introd.

Primo: utrum conditio servitutis matrimonium impediat.

Secundo: utrum servus sine consensu domini possit matrimonium contrahere.

Tertio: utrum aliquis, postquam uxoratus est, possit se servum facere sine consensu uxoris.

Quarto: utrum filii debeant sequi conditionem patris vel matris.

ART. I. utrum conditio servitutis impediat matrimonium

Infra, qu. LVIII, art. 1, ad 4.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod conditio servitutis non impediat matrimonium. Nihil enim impedit matrimonium nisi quod habet aliquam contrarietatem ad ipsum. Sed servitus non habet aliquam contrarietatem ad matrimonium: alias inter servos non possent esse coniugia. Ergo servitus non impedit matrimonium.

2. Praeterea, illud quod est contra naturam, non potest impedire illud quod est secundum naturam. Sed servitus est contra naturam: quia, sicut dicit Gregorius *, *contra naturam est hominem homini velle dominari*. Quod etiam patet ex hoc quod homini dictum est * *ut praesit piscibus maris*, etc.: non autem *ut praesit homini*. Ergo non potest impedire matrimonium, quod est naturale.

* *Reg. Pastoral.* part. II, cap. VI; *Moral.* lib. XXI, cap. XV, al. X, in vet. XI.
* *Gen.* cap. I, vers. 26.

3. Praeterea, si impediat, aut hoc est de iure naturali, aut de iure positivo. Non de iure naturali: quia secundum ius naturale *omnes homines sunt aequales*, ut Gregorius dicit *; et in principio *Digestorum* ** dicitur quod servitus non est de iure naturali. Positivum etiam ius descendit a naturali: ut Tullius dicit *. Ergo secundum nullum ius servitus matrimonium impedire potest.

* Locis cit. - Cf. *de div. Reg. Iur.*, reg. XXXII.
** I, I, *de Iustit. et Iure*, 4.
* *De Invent. Rhet.* lib. II, cap. LIII.

4. Praeterea, illud quod impedit matrimonium, aequaliter impedit sive sciatur sive ignoretur: ut patet de consanguinitate. Sed servitus unius cognita ab altero non impedit matrimonium *. Ergo servitus, quantum in se est, non habet quod impediat matrimonium. Et ita non deberet poni per se matrimonii impedimentum ab aliis distinctum.

* Can. *Si quis liber*, et *Si quis ancillam*, caus. XXIX, qu. II.

5. Praeterea, sicut contingit esse errorem circa servitutem ut putetur liber qui est servus, ita potest esse error de libertate ut putetur servus qui est liber. Sed libertas non ponitur matrimonii impedimentum. Ergo nec servitus deberet poni.

6. Praeterea, magis facit gravem societatem matrimonii, et plus impedit prolis bonum morbus leprae quam servitus. Sed lepra non ponitur impedimentum matrimonii *. Ergo nec servitus debet poni.

* Capp. *Pervenit*, et *Quoniam nemini*, *de Coniug. lepros.*

Sed contra est quod decretalis dicit, *de Coniugio servorum* *, quod error conditionis impedit contrahendum matrimonium et dirimit contractum.

* Cap. *Proposuit*, et cap. *Ad nostram*. - Cf. Gloss. ibid.

2. Praeterea, matrimonium est de bonis per se expetendis, inquantum habet honestatem. Sed servitus est de per se fugiendis. Ergo matrimonium et servitus sunt contraria. Et sic servitus matrimonium impedit.

Respondeo dicendum quod matrimonii contractu obligatur unus coniugum alteri ad debitum reddendum *. Et ideo, si ille qui se obligat, est impotens ad solvendum, ignorantia huius impotentiae in eo cui fit obligatio, tollit contractum. Sicut autem per impotentiam coeundi efficitur aliquis impotens ad solvendum debitum ut omnino non possit solvere, ita per servitutem ut libere debitum reddere non possit. Et ideo, sicut impotentia coeundi ignorata impedit matrimonium, non autem si sciatur *, ita conditio servitutis ignorata impedit matrimonium, non autem servitus scita *.

* Cf. qu. LXIV, art. 1.
* Cf. qu. LVIII, art. 1, ad 4.
* Can. *Ad nostram*, *de Coniug. serv.* - Cf. arg. 4.

Ad primum ergo dicendum quod servitus contrariatur matrimonio quantum ad actum ad quem quis per matrimonium alteri obligatur, quem non potest libere exequi; et quantum ad bonum prolis, quae peioris conditionis efficitur ex servitute parentis *. Sed quia quilibet potest in eo quod sibi debetur sponte detrimentum aliquod subire, ideo, si alter coniugum scit alterius servitutem, nihilominus tenet matrimonium.

* Cf. art. 4.

Similiter etiam, quia in matrimonio est aequalis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum *, non potest aliquis requirere maiorem obligationem ex parte alterius quam ipse possit facere. Et propter hoc servus etiam si contrahit cum ancilla quam credit liberam, non propter hoc impeditur matrimonium.

* Cf. qu. LXIV, art. 5.

Et sic patet quod servitus non impedit matrimonium nisi quando est ignorata ab alio coniuge, et si ille sit liberae conditionis *. Et ideo nihil prohibet inter servos esse coniugia, vel inter liberum et ancillam.

* Cf. cap. *Ad nostram*, *de Coniug. serv.*

Ad secundum dicendum quod nihil prohibet aliquid esse contra naturam quantum ad primam intentionem ipsius, quod non est contra naturam quantum ad secundam intentionem eius. Sicut omnis corruptio et defectus et senium est contra naturam, ut dicitur in II *de Coelo* *, quia natura intendit esse et perfectionem: non tamen est contra secundam intentionem naturae; quia ex quo natura non potest conservare esse in uno, conservat in altero, quod generatur corruptione alterius *. Et quando natura non potest perducere ad maiorem perfectionem, inducit ad minorem: sicut, quando non potest facere masculum, facit feminam, quae est *mas occasionatus*, ut dicitur in XVI *de Animalibus* *.

* Cap. VI, n. 3. - S. Th. lect. IX.
* Cf. Arist. *Physic.* lib. III, cap. VIII, n. 1. - S. Th. lect. XIII.
* Didot. *de General. Animal.* lib. II, cap. III.

Similiter etiam dico quod servitus est contra primam intentionem naturae, sed non est contra secundam. Quia naturalis ratio ad hoc inclinat, et hoc appetit natura, ut quilibet sit bonus: sed ex quo aliquis peccat, natura etiam inclinat ut ex peccato poenam reportet. Et sic servitus in poenam peccati introducta est. Nec est inconveniens aliquod naturale per hoc quod est contra naturam hoc modo impediri: sic enim matrimonium impeditur per impotentiam coeundi, quae est contra naturam modo praedicto.

Ad tertium dicendum quod ius naturale dictat quod poena sit pro culpa infligenda, et quod nullus sine culpa puniri debeat: sed determinare poenam secundum conditionem personae et culpae est iuris positivi. Et ideo servitus, quae est poena, determinata est a iure positivo, et a naturali proficiscitur sicut determinatum ab indeterminato *. Et eodem iure positivo determinate est factum quod servitus ignorata matrimonium impediat *, ne aliquis sine culpa puniatur: est enim quaedam poena uxoris quod habeat virum servum, et e converso.

* Cf. I[am] II[ae], qu. XCIV, art. 5, ad 3.
* Cap. *Ad nostram*, *de Coniug. serv.*

Ad quartum dicendum quod aliqua impedimenta sunt quae faciunt matrimonium illicitum. Et quia voluntas nostra non facit aliquid esse illicitum vel licitum, sed lex, cui voluntas subdi debet; ideo ignorantia talis impedimenti, quae voluntarium tollit, vel scientia, nihil facit ad hoc quod matrimonium teneat. Et tale impedimentum est affinitas vel votum, et cetera huiusmodi.

Quaedam autem impedimenta sunt quae faciunt matrimonium inefficax ad solutionem debiti. Et quia in voluntate nostra consistit debitum nobis relaxare, ideo talia impedimenta, si sint cognita, matrimonium non tollunt, sed solum quando ignorantia voluntarium excludit. Et tale impedimentum est servitus et impotentia coeundi. Et quia etiam de se habent aliquam rationem impedimenti, ideo ponuntur specialia impedimenta praeter errorem. Non autem personae variatio ponitur speciale impedimentum praeter errorem: quia persona alia subintroducta non habet rationem impedimenti nisi ex intentione contrahentis.

Ad quintum dicendum quod libertas non impedit matrimonii actum. Unde libertas ignorata non impedit matrimonium.

Ad sextum dicendum quod lepra non impedit matrimonium quantum ad primum actum suum, quia leprosi debitum reddere possunt libere: quamvis aliqua gravamina matrimonio inferant quantum ad secundos effectus. Et ideo non impedit matrimonium sicut servitus.

ART. II. UTRUM SERVUS MATRIMONIUM CONTRAHERE POSSIT SINE CONSENSU DOMINI

IIª IIªᵉ, qu. CIV, art. 5.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod servus matrimonium contrahere non possit sine consensu domini. Nullus enim potest alicui dare quod est alterius sine consensu ipsius. Sed *servus est res domini* *. Ergo non potest, contrahendo matrimonium, dare potestatem corporis sui uxori, sine consensu domini.

* Aristot. I *Polit.*, cap. II, n. 4, 6. - S. Th. lect. II.

2. Praeterea, servus tenetur domino suo obedire *. Sed dominus potest ei praecipere quod in matrimonium non consentiat. Ergo sine consensu eius matrimonium non potest contrahere.

* *Ad Ephes.*, cap. VI, vers. 5; *ad Coloss.*, cap. III, vers. 22.

3. Praeterea, post contractum matrimonium servus tenetur reddere debitum uxori etiam praecepto iuris divini *. Sed eo tempore quo uxor debitum petit, potest dominus aliquod servitium servo imponere, quod facere non poterit si carnali copulae vacare velit. Ergo, si sine consensu domini posset servus contrahere matrimonium, privaretur dominus servitio sibi debito sine culpa. Quod esse non debet.

* I *ad Cor.*, cap. VII, vers. 3.

4. Praeterea, dominus potest vendere servum suum in extraneas regiones, quo uxor sua non potest eum sequi, vel propter infirmitatem corporis; vel propter periculum fidei imminens, puta si vendatur infidelibus; vel etiam domino uxoris non permittente, si sit ancilla. Et sic matrimonium dissolvetur. Quod est inconveniens. Ergo non potest servus sine consensu domini matrimonium contrahere.

5. Praeterea, favorabilior est obligatio qua homo divinis obsequiis se mancipat, quam illa qua homo se uxori subiicit. Sed servus sine consensu domini non potest religionem intrare * vel ad clericatum promoveri **. Ergo multo minus potest sine eius consensu matrimonio iungi.

* Can. *Si servus sciente*, dist. LIV.
** Cap. *De servorum ordinat.*, *de Servis non ordinand.*

Sed contra, *Galat.* III *: *In Christo Iesu non est servus neque liber.* Ergo ad matrimonium contrahendum in fide Christi Iesu eadem est libertas liberis et servis.

* Vers. 28.

2. Praeterea, servitus est de iure positivo *: sed matrimonium de iure naturali et divino. Cum ergo ius positivum non praeiudicet iuri naturali aut divino, videtur quod servus absque domini consensu matrimonium contrahere possit.

* Cf. art. praeced., ad 3.

Respondeo dicendum quod ius positivum, ut dictum est *, progreditur a iure naturali. Et ideo servitus, quae est de iure positivo, non potest praeiudicare his quae sunt de iure naturali. Sicut autem appetitus naturae est ad conservationem individui, ita est ad conservationem speciei per generationem. Unde, sicut servus non subditur domino quin libere possit comedere et dormire, et alia huiusmodi facere quae ad necessitatem corporis pertinent, sine quibus natura conservari non potest; ita non subditur ei quantum ad hoc quod non possit libere matrimonium contrahere, etiam domino nesciente aut contradicente.

* Ibid.

Ad primum ergo dicendum quod servus est res domini quantum ad ea quae naturalibus superadduntur: sed quantum ad naturalia omnes sunt pares. Unde in his quae ad actus naturales pertinent, servus potest alteri, invito domino, sui corporis potestatem per matrimonium praebere.

Ad secundum dicendum quod servus domino suo tenetur obedire in his quae dominus licite potest praecipere. Sicut autem licite non potest dominus praecipere servo quod non comedat vel dormiat, ita etiam nec quod a matrimonio contrahendo abstineat: interest enim ad legislatorem qualiter quilibet re sua utatur *. Et ideo, si dominus praecipiat servo quod non contrahat matrimonium, servus non tenetur domino obedire.

* Cf. Dig. I, VI, *de His qui sui vel alieni* etc., I, 2.

Ad tertium dicendum quod si servus, volente domino, matrimonium contraxerit, tunc debet praetermittere servitium domini imperantis et reddere debitum uxori: quia per hoc quod dominus concessit ut matrimonium servus contraheret, intelligitur ei concessisse omnia quae matrimonium requirit. Si autem matrimonium ignorante vel contradicente domino est contractum, non tenetur reddere debitum, sed potius domino obedire, si utrumque esse non possit *.

* S. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. IV, *de Impedim. Condit.*

Sed tamen in his multa particularia considerari debent, sicut et in omnibus humanis actibus: scilicet periculum castitatis imminens uxori, et impedimentum quod ex redditione debiti servitio imperato generatur, et aliis huiusmodi. Quibus omnibus rite pensatis, iudicari poterit cui magis servus obedire teneatur, domino vel uxori.

Ad quartum dicendum quod in tali casu dicitur quod dominus cogendus est ne servum vendat taliter quod faciat onera matrimonii graviora: praecipue cum non desit facultas ubicumque servum suum vendendi iusto pretio.

Ad quintum dicendum quod propter religionem et ordinis susceptionem aliquis obligatur divinis obsequiis quantum ad totum tempus. Sed vir tenetur debitum reddere uxori non semper, sed congruis temporibus. Et ideo non est simile.

Et praeterea ille qui intrat religionem et suscipit ordinem, obligat se ad aliqua opera quae sunt naturalibus superaddita, in quibus dominus potestatem eius habet *, et non in naturalibus, ad quae obligat se per matrimonium. Unde posset continentiam vovere sine consensu domini.

* Cf. resp. ad I.

ART. III. UTRUM SERVITUS MATRIMONIO POSSIT SUPERVENIRE, UT VIR SE ALTERI IN SERVUM VENDAT

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod servitus matrimonio non possit supervenire, ut vir se alteri in servum vendat. Quia quod in fraudem et praeiudicium alterius factum est, ratum esse non debet. Sed vir qui se in servum vendit, facit hoc quandoque in fraudem matrimonii, et ad minus in detrimentum uxoris. Ergo non debet valere talis venditio ad servitutem inducendam.

2. Praeterea, duo favorabilia praeiudicant uni non favorabili. Sed matrimonium et libertas sunt favorabilia *, et repugnant servituti, quae non est favorabilis in iure. Ergo talis servitus debet penitus annullari.

* Cap. *Duobus Iudic.*, *de Sent. et Re iudic.*; Dig. L, *de diversis Reg. Iuris*, 122.

3. Praeterea, in matrimonio vir et uxor ad paria iudicantur *. Sed uxor non potest se in ancillam dare nolente marito. Ergo nec vir nolente uxore.

* Cf. can. *Si quis*, caus. XXXII, qu. I, et Gloss. ibid.

4. Praeterea, illud quod impedit rei generationem in naturalibus, destruit etiam rem generatam. Sed servitus viri, nesciente uxore, impedit matrimonium contractum antequam fiat *. Ergo, si posset matrimonio supervenire, destrueret matrimonium. Quod est inconveniens.

* Art. I.

Sed contra, quilibet potest dare alteri quod suum est. Sed vir est sui iuris, cum sit liber *. Ergo potest dare ius suum alteri.

* Aristot. *Metaphys.* lib. I, cap. II, n. 9. - S. Th. lect. III.

2. Praeterea, servus potest, nolente domino, uxorem ducere, ut dictum est *. Ergo, eadem ratione, vir potest domino se subiicere nolente uxore.

* Art. 2.

Respondeo dicendum quod vir subditur uxori solum in his quae ad actum naturae pertinent, in quibus sunt aequales: ad quae servitutis subiectio se non extendit *. Et ideo vir, nolente uxore, potest se alteri in servum dare. Non tamen ex hoc matrimonium dissolvetur: quia nullum impedimentum matrimonio superveniens potest dissolvere ipsum, ut dictum est *.

* Cf. art. praec., ad I.
* Qu. L, art. I, ad 7.

Ad primum ergo dicendum quod fraus bene potest nocere ei qui fraudem fecit, sed non potest alteri praeiudicium generare. Et ideo, si vir in fraudem uxoris alteri det se in servum, ipse reportat damnum, *inaestimabile bonum libertatis* * amittens: sed uxori nullum potest ex hoc praeiudicium generari, quin teneatur reddere debitum petenti, et ad omnia quae matrimonium requirit; non enim potest ab his retrahi domini sui praecepto.

* Dig. L, *de diversis Reg. Iuris*, 106, 176.

Ad secundum dicendum quod, quantum ad hoc quod servitus matrimonio repugnat, matrimonium servituti praeiudicat: quia tunc servus tenetur uxori debitum reddere etiam nolente domino.

Ad tertium dicendum quod, quamvis in actu matrimoniali, et in his quae ad naturam spectant, ad paria vir

et uxor iudicentur, ad quae conditio servitutis se non extendit; tamen quantum ad dispensationem domus et alia huiusmodi superaddita, vir est caput uxoris * et debet corrigere eam, non autem e converso. Et ideo uxor non potest se dare in ancillam nolente viro.

* I *ad Cor.* cap. xi, vers. 3; *ad Ephes.* cap. v, vers. 23.

Ad quartum dicendum quod ratio illa procedit de rebus corruptibilibus: in quibus etiam multa impediunt generationem quae non sufficiunt ad destruendum rem generatam. Sed in rebus perpetuis potest impedimentum praestari ne res talis esse incipiat, non autem ut esse desistat: sicut patet de anima rationali. Et similiter etiam est de matrimonio, quod est perpetuum vinculum, praesenti vita manente.

ART. IV. UTRUM FILII DEBEANT SEQUI CONDITIONEM PATRIS

De Malo, qu. iv, art. 8, arg. 15.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod filii debeant sequi conditionem patris. Quia denominatio fit a digniori *. Sed pater in generatione est dignior quam mater. Ergo, etc.

* Cf. Aristot. *de Anim.* lib. II, cap. iv, n. 15. - S. Th. lect. ix.

2. Praeterea, esse rei magis dependet a forma quam a materia. Sed in generatione *pater dat formam, mater materiam*, ut dicitur XVI *de Animalibus* *. Ergo magis debet sequi proles patrem quam matrem.

* Didot. *de General. Animal.* lib. I, cap. ii; lib. II. cap. iv; lib. IV, cap. i.

3. Praeterea, illud praecipue debet aliquid sequi cui magis similatur. Sed filius plus similatur patri quam matri: sicut et filia plus matri. Ergo ad minus filius plus debet sequi patrem, et filia matrem.

4. Praeterea, in sacra Scriptura non computatur genealogia per mulieres, sed per viros *. Ergo proles magis sequitur patrem quam matrem.

* Cf. *Gen.* capp. iv, v, x; Matth. cap. i; Luc. cap. iii, vers. 23 sqq.

Sed contra, si quis seminat in terra aliena, fructus sunt eius cuius est terra *. Sed venter mulieris respectu seminis viri est sicut terra respectu sementis. Ergo, etc.

* Cod. III, xxxii, *de Rei Vindicat.*, 11; Dig. XLI, i, *de acquirendo rer. dom.* 9.

2. Praeterea, in aliis animalibus hoc videmus, quae ex diversis speciebus nascuntur, quod partus magis sequitur matrem quam patrem: unde muli qui nascuntur ex equa et asino, magis assimilantur equabus quam illi qui nascuntur ex asina et equo. Ergo similiter debet esse in hominibus.

Respondeo dicendum quod, secundum leges civiles, *partus sequitur ventrem* *. Et hoc rationabiliter. Quia proles habet a patre complementum formale, sed a matre substantiam corporis. Servitus autem corporalis conditio est: cum servus sit quasi instrumentum domini in operando. Et ideo proles in libertate et servitute sequitur matrem. Sed in his quae pertinent ad dignitatem, quae est ex forma rei, sequitur patrem: sicut in honoribus et municipiis et hereditate, et aliis huiusmodi. Et huic etiam concordant canones *; et lex Moysi, ut patet *Exod.* xxi **.

* Cod. loc. cit., 7.

* Can. *Liberi*, caus. XXXII, qu. iv, in Gloss.; cap. *Indecens*, *de Natis ex lib. ventre.*
** Vers. 4.

In quibusdam tamen terris, quae iure civili non reguntur, partus sequitur deteriorem conditionem *: ut, si pater sit servus, quamvis mater sit libera, erunt filii servi (non tamen si post peractum matrimonium pater se in servum dedit nolente uxore); et similiter si sit e converso. Si autem uterque sit servilis conditionis, et pertineant ad diversos dominos, tunc dividunt filios si plures sint; vel, si unus tantum, unus alteri recompensabit de pretio et accipiet prolem natam in sui servitium. – Tamen non est credibile quod talis consuetudo possit esse ita rationabilis sicut illud quod multorum sapientum diuturno consilio determinatum est.

* Cf. Gloss. cit.

Hoc etiam in naturalibus invenitur, quod *receptum est in recipiente per modum recipientis* *, non per modum dantis. Et ideo rationabile est quod semen receptum in muliere ad conditionem ipsius trahatur.

* Cf. lib. *de Causis*, prop. x, xii, xx, xxiv.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis pater sit dignius principium, tamen mater dat substantiam corporalem, ex parte cuius attenditur conditio servitutis.

Ad secundum dicendum quod in his quae ad rationem speciei pertinent, magis similatur filius patri quam matri. Sed in materialibus conditionibus magis debet similari matri quam patri: quia res habet a forma esse specificum, sed conditiones materiales a materia.

Ad tertium dicendum quod filius similatur patri ratione formae, quam habet in sui complemento, sicut et pater. Et ideo ratio non est ad propositum.

Ad quartum dicendum quod, quia honor filii magis est ex patre quam ex matre, ideo in genealogiis in Scripturis, et secundum communem consuetudinem, magis nominantur filii a patre quam a matre. Tamen in his quae ad servitutem spectant, magis matrem sequuntur.

QUAESTIO QUINQUAGESIMATERTIA

DE IMPEDIMENTO VOTI ET ORDINIS

Deinde considerandum est de impedimento voti et ordinis *.

* Cf. qu. li, Introd.

Circa quod quaeruntur quatuor.
Primo: utrum votum simplex matrimonium dirimat.
Secundo: utrum votum solemne.
Tertio: utrum ordo matrimonium impediat.
Quarto: utrum aliquis post matrimonium sacrum ordinem suscipere possit.

ART. I. UTRUM PER OBLIGATIONEM VOTI SIMPLICIS MATRIMONIUM CONTRACTUM DIRIMI DEBEAT

Quodl. III, qu. vii, art. 1; VIII, qu. v, art. 3; X, qu. v, art. 3, ad 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod per obligationem voti simplicis matrimonium contractum dirimi debeat. Fortius enim vinculum debiliori praeiudicat. Sed vinculum voti est fortius quam vinculum matrimonii: quia hoc fit homini, illud autem Deo. Ergo vinculum voti praeiudicat vinculo matrimonii.

2. Praeterea, praeceptum Dei non est minus quam praeceptum Ecclesiae. Sed praeceptum Ecclesiae adeo obligat quod, si contra ipsum matrimonium contrahatur, dirimitur: sicut patet de illis qui contrahunt in aliquo gradu consanguinitatis ab Ecclesia prohibito. Ergo, cum servare votum sit praeceptum divinum, videtur quod qui contra votum divinum matrimonium contrahit, quod ex hoc matrimonium sit dirimendum.

3. Praeterea, in matrimonio potest homo uti carnali copula sine peccato. Sed ille qui facit votum simplex, nunquam potest carnaliter uxori commisceri sine peccato. Ergo votum simplex matrimonium dirimit.

Probatio mediae. Constat quod ille qui post votum simplex continentiae matrimonium contrahit, peccat mortaliter: quia, secundum Hieronymum *, *virginitatem voventibus non solum nubere, sed velle nubere damnabile est.* Sed contractus matrimonii non est contra votum continentiae nisi ratione carnalis copulae. Ergo, quando primo carnaliter commiscetur uxori, mortaliter peccat. Et eadem ratione omnibus aliis vicibus: quia peccatum primo commissum non potest excusare a peccato sequenti.

* Aug. *de Bono Viduit.*, cap. ix. - Cf. can. *Voventibus*, dist. XXVII, et caus. XVII, qu. i, can. 2.

4. Praeterea, vir et mulier in matrimonio debent esse pares praecipue quantum ad carnalem copulam *. Sed ille qui votum simplex continentiae facit, nunquam potest petere debitum sine peccato: quia hoc est expresse contra votum continentiae, ad quam ex voto tenetur. Ergo nec reddere potest sine peccato.

* Cf. qu. lxiv, art. 3. - Cf. can. *Si quis*, caus. XXXII, qu. i, et Gloss. ibid.

Sed contra est quod Papa Clemens dicit *, quod votum simplex impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum.

* Alexander III, cap. *Consuluit*, *Qui clerici vel vov.* etc.; Caelestinus III, cap. *Rursus*, ibid.

Respondeo dicendum quod per hoc res aliqua desinit esse in potestate alicuius per quod transit in dominium alterius. Promissio autem alicuius rei non transfert eam in dominium eius cui promittitur. Et ideo non ex hoc ipso quod aliquis rem promittit aliquam, desinit res illa esse in potestate sua. Cum ergo in voto simplici non sit nisi simplex promissio proprii corporis ad continentiam Deo servandam facta, post votum simplex adhuc remanet homo dominus sui corporis. Et ideo potest ipsum alteri dare, scilicet uxori: in qua datione sacramentum matrimonii consistit, quod indissolubile est. Et propter hoc votum simplex, quamvis impediat contrahendum, quia peccat contrahens matrimonium post votum simplex continentiae; tamen, quia verus contractus est, non potest matrimonium propter hoc dirimi.

Ad primum ergo dicendum quod votum est fortius vinculum quam matrimonium quantum ad id cui fit, et ad quod ligat: quia per matrimonium homo ligatur uxori ad redditionem debiti, sed per votum Deo ad continentiam.

Tamen quantum ad modum ligandi, matrimonium est fortius vinculum quam votum simplex: quia per matrimonium traditur actualiter vir in potestatem uxoris, non autem per votum simplex, ut dictum est *; *potior* autem est semper *conditio possidentis* *. Sed quantum ad hoc simili modo obligat votum simplex sicut sponsalia. Unde propter votum simplex sunt sponsalia dirimenda.

* In corpore.
* Dig. L, *de diversis Reg. Iuris*, 126.

Ad secundum dicendum quod praeceptum prohibens matrimonium inter consanguineos non habet inquantum est praeceptum Dei vel Ecclesiae, quod dirimat matrimonium contrahendum: sed inquantum facit quod consanguinei corpus non possit transire in potestatem consanguinei. Hoc autem non facit praeceptum prohibens matrimonium post votum simplex, ut ex dictis * patet. Et ideo ratio non sequitur: ponitur enim pro causa quod non est causa.

* In corp. et ad 1.

Ad tertium dicendum quod ille qui contrahit matrimonium per verba de praesenti post votum simplex, non potest cognoscere uxorem suam sine peccato mortali: quia adhuc restat sibi facultas implendi votum continentiae ante matrimonium consummatum *. Sed postquam iam matrimonium consummatum est, est sibi factum illicitum non reddere debitum uxori exigenti, tamen ex culpa sua. Et ideo ad hoc obligatio voti non se extendit, ut ex praedictis * patet: tamen debet lamentum poenitentiae recompensare pro continentia non servata.

* Cf. qu. LXI, art. 2.
* Resp. ad 1.

Ad quartum dicendum quod, quantum ad ea in quibus non est factus impotens votum continentiae servare, adhuc post contractum matrimonium obligatur ad servandum. Propter quod, mortua uxore, tenetur totaliter continere. Et quia ex matrimonii vinculo non obligatur ad debitum petendum, ideo non potest petere debitum sine peccato: quamvis possit sine peccato reddere debitum exigenti, postquam obligatus est ad hoc per carnalem copulam praecedentem. – Hoc autem intelligendum est sive mulier expresse petat, sive interpretative, ut quando mulier verecunda est, et vir sentit eius voluntatem de redditione debiti: tunc enim sine peccato reddere potest, et praecipue si ei timet de periculo castitatis. – Nec obstat quod non sunt pares in matrimonii actu: quia quilibet potest hoc quod suum est abrenuntiare.

Quidam tamen dicunt quod potest et petere et reddere: ne nimis onerosum reddatur matrimonium uxori semper exigenti. – Sed, si recte inspiciatur, hoc est exigere interpretative.

ART. II. UTRUM VOTUM SOLEMNE DIRIMAT MATRIMONIUM IAM CONTRACTUM

Quodl. III, qu. VII, art. 1; VIII, qu. V, art. 3; X, qu. V, art. 3, ad 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod nec etiam votum solemne matrimonium dirimat contractum. Quia, sicut decretalis * dicit, *apud Deum non minus obligat votum simplex quam solemne.* Sed matrimonium acceptatione divina stat vel dirimitur. Ergo, cum votum simplex non dirimat matrimonium, nec votum solemne dirimere poterit.

* Cap. *Rursus, Qui clerici vel vov.* etc.

2. Praeterea, votum solemne non addit ita validum robur super votum simplex sicut iuramentum. Sed votum simplex, etiam iuramento superveniente, non dirimit matrimonium contractum. Ergo nec votum solemne.

3. Praeterea, votum solemne nihil habet quod non possit votum simplex habere. Quia votum simplex posset habere scandalum: cum possit esse in publico, sicut et solemne. Similiter et Ecclesia posset et deberet statuere quod votum simplex dirimat matrimonium iam contractum, ut multa peccata vitarentur. Ergo, qua ratione votum simplex non dirimit matrimonium, nec votum solemne dirimere debet.

Sed contra est quod ille qui facit votum solemne, contrahit matrimonium spirituale cum Deo, quod est multo dignius quam materiale matrimonium. Sed materiale matrimonium prius contractum dirimit matrimonium post contractum. Ergo votum solemne.

2. Praeterea, hoc etiam probari potest per multas auctoritates quae ponuntur in littera *.

* Dist. XXXVIII, capp. *Sciendum vero*, et *De virginibus*.

Respondeo dicendum quod omnes dicunt quod, sicut votum solemne impedit contrahendum, ita dirimit iam contractum. Quidam autem assignant pro causa scandalum *. – Sed hoc nihil est. Quia et simplex votum quandoque habet scandalum: cum sit quandoque quodammodo publicum. Et praeterea insolubilitas matrimonii est *de veritate vitae:* quae *non est propter scandalum dimittenda* *.

* Vide cap. *Sciendum vero*, ibid.
* Cf. IIam IIae, qu. XLIII, art. 7, arg. 4.

Et ideo alii * dicunt quod hoc est propter statutum Ecclesiae. – Sed hoc etiam non sufficit. Quia secundum hoc Ecclesia posset etiam contrarium statuere. Quod non videtur verum.

* Gloss. in cap. *Rursus, Qui clerici vel vov.* etc. – Cf. Gloss. in can. *Si quis votum*, caus. XXVII, qu. 1.

Et ideo dicendum est, cum aliis *, quod votum solemne ex sui natura habet quod dirimat matrimonium contractum: inquantum scilicet per ipsum homo sui corporis amisit potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens, ut ex dictis * patet; et ideo non potest seipsum tradere in potestatem uxoris matrimonium contrahendo. Et quia matrimonium quod sequitur tale votum, nullum est, ideo votum praedictum dirimere dicitur matrimonium contractum.

* S. Bonavent. IV *Sent.*, dist. XXXVIII, art. 2, qu. 1.
* IV *Sent.*, dist. XXXVIII, qu. 1, art. 2, qa 3.

Ad primum ergo dicendum quod votum simplex quoad Deum dicitur non minus obligare quam solemne in his quae ad Deum spectant, sicut est separatio a Deo per peccatum mortale: quia mortaliter peccat frangens votum simplex sicut solemne, quamvis gravius sit peccatum frangere votum solemne; ut sic comparatio in genere accipiatur, non in determinata quantitate reatus. Sed quantum ad matrimonium, per quod homo homini obligatur, non oportet quod sit aequalis obligationis etiam in genere: quia ad quaedam obligat votum solemne, et non simplex.

Ad secundum dicendum quod iuramentum plus obligat ex parte eius ex quo fit obligatio, quam votum. Sed votum solemne plus obligat quantum ad modum obligandi: inquantum actualiter tradit hoc quod promittitur, quod non fit per iuramentum. Et ideo non sequitur ratio.

Ad tertium dicendum quod votum solemne habet actualem exhibitionem proprii corporis, quam non habet votum simplex, ut ex dictis * patet. Et ideo ratio ex insufficienti procedit.

* Art. praeced.

ART. III. UTRUM ORDO IMPEDIAT MATRIMONIUM

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod ordo non impediat matrimonium. Quia nihil impeditur nisi a suo contrario. Sed ordo non est contrarius matrimonio: cum utrumque sit sacramentum. Ergo non impedit ipsum.

2. Praeterea, idem ordo est apud nos et apud Ecclesiam Orientalem. Sed apud Ecclesiam Orientalem non impedit matrimonium. Ergo nec apud Occidentalem.

3. Praeterea, matrimonium significat coniunctionem Christi et Ecclesiae *. Sed hoc praecipue congruit significari in his qui sunt ministri Christi, scilicet ordinatis. Ergo ordo matrimonium non impedit.

* *Ad Ephes.*, cap. V, cap. 32.

4. Praeterea, omnes ordines ad aliquid spirituale ordinantur. Sed ordo non potest impedire matrimonium nisi ratione spiritualitatis. Ergo, si ordo impedit matrimonium, quilibet ordo impediet. Quod falsum est.

5. Praeterea, omnes ordinati possunt ecclesiastica beneficia habere, et privilegio clericali gaudere aequaliter. Si ergo propter hoc ordo matrimonium impediat quia uxorati non possunt habere beneficium ecclesiasticum nec gaudere privilegio clericali, ut iuristae dicunt *; tunc quilibet ordo impedire deberet. Quod falsum est: ut patet per decretalem Alexandri *, *de Clericis coniugatis.* Et sic nullus ordo, ut videtur, matrimonium impediet.

* Cap. *Ioannes* et sqq., *de Cleric. coniugat.*
* Tertii, cap. *Si qui.*

Sed contra est quod decretalis * dicit: *Si in subdiaconatu et aliis superioribus ordinibus uxores accepisse noscuntur, eos uxores dimittere compellatis.* Quod non esset si esset verum matrimonium.

* Ibid.

2. Praeterea, nullus vovens continentiam potest matrimonium contrahere *. Sed quidam ordines sunt qui habent votum continentiae annexum, ut ex littera * patet. Ergo talis ordo matrimonium impedit.

* Art. 1, 2.
* Dist. XXXVII, cap. 1.

Respondeo dicendum quod ordo sacer de sui ratione habet, ex quadam congruentia, quod matrimonium impedire debeat: quia in sacris ordinibus constituti sacra vasa

et sacramenta tractant, et ideo decens est ut munditiam corporalem per continentiam servent. Sed quod impediat matrimonium, ex constitutione Ecclesiae habet. Tamen aliter apud Latinos quam apud Graecos. Quia apud Graecos impedit matrimonium contrahendum solum ex vi ordinis. Sed apud Latinos impedit ex vi ordinis, et ulterius ex voto continentiae, quod est ordinibus sacris annexum: quod etiam si quis verbo tenus non emittat, ex hoc ipso quod ordinem suscipit secundum ritum Occidentalis Ecclesiae, intelligitur emisisse. Et ideo apud Graecos et alios Orientales sacer ordo impedit matrimonium contrahendum, non tamen matrimonii prius contracti usum: possunt enim matrimonio prius contracto uti, quamvis non possint matrimonium de novo contrahere. Sed apud Occidentalem Ecclesiam impedit matrimonium et matrimonii usum: nisi forte, ignorante aut contradicente uxore, vir ordinem sacrum susceperit; quia ex hoc non potest ei aliquod praeiudicium generari. – Quomodo autem ordines sacri distinguuntur a non sacris, nunc et in primitiva Ecclesia, dictum est *.

* Qu. xxxvii, art. 3.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis ordo sacer non habeat contrarietatem ad matrimonium inquantum sacramentum, habet tamen repugnantiam quandam ad ipsum ratione actus sui, qui spirituales actus impedit.

Ad secundum dicendum quod iam patet * quod obiectio procedit ex falsis. Ordo enim ubique impedit matrimonium contrahendum, quamvis non ubique habeat votum annexum.

* Cf. corp.

Ad tertium dicendum quod illi qui sunt in sacris ordinibus, significant Christum nobilioribus actibus, prout ex dictis in tractatu de ordine * patet, quam illi qui sunt matrimonio coniuncti. Et ideo ratio non sequitur.

* Qu. xxxvii, art. 2 sqq.

Ad quartum dicendum quod illi qui sunt in minoribus ordinibus constituti, ex vi ordinis non prohibentur matrimonium contrahere: quia, quamvis ordines illi deputentur ad aliqua spiritualia, non tamen immediate habent accessum ad tractandum sacra, sicut illi qui sunt in sacris ordinibus. Sed secundum statutum Occidentalis Ecclesiae *, matrimonii usus executionem ordinis non sacri impedit: propter servandam maiorem honestatem in officiis Ecclesiae. Et quia aliquis ex beneficio ecclesiastico tenetur ad executionem ordinis, et ex hoc ipso privilegio clericali gaudet, ideo haec apud Latinos clericis uxoratis auferuntur *.

* Capp. *Si qui, Sane*, et *Quod ad te, de Cleric. coniugat.*

* Cf. arg. 5.

Et per hoc patet solutio ad ultimum.

ART. IV. UTRUM MATRIMONIO ORDO SACER SUPERVENIRE POSSIT

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod matrimonio ordo sacer supervenire non possit. Quia fortius praeiudicat minus forti. Sed fortius est vinculum spirituale quam corporale. Ergo, si matrimonio iunctus ordinem suscipiat, praeiudicium generabitur uxori, ut non possit debitum exigere: cum ordo sit vinculum spirituale, et matrimonium corporale. Et sic videtur quod non possit aliquis ordinem sacrum suscipere post matrimonium consummatum.

2. Praeterea, post matrimonium consummatum unus coniugum sine consensu alterius non potest continentiam vovere *. Sed ordo sacer habet continentiae votum annexum. Ergo, si vir ordinem sacrum invita uxore acciperet, cogeretur uxor invita continentiam servare: quia non posset alteri nubere, *vivente viro* *.

* Cf. qu. lxi, art. 1.

* *Ad Rom.*, cap. vii, vers. 2, 3.

3. Praeterea, etiam ad tempus non potest vir vacare orationi sine consensu uxoris, ut habetur I *Cor.* vii *. Sed apud Orientales illi qui sunt in sacris constituti, tenentur ad continentiam tempore quo exequuntur officium. Ergo nec ipsi possunt ordinari sine consensu uxoris. Et multo minus Latini.

* Vers. 5.

4. Praeterea, vir et uxor ad paria iudicantur *. Sed sacerdos graecus, defuncta uxore sua, non potest aliam ducere *. Ergo nec uxor, defuncto viro. Sed non potest sibi auferri facultas nubendi post mortem viri per viri actum. Ergo vir non potest suscipere ordines post matrimonium.

* Can. *Apud nos*, caus. XXXII, qu. v.

* Gloss. in can. *Si quis eorum*, dist. XXXII. - Cf. s. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. viii, *de Voto et Voti redempt.*, § 13.

5. Praeterea, matrimonium quantum opponitur ordini tantum e converso. Sed ordo praecedens impedit matrimonium sequens. Ergo e converso.

Sed contra, religiosi tenentur ad continentiam sicut illi qui sunt in sacris ordinibus. Sed post matrimonium potest aliquis religionem intrare, defuncta vel consentiente uxore. Ergo et ordinem suscipere.

2. Praeterea, aliquis potest fieri servus hominum post matrimonium *. Ergo et servus Dei per susceptionem ordinis.

* Cf. qu. lii, art. 3.

Respondeo dicendum quod matrimonium non impedit ordinis sacri susceptionem. Quia si matrimonio iunctus ad sacros ordines accedat etiam reclamante uxore, nihilominus characterem ordinis suscipit: sed executione ordinis caret. Si autem volente uxore, vel ipsa defuncta, sacrum ordinem accipiat, recipit ordinem et executionem.

Ad primum ergo dicendum quod vinculum ordinis solvit vinculum matrimonii ratione redditionis debiti, ex qua parte habet repugnantiam ad matrimonium, ex parte eius qui suscipit ordinem: quia non potest petere debitum, nec uxor ei tenetur reddere. Non tamen solvit ex parte alterius: quia ipse tenetur uxori debitum reddere, si non possit eam inducere ad continentiam *.

* Cf. a. Raym. *Summ.* lib. I, tit. viii, *de Voto et Voti redempt.*, § 13.

Ad secundum dicendum * quod, si uxor sciat et de eius consensu vir ordinem sacrum susceperit, tenetur perpetuam continentiam vovere: non tamen tenetur religionem intrare, si sibi non timeat de periculo castitatis, propter hoc quod vir eius solemne votum emisit. Secus autem esset si emisisset votum simplex. – Si autem sine eius consensu suscepit, non tenetur: quia ex hoc sibi nullum praeiudicium generatur.

* Cf. s. Raym. ibid.; can. *Quia sunt*, dist. XXVIII; can. *Seriatim*, dist. XXXII, et Gloss. ibid.

Ad tertium dicendum quod, sicut probabilius videtur, quamvis quidam * contrarium dixerunt, quod etiam Graeci non debent accedere ad sacros ordines sine consensu uxorum. Quia ad minus tempore ministerii sui fraudarentur debiti redditione *: quo fraudari non possunt, secundum ordinem iuris, si, eis contradicentibus aut ignorantibus, viri ordines susceperint *.

* Cf. Gloss. in can. *Quoniam*, dist. XXXI; s. Raym. *de Voto* etc., ut supra.

* Can. *Quoniam*, dist. XXXI.

* Cf. resp. ad 1.

Ad quartum dicendum quod, sicut dicitur *, eo ipso quod mulier consentit, apud Graecos, quod vir suus ordinem suscipiat, obligat se ad hoc quod ipsa in perpetuum alteri non nubat: quia significatio matrimonii non servaretur, quae in matrimonio sacerdotis praecipue exigitur. Si autem sine consensu eius ordinatur, non videtur ad hoc teneri.

* Cf. Gloss. in can. *Si se cuiquam*, dist. XXVIII.

Ad quintum dicendum quod matrimonium habet pro causa nostrum consensum: non autem ordo, sed habet causam sacramentalem determinatam a Deo. Et ideo matrimonium potest impediri ex ordine praecedenti quod non sit verum matrimonium, non autem ordo ex matrimonio quod non sit verus ordo: quia sacramentorum virtus est immutabilis, sed actus humani possunt impediri.

QUAESTIO QUINQUAGESIMAQUARTA
DE IMPEDIMENTO CONSANGUINITATIS

Deinde considerandum est de impedimento consanguinitatis *.

* Cf. qu. li, Introd.

Circa quod quaeruntur quatuor.

Et primo: utrum consanguinitas convenienter a quibusdam definiatur.

Secundo: utrum convenienter distinguatur per gradus et lineas.

Tertio: utrum de iure naturali matrimonium impediat secundum aliquos gradus.

Quarto: utrum gradus impedientes matrimonium possint per statutum Ecclesiae determinari.

ART. I. UTRUM DEFINITIO CONSANGUINITATIS QUAM QUIDAM PONUNT, SIT COMPETENS

Ad primum sic proceditur. Videtur quod definitio consanguinitatis quam quidam * ponunt, sit incompetens, scilicet: *Consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum.* Omnes enim homines ab eodem stipite carnali propagatione descendunt, scilicet ab Adam. Si ergo recta esset praedicta definitio consanguinitatis, omnes homines essent ad invicem consanguinei. Quod falsum est.

* Cf. s. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. vi, *de Imped. Cognat. Carn.*, § 1; b. Albert. IV *Sent.*, dist. xl, art. 1; *Declarat. Arbor. Consang.*, caus. XXXV, qu. v, in Glossa.

2. Praeterea, vinculum non potest esse nisi aliquorum ad invicem convenientium: quia vinculum unit. Sed eorum qui descendunt ab uno stipite non est maior convenientia ad invicem quam aliorum hominum: cum conveniant specie et differant numero, sicut et alii homines. Ergo consanguinitas non est aliquod vinculum.

3. Praeterea, carnalis propagatio, secundum Philosophum *, fit de *superfluo alimenti*. Sed tale superfluum magis habet convenientiam cum rebus comestis, cum quibus in substantia convenit, quam cum eo qui comedit. Cum ergo non nascatur aliquod vinculum consanguinitatis eius qui ex semine nascitur ad res comestas, nec ad generantem ex carnali propagatione nascetur aliquod propinquitatis vinculum.

* De Animal. Generat. lib. I, cap. XVIII.

4. Praeterea, *Gen.* XXIX *, Laban dixit ad Iacob, *Os meum et caro mea es,* ratione cognationis quae erat inter eos. Ergo talis propinquitas magis debet dici *carnalitas* quam *consanguinitas*.

* Vers. 14.

5. Praeterea, carnalis propagatio est communis hominibus et animalibus. Sed in animalibus non contrahitur ex carnali propagatione consanguinitatis vinculum. Ergo nec in hominibus.

Respondeo dicendum quod, secundum Philosophum, in VIII *Ethic.* *, *omnis amicitia in aliqua communicatione consistit.* Et quia amicitia ligatio sive unio quaedam est, ideo communicatio quae est amicitiae causa, *vinculum* dicitur. Et ideo secundum quamlibet communicationem denominantur aliqui quasi colligati ad invicem: sicut dicuntur *concives* qui habent politicam communicationem ad invicem, et *commilitones* qui conveniunt in militari negotio. Et eodem modo qui conveniunt in naturali communicatione dicuntur *consanguinei*. Et ideo in praedicta definitione ponitur quasi consanguinitatis genus, *vinculum;* quasi subiectum, *personae descendentes ab uno stipite,* quorum est huiusmodi vinculum; quasi principium, *carnalis propagatio.*

* Cap. XII, n. 1. - S. Th. lect. XII.

Ad primum ergo dicendum quod virtus activa non recipitur secundum eandem perfectionem in instrumento secundum quam est in principali agente. Et quia omne movens motum est instrumentum, inde est quod virtus primi motoris in aliquo genere, per multa media deducta, tandem deficit, et pervenit ad aliquid quod est motum tantum et non movens. Virtus autem generantis movet non solum quantum ad id quod est speciei, sed etiam quantum ad id quod est individui, ratione cuius filius assimilatur patri etiam in accidentalibus, non solum in natura speciei. Nec tamen individualis virtus patris ita perfecte in filio est sicut erat in patre; et adhuc in nepote minus; et sic deinceps debilitatur. Et inde est quod virtus illa quandoque deficit, ut ultra procedere non possit. Et quia consanguinitas est inquantum multi communicant in tali virtute ex uno in multos per propagationem inducta, *paulatim se consanguinitas dirimit,* ut Isidorus dicit *. Et ideo non oportet accipere stipitem remotum in definitione consanguinitatis, sed propinquum, cuius virtus adhuc maneat in illis qui ex eo propagantur.

* Etymol. lib. IX, cap. VI, n. 29.

Ad secundum dicendum quod iam patet ex dictis * quod non solum conveniunt consanguinei in natura speciei, sed etiam in virtute propria ipsius individui ex uno in multos traducta: ex qua contingit quandoque quod filius assimilatur non solum patri, sed avo vel remotis parentibus, ut dicitur in XVIII *de Animalibus* *.

* Resp. ad 1.

* Did. De Animal. Generat. lib. IV, cap. III.

Ad tertium dicendum quod convenientia magis attenditur secundum formam, secundum quam aliquid est actu, quam secundum materiam, secundum quam est in potentia: quod patet in hoc, quod carbo magis convenit cum igne quam cum arbore unde abscisum est lignum. Et similiter alimentum iam conversum in speciem nutriti per virtutem nutritivam, magis convenit cum ipso nutrito quam cum illa re unde sumptum est nutrimentum.

Ratio autem procederet secundum opinionem illorum qui dicebant quod tota natura rei est materia, et quod formae omnes sunt accidentia *. Quod falsum est.

* Cf. Aristot. Physic. lib. II, cap. 1, n. 7 sqq. - S. Th. lect. II.

Ad quartum dicendum quod illud quod proxime convertitur in semen, est sanguis: ut probatur XV *de Animalibus* *. Et propter hoc vinculum quod propagatione carnali contrahitur, convenientius dicitur *consanguinitas* quam *carnalitas.* Et quod aliquando unus consanguineus dicitur esse *caro alterius,* hoc est inquantum sanguis, qui in semen viri aut in menstruum convertitur, est potentia caro et os *.

* Did De Animal. Generat. lib. I, cap. XIX.

* Cf. de Partib. Animal. lib. III, cap. V.

Ad quintum dicendum quod quidam dicunt quod ideo consanguinitatis vinculum contrahitur inter homines ex carnali propagatione, et tamen non inter alia animalia, quia quidquid est de veritate humanae naturae in omnibus hominibus, fuit in primo parente: quod non est de aliis animalibus. – Sed secundum hoc, consanguinitas nunquam dirimi posset. Praedicta autem positio in II libro, dist. XXX *, improbata est.

* Capp. Quibus responderi et seq. - S. Th. ibid. qu. II, art. 1; Part. I, qu. CXIX, art. 1.

Unde dicendum quod hoc ideo contingit quia animalia non coniunguntur ad amicitiae unitatem propter propagationem multorum ex uno parente proximo: sicut est de hominibus, ut dictum est *.

* In corpore.

ART. II. Utrum consanguinitas convenienter distinguatur per lineas et gradus

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod consanguinitas inconvenienter distinguatur per lineas et gradus. Dicitur enim linea consanguinitatis esse *ordinata collectio personarum consanguinitate coniunctarum ab eodem stipite descendentium, diversos continens gradus* *. Sed nihil est aliud consanguinitas quam collectio talium personarum. Ergo linea consanguinitatis est idem quod consanguinitas. Nihil autem debet distingui per seipsum. Ergo consanguinitas non convenienter per lineas distinguitur.

* S. Raym. Summ. lib. IV, tit. VI, de Imped. Cognat. Carn., § 1; b. Albert. IV Sent., dist. XL, art. 3; Declarat. Arbor. Consang., caus. XXXV, qu. V, in Glossa.

2. Praeterea, illud secundum quod dividitur aliquid commune, non potest poni in definitione communis. Sed *descensus* ponitur in definitione praedicta consanguinitatis. Consanguinitas ergo non potest dividi per lineam *ascendentium, descendentium* et *transversalium.*

3. Praeterea, definitio lineae est quod sit *inter duo puncta* *. Sed duo puncta non faciunt nisi unum gradum. Ergo una linea habet tantum unum *gradum*. Et ita eadem videtur divisio consanguinitatis per *lineas* et per *gradus.*

* Euclid. Element. lib. I, definit. III.

4. Praeterea, gradus definitur esse *habitudo distantium personarum qua cognoscitur quanta distantia personae inter se differant* *. Sed, cum consanguinitas sit propinquitas quaedam, distantia personarum consanguinitati opponitur magis quam sit eius pars. Ergo per gradus consanguinitas distingui non potest.

* S. Raym. loc. cit. § 2; b. Albert. loc. cit., art. 5; Gloss. loc. cit.

5. Praeterea, si consanguinitas per gradus distinguitur et cognoscitur, oportet quod illi qui sunt in eodem gradu, sint aequaliter consanguinei. Sed hoc falsum est: quia propatruus et eiusdem pronepos sunt in eodem gradu *, non tamen sunt aequaliter consanguinei, ut decretalis dicit. Ergo consanguinitas non recte distinguitur per gradus.

* Vide Declarat. Arbor. Consanguinit.

6. Praeterea, in rebus ordinatis quodlibet additum alteri facit alium gradum: sicut quaelibet unitas addita facit aliam speciem numeri *. Sed persona addita personae non semper facit gradum alium consanguinitatis: quia in eodem gradu consanguinitatis est pater et patruus, qui adiungitur. Ergo non recte per gradus consanguinitas distinguitur.

* Aristot. Metaphys. lib. VII, cap. III, n. 8. - S. Th. lib. VIII, lect. III.

7. Praeterea, inter duos propinquos semper est eadem consanguinitatis propinquitas: quia aequaliter distat unum extremorum ab alio et e converso. Sed gradus consanguinitatis non invenitur semper idem ex utraque parte: cum quandoque unus propinquus sit in tertio et alius in quarto gradu. Ergo consanguinitatis propinquitas non potest sufficienter per gradus cognosci.

Respondeo dicendum quod consanguinitas est quaedam propinquitas in naturali communicatione fundata secundum actum generationis, qua natura propagatur *. Unde, secundum Philosophum, in VIII *Ethic.* *, ista communicatio est triplex. Una secundum habitudinem principii ad principiatum. Et haec est consanguinitas patris ad filium. Unde dicit * quod *parentes diligunt filios ut sui ipsorum aliquid existentes.* – Alia est secundum habitudinem principiati ad principium. Et haec est filii ad patrem. Unde dicit * quod *filii diligunt parentes ut ab illis existentes.* – Tertia est secundum habitudinem eorum quae sunt ab uno principio ad invicem: sicut fratres dicuntur *ex eisdem nasci,* ut ipse

* Cf. art. praec.

* Cap. XII. - S. Th. lect. XII.

* Ibid., n. 2.

* Ibid., n. 3.

• Cf. *Comment. in I de Caelo*, lect. II, n. 9, Ed. Leonin.

ibidem dicit. – Et quia punctus motus lineam facit *, et propagatione quodammodo pater descendit in filium, ideo secundum tres dictas habitudines tres *lineae* consanguinitatis sumuntur: scilicet linea *descendentium* secundum primam habitudinem, linea *ascendentium* secundum secundam, linea *transversalis* secundum tertiam.

Sed quia propagationis motus non quiescit in uno termino, sed ultra progreditur, ideo contingit quod patris est accipere patrem, et filii filium, et sic deinceps. Et secundum hos diversos progressus diversi *gradus* in linea inveniuntur. Et quia gradus cuiuslibet rei est pars aliqua illius rei, gradus propinquitatis non potest esse ubi non est propinquitas. Et ideo identitas et nimia distantia gradum consanguinitatis tollunt: quia nullus est sibi ipsi propinquus, sicut nec sibi similis. Et propter hoc nulla persona per seipsam facit aliquem gradum: sed, comparata alteri personae, gradum facit ad ipsam.

• Vide *Arbor. Consanguinit.*
•Dig. XXXVIII, x, *de Gradibus* etc., 3 sqq.

Sed tamen diversa est ratio computandi gradus in diversis lineis. Gradus enim consanguinitatis in linea ascendentium et descendentium contrahitur ex hoc quod una persona ex alia propagatur eorum inter quos gradus consideratur. Et ideo, secundum computationem canonicam * et legalem *, persona quae primo in progressu propagationis occurrit, vel ascendendo vel descendendo, distat ab aliquo, puta a Petro, in primo gradu, ut pater et filius; quae autem secundo utrinque occurrit, distat in secundo gradu, ut avus et nepos; et sic deinceps.

• Vide *Arbor. Consanguinit.*
•• Dig. loc. cit.

Sed consanguinitas quae est eorum qui sunt in linea transversali, contrahitur, non ex hoc quod unus eorum ex alio propagatur, sed quia uterque propagatur ex uno. Et ideo debet gradus consanguinitatis in hac linea consanguinitatis computari per comparationem ad unum principium ex quo propagantur. Et secundum hoc est diversa computatio canonica * et legalis **: quia legalis computatio attendit descensum a communi radice ex utraque parte; sed canonica tantum ex altera, ex illa scilicet ex qua maior numerus graduum invenitur. Unde secundum legalem computationem, frater et soror, vel duo fratres, attinent sibi in secundo gradu: quia uterque a radice communi distat per unum gradum. Et similiter filii duorum fratrum distant a se invicem in quarto. Sed secundum computationem canonicam, duo fratres attinent sibi in primo gradu: quia neuter eorum distat a radice communi nisi per unum gradum. Sed filius unius fratrum distat ab altero fratre in secundo gradu: quia tantum distant a communi radice. Et ideo, secundum computationem canonicam, quoto gradu distat quis ab aliquo gradu superiori, toto distat a quolibet descendentium ab ipso, et nunquam minus: quia *propter quod unumquodque, illud magis* *. Unde, etsi alii descendentes a communi principio conveniunt cum aliquo ratione principii communis, non possunt propinquiores esse descendenti ex alia parte quam sit primum principium ei propinquum. Aliquando tamen plus distat aliquis ab aliquo descendente a communi principio quam distet ipse a principio: quia ille forte plus distat a communi principio quam ipse, et secundum remotiorem distantiam oportet consanguinitatem computari.

• Aristot. *Analyt. Poster.* lib. I, cap. II, n. 15. – S. Th. lect. VI.

Ad primum ergo dicendum quod obiectio illa procedit ex falsis. Consanguinitas enim non est collectio, sed relatio quaedam aliquarum personarum ad invicem, quarum collectio lineam consanguinitatis facit.

Ad secundum dicendum quod descensus communiter sumptus attenditur secundum quamlibet consanguinitatis lineam: quia carnalis propagatio, ex qua vinculum consanguinitatis contrahitur, descensus quidam est. Sed descensus talis, scilicet a persona cuius consanguinitas quaeritur, lineam descendentium facit.

Ad tertium dicendum quod linea dupliciter accipi potest. Aliquando proprie, pro ipsa dimensione quae est prima species quantitatis continuae. Et sic linea recta continet tantum duo puncta in actu, quae terminant ipsam; sed infinita in potentia, quorum quolibet signato in actu, linea dividitur, et fiunt duae lineae. – Aliquando vero linea sumitur pro his quae linealiter disponuntur. Et secundum hoc assignatur in numeris linea et figura, prout unitas post unitatem ponitur in aliquo numero. Et sic quaelibet unitas adiecta gradum facit in tali linea. Et similiter est de linea consanguinitatis. Unde una linea continet plures gradus.

Ad quartum dicendum quod, sicut similitudo non potest esse ubi non est aliqua diversitas, ita propinquitas non est ubi non est aliqua distantia. Et ideo distantia quaelibet non opponitur consanguinitati: sed talis distantia quae consanguinitatis propinquitatem excludit.

Ad quintum dicendum quod, sicut albedo dicitur maior dupliciter, uno modo ex intensione ipsius qualitatis, alio modo ex quantitate superficiei; ita consanguinitas dicitur maior vel minor uno modo intensive ex ipsa natura consanguinitatis, alio modo quasi dimensive; et sic quantitas consanguinitatis mensuratur ex personis inter quas consanguinitatis propagatio procedit. Et hoc secundo modo gradus consanguinitatis distinguuntur. Et ideo contingit quod aliquorum duorum qui sunt in eodem gradu consanguinitatis respectu alicuius personae, unus est sibi magis consanguineus quam alius, considerando primam quantitatem consanguinitatis: sicut pater et frater attinent alicui in primo gradu consanguinitatis, quia ex neutra parte incidit aliqua persona media; sed tamen, intensive loquendo, magis attinet alicui personae pater suus quam frater, quia frater non attinet ei nisi quantum est ex eodem patre. Et ideo, quanto est aliquis propinquior communi principio a quo consanguinitas descendit, tanto est magis consanguineus, quamvis non sit in propinquiori gradu. Et secundum hoc propatruus est magis consanguineus alicui quam pronepos eius, quamvis sit in eodem gradu.

Ad sextum dicendum quod, quamvis pater et patruus sint in eodem gradu respectu radicis consanguinitatis, quia uterque distat uno gradu ab avo; tamen respectu eius cuius consanguinitas quaeritur, non sunt in eodem gradu: quia pater est in primo gradu, patruus autem non potest esse propinquior quam in secundo, in quo est avus.

Ad septimum dicendum quod semper duae personae in aequali numero graduum distant a se invicem: quamvis quandoque non aequali numero graduum distent a communi principio, ut ex dictis * patet.

• In corpore.

ART. III. Utrum consanguinitas de iure naturali impediat matrimonium

II^a II^ae, qu. cliv, art. 9; III *Cont. Gent.*, cap. cxxv; I *ad Cor.*, cap. v, lect. I.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod consanguinitas de iure naturali non impediat matrimonium. Nulla enim mulier potest esse propinquior viro quam Eva fuit Adae, de qua dixit, *Gen.* II *: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea.* Sed Eva fuit matrimonio coniuncta Adae. Ergo consanguinitas nulla, quantum est de lege naturae, matrimonium impedit.

• Vers. 23.

2. Praeterea, lex naturalis eadem est apud omnes. Sed apud barbaras nationes nulla persona coniuncta consanguinitate a matrimonio excluditur. Ergo consanguinitas, quantum est de lege naturae, matrimonium non impedit.

3. Praeterea, *ius naturale est quod natura omnia animalia docuit*, ut dicitur in principio *Digestorum* *. Sed animalia bruta etiam cum matre coeunt. Ergo non est de lege naturae quod aliqua persona a matrimonio propter consanguinitatem repellatur.

• Dig. I, I, *de Iustit. et Iure*, 3.

4. Praeterea, nihil impedit matrimonium quod non contrariatur alicui bono matrimonii. Sed consanguinitas non contrariatur alicui bono matrimonii. Ergo non impedit ipsum.

5. Praeterea, eorum quae sunt magis propinqua et similia, melior et firmior est coniunctio. Sed matrimonium quaedam coniunctio est. Cum ergo consanguinitas sit propinquitas quaedam, matrimonium non impedit, sed magis iuvat.

Sed contra, illud quod impedit bonum prolis, etiam matrimonium impedit secundum legem naturae. Sed consanguinitas impedit bonum prolis: quia, ut ex verbis Gregorii * habetur, *experimento didicimus ex tali coniugio sobolem non posse succrescere.* Ergo consanguinitas secundum legem naturae matrimonium impedit.

• *Regist.* lib. XI, Ep. LXIV, al. XXXI, ad interrog. 6.

2. Praeterea, illud quod habet natura humana in prima sui conditione, est de lege naturae. Sed a prima sui con-

ditione hoc habuit humana natura, quod pater et mater a matrimonio excluderentur: quod patet per hoc quod dicitur *Gen.* II *: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem;* quod non potest intelligi quantum ad cohabitationem, et sic oportet quod intelligatur quantum ad matrimonii coniunctionem. Ergo consanguinitas impedit matrimonium secundum legem naturae.

* Vers. 24.

Respondeo dicendum quod in matrimonio illud contra legem naturae esse dicitur per quod matrimonium redditur incompetens respectu finis ad quem est ordinatum. Finis autem matrimonii per se et primo est bonum prolis. Quod quidem per aliquam consanguinitatem, scilicet inter patrem et filiam vel filium et matrem, impeditur, non quidem ut totaliter tollatur, quia filia ex semine patris potest prolem suscipere et simul cum patre nutrire et instruere, in quibus bonum prolis consistit; sed ut non convenienti modo fiat. Inordinatum enim est quod filia patri per matrimonium iungatur in sociam, causa generandae prolis et educandae, quam oportet per omnia patri esse subiectam, velut ex eo procedentem. Et ideo de lege naturali est ut pater et mater a matrimonio repellantur. Et magis etiam mater quam pater: quia magis reverentiae quae debetur parentibus derogatur si filius matrem, quam si pater filiam ducit in uxorem, cum uxor viro aliqualiter debeat esse subiecta.

Sed finis matrimonii secundarius per se est concupiscentiae repressio. Cui deperiret si quaelibet consanguinea posset in matrimonium duci: quia magnus concupiscentiae aditus praeberetur nisi inter illas personas quas oportet in eadem domo conversari, esset carnalis copula interdicta. Et ideo lex divina * non solum patrem et matrem exclusit a matrimonio, sed etiam alias coniunctas personas, quas oportet simul conversari, et quae debent invicem altera alterius pudicitiam custodire. Et hanc causam assignat divina lex dicens *: *Ne reveles turpitudinem* (talis vel talis), *quia turpitudo tua est.*

* *Levit.* cap. XVIII.

* Loc. cit. vers. 10.

Sed per accidens finis matrimonii est confoederatio hominum et amicitiae multiplicatio, dum homo ad consanguineos uxoris sicut ad suos se habet. Et ideo huic multiplicationi amicitiae praeiudicium fieret si aliquis sanguine coniunctam uxorem duceret: quia ex hoc nova amicitia per matrimonium nulla accresceret. Et ideo, secundum leges humanas et statuta Ecclesiae, plures consanguinitatis gradus sunt a matrimonio separati *.

* Capp. *Quod dilectio*, et *Non debet*, *de Consang. et Affin.*; can. *Progeniem*, sqq., caus. XXXV. qu. II, III: *Instit.* I, x, *de Nuptiis*, 1 sqq.

Sic ergo ex dictis patet quod consanguinitas quantum ad aliquas personas impedit matrimonium de iure naturali; quantum ad aliquas, de iure divino; et quantum ad aliquas, de iure per homines instituto.

Ad primum ergo dicendum quod Eva, quamvis ex Adam prodiit, non tamen fuit filia Adae: quia non prodiit ex eo per modum illum quo vir natus est generare sibi simile in specie, sed operatione divina, qua ita potuisset ex costa Adae fieri unus equus sicut facta est Eva. Et ideo non est tanta naturalis convenientia Evae ad Adam sicut filiae ad patrem. Nec Adam est naturale principium Evae, sicut pater filiae.

Ad secundum dicendum quod non procedit ex lege naturali quod aliqui barbari parentibus carnaliter commisceantur: sed ex concupiscentiae ardore, qui legem naturae in eis obfuscavit.

Ad tertium dicendum quod coniunctio maris et feminae dicitur esse de iure naturali, quia natura hoc omnia animalia docuit. Sed hanc coniunctionem diversa animalia diversimode docuit, secundum diversas eorum conditiones. Commixtio autem carnalis ad parentes derogat reverentiae quae eis debetur: sicut enim parentibus indidit natura sollicitudinem filiis providendi, ita indidit reverentiam filiis ad parentes. Nulli autem generi animalium indidit sollicitudinem filiorum aut reverentiam parentum in omne tempus, nisi homini: aliis autem animalibus plus et minus necessarii sunt vel filii parentibus, vel parentes filiis. Unde etiam in quibusdam animalibus abhorret filius cognoscere matrem carnaliter, quandiu manet apud ipsum cognitio matris et reverentia quaedam ad ipsam: ut recitat Philosophus, IX *de Animalibus* *, de camelo et equo. Et quia omnes honesti mores animalium in hominibus congregati sunt naturaliter, et perfectius quam in aliis, propter hoc homo naturaliter abhorret cognoscere non solum matrem, sed etiam filiam, quod est adhuc minus contra naturam, ut dictum est *. Et iterum in aliis animalibus ex propagatione carnis non contrahitur consanguinitas, sicut in hominibus *. Et ideo non est similis ratio.

* *De Animal. Histor.* lib. IX, cap. XLVII.

* In corpore.

* Cf. art. 1, ad 5.

Ad quartum dicendum quod ex iam dictis * patet quomodo consanguinitas coniugum bono matrimonii contrarietur. Unde ratio procedit ex falsis.

* In corpore.

Ad quintum dicendum quod non est inconveniens duarum unionum unam ab altera impediri: sicut, ubi est identitas, non est similitudo. Et similiter consanguinitatis vinculum potest impedire matrimonii coniunctionem.

ART. IV. Utrum consanguinitatis gradus matrimonium impedientes potuerint taxari ab Ecclesia usque ad quartum gradum

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod consanguinitatis gradus matrimonium impedientes non potuerunt taxari ab Ecclesia usque ad quartum gradum. Matth. XIX * dicitur: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Sed illos qui coniunguntur infra quartum consanguinitatis gradum, Deus coniunxit: non enim divina lege eorum coniunctio prohibetur. Ergo nec debent humano statuto separari.

* Vers. 6.

2. Praeterea, matrimonium est sacramentum, sicut et baptismus. Sed non posset ex statuto Ecclesiae fieri quod ille qui ad baptismum accedit, non acciperet characterem baptismalem, si ex iure divino eius capax sit. Ergo nec Ecclesiae statutum facere potest quod matrimonium non sit inter illos qui per ius divinum matrimonialiter coniungi non prohibentur.

3. Praeterea, ius positivum non potest ea quae sunt naturalia removere vel ampliare. Sed consanguinitas est naturale vinculum, quod, quantum est de se, natum est matrimonium impedire. Ergo Ecclesia non potest aliquo statuto facere quod aliqui possint matrimonialiter coniungi vel non coniungi: sicut non potest facere quod sint consanguinei vel non consanguinei.

4. Praeterea, statutum iuris positivi debet aliquam rationabilem causam habere: quia secundum causam rationabilem quam habet, a iure naturali procedit. Sed causae quae assignantur de numero graduum, omnino videntur irrationabiles, cum nullam habeant habitudinem ad causata: sicut quod consanguinitas prohibeatur usque ad quartum gradum propter quatuor elementa *; usque ad sextum, propter sex aetates mundi *; usque ad septimum, propter septem dies quibus omne tempus agitur *. Ergo videtur quod talis prohibitio nullum vigorem habeat.

* Cap. *Non debet, de Consang. et Affin.*
** Caus. XXXV, qu. IV, can. unic.
* Mag. IV *Sent.*, dist. XL, cap. *Quare vero.*

5. Praeterea, ubi est eadem causa, debet esse idem effectus. Sed causa quare consanguinitas impedit matrimonium, est bonum prolis, repressio concupiscentiae, et multiplicatio amicitiae, ut ex dictis * patet, quae omni tempore necessaria aequaliter sunt. Ergo debuissent aequaliter omni tempore gradus consanguinitatis matrimonium impedire. Quod non est verum: cum modo usque ad quartum *, antiquitus usque ad septimum gradum ** matrimonium consanguinitas impedierit.

* Art. praeced.

* Cap. *Non debet, de Consang. et Affin.*
** Can. *Progen.*, caus. XXXV, qu. II et III.

6. Praeterea, una et eadem coniunctio non potest esse in genere sacramenti et in genere stupri. Sed hoc contingeret si Ecclesia haberet potestatem statuendi diversum numerum in gradibus impedientibus matrimonium: sicut, si aliqui in quinto gradu, quando prohibitus fuit, coniuncti fuissent, talis coniunctio stuprum esset; sed postmodum eadem coniunctio, Ecclesia prohibitionem revocante, matrimonium esset. Et e converso posset accidere si aliqui gradus concessi possent postmodum ab Ecclesia interdici. Ergo videtur quod potestas Ecclesiae non se extendat ad hoc.

7. Praeterea, ius humanum debet imitari ius divinum. Sed secundum ius divinum, quod in lege veteri continetur, non aequaliter currit prohibitio graduum in sursum et deorsum: quia in veteri lege aliquis prohibebatur accipere in uxorem sororem patris sui *, non tamen filiam fratris **. Ergo nec modo debet aliqua prohibitio de nepotibus et patruis manere.

* *Levit.* cap. XVIII, vers. 12.
** *Iosue* cap. XV, vers. 15, 16.

Sed contra est quod Dominus dicit discipulis *: *Qui vos audit, me audit.* Ergo praeceptum Ecclesiae habet firmitatem sicut praeceptum Dei. Sed Ecclesia quandoque prohibuit, et quandoque concessit, aliquos gradus quos lex vetus non prohibuit. Ergo illi gradus matrimonium impediunt.

* Luc. cap. x, vers. 16.

2. Praeterea, sicut olim matrimonia gentilium dispensabantur per leges civiles, ita nunc per statuta Ecclesiae. Sed olim lex civilis determinabat gradus consanguinitatis qui matrimonium impediunt et qui non *. Ergo et modo potest hoc fieri per Ecclesiae statutum.

* Instit. I, x, *de Nuptiis*, 1 sqq.

Respondeo dicendum quod secundum diversa tempora invenitur consanguinitas secundum gradus diversos matrimonium impedisse. In principio enim humani generis solus pater et mater a matrimonio repellebantur: eo quod tunc temporis erat paucitas hominum, et oportebat propagationi humani generis maximam curam impendere; unde non erant removendae nisi illae personae quae matrimonio incompetentes erant etiam quantum ad finem matrimonii principalem, qui est bonum prolis, ut dictum est *.

* Art. praeced.

Postmodum autem, multiplicato genere humano, per legem Moysi plures personae sunt exceptae *, quae iam concupiscentiam reprimere incipiebat. Unde, ut dicit Rabbi Moyses *, omnes illae personae exceptae sunt a matrimonio quae in una familia cohabitare solent: quia, si inter eos licite carnalis copula esse posset, magnum incentivum libidini praestaretur. Sed alios consanguinitatis gradus lex vetus permisit: immo quodammodo praecepit, ut scilicet *de cognatione sua* unusquisque uxorem acciperet, ne successionum confusio esset *; quia tunc temporis cultus divinus per successionem generis propagabatur.

* *Levit.* cap. XVIII. — * *Doct. Perplex.*, lib. III, cap. XLIX. — * *Num.* cap. XXXVI, vers. 6 sqq.

Sed postmodum in lege nova, quae est *lex Spiritus* * et amoris, plures gradus consanguinitatis sunt prohibiti: quia iam per spiritualem gratiam, non per carnis originem cultus Dei derivatur et multiplicatur; unde oportet ut homines etiam magis a carnalibus retrahantur, spiritualibus vacantes; et ut amor amplius diffundatur.

* *Ad Rom.*, cap. VIII, vers. 2.

Et ideo antiquitus usque ad remotiores gradus consanguinitatis matrimonium impediebatur: ut ad plures per consanguinitatem et affinitatem naturalis amicitia promanaret. Et rationabiliter usque ad septimum gradum *. Tum quia ultra hoc non de facili remanebat communis radicis memoria. Tum quia septiformi Spiritus sancti gratiae congruebat.

* Cf. arg. 5.

Sed postmodum, circa haec ultima tempora, restrictum est Ecclesiae interdictum usque ad quartum gradum *: quia ultra inutile et periculosum erat gradus consanguinitatis prohibere. Inutile quidem, quia ad remotiores consanguineos quasi nullum foedus maioris amicitiae quam ad extraneos habebatur, *caritate in multorum cordibus frigescente* *. Periculosum autem erat, quia, concupiscentia et negligentia praevalente, numerosam consanguineorum multitudinem homines non satis observabant: et sic *laqueus damnationis* multis iniiciebatur * ex remotorum graduum prohibitione.

* Cf. ibid. — * Matth. cap. XXIV, vers. 12. — * Cf. I *ad Cor.*, cap. VII, vers. 35.

Satis etiam convenienter usque ad quartum gradum dicta prohibitio est restricta. Tum quia usque ad quartam generationem homines vivere consueverunt: ut sic non possit consanguinitatis memoria aboleri. Unde Dominus *in tertiam et quartam generationem* peccata parentum se visitaturum in filiis comminatur *. – Tum quia in qualibet generatione nova mixtio sanguinis, cuius identitas consanguinitatem facit, fit cum sanguine alieno; et quantum miscetur alteri, tantum receditur a primo. Et quia elementa sunt quatuor, quorum quodlibet tanto facilius est miscibile quanto est magis subtile; ideo in prima commixtione evanescit sanguinis identitas quantum ad primum elementum, quod est subtilissimum; in secunda, quantum ad secundum; in tertia, quantum ad tertium; in quarta, quantum ad quartum. Et sic convenienter post quartam generationem potest reiterari carnalis coniunctio.

* *Exod.* cap. XX, vers. 5.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Deus non coniungit illos qui coniunguntur contra divinum praeceptum, ita nec coniungit illos qui coniunguntur contra Ecclesiae praeceptum, quod habet eandem obligationis efficaciam quam et divinum praeceptum.

Ad secundum dicendum quod matrimonium non tantum est sacramentum, sed etiam est in officium *. Et ideo magis subiacet ordinationi ministrorum Ecclesiae quam baptismus, qui est sacramentum tantum: quia, sicut contractus et officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus et officia spiritualia lege Ecclesiae.

* Cf. qu. XLII, art. 2.

Ad tertium dicendum quod, quamvis consanguinitatis vinculum sit naturale, tamen non est naturale quod consanguinitas carnalem copulam impediat, nisi secundum aliquem gradum, ut dictum est *. Et ideo Ecclesia suo statuto non facit quod aliqui sint vel non sint consanguinei, quia secundum omne tempus aequaliter consanguinei remanent: sed facit quod carnalis copula sit licita vel illicita secundum diversa tempora in diversis gradibus consanguinitatis.

* Art. praeced.

Ad quartum dicendum quod tales rationes assignatae magis dantur per modum adaptationis et congruentiae, quam per modum causae et necessitatis.

Ad quintum dicendum quod iam ex dictis * patet quod non est eadem causa secundum diversa tempora gradus consanguinitatis prohibendi. Unde quod alio tempore utiliter conceditur, alio salubriter prohibetur.

* In corpore.

Ad sextum dicendum quod statutum non imponit modum praeteritis, sed futuris. Unde, si modo prohiberetur quintus gradus, qui nunc est concessus, illi qui sunt in quinto gradu coniuncti, non essent separandi: nullum enim impedimentum matrimonio superveniens ipsum potest dirimere. Et sic coniunctio quae prius fuit matrimonium, non efficeretur per statutum Ecclesiae stuprum. – Et similiter, si aliquis gradus concederetur qui nunc est prohibitus, illa coniunctio non efficeretur matrimonialis ex statuto Ecclesiae ratione primi contractus: quia possent separari si vellent. Sed tamen possent de novo contrahere, et alia coniunctio esset.

Ad septimum dicendum quod in gradibus consanguinitatis prohibendis Ecclesia praecipue observat rationem amoris. Et quia non est minor ratio amoris ad nepotem quam ad patruum, sed etiam maior, quanto propinquior est patri filius quam filio pater, ut dicitur in VIII *Ethic.* *; propter hoc aequaliter prohibuit gradus consanguinitatis in patruis et nepotibus.

* Cap. XII, n. 2. – S. Th. lect. XII.

Sed lex vetus in personis prohibendis attendit praecipue cohabitationem, contra concupiscentiam prohibens illas personas ad quas facilior pateret accessus propter mutuam cohabitationem *. Magis autem consuevit cohabitare neptis patruo quam amita nepoti: quia filia est idem quasi cum patre, cum sit aliquid eius; sed soror non est hoc modo idem cum fratre, cum non sit aliquid eius, sed magis ex eodem nascitur. Et ideo non erat eadem ratio prohibendi neptem et amitam.

* Cf. corp. art.

QUAESTIO QUINQUAGESIMAQUINTA

DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS

Deinde considerandum est de impedimento affinitatis *. Circa quod quaeruntur undecim.

* Cf. qu. LI, Introd.

Primo: utrum affinitas ex matrimonio causetur.
Secundo: utrum maneat post mortem viri aut uxoris.
Tertio: utrum causetur ex illicito concubitu.
Quarto: utrum ex sponsalibus.
Quinto: utrum affinitas sit causa affinitatis.
Sexto: utrum affinitas matrimonium impediat.
Septimo: utrum affinitas habeat per seipsam gradus.
Octavo: utrum gradus eius extendantur sicut gradus consanguinitatis.
Nono: utrum matrimonium quod est inter consanguineos et affines, semper sit dirimendum per divortium.
Decimo: utrum ad dirimendum tale matrimonium sit procedendum per viam accusationis.
Undecimo: utrum in tali causa sit procedendum per testes.

ART. I. UTRUM EX MATRIMONIO CONSANGUINEI AFFINITAS CAUSETUR

Ad primum sic proceditur. Videtur quod ex matrimonio consanguinei affinitas non causetur. Quia *propter quod*

* Aristot. *Analyt. Poster.* lib. I, cap. II, n. 15. - S. Th. lect. VI.

unumquodque, illud magis *. Sed mulier ducta in matrimonium non coniungitur alicui de consanguinitate viri nisi ratione viri. Cum ergo non fiat viro affinis, nec alicui consanguineorum viri affinis erit.

2. Praeterea, eorum quae sunt ab invicem separata, si uni aliquid coniungitur, non oportet propter hoc quod sit alteri coniunctum. Sed consanguinei iam sunt ab invicem separati. Ergo non oportet quod, si aliqua mulier coniungatur alicui viro, quod propter hoc coniungatur omnibus consanguineis eius per affinitatem.

3. Praeterea, relationes ex aliquibus unitionibus innascuntur. Sed nulla unitio fit in consanguineis viri per hoc quod ille duxit uxorem. Ergo non accrescit eis affinitatis relatio.

* *Gen.* cap. II, vers. 24; Matth. cap. XIX, vers. 6.

* Dist. XLI, cap. I.

Sed contra, vir et uxor efficiuntur *una caro* *. Si ergo vir secundum carnem omnibus suis consanguineis attinet, et mulier eadem ratione attinebit eisdem.

2. Praeterea, hoc patet per auctoritates in littera * inductas.

* Cap. XII. - S. Th. lect. XII.

* Num. 7.

Respondeo dicendum quod amicitia quaedam naturalis in communicatione naturali fundatur. Naturalis autem communicatio est duobus modis, secundum Philosophum, VIII *Ethic.* *: uno modo, per carnis propagationem; alio modo, per coniunctionem ad carnis propagationem ordinatam. Unde ipse ibidem * dicit quod *amicitia viri ad uxorem est naturalis.* Unde, sicut persona coniuncta alteri per carnis propagationem quoddam vinculum naturalis amicitiae facit, ita si coniungatur per carnalem copulam. Sed in hoc differt, quod persona coniuncta alicui per carnis propagationem, sicut filius patri, fit particeps eiusdem radicis et sanguinis: unde eodem genere vinculi colligatur filius consanguineis patris quo pater coniungebatur, scilicet consanguinitate; quamvis secundum alium gradum, propter maiorem distantiam a radice. Sed persona coniuncta per carnalem copulam non fit particeps eiusdem radicis, sed quasi extrinsecus adiuncta. Et ideo ex hoc efficitur aliud genus vinculi, quod *affinitas* dicitur. Et hoc est quod in hoc versu dicitur: *Mutat nupta genus, sed generata gradum:* quia scilicet persona generata fit in eodem genere attinentiae, sed alio gradu; per carnalem vero copulam fit in alio genere.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis causa sit potior effectu, non tamen oportet semper quod nomen idem effectui et causae conveniat: quia quandoque illud quod est in effectu, invenitur in causa non eodem modo, sed altiori, et ideo non convenit causae et effectui per idem nomen, neque per eandem rationem; sicut patet in omnibus causis aequivoce agentibus. Et hoc modo coniunctio viri et uxoris est potior quam coniunctio uxoris ad consanguineos viri: non tamen debet dici affinitas, sed *matrimonium,* quod est unitas quaedam; sicut homo est sibi ipsi idem, non consanguineus.

Ad secundum dicendum quod consanguinei sunt quodammodo separati et quodammodo coniuncti. Et ratione coniunctionis accidit quod persona quae uni coniungitur, aliquo modo omnibus coniungatur. Sed propter separationem et distantiam accidit quod persona quae uni coniungitur uno modo, alii coniungatur alio modo, vel secundum aliud genus vel secundum alium gradum.

Ad tertium dicendum quod relatio quandoque innascitur ex motu utriusque extremi, sicut paternitas et filiatio. Et talis relatio est realiter in utroque.

Quandoque vero innascitur ex motu alterius tantum. Et hoc contingit dupliciter. Uno modo, quando relatio innascitur ex motu unius sine motu alterius vel praecedente vel concomitante: sicut in Creatore et creatura patet, et sensibili et sensu, et scientia et scibili. Et tunc relatio est in uno secundum rem, et in altero secundum rationem tantum. – Alio modo, quando innascitur ex motu unius sine motu alterius tunc existente, non tamen sine motu praecedente: sicut aequalitas fit inter duos homines per augmentum unius, sine hoc quod alius tunc augeatur vel minuatur; sed tamen prius ad hanc quantitatem quam habet per aliquem motum vel mutationem pervenit. Et ideo in utroque extremorum talis relatio realiter fundatur. Et similiter est de consanguinitate et affinitate. Quia relatio fraternitatis quae innascitur aliquo puero nato alicui iam provecto, causatur quidem sine motu ipsius tunc existente, sed ex motu ipsius praecedente, scilicet generationis eius: hoc enim ei accidit quod ex motu alterius sibi nunc talis relatio innascitur. Similiter ex hoc quod iste descendit per generationem propriam ab eadem radice cum viro, provenit affinitas in ipso ad uxorem sine aliqua nova mutatione ipsius.

ART. II. utrum affinitas maneat post mortem viri inter consanguineos viri et uxorem

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod affinitas non manet post mortem viri inter consanguineos viri et uxorem. Quia, *cessante causa, cessat effectus* *. Sed causa affinitatis fuit matrimonium, quod cessat in morte viri: quia tunc *solvitur mulier a lege viri,* ut dicitur *Rom.* VII *. Ergo nec affinitas praedicta manet.

* Cap. *Cum cessante, de Appellat.* - Cf. Aristot. *Physic.* lib. II, cap. III, n. 11; S. Th. lect. VI.
* Vers. 2.

2. Praeterea, consanguinitas causat affinitatem. Sed consanguinitas viri cessat per mortem ad consanguineos suos. Ergo et affinitas uxoris ad eos.

Sed contra, affinitas ex consanguinitate causatur. Sed consanguinitas est perpetuum vinculum, quandiu personae vivunt inter quas est affinitas. Ergo et affinitas. Et ita non solvitur affinitas soluto matrimonio per mortem tertiae personae.

Respondeo dicendum quod relatio aliqua esse desinit dupliciter: uno modo ex corruptione subiecti, alio modo ex subtractione causae; sicut similitudo esse desinit quando alter similium moritur, vel quando qualitas quae erat causa similitudinis, subtrahitur. Sunt autem quaedam relationes quae habent pro causa actionem vel passionem aut motum, ut in V *Metaphys.* * dicitur. Quarum quaedam causantur ex motu inquantum aliquid movetur actu: sicut ipsa relatio quae est moventis et moti. Quaedam autem inquantum habent aptitudinem ad motum: sicut motivum et mobile, dominus et servus. Quaedam autem ex hoc quod aliquid prius motum est: sicut pater et filius non ex hoc quod est generari nunc, ad invicem dicuntur; sed ex hoc quod est generatum esse.

* S. Th. lect. XVII. - Did. lib. IV, cap. XV, n. 5, 6.

Aptitudo autem ad motum, etiam ipsum moveri transit: sed motum esse perpetuum est, quia quod factum est, nunquam desinit esse factum *. Et ideo paternitas et filiatio nunquam destruuntur per destructionem causae, sed solum per corruptionem subiecti, scilicet alterutrius extremorum. Et similiter dicendum est de affinitate, quae causatur ex hoc quod aliqui coniuncti sunt, non ex hoc quod coniunguntur. Unde non dirimitur, manentibus illis personis inter quas affinitas est contracta, quamvis moriatur persona ratione cuius contracta fuit *.

* Cf. Aristot. *Ethic.* lib. VI, cap. II, n. 6. - S. Th. lect. II.

* Cf. can. *Fraternitatis*, caus. XXXV, qu. X.

Ad primum ergo dicendum quod coniunctio matrimonii causat affinitatem non solum secundum hoc quod est actu coniungi, sed secundum hoc quod est prius coniunctum esse.

Ad secundum dicendum quod consanguinitas non est proxima causa affinitatis: sed coniunctio ad consanguineum, non solum quae est, sed quae fuit. Et propter hoc ratio non sequitur.

ART. III. utrum illicitus concubitus affinitatem causet

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod illicitus concubitus affinitatem non causet. Quia affinitas est quaedam res honesta. Sed res honestae non causantur ex inhonestis. Ergo ex inhonesto concubitu non potest affinitas causari.

2. Praeterea, ubi est consanguinitas, non potest esse affinitas: quia affinitas est *proximitas personarum ex carnali copula proveniens omni carens parentela* *. Sed aliquando contingeret ad consanguineos et ad seipsum esse affinitatem, si illicitus concubitus affinitatem causaret: sicut quando homo carnaliter consanguineam suam incestuose cognoscit. Ergo affinitas non causatur ex illicito concubitu.

* S. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. XV, *de Imped. Affin.*; b. Albert. IV *Sent.*, dist. XLI, art. 2.

3. Praeterea, illicitus concubitus est secundum naturam, et contra naturam. Sed ex illicito concubitu contra naturam non causatur affinitas, ut iura determinant *. Ergo nec ex illicito concubitu secundum naturam tantum.

* Can. *Extraordinaria*, caus. XXXV, qu. II, et III.

Sed contra est quod *adhaerens meretrici unum corpus efficitur,* ut patet I *Cor.* vi *. Sed ex hac causa matrimonium affinitatem causabat *. Ergo, pari ratione, illicitus concubitus.

* Vers. 16.
* Cf. art. 1.

2. Praeterea, carnalis copula est causa affinitatis: ut patet per definitionem affinitatis, quae est talis: *Affinitas est propinquitas personarum ex carnali copula proveniens omni carens parentela* *. Sed carnalis copula est etiam in illicito concubitu. Ergo illicitus concubitus affinitatem causat.

* Cf. arg. 2.

Respondeo dicendum quod, secundum Philosophum, in VIII *Ethic.* *, coniunctio viri et uxoris dicitur naturalis principaliter propter prolis productionem, et secundario propter operum communicationem: quorum primum pertinet ad matrimonium ratione carnalis copulae, sed secundum inquantum est quaedam societas in communem vitam. Primum autem horum est invenire in qualibet carnali copula ubi est commixtio seminum, quia ex tali copula potest proles produci: quamvis secunda desit. Et ideo, quia matrimonium affinitatem causabat secundum quod erat quaedam carnalis commixtio *, etiam fornicarius concubitus affinitatem causat, inquantum habet aliquid de carnali coniunctione.

* Cap. xii, n. 7.- S. Th. lect. xii.
* Cf. art. 1.

Ad primum ergo dicendum quod in fornicario concubitu est aliquid naturale, quod est commune fornicationi et matrimonio: et ex hac parte affinitatem causat. Aliud est ibi inordinatum, per quod a matrimonio dividitur: et ex hac parte affinitas non causatur. Unde affinitas semper honesta remanet, quamvis causa aliquo modo sit inhonesta.

Ad secundum dicendum quod non est inconveniens relationes ex opposito divisas eidem inesse ratione diversorum. Et ideo potest inter aliquas duas personas esse affinitas et consanguinitas, non solum per illicitum concubitum, sed etiam per licitum: sicut cum consanguineus meus ex parte patris, duxit in uxorem consanguineam meam ex parte matris. Unde, cum dicitur in definitione affinitatis inducta, *omni carens parentela,* intelligendum est, *inquantum huiusmodi.* – Nec tamen sequitur quod aliquis consanguineam suam cognoscens sibi ipsi sit affinis: quia affinitas, sicut et consanguinitas, diversitatem requirit; sicut et similitudo.

Ad tertium dicendum quod concubitus contra naturam non habet commixtionem seminum quae possit esse causa generationis. Et ideo ex tali concubitu non causatur aliqua affinitas *.

* Cf. Gloss. in can. cit. in arg.

Art. IV. utrum ex sponsalibus aliqua affinitas causari possit

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod ex sponsalibus nulla affinitas causari possit. Quia affinitas est perpetuum vinculum *. Sed sponsalia quandoque separantur. Ergo non possunt esse causa affinitatis.

* Cf. can. *Fraternitatis,* caus. XXXV, qu. x.

2. Praeterea, si aliquis claustrum pudoris alicuius mulieris invasit et aperuit, sed non pervenit ad operis consummationem, non contrahitur ex hoc affinitas *. Sed talis est magis propinquus carnali copulae quam ille qui sponsalia contrahit. Ergo ex sponsalibus affinitas non causatur.

* Cf. Gloss. in can. *Extraordinaria,* caus. XXXV, qu. ii et iii.

3. Praeterea, in sponsalibus non fit nisi quaedam sponsio futurarum nuptiarum *. Sed aliquando fit sponsio futurarum nuptiarum et ex hoc non contrahitur aliqua affinitas: sicut si fiat ante septennium *, vel si aliquis habens perpetuum impedimentum tollens potentiam coeundi alicui mulieri spondeat futuras nuptias, aut si talis sponsio fiat inter personas quibus nuptiae per votum reddantur illicitae, vel alio quocumque modo. Ergo sponsalia non possunt esse causa affinitatis.

* Cf. qu. xliii, art. 1.
* Can. *Ubi non est consensus,* caus. XXX, qu. ii.

Sed contra est quod Alexander Papa * prohibuit mulierem quandam cuidam viro matrimonio coniungi quia fratri suo fuerat desponsata. Quod non esset nisi per sponsalia affinitas contraheretur. Ergo, etc.

* Tertius, cap. *Ad audientiam, de Sponsal. et Matrim.*

Respondeo dicendum quod, sicut sponsalia non habent perfectam rationem matrimonii sed sunt quaedam praeparatio ad matrimonium, ita ex sponsalibus non causatur affinitas sicut ex matrimonio, sed aliquid affinitati simile, quod dicitur *publicae honestatis iustitia:* quae impedit matrimonium sicut et affinitas et consanguinitas, secundum eosdem gradus. Et definitur sic: *Publicae honestatis iustitia est propinquitas ex sponsalibus proveniens, robur trahens ex Ecclesiae institutione propter eius honestatem* *. Ex quo patet ratio nominis et causa: quia scilicet talis propinquitas ab Ecclesia instituta est propter honestatem.

* Cf. b. Albert. IV *Sent.,* dist. xli, art. 7.

Ad primum ergo dicendum quod sponsalia non ratione sui, sed ratione eius ad quod ordinantur, causant hoc genus affinitatis quod dicitur *publicae honestatis iustitia.* Et ideo, sicut matrimonium est perpetuum vinculum, ita et praedictus affinitatis modus.

Ad secundum dicendum quod vir et mulier efficiuntur in carnali copula *una caro* * per commixtionem seminum. Unde, quantumcumque aliquis claustrum pudoris invadat vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas *. Sed matrimonium affinitatem causat non solum ratione carnalis copulae, sed etiam ratione societatis coniugalis, secundum quam etiam matrimonium naturale est. Unde et affinitas contrahitur ex ipso contractu matrimonii per verba de praesenti ante carnalem copulam. Et similiter etiam ex sponsalibus, in quibus fit quaedam pactio coniugalis societatis, contrahitur aliquid affinitati simile, scilicet publicae honestatis iustitia.

* *Gen.* cap. ii, vers. 24; Matth. cap. xix, vers. 6.
* Gloss. in can. *Extraordinaria* (vide arg.); s. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. xv, de *Imped. Affin.*

Ad tertium dicendum quod omnia impedimenta quae faciunt sponsalia non esse sponsalia, non permittunt ex pactione nuptiarum affinitatem fieri. Unde sive habens defectum aetatis, sive habens votum solemne continentiae, aut aliquod huiusmodi impedimentum, sponsalia de facto contrahat, ex hoc non sequitur aliqua affinitas, quia sponsalia nulla sunt, nec aliquis affinitatis modus *.

* S. Raym. ibid., tit. xiv, *de Public. Honest. Iustit.*

Si tamen aliquis minor frigidus vel maleficiatus habens impedimentum perpetuum, ante annos pubertatis post septennium contrahat sponsalia cum adulta, ex tali contractu contrahitur publicae honestatis iustitia: quia adhuc non erat in actu impediendi, cum in tali aetate puer frigidus et non frigidus, quantum ad actum illum, sint aequaliter impotentes *.

* B. Albert. IV *Sent.,* dist. xli, art. 9.

Art. V. utrum affinitas sit causa affinitatis

Ad quintum sic proceditur. Videtur etiam quod affinitas sit causa affinitatis. Quia Iulius Papa * dicit: *Relictam consanguineorum uxoris suae nullus ducat uxorem,* ut habetur XXXV, qu. iii, cap. *Contradicimus* *. Et in sequenti capitulo dicitur quod *duae consanguineorum uxores uni viro altera post alteram nubere prohibentur* *. Sed hoc non est nisi ratione affinitatis quae contrahitur ex coniunctione ad affinem. Ergo affinitas est causa affinitatis.

* Primus.
* Append. Gratian. - Cf. can. *Et hoc quoque,* ibid.
* Can. *Porro duorum.*

2. Praeterea, carnalis commixtio coniungit sicut et carnalis propagatio: quia aequaliter computantur gradus affinitatis et consanguinitatis. Sed consanguinitas est causa affinitatis. Ergo et affinitas.

3. Praeterea, *quaecumque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem* *. Sed uxor viri alicuius efficitur eisdem attinentiae cum omnibus consanguineis viri. Ergo et omnes consanguinei viri sui efficiuntur unum cum omnibus qui attinent mulieri per affinitatem. Et sic affinitas est causa affinitatis.

* Arist. *Sophist. Elench.,* cap. vi, n. 8.

Sed contra, si affinitas ex affinitate causatur, aliquis qui cognovisset duas mulieres, neutram earum posset ducere in uxorem: quia secundum hoc altera efficeretur alteri affinis. Sed hoc est falsum. Ergo affinitas non causat affinitatem.

2. Praeterea, si affinitas ex affinitate nasceretur, aliquis contrahens cum uxore defuncti fieret affinis omnibus consanguineis prioris viri, ad quos mulier habet affinitatem. Sed hoc non potest esse: quia maxime fieret affinis viro defuncto. Ergo, etc.

3. Praeterea, consanguinitas est fortius vinculum quam affinitas. Sed consanguinei uxoris non efficiuntur affines consanguineis viri. Ergo multo minus affines uxoris efficientur eis affines. Et sic idem quod prius.

Respondeo dicendum quod duplex est modus quo aliquid ex alio procedit: unus secundum quem aliquid procedit in similitudinem speciei, sicut ex homine generatur

homo; alius secundum quem procedit dissimile in specie; et hic processus semper est in inferiorem speciem, ut patet in omnibus agentibus aequivoce. Primus autem modus processionis quotiescumque iteretur, semper manet eadem species: sicut, si ex homine generatur homo per actum generativae virtutis, ex hoc quoque generabitur homo, et sic deinceps. Secundus autem modus, sicut in principio facit aliam speciem, ita, quotiescumque iteretur, aliam speciem facit: ut, si ex puncto per motum procedit linea, non punctus (quia punctus motus facit lineam *), ex linea linealiter mota non procedit linea, sed superficies; et ex superficie corpus; et ulterius per talem modum processus aliquis non potest esse.

* Cf. Comm. S. Th. in I *de Caelo*, lect. II, Ed. Leonin.

Invenimus autem in processu attinentiae duos modos quibus vinculum huiusmodi causatur. Unus per carnis propagationem: et hic semper facit eandem speciem attinentiae. Alius per matrimonialem coniunctionem: et hic facit aliam speciem in principio, sicut patet quod coniuncta matrimonialiter consanguineo, non fit consanguinea, sed affinis. Unde, si et ille modus procedendi iteratur, non erit affinitas, sed aliud attinentiae genus. Unde persona quae matrimonialiter affini coniungitur, non est affinis: sed est aliud genus affinitatis, quod dicatur *secundum genus*. Et rursus, si affini in secundo genere aliquis per matrimonium coniungatur, non erit affinis in secundo genere, sed *in tertio*. Ut hoc versu supra * posito ostenditur: *Mutat nupta genus, sed generata gradus.*

* Art. 1.

Et haec duo genera olim erant prohibita *, propter publicae honestatis iustitiam magis quam propter affinitatem: quia deficiunt a vera affinitate, sicut illa attinentia quae ex sponsalibus contrahitur *. Sed modo illa prohibitio cessavit *. Et remanet sub prohibitione solum primum genus affinitatis, in quo est vera affinitas.

* Can. *De propinquis*, et can. *Porro*, caus. XXXV, qu. II et III.
* Cf. art. praec.
* Cap. *Non debet, de Consang. et Affin.*

Ad primum ergo dicendum quod alicui viro consanguineus uxoris suae efficitur affinis in primo genere, et uxor eius in secundo. Unde, mortuo viro qui erat affinis, non poterat eam ducere in uxorem propter secundum affinitatis genus. Similiter autem, si aliquis viduam in uxorem ducat, consanguineus prioris viri, qui est affinis uxori in primo genere, efficitur affinis secundo viro in secundo genere: et uxor illius consanguinei, quae est affinis uxori viri huius in secundo genere, efficitur affinis viro secundo in tertio genere. Et quia tertium genus erat prohibitum, propter honestatem quandam magis quam propter affinitatem, ideo canon * dicit: *Duas consanguineorum uxores uni viro alteram post alteram nubere publicae honestatis iustitiae contradicit.* – Sed talis prohibitio nunc cessavit.

* Cit. in arg.

Ad secundum dicendum quod, quamvis carnalis coniunctio coniungat, non tamen eodem genere coniunctionis.

Ad tertium dicendum quod uxor viri efficitur eiusdem attinentiae cum consanguineis viri quantum ad eundem gradum, sed non quantum ad idem attinentiae genus.

Sed quia ex rationibus quae in oppositum inducuntur videtur ostendi quod nullum vinculum ex affinitate causetur, ad alias rationes respondendum est: ne antiqua Ecclesiae prohibitio irrationabilis videatur.

Ad quartum * dicendum, quod mulier non efficitur affinis in primo genere viro cui coniungitur carnaliter, ut ex praedictis * patet. Unde consequenter alii mulieri a viro eodem cognitae non efficitur affinis in secundo genere. Unde nec ducenti in uxorem unam earum efficitur alia affinis in tertio genere affinitatis. Et ita duas mulieres cognitas ab eodem viro nec antiqua iura eidem successive copulari prohibebant.

* Arg. *Sed contra* 1.
* Art. 1, ad 1.

Ad quintum * dicendum quod, sicut vir non est affinis uxori suae in primo genere, ita nec efficitur affinis secundo viro eiusdem uxoris in secundo genere. Et sic ratio non procedit.

* Arg. *Sed contra* 2.

Ad sextum dicendum * quod mediante una persona non coniungitur mihi alia nisi ex hoc quod ei adiungitur. Unde, mediante muliere quae mihi est affinis, nulla persona fit mihi attinens nisi quae illi mulieri adiungitur. Quod non potest esse nisi per carnis propagationem ex ipsa, vel propter coniunctionem matrimonialem ad eam. Et utroque modo aliqua attinentia mediante praedicta muliere, secundum antiqua iura, mihi proveniebat: quia filius eius etiam ex alio viro efficitur mihi affinis in eodem genere, sed in alio gradu, ut ex regula prius * data patet; et iterum secundus vir eius efficitur mihi affinis in secundo genere. Sed alii consanguinei illius mulieris non adiunguntur ei: sed ipsa vel adiungitur eis, sicut patri et matri, inquantum procedit ab eis; vel principio eorundem, sicut fratribus. Unde frater affinis meae, vel pater, non efficitur mihi affinis in aliquo genere.

* Arg. *Sed contra* 3.
* Art. 1.

ART. VI. Utrum affinitas matrimonium impediat

IV *Sent.*, dist. XXXIV, art. 5.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod affinitas matrimonium non impediat. Nihil enim impedit matrimonium nisi quod est illi contrarium. Sed affinitas non contrariatur matrimonio: cum sit effectus eius. Ergo non impedit matrimonium.

2. Praeterea, uxor per matrimonium efficitur res quaedam viri. Sed consanguinei defuncti viri succedunt in rebus eius *. Ergo possunt succedere in uxore. Ad quam tamen manet affinitas, ut ostensum est *. Ergo affinitas non impedit matrimonium.

* Dig. XXXVIII, XVI, *de suis et legit. Hered.*
* Art. 2.

Sed contra est quod dicitur *Levit.* XVIII *: *Turpitudinem uxoris patris tui non revelabis.* Sed illa est tantum affinis. Ergo affinitas impedit matrimonium.

* Vers. 8.

Respondeo dicendum quod affinitas praecedens matrimonium impedit contrahendum et dirimit contractum: eadem ratione qua et consanguinitas *. Sicut enim inest necessitas quaedam cohabitandi consanguineis ad invicem, ita et affinibus. Et sicut est quoddam amicitiae vinculum inter consanguineos, ita inter affines. – Sed si affinitas matrimonio superveniat, non potest ipsum dirimere, ut supra * dictum est.

* Cf. qu. LIV, art. 3, 4.
* Qu. L, ad 7.

Ad primum ergo dicendum quod affinitas non contrariatur matrimonio ex quo causatur: sed contrariatur matrimonio quod cum affine contrahendum esset, inquantum impediret multiplicationem amicitiae et concupiscentiae repressionem, quae per matrimonium quaeruntur.

Ad secundum dicendum quod res possessae a viro non efficiuntur aliquid unum cum ipso viro, sicut uxor efficitur *una caro* * cum ipso. Unde, sicut consanguinitas impedit coniunctionem ad virum, ita et ad uxorem viri.

* *Gen.* cap. II, vers. 24; Matth. cap. XIX, vers. 6.

ART. VII. Utrum affinitas habeat etiam per seipsam gradus

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod affinitas habeat etiam per seipsam gradus. Cuiuslibet enim propinquitatis est accipere aliquos per se gradus. Sed affinitas propinquitas quaedam est. Ergo habet gradus per se, sine gradibus consanguinitatis, ex quibus causatur.

2. Praeterea, in littera * dicitur quod *soboles secundae coniunctionis non potest transire ad consortium affinitatis prioris viri.* Sed hoc non esset nisi filius affinis etiam esset affinis. Ergo affinitas habet per se gradus, sicut consanguinitas.

* Dist. XLI, cap. *Sed alii.*

Sed contra, affinitas ex consanguinitate causatur. Ergo et omnes gradus affinitatis causantur ex gradibus consanguinitatis. Et sic non habet per se aliquos gradus.

Respondeo dicendum quod res non dividitur divisione per se nisi ratione illius quod competit sibi secundum genus suum *: sicut animal per rationale et irrationale, non autem per album et nigrum. Carnis autem propagatio per se comparatur ad consanguinitatem, quia ex ea immediate consanguinitatis vinculum contrahitur: sed ad affinitatem non comparatur nisi mediante consanguinitate, quae est causa eius. Unde, cum gradus attinentiae per propagationem carnis distinguantur *, distinctio graduum per se et immediate competit consanguinitati, sed affinitati mediante consanguinitate. Et ideo ad inveniendum gradus affinitatis est regula generalis quod, quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitatis attinet mihi uxor.

* Aristot. *Metaphys.* lib. VI, cap. XII, n. 5. – S. Th. lib. VII, lect. XII.
* Qu. LIV, art. 2.

Ad primum ergo dicendum quod gradus in propinquitate attinentiae non possunt accipi nisi secundum ascensum et descensum propagationis. Ad quam non comparatur affinitas nisi mediante consanguinitate. Et ideo non

habet affinitas gradus per se, sed sumptos iuxta gradus consanguinitatis.

Ad secundum dicendum quod filius affinis meae ex alio matrimonio, non per se loquendo, sed quasi per accidens dicebatur antiquitus affinis. Unde prohibebatur a matrimonio magis propter publicae honestatis iustitiam quam propter affinitatem. Et propter hoc etiam illa prohibitio nunc est revocata *.

* Cap. *Non debet, de Consang. et Affin.* - Cf. art. 5.

ART. VIII. Utrum gradus affinitatis extendantur sicut gradus consanguinitatis

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod gradus affinitatis non extendantur sicut gradus consanguinitatis. Quia vinculum affinitatis est minus forte quam consanguinitatis: cum affinitas ex consanguinitate causetur in diversitate speciei, sicut a causa aequivoca. Sed quanto fortius est vinculum, tanto diutius durat. Ergo vinculum affinitatis non durat usque ad tot gradus ad quot durat consanguinitas.

2. Praeterea, ius humanum debet imitari ius divinum. Sed secundum ius divinum aliqui gradus consanguinitatis erant prohibiti in quibus gradibus affinitas matrimonium non impediebat: sicut patet de uxore fratris, quam aliquis poterat ducere in uxorem ipso defuncto *, non tamen propriam sororem *. Ergo et nunc non debet esse prohibitio aequalis de affinitate et consanguinitate.

* *Deut.*, cap. xxv, vers. 5.
* *Levit.* cap. xviii, vers. 9, 11.

Sed contra, ex hoc ipso est mihi aliqua affinis quod meo consanguineo est coniuncta. Ergo in quocumque gradu sit vir mihi consanguineus, in illo gradu erit uxor mihi affinis. Et sic gradus affinitatis computari debent in eodem numero sicut gradus consanguinitatis.

Respondeo dicendum quod ex quo gradus affinitatis sumuntur iuxta gradus consanguinitatis *, oportet quod tot sint gradus affinitatis quot sunt gradus consanguinitatis. Sed tamen, quia affinitas est minus vinculum quam consanguinitas, facilius, et olim et nunc, dispensatio fit in remotis gradibus affinitatis quam in remotis gradibus consanguinitatis.

* Art. praeced.

Ad primum ergo dicendum quod illa minoritas vinculi affinitatis respectu consanguinitatis, facit varietatem in genere attinentiae, non in gradibus. Et ideo illa ratio non est ad propositum.

Ad secundum dicendum quod frater non poterat accipere uxorem fratris sui defuncti nisi in casu, scilicet quando moriebatur sine prole, *ut suscitaret semen fratri suo* *. Quod tunc requirebatur, quando per propagationem carnis cultus religionis multiplicabatur: quod nunc locum non habet. Et sic patet quod non ducebat eam uxorem quasi gerens propriam personam, sed quasi supplens defectum fratris sui.

* *Deut.* loc. cit. in arg.

ART. IX. Utrum coniugium quod inter affines vel consanguineos est contractum, semper sit per divortium dirimendum

Ad nonum sic proceditur. Videtur quod coniugium quod inter affines vel consanguineos est contractum, non semper sit per divortium dirimendum. Quia *quos Deus coniunxit, homo separare non debet* *. Cum ergo Deus facere intelligatur quod facit Ecclesia, quae quandoque tales ignoranter coniungit, videtur quod, si postmodum in notitiam veniant, non sunt separandi.

* Matth. cap. xix, vers. 6.

2. Praeterea, favorabilius est vinculum matrimonii quam dominii. Sed homo per longi temporis praescriptionem acquirit dominium in re cuius non erat dominus. Ergo per diuturnitatem temporis matrimonium ratificatur, etiam si prius ratum non fuit.

3. Praeterea, de similibus simile est iudicium. Sed si matrimonium esset dirimendum propter consanguinitatem, tunc, in casu illo quando duo fratres habent duas sorores in uxores, si unus separatur propter consanguinitatem, et alius pari ratione separari deberet. Quod non videtur. Ergo matrimonium non est separandum propter consanguinitatem vel affinitatem.

Sed contra, consanguinitas et affinitas impediunt contrahendum et dirimunt contractum *. Ergo, si probatur affinitas vel consanguinitas, separandi sunt, etiam si de facto contraxerunt.

* Cf. art. 6, et qu. L, art. unic.

Respondeo dicendum quod, cum omnis concubitus praeter legitimum matrimonium sit peccatum mortale, quod Ecclesia omnibus modis impedire conatur, ad ipsam pertinet eos inter quos non potest esse verum matrimonium, separare: et praecipue consanguineos et affines, qui sine incestu contrahere non possunt carnaliter.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis Ecclesia dono et auctoritate divina fulciatur, tamen, inquantum est hominum congregatio, aliquid de defectu humano in actibus eius pervenit, quod non est divinum. Et ideo illa coniunctio quae fit in facie Ecclesiae impedimentis ignoratis, non habet inseparabilitatem ex auctoritate divina, sed est contra auctoritatem divinam errore hominum inducta: qui excusat a peccato, cum sit error facti *, quandiu manet. Et propter hoc, quando impedimentum ad notitiam pervenit Ecclesiae, debet praedictam coniunctionem separare.

* Dig. XXII, vi, de *iuris et facti Ignor.*, 8, 9.

Ad secundum dicendum quod illa quae sine peccato esse non possunt, nulla praescriptione firmantur: quia, ut Innocentius * dicit, *diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget*. Nec ad hoc facit aliquid favor matrimonii, quod inter illegitimas personas esse non poterat.

* Tertius, cap. *Non debet, de Consanguin. et Affin.*

Ad tertium dicendum * quod res inter alios acta, aliis non praeiudicat in foro contentioso. Unde, quamvis unus frater repellatur a matrimonio unius sororum ex causa consanguinitatis, non propter hoc separat Ecclesia aliud matrimonium, quod non accusatur. Sed in foro conscientiae non oportet quod semper obligetur ob hoc alius frater ad dimittendum uxorem suam: quia frequenter tales accusationes ex malevolentia procedunt, et per falsos testes probantur; unde non oportet quod conscientiam suam informet ex his quae circa aliud matrimonium sunt facta. Sed distinguendum videtur in hoc. Quia aut habet certam scientiam de impedimento matrimonii, aut opinionem, aut neutrum. Si primo modo, nec exigere nec reddere debitum debet; si secundo, debet reddere, sed non exigere; si tertio, potest reddere et exigere.

* Cf. s. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. xxi, *Qualiter accusatio* etc.

ART. X. Utrum ad separationem matrimonii quod est inter affines et consanguineos contractum, sit procedendum per viam accusationis

Ad decimum sic proceditur. Videtur quod ad separationem matrimonii quod est inter affines et consanguineos contractum, non sit procedendum per viam accusationis. Quia accusationem praecedit inscriptio, qua aliquis se ad talionem obligat si in probatione defecerit *. Sed haec non requiruntur quando de matrimonii separatione agitur *. Ergo ibi locum non habet accusatio.

* Can. *Quisquis*, et can. *Qui crimen*, caus. II, qu. viii.
* Cf. s. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. xxi, *Qualiter accusatio* etc.

2. Praeterea, in causa matrimonii audiuntur solum propinqui, ut in littera * dicitur. Sed in accusationibus audiuntur etiam extranei. Ergo in causa separationis matrimonii non agitur per viam accusationis.

* Dist. xli, cap. *Et est sciendum*. - Cf. caus. XXXV. qu. vi, can. 1, 3, 4.

3. Praeterea, si matrimonium accusari deberet, tunc praecipue hoc esset faciendum quando minus difficile est quod separetur. Sed hoc est quando sunt sponsalia tantum contracta. Non autem tunc accusatur matrimonium. Ergo nunquam de cetero debet fieri accusatio.

4. Praeterea, ad accusandum non praecluditur via alicui per hoc quod non statim accusat. Sed hoc fit in matrimonio: quia, si primo tacuit quando matrimonium contrahebatur, non potest postea matrimonium accusare, quasi suspectus. Ergo, etc.

Sed contra, omne illicitum potest accusari. Sed matrimonium affinium vel consanguineorum est illicitum. Ergo de eo potest esse accusatio.

Respondeo dicendum quod accusatio ad hoc est instituta ne aliquis sustineatur quasi innocens qui culpam habet. Sicut autem ex ignorantia facti contingit quod aliquis homo reputatur innocens qui in culpa est, ita ex ignorantia alicuius circumstantiae contingit quod aliquod factum reputatur licitum quod est illicitum. Et ideo, sicut homo accusatur quandoque, ita et factum ipsum accusari potest. Et sic matrimonium accusatur quando, propter ignorantiam impedimenti, aestimatur legitimum quod est illegitimum.

Ad primum ergo dicendum quod obligatio ad poenam talionis habet locum quando accusatur persona de crimine, quia tunc agitur ad punitionem eius. Sed quando accusatur factum, tunc non agitur ad poenam facientis, sed ad impediendum quod est illicitum. Et ideo in matrimonio accusator non se obligat ad aliquam poenam: sed talis accusatio potest et verbis et scripto fieri, ita quod exprimatur et persona accusans matrimonium quod accusatur, et impedimentum propter quod accusatur.

Ad secundum dicendum quod extranei non possunt scire consanguinitatem nisi per consanguineos, de quibus probabilius est quod sciant. Unde, quando ipsi tacent, suspicio habetur contra extraneum quod ex malevolentia procedat, nisi per consanguineos probare voluerit. Unde repellitur ab accusatione quando sunt consanguinei qui tacent, et per quos probare non potest. Sed consanguinei, quantumcumque sint propinqui, non repelluntur ab accusatione quando accusatur matrimonium propter aliquod impedimentum perpetuum, quod impedit contrahendum et dirimit contractum *. Sed quando accusatur ex hoc quod dicitur non fuisse contractum, tunc parentes tanquam suspecti sunt repellendi: nisi ex parte illius qui est inferior dignitate et divitiis, de quibus probabiliter aestimari potest quod libenter vellent quod matrimonium staret *.

* Cap. *Videtur nobis, Qui matrimon. accusare poss.*

* Cap. *Super eo quod a nobis, de Testibus et Attestat.*

Ad tertium dicendum quod, quando matrimonium nondum est contractum, sed sponsalia tantum, non potest accusari, quia non accusatur quod non est. Sed potest denuntiari impedimentum, ne matrimonium contrahatur *.

* Cap. *Ad dissolvendum, de Despons. Impub.*

Ad quartum dicendum quod ille qui tacuit primo, quandoque auditur postea, si velit matrimonium accusare, quandoque repellitur. Quod patet ex decretali *, quae sic dicit: *Si post contractum matrimonium aliquis appareat accusator, cum non prodierit in publicum quando, secundum consuetudinem, in Ecclesiis edebatur: utrum vox suae accusationis debeat admitti, merito quaeri potest. Super quo respondemus quod, si tempore denuntiationis praemissae is qui iam coniunctos impetit, extra dioecesim existebat, vel alias denunciatio non potuit ad eius devenire notitiam, ut puta si nimiae infirmitatis fervore laborans sanae mentis patiebatur exilium, vel in annis erat tam teneris constitutus quod ad comprehensionem talium eius aetas sufficere non valebat, seu alia causa legitima fuerit impeditus, eius accusatio debet audiri. Alioquin, tanquam suspectus est procul dubio repellendus: nisi firmaverit iuramento quod post didicerit ea quae obiecerit, et ad hoc ex malitia non procedat.*

* *Cum in tua, Qui matrim. accusare poss.*

ART. XI. Utrum in tali causa sit procedendum per testes, sicut in aliis causis

Ad undecimum sic proceditur. Videtur quod in tali causa non sit procedendum per testes, sicut in aliis causis. Quia in aliis causis adducuntur ad testificandum quicumque sunt omni exceptione maiores. Sed hic non admittuntur extranei *, quamvis sint omni exceptione maiores. Ergo, etc.

* Cf. art. praec., ad 2.

2. Praeterea, testes suspecti de privato odio vel amore a testimonio repelluntur *. Sed maxime possunt propinqui esse suspecti de amore respectu unius partis et odio ad partem alteram. Ergo non est audiendum eorum testimonium.

* Can. *Suspectos*, et can. *Accusatores vel testes*, caus. III, qu. v.

3. Praeterea, matrimonium est favorabilius quam aliae causae, in quibus de rebus pure corporalibus agitur. Sed in illis non potest idem esse testis et accusator. Ergo nec in matrimonio. Et ita videtur quod non convenienter in causa ista per testes procedatur.

Sed contra, testes inducuntur in causis ut super his de quibus dubitatur fiat iudici fides. Sed ita facienda est iudici fides in causa ista sicut in aliis causis: quia non debet praecipitare sententiam de eo quod non constat. Ergo procedendum est hic ex testibus, sicut in aliis causis.

Respondeo dicendum quod in hac causa oportet quod per testes veritas patefiat, sicut et in aliis. Tamen, ut iuristae dicunt, in hac causa multa specialia inveniuntur: scilicet, quod idem potest esse accusator et testis *; et quod non iuratur de calumnia, cum sit causa quasi spiritualis *; et quod consanguinei admittuntur ad testificandum *; et quod non observatur omnino ordo iudiciarius *, quia, tali denuntiatione facta, contumax potest excommunicari lite non contestata *; et valet hic testimonium de auditu **; et post publicationem testium testes possunt induci *. Et hoc totum est ut peccatum impediatur, quod in tali coniunctione esse potest.

* S. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. xx, *de Divortio* etc.
* Cap. *Litteras, de Iuram. Calumn.*
* Cap. *Quoties aliqui, de Test. et Attestat.*
* Cap. *Ad hoc Deus, Ut lite non contest.*
* Ibid., cap. *Tuae fraternitat.*; cf. Gloss.
** Can. *De parentela*, caus. XXXV, qu. vi; cf. Gloss.
* Cap. *Series, de Test. et Attestat*; cf. Gloss.

Et per hoc patet solutio ad obiecta.

QUAESTIO QUINQUAGESIMASEXTA
DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS SPIRITUALIS

Deinde considerandum est de impedimento cognationis spiritualis *.

* Cf. qu. li, Introd.

Circa quod quaeruntur quinque.
Primo: utrum spiritualis cognatio matrimonium impediat.
Secundo: ex qua causa contrahatur.
Tertio: inter quos.
Quarto: utrum transeat a viro in uxorem.
Quinto: utrum transeat ad filios carnales patris spiritualis.

ART. I. Utrum spiritualis cognatio matrimonium impediat

Quodl. VI, qu. iii, art. 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod spiritualis cognatio matrimonium non impediat. Nihil enim impedit matrimonium nisi quod contrariatur alicui bono matrimonii. Sed spiritualis cognatio non contrariatur alicui bono matrimonii. Ergo non impedit matrimonium.

2. Praeterea, impedimentum perpetuum matrimonii non potest stare simul cum matrimonio. Sed cognatio spiritualis stat simul aliquando cum matrimonio, ut in littera * dicitur: sicut cum aliquis in casu necessitatis filium suum baptizat; quia tunc fit uxori suae spirituali cognatione coniunctus, nec tamen matrimonium separatur. Ergo spiritualis cognatio matrimonium non impedit.

* Dist. xlii, cap. *Spirituales filii.*

3. Praeterea, unio spiritus non transit in carnem *. Sed matrimonium est carnalis coniunctio. Ergo, cum cognatio spiritualis sit unio spiritus, non potest transire ad matrimonium impediendum.

* Can. *Post uxoris*, caus. XXX, qu. iv.

4. Praeterea, contrariorum non sunt iidem effectus *. Sed spiritualis cognatio videtur esse contraria disparitati cultus: cum spiritualis cognatio sit *propinquitas proveniens ex datione sacramenti, vel tensione ad idem* *; disparitas autem cultus consistit in sacramenti carentia, ut prius * dictum est. Cum ergo disparitas cultus matrimonium impediat, videtur quod spiritualis cognatio non habeat hunc effectum.

* *Problem.* sect. VIII, n. 10. – Inter Opp. Aristot.
* S. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. vii, de *Cognat. Spirit.*, § 1; b. Albert. IV *Sent.*, dist. xlii, art. 2.
* IV *Sent.*, dist. xxxix, art. 1, ad 5.

Sed contra, quanto aliquod vinculum sanctius est, tanto magis est custodiendum. Sed vinculum spirituale est sanctius quam corporale. Cum ergo vinculum propinquitatis corporalis matrimonium impediat, videtur etiam quod cognatio spiritualis idem faciat.

2. Praeterea, in matrimonio coniunctio animarum est principalior quam coniunctio corporum: quia praecedit ipsam. Ergo multo fortius spiritualis cognatio matrimonium impedire potest quam carnalis.

Respondeo dicendum quod, sicut per carnalem propagationem homo accipit esse naturae, ita per sacramenta accipit esse spiritualis gratiae. Unde, sicut vinculum quod ex carnis propagatione contrahitur, est homini naturale inquantum est res quaedam naturae; ita vinculum quod contrahitur ex sacramentorum susceptione, est aliquo modo naturale alicui inquantum est membrum Ecclesiae. Et ideo, sicut carnalis cognatio impedit matrimonium, ita spiritualis, ex Ecclesiae statuto *.

* Caus. XXX, qu. iii, per tot.; *De Cognat. Spirit.*, per plura capp.

Tamen distinguendum est de spirituali cognatione. Quia aut praecessit matrimonium; aut sequitur. Si praecessit, impedit contrahendum et dirimit contractum. Si sequitur, tunc non dirimit vinculum matrimonii: sed quantum ad actum matrimonii est distinguendum. Quia aut spiritualis cognatio inducitur causa necessitatis, sicut cum pater baptizat filium in articulo mortis. Et tunc non impedit actum matrimonii ex neutra parte. – Aut inducitur extra casum necessitatis, ex ignorantia tamen. Et tunc, si ille ex cuius actu inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem ratio

sicut et de primo. – Aut ex industria, extra casum necessitatis. Et tunc ille ex cuius actu inducitur, amittit ius petendi debitum: sed tamen debet reddere, quia ex culpa eius non debet aliquod incommodum alius reportare *.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis spiritualis cognatio non impediat aliquod de principalibus bonis matrimonii, tamen impedit aliquod de secundariis bonis, quod est amicitiae multiplicatio *. Quia spiritualis cognatio est sufficiens ratio amicitiae per se. Unde oportet quod ad alios per matrimonium familiaritas et amicitia quaeratur.

Ad secundum dicendum quod matrimonium est vinculum perpetuum. Et ideo nullum impedimentum superveniens potest ipsum dirimere. Et sic quandoque contingit quod matrimonium et matrimonii impedimentum stant simul: non autem si impedimentum praecedat.

Ad tertium dicendum quod in matrimonio non est tantum coniunctio corporalis, sed etiam spiritualis. Et ideo propinquitas spiritus ei impedimentum praestat, sine hoc quod propinquitas spiritualis transire debeat in carnalem.

Ad quartum dicendum quod non est inconveniens quod duo contraria ad invicem contrarientur eidem: sicut magnum et parvum aequali. Et sic disparitas cultus et spiritualis cognatio matrimonio repugnant: quia in uno est maior distantia, in altero maior propinquitas quam matrimonium requirat. Et ideo ex utraque parte matrimonium impeditur.

* Cf. s. Bonav. IV *Sent.*, dist. xlii, art. 1, qu. ii.
* Cf. qu. liv, art. 3.

ART. II. utrum per solum baptismum spiritualis propinquitas contrahatur

Quodl. XII, qu. xii.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod per solum baptismum spiritualis propinquitas contrahatur. Sicut enim se habet corporalis cognatio ad corporalem generationem, ita spiritualis ad spiritualem. Sed solus baptismus dicitur spiritualis generatio. Ergo per solum baptismum contrahitur spiritualis cognatio: sicut et per solam generationem carnalem carnalis cognatio.

2. Praeterea, sicut in confirmatione imprimitur character, ita in ordine. Sed ex susceptione ordinis non sequitur spiritualis cognatio. Ergo nec ex confirmatione. Et sic solum ex baptismo.

3. Praeterea, sacramenta sunt digniora sacramentalibus. Sed ex quibusdam sacramentis spiritualibus cognatio non sequitur: sicut patet in extrema unctione. Ergo multo minus ex catechismo, ut quidam dicunt.

4. Praeterea, inter sacramentalia baptismi multa alia praeter catechismum numerantur *. Ergo ex catechismo non magis contrahitur spiritualis cognatio quam ex aliis.

5. Praeterea, oratio non est minus efficax ad promovendum in bonum quam instructio vel catechizatio. Sed ex oratione non contrahitur spiritualis cognatio. Ergo nec ex catechismo.

6. Praeterea, instructio quae fit baptizatis per praedicationem, non minus valet quam illa quae fit nondum baptizatis. Sed ex praedicatione non contrahitur aliqua cognatio spiritualis. Ergo nec ex catechismo.

Sed contra, I *Cor.* iv *: *In Christo Iesu per Evangelium ego vos genui:* et sic spiritualis generatio causat spiritualem cognationem. Ergo ex praedicatione Evangelii et instructione fit spiritualis cognatio: et non solum ex baptismo.

2. Praeterea, sicut per baptismum tollitur peccatum originale, ita per poenitentiam actuale. Ergo, sicut baptismus causat spiritualem cognationem, ita et poenitentia.

3. Praeterea, *pater* nomen cognationis est. Sed per poenitentiam et doctrinam et curam pastoralem, et multa huiusmodi, aliquis dicitur alteri spiritualis pater. Ergo ex multis aliis praeter baptismum et confirmationem spiritualis cognatio contrahitur.

Respondeo dicendum * quod circa hoc est triplex opinio. Quidam enim * dicunt quod spiritualis regeneratio, sicut per septiformem Spiritus Sancti gratiam datur, ita per septem efficitur, incipiendo *a primo pabulo salis sacri usque ad confirmationem per episcopum factam:* et per quodlibet horum septem spiritualis cognatio contrahitur. – Sed illud non videtur rationabile. Quia cognatio carnalis non contrahitur nisi per actum generationis completum: unde etiam affinitas non contrahitur nisi facta commixtione seminum ex qua potest sequi generatio carnalis *. Spiritualis autem generatio non perficitur nisi per aliquod sacramentum. Et ideo inconveniens est quod spiritualis cognatio contrahatur nisi per aliquod sacramentum.

* Cf. Gloss. in can. *Pervenit*, caus. XXX, qu. i.
* Vers. 15.
* Cf. s. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. vii, § 5.
* Hugut. – Cf. Gloss. super can. *Pervenit*, caus. XXX, qu. i.

Et ideo alii dicunt quod per tria tantum sacramenta spiritualis cognatio contrahitur, scilicet *per catechismum, baptismum et confirmationem.* – Sed isti propriam vocem videntur ignorare: quia catechismus non est sacramentum, sed sacramentale.

Et ideo alii * dicunt quod tantum per duo sacramenta contrahitur, scilicet per confirmationem et baptismum. Et haec opinio est communior. Tamen de catechismo quidam horum * dicunt quod est *debile impedimentum:* quia impedit contrahendum, sed non dirimit matrimonium contractum *.

Ad primum ergo dicendum quod duplex est carnalis nativitas. Prima in utero: in qua adhuc quod natum est est adeo debile quod non possit extra exponi sine periculo. Et huic nativitati similatur regeneratio per baptismum, in quo regeneratur aliquis adhuc quasi fovendus intra uterum Ecclesiae. – Secunda est nativitas ex utero: quando iam id quod natum erat in utero, tantum roboratum est quod potest sine periculo exponi exterioribus, quae nata sunt corrumpere. Et huic assimilatur confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi. – Et ideo congrue per utrumque istorum sacramentorum contrahitur spiritualis cognatio.

Ad secundum dicendum quod per ordinis sacramentum non fit aliqua regeneratio, sed quaedam *promotio potestatis* *. Et propterea mulier non suscipit ordinem. Et sic non potest ex hoc aliquod impedimentum praestari matrimonio. Et ideo talis cognatio non computatur.

Ad tertium dicendum quod in catechismo fit quaedam professio futuri baptismi: sicut in sponsalibus quaedam sponsio futurarum nuptiarum. Unde, sicut in sponsalibus contrahitur quidam modus propinquitatis *, ita et in catechismo, ad minus impediens contrahendum, ut quidam * dicunt. Non tamen in aliis sacramentis.

Ad quartum dicendum quod talis professio fidei non fit in aliis sacramentalibus baptismi sicut in catechismo *. Et ideo non est similis ratio.

Et similiter dicendum ad quintum, de oratione; et ad sextum, de praedicatione.

Ad septimum * dicendum quod Apostolus eos ad fidem instruxerat per modum catechismi. Et sic aliquo modo talis instructio habebat ordinem ad spiritualem generationem *.

Ad octavum * dicendum quod per sacramentum poenitentiae non contrahitur, proprie loquendo, spiritualis cognatio. Unde filius sacerdotis potest contrahere cum illa quam sacerdos in confessione audit: alias filius sacerdotis non inveniret in tota una parochia mulierem cum qua contraheret. – Nec obstat quod per poenitentiam tollitur peccatum actuale. Quia hoc non est per modum regenerationis, sed magis per modum sanationis.

Sed tamen per poenitentiam contrahitur quoddam foedus inter mulierem et sacerdotem confitentem, spirituali cognationi simile: ut tantum peccet eam carnaliter cognoscens ac si esset sua spiritualis filia. Et hoc ideo quia maxima familiaritas est inter sacerdotem et confitentem: et ob hoc ista prohibitio est inducta *, ut tollatur peccandi occasio.

Ad nonum * dicendum quod pater spiritualis dicitur ad similitudinem patris carnalis. Pater autem carnalis, ut Philosophus dicit, in VIII *Ethic.* *, tria dat filio: *esse, nutrimentum et instructionem.* Et ideo spiritualis pater aliquis alicuius dicitur ratione alicuius horum trium. Tamen ex hoc quod est spiritualis pater non habet spiritualem cognationem, nisi conveniat cum patre quantum ad generationem, per quam est esse.

Et sic etiam potest solvi octavum, quod praecessit.

* Cf. qu. lv, art. 4, ad 2.
* B. Albert. IV *Sent.*, dist. xlii, art. 4. – Cf. Gloss. in can. *Pervenit*, caus. XXX, qu. i.
* S. Raym. loc. cit.; s. Bonav. IV *Sent.*, dist. xlii, art. 1, qu. i.
* Cap. *Contracto, de Cognat. Spirit.*
* Cf. qu. xxxiv, art. 2, arg. 4; art. 3, arg. 1.
* Cf. qu. lv, art. 4.
* Cf. corp. art.
* Cf. resp. ad 3.
* Arg. *Sed contra* 1.
* Cf. resp. ad 3.
* Arg. *Sed contra* 2. – Cf. infra resp. ad 9, fin.
* Can. *Omnes quos* et sqq., caus. XXX, qu. i. – Cf. Mag. dist. xlii, cap. *Spirituales filii.*
* Arg. *Sed contra* 3.
* Cap. xi, n. 2; cap. xii, n. 5. – S. Th. lect. xi, xii.

ART. III. UTRUM COGNATIO SPIRITUALIS CONTRAHATUR INTER SUSCIPIENTEM SACRAMENTUM BAPTISMI ET LEVANTEM DE SACRO FONTE

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod cognatio spiritualis non contrahatur inter suscipientem sacramentum baptismi et levantem de sacro fonte. Quia in generatione carnali contrahitur propinquitas solum ex parte eius ex cuius semine generatur proles, non autem ex parte eius qui puerum natum suscipit. Ergo nec spiritualis cognatio contrahitur inter eum qui suscipit de sacro fonte et eum qui suscipitur.

2. Praeterea, ille qui in sacro fonte levat, *anadochus* a Dionysio dicitur *, et ad eius officium spectat puerum instruere. Sed instructio non est sufficiens causa spiritualis cognationis, ut dictum est *. Ergo nulla cognatio contrahitur inter eum et illum qui de sacro fonte levatur.

* *Eccl. Hier.* cap. II, part. I, § 7; cap. VII, § 11.
* Art. praeced., ad 9.

3. Praeterea, potest contingere quod aliquis levet aliquem de sacro fonte antequam ipse sit baptizatus. Sed ex hoc non contrahitur aliqua spiritualis cognatio: quia ille qui non est baptizatus, non est capax alicuius spiritualitatis. Ergo aliquem levare de sacro fonte non sufficit ad spiritualem cognationem contrahendam.

Sed contra est definitio spiritualis cognationis supra * inducta; et auctoritates quae ponuntur in littera *.

* Art. 1, arg. 4.
* Dist. XLII. - Cf. can. *De eo quod interrog.*, caus. XXX, qu. I; can. *Si quis cum matre*, caus. XXXIII, qu. II.

Respondeo dicendum quod, sicut in generatione carnali aliquis nascitur ex matre et patre, ita in generatione spirituali aliquis renascitur filius Dei sicut patris et Ecclesiae sicut matris. Sicut autem ille qui sacramentum confert, gerit personam Dei, cuius instrumentum et minister est; ita ille qui baptizatum suscipit de sacro fonte, aut confirmandum tenet, gerit personam Ecclesiae. Unde ad utrumque spiritualis cognatio contrahitur.

Ad primum ergo dicendum quod non tantum pater, ex cuius semine generatur proles *, habet cognationem carnalem ad natum; sed etiam mater, quae materiam subministrat *, et in cuius utero generatur. Et ita etiam *anadochus*, qui baptizandum vice totius Ecclesiae offert et suscipit, et confirmandum tenet, spiritualem cognationem contrahit.

* Aristot. *de Animal. Generat.* lib. I, cap. XXI, XXII.
* Ibid., capp. XIX, XX.

Ad secundum dicendum quod non ratione instructionis debitae, sed ratione generationis spiritualis, ad quam cooperatur, cognationem spiritualem contrahit.

Ad tertium dicendum quod non-baptizatus non potest aliquem levare de sacro fonte *: cum non sit membrum Ecclesiae, cuius typum gerit in baptismo suscipiens. Quamvis possit baptizare: quia est creatura Dei, cuius typum gerit baptizans. Nec tamen aliquam cognationem spiritualem contrahere potest: quia est expers spiritualis vitae, in quam homo primo per baptismum nascitur.

* Can. *In baptismate*, de Consecr., dist. IV.

ART. IV. UTRUM COGNATIO SPIRITUALIS TRANSEAT A VIRO IN UXOREM

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod cognatio spiritualis non transeat a viro in uxorem. Quia spiritualis unio et corporalis sunt disparatae et diversorum generum. Ergo, mediante carnali coniunctione, quae inter virum et uxorem est, non transitur ad spiritualem cognationem.

2. Praeterea, magis conveniunt in spirituali generatione, quae est causa spiritualis cognationis, pater et mater spiritualis quam vir qui est spiritualis pater et uxor. Sed pater et mater spiritualis nullam ex hoc spiritualem cognationem contrahunt. Ergo nec uxor contrahit aliquam spiritualem cognationem ex hoc quod vir eius fit pater spiritualis alicuius.

3. Praeterea, potest contingere quod vir est baptizatus et uxor non est baptizata: sicut quando unus est ab infidelitate conversus sine alterius coniugis conversione. Sed spiritualis cognatio non potest pervenire ad non-baptizatum *. Ergo non transit semper de viro ad uxorem.

* Art. praeced., ad 3.

4. Praeterea, vir et uxor possunt aliquem simul de fonte levare *. Si ergo spiritualis cognatio a viro transiret in uxorem, sequeretur quod uterque coniugum esset bis pater et mater spiritualis eiusdem. Quod est inconveniens.

* Cf. can. *Quod autem*, caus. XXX, qu. IV.

Sed contra, bona spiritualia magis multiplicabilia sunt quam corporalia. Sed consanguinitas corporalis viri transit ad uxorem per affinitatem. Ergo multo magis spiritualis cognatio.

Respondeo dicendum quod aliquis potest fieri alicuius compater dupliciter. Uno modo, per actum alterius, qui baptizat vel in baptismo suscipit filium eius. Et sic cognatio spiritualis non transit a viro in uxorem *: nisi forte ille sit filius uxoris, quia tunc directe uxor contrahit cognationem spiritualem, sicut et vir.

* Cf. can. *Qui spiritualem*, caus. XXX, qu. IV, et Gloss. ibid.

Alio modo, per actum proprium: sicut cum levat filium alterius de sacro fonte. Et sic cognatio spiritualis transit ad uxorem quam iam carnaliter cognovit *: non autem si nondum sit matrimonium consummatum *, quia nondum effecti sunt *una caro*. Et hoc est per modum cuiusdam affinitatis. Unde etiam, pari ratione, videtur transire ad mulierem quae est carnaliter cognita, quamvis non sit uxor.

* Cap. *Martinus Berthae, de Cognat. Spirit.*
* Cf. Gloss. in can. *Post uxoris obitum*, caus. XXX, qu. IV.

Unde versus: *Quae mihi, vel cuius natum mea fonte levavit: Haec mea commater, fieri mea non valet uxor. Si qua meae natum non ex me fonte levavit: Hanc post fata meae non inde vetabor habere.*

Ad primum ergo dicendum quod ex hoc quod sunt diversorum generum unio corporalis et spiritualis, potest concludi quod una non est altera: non autem quod una non possit esse causa alterius, quia eorum quae sunt in diversis generibus, unum quandoque est causa alterius, vel per se vel per accidens.

Ad secundum dicendum quod pater spiritualis et mater spiritualis eidem non coniunguntur in generatione spirituali nisi per accidens: quia ad hoc unus per se sufficeret. Unde non oportet quod ex hoc aliqua cognatio spiritualis inter eos nascatur, quin possit esse inter eos matrimonium. Unde versus: *Unus semper erit compatrum spiritualis: Alter carnalis, non fallit regula talis.* Sed per matrimonium fit vir et uxor *una caro* per se loquendo. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum quod, si uxor non sit baptizata, non perveniet ad eam spiritualis cognatio propter hoc quod non est capax: non ex hoc quod non possit per matrimonium traduci spiritualis cognatio a viro in uxorem.

Ad quartum dicendum quod, ex quo inter patrem spiritualem et matrem non contrahitur aliqua cognatio spiritualis *, nihil prohibet quin vir et uxor simul aliquem de sacro fonte levarent. Nec est inconveniens quod uxor ex diversis causis efficiatur mater spiritualis eiusdem: sicut etiam potest esse quod est affinis et consanguinea eiusdem per carnalem propinquitatem.

* Cf. resp. ad 2.

ART. V. UTRUM COGNATIO SPIRITUALIS TRANSEAT AD FILIOS CARNALES PATRIS SPIRITUALIS

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod non transeat ad filios carnales patris spiritualis. Quia spirituali cognationi non assignantur gradus. Essent autem gradus si transirent a patre in filium: quia persona generata *mutat gradum*, ut supra * dictum est. Ergo non transit ad filios carnales patris spiritualis.

* Qu. LV, art. 1.

2. Praeterea, pater eodem gradu attinet filio, et frater fratri. Si ergo cognatio spiritualis transit a patre in filium, eadem ratione transibit a fratre in fratrem. Quod falsum est.

Sed contra est quod in littera * probatur per auctoritatem.

* Dist. XLII; capp. *Quod autem*, et *Paschalis*.

Respondeo dicendum quod filius est *aliquid patris*, et non e converso, ut dicitur in VIII *Ethic.* * Et ideo spiritualis cognatio transit a patre in filium, et non e converso.

* Cap. XII, n. 2. - S. Th. lect. XII.

Et sic patet quod sunt tres cognationes spirituales. Una quae dicitur *spiritualis paternitas*, quae est inter patrem spiritualem et filium spiritualem *. Alia quae dicitur *compaternitas*, quae est inter patrem spiritualem et carnalem eiusdem *. Tertia autem dicitur *spiritualis fraternitas*, quae est inter filium spiritualem et filios carnales eiusdem patris *. Et quaelibet harum impedit matrimonium contrahendum et dirimit contractum.

* Art. 2.
* Art. 4.
* Can. *Placitum* et sqq., caus. XXX, qu. III; capp. *Tua nos*, et *Ex litteris*, de Cognat. Spirit.

Ad primum ergo dicendum quod persona addita per carnis propagationem facit gradum respectu illius personae quae eodem genere attinet, non autem respectu eius quae attinet in alio genere: sicut filius attinet in eodem gradu uxori patris in quo et pater, quamvis alio genere attinen-

tiae. Spiritualis autem cognatio est alterius generis quam carnalis. Et ideo non in eodem gradu attinet filius spiritualis filio naturali patris sui spiritualis, in quo attinet ei pater eius, quo mediante cognatio spiritualis transit. Et ita non oportet quod spiritualis cognatio habeat gradum.

Ad secundum dicendum quod frater non est aliquid fratris, sicut filius est *aliquid patris* *. Sed uxor est aliquid viri, cum quo *effecta est unum corpus* *. Et ideo a fratre in fratrem non transit, sive sit ante genitus sive post fraternitatem spiritualem.

* Cf. corp.
* I *ad Cor.*, cap. vi, vers. 16.

QUAESTIO QUINQUAGESIMASEPTIMA

DE COGNATIONE LEGALI, QUAE EST PER ADOPTIONEM

Deinde considerandum est de cognatione legali, quae est per adoptionem *.

* Cf. qu. li, Introd.

Circa quod quaeruntur tria.

Primo: quid sit adoptio.

Secundo: utrum ex ea contrahatur aliquod vinculum impediens matrimonium.

Tertio: inter quas personas contrahatur.

ART. I. UTRUM CONVENIENTER ADOPTIO DEFINIATUR

Ad primum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter adoptio definiatur: *Adoptio est extraneae personae in filium vel nepotem, vel deinceps, legitima assumptio* *. Filius enim debet esse subditus patri. Sed quandoque ille qui adoptatur, non transit in potestatem patris adoptantis. Ergo non semper per adoptionem aliquis *in filium* assumitur.

* S. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. viii, *de Cognat. Legal.*, § 1. - Cf. b. Albert. IV *Sent.*, dist. xlii, art. 7.

2. Praeterea, *parentes debent filiis thesaurizare*, II *Cor.* xii *. Sed pater adoptans non oportet quod semper adoptato thesaurizet: quia quandoque adoptatus non succedit in bonis adoptantis. Ergo adoptio non est assumptio alicuius *in filium.*

* Vers. 14.

3. Praeterea, adoptio, per quam aliquis in filium assumitur, similatur generationi naturali, per quam naturaliter producitur filius. Ergo cui competit naturalis generatio filii, competit adoptio. Sed hoc est falsum: quia ille qui non est *sui iuris* *, et qui est minor viginti quinque annis *, et mulier **, non possunt adoptare; qui tamen possunt filium naturaliter generare. Ergo adoptio non dicitur proprie *assumptio alicuius in filium.*

* Dig. I, vii, *de Adoptionib.* etc., 2; *Instit.* I, xi, *de Adoptionibus*, 1.
* Dig. ibid., 17.
** *Instit* I, xi, *de Adoptionibus*, 10.

4. Praeterea, assumptio extraneae personae in filium videtur esse necessaria ad supplendum defectum naturalium filiorum. Sed ille qui non potest generare, ut spado vel frigidus, maxime patitur defectum in filiis naturalibus. Ergo ei maxime competit assumere aliquem in filium. Sed non competit ei adoptare *. Ergo adoptio non est *assumptio alicuius in filium.*

* S. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. viii, *de Cognat. Legal.*, § 1.

5. Praeterea, in spirituali cognatione, ubi aliquis in filium assumitur sine carnis propagatione, potest indifferenter maior aetate effici pater minoris et e converso: quia iuvenis potest senem baptizare, et e converso. Si ergo per adoptionem aliquis assumitur in filium sine carnis propagatione, similiter posset indifferenter senior iuniorem, vel minor seniorem adoptare. Quod non est verum *. Et sic idem quod prius.

* Dig. I, vii, *de Adoptionib.* etc., 15, 16, 40; Instit. I, xi, *de Adoptionibus*, 4.

6. Praeterea, adoptatus non differt secundum aliquem gradum ab adoptante. Ergo quilibet adoptatus adoptatur in filium. Et sic inconvenienter dicitur quod adoptatur *in nepotem.*

7. Praeterea, adoptio ex dilectione procedit: unde et Deus dicitur nos per caritatem in filios adoptasse *. Sed caritas maior habenda est ad proximos quam ad extraneos. Ergo non debet esse adoptio *extraneae personae*, sed magis propinquae.

* *Ad Rom.* cap. viii, vers. 15; *ad Galat.*, cap. iv, vers. 5; *Ad Ephes.*, cap. i, vers. 5.

Respondeo dicendum quod *ars imitatur naturam* *, et supplet defectum naturae in illis in quibus natura deficit *. Unde, sicut per naturalem generationem aliquis filium producit, ita per ius positivum, quod est *ars boni et aequi* *, potest aliquis alium sibi assumere in filium, ad similitudinem filii naturalis, et ad supplendum filiorum deperditorum defectum, propter quod praecipue adoptio est introducta. Et quia assumptio importat terminum a quo, propter quod assumens non est assumptum *, oportet quod ille qui assumitur in filium, sit persona extranea. Ergo, sicut naturalis generatio habet terminum ad quem, scilicet *formam*, quae est *finis generationis* *; et terminum a quo, scilicet formam contrariam: ita generatio legalis habet terminum ad quem, filium vel nepotem; et terminum a quo, personam extraneam. Et sic patet quod praedicta assignatio comprehendit genus adoptionis, quia dicitur *legitima assumptio;* et terminum a quo, quia dicitur *extraneae personae;* et terminum ad quem, quia dicitur *in filium vel nepotem.*

* Aristot. *Physic.* lib. II, cap. ii, n. 7. - S. Th. lect. iv.
* Ibid. cap. viii, n. 5. - S. Th. lect. xiii.
* Dig. I, i, *de Iustit. et Iure*, 1.
* Cf. III *Sent.*, dist. v, qu. i, art. 1, qu[a] 3.
* Aristot. *Physic.* lib. II, cap. vii, n. 3, 7. - S. Th. lect. xi.

Ad primum ergo dicendum quod filiatio adoptionis est quaedam imitatio filiationis naturalis. Et ideo duplex est adoptionis species. Una quae perfecte naturalem filiationem imitatur: et haec vocatur *adrogatio*, per quam traducitur adoptatus in potestatem adoptantis *. Et sic adoptatus succedit patri adoptanti ex intestato *: nec potest eum pater sine culpa privare quarta parte hereditatis *. Sic autem adoptari non potest nisi ille qui est sui iuris, qui scilicet non habet patrem; aut, si habet, est emancipatus. Et haec adoptio non fit nisi auctoritate principis *.

* Dig. loc. cit., 2.
* Cod. VIII, xlvii, *de Adoptionibus*, 10.
* Ibid., 2.
* *Instit.* I, xi, *de Adoption.*, 1; Dig. I, vii, *de Adopt.* etc., 2.

Alia adoptio est quae imitatur naturalem filiationem imperfecte: quae vocatur simplex *adoptio*, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis *. Unde magis est dispositio quaedam ad perfectam adoptionem quam adoptio perfecta. Et secundum hanc potest adoptari etiam ille qui non est sui iuris; et sine auctoritate principis, ex auctoritate magistratus *. Et sic adoptatus non succedit in bonis adoptantis: nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis suis in testamento dimittere nisi velit *.

* Instit. loc. cit., 2.
* Dig. I, vii, 2; Instit. I, xi, 1.
* Cod., loc. cit., 10.

Et per hoc patet solutio ad secundum.

Ad tertium dicendum quod generatio naturalis ordinatur ad speciem consequendam: et ideo omnibus competit posse naturaliter generare in quibus natura speciei non est impedita. Sed adoptio ordinatur ad hereditatis successionem: et ideo illis solis competit qui habent potestatem disponendi de hereditate sua. Unde qui non est sui iuris, vel est minor vigintiquinque annis, aut mulier, non potest adoptare aliquem, nisi ex speciali concessione principis *.

* Dig. I, vii, *de Adoptionib.* etc., 21.

Ad quartum dicendum quod per eum qui habet impedimentum perpetuum ad generandum, non potest hereditas transire in posterum. Unde ex hoc ipso iam debetur illis qui succedere ei debent iure propinquitatis. Et ideo ei non competit adoptare: sicut nec naturaliter generare. Et praeterea maior est dolor de filiis amissis quam de illis qui nunquam sunt habiti. Et ideo habentes impedimentum generationis non indigent solatio contra carentiam filiorum sicut illi qui habuerunt et amiserunt; vel etiam qui habere potuerunt, sed aliquo impedimento accidentali carent.

Ad quintum dicendum quod spiritualis cognatio contrahitur per sacramentum quo fideles renascuntur in Christo, in quo non differt *masculus et femina, servus et liber* *, iuvenis et senex. Et ideo indifferenter quilibet potest effici pater spiritualis alterius. Sed adoptio fit ad hereditatis successionem, et quandam subiectionem adoptati ad adoptantem. Non autem est conveniens quod antiquior iuveni in cura rei familiaris subdatur. Et ideo minor non potest adoptare seniorem: sed oportet, secundum leges, quod adoptatus sit in tantum adoptante iunior quod posset eius esse filius naturalis *.

* *Ad Galat.*, cap. iii, vers. 28.
* Dig. I, vii, *de Adopt.* etc., 16.

Ad sextum dicendum quod, sicut contingit amitti filios, ita et nepotes. Et ideo, cum adoptio sit inducta in solatium filiorum amissorum, sicut aliquis per adoptionem potest subrogari in locum filii, ita in locum nepotis et deinceps *.

* Dig. ibid., 2, 43; Instit. loc. cit., 1.

Ad septimum dicendum quod propinquus iure propinquitatis debet succedere *. Et ideo non competit ei quod per adoptionem ad successionem deducatur. Et si aliquis propinquus cui non competat successio hereditatis, adoptetur, non adoptatur inquantum est propinquus, sed inquantum est extraneus a iure successionis in bonis adoptantis.

* Dig. XXXVIII, xvi, *de suis et legit. Hered.*

ART. II. UTRUM EX ADOPTIONE CONTRAHATUR ALIQUOD VINCULUM IMPEDIENS MATRIMONIUM

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod ex adoptione non contrahatur aliquod vinculum impediens matrimonium. Quia cura spiritualis est dignior quam cura corporalis. Sed ex hoc quod aliquis curae alicuius subiicitur spiritualiter, non contrahit aliquod propinquitatis vinculum: alias omnes qui habitant in parochia, essent propinqui sacerdotis, et cum filio eius non possent contrahere. Ergo nec adoptio, quae trahit adoptatum in curam adoptantis, hoc facere potest.

2. Praeterea, ex hoc quod aliquis alicui fit beneficus, non contrahitur aliquod propinquitatis vinculum. Sed nihil aliud est adoptio quam collatio cuiusdam beneficii. Ergo ex adoptione non fit aliquod propinquitatis vinculum.

3. Praeterea, pater naturalis principaliter filio providet in tribus, ut Philosophus dicit *: quia scilicet ab ipso habet *esse, nutrimentum et disciplinam*. Hereditatis autem successio est posterius ad ista. Sed per hoc quod aliquis alicui providet in nutrimento et disciplina, non contrahitur aliquod propinquitatis vinculum: alias nutrientes et paedagogi et magistri essent propinqui, quod falsum est. Ergo nec per adoptionem, per quam aliquis succedit in hereditate alterius, contrahitur aliqua propinquitas.

* *Ethic.* lib. VIII, cap. xi, n. 2; cap. xii, n. 5. - S. Th. lect. xii, xiii.

4. Praeterea, sacramenta Ecclesiae non subduntur humanis legibus. Sed matrimonium est sacramentum Ecclesiae. Cum ergo adoptio sit inducta per legem humanam, videtur quod non possit impedire matrimonium aliquod vinculum ex adoptione contractum.

Sed contra, cognatio matrimonium impedit *. Sed ex adoptione quaedam cognatio causatur, scilicet legalis, ut patet per eius definitionem: est enim legalis cognatio *quaedam proximitas proveniens ex adoptione* *. Ergo adoptio causat vinculum per quod matrimonium impeditur.

* Cf. qu. l, art. unic.

* Cf. s. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. viii, *de Cognat. Legal.*, § 1; b. Albert. IV *Sent.*, dist. xlii, art. 13.

2. Praeterea, hoc idem habetur ex auctoritatibus in littera * positis.

* Dist. xlii, cap. *Quod autem.*

Respondeo dicendum quod lex divina illas praecipue personas a matrimonio exclusit quas necesse erat cohabitare: ne, ut Rabbi Moyses dicit *, si ad eas liceret carnalis copula, facilis pateret concupiscentiae locus, ad quam reprimendam matrimonium est ordinatum. Et quia filius adoptatus conversatur in domo patris adoptantis sicut filius naturalis, ideo legibus humanis prohibitum est inter tales matrimonium contrahi *. Et talis prohibitio est per Ecclesiam approbata *: et inde habetur quod legalis cognatio matrimonium impediat.

* *Doct. Perplex.* lib. III, cap. xlix.

* Dig. I, vii, *de Adoption.* etc., 23; XXIII, ii, *de Ritu Nupt.*, 14.

* Cap. *Si qua*, *de Cognat. Legal.*; can. *Ita diligere*, caus. XXX, qu. iii.

Et per hoc patet solutio ad prima tria: quia per omnia illa non inducitur talis cohabitatio quae possit fomentum concupiscentiae praestare. Et ideo ex eis non causatur propinquitas quae matrimonium impediat.

Ad quartum dicendum quod prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum matrimonii nisi interveniret Ecclesiae auctoritas, quae idem etiam interdicit *.

* Cf. corp. art.

ART. III. UTRUM TALIS COGNATIO NON CONTRAHATUR NISI INTER PATREM ADOPTANTEM ET FILIUM ADOPTATUM

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod talis cognatio non contrahatur nisi inter patrem adoptantem et filium adoptatum. Maxime enim videretur quod deberet contrahi inter patrem adoptantem et matrem naturalem adoptati: sicut accidit in cognatione spirituali *. Sed inter tales nulla est cognatio legalis. Ergo nec inter alias personas praeter adoptantem et adoptatum.

* Qu. lvi, art. 4.

2. Praeterea, cognatio impediens matrimonium est perpetuum impedimentum. Sed inter filium adoptatum et filiam naturalem adoptantis non est perpetuum impedimentum: quia, soluta adoptione per mortem adoptantis vel emancipationem adoptati, potest contrahere cum ea *. Ergo cum ea non habuit aliquam propinquitatem quae matrimonium impediret.

* Can. *Per adoptionem*, caus. XXX, qu. iii; Dig. XXIII, ii, *de Ritu Nupt.*, 17; Instit. I, x, *de Nupt.*, 2.

3. Praeterea, cognatio spiritualis in nullam personam transit quae non possit ad aliquod sacramentum tenere vel suscipere: unde in non-baptizatum non transit *. Sed mulier non potest adoptare, ut ex dictis * patet. Ergo cognatio legalis non transit a viro in uxorem.

* Qu. lvi, art. 3, ad 3.

* Art. 1, arg. 3.

4. Praeterea, cognatio spiritualis est fortior quam legalis. Sed spiritualis non transit in nepotem. Ergo nec legalis.

Sed contra, plus concordat cognatio legalis cum carnis coniunctione vel propagatione quam spiritualis. Sed spiritualis transit in alteram personam *. Ergo et legalis.

* Qu. lvi, art. 3, 4.

2. Praeterea, ad hoc sunt auctoritates quae in littera * ponuntur.

* Dist. xlii, cap. *Quod autem.*

Respondeo dicendum quod triplex est legalis cognatio. Prima, quasi descendentium: quae contrahitur inter patrem adoptantem et filium adoptatum, et filium filii adoptivi, et nepotem, et sic deinceps *. – Secunda quae est inter filium adoptivum et filium naturalem *. – Tertia per modum cuiusdam affinitatis: quae est inter patrem adoptantem et uxorem filii adoptivi, vel e converso inter filium adoptatum et uxorem patris adoptantis *.

* Instit I, x, *de Nupt.*

* Can. *Ita diligere*, caus. XXX, qu. iii; Dig. XXIII, ii, *de Ritu Nupt.*, 17.

* Dig. XXIII, ii, *de Ritu Nupt.*, 14.

Prima ergo cognatio et tertia perpetuo matrimonium impediunt. Secunda autem non nisi quandiu manet in potestate patris adoptantis. Unde, mortuo patre vel filio emancipato, potest contrahi inter eos matrimonium.

Ad primum ergo dicendum quod per generationem spiritualem non trahitur filius extra potestatem patris, sicut fit per adoptionem. Et sic filius spiritualis remanet filius utriusque simul, non autem filius adoptivus. Et ideo non contrahitur aliqua propinquitas inter patrem adoptantem et matrem vel patrem naturalem: sicut erat in cognatione spirituali.

Ad secundum dicendum quod cognatio legalis impedit matrimonium propter cohabitationem *. Et ideo, quando solvitur necessitas cohabitationis, non est inconveniens si praedictum vinculum non maneat: sicut quando fuerit extra potestatem eiusdem patris. Sed pater adoptans et uxor eius semper quandam auctoritatem retinent super filium adoptatum et uxorem eius. Et propter hoc manet vinculum inter eos.

* Cf. art. praeced.

Ad tertium dicendum quod etiam mulier, ex concessione principis, adoptare potest *. Unde et in ipsam transit cognatio legalis. – Et praeterea, non est causa quare cognatio spiritualis non transit in non-baptizatum quia non potest tenere ad sacramentum: sed quia non est alicuius spiritualitatis capax.

* Dig. I, vii, *de Adoption.* etc., 21; Instit. I, xi, *de Adoption.*, 10.

Ad quartum dicendum quod per generationem spiritualem filius non ponitur in potestate et cura alterius patris spiritualis, sicut in cognatione legali. Oportet enim quod quidquid est in potestate filii, transeat in potestatem patris adoptantis. Unde, adoptato patre, adoptantur filii et nepotes qui sunt in potestate adoptati *.

* Dig. ibid., 2, 15.

QUAESTIO QUINQUAGESIMAOCTAVA

DE IMPEDIMENTIS FRIGIDITATIS, MALEFICII, FURIAE VEL AMENTIAE, INCESTUS, ET DEFECTUS AETATIS

Deinde considerandum est de quinque impedimentis matrimonii simul: scilicet de impedimento frigiditatis, maleficii, furiae vel amentiae, incestus, et defectus aetatis *. Et circa hoc quaeruntur quinque.

* Cf. qu. li, Introd.

Primo: utrum frigiditas matrimonium impediat.
Secundo: utrum maleficium.
Tertio: utrum furia vel amentia.
Quarto: utrum incestus.
Quinto: utrum defectus aetatis.

ART. I. UTRUM FRIGIDITAS MATRIMONIUM IMPEDIAT

Supra, qu. lii, art. 1, ad 4; IV *Sent.*, dist. xxxvi, art. 1; *Quodl.* XI, qu. x, art. 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod frigiditas matrimonium contrahendum non impediat. Copula enim carnalis non est de essentia matrimonii: quia perfectiora sunt matrimonia pari voto continentium. Sed frigiditas nihil tollit de matrimonio nisi carnalem copulam. Ergo non est impedimentum dirimens matrimonium contractum.

2. Praeterea, sicut nimia frigiditas impedit carnalem copulam, ita nimia caliditas, quae hominem exsiccat. Sed caliditas non ponitur matrimonii impedimentum. Ergo nec frigiditas debet poni.

3. Praeterea, omnes senes sunt frigidi. Sed senes possunt matrimonium contrahere. Ergo frigiditas non impedit matrimonium.

4. Praeterea, si scit mulier virum esse frigidum quando cum eo contrahit, verum est matrimonium *. Ergo frigiditas, quantum est de se, matrimonium non impedit.

* Cf. cap. *Consultationi, de Frigid. et Malefic.*

5. Praeterea, contingit in aliquo esse siccitatem sufficienter moventem ad carnalem copulam cum aliqua corrupta, non autem cum aliqua virgine: quia cito calidum evaporat, ratione suae debilitatis, ut ad corrumpendum virginem non sufficiat. Et similiter est in aliquo sufficiens caliditas ad pulcram, quae magis concupiscentiam inflammat, quae non sufficienter movet ad turpem. Ergo videtur quod frigiditas, etsi impediat respectu unius, non tamen impedit simpliciter.

6. Praeterea, mulier est universaliter frigidior viro *. Sed mulieres non impediuntur a matrimonio. Ergo nec viri frigidi.

* Aristot., *de Animal. Generat.* lib. IV, cap. 1.

Sed contra est quod dicitur Extra, *de Frigidis et Malefic.* *: *Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio, sic qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur.* Tales autem sunt frigidi. Ergo, etc.

* Cap. *Quod sedem.*

2. Praeterea, nullus potest se obligare ad impossibile *. Sed in matrimonio homo se obligat ad carnalem copulam: quia ad hoc dat alteri sui corporis potestatem. Ergo frigidus, qui non potest carnaliter copulari, non potest matrimonium contrahere.

* Cf. Dig. L, xvii, *de Divers. Reg. Iur. Antiqui*, 185.

Respondeo dicendum quod in matrimonio est contractus quidam quo unus alteri obligatur ad debitum carnale solvendum. Unde, sicut in aliis contractibus non est conveniens obligatio si aliquis se obliget ad hoc quod non potest dare vel facere, ita non est conveniens matrimonio contractus si fiat ab aliquo qui debitum carnale solvere non possit. Et hoc impedimentum vocatur *impotentia coeundi,* nomine generali.

Quae quidem potest esse vel ex causa intrinseca et naturali; vel ex causa extrinseca accidentali, sicut per maleficium, de qua post * dicetur. – Si autem sit ex causa naturali, hoc potest esse dupliciter. Quia vel est temporalis, cui potest subveniri beneficio medicinae vel processu aetatis: et tunc non solvit matrimonium. Vel est perpetua. Et tunc solvit matrimonium *: ita quod ille ex parte cuius allegatur impedimentum, perpetuo maneat absque spe coniugii, alius *nubat cui vult in Domino* *.

* Art. seq.

* Cap. *Ex litteris, de Frigid. et Malefic.*

* I *ad Cor.*, cap. vii, vers. 39.

Ad hoc autem cognoscendum, utrum sit impedimentum perpetuum vel non, Ecclesia tempus determinatum adhibuit in quo huius rei posset esse experimentum, scilicet triennium *: ita quod si, post triennium, in quo fideliter ex utraque parte dederunt operam copulae carnali implendae, inveniatur matrimonium non esse consummatum, iudicio Ecclesiae dissolvitur *.

* Cap. *Laudabilem, de Frigid. et Malefic.*

* Ibid.

Et tamen in hoc quandoque Ecclesia errat: quia per triennium quandoque non sufficienter experiri potest perpetuitas impotentiae. Unde, si Ecclesia se deceptam inveniat, per hoc quod ille in quo erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum alia vel cum eadem perfecisse, reintegrat matrimonium praecedens, et dirimit secundum, quamvis de eius licentia sit factum *.

* Ibid.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, tamen potentia ad hoc est de eius essentia: quia per matrimonium datur utrique coniugum potestas in corpore alterius respectu carnalis copulae.

Ad secundum dicendum quod caliditas superflua vix potest esse impedimentum perpetuum. Si tamen inveniretur quod per triennium impediret carnalem copulam, iudicaretur perpetuum. Tamen, quia frigiditas magis et frequentius impedit (tollit enim non solum commixtionem seminum, sed etiam vigorem membrorum, quo fit coniunctio corporum), ideo frigiditas magis hic ponitur impedimentum quam caliditas: cum omnis defectus naturalis ad frigiditatem reducatur.

Ad tertium dicendum quod senes, quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam. Et ideo conceditur eis matrimonium secundum quod est in remedium: quamvis non competat eis secundum quod est in officium naturae.

Ad quartum dicendum quod in quolibet contractu hoc universaliter tenetur, quod ille qui est impotens ad solvendum aliquid, non reputatur idoneus ad contractum illum quo se obligat ad eius solutionem. Tamen potest impotens esse tripliciter. Uno modo, quia non potest solvere de iure. Et sic talis impotentia omnibus modis facit contractum esse nullum: sive sciat ille cum quo facit talis contractum hanc impotentiam, sive non. – Alio modo, quia non sit solvendo de facto. Et tunc, si sciat ille cum quo contrahit hanc impotentiam et nihilominus contrahit, ostenditur quod alium finem ex contractu quaerit: et ideo contractus stat. Si autem nescit, tunc contractus nullus est.

Et ideo frigiditas, quae causat talem impotentiam ut homo non possit de facto solvere debitum; et conditio servitutis *, per quam non potest homo de facto libere reddere; impediunt matrimonium quando alter coniugum ignorat hoc, quod alius non potest reddere debitum. Impedimentum autem per quod quis non potest de iure reddere debitum, ut consanguinitas, annullat contractum matrimonium sive sciat alter coniugum sive non. Et propter hoc Magister ponit * quod haec duo faciunt personas *non omnino illegitimas.*

* Cf. qu. lii.

* Dist. xxxiv, cap. 1.

Ad quintum dicendum quod non potest esse perpetuum impedimentum naturale viro respectu unius personae et non respectu alterius. Sed, si non possit implere carnalem actum cum virgine et possit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento posset claustra pudoris frangere et ei coniungi. Nec esset hoc contra matrimonium: quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum.

Abominatio autem mulieris non est causa naturalis, sed causa accidentalis extrinseca. Et ideo de ea idem est iudicium quod de maleficio, de quo post * dicetur.

* Art. seq.

Ad sextum dicendum quod mas est agens in generatione, sed femina est patiens *. Et ideo maior caliditas requiritur in viro ad opus generationis quam in muliere. Unde frigiditas, quae facit virum impotentem, non faceret mulierem impotentem. Sed in muliere potest esse impedimentum naturale ex alia causa, scilicet arctatione. Et tunc idem est iudicium de arctatione mulieris et de frigiditate viri.

* Aristot. *de Animal. Generat.* lib. I, cap. xx, xxi.

ART. II. utrum maleficium possit matrimonium impedire

Quodl. XI, qu. ix, art. 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod maleficium non possit matrimonium impedire. Huiusmodi enim maleficia fiunt operatione daemonum. Sed daemones non habent potestatem ad impediendum matrimonii actum magis quam alios corporales actus: quos impedire non possunt, quia sic totum mundum perverterent, si comestionem et gressum et alia huiusmodi impedirent. Ergo per maleficia non potest impediri matrimonium.

2. Praeterea, opus Dei est fortius quam opus diaboli. Sed maleficium est opus diaboli. Ergo non potest impedire matrimonium, quod est opus Dei.

3. Praeterea, nullum impedimentum dirimit contractum matrimonium nisi sit perpetuum. Sed maleficium non potest esse impedimentum perpetuum: quia, cum diabolus non habeat potestatem nisi super peccatores, expulso peccato tolletur maleficium; vel etiam per aliud maleficium; vel per exorcismos Ecclesiae, qui sunt ordinati ad reprimendam vim daemonum. Ergo maleficium non potest impedire matrimonium.

4. Praeterea, carnalis copula non potest impediri nisi impediatur potentia generandi, quae est principium eius. Sed unius viri generativa potentia se habet ad omnes mulieres quasi aequaliter. Ergo per maleficium non potest esse impedimentum respectu unius nisi sit respectu omnium.

Sed contra est quod dicitur in Decretis, XXXIII, qu. 1 *: *Si per sortiarias vel maleficas,* et infra *: *Si sanari non poterunt, separari valebunt.*

* Can. 4.

* Ibid.

2. Praeterea, potestas daemonum est maior quam potestas hominis: *Iob* xli *, *Non est potestas super terram,* etc.

* Vers. 24.

Sed opere humano potest aliquis fieri impotens ad carnalem copulam per aliquam potionem vel castraturam, et ex hoc matrimonium impediri. Ergo multo fortius virtute daemonis hoc fieri potest.

Respondeo dicendum quod quidam dixerunt quod maleficium nihil erat in mundo nisi in aestimatione hominum, qui effectus naturales quorum causae sunt occultae, maleficiis imputabant. – Sed hoc est contra auctoritates Sanctorum, qui dicunt quod daemones habent potestatem supra corpora et supra imaginationem hominum, quando a Deo permittuntur *. Unde per eos malefici aliqua signa facere possunt.

* Cf. Aug. *de Gen. ad litt.* lib. XI, cap. xxviii; *de Trin.* lib. III, cap. vii.

Procedit autem haec opinio ex radice infidelitatis sive incredulitatis. Quia non credunt esse daemones nisi in aestimatione vulgi tantum: ut terrores quos sibi facit homo, ex sua aestimatione imputet daemoni; et quia etiam ex imaginatione vehementi aliquae figurae apparent in sensu tales quales homo cogitat, et tunc creduntur daemones videri. – Sed haec vera fides repudiat: per quam angelos de caelo cecidisse et daemones esse * credimus, et ex subtilitate suae naturae multa posse quae nos non possumus *. Et illi qui eos ad faciendum talia inducunt, *malefici* vocantur.

Et ideo alii * dixerunt quod per maleficia praestari potest impedimentum carnali copulae, sed nullum tale est perpetuum: unde non dirimit matrimonium contractum. Et dicunt iura quae hoc dicebant, esse revocata. – Sed hoc est contra experimentum. Et contra nova iura *, quae antiquis * concordant.

Et ideo distinguendum est. Quia impotentia coeundi ex maleficio aut est perpetua: et tunc matrimonium dirimit. Aut non est perpetua: et tunc non dirimit. Et ad hoc experiendum eodem modo Ecclesia tempus praefixit, triennium scilicet, sicut et de frigiditate dictum est *.

* Luc. cap. x, vers. 17 sqq.: cap, xi, vers. 14 sqq.; *Apoc.* cap. xii, vers. 7 sqq; cap. *Firmiter, de Summ. Trin.*
* Cf. Part. I, qu. cxiv, art. 4.
* Autissio. *Summ. Aur.* lib. IV, *de Imped. Matrim.*, cap. *de Impot. coeundi;* Gloss. in cap. *Fraternitatis, de Frigid. et Malefic.*
* Cap. *Litterae, de Frigid. et Malefic.* - Cf. Gloss. ibid.
* Citatis in ead. Glossa.
* Art. praeced.

Tamen haec est differentia inter maleficium et frigiditatem: quia qui est impotens ex frigiditate, sicut est impotens ad unam, ita est ad aliam; et ideo, quando matrimonium dirimitur, non datur licentia ei ut alteri coniungatur. Sed ex maleficio homo potest esse impotens ad unam et non ad aliam: et ideo, quando iudicio Ecclesiae matrimonium dirimitur, utrique datur licentia ut alteram copulam quaerat.

Ad primum ergo dicendum quod, quia corruptio peccati prima, per quam homo factus est servus diaboli, in nos per actum generativae devenit, ideo maleficii potestas permittitur diabolo a Deo in hoc actu magis quam in aliis: sicut in serpentibus magis ostenditur virtus maleficiorum, ut dicitur *, quam in aliis animalibus, quia per serpentem diabolus mulierem tentavit *.

* S. Aug. *de Gen. ad litt.* lib. XI, cap. xxviii.
* *Gen.* cap. iii.

Ad secundum dicendum quod opus Dei potest opere diaboli impediri divina permissione: non quod diabolus sit Deo fortior, ut per violentiam opera eius destruat.

Ad tertium dicendum quod maleficium est ita perpetuum quod non potest habere remedium humano opere: quamvis Deus possit remedium praestare, daemonem cogendo; vel etiam daemon desistendo. Non enim semper oportet ut id quod per maleficium factum est, possit per aliud maleficium destrui: ut ipsi malefici confitentur. Et tamen, si posset per maleficium remedium adhiberi, nihilominus perpetuum reputaretur: quia nullo modo debet aliquis daemonis auxilium per maleficium invocare.

Similiter non oportet quod, si propter peccatum aliquod diabolo data est potestas in aliquem, quod, cessante peccato, cesset potestas. Quia poena interdum remanet culpa transeunte.

Similiter etiam exorcismi Ecclesiae non valent ad reprimendum daemones semper, quantum ad omnes molestias corporales, iudicio divino hoc exigente. Semper tamen valent contra illas infestationes daemonum contra quas principaliter instituta sunt.

Ad quartum dicendum quod maleficium quandoque potest praestare ad omnes impedimentum, quandoque ad unam tantum: quia diabolus voluntaria causa est, non ex necessitate naturae agens. Et praeterea impedimentum maleficii potest esse ex impressione daemonis in imaginatione hominis, ex qua tollitur viro concupiscentia movens ad talem mulierem, et non ad aliam.

ART. III. utrum furia impediat matrimonium

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod furia non impediat matrimonium. Matrimonium enim spirituale, quod in baptismo contrahitur, dignius est quam carnale. Sed furiosi possunt baptizari *. Ergo et matrimonium contrahere.

* Cf. Part. III, qu. lxviii, art. 12.

2. Praeterea, frigiditas impedit matrimonium inquantum impedit carnalem copulam. Quae non impeditur per furiam. Ergo nec matrimonium.

3. Praeterea, matrimonium non dirimitur nisi per aliquod impedimentum perpetuum. Sed de furia non potest sciri quod sit impedimentum perpetuum. Ergo non dirimit matrimonium.

4. Praeterea, in versibus supradictis * sufficienter continentur impedimenta dirimentia matrimonium. Sed ibi non fit mentio de furia. Ergo, etc.

* Qu. l.

Sed contra, plus tollit usum rationis furia quam error. Sed error impedit matrimonium *. Ergo et furia.

* Qu. li.

2. Praeterea, furiosi non sunt idonei ad aliquem contractum faciendum. Sed matrimonium est contractus quidam. Ergo, etc.

Respondeo dicendum quod furia aut praecedit matrimonium, aut sequitur. Si sequitur, nullo modo dirimit matrimonium. Si autem praecedit, tunc aut furiosus habet lucida intervalla, aut non. Si habet, tunc, quamvis dum est in illo intervallo non sit tutum quod matrimonium contrahat, quia nescit prolem educare; tamen, si contrahit, est matrimonium. Si autem non habet, vel si quando non habet contrahit, tunc, quia non potest esse consensus ubi deest rationis usus, non erit verum matrimonium *.

* Can. *Neque furiosus*, caus. XXXII, qu. vii. - Cf. Gloss. ibid.

Ad primum ergo dicendum quod usus rationis non exigitur ad baptismum quasi causa ipsius, sicut exigitur ad matrimonium. Et ideo non est similis ratio. – Tamen de baptismo furiosorum dictum est supra *.

* IV *Sent.*, dist. iv, qu. iii, art. 1, qu[a] 3; dist. vi, qu. 1, art. 2, qu[a] 3, ad 2.

Ad secundum dicendum quod furia impedit matrimonium ratione suae causae, quae est consensus, quamvis non ratione actus, ut frigiditas. Sed tamen simul cum frigiditate Magister determinat *, quia utrumque est quidam naturae defectus.

* Dist. xxxiv.

Ad tertium dicendum quod momentaneum impedimentum quod causam matrimonii, scilicet consensum, impedit, matrimonium totaliter tollit. Sed impedimentum quod impedit actum, oportet esse perpetuum ad hoc quod matrimonium tollat.

Ad quartum dicendum quod hoc impedimentum reducitur ad errorem: quia utrobique est defectus consensus ex parte rationis.

ART. IV. utrum incestus quo quis cognoscit sororem uxoris suae, matrimonium dirimat

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod incestus quo quis cognoscit sororem uxoris suae, matrimonium non dirimat. Quia mulier non debet puniri pro peccato viri. Sed puniretur si matrimonium solveretur. Ergo, etc.

2. Praeterea, plus peccat qui propriam consanguineam cognoscit quam qui cognoscit consanguineam uxoris. Sed primum peccatum non impedit matrimonium. Ergo nec secundum.

3. Praeterea, si in poenam peccati hoc infligitur, videtur etiam si, mortua uxore, cum alia contrahat incestuosus, quod separari debeant. Quod non est verum *.

* Cap. *Transmissae, de eo qui cognovit* etc.

4. Praeterea, hoc etiam impedimentum non connumeratur inter alia supra * enumerata. Ergo non dirimit contractum matrimonium.

* Qu. l.

Sed contra est, quia per hoc quod cognoscit sororem uxoris, contrahitur affinitas ad uxorem. Sed affinitas dirimit matrimonium contractum *. Ergo et incestus praedictus.

* Cf. qu. lv, art. 6.

2. Praeterea, *in quo quis peccat, in hoc punitur* *. Sed talis peccavit contra matrimonium. Ergo debet puniri quod matrimonio privetur.

* *Sap.* cap. xi, vers. 17.

Respondeo dicendum quod, si aliquis cognoscit sororem aut aliam consanguineam uxoris suae ante matrimonium contractum, etiam post sponsalia, oportet matrimonium separari ratione affinitatis contractae.

Si autem post matrimonium contractum et consummatum, non debet totaliter matrimonium separari: sed vir amittit ius petendi debitum, nec potest sine peccato petere. Sed tamen debet reddere petenti *: quia uxor non debet puniri de peccato viri.

Sed post mortem uxoris debet omnino manere *absque spe coniugii* *: nisi cum eo dispensetur, propter fragilitatem suam, cui timetur de illicito coitu. Si tamen praeter dispensationem contrahat, peccat contra statuta Ecclesiae faciens *, non tamen matrimonium propter hoc separandum est *.

Et per hoc patet solutio ad obiecta. Quia incestus ponitur matrimonii impedimentum non tam ratione culpae, quam ratione affinitatis quam causat. Et ideo etiam non connumeratur aliis impedimentis, sed impedimento affinitatis includitur.

* Cap. *Si quis cum filiastra*, et cap. *Transmissae, de eo qui cognovit* etc.
* Ibid., cap. *Transmissae*.
* Cf. Gloss. in can *Qui dormierit*, caus. XXVII, qu. II, et caus. XXXII, qu. VII.
* Cap. *Transmissae* citat. supra.

ART. V. UTRUM DEFECTUS AETATIS IMPEDIAT MATRIMONIUM

Supra, qu. XLIII, art. 2; IV *Sent.*, dist. XXV, qu. II, art. 1, qu^a^ 2.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod defectus aetatis non impediat matrimonium. Secundum enim leges * pueri accipiunt tutorem usque ad vigesimum quintum annum. Ergo videtur quod usque ad tempus illud non sit confortata ratio ad consensum. Et ita videtur quod illud debeat esse tempus statutum ad matrimonia ineunda. Sed ante tempus illud matrimonium potest contrahi. Ergo defectus statutae aetatis non impedit matrimonium.

2. Praeterea, sicut vinculum religionis est perpetuum, ita et vinculum matrimonii. Sed ante decimum quartum annum non possunt facere professionem, secundum novam constitutionem *. Ergo nec matrimonium contrahere, si defectus aetatis matrimonium impediret.

3. Praeterea, sicut consensus ad matrimonium requiritur ex parte viri, ita ex parte uxoris. Sed mulier ante decimum quartum annum potest contrahere matrimonium *. Ergo et vir.

4. Praeterea, impotentia coeundi, nisi sit perpetua et ignorata, non impedit matrimonium *. Sed defectus aetatis non est perpetuus nec ignoratus. Ergo non impedit matrimonium.

5. Praeterea, non continetur in aliquo praedictorum impedimentorum *. Et ita non videtur esse matrimonii impedimentum.

Sed contra, decretalis * dicit quod *puer qui non potest reddere debitum, non est aptus matrimonio*. Sed ante decimum quartum annum, ut in pluribus, non potest reddere debitum, ut in IX *Animalium* * dicitur. Ergo, etc.

2. Praeterea, *omnium natura constantium positus est terminus magnitudinis et augmenti* *. Et ita videtur, cum matrimonium sit naturale, quod debeat habere determinatum tempus, per cuius defectum impediatur.

Respondeo dicendum quod matrimonium, cum fiat per modum contractus cuiusdam, ordinationi legis positivae subiacet, sicut et alii contractus. Unde secundum iura * determinatum est quod, ante illud tempus discretionis quo uterque possit sufficienter de matrimonio deliberare et debitum sibi invicem reddere, matrimonia non contrahantur: et, si non ita facta fuerint, dirimuntur *. Hoc autem tempus, ut in pluribus, est in masculis in quarto decimo anno, in femina autem in duodecimo anno: cuius ratio supra, dist. XXVII *, dicta est.

Quia tamen praecepta iuris positivi sequuntur id quod in pluribus est *, si aliquis ad perfectionem debitam ante tempus praedictum perveniat, ita quod vigor naturae et rationis *defectum aetatis suppleat* *, matrimonium non dissolvitur. Et ideo, si contrahentes ante annos pubertatis, ante tempus praedictum carnaliter fuerint copulati, nihilominus matrimonium stat indissolubile.

Ad primum ergo dicendum quod in illis ad quae natura inclinat, non exigitur tantus vigor rationis ad deliberandum sicut in aliis. Et ideo ante potest sufficienter deliberans in matrimonium consentire quam possit in contractibus aliis res suas sine tutore pertractare *.

Et similiter est dicendum ad secundum. Quia votum religionis est eorum quae sunt supra inclinationem naturae, quae maiorem difficultatem habent quam matrimonium.

Ad tertium dicendum quod mulier citius ad tempus pubertatis pervenit quam vir, ut dicitur in IX *de Animalibus* *. Et ideo non est simile de utroque.

Ad quartum dicendum quod ex parte ista non solum est impedimentum propter impotentiam coeundi, sed propter defectum rationis, quae adhuc non sufficit ad consensum illum rite faciendum qui perpetuo durare debet.

Ad quintum dicendum quod, sicut impedimentum quod est ex furia, reducitur ad impedimentum erroris *, ita etiam impedimentum quod est ex defectu aetatis: quia homo nondum habet plenum usum liberi arbitrii.

* Dig. IV, IV, *de Minoribus viginti quinque annis*, 3.
* Cap. *Is qui, de Reg. et Transeunt.* etc., in Sexto. - Cf. cap. *Ad nostram*, et cap. *Significatum est nobis*, eod. tit. in Decretal. Greg. IX.
* Cf. corp.
* Cf. art. 1.
* Qu. L.
* *Quod sedem, de Frigid. et Malefic.*
* Didot. *de Animal. Histor.* lib. VII, cap. 1, n. 1.
* Aristot. *de Anima* lib. II, cap. IV, n. 8. - S. Th. lect. VIII.
* Cap. *De illis qui in minori*, et cap. *Attestationes, de Despons. Impub.*; Cod. V, IV, *de Nupt.*, 24.
* Cf. cap. *Ex litteris, de Despons. Impub.*
* Qu. II, art. 2.
* Cf. I^am^ II^ae^, qu. XCVI, art. 1, ad 3.
* Cap. *De illis qui in minori, de Despons. Impub.*
* Cf. qu. XLIII, art. 2.
* Didot. *de Animal. Generat.* lib. IV, cap. VI.
* Cf. art. 3, ad 4.

QUAESTIO QUINQUAGESIMANONA

DE DISPARITATE CULTUS QUAE MATRIMONIUM IMPEDIAT

Deinde considerandum est de disparitate cultus, quae matrimonium impedit *.

Circa quod quaeruntur sex.

Primo: utrum fidelis possit contrahere matrimonium cum infideli.

Secundo: utrum inter infideles sit matrimonium.

Tertio: utrum coniux conversus ad fidem possit commanere cum infideli nolente converti.

Quarto: utrum possit uxorem infidelem relinquere.

Quinto: utrum, ea dimissa, possit aliam ducere.

Sexto: utrum propter alia peccata vir possit dimittere uxorem, sicut propter infidelitatem.

* Cf. qu. LI, Introd.

ART. I. UTRUM FIDELIS POSSIT MATRIMONIUM CUM INFIDELI CONTRAHERE

I *ad Cor.*, cap. VII, lect. II.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod fidelis possit matrimonium cum infideli contrahere. Quia Ioseph contraxit cum Aegyptia *, et Esther cum Assuero **. In utroque autem matrimonio fuit disparitas cultus: quia alter erat fidelis et alter infidelis. Ergo disparitas cultus praecedens matrimonium ipsum non impedit.

2. Praeterea, eadem est fides quam docet vetus et nova lex. Sed secundum veterem legem poterat esse matrimonium inter fidelem et infidelem, ut patet *Deut.* XXI *: *Si, egressus ad pugnam, videris mulierem pulcram in medio captivorum et adamaveris eam, introeas ad eam dormiens cum ea, et erit tibi uxor*. Ergo et in nova lege licet.

3. Praeterea, sponsalia ad matrimonium ordinantur. Sed inter fidelem et infidelem possunt in aliquo casu contrahi sponsalia, cum conditione futurae conversionis *. Ergo, sub eadem conditione, matrimonium potest contrahi inter eos.

4. Praeterea, omne impedimentum matrimonii est aliquo modo contra matrimonium. Sed infidelitas non est contraria matrimonio: quia matrimonium est in officium naturae, cuius dictamen fides excedit. Ergo disparitas fidei non impedit matrimonium.

5. Praeterea, disparitas fidei etiam quandoque est inter duos baptizatos: sicut quando aliquis post baptismum in haeresim labitur. Et si talis cum aliqua fideli contrahat, nihilominus est verum matrimonium. Ergo disparitas cultus matrimonium non impedit.

Sed contra est quod dicitur II *Cor.* VI *: *Quae conventio lucis ad tenebras?* Sed maxima conventio est inter virum et uxorem. Ergo ille qui est in luce fidei, non potest contrahere matrimonium cum illa quae est in tenebris infidelitatis.

2. Praeterea, Malach. II * dicitur: *Contaminavit Iudas sanctificationem Domini, quoniam dilexit et habuit filiam dei alieni*. Sed hoc non esset si inter eos posset verum matrimonium contrahi. Ergo disparitas cultus matrimonium impedit.

Respondeo dicendum quod principalius matrimonii bonum est proles ad cultum Dei educanda. Cum autem educatio fiat communiter inter patrem et matrem, uterque secundum fidem intendit ad cultum Dei prolem educare.

* *Gen.* cap. XLI, vers. 45.
** *Esther* cap. II, vers. 16, 17.
* Vers. 10 sqq.
* Can. *Non oportet*, caus. XXVIII, qu. I.
* Vers. 14.
* Vers. 11.

Et ideo, si sint diversae fidei, intentio unius alterius intentioni contraria erit. Et ita non potest inter eos esse conveniens matrimonium. Et propter hoc disparitas cultus praecedens impedit ipsum, ne contrahi possit.

Ad primum ergo dicendum quod in veteri lege de aliquibus infidelibus erat permissum quod cum eis possent inire coniugia, et de aliquibus prohibitum. Specialiter quidem prohibitum erat de infidelibus habitantibus in terra Chanaan *: tum quia Dominus praeceperat eos occidi **, propter eorum obstinationem; tum quia maius periculum imminebat ne coniuges aut filios ad idololatriam perverterent, quia filii Israel ad ritus et mores eorum proniores erant propter conversationem cum eis. Sed de aliis gentibus permisit: praecipue quia non poterat esse timor pertrahendi ad idololatriam. Et sic Ioseph et Moyses * et Esther cum infidelibus matrimonia contraxerunt.

* *Exod.* cap. xxxiv. vers. 16; *Deut.* cap. vii, vers. 3. ** *Deut.* cap. vii, vers. 2.
* *Exod.* cap. ii, vers. 21; *Num.* cap xii, vers. 1.

Sed in nova lege, quae per totum orbem diffunditur, similis ratio prohibendi est de omnibus infidelibus. Et ideo disparitas cultus praecedens matrimonium impedit contrahendum et dirimit contractum.

Ad secundum dicendum quod lex illa vel loquitur de aliis nationibus cum quibus licite poterant inire coniugia: vel loquitur quando illa captiva ad fidem et cultum Dei converti volebat *.

* Cf. Iam IIae, qu. cv, art. 4, ad 6.

Ad tertium dicendum quod eadem est habitudo praesentis ad praesens et futuri ad futurum. Unde sicut, quando matrimonium in praesenti contrahitur, requiritur unitas cultus in utroque contrahentium; ita ad sponsalia, quibus fit sponsio futuri matrimonii, sufficit conditio apposita de futura unitate cultus.

Ad quartum dicendum quod iam ex dictis * patet quod disparitas cultus contraria est matrimonio ratione principalioris boni ipsius, quod est bonum prolis.

* In corpore.

Ad quintum dicendum quod matrimonium est sacramentum: et ideo, quantum pertinet ad necessitatem sacramenti, requirit paritatem quantum ad sacramentum fidei, scilicet baptismum, magis quam quantum ad interiorem fidem. Unde etiam hoc impedimentum non dicitur disparitas *fidei,* sed disparitas *cultus,* qui respicit exterius servitium, ut in III libro * dictum est. Et propter hoc, si aliquis fidelis cum haeretica baptizata matrimonium contrahat, verum est matrimonium. Quamvis peccet contrahendo, si scit eam haereticam: sicut peccaret si cum excommunicata contraheret. Non tamen propter hoc matrimonium dirimeretur. Et e converso, si aliquis catechumenus, habens rectam fidem sed nondum baptizatus, cum aliqua fideli baptizata contraheret, non esset verum matrimonium.

* Dist. ix, qu. 1, art. 1, qla 1.

ART. II. utrum inter infideles possit esse matrimonium

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod inter infideles non possit esse matrimonium. Matrimonium enim est sacramentum Ecclesiae *. Sed baptismus est *ianua sacramentorum* *. Ergo infideles, qui non sunt baptizati, matrimonium contrahere non possunt, sicut nec alia sacramenta suscipere.

* Qu. xlii, art. 1.
* Dist. XXXII, can. *Praeter*, part. iii, Gloss. in fine.

2. Praeterea, duo mala sunt magis impeditiva boni quam unum. Sed infidelitas unius tantum impedit bonum matrimonii *. Ergo multo fortius infidelitas utriusque. Et ita inter infideles non potest esse matrimonium.

* Art. praeced.

3. Praeterea, sicut inter infideles et fideles est disparitas cultus, ita interdum inter duos infideles: ut si unus sit gentilis et alter Iudaeus. Sed disparitas cultus impedit matrimonium, ut dictum est *. Ergo ad minus inter infideles qui habent cultum disparem, non potest esse verum matrimonium.

* Ibid.

4. Praeterea, in matrimonio est vera pudicitia. Sed, sicut dicit Augustinus *, et habetur XXVIII, qu. 1 **, *non est vera pudicitia infidelis cum uxore sua.* Ergo nec verum matrimonium.

* *De Adulterin. Coniug.* lib. I, cap. xviii. ** Can. *Sic enim.*

5. Praeterea, matrimonium verum excusat carnalem copulam a peccato *. Sed hoc non potest facere matrimonium inter infideles contractum: quia *omnis vita infidelium peccatum est,* ut dicit glossa * *Rom.* xiv **. Ergo inter infideles non est verum matrimonium.

* Qu. xlix, art. 4.
* Lomb. et Ord. sine nom. ex Prospero. ** Vers. 23.

Sed contra est quod dicitur I *Cor.* vii *: *Si quis frater uxorem habeat infidelem* etc. Sed uxor non dicitur nisi propter matrimonium. Ergo matrimonium quod est inter infideles, est verum matrimonium.

* Vers. 12.

2. Praeterea, remoto posteriori, non removetur prius. Sed matrimonium pertinet ad officium naturae: quae praecedit statum gratiae, cuius principium est fides. Ergo infidelitas non facit quin sit inter infideles matrimonium.

Respondeo dicendum quod matrimonium principaliter est institutum ad bonum prolis non tantum generandae, quia hoc sine matrimonio fieri posset, sed etiam promovendae ad perfectum statum: quia quaelibet res intendit effectum suum naturaliter perducere ad perfectum statum. Est autem in prole duplex perfectio consideranda: scilicet perfectio naturae, non solum quantum ad corpus sed etiam quantum ad animam, per ea quae sunt in lege naturae; et perfectio gratiae. Et prima perfectio est materialis et imperfecta respectu secundae. Et ideo, cum res quae sunt propter finem, sint proportionatae fini, matrimonium quod tendit in primam perfectionem, est imperfectum et materiale respectu illius quod tendit in perfectionem secundam. Et quia prima perfectio communis esse potest infidelibus et fidelibus, secunda autem est tantum fidelium, ideo inter infideles est quidem matrimonium, sed non perfectum ultima perfectione, sicut est inter fideles.

Ad primum ergo dicendum quod matrimonium non tantum est institutum in sacramentum, sed in officium naturae *. Et ideo, quamvis infidelibus non competat matrimonium secundum quod est sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiae consistens, competit tamen eis inquantum est in officium naturae. – Et tamen etiam matrimonium tale est aliquo modo sacramentum habitualiter: quamvis non actualiter, eo quod actu non contrahunt in fide Ecclesiae *.

* Qu. xlii, art. 2.
* Cf. cap. *Gaudemus, de Divortiis.*

Ad secundum dicendum quod disparitas cultus non impedit matrimonium ratione infidelitatis, sed ratione disparitatis in fide. Disparitas enim cultus non solum secundam perfectionem prolis impedit, sed etiam primam *, dum parentes ad diversa prolem trahere intendunt. Quod non est quando uterque est infidelis.

* Cf. corp.

Ad tertium dicendum quod inter infideles est matrimonium prout matrimonium est in officium naturae *. Ea autem quae pertinent ad legem naturae, sunt determinabilia per ius positivum. Et ideo, si prohibentur ab aliquo iure positivo apud eos infideles contrahere matrimonium cum infidelibus alterius ritus, disparitas cultus impedit matrimonium inter eos. Ex iure enim divino non prohibentur: quia apud Deum non differt qualitercumque aliquis a fide deviet, quantum ad hoc quod est a gratia alienum esse. Similiter nec aliquo Ecclesiae statuto: quae non habet *de his quae foris sunt iudicare* *.

* Cf. resp. ad 1.
* I *ad Cor.*, cap. v, vers. 12.

Ad quartum dicendum quod pudicitiae et aliae virtutes infidelium dicuntur non esse verae, quia non possunt attingere finem verae virtutis, qui est vera felicitas: sicut dicitur non esse verum vinum quod non habet effectum vini *.

* Cf. IIam IIae, qu. xxiii, art. 7.

Ad quintum dicendum quod infidelis cognoscens uxorem suam non peccat, si propter bonum prolis, aut fidei qua tenetur uxori, debitum reddat: cum hoc sit actus iustitiae et temperantiae, quae in delectabilibus tactus debitas circumstantias servat; sicut non peccat faciens alios actus politicarum virtutum. Nec dicitur *omnis vita infidelium peccatum* quia quolibet actu peccent: sed quia per id quod agunt a servitute peccati non possunt liberari *.

* Cf. IIam IIae, qu. x, art. 4.

ART. III. utrum coniux conversus ad fidem possit commanere cum uxore infideli nolente converti, cum qua in infidelitate contraxerat

I *ad Cor.*, cap. vii, lect. ii.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod coniux conversus ad fidem non possit commanere cum uxore infideli nolente converti, cum qua in infidelitate contraxerat. Ubi enim est idem periculum, debet eadem cautela adhiberi. Sed propter periculum subversionis fidei prohibetur ne fidelis cum infideli contrahat. Cum ergo pericu-

lum sit si fidelis commaneat cum infideli cum qua prius contraxerat; et adhuc maius, quia neophyti facilius pervertuntur quam illi qui sunt nutriti in fide: videtur quod fidelis post conversionem non possit commanere cum uxore infideli.

2. Praeterea, XXVIII, qu. i *, dicitur: *Non potest infidelis in eius coniunctione permanere quae iam in Christianam translata est fidem.* Ergo fidelis habet necesse uxorem infidelem dimittere.

* Can. *Iudaei.*

3. Praeterea, matrimonium quod inter fideles contrahitur, est perfectius quam illud quod contrahitur inter infideles *. Sed si fideles contrahant in gradu prohibito, ab Ecclesia dissolvitur eorum matrimonium. Ergo et infidelium. Et ita vir fidelis non potest commanere cum uxore infideli, ad minus quando cum ea in infidelitate contraxit in gradu prohibito.

* Cf. art. praeced.

4. Praeterea, aliquis infidelis habet quandoque plures uxores, secundum ritum suae legis. Si ergo potest commanere cum illis cum quibus in infidelitate contraxit, videtur quod possit etiam post conversionem plures uxores retinere.

5. Praeterea, potest contingere quod, repudiata una uxore, aliam duxerit, et in illo matrimonio existens convertatur. Videtur ergo quod, saltem in hoc casu, non possit cum uxore quam de novo habet, commanere.

Sed contra est quod Apostolus, I *Cor.* vii *, consulit quod commaneant.

* Vers. 12.

2. Praeterea, nullum impedimentum superveniens vero matrimonio tollit ipsum. Sed matrimonium erat verum quando uterque infidelis erat. Ergo, quando alter convertitur, non dirimitur per hoc matrimonium. Et ita videtur quod possit licite commanere.

Respondeo dicendum quod fides eius qui est in matrimonio, non solvit, sed perficit matrimonium. Unde, cum inter infideles sit verum matrimonium, ut ex dictis * patet, per hoc quod alter eorum convertitur ad fidem, non ex hoc ipso vinculum matrimonii solvitur. Sed aliquando, vinculo matrimonii manente, solvitur matrimonium quantum ad cohabitationem et debiti solutionem. In quo pari passu currunt infidelitas et adulterium: quia utrumque est contra bonum prolis. Unde, sicut se habet in potestate dimittendi adulteram vel commanendi cum ea, ita se habet in potestate dimittendi infidelem vel commanendi cum ea *. Potest enim vir innocens libere manere cum adultera spe correctionis (non autem si in adulterii peccato fuerit obstinata, ne videatur *patronus turpitudinis* *); quamvis, etiam cum spe correctionis, possit eam libere dimittere. Similiter fidelis conversus potest cum infideli manere cum spe conversionis, si eam in infidelitate obstinatam non viderit: et bene facit commanendo, tametsi non tenetur. Et de hoc est consilium Apostoli *.

* Art. praeced.
* Cf. can. *Idololatria*, caus. XXVIII, qu. i.
* *Op. Imp. in Matth.*, homil. XXXII (inter Op. Chrys.) - Cf. can. *Sicut crudelis*, caus. XXXII, qu. i.
* Vid. arg. *Sed contra* i. - Cf. can. *Iam nunc*, et can. *Sic enim*, caus. XXVIII, qu. i; cap. *Gaudemus*, *de Divort.*

Ad primum ergo dicendum quod facilius impeditur aliquid fiendum, quam destruatur quod rite factum est. Et ideo multa sunt quae impediunt matrimonium contrahendum si praecedant, quae tamen ipsum non possunt dissolvere si sequantur: sicut de affinitate patet *. Et similiter dicendum est de disparitate cultus.

* Qu. lv, art. 6; IV *Sent.*, dist. xxxiv, art. 5.

Ad secundum dicendum quod in primitiva Ecclesia, tempore Apostolorum, passim convertebantur ad fidem et Iudaei et gentiles. Et ideo tunc vir fidelis poterat habere probabilem spem de uxoris conversione, etiam si conversionem non promitteret. Postmodum autem, tempore procedente, Iudaei sunt magis obstinati quam gentiles: quia gentiles adhuc intrabant ad fidem, sicut tempore martyrum et temporibus Constantini Imperatoris et circa tempora illa. Et ideo tunc non erat tutum fideli cum uxore infideli Iudaea cohabitare, nec erat spes de conversione eius, sicut erat de conversione uxoris gentilis. Et ideo tunc fidelis conversus poterat cohabitare cum gentili, sed non cum Iudaea, nisi conversionem promitteret. Et secundum hoc loquitur decretum illud. Sed nunc pari passu ambulant utrique, scilicet gentiles et Iudaei: quia utrique obstinati sunt. Et ideo, nisi uxor infidelis converti velit, non permittetur ei cohabitare, sive sit gentilis sive Iudaea.

Ad tertium dicendum quod infideles non baptizati non sunt adstricti statutis Ecclesiae *, sed sunt adstricti statutis iuris divini. Et ideo, si contraxerunt aliqui infideles in gradibus prohibitis secundum legem divinam, *Levit.* xviii *, sive uterque sive alter ad fidem convertatur, non possunt in tali matrimonio commanere. Si autem contraxerunt in gradibus prohibitis per statutum Ecclesiae, possunt commanere *, si uterque convertatur, vel si, uno converso, sit spes de conversione alterius.

* Cap. *Gaudemus, de Divort.*
* Vers. 6 sqq.
* Cap. *Gaudemus, de Divort.*

Ad quartum dicendum quod habere plures uxores est contra legem naturae, cui etiam infideles sunt adstricti. Et ideo non est verum matrimonium infidelis nisi cum illa cum qua primo contraxit. Unde, si ipse cum omnibus suis uxoribus convertatur, potest cum prima commanere, et alias debet abiicere *. – Si autem prima converti noluerit, et aliqua aliarum convertatur, idem ius habet contrahendi cum illa de novo quod cum alia habet: de quo post * dicetur.

* Ibid.
* Art. 5.

Ad quintum dicendum quod repudium uxoris est contra legem naturae. Unde infideli non licet uxorem repudiare. Et ideo, si convertatur postquam, una repudiata, alteram duxerit, idem iudicium est de hoc et de illo qui plures uxores habebat: quia tenetur primam, quam repudiaverat, accipere, si converti voluerit, et aliam abiicere *.

* Cap. *Gaudemus, de Divort.*

ART. IV. utrum fidelis conversus possit uxorem infidelem dimittere volentem cohabitare sine contumelia creatoris

Art. seq.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod fidelis conversus non possit uxorem infidelem dimittere volentem cohabitare *sine contumelia Creatoris* *. Maius enim est vinculum viri ad mulierem quam servi ad dominum. Sed servus conversus non absolvitur a servitutis vinculo: ut patet I *Cor.* vii * et I *Tim.* vi **. Ergo et vir non potest uxorem infidelem dimittere.

* Cf. cap. *Gaudemus, de Divort.*
* Vers. 21.
** Vers. 1 sqq.

2. Praeterea, nullus potest alteri praeiudicium facere sine consensu ipsius. Sed uxor infidelis habebat ius in corpore viri infidelis. Si ergo per hoc quod vir ad fidem convertitur, mulier praeiudicium pati posset, ut libere dimitteretur, non posset vir converti ad fidem sine consensu uxoris: sicut nec potest ordinari, nec vovere continentiam, sine consensu uxoris.

3. Praeterea, si aliquis contrahat cum ancilla scienter, sive sit servus sive liber, non propter diversam conditionem potest ipsam dimittere *. Cum ergo vir, quando contraxit cum infideli, sciverit eam esse infidelem, videtur a simili quod non possit eam dimittere propter infidelitatem.

* Cf. qu. lii, art. 1.

4. Praeterea, pater tenetur ex debito procurare salutem prolis. Sed si discederet ab infideli uxore, filii communes matri remanerent, quia *partus sequitur ventrem* *: et sic essent in periculo salutis. Ergo non potest uxorem infidelem licite dimittere.

* Cod. III, xxxii, *de Rei Vindic.*, 7.

5. Praeterea, adulter non potest adulteram dimittere, etiam postquam de adulterio poenitentiam egit. Ergo, si sit idem iudicium de adultero et infideli *, nec infidelis infidelem, etiam postquam ad fidem est conversus.

* Cf. can. *Idololatria*, caus. XXVIII, qu. i, Cf. art. praec.

Sed contra est quod Apostolus dicit, I *Cor.* vii *.

* Vers. 15.

2. Praeterea, adulterium spirituale est gravius quam carnale. Sed propter carnale adulterium vir potest relinquere uxorem quantum ad cohabitationem. Ergo multo fortius propter infidelitatem, quae est adulterium spirituale.

Respondeo dicendum quod homini secundum aliam et aliam vitam diversa competunt et expediunt. Et ideo qui moritur priori vitae, non tenetur ad illa ad quae in priori vita tenebatur. Et inde est quod ille qui, in vita saeculari existens, aliqua vovit, non tenetur illa, quando mundo moritur vitam religiosam assumens, perficere. Ille autem qui ad baptismum accedit, regeneratur in Christo et priori vitae moritur *: cum *generatio unius sit corruptio alterius* *. Et ideo liberatur ab obligatione qua uxori tenebatur reddere debitum, et ei cohabitare non tenetur, quando converti non vult. Quamvis in aliquo casu libere id possit facere, sicut dictum est *: sicut et religiosus potest libere perficere vota quae fecit in saeculo, si non sunt contra religionem suam, quamvis ad ea non teneatur, ut dictum est.

* Cf. *Ad Rom.*, cap. vi, vers. 4.
* Aristot. *Physic.* lib. III, cap. viii, n. 1. - S. Th. lect. xiii.
* Art. praeced.

Ad primum ergo dicendum quod servire non est aliquid incompetens Christianae religionis perfectioni, quae maxime humilitatem profitetur. Sed obligatio matrimonii aliquid derogat perfectioni vitae Christianae, cuius summum statum continentes possident. Et ideo non est simile de utroque.

Et praeterea unus coniugum non obligatur alteri quasi possessio eius, sicut domino servus, sed per modum societatis cuiusdam: quae non congrue est fidelis ad infidelem, ut patet II *Cor.* vi *. Et ideo non est simile de servo et coniuge.

* Vers. 14 sqq.

Ad secundum dicendum quod uxor non habebat ius in corpore viri nisi quandiu in vita illa manebat in qua contraxerant: quia etiam, *mortuo viro, uxor soluta est a lege viri,* ut patet *Rom.* vii *. Et ideo si, postquam vir mutat vitam moriens priori vitae, ab ea discedat, nullum fit ei praeiudicium.

* Vers. 2.

Transiens autem ad religionem moritur tantum spirituali morte, non autem corporali. Et ideo, si matrimonium sit consummatum, non potest vir sine consensu uxoris ad religionem transire. Potest autem ante carnalem copulam, quando est tantum copula spiritualis. Sed ille qui ad baptismum accedit, corporaliter etiam *consepelitur Christo in mortem* *. Et ideo a debito reddendo absolvitur, etiam post matrimonium consummatum.

* *Ad Rom.*, cap. vi, vers. 4.

Vel dicendum quod ex culpa sua uxor praeiudicium patitur, quae converti contemnit.

Ad tertium dicendum quod disparitas cultus facit personam simpliciter illegitimam: non autem conditio servitutis, sed solum quando ignorata est *. Et ideo non est similis ratio de infideli et ancilla.

* Cf. loc. cit. in arg.

Ad quartum dicendum quod proles aut pervenit ad perfectam aetatem: et tunc poterit libere sequi patrem fidelem vel matrem infidelem. Vel est in minori aetate constitutus. Et tunc debet dari fideli, non obstante quod indiget matris obsequio ad educationem *.

* Cap. *Ex litteris, de Convers. Infidel.*

Ad quintum dicendum quod adulter per poenitentiam non transit ad aliam vitam, sicut infidelis per baptismum. Et ideo non est similis ratio.

ART. V. Utrum fidelis discedens ab uxore infideli possit aliam ducere in uxorem

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod fidelis discedens ab uxore infideli non possit aliam ducere in uxorem. Quia indissolubilitas est de ratione matrimonii: cum repudium uxoris sit contra legem naturae *. Sed inter infideles erat verum matrimonium. Ergo nullo modo potest illud matrimonium solvi. Sed, manente vinculo matrimonii ad unam, non potest aliquis cum alia contrahere. Ergo fidelis discedens non potest cum alia contrahere.

* Cf. qu. lxvii, art. 1.

2. Praeterea, crimen superveniens matrimonio non solvit matrimonium. Sed, si mulier velit cohabitare sine contumelia Creatoris, non est solutum vinculum matrimonii: quia vir non potest aliam ducere. Ergo peccatum uxoris quae non vult cohabitare sine contumelia Creatoris, non solvit matrimonium, ut libere possit vir aliam uxorem ducere.

3. Praeterea, vir et uxor sunt pares in vinculo matrimonii *. Cum ergo uxori infideli non liceat, vivente viro, alium virum ducere, videtur quod nec fideli liceat.

* Cap. *Gaudemus, de Divort.*

4. Praeterea, favorabilius est continentiae votum quam matrimonii contractus. Sed viro fideli uxoris infidelis non licet, ut videtur, votum continentiae emittere: quia tunc uxor fraudaretur matrimonio si postmodum converteretur. Ergo multo minus licet ei matrimonium contrahere cum alia.

5. Praeterea, filius qui remanet in infidelitate patre converso, amittit ius paternae hereditatis: et tamen, si postea convertitur, redditur ei hereditas sua, etiam si alius in possessionem eius intravit. Ergo videtur a simili quod, si uxor infidelis post convertatur, quod sit sibi reddendus vir suus, etiam si cum alia contraxerit. Quod non posset esse si secundum matrimonium verum esset. Ergo non potest contrahere cum alia.

Sed contra, matrimonium non est ratum sine sacramento baptismi *. Sed quod non est ratum, potest dissolvi. Ergo matrimonium in infidelitate contractum potest dissolvi. Et ita, soluto matrimoniali vinculo, licet viro aliam ducere in uxorem.

* Cf. cap. *Quanto te novimus, de Divort.*

2. Praeterea, vir non debet cohabitare uxori infideli nolenti cohabitare sine contumelia Creatoris. Si ergo non liceret ei aliam ducere, cogeretur continentiam servare. Quod videtur inconveniens: quia sic ex conversione sua incommodum reportaret.

Respondeo dicendum quod, quando alter coniugum ad fidem convertitur, altero in infidelitate manente, distinguendum est. Quia si infidelis vult cohabitare *sine contumelia Creatoris,* idest, sine hoc quod ad infidelitatem inducat, potest fidelis libere discedere, sed discedens non potest alteri nubere. Si autem infidelis non velit cohabitare sine contumelia Creatoris, in verba blasphemiae prorumpens et nomen Christi audire nolens, tunc, si ad infidelitatem pertrahere nitatur, vir fidelis discedens potest alteri per matrimonium copulari *.

* Can. *Si infidel.*, caus. XXVIII, qu. ii; cap. *Quanto te magis*, et cap. *Gaudemus, de Divort.*

Ad primum ergo dicendum quod matrimonium infidelium est imperfectum *: sed matrimonium fidelium est perfectum, et ita est firmius. Semper autem firmius vinculum solvit minus firmum, si sit ei contrarium. Et ideo matrimonium quod post in fide Christi contrahitur, solvit matrimonium quod prius in infidelitate contractum fuerat. Unde matrimonium infidelium non est omnino firmum et ratum, sed ratificatur postmodum per fidem Christi.

* Cf. art. 2.

Ad secundum dicendum quod crimen uxoris nolentis cohabitare sine contumelia Creatoris, absolvit virum a servitute qua tenebatur uxori ut non posset ea vivente aliam ducere, sed nondum solvit matrimonium: quia, si blasphema illa converteretur antequam ille aliud matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus *. Sed solvitur per matrimonium sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis nisi solutus a servitute uxoris per culpam eius.

* Cap. *Gaudemus, de Divort.*

Ad tertium dicendum quod, postquam fidelis contraxit, solutum est vinculum matrimonii ex utraque parte: quia matrimonium non claudicat quantum ad vinculum. Sed quandoque claudicat quantum ad effectum *. Unde in poenam uxoris infidelis ei indicitur quod non possit cum alio contrahere, magis quam virtute matrimonii praecedentis. Sed, si postea convertatur, potest ei concedi dispensative ut alteri nubat, si vir eius aliam uxorem duxit.

* Gloss. in can. *Si infidelis*, caus. XXVIII, qu. ii.

Ad quartum dicendum quod, si post conversionem viri sit aliqua probabilis spes de conversione uxoris, non debet votum continentiae vir emittere, nec ad aliud matrimonium transire: quia difficilius converteretur uxor viro suo sciens se privatam esse. Si autem non sit spes de conversione, potest ad sacros ordines vel ad religionem accedere, prius requisita uxore quod convertatur *. Et tunc si, postquam vir sacros ordines suscepit, uxor convertatur, non est sibi vir suus reddendus: sed debet imputare sibi in poenam tardae conversionis quod viro suo privatur.

* Opin. Hugut. - Cf. Postillat. S. Raymun. *Summ.* lib. IV, tit. x, *de Dispari cultu.*

Ad quintum dicendum quod vinculum paternitatis non solvitur per disparem cultum, sicut vinculum matrimonii. Et ideo non est simile de hereditate et uxore.

ART. VI. Utrum alia vitia solvant matrimonium sicut et infidelitas

IV *Sent.*, dist. xxxv, art. 1, ad 3.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod alia vitia solvant matrimonium sicut et infidelitas. Adulterium enim videtur esse directius contra matrimonium quam infidelitas. Sed infidelitas solvit matrimonium in aliquo casu, ut liceat ad aliud matrimonium transire *. Ergo et adulterium idem facit.

* Art. praeced.

2. Praeterea, sicut infidelitas est fornicatio spiritualis *, ita et quodlibet peccatum. Si ergo propter hoc infidelitas matrimonium solvit quia est fornicatio spiritualis, pari ratione quodlibet peccatum matrimonium solvet.

* Cf. can. *Idololatria*, caus. XXVIII, qu. i.

3. Praeterea, Matth. xviii * dicitur: *Si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam et proiice abs te:* et dicit Glossa * quod *in manu et dextro oculo possunt accipi fratres, uxor, propinqui et filii.* Sed per quodlibet peccatum efficiuntur nobis impedimento. Ergo propter quodlibet peccatum potest matrimonium dissolvi.

* Cap. v, vers. 30. - Cf. cap. xviii, vers. 8.
* Hieron. *Comment. in Matth.* lib. I, ad cap. v, vers. 29, 30.

4. Praeterea, avaritia idololatria est, ut dicitur *Ephes.* v *. Sed propter idololatriam potest mulier dimitti. Ergo, pari ratione, propter avaritiam. Et ita propter alia peccata quae sunt maiora quam avaritia.

* Vers. 5.

5. Praeterea, Magister hoc expresse dicit in littera *.

* Dist. xxxix, cap. *Si autem quaeris.*

Sed contra est quod dicitur Matth. v *: *Qui dimiserit uxorem, excepta causa fornicationis, moechatur.*

* Vers. 32. - Cf. Luc. cap. xvi, vers. 18.

2. Praeterea, secundum hoc tota die fierent divortia: cum raro inveniatur matrimonium in quo alter coniugum in peccatum non labatur.

Respondeo dicendum quod fornicatio corporalis et infidelitas specialem habent contrarietatem ad bona matrimonii, ut ex dictis * patere potest. Unde specialem habent vim separandi matrimonia. Sed tamen intelligendum est quod matrimonium dupliciter solvitur. Uno modo, quantum ad vinculum. Et sic non potest solvi, postquam matrimonium est ratificatum, neque per infidelitatem neque per adulterium. Sed si non est ratificatum, solvitur vinculum, permanente infidelitate in altero coniugum, si alter conversus ad fidem ad aliud coniugium transeat. Non autem solvitur vinculum praedictum per adulterium: alias infidelis libere posset dare libellum repudii uxori adulterae, et, ea dimissa, aliam ducere; quod falsum est.

* Art. 1, 3. - Cf. qu. lxii, art. 1, ad 3.

Alio modo solvitur matrimonium quantum ad actum. Et sic solvi potest tam per infidelitatem quam per fornicationem corporalem *. Sed propter alia peccata non potest solvi matrimonium etiam quantum ad actum: nisi forte ad tempus se velit vir subtrahere a consortio uxoris ad castigationem eius, subtrahendo ei praesentiae suae solatium.

* Cf. qu. lxii, art. 1, ad 3.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis adulterium magis directe opponatur matrimonio inquantum est in officium naturae, quam infidelitas; tamen e converso est inquantum matrimonium est sacramentum Ecclesiae, ex quo habet perfectam firmitatem, inquantum significat indivisibilem coniunctionem Christi et Ecclesiae *. Et ideo matrimonium quod non est ratum, magis potest solvi quantum ad vinculum per infidelitatem quam per adulterium.

* *Ad Ephes.*, cap. v, vers. 32.

Ad secundum dicendum quod coniunctio prima animae ad Deum est per fidem. Et ideo per eam anima quasi desponsatur Deo: ut patet Osee ii *, *Sponsabo te mihi in fide.* Unde in sacra Scriptura specialiter per fornicationem idololatria et infidelitas designantur. Sed alia peccata magis remota significatione dicuntur spirituales fornicationes.

* Vers. 20.

Ad tertium dicendum quod hoc intelligendum est quando mulier praestat magnam occasionem ruinae viro suo, ut vir probabiliter sibi de periculo timeat. Tunc enim vir potest se subtrahere ab eius conversatione, ut dictum est *.

* In corpore.

Ad quartum dicendum quod avaritia dicitur idololatria per quandam similitudinem servitutis: quia tam avarus quam idololatra *potius servit creaturae quam Creatori* *. Non autem per similitudinem infidelitatis: quia corruptio infidelitatis est in intellectu, sed avaritiae in affectu.

* *Ad Rom.*, cap. i, vers. 25.

Ad quintum dicendum quod verba Magistri sunt accipienda de sponsalibus: quia propter crimen superveniens sponsalia solvi possunt.

Vel, si loquitur de matrimonio, intelligendum est de separatione a communi conversatione ad tempus, ut dictum est *. Vel quando uxor non vult cohabitare nisi sub conditione peccandi, ut cum dicit, *Non ero uxor tua nisi mihi de latrocinio divitias congreges:* tunc enim potius eam debet dimittere quam latrocinia exercere.

* In corpore.

QUAESTIO SEXAGESIMA

DE UXORICIDIO

Deinde considerandum est de uxoricidio *.
Circa quod quaeruntur duo.
Primo: utrum in aliquo casu liceat uxorem occidere.
Secundo: utrum uxoricidium matrimonium impediat.

* Cf. qu. li, Introd.

ART. I. UTRUM LICEAT VIRO UXOREM INTERFICERE IN ACTU ADULTERII DEPREHENSAM

Ad primum sic proceditur. Videtur quod liceat viro uxorem interficere in actu adulterii deprehensam. Lex enim divina praecipit adulteras lapidari *. Sed ille qui legem divinam exequitur, non peccat. Ergo nec occidens propriam uxorem, si sit adultera.

* Ioan. cap. viii, vers. 5. - Cf. *Levit.* cap. xx, vers. 10; *Deut.* cap. xxii, vers. 22.

2. Praeterea, illud quod licet legi, licet ei cui lex hoc committit. Sed legi licet interficere adulteram, aut quamlibet personam ream mortis. Cum ergo lex * commiserit viro interfectionem uxoris in actu adulterii deprehensae, videtur quod ei liceat.

* Dig. XLVIII, v, *de Adulteriis coercendis*, 21 (20) sqq.; Cod. IX, ix, *de Adulterio et de Stupro*, 4.

3. Praeterea, vir habet potestatem maiorem super uxorem adulteram quam super eum qui cum ea adulterium commisit. Sed si vir percutiat clericum quem cum propria uxore invenit, non est excommunicatus *. Ergo videtur quod etiam liceat interficere propriam uxorem in adulterio deprehensam.

* Cap. *Si vero alicuius*, *de Sent. Excomm.*

4. Praeterea, vir tenetur uxorem suam corrigere. Sed correctio fit per inflictionem iustae poenae. Cum ergo iusta poena adulterii sit mors, quia est capitale crimen *, videtur quod liceat viro uxorem adulteram occidere.

* Instit. IV, xviii, *de Publicis Iudiciis*, 4.

Sed contra, in littera * dicitur quod *Ecclesia Dei, quae nunquam constringitur legibus mundanis, gladium non habet nisi spiritualem.* Ergo videtur quod ei qui vult esse de Ecclesia, non sit licitus usus legis illius quae uxoricidium permittit.

* Dist. xxxvii, cap. *His adiiciendum.* - Cf. can. *Inter haec*, caus. XXXIII, qu. ii.

2. Praeterea, vir et uxor ad paria iudicantur *. Sed uxori non licet interficere virum in adulterio deprehensum. Ergo nec viro uxorem.

* Can. *Si quis uxorem*, caus. XXXII, qu. i. - Cf. ibidem can. *Apud nos* qu. v.

Respondeo dicendum quod virum interficere uxorem contingit dupliciter. Uno modo, per iudicium civile. Et sic non est dubium quod sine peccato potest vir, zelo iustitiae, non livore vindictae aut odii motus, uxorem adulteram in iudicio saeculari accusare criminaliter de adulterio, et poenam mortis a lege statutam petere: sicut etiam licet aliquem accusare de homicidio aut de alio crimine. Non tamen talis accusatio potest fieri in iudicio ecclesiastico: quia Ecclesia non habet gladium materialem, ut in littera * dicitur.

* Loc. cit. in arg. *Sed cont.* 1.

Alio modo potest eam per seipsum occidere, non in iudicio convictam. Et sic extra actum adulterii eam interficere, quantumcumque sciat eam adulteram, neque secundum leges civiles neque secundum legem conscientiae licet. – Sed lex civilis quasi licitum computat quod in ipso actu eam interficiat *, non quasi praecipiens, sed quasi poenam homicidii non infligens, propter maximum incitamentum quod habet vir in tali facto ad occisionem uxoris. Sed Ecclesia in hoc non est adstricta legibus humanis, ut iudicet eum sine reatu poenae aeternae, vel poenae ecclesiastico iudicio infligendae, ex hoc quod est sine reatu poenae infligendae per iudicium seculare. Et ideo in nullo casu licet viro occidere uxorem propria auctoritate.

* Cf. loc. cit. in arg. 2.

Ad primum ergo dicendum quod poenam illam infligendam lex non commisit personis privatis, sed personis publicis, quae habent officium ad hoc deputatum. Vir autem non est iudex uxoris. Et ideo non potest eam interficere, sed coram iudice accusare.

Ad secundum dicendum quod lex civilis non commisit viro occisionem uxoris quasi praecipiens: quia sic non peccaret, sicut nec peccat minister iudicis latronem occidens condemnatum ad mortem. Sed permisit, poenam non adhibens. Unde etiam difficultates quasdam apposuit, quibus retraherentur viri ab uxoricidio *.

* Cf. loc. cit. in arg.

Ad tertium dicendum quod ex hoc non probatur quod sit licitum simpliciter: sed quantum ad immunitatem ab aliqua poena; quia etiam excommunicatio quaedam poena est.

Ad quartium dicendum quod duplex est congregatio: quaedam oeconomica, sicut familia aliqua; et quaedam politica, sicut civitas et regnum. Ille igitur qui praeest secundae congregationi, ut rex aut iudex, potest infligere poenam et corrigentem personam et exterminantem, ad purgationem communitatis cuius curam gerit. Sed ille qui praeest in prima congregatione, ut paterfamilias, non potest infligere nisi poenam corrigentem, quae non se extendit ultra terminos emendationis, quam transcendit poena mortis. Et ideo vir, qui sic praeest uxori, non potest ipsam interficere, sed alias castigare.

ART. II. UTRUM UXORICIDIUM IMPEDIAT MATRIMONIUM

IV *Sent.*, dist. XXXV, Expos. litt.; *Quodl.* V, qu. VIII, art. 1, ad 1.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod uxoricidium non impediat matrimonium. Directius enim opponitur matrimonio adulterium quam homicidium. Sed adulterium non impedit matrimonium. Ergo nec uxoricidium.

2. PRAETEREA, gravius est peccatum occidere matrem quam uxorem: quia nunquam licet verberare matrem *, licet autem verberare uxorem. Sed occisio matris non impedit matrimonium. Ergo nec uxoris occisio.

* Cf. *Exod.* cap. XXI, vers. 15.

3. PRAETEREA, magis peccat qui uxorem alterius propter adulterium interficit quam uxorem propriam: inquantum minus habet de motivo, et minus ad eum spectat eius correctio. Sed qui alienam uxorem occidit non impeditur a matrimonio. Ergo nec ille qui propriam uxorem interficit.

4. PRAETEREA, remota causa removetur effectus *. Sed peccatum homicidii potest per poenitentiam removeri. Ergo et impedimentum matrimonii quod ex eo causatur. Et ita videtur quod, post peractam poenitentiam, non prohibeatur matrimonium contrahere.

* Cf. Arist. *Physic.* lib. II, cap. III, n. 11; s. Th. lect. VI. - Vide cap. *Cum cessante, de Appellat.*

SED CONTRA EST quod canon * dicit: *Interfectores suarum coniugum ad poenitentiam redigendi sunt, quibus penitus denegatur coniugium.*

* Can. *Interfectores*, caus. XXXIII, qu. II.

2. PRAETEREA, in eo in quo quis peccat, debet etiam puniri *. Sed peccat contra matrimonium qui uxorem occidit. Ergo debet puniri ut matrimonio privetur.

* Cf. *Sap.* cap. XI, vers. 17.

RESPONDEO DICENDUM quod uxoricidium ex statuto Ecclesiae matrimonium impedit *. Sed quandoque impedit contrahendum et non dirimit contractum: quando scilicet vir propter adulterium aut propter odium occidit uxorem. Tamen, si timetur de incontinentia ipsius, potest cum eo dispensari per Ecclesiam, ut licite matrimonium contrahat *.

* Cf. arg. *Sed cont.* 1; et can. *Si quis vivente*, caus. XXXI, qu. I.

* Cf. can. cit. in arg. *Sed cont.* 1.

Quandoque etiam dirimit contractum: ut quando aliquis interficit uxorem suam ut ducat eam cum qua moechatur. Tunc enim efficitur illegitima persona simpliciter ad contrahendum cum illa, ita quod, si de facto cum ea contraxerit, matrimonium dirimitur *. Sed per hoc non efficitur simpliciter persona illegitima respectu aliarum mulierum. Unde, si cum alia contraxerit, quamvis peccet contra statutum Ecclesiae faciens, tamen matrimonium contractum non dirimitur propter hoc.

* Cap. *Super hoc*, et cap. *Significasti nobis, De eo qui duxit* etc.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod homicidium et adulterium in aliquo casu impediunt matrimonium contrahendum et dirimunt contractum: sicut de uxoricidio hic dicitur *, et de adulterio supra * habitum est.

* Dist. XXXVII, cap. *His adiiciendum est.*

* Dist. XXXV, cap. *Solet etiam quaeri.*

Vel dicendum quod uxoricidium est contra substantiam coniugii, sed adulterium contra bonum fidei ei debitae. Sic adulterium non est magis contra matrimonium quam uxoricidium. Et ita ratio procedit ex falsis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, simpliciter loquendo, gravius peccatum est occidere matrem quam uxorem, et magis contra naturam: quia naturaliter homo matrem reveretur. Et ideo minus inclinatur ad interfectionem matris, et pronior est ad interfectionem uxoris. Ad cuius pronitatis repressionem, uxoricidis est matrimonium ab Ecclesia interdictum.

AD TERTIUM DICENDUM quod talis non peccat contra matrimonium, sicut ille qui propriam uxorem interficit. Et ideo non est simile.

AD QUARTUM DICENDUM quod non est necessarium quod, deleta culpa, deleatur omnis poena: sicut de irregularitate patet. Non enim poenitentia restituit in pristinam dignitatem, quamvis possit restituere in pristinum statum gratiae, ut dictum est *.

* Qu. XXVIII, art. 1, ad 3.

QUAESTIO SEXAGESIMAPRIMA

DE IMPEDIMENTO MATRIMONII QUOD EST VOTUM SOLEMNE

DEINDE considerandum est de impedimentis quae superveniunt matrimonio. Et primo, de impedimento quod supervenit matrimonio, scilicet de voto solemni; secundo, de impedimento quod supervenit matrimonio consummato, scilicet de fornicatione *.

* Qu. LXII.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo: utrum alter coniugum, altero invito, post carnalem copulam possit religionem intrare.

Secundo: utrum ante carnalem copulam possit intrare.

Tertio: utrum mulier possit nubere alteri, viro ante carnalem copulam religionem ingresso.

ART. I. UTRUM ALTER CONIUGUM, ETIAM POST CARNALEM COPULAM, POSSIT, ALTERO INVITO, AD RELIGIONEM TRANSIRE

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod alter coniugum, etiam post carnalem copulam, possit, altero invito, ad religionem transire. Quia lex divina magis debet spiritualibus favere quam lex humana. Sed lex humana hoc permisit *. Ergo multo fortius lex divina permittere debuit.

* Novell. XXII, *De iis qui sec. nupt.*, cap. V. - Vide can. *Sunt qui dicunt*, caus. XXVII, qu. II.

2. PRAETEREA, minus bonum non impedit maius bonum. Sed matrimonii status est minus bonum quam status religionis, ut patet I *Cor.* VII *. Ergo per matrimonium non debet homo impediri quin possit ad religionem transire.

* Vers. 8, 32 sqq.

3. PRAETEREA, in qualibet religione fit quoddam spirituale matrimonium. Sed licet de leviori religione ad arctiorem transire *. Ergo licet de matrimonio leviori, scilicet carnali, ad arctius, scilicet matrimonium religionis, transire, etiam invita uxore.

* Cap. *Licet quibusdam, de Reg. et Transeunt.* etc. - Cf. Gloss. in cap. *Ioann.*, ibid.

SED CONTRA est quod dicitur I *Cor.* VII *, ut nec etiam ad tempus vacent orationi coniuges sine mutuo consensu, a matrimonio abstinentes.

* Vers. 5.

2. PRAETEREA, nullus potest facere licite quod est in praeiudicium alterius, sine eius voluntate. Sed votum religionis emissum ab uno coniugum est in praeiudicium alterius: quia unus habet *potestatem corporis* alterius *. Ergo unus sine consensu alterius non potest votum religionis emittere.

* Ibid., vers. 4.

RESPONDEO DICENDUM quod nullus potest facere oblationem Deo de alieno *. Unde, cum per matrimonium iam consummatum sit corpus viri factum uxoris, non potest sine consensu eius Deo ipsum offerre per continentiae votum.

* Cf. Isai. cap. LXI, vers. 8.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod lex humana considerabat matrimonium solum inquantum est in officium naturae. Sed lex divina secundum quod est sacramentum *, ex quo habet omnimodam indivisibilitatem. Et ideo non est simile.

* Cf. qu. L, ad 4.

AD SECUNDUM DICENDUM quod non est inconveniens maius bonum impediri per minus bonum quod habet contrarietatem ad ipsum: sicut etiam bonum per malum impeditur.

AD TERTIUM DICENDUM quod in qualibet religione contrahitur matrimonium ad unam personam, scilicet ad Christum, cui tamen ad plura obligatur aliquis in una religione quam in alia. Sed matrimonium materiale et religionis non fiunt ad unam personam. Et ideo non est simile.

ART. II. UTRUM ALTER CONIUGUM, ANTE CARNALEM COPULAM, POSSIT, ALTERO INVITO, AD RELIGIONEM TRANSIRE

IV *Sent.*, dist. XXXIX, art. 4, ad 2; I *ad Cor.*, cap. VII, lect. 5.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod nec etiam ante carnalem copulam. Indivisibilitas enim matrimonii pertinet ad matrimonii sacramentum, inquantum scilicet significat perpetuam coniunctionem Christi ad Ecclesiam *. Sed ante carnalem copulam, post consensum per verba de praesenti expressum, est verum matrimonii sacramentum. Ergo non potest fieri divisio per hoc quod alter ad religionem intrat.

* *Ad Ephes.* cap. V, vers. 32.

2. PRAETEREA, in ipso consensu per verba de praesenti expresso unus coniugum in alterum potestatem sui corporis transfert. Ergo statim potest exigere debitum, et alter tenetur reddere. Et ita non potest unus, invito altero, ad religionem transire.

3. PRAETEREA, Matth. XIX *: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Sed coniunctio quae est ante carnalem copulam divinitus facta est. Ergo non potest separari humana voluntate.

* Vers. 6.

SED CONTRA EST quod, secundum Hieronymum *, Dominus Ioannem vocavit de nuptiis.

* *Prolog. in Ioan.* Inter Opp. Hieron.

Respondeo dicendum quod ante carnalem copulam est inter coniuges tantum vinculum spirituale, sed postea etiam est inter eos vinculum carnale. Et ideo, sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita per ingressum religionis ante copulam carnalem solvitur *: quia religio est quaedam mors spiritualis, qua aliquis, saeculo moriens, vivit Deo.

* Cap. *Verum post*, et cap. *Ex parte tua*, *de Conv.Coniugat.*

Ad primum ergo dicendum quod matrimonium ante carnalem copulam significat illam coniunctionem quae est Christi ad animam per gratiam, quae quidem solvitur per dispositionem spiritualem contrariam, scilicet per peccatum. Sed per carnalem copulam significat coniunctionem ad Ecclesiam quantum ad assumptionem humanae naturae in unitate personae *, quae omnino est indivisibilis.

* Cf. dist. xxvi, cap. *Cum ergo coniugium*.

Ad secundum dicendum quod ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus unius sub potestate alterius, sed sub conditione si interea alter ad frugem melioris vitae non convolet. Sed per carnalem copulam completur dicta translatio: quia tunc intrat uterque in corporalem possessionem sibi traditae potestatis. Unde etiam ante carnalem copulam non statim tenetur reddere debitum post matrimonium contractum per verba de praesenti, sed datur ei tempus duorum mensium *, propter tria. Primo, ut interim possit deliberare de transeundo ad religionem. Secundo, ut praeparentur quae sunt necessaria ad solemnitatem nuptiarum. Tertio, *ne vilem habeat maritus datam quam non suspiravit dilatam* *.

* Cap. *Ex publico, de Conv.Coniugat.*

* Can. *Institutum*, caus. XXVII, qu. ii.

Ad tertium dicendum quod coniunctio matrimonialis ante carnalem copulam est quidem perfecta quantum ad esse primum, sed non consummata quantum ad actum secundum, qui est operatio, et similatur possessioni corporali. Et ideo non omnimodam indivisibilitatem habet.

ART. III. utrum mulier possit nubere alteri, viro ante carnalem copulam religionem ingresso

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod mulier non possit nubere alteri, viro ante carnalem copulam religionem ingresso. Quia illud quod cum matrimonio stare potest, non solvit matrimoniale vinculum. Sed adhuc manet vinculum matrimoniale inter eos qui pari voto religionem intrant. Ergo ex hoc quod unus intrat religionem, alter non absolvitur a vinculo matrimoniali. Sed quandiu manet vinculum matrimoniale ad unum, non potest nubere alteri. Ergo, etc.

2. Praeterea, vir post ingressum religionis potest ante professionem redire ad saeculum *. Si ergo mulier posset alteri nubere, viro intrante religionem, et ipse posset alteram ducere rediens ad saeculum. Quod est absurdum.

* Cap. *Statuimus novitios, de Reg. et Transeunt.* etc.

3. Praeterea, per decretalem novam * professio ante annum emissa pro nulla reputatur. Ergo, si post talem professionem ad uxorem redeat, tenetur eum recipere. Ergo neque per introitum viri in religionem, neque per votum, datur mulieri potestas nubendi alteri.

* Cap. *Non solum, de Reg. et Transeunt.*, in Sexto.

Sed contra, nullus potest alterum obligare ad ea quae sunt perfectionis. Sed continentia est de his quae ad perfectionem pertinent. Ergo mulier non arctatur ad continentiam ex hoc quod vir religionem ingreditur. Et sic potest nubere.

Respondeo dicendum quod, sicut mors corporalis viri hoc modo vinculum matrimoniale solvit ut mulier *nubat cui vult*, secundum Apostoli sententiam *; ita etiam post mortem spiritualem viri per religionis ingressum poterit cui voluerit nubere *.

* I *ad Cor.*, cap. vii, vers. 39.

* Cf. cap. *Verum post*, et cap. *Ex parte tua*, *de Conv. Coniugat.*

Ad primum ergo dicendum quod, quando uterque pari voto continentiam vovet, tunc neuter coniugali vinculo abrenuntiat, et ideo adhuc manet. Sed quando unus tantum vovet, tunc, quantum est in se, abrenuntiat vinculo coniugali. Et ideo alter absolvitur a vinculo illo.

Ad secundum dicendum quod non intelligitur mortuus saeculo per religionis ingressum quousque professionem emiserit. Et ideo usque ad tempus illud tenetur eum uxor sua expectare.

Ad tertium dicendum quod de professione sic emissa ante tempus determinatum a iure est idem iudicium quod de voto simplici. Unde, sicut post votum simplex viri mulier ei debitum reddere non tenetur, tamen ipsa non haberet potestatem alteri nubere, ita et hic.

QUAESTIO SEXAGESIMASECUNDA
DE IMPEDIMENTO QUOD SUPERVENIT MATRIMONIO CONSUMMATO, QUOD EST FORNICATIO

Deinde considerandum est de impedimento quod supervenit matrimonio consummato *, scilicet de fornicatione, quae impedit matrimonium praecedens quoad actum, durante vinculo matrimoniali.

* Cf. qu. lxi, Introd.

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: utrum liceat viro dimittere uxorem causa fornicationis.
Secundo: utrum ad hoc teneatur.
Tertio: utrum proprio iudicio eam dimittere possit.
Quarto: utrum vir et uxor quantum ad hoc sint aequalis conditionis.
Quinto: utrum post divortium debeant manere innupti.
Sexto: utrum post divortium possint reconciliari.

ART. I. utrum propter fornicationem liceat viro uxorem dimittere

In Matth., cap. xix; 1 *ad Cor.*, cap. vii, lect. ii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod propter fornicationem non liceat viro uxorem dimittere. *Non enim est malum pro malo reddendum* *. Sed vir dimittens uxorem propter fornicationem, videtur malum pro malo reddere. Ergo hoc non licet.

* *Ad Rom.*, cap. xii, vers. 17; 1 *ad Thess.*, cap. v, vers. 15; 1 *Pet.*, cap. iii, vers. 9.

2. Praeterea, maius peccatum est si uterque fornicetur quam si alter tantum. Sed si uterque fornicetur, non poterit propter hoc fieri divortium *. Ergo nec si unus tantum fornicatus fuerit.

* Cap. *Significasti, de Divortiis*; caus. XXXII, qu. vi per tot.

3. Praeterea, fornicatio spiritualis et quaedam alia peccata sunt graviora quam fornicatio carnalis. Sed propter illa non potest fieri separatio a toro. Ergo nec propter fornicationem carnalem.

4. Praeterea, vitium contra naturam magis remotum est a bonis matrimonii quam fornicatio, quae modo naturae fit. Ergo magis debuit poni causa separationis quam fornicatio.

Sed contra est quod dicitur Matth. v *.

* Vers. 32; cap. xix, vers. 9.

2. Praeterea, illi qui frangit fidem, non tenetur aliquis servare fidem *. Sed coniux fornicando fidem frangit quam alteri coniugi debet. Ergo alter potest alterum causa fornicationis dimittere.

* Cf. *de Reg. Iur.*, reg. lxxv, in Sexto.

Respondeo dicendum quod Dominus dimittere uxorem concessit propter fornicationem in poenam illius qui fidem fregit, et in favorem illius qui fidem servavit, ut non sit adstrictus ad reddendum debitum ei qui non servavit fidem. Et propter hoc excipiuntur septem casus in quibus non licet viro uxorem dimittere fornicantem, in quibus vel uxor a culpa immunis est, vel utrique aequaliter culpabiles sunt. Primus est, si ipse vir similiter fornicatus fuerit *. – Secundus si ipse uxorem prostituerit *. – Tertius, si uxor virum probabiliter mortuum credens propter longam eius absentiam, alteri nupserit *. – Quartus est, si latenter cognita est ab aliquo sub specie viri lectum subintrante *. – Quintus, si fuerit vi oppressa *. – Sextus, si reconciliavit eam sibi post adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoscens *. – Septimus, si in matrimonio in infidelitate utrique contracto vir dederit uxori libellum repudii et uxor alteri nupserit. Tunc enim, si uterque convertatur, tenetur eam vir recipere *.

* Can. *Nihil iniquius*, caus. XXXII, qu. vi; cap. *Significasti, de Divort.*
* Cap. *Discretionem, De eo qui cognov.* etc.
* Can. *Cum per bellicam*, caus. XXXIV, qu. i et ii.
* Can. *In lectum*, ibid.
* Can. *Proposito*, caus. XXXII, qu. v. - Cf. Gratian. append. ad can. *Puto*, ibid.
* Can. *Si quis uxorem*, caus. XXXII, qu. i.
* Cap. *Gaudemus, de Divort.*

Ad primum ergo dicendum quod vir, si dimittat uxorem fornicantem livore vindictae, peccat. Si autem ad infamiam propriam cavendam, ne videatur particeps criminis; vel ad vitium uxoris corrigendum; vel ad vitandum prolis incertitudinem, non peccat.

Ad secundum dicendum quod divortium ex causa fornicationis fit uno accusante alium. Et quia nullus potest accusare qui in simili crimine existit *, quando uterque fornicatur divortium celebrari non potest: quamvis magis peccetur contra matrimonium utroque fornicante quam altero tantum.

* Can. *Si testes*, caus. IV, qu. ii et iii; cap. *Veniens, de Testib. et Attest.*

Ad tertium dicendum quod fornicatio directe est contra bona matrimonii: quia tollitur per eam certitudo prolis; et fides frangitur; et significatio non servatur, dum unus coniugum pluribus *carnem suam dividit* *. Et ideo alia crimina, quamvis forte sint maiora fornicatione, non causant divortium.

* Hieron. *Comment. in Matth.* lib. III, ad cap. XIX, vers. 9.

Sed quia infidelitas, quae dicitur *spiritualis fornicatio,* etiam est contra matrimonii bonum quod est proles educanda ad cultum Dei, etiam ipsa facit divortium. Sed tamen aliter quam corporalis fornicatio. Quia propter unum actum fornicationis carnalis potest procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem, quae pertinaciam ostendit, in qua infidelitas perficitur *.

* Can. *Idololatria*, caus. XXVIII, qu. I; cap. *Quaesivit*, et cap. *Quanto*, *de Divort.*

Ad quartum dicendum quod etiam propter vitium contra naturam potest procedi ad divortium. Sed tamen non fit ita mentio de ipso, tum quia est passio innominabilis; tum quia rarius accidit; tum quia non ita causat incertitudinem prolis.

ART. II. UTRUM VIR TENEATUR EX PRAECEPTO UXOREM FORNICANTEM DIMITTERE

Supra, qu. LIX, art. 3.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod vir teneatur ex praecepto uxorem fornicantem dimittere. Vir enim, cum sit *caput uxoris* *, tenetur uxorem corrigere. Sed separatio a toro est inducta ad correctionem uxoris fornicantis. Ergo tenetur eam a se separare.

* I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 3; *ad Ephes.* cap. V, vers. 23.

2. Praeterea, qui consentit peccanti mortaliter, ipse etiam mortaliter peccat *. Sed vir retinens uxorem fornicantem *consentire ei videtur,* ut in littera * dicitur. Ergo peccat nisi eam a se eiiciat.

* *Ad Rom.* cap. I, vers. 32.
* Dist. XXXV, cap. *Sed haec omnia.*

3. Praeterea, I *Cor.* VI * dicitur: *Qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur.* Sed non potest aliquis simul esse *membrum meretricis et Christi,* ut ibidem * dicitur. Ergo vir uxori fornicanti adhaerens membrum Christi esse desinit, mortaliter peccans.

* Vers. 16.
* Vers. 15.

4. Praeterea, sicut cognatio tollit vinculum matrimonii, ita fornicatio separat a toro. Sed postquam vir noverit consanguinitatem sui ad uxorem, peccat mortaliter cognoscens eam. Ergo et si cognoscit uxorem postquam scit ipsam esse fornicatam, mortaliter peccat.

Sed contra est quod dicit Glossa * I *Cor.* VII **, quod *Dominus permisit causa fornicationis uxorem dimittere.* Ergo non est in praecepto.

* Ord. Sedulii.
** Vers. 12.

2. Praeterea, quilibet potest dimittere alteri quod in se peccavit. Sed uxor fornicando peccavit in virum. Ergo vir potest ei parcere, ut non dimittat eam.

Respondeo dicendum quod dimissio uxoris fornicantis introducta est ad corrigendum uxoris crimen per talem poenam. Poena autem corrigens non requiritur ubi emendatio iam praecessit. Et ideo, si mulier de peccato poeniteat, vir non tenetur eam dimittere. Si autem non poeniteat, tenetur: ne peccato eius consentire videatur, dum correptionem debitam non apponit.

Ad primum ergo dicendum quod peccatum fornicationis in uxore potest corrigi non tantum tali poena, sed etiam verbis et verbere. Et ideo, si alias ad correctionem sit parata, non tenetur vir praedictam poenam ad eius correctionem adhibere.

Ad secundum dicendum quod tunc vir uxori consentire videtur quando eam tenet non cessantem a peccato praeterito. Si autem emendata fuerit, non ei consentit.

Ad tertium dicendum quod ex quo de peccato fornicationis poenituit, meretrix dici non potest. Et ideo vir ei se coniungendo membrum meretricis non fit.

Vel dicendum quod non coniungitur ei quasi meretrici, sed quasi uxori.

Ad quartum dicendum quod non est simile. Quia consanguinitas facit ut non sit inter eos vinculum matrimoniale *, et ideo carnalis copula esset illicita. Sed fornicatio non tollit vinculum praedictum. Et ideo actus remanet, quantum est de se, licitus: nisi per accidens illicitus fiat, inquantum vir consentire turpitudini uxoris videtur.

* Cf. qu. LIV, art. 3.

Ad quintum * dicendum quod permissio illa est intelligenda per *prohibitionis privationem.* Et sic contra praeceptum non dividitur: quia etiam quod cadit sub praecepto non est prohibitum.

* Arg. *Sed contra* 1.

Ad sextum * dicendum quod uxor non tantum peccat in virum, sed etiam in seipsam et in Deum. Et ideo vir non totaliter potest poenam dimittere, nisi emendatio sequatur.

* Arg. *Sed contra* 2.

ART. III. UTRUM PROPRIO IUDICIO POSSIT VIR UXOREM FORNICANTEM DIMITTERE

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod proprio iudicio possit vir uxorem fornicantem dimittere. Sententiam enim a iudice latam absque alio iudicio exequi licet. Sed Deus, *iustus iudex* *, dedit hanc sententiam ut propter fornicationem vir uxorem dimittere possit *. Non ergo requiritur ad hoc aliud iudicium.

* Ps. VII, vers. 12; II *ad Tim.*, cap. IV, vers. 8.
* Matth. cap. V, vers. 32; cap. XIX, vers. 9.

2. Praeterea, Matth. I * dicitur quod Ioseph, *cum esset iustus, cogitavit occulte dimittere Mariam.* Ergo videtur quod occulte vir possit divortium celebrare absque iudicio Ecclesiae.

* Vers. 19.

3. Praeterea, si vir post fornicationem uxoris cognitam debitum ei reddit, amittit actionem quam contra fornicariam habebat *. Ergo denegatio debiti, quae ad divortium pertinet, debet Ecclesiae iudicium praecedere.

* Cf. S. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. XXII, *de Divort. propter fornicat.*, § 2.

4. Praeterea, illud quod non potest probari, non debet ad Ecclesiae iudicium adduci *. Sed fornicationis crimen non potest probari: quia *oculus adulteri observat caliginem,* ut dicitur *Iob* XXIV *. Ergo non debet iudicio Ecclesiae praedictum divortium fieri.

* Cf. can. *Qui non probaverit*, caus. II, qu. II.
* Vers. 15.

5. Praeterea, accusationem debet inscriptio praecedere, qua aliquis se ad talionem obliget si in probatione deficiat *. Sed hoc non potest esse in ista materia: quia, qualitercumque res iret, vir consequeretur intentum suum, sive ipse uxorem dimitteret, sive uxor eum. Ergo non debet ad iudicium Ecclesiae per accusationem adduci.

* Can. *Quisquis*, et can. *Qui crimen*, caus. II, qu. VIII.

6. Praeterea, plus tenetur homo uxori quam extraneo. Sed homo crimen alterius, etiam extranei, non debet Ecclesiae deferre nisi monitione praemissa in secreto, ut patet Matth. XVIII *. Ergo multo minus potest crimen uxoris ad Ecclesiam deferre, si eam prius occulte non corripuerit.

* Vers. 15 sqq.

Sed contra, nullus debet seipsum vindicare *. Sed si vir uxorem fornicantem proprio arbitrio dimitteret, ipse se vindicaret. Ergo hoc non debet fieri.

* *Ad Rom.*, cap. XII, vers. 19.

2. Praeterea, nullus in eadem causa est actor et iudex *. Sed vir est actor impetens uxorem de offensa in se commissa. Ergo ipse non potest esse iudex. Et sic non debet eam proprio arbitrio dimittere.

* Can. *Nullus unquam*, caus. IV, qu. IV.

Respondeo dicendum quod vir potest uxorem dimittere dupliciter. Uno modo, quantum ad torum tantum. Et sic potest eam dimittere, quam cito sibi constat de fornicatione uxoris, proprio arbitrio. Nec tenetur reddere debitum exigenti nisi per Ecclesiam compellatur. Et taliter reddens nullum praeiudicium sibi facit.

Alio modo, quantum ad torum et cohabitationem. Et hoc modo non potest dimitti nisi iudicio Ecclesiae *. Et si alias dimissa fuerit, debet cogi ad cohabitandum: nisi possit ei vir in continenti fornicationem probare *. Haec autem dimissio *divortium* dicitur. Et ideo concedendum est quod divortium non potest celebrari nisi iudicio Ecclesiae.

* Can. *Saeculares* et seq., caus. XXXIII, qu. II.
* Cap. *Significasti*, *de Divort.*

Ad primum ergo dicendum quod sententia est applicatio iuris communis ad particulare factum. Unde Dominus ius promulgavit, secundum quod sententia in iudicio formari debet.

Ad secundum dicendum quod Ioseph voluit Virginem dimittere, non quasi suspectam de fornicatione, sed ob reverentiam sanctitatis eius, timens ei cohabitare *.

* Cf. IV *Sent.*, dist. XXX, qu. II, art. 2, ad 5.

Nec tamen est simile. Quia tunc ex adulterio non solum procedebatur ad divortium, sed ulterius ad lapidationem *. Non autem nunc, quando agitur in iudicio Ecclesiae.

* Ioan. cap. VIII, vers. 5.

Ad tertium patet solutio ex dictis *.

* In corpore.

Ad quartum dicendum quod quandoque vir, uxorem suspectam habens, ei insidiatur, et deprehendere potest eam cum testibus in crimine fornicationis. Et sic potest ad accusationem procedere.

Et praeterea, si de facto ipso non constat, possunt esse violentae suspiciones fornicationis, quibus probatis, videtur fornicatio probata esse: ut si inveniatur *solus cum sola*, horis et locis suspectis, et *nudus cum nuda* *.

* Cap. *Litteris tuae Fraternit.*, *de Praesumptionibus.*

Ad quintum dicendum quod maritus potest accusare uxorem de adulterio dupliciter. Uno modo, ad tori separationem, coram iudice spirituali. Et tunc inscriptio debet fieri sine obligatione ad legem talionis: quia sic vir consequeretur intentum suum, ut probat obiectio. — Alio modo, ad punitionem criminis in iudicio saeculari. Et sic oportet quod praecedat inscriptio per quam ad poenam talionis se obliget si in probatione deficiat.

Ad sextum dicendum quod, sicut decretalis * dicit, tribus modis in criminibus procedi potest. Primo, *per inquisitionem:* quam debet praecedere *clamosa insinuatio,* quae locum accusationis tenet. Secundo, *per accusationem:* quam debet praecedere *inscriptio.* Tertio, *per denuntiationem:* quam debet praecedere *fraterna correctio.* Verbum ergo Domini intelligitur quando agitur per viam denuntiationis, non quando agitur per viam accusationis: quia tunc non agitur solum ad correctionem delinquentis, sed ad punitionem, propter bonum commune conservandum, quod, iustitia deficiente, periret.

* Cap. *Licet, de Simonia.*

ART. IV. Utrum vir et uxor debeant in causa divortii ad paria iudicari

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod vir et uxor non debeant in causa divortii ad paria iudicari. Divortium enim conceditur in lege nova loco repudii, quod erat in lege veteri, ut patet Matth. v *. Sed in repudio vir et uxor non iudicabantur ad paria: quia vir poterat repudiare uxorem *, et non e converso. Ergo nec in divortio debent ad paria iudicari.

* Vers. 31, 32.
* *Deut.*, cap. xxiv, vers. 1.

2. Praeterea, plus est contra legem naturae quod uxor plures viros habeat quam quod vir plures mulieres *: unde hoc quandoque licuit *, illud vero nunquam. Ergo plus peccat mulier in adulterio quam vir. Et ita non debent ad paria iudicari.

* Qu. lxv, art. 1, ad 6 sqq.
* Ibid., art. 2.

3. Praeterea, ubi est maius nocumentum proximi, ibi est maius peccatum. Sed plus nocet uxor adultera viro quam vir adulter uxori: quia adulterium uxoris facit incertitudinem prolis, non autem adulterium viri. Ergo maius est peccatum uxoris. Et sic non debent ad paria iudicari.

4. Praeterea, divortium inducitur ad crimen adulterii corrigendum. Sed magis pertinet ad virum, qui est *caput mulieris,* ut dicitur I *Cor.* xi *, corrigere uxorem quam e converso. Ergo non debent in repudio ad paria iudicari, sed vir debet esse melioris conditionis.

* Vers. 3.

Sed contra, videtur quod in hoc uxor debeat esse melioris conditionis. Quia quanto est maior fragilitas in peccante, tanto magis est peccatum venia dignum. Sed in mulieribus est maior fragilitas quam in viris: ratione cuius dicit Chrysostomus * quod propria passio mulierum est luxuria. Et Philosophus dicit, in VII *Ethic.* *, quod *mulieres non dicuntur continentes,* proprie loquendo, propter facilem inclinationem ad concupiscentias: quia nec bruta animalia possunt continere, propter hoc quod non habent aliquid quod concupiscentiis obviare possit *. Ergo mulieribus in poena divortii deberet magis parci.

* *Op. Imperf. in Matth.*, homil. XL. - Inter Opp. Chrys.
* Cap. v, n. 4. - S. Th. lect. v.
* Ibid., cap. iii, n. 11. - S. Th. lect. iii.

2. Praeterea, vir ponitur *caput mulieris* * ut ipsam corrigat. Ergo magis peccat quam mulier. Et sic debet magis puniri.

* Cf. arg. 4.

Respondeo dicendum quod in causa divortii vir et uxor *ad paria iudicantur,* ut idem sit licitum et illicitum uni quod alteri *. Non tamen *pariter iudicantur* ad illa: quia causa divortii est maior in uno quam in alio, cum tamen in utroque sit sufficiens causa ad divortium. Divortium enim est poena adulterii inquantum est contra matrimonii bona. Quantum autem ad bonum fidei, ad quam coniuges aequaliter sibi invicem tenentur, tantum peccat contra matrimonium adulterium unius sicut adulterium alterius: et haec causa in utroque sufficit ad divortium. Sed quantum ad bonum prolis, plus peccat adulterium uxoris quam viri: et ideo maior causa divortii est in uxore quam in viro. Et sic ad aequalia, sed non ex aequali causa, obligantur. Nec tamen iniuste: quia in utroque est causa sufficiens ad hanc poenam; sicut est etiam de duobus qui damnantur ad eiusdem mortis poenam, quamvis alius altero gravius peccaverit.

* Caus. XXXII, qu. 1, can. *Si quis;* ibid. qu. v, can. *Christiana.*

Ad primum ergo dicendum quod repudium non permittebatur nisi ad evitandum homicidium *. Et quia in viris magis erat de hoc periculum quam in mulieribus, ideo viro permittebatur dimittere uxorem, non autem e converso, per legem repudii.

* Cf. qu. lxvii, art. 6.

Ad secundum et tertium dicendum quod rationes illae procedunt secundum quod in comparatione ad bonum prolis maior sit causa divortii in uxore adultera quam in viro. Non tamen sequitur quod non iudicentur ad paria, ut ex dictis * patet.

* In corpore.

Ad quartum dicendum quod, quamvis vir sit caput mulieris quasi gubernator, non tamen quasi iudex ipsius: sicut nec e converso. Et ideo in his quae per iudicium facienda sunt, non plus potest vir in uxorem quam e converso.

Ad quintum * dicendum quod in adulterio invenitur de ratione peccati idem quod est in fornicatione simplici, et adhuc plus, quod magis gravat, scilicet matrimonii laesio. Si ergo consideretur id quod est commune adulterio et fornicationi, peccatum viri et mulieris se habent ut excedentia et excessa: quia in muliere est plus de humore, et ideo sunt magis ducibiles a concupiscentiis; sed in viro est plus de calore *, qui concupiscentiam excitat. Sed tamen, simpliciter loquendo, ceteris paribus, vir in simplici fornicatione plus peccat quam mulier: quia plus habet de rationis bono, quod praevalet quibuslibet motibus corporalium passionum.

* Arg. *Sed contra* 1.
* Aristot. *De Animal. Generat.* lib. IV, cap. vi.

Sed quantum ad laesionem matrimonii, quam adulterium fornicationi addit, ex qua divortium causatur, plus peccat mulier quam vir, ut ex dictis * patet. Et quia hoc est gravius quam simplex fornicatio, ideo, simpliciter loquendo, plus peccat mulier adultera quam vir adulter ceteris paribus.

* In corpore.

Ad sextum * dicendum quod, quamvis regimen quod datur viro in mulierem sit quaedam circumstantia aggravans, tamen ex illa circumstantia quae in aliam speciem trahit, magis aggravatur peccatum: scilicet ex laesione matrimonii, quae trahit ad speciem iniustitiae, in hoc quod furtive aliena proles submittitur.

* Arg. *Sed contra* 2.

ART. V. Utrum post divortium vir alteri nubere possit

In Matth., cap. xix; I *ad Cor.*, cap. vii, lect. ii, iii.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod post divortium vir alteri nubere possit. Nullus enim tenetur ad perpetuam continentiam. Sed vir tenetur in aliquo casu uxorem fornicantem a se in perpetuum separare, ut patet ex dictis *. Ergo videtur quod ad minus in tali casu alteram ducere possit.

* Art. 2.

2. Praeterea, peccanti non est danda maior occasio peccandi. Sed si ei qui propter culpam fornicationis dimittitur, non licet aliam copulam quaerere, datur sibi maior occasio peccandi: non enim est probabile quod qui in matrimonio non continuit, quod postea continere possit. Ergo videtur quod liceat ei ad aliam copulam transire.

3. Praeterea, uxor non tenetur viro nisi ad debitum reddendum et cohabitationem. Sed per divortium ab utroque absolvitur. Ergo omnino *soluta est a lege viri* *. Ergo potest alteri nubere. Et eadem ratio est de viro.

* *Ad Rom.*, cap. vii, vers. 2.

4. Praeterea, Matth. xix * dicitur: *Qui dimiserit uxorem et aliam duxerit, excepta causa fornicationis, moechatur.* Ergo videtur quod si, causa fornicationis dimissa uxore, aliam duxerit, non moechetur. Et ita erit verum matrimonium.

* Vers. 9. - Cf. cap. v, vers. 32.

Sed contra, I *Cor.* vii *: *Praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam.*

* Vers. 10, 11.

2. Praeterea, nullus ex peccato debet *reportare commodum* *. Sed reportaret si liceret adulterae ad aliud magis desideratum connubium transire: et esset occasio adulterandi volentibus alia matrimonia quaerere. Ergo non licet aliam copulam quaerere neque viro neque uxori.

* Cap. *Tuas dudum, de Usuris.*

Respondeo dicendum quod nihil adveniens supra matrimonium potest ipsum dissolvere. Et ideo adulterium non facit quin sit verum matrimonium. *Manet* enim, ut Augustinus dicit *, *inter viventes coniugale vinculum, quod nec separatio nec cum alio iunctio potest auferre.* Et ideo non licet uni, altero vivente, ad aliam copulam transire.

* *De Nupt. et Concup.* lib. I, cap. x, n. 11.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis per se nullus obligetur ad continentiam, tamen per accidens potest esse quod obligetur: sicut si uxor sua aegritudinem incurabilem incurrat, et talem quae carnalem copulam non patiatur. Et similiter etiam est si incorrigibiliter spirituali infirmitate, scilicet fornicatione, laboret.

Ad secundum dicendum quod ipsa confusio quam reportat ex divortio, debet eam cohibere a peccato. Quod si cohibere non potest, minus malum est quod ipsa sola peccet quam quod vir peccati eius sit particeps.

Ad tertium dicendum quod, quamvis uxor post divortium non teneatur viro adultero ad debitum reddendum et cohabitandum, tamen adhuc manet vinculum matrimonii, ex quo ad hoc tenebatur. Et ideo non potest ad aliam copulam transire, viro vivente. – Potest tamen continentiam vovere, viro invito *: nisi videatur Ecclesia decepta fuisse per falsos testes sententiando de divortio; quia in tali casu, etiam si votum professionis emisisset, restitueretur viro et teneretur reddere debitum, sed non liceret ei exigere *.

* Cf. Gloss. Hugut. in can. *Agathosa*, caus. XXVII, qu. II.

* S. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. xix, *de Petit. et Restit. viri.*

Ad quartum dicendum quod exceptio illa quae est in verbis Domini, refertur ad dimissionem uxoris. Et ideo obiectio ex falso intellectu procedit.

ART. VI. Utrum post divortium vir et uxor possint reconciliari

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod post divortium vir et uxor non possint reconciliari. Regula enim est in iure *: *Quod semel bene definitum est, nulla debet iteratione retractari.* Sed iudicio Ecclesiae definitum est quod debent separari. Ergo non possunt reconciliari ulterius.

* Can. *Quod bene semel*, caus. VI, qu. IV. - Cf. Dig. l., IX, *de Decret. ab ord. faciend.*, 5.

2. Praeterea, si posset esse reconciliatio, praecipue videretur quod post poenitentiam uxoris vir teneatur eam recipere. Sed non tenetur: quia etiam uxor non potest pro exceptione proponere in iudicio suam poenitentiam contra virum accusantem de fornicatione *. Ergo nullo modo potest esse reconciliatio.

* Can. *Admonere*, caus. XXXIII, qu. II. - Cf. Gloss. in cap. *Gaudemus*, *de Divort.*

3. Praeterea, si posset esse reconciliatio, videtur quod uxor adultera teneretur redire ad virum ipsam revocantem. Sed non tenetur: quia iam separati sunt iudicio Ecclesiae. Ergo, etc.

4. Praeterea, si liceret reconciliare uxorem adulteram, in illo casu praecipue deberet fieri quando vir post divortium invenitur adulterium committere. Sed in hoc casu uxor non potest cogere eum ad reconciliationem, cum iuste sit divortium celebratum. Ergo nullo modo potest reconciliari.

5. Praeterea, si vir adulter occulte dimittat per iudicium Ecclesiae uxorem convictam de adulterio, non videtur iuste factum divortium. Sed tamen vir non tenetur uxorem sibi reconciliare: quia uxor probare in iudicio adulterium viri non potest *. Ergo multo minus quando divortium iuste est celebratum, reconciliatio fieri potest.

* Can. *Nihil iniquius*, caus. XXXII, qu. VI; Gloss. in cap. *Significasti*, *de Divort.*

Sed contra est quod dicitur I *Cor.* vii *: *Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

* Vers. 11.

2. Praeterea, vir poterat eam non dimittere post fornicationem *. Ergo, eadem ratione, potest eam reconciliare sibi.

* Cf. art. 2.

Respondeo dicendum quod, si uxor post divortium de peccato poenitentiam agens emendata fuerit, potest eam sibi vir reconciliare. Si autem in peccato incorrigibilis maneat, non debet eam ad se assumere: eadem ratione qua non licebat eam nolentem a peccato desistere retinere *.

* Cf. ibid.

Ad primum ergo dicendum quod sententia Ecclesiae divortium celebrantis non fuit cogens ad separationem, sed licentiam praebens. Et ideo absque retractatione praecedentis sententiae potest reconciliatio sequi.

Ad secundum dicendum quod poenitentia uxoris debet inducere virum ut uxorem fornicantem non accuset aut dimittat: sed tamen non potest ad hoc cogi *; nec potest per poenitentiam uxor eum ab accusatione repellere. Quia, cessante culpa et quantum ad actum et quantum ad maculam, adhuc manet aliquid de reatu *; et cessante etiam reatu quantum ad Deum, adhuc manet reatus quoad poenam humano iudicio inferendam, quia homo non *videt cor,* sicut Deus *.

* Cap. *Gaudemus*, *de Conv. Coniugat.* - Cf. Gloss. ibid.

* Cf. Iam IIae, qu. LXXXVII, art. 6.

* I *Reg.* cap. XVI, vers. 7.

Ad tertium dicendum quod illud quod inducitur in favorem alicuius, non facit ei praeiudicium *. Unde, cum divortium sit inductum in favorem viri, non aufert ei ius petendi debitum vel revocandi uxorem. Unde uxor tenetur reddere et ad eum redire si fuerit revocata, nisi de licentia eius votum continentiae emiserit.

* Cod. I, XIV, *de Legibus* etc., 6.

Ad quartum dicendum quod propter adulterium quod vir prius innocens post divortium committit, secundum rigorem iuris non debet cogi ad recipiendum uxorem adulteram prius *. Tamen secundum aequitatem iuris iudex ex officio suo debet eum cogere ut caveat periculo animae eius et scandalo aliorum, quamvis uxor non possit reconciliationem petere.

* Cf. s. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. XXII, *de Divort. propter fornicat.*, § III.

Ad quintum dicendum quod, si adulterium viri sit occultum, per hoc non aufertur ius excipiendi contra accusationem viri uxori adulterae, quamvis desit sibi probatio. Et ideo peccat vir divortium petens: et si post sententiam de divortio uxor petat debitum aut reconciliationem, vir tenetur ad utrumque.

QUAESTIO SEXAGESIMATERTIA
DE SECUNDIS NUPTIIS

Consequenter considerandum est de secundis nuptiis *. Et circa hoc quaeruntur duo.

* Cf. qu. XLIII, Introd.

Primo: utrum sint licitae.

Secundo: utrum sint sacramentales.

ART. I. Utrum secundae nuptiae sint licitae

Ad primum sic proceditur. Videtur quod secundae nuptiae non sint licitae. Quia iudicium de re debet esse secundum veritatem. Dicit autem Chrysostomus * quod *secundum virum accipere est fornicatio secundum veritatem.* Quae non est licita. Ergo nec secundum matrimonium.

* Op. *Imperf. in Matth.*, homil. XXXII (inter Op. Chrysost.). - Cf. can. *Hac ratione*, caus. XXXI, qu. I.

2. Praeterea, omne quod non est bonum, non est licitum. Sed Ambrosius * dicit quod *duplex matrimonium non est bonum.* Ergo non est licitum.

* Hieron. *advers. Iovin.* lib. I, n. 16

3. Praeterea, nullus arceri debet ne intersit illis quae sunt honesta et licita. Sed sacerdotes arcentur ne intersint secundis nuptiis, ut in littera * patet. Ergo non sunt licitae.

* Dist. XLII, cap. *Sciendum.*

4. Praeterea, nullus reportat poenam nisi pro culpa. Sed pro secundis nuptiis aliquis reportat irregularitatis poenam *. Ergo non sunt licitae.

* Can. *Cognoscamus*, dist. XXXIV; cap. *Ut bigami* et sqq., *de Bigamis non ordinand.*

Sed contra est quod Abraham legitur secundas nuptias contraxisse, *Gen.* xxv *.

* Vers. 1.

2. Praeterea, I *Tim.* v * dicit Apostolus: *Volo autem iuniores,* scilicet viduas, *nubere, filios procreare.* Ergo secundae nuptiae sunt licitae.

* Vers. 14.

Respondeo dicendum quod vinculum matrimoniale non durat nisi usque ad mortem: ut patet *Rom.* vii *. Et ideo, moriente altero coniugum, vinculum matrimoniale cessat. Unde propter praecedens matrimonium non impeditur aliquis a secundo, mortuo coniuge. Et sic non solum secundae, sed tertiae et sic deinceps nuptiae sunt licitae.

* Vers. 2, 3.

Ad primum ergo dicendum quod Chrysostomus loquitur quantum ad causam quae aliquando solet ad secundas nuptias incitare, scilicet concupiscentiam, quae etiam ad fornicationem incitat.

Ad secundum dicendum quod secundum matrimonium dicitur non esse bonum, non quia sit illicitum, sed quia caret illo honore significationis qui est in primis nuptiis, ut sit *una unius,* sicut est *in Christo et Ecclesia* *.

* *Ad Ephes.*, cap. v, vers. 32. - Cf. cap. *Debitum pastoralis*, *de Bigam. non ordinand.*

Ad tertium dicendum quod homines divinis dediti non solum ab illicitis, sed etiam ab illis quae habent aliquam turpitudinis speciem, arceantur. Et ideo etiam arcentur a secundis nuptiis, quae carent honestate quae erat in primis.

Ad quartum dicendum quod irregularitas non semper inducitur propter culpam, sed propter defectum sacramenti. Et ideo ratio non est ad propositum.

ART. II. UTRUM SECUNDUM MATRIMONIUM SIT SACRAMENTUM

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod secundum matrimonium non sit sacramentum. *Qui enim iterat sacramentum, facit ei iniuriam* *. Sed nulli sacramento facienda est iniuria. Ergo, si secundum matrimonium esset sacramentum, nullo modo esset iterandum.

2. Praeterea, in omni sacramento adhibetur aliqua benedictio. Sed in secundis nuptiis non adhibetur, ut in littera * dicitur. Ergo non fit ibi aliquod sacramentum.

3. Praeterea, significatio est de essentia sacramenti *. Sed in secundo matrimonio non salvatur significatio matrimonii: quia non est *una unius,* sicut *Christus et Ecclesia* *. Ergo non est sacramentum.

4. Praeterea, unum sacramentum non impedit a susceptione alterius. Sed secundum matrimonium impedit a susceptione ordinis *. Ergo non est sacramentum.

Sed contra, coitus in secundis nuptiis excusatur a peccato sicut et in primis. Sed per tria bona matrimonii excusatur coitus matrimonialis, quae sunt *fides, proles* et *sacramentum* *. Ergo secundum matrimonium est sacramentum.

2. Praeterea, ex secunda coniunctione viri ad mulierem non sacramentali non contrahitur irregularitas: sicut patet in fornicatione *. Sed in secundis nuptiis contrahitur irregularitas *. Ergo sunt sacramentales.

Respondeo dicendum quod, ubicumque inveniuntur illa quae sunt de essentia sacramenti, ibi est verum sacramentum. Unde, cum in secundis nuptiis inveniantur omnia quae sunt de essentia sacramenti, quia debita materia, quam facit personarum legitimitas, et debita forma, scilicet expressio consensus interioris per verba de praesenti; constat quod etiam secundum matrimonium est sacramentum, sicut et primum.

Ad primum ergo dicendum quod hoc intelligitur de sacramento quod inducit perpetuum effectum: tunc enim, si iteratur sacramentum, datur intelligi quod primum non fuit efficax, et sic fit primo iniuria *; sicut patet in omnibus sacramentis quae imprimunt characterem. Sed illa sacramenta quae habent effectum non perpetuum, possunt iterari sine iniuria sacramenti: sicut patet de poenitentia. Et quia vinculum matrimoniale tollitur per mortem, nulla fit iniuria sacramento si mulier post mortem viri iterato nubat.

Ad secundum dicendum quod secundum matrimonium, quamvis in se consideratum sit perfectum sacramentum, tamen in ordine ad primum consideratum habet aliquid de defectu sacramenti: quia non habet plenam significationem, cum non sit *una unius,* sicut est in matrimonio *Christi et Ecclesiae* *. Et ratione huius defectus benedictio a secundis nuptiis subtrahitur.

Sed hoc est intelligendum quando secundae nuptiae sunt secundae et ex parte viri et ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum. Si enim virgo contrahat cum illo qui habuit aliam uxorem, nihilominus nuptiae benedicuntur *: salvatur enim aliquo modo significatio etiam in ordine ad primas nuptias; quia Christus, etsi unam Ecclesiam sponsam habeat, habet tamen plures personas desponsatas in una Ecclesia. Sed anima non potest esse sponsa alterius quam Christi: quia alias cum daemone fornicatur, nec est ibi matrimonium spirituale. Et propter hoc, quando mulier secundo nubit, nuptiae non benedicuntur, propter defectum sacramenti.

Ad tertium dicendum quod significatio perfecta invenitur in secundo matrimonio secundum se considerato: non autem si consideretur in ordine ad praecedens matrimonium. Et sic habet defectum sacramenti.

Ad quartum dicendum quod secundum matrimonium impedit sacramentum ordinis quantum ad id quod habet de defectu sacramenti, et non inquantum est sacramentum.

* Cf. Aug. *Cont. Epist. Parmen.* lib. II, cap. XIII, n. 28.
* Dist. XLII, cap. *Sciendum.*
* Cf. Part. III, qu. LX, art. 1.
* Cf. art. praeced., ad 2.
* Ibid., arg. 4.
* Qu. XLIX, art. 2, 4.
* Cap. *Quia circa minima, de Bigamis* etc.
* Cf. art. praeced., arg. 4.
* Cf. qu. XXXIII, art. 1.
* Cf. arg. 3.
* Cf. Gloss. in cap. *Vir autem, de Secund. Nupt.*

QUAESTIO SEXAGESIMAQUARTA

DE ANNEXIS MATRIMONIO. ET PRIMO, DE DEBITI REDDITIONE

Consequenter considerandum est de annexis matrimonio *. Et primo, de debiti redditione; secundo, de pluralitate uxorum *; tertio, de bigamia **; quarto, de libello repudii *; quinto, de filiis illegitime natis **.

Circa primum quaeruntur septem.

Primo: utrum alter coniugum teneatur alteri debitum reddere.
Secundo: utrum debeat aliquando reddere non poscenti.
Tertio: utrum vir et uxor in hoc sint aequales.
Quarto: utrum unus sine consensu alterius possit votum emittere per quod redditio debiti impediatur.
Quinto: utrum tempus impediat debiti petitionem.
Sexto: utrum petens tempore sacro peccet mortaliter.
Septimo: utrum reddere teneatur tempore festivo.

* Cf. qu. XLIII, Introd.
* Qu. LXV.
** Qu. LXVI.
* Qu. LXVII.
** Qu. LXVIII.

ART. I. UTRUM ALTER CONIUGUM TENEATUR ALTERI AD REDDITIONEM DEBITI EX NECESSITATE PRAECEPTI

Infra, art. 4, ad 4; I *ad Cor.*, cap. VII, lect. 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod alter coniugum non teneatur alteri ad redditionem debiti ex necessitate praecepti. Nullus enim prohibetur a sumptione Eucharistiae propter hoc quod praeceptum implet. Sed *ille qui uxori debitum reddit, non potest carnes Agni edere,* ut Hieronymus in littera * dicit. Ergo reddere debitum non est de necessitate praecepti.

2. Praeterea, quilibet potest licite abstinere ab his quae sunt sibi nociva in persona. Sed aliquando reddere debitum poscenti esset personae nocivum, vel ratione infirmitatis, vel ratione solutionis iam factae. Ergo videtur quod licite possit debitum poscenti negari.

3. Praeterea, quicumque facit se impotentem ad faciendum id ad quod ex praecepto tenetur, peccat. Si ergo aliquis ex necessitate praecepti tenetur ad reddendum debitum, videtur quod peccet si, ieiunando vel alias corpus suum attenuando, impotentem se reddat ad debiti solutionem. Quod non videtur verum.

4. Praeterea, matrimonium, secundum Philosophum *, ordinatur ad procreationem prolis et educationem, et iterum ad communicationem vitae. Sed lepra est contra utrumque matrimonii finem: quia, cum sit morbus contagiosus, mulier leproso non tenetur cohabitare *; similiter etiam morbus ille frequenter transmittitur ad prolem. Ergo videtur quod viro leproso uxor debitum reddere non tenetur.

Sed contra, sicut servus est in potestate domini sui, ita et unus coniugum in potestate alterius, ut patet I *Cor.* VII *. Sed servus tenetur ex necessitate praecepti domino suo debitum servitutis reddere, ut patet *Rom.* XIII *: *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum,* etc. Ergo et unus coniugum ex necessitate praecepti tenetur alteri debitum reddere.

2. Praeterea, matrimonium est ordinatum ad fornicationem vitandam, ut patet I *Cor.* VII *. Sed hoc non posset per matrimonium fieri si unus alteri non teneretur debitum reddere quando concupiscentia infestatur. Ergo reddere debitum est de necessitate praecepti.

Respondeo dicendum quod matrimonium principaliter est institutum in officium naturae. Et ideo in actu ipsius servandus est naturae motus. Secundum quem nutritiva non ministrat generativae nisi illud quod superfluit ad conservationem individui: quia hic est ordo naturalis, ut prius aliquid in seipso perficiatur, et postmodum alteri de perfectione sua communicet. Hoc etiam ordo caritatis habet, quae naturam perficit. Et ideo, cum uxor in viro potestatem non habeat nisi quantum ad generativam virtutem, non autem quantum ad ea quae sunt ad conservationem individui ordinata, vir tenetur uxori debitum reddere in his quae ad generationem prolis spectant, salva tamen prius personae incolumitate.

Ad primum ergo dicendum quod aliquis implens aliquod praeceptum potest reddi inhabilis ad aliquod sacrum officium exequendum: sicut iudex qui hominem ad mortem

* Dist. XXXII, cap. *Illi autem.* - Cf. can. *Sciatis fratres,* caus. XXXIII, qu. IV; Serm. *de Esu Agni,* cap. VIII (inter Op. Hieron.).
* *Ethic.* lib. VIII, cap. XII, n. 7. - S. Th. lect. XII.
* Cf. gloss. Bern. in cap. *Pervenit, de Coniug. lepros.*
* Vers. 4.
* Vers. 7.
* Vers. 2.

condemnat praeceptum implens, irregularis efficitur *. Similiter etiam ille qui praeceptum implens debitum solvit, redditur ineptus ad divina officia exequenda, non quod ille actus sit peccatum, sed ratione carnalitatis illius actus. Et sic, secundum quod Magister dicit *, Hieronymus loquitur tantum de ministris Ecclesiae: non autem de aliis, qui sunt suo iudicio relinquendi; quia possunt et ex devotione dimittere, et sumere corpus Christi, absque peccato.

* Can. *Si quis viduam*, dist. L. - Cf. cap. *Sententiam, Ne clerici vel monach.* etc.
* Loc. cit. in arg.

Ad secundum dicendum quod uxor non habet potestatem in corpus viri nisi salva consistentia personae ipsius, ut dictum est *. Unde, si ultra exigit, non est petitio debiti, sed iniusta exactio. Et propter hoc vir non tenetur ei satisfacere.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod, si aliquis redditur impotens ad debitum solvendum ex causa ex matrimonio secuta, puta cum prius debitum reddidit et est impotens ad debitum solvendum ulterius, mulier non habet ius plus petendi: et in petendo ulterius se magis meretricem quam coniugem exhibet. Si autem reddatur impotens ex alia causa, si illa est licita, sic iterum non tenetur, nec potest mulier exigere. Si non est, tunc peccat, et peccatum uxoris, si propter hoc in fornicationem labatur, aliquo modo sibi imputatur. Et ideo debet, quantum potest, dare operam ut uxor contineat.

Ad quartum dicendum quod lepra solvit sponsalia *, sed non matrimonium *. Unde uxor etiam viro leproso tenetur reddere debitum *. Non tamen tenetur ei cohabitare *: quia non ita cito inficitur ex coitu sicut ex frequenti cohabitatione. Et quamvis generetur infirma proles, tamen melius est ei sic esse quam penitus non esse.

* Cap. *Litteras, de Coniug. lepros.*
* Ibid., capp. *Pervenit*, et *Quoniam*.
* Ibid.
* Cf. gloss. Bern. in cap. *Pervenit.*, ibid.

ART. II. utrum vir teneatur debitum reddere uxori non petenti

Art. seq., ad 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod vir non teneatur reddere debitum uxori non petenti. Praeceptum enim affirmativum non obligat nisi ad tempus determinatum. Sed tempus determinatum solutionis debiti non potest esse nisi quando petitur. Ergo alias solvere non tenetur.

2. Praeterea, de quolibet debemus praesumere meliora. Sed melius est etiam coniugibus continere quam matrimonio uti. Ergo, nisi expresse debitum petat, debet vir praesumere quod ei placeat continere. Et sic non tenetur debitum ei reddere.

3. Praeterea, sicut uxor habet potestatem in virum, ita dominus in servum. Sed domino non tenetur servus servire nisi quando sibi ab ipso imperatur. Nec ergo vir tenetur uxori reddere debitum nisi quando ab ea exigitur.

4. Praeterea, vir potest aliquando uxorem exigentem precibus avertere ne exigat. Ergo multo magis potest non reddere si non exigat.

Sed contra, per redditionem debiti medicamentum praestatur contra uxoris concupiscentiam. Sed medicus cui infirmus est commissus, tenetur morbo eius subvenire etiam si ipse non petat. Ergo vir uxori non petenti tenetur debitum reddere.

2. Praeterea, praelatus tenetur correctionis remedium contra peccata subditorum adhibere etiam eis contradicentibus. Sed redditio debiti in viro est ordinata contra peccata uxoris. Ergo tenetur vir debitum reddere quandoque etiam non petenti.

Respondeo dicendum quod petere debitum est dupliciter *. Uno modo, expresse: ut quando verbis invicem petunt. Alio modo est petitio debiti interpretativa: quando scilicet vir percipit per aliqua signa quod uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet. Et ita, etiam si non expresse verbis debitum petat, tamen vir tenetur reddere quando expressa signa in uxore apparent voluntatis reddendi debiti.

* Cf. qu. LIII, art. 1, ad 4.

Ad primum ergo dicendum quod tempus determinatum non est quando petitur, sed quando timetur ex aliquibus signis periculum ad quod vitandum ordinatur debiti redditio, nisi tunc reddatur.

Ad secundum dicendum quod vir potest talem praesumptionem habere de uxore quando in ea contraria signa non videt. Sed quando videt, esset stulta praesumptio.

Ad tertium dicendum quod dominus non ita verecundatur a servo petere debitum servitutis sicut uxor a viro debitum coniugii. Si tamen dominus non peteret, vel propter ignorantiam vel alia de causa, nihilominus servus teneretur implere si periculum immineret. Hoc enim est *non ad oculum servire,* quod Apostolus servis mandat *.

* *Ad Ephes.*, cap. VI, vers. 6; *ad Coloss.*, cap. III, vers. 22.

Ad quartum dicendum quod non debet vir uxorem avertere ne petat debitum nisi propter aliquam rationabilem causam. Et tunc etiam non debet cum magna instantia averti, propter pericula imminentia.

ART. III. utrum vir et mulier sint in actu matrimoniali aequales

IIª IIae, qu. XXXII, art. 8, ad 2; IV *Sent.*, dist. XV, qu. II, art. 5, quª 1, ad 1; dist. XXXVI, art. 3, ad 3; I *ad Cor.*, cap. VII, lect. I.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod vir et mulier non sint in actu matrimonii aequales. *Agens* enim *est nobilius patiente:* ut Augustinus dicit, XII *super Gen. ad litt.* * Sed in actu coniugali vir se habet ut agens, et femina ut patiens *. Ergo non sunt in actu illo aequales.

2. Praeterea, uxor non tenetur viro debitum reddere nisi petat. Vir autem tenetur uxori, ut dictum est *. Ergo non sunt pares in actu matrimonii.

3. Praeterea, in matrimonio *mulier propter virum facta est* *, ut patet *Gen.* II **: *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Sed illud propter quod est alterum, semper est principalius. Ergo, etc.

4. Praeterea, matrimonium principaliter ordinatur ad actum coniugalem. Sed in matrimonio vir est *caput mulieris*, ut patet I *Cor.* XI *. Ergo non sunt aequales in actu praedicto.

* Cap. XVI. - Cf. Aristot. *de Anima* lib. III, cap. V, n. 2; s. Th. lect. X.
* Aristot. *de Generat. Animal.* lib. I, cap. XXI.
* Art. 2.
* I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 9.
** Vers. 18.
* Vers. 3. - Cf. *Ad Ephes.*, cap. V, vers. 23.

Sed contra est quod dicitur I *Cor.* VII *: *Vir non habet potestatem sui corporis;* et simile dicit de uxore. Ergo sunt aequales in actu matrimonii.

* Vers. 4.

2. Praeterea, matrimonium est relatio aequiparentiae: cum sit coniunctio, ut dictum est *. Ergo vir et uxor sunt aequales in actu matrimonii.

* Qu. XLIV, art. 1.

Respondeo dicendum quod duplex est aequalitas: scilicet quantitatis, et proportionis. Aequalitas quidem quantitatis est quae attenditur inter duas quantitates eiusdem mensurae, sicut bicubiti ad bicubitum. Sed aequalitas proportionis est quae attenditur inter duas proportiones eiusdem speciei, sicut dupli ad duplum. Loquendo ergo de prima aequalitate, vir et uxor non sunt aequales in matrimonio: neque quantum ad actum coniugalem, in quo id quod nobilius est viro debetur; neque quantum ad dispensationem domus, in qua uxor regitur et vir regit. Sed quantum ad secundam aequalitatem sunt aequales in utroque: quia sicut tenetur vir uxori in actu coniugali et dispensatione domus ad id quod viri est, ita uxor viro ad id quod uxoris est. Et secundum hoc dicitur in littera * quod sunt aequales in reddendo et petendo debitum.

* Dist. XXXII, cap. 1.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis agere sit nobilius quam pati, tamen eadem est proportio patientis ad patiendum et agentis ad agendum. Et secundum hoc est ibi aequalitas proportionis.

Ad secundum dicendum quod hoc est per accidens. Vir enim, quia nobiliorem partem habet in actu coniugali, naturaliter habet quod non ita erubescat petere debitum sicut uxor. Et inde est quod non ita uxor tenetur reddere debitum non petenti viro sicut vir uxori.

Ad tertium dicendum quod ex hoc ostenditur quod non sunt aequales absolute: non autem quod non sint aequales secundum proportionem.

Ad quartum dicendum quod, quamvis caput sit principalius membrum, tamen, sicut membra tenentur capiti in officio suo, ita caput membris in suo. Et sic est ibi aequalitas proportionis.

ART. IV. utrum vir et uxor possint votum emittere contra debitum matrimonii sine mutuo consensu

IV *Sent.*, dist. XXXVIII, qu. 1, art. 1, quª 3, ad 4.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod vir et uxor possint votum emittere contra debitum matrimonii sine mutuo consensu. Vir enim et uxor aequaliter obligantur

ad debiti solutionem, ut dictum est *. Sed licitum est viro, etiam uxore prohibente, accipere crucem in subsidium terrae sanctae *. Ergo etiam hoc licitum est uxori. Et ideo, cum per hoc votum redditio debiti impediatur, potest alter coniugum sine consensu alterius votum praedictum emittere.

* Art. praeced.
* Cap. *Ex multa, de Voto et Voti redempt.*

2. Praeterea, non est expectandus in aliquo voto consensus alicuius qui non potest sine peccato dissentire. Sed unus coniugum non potest sine peccato dissentire quin alter continentiam voveat, vel simpliciter vel ad tempus: quia impedire profectum spiritualem est peccatum in Spiritum Sanctum *. Ergo unus potest votum continentiae simpliciter vel ad tempus sine consensu alterius vovere.

* Cf. II *Sent.*, dist. XLIII, cap. *Est etiam alia.*

3. Praeterea, sicut in actu matrimoniali requiritur debiti redditio, ita debiti petitio. Sed unus potest sine consensu alterius vovere quod debitum non petat: cum in hoc sit suae potestatis. Ergo, pari ratione, quod debitum non reddat.

4. Praeterea, nullus potest ex praecepto superioris cogi ad id quod non liceret sibi simpliciter vovere et facere: quia in illicitis non est obediendum. Sed praelatus superior posset praecipere viro ut uxori ad tempus debitum non redderet, occupando eum in aliquo servitio. Ergo hoc etiam ipse posset per se facere et vovere per quod a debiti redditione impediretur.

Sed contra est quod dicitur I *Cor.* VII *: *Ne fraudetis vos invicem, nisi ex communi consensu ad tempus, ut vacetis orationi.*

* Vers. 5.

2. Praeterea, nullus potest facere votum de alieno. Sed *vir non habet potestatem sui corporis, sed uxor* *. Ergo sine eius consensu non potest votum continentiae facere, vel simpliciter vel ad tempus *.

* Ibid., vers. 4.
* Cf. gloss. in cap. *Carissimus, de Conv. Coniug.*

Respondeo dicendum quod *vovere voluntatis est* *: ut etiam ipsum nomen ostendit. Unde de illis tantum bonis potest esse votum quae nostrae subiacent voluntati. Qualia non sunt ea in quibus unus alteri tenetur. Et ideo in talibus non potest aliquis votum emittere sine consensu eius cui tenetur. Unde, cum coniuges sibi invicem teneantur in redditione debiti *, per quam continentia impeditur, non potest unus absque consensu alterius continentiam vovere. Et si voverit, peccat: nec debet servare votum, sed agere poenitentiam de malo voto facto.

* Gloss. Lomb. in Ps. LXXV, vers. 12.
* Cf. art. praec.

Ad primum ergo dicendum quod satis probabile est quod uxor debeat velle continere ad tempus pro subveniendo necessitati Ecclesiae generalis. Et ideo in favorem negotii pro quo crux sibi datur, institutum est quod vir possit absque consensu uxoris crucem accipere: sicut etiam posset domino suo terreno, a quo feudum tenet, absque eius consensu militare. Nec tamen in hoc omnino subtrahitur uxori ius suum: quia uxor potest eum sequi *. – Nec est simile de uxore ad virum. Quia, cum vir debeat regere uxorem et non e converso, magis tenetur uxor sequi virum quam e converso. Et praeterea uxor cum maiori periculo castitatis discurreret per terras quam vir, et cum minori Ecclesiae utilitate. Et ideo uxor non potest huiusmodi votum facere sine viri consensu.

* Cap. *Quod super his, de Voto et Voti redempt.*

Ad secundum dicendum quod alter coniugum dissentiens voto continentiae alterius non peccat: quia non dissentit ut bonum illius impediat, sed ne sibi praeiudicium generetur.

Ad tertium dicendum quod circa hoc est duplex opinio. Quidam * enim dicunt quod unus absque consensu alterius potest vovere quod non petat debitum, non autem quod non reddat: quia in primo uterque est sui iuris, sed non in secundo. – Sed quia, si alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium onerosum redderetur, dum oporteret unum semper confusionem debiti petendi subire; ideo alii * probabilius dicunt quod neutrum potest unus sine consensu alterius vovere.

* Vide gloss. in capp. *Quidam intravit*, et *Placet, de Conv. Coniug.*
* B. Albert. IV *Sent.*, dist. XXXII, art. 5.

Ad quartum dicendum quod, sicut mulier accipit potestatem in corpore viri salvo hoc in quo vir tenetur corpori suo, ita etiam salvo hoc in quo tenetur alii domino. Et ideo, sicut uxor non potest debitum petere a viro contra salutem sui corporis, ita nec ad impediendum hoc in quo domino tenetur. Sed praeter hoc non potest dominus prohibere quin debitum reddat.

ART. V. Utrum temporibus sacris debeat aliquis impediri quin debitum petat

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod temporibus sacris non debeat aliquis impediri quin debitum petat. Tunc enim est subveniendum morbo quando invalescit. Sed possibile est quod in die festo invalescat concupiscentia. Ergo tunc debet ei subveniri per debiti petitionem.

2. Praeterea, non est alia ratio quare non sit petendum debitum in diebus festivis nisi quia sunt orationi deputati. Sed in illis diebus sunt horae determinatae orationi. Ergo aliis horis liceret debitum petere.

Sed contra, sicut aliqua loca sunt sacra quia deputata sunt sacris, ita aliqua tempora sunt sacra propter eandem rationem. Sed in loco sacro non licet petere debitum. Ergo nec in tempore sacro.

Respondeo dicendum quod actus matrimonialis, quamvis culpa careat, tamen quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia. Et ideo in diebus in quibus spiritualibus praecipue est vacandum, non licet petere debitum.

Ad primum ergo dicendum quod tempore illo possunt alia adhiberi ad concupiscentiam reprimendam: sicut oratio et multa huiusmodi, quae etiam illi adhibent qui perpetuo continent.

Ad secundum dicendum quod, quamvis non teneatur omnibus horis orare, tamen tenetur tota die se conservare idoneum ad orandum.

ART. VI. Utrum petens in tempore sacro mortaliter peccet.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod petens in tempore sacro mortaliter peccet. Gregorius enim dicit, in I *Dial.* *, quod mulier quae in nocte cognita est a viro, mane ad processionem veniens a diabolo est arrepta. Sed hoc non esset nisi mortaliter peccasset. Ergo, etc.

* Cap. X.

2. Praeterea, quicumque facit contra praeceptum divinum, mortaliter peccat. Sed Dominus praecepit, *Exodi* XIX *, *Nolite appropinquare uxoribus vestris:* quando scilicet erant legem accepturi. Ergo multo magis peccant mortaliter si tempore quo sacramentis novae legis intendendum est, cum uxoribus viri commisceantur.

* Vers. 15.

Sed contra, nulla circumstantia aggravat in infinitum. Sed indebitum tempus est circumstantia quaedam. Ergo non aggravat in infinitum, ut faciat mortale quod alias esset veniale.

Respondeo dicendum quod debitum petere in die festivo non est circumstantia trahens in aliam speciem peccati. Unde non potest in infinitum aggravare. Et ideo non peccat mortaliter uxor vel vir si in die festo debitum petat. Sed tamen gravius est peccatum si sola delectationis causa petatur, quam si propter timorem quo quis sibi timet de lubrico carnis, debitum petat.

Ad primum ergo dicendum quod non fuit punita mulier illa propter hoc quod debitum reddidit: sed quia postmodum se temere ad divina ingessit contra conscientiam.

Ad secundum dicendum quod ex auctoritate illa non potest probari quod esset peccatum mortale, sed quod sit incongruum. Multa enim ad munditiam carnis pertinentia exigebantur de necessitate praecepti in veteri lege, quae carnalibus dabatur, quae in nova lege non exiguntur, quae est *lex spiritus* *.

* *Ad Rom.*, cap. VIII, vers. 2.

ART. VII. Utrum teneatur reddere tempore festivo

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod non tenetur reddere tempore festivo. Quia peccantes et consentientes pariter puniuntur, ut patet *Rom.* I *. Sed ille qui reddit debitum, consentit petenti, qui peccat. Ergo et ipse peccat.

* Vers. 32.

2. Praeterea, ex praecepto affirmativo obligamur ad orandum, et ita ad aliquod tempus determinatum. Ergo pro tempore illo in quo quis orare tenetur, debitum reddere non debet: sicut nec eo tempore quo tenetur temporali domino ad speciale obsequium.

* Vers. 5.

Sed contra est quod dicitur I *Cor.* vii *: *Nolite fraudari invicem, nisi communi consensu ad tempus,* etc. Ergo, quando petit, reddendum est ei.

Respondeo dicendum quod, cum mulier habeat potestatem in corpore viri quantum ad actum generationis spectat, et e converso, tenetur unus alteri debitum reddere quocumque tempore et quacumque hora, salva debita honestate quae in talibus exigitur; quia non oportet quod statim in publico reddat debitum.

Ad primum ergo dicendum quod iste, quantum in se est, non consentit, sed id quod ab eo exigitur invitus et cum dolore reddit. Et ideo non peccat. Hoc enim est propter lubricum carnis divinitus ordinatum, ut semper petenti debitum reddatur, ne aliqua occasio peccati detur.

Ad secundum dicendum quod non est aliqua hora ita determinata ad orandum quin possit postea recompensari in aliis horis. Et ideo obiectio non cogit.

QUAESTIO SEXAGESIMAQUINTA

DE BIGAMIS

* Cf. qu. lxiv, Introd.

Deinde considerandum est de pluralitate uxorum *. Circa quod quaeruntur quinque.

Primo: utrum habere plures uxores sit contra legem naturae.

Secundo: utrum aliquando fuerit licitum.

Tertio: utrum habere concubinam sit contra legem naturae.

Quarto: utrum accedere ad concubinam sit peccatum mortale.

Quinto: utrum aliquando licitum fuerit habere concubinam.

ART. I. Utrum habere plures uxores sit contra legem naturae

III *Cont. Gent.*, cap. cxxiv; *In Isai.*, cap. iv; I *ad Cor.*, cap. vii, lect. i.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod habere plures uxores non sit contra legem naturae. Consuetudo enim legi naturali non praeiudicat. Sed habere plures uxores *peccatum non erat quando mos erat,* ut ab Augustino * habetur in littera *. Ergo habere plures uxores non est contra legem naturae.

* Cont. Faust. lib. XXII, cap. xlvii.
* Dist. xxxiii, cap. i.

2. Praeterea, quicumque facit contra legem naturae, facit contra praeceptum: quia sicut lex scripta habet sua praecepta, ita et lex naturae. Sed Augustinus dicit * quod habere plures uxores *non erat contra praeceptum, quia nulla lege erat prohibitum.* Ergo habere plures uxores non est contra legem naturae.

* De Bono Coniug., cap. xxv; Cont. Faust., loc. cit.

3. Praeterea, matrimonium principaliter ordinatur ad prolis procreationem. Sed unus potest ex pluribus prolem accipere, plures fecundando. Ergo non est contra legem naturae habere plures uxores.

4. Praeterea, *ius naturale est quod natura omnia animalia docuit,* ut in principio *Digestorum* * dicitur. Sed natura non docuit hoc omnia animalia, quod sit una unius: cum unus mas in multis animalibus pluribus feminis coniungatur. Ergo non est contra legem naturae habere plures uxores.

* Dig. I, ii, de Iustit. et Iure, i.

5. Praeterea, secundum Philosophum, XV *de Animal.* *, in generatione prolis mas se habet ad feminam sicut agens ad patiens et artifex ad materiam. Sed non est contra ordinem naturae quod unum agens in plura patientia agat, aut unus artifex ex diversis materiis operetur. Ergo nec est contra legem naturae quod unus mas plures uxores habeat.

* Did. de Animal. Generat. lib. I, cap. xxi.

Sed contra, illud praecipue videtur esse de iure naturali quod homini in sua institutione inditum est. Sed quod sit una unius in ipsa institutione humanae naturae est ei inditum, ut patet *Gen.* ii *: *Erunt duo in carne una.* Ergo est de lege naturae.

* Vers. 24; Matth. cap. xix, vers. 4, 5.

2. Praeterea, contra legem naturae est quod homo se ad impossibile obliget, et ut quod uni datum est alteri detur. Sed homo contrahens cum una uxore sui corporis potestatem sibi tradidit, ut necesse sit reddere debitum cum petierit. Ergo contra legem est si postea alteri potestatem sui corporis tradat: quia nemo posset simul utrique reddere debitum, si simul peterent.

3. Praeterea, de lege naturae est, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* *. Sed vir nullo modo vellet quod uxor alium virum haberet. Ergo contra legem naturae faceret si uxorem aliam superinduceret.

* Tobiae cap. iv, vers. 16; Matth. cap. vii, vers. 12. - Gratian. in princip. Decret.

4. Praeterea, quidquid est contra naturale desiderium, est contra legem naturae. Sed zelus viri ad uxorem, et uxoris ad virum, naturalis est: quia in omnibus invenitur. Ergo, cum zelus sit *amor non patiens consortium in amato* *, videtur quod contra legem naturae sit quod plures uxores habeant unum virum.

* Cf. III *Sent.*, dist. xxvi, qu. i, art. 3; II *ad Cor.*, cap. xi, lect. i.

Respondeo dicendum quod omnibus rebus naturalibus insunt quaedam principia quibus non solum operationes proprias efficere possunt, sed quibus etiam eas convenientes fini suo reddant: sive sint actiones quae consequantur rem aliquam ex natura sui generis, sive consequantur ex natura speciei; ut magneti competit ferri deorsum ex natura sui generis, et attrahere ferrum ex natura speciei. Sicut autem in rebus agentibus ex necessitate naturae sunt principia actionum ipsae formae, a quibus operationes propriae prodeunt convenientes fini; ita in his quae cognitionem participant, principia agendi sunt cognitio et appetitus. Unde oportet quod in vi cognitiva sit naturalis conceptio, et in vi appetitiva naturalis inclinatio, quibus operatio conveniens generi sive speciei reddatur competens fini. Sed quia homo inter cetera animalia rationem finis cognoscit et proportionem operationis ad finem, ideo naturalis conceptio ei indita, qua dirigitur ad operandum, convenienter *lex naturalis* vel *ius naturale* dicitur. In ceteris autem *aestimatio naturalis* vocatur: bruta enim ex vi naturae impelluntur ad operandum convenientes actiones, magis quam regulentur, quasi proprio arbitrio agentia.

Lex ergo naturalis nihil aliud est quam conceptio homini naturaliter indita qua dirigitur ad convenienter agendum in actionibus propriis: sive competant ei ex natura generis, ut generare, comedere, et huiusmodi; sive ex natura speciei, ut ratiocinari et huiusmodi. Omne autem illud quod actionem inconvenientem reddit fini quem natura ex opere aliquo intendit, contra legem naturae esse dicitur.

Potest autem actio non esse conveniens fini vel principali, vel secundario: et, sive sic sive sic, hoc contingit dupliciter. Uno modo, ex aliquo quod omnino impedit finem: ut nimia superfluitas aut defectus comestionis impedit salutem corporis, quasi principalem finem comestionis; et bonam habitudinem in negotiis exercendis, qui est finis secundarius. Alio modo, ex aliquo quod facit difficilem aut minus decentem perventionem ad finem principalem vel secundarium: sicut inordinata comestio quantum ad tempus indebitum. Si ergo actio sit inconveniens fini quasi omnino prohibens finem principalem, directe per legem naturae prohibetur primis praeceptis legis naturae, quae sunt in operabilibus sicut sunt communes conceptiones in speculativis *. Si autem sit incompetens fini secundario quocumque modo, aut etiam principali ut faciens difficilem vel minus congruam perventionem ad ipsum, prohibetur non quidem primis praeceptis legis naturae, sed secundis, quae ex primis derivantur, sicut conclusiones in speculativis ex principiis per se notis fidem habent *. Et sic dicta actio contra legem naturae esse dicitur.

* Cf. I^am II^ae, qu. xci, art. 3
* Cf. ibid.

Matrimonium ergo habet pro fine principali prolis procreationem et educationem: qui quidem finis competit homini secundum naturam sui generis; unde et *aliis animalibus est communis,* ut dicitur in VIII *Ethic.* * Et sic bonum matrimonii assignatur *proles* *. Sed pro fine secundario, ut dicit Philosophus *, habet in hominibus solum communicationem operum quae sunt necessaria in vita. Et secundum hoc *fidem* sibi invicem debent, quae est unum de bonis matrimonii *. Habet ulterius alium finem inquantum in fidelibus est, scilicet significationem Christi et Ecclesiae *. Et sic bonum matrimonii dicitur *sacramentum* **. Unde primus finis respondet matrimonio hominis inquantum est animal; secundus inquantum est homo; tertius inquantum est fidelis.

* Cap. xii, n. 7. - S. Th. lect. xii.
* Cf. qu. xlix, art. 2.
* Loc. prox. cit. - Cf qu. xli, art. i.
* Cf. qu. xlix, art. 2.
* Ad Ephes., cap. v, vers. 32.
** Cf. qu. xlix, art. 2.

Pluralitas ergo uxorum neque totaliter tollit neque aliqualiter impedit primum finem: cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fecundandis, et educandis filiis ex eis natis. – Sed secundum finem, etsi non totaliter tollit, tamen multum impedit: eo quod non facile potest esse pax in familia ubi uni viro plures uxores iunguntur, cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum; et quia communicatio plurium in uno officio causat litem, sicut *figuli conrixantur ad invicem* *, et similiter plures uxores unius viri. – Tertium autem finem totaliter tollit: eo quod, sicut Christus est unus, ita Ecclesia una.

* Aristot. *Rhetor.* lib. II, cap IV, n. 21; V *Polit.*, cap VIII, n. 18, Comment. lect. X.

Et ideo patet ex dictis quod pluralitas uxorum quodammodo est contra legem naturae, et quodammodo non.

Ad primum ergo dicendum quod consuetudo non praeiudicat legi naturae quantum ad prima praecepta ipsius, quae sunt quasi communes animi conceptiones in speculativis *. Sed ea quae ex istis trahuntur ut conclusiones, *consuetudo auget*, ut Tullius dicit, in III *Rhetoric.* *, et similiter minuit. Et huiusmodi est praeceptum legis naturae de unitate uxoris.

* Cf. corp. art.
* *De Invent. Rhetor.* lib. II, cap. LIV.

Ad secundum dicendum quod, sicut Tullius dicit *, *res a natura perfectas et a consuetudine approbatas legum metus et religio sanxit.* Unde patet quod illa quae lex naturalis dictat quasi ex primis principiis legis naturae derivata, non habent vim coactivam per modum praecepti absolute, nisi postquam lege divina et humana sancita sunt. Et hoc est quod dicit Augustinus, quod non faciebant contra praeceptum, *quia nulla lege erat prohibitum.*

* Ibid., cap. LIII.

Ad tertium patet solutio ex dictis *.

* In corpore.

Ad quartum dicendum quod ius naturale multipliciter accipitur. Primo enim aliquod ius dicitur naturale ex principio, quia natura est inditum. Et sic definit Tullius, in II *Rhetoric.* *, dicens: *Ius naturae est quod non opinio genuit, sed quaedam innata vis inseruit.*

* Cap. LIII.

Et quia etiam in rebus naturalibus dicuntur aliqui motus naturales, non quia sint ex principio intrinseco, sed quia sunt a principio superiori movente, sicut motus qui sunt in elementis ex impressione corporum caelestium, naturales dicuntur, ut Commentator dicit, in III *Coeli et Mundi* *; ideo ea quae sunt de iure divino, dicuntur esse de iure naturali, cum sint ex impressione et infusione superioris principii, scilicet Dei. Et sic accipitur ab Isidoro *, qui dicit quod *ius naturale est quod in lege et in Evangelio continetur.*

* Comment. XX.
* Gratian. in praefat. ad dist. I.

Tertio, dicitur ius naturale non solum a principio, sed a natura, quia de naturalibus est. Et quia natura contra rationem dividitur, a qua homo est homo, ideo, strictissimo modo accipiendi ius naturale, illa quae ad homines tantum pertinent, etsi sint de dictamine naturalis rationis, non dicuntur esse de iure naturali; sed illa tantum quae naturalis ratio dictat de his quae sunt homini aliisque communia. Et sic datur dicta definitio *, scilicet: *Ius naturale est quod natura omnia animalia docuit.*

* In arg.

Pluralitas ergo uxorum, quamvis non sit contra ius naturale tertio modo acceptum, est tamen contra ius naturale secundo modo acceptum: quia iure divino prohibetur *. Et etiam contra ius naturale primo modo acceptum, ut ex dictis * patet: quia natura dictat animali cuilibet secundum modum convenientem suae speciei. Unde etiam quaedam animalia, in quibus ad educationem prolis requiritur sollicitudo utriusque, scilicet maris et feminae, naturali instinctu servant coniunctionem unius ad unum: sicut patet in turture et columba et huiusmodi *.

* Cf. art. seq.
* In corpore.
* Aristot. *de Animal. Hist.* lib. IX, cap. VII, n. 2, 3.

Sed quia rationes inductae in contrarium videntur ostendere quod pluralitas uxorum sit contra prima principia legis naturae, ideo ad eas respondendum. Et dicendum *ad quintum* * quod natura humana absque omni defectu instituta est. Et ideo non solum sunt indita ei illa sine quibus matrimonii finis principalis esse non potest, sed etiam illa sine quibus secundarius finis matrimonii sine difficultate haberi non posset. Et hoc modo sufficit homini in ipsa sui institutione habere unam uxorem.

* Arg. *Sed contra* 1.

Ad sextum * dicendum quod vir per matrimonium non dat sui corporis potestatem uxori quantum ad omnia, sed solum quantum ad illa quae matrimonium requirit. Non autem requirit matrimonium ut quolibet tempore uxori petenti vir debitum reddat, quantum ad id ad quod matrimonium principaliter est institutum, scilicet bonum prolis, sed quantum sufficit ad impraegnationem. Requirit autem hoc matrimonium inquantum est ad remedium institutum, quod est secundarius ipsius finis, ut quolibet tempore debitum petenti reddatur *. Et sic patet quod accipiens plures uxores non se obligat ad impossibile, considerato principali fine matrimonii. Et ideo pluralitas uxorum non est contra praecepta prima legis naturae.

* Arg. *Sed contra* 2.
* Cf. qu. LXIV, art. 7, ad 1.

Ad septimum * dicendum quod illud praeceptum legis naturae, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,* debet intelligi, *eadem proportione servata:* non enim, si praelatus non vult sibi resisti a subdito, ipse subdito resistere non debet. Et ideo non oportet quod, ex vi illius praecepti, quod si vir non vult quod uxor sua habeat alium virum, quod ipse non habeat aliam uxorem: quia unum virum habere plures uxores non est contra prima praecepta legis naturae, ut dictum est *; sed unam uxorem habere plures viros est contra prima praecepta legis naturae, eo quod per hoc quantum ad aliquid totaliter tollitur, et quantum ad aliquid impeditur bonum prolis, quod est principalis matrimonii finis. In bono enim prolis intelligitur non solum procreatio, sed etiam educatio. Ipsa enim procreatio prolis, etsi non totaliter tollatur, quia contingit post impraegnationem primam iterum mulierem impraegnari, ut dicitur in IX *de Animal.* *; tamen multum impeditur, quia vix potest accidere quin corruptio accidat quantum ad utrumque fetum vel quantum ad alterum. Sed educatio totaliter tollitur: quia ex hoc quod una mulier plures maritos haberet, sequeretur incertitudo prolis respectu patris, cuius cura necessaria est in educando. Et ideo nulla lege vel consuetudine est permissum unam mulierem habere plures viros, sicut e converso.

* Arg. *Sed contra* 3.
* Resp. ad 6.
* Did. *De Animal. Histor.* lib. VII, cap. V, n. 2, 3.

Ad octavum * dicendum quod naturalis inclinatio in appetitiva sequitur naturalem conceptionem in cognitione. Et quia non ita est contra conceptionem naturalem quod vir habeat plures uxores sicut quod uxor habeat plures viros, ideo affectus uxoris non tantum refugit consortium in viro sicut e converso. Et ideo tam in hominibus quam in aliis animalibus invenitur maior zelus maris ad feminam quam e converso.

* Arg. *Sed contra* 4.

ART. II. UTRUM HABERE PLURES UXORES POTUERIT ALIQUANDO ESSE LICITUM

III *Cont. Gent.*, cap. CXXIV; IV, cap. LXXVIII.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod habere plures uxores non potuerit aliquando esse licitum. Quia secundum Philosophum, in V *Ethic.* *, *ius naturale semper et ubique habet eandem potentiam.* Sed iure naturali prohibetur pluralitas uxorum, ut ex dictis * patet. Ergo, sicut modo non licet, ita nec unquam licuit.

* Cap. VII, n. 1. – S. Th. lect. XII.
* Art. praeced.

2. Praeterea, si aliquando licuit, hoc non fuit nisi quia vel per se licitum erat, vel per aliquam dispensationem licebat. Si primo modo, sic etiam nunc licitum esset. Si autem secundo modo, hoc esse non potest. Quia, secundum Augustinum *, *Deus, cum sit naturae Conditor, non facit aliquid contra rationes quas naturae inseruit.* Cum ergo naturae nostrae Deus inseruerit quod sit una unius *, videtur quod ipse contra hoc nunquam dispensaverit.

* *Cont. Faust.* lib. XXVI, cap. III. – Cf. *de Gen. ad litt.* lib. VI, cap. XV.
* Cf. art. praec., arg. *Sed contra* 1.

3. Praeterea, si aliquid est licitum ex dispensatione, hoc non licet nisi illis quibus dispensatio fit. Non autem legitur aliqua dispensatio communis in lege cum omnibus facta. Cum ergo omnes communiter qui volebant plures uxores acciperent in veteri Testamento, nec ex hoc reprehendebantur in lege vel a prophetis, non videtur quod fuerit ex dispensatione licitum.

4. Praeterea, ubi est eadem causa dispensationis, debet eadem dispensatio fieri. Sed causa dispensationis non potest alia poni nisi multiplicatio prolis ad cultum Dei: quae etiam nunc necessaria est. Ergo adhuc dicta dispensatio duraret: praecipue cum non legatur revocata.

5. Praeterea, in dispensatione non debet praetermitti maius bonum propter minus bonum. Sed fides et sacramentum, quae non videntur posse servari in matrimonio

quo unus pluribus uxoribus coniungitur, sunt meliora quam prolis multiplicatio. Ergo intuitu huius multiplicationis dispensatio praedicta fieri non debuisset.

SED CONTRA, *Galat.* III * dicitur quod *lex propter praevaricatores posita est,* ut scilicet eos prohiberet. Sed lex vetus facit mentionem de pluralitate uxorum sine aliqua eius prohibitione, ut patet *Deuteron.* XXI *: *Si habuerit homo duas uxores,* etc. Ergo habendo duas uxores non erant praevaricatores. Et ita erat licitum.

* Vers. 19.
* Vers. 15.

2. PRAETEREA, hoc idem videtur exemplo ex sanctis Patribus, qui plures leguntur habuisse uxores, cum Deo essent acceptissimi: sicut Iacob * et David ** et plures alii *. Ergo aliquando fuit licitum.

* *Gen.* cap. XXIX, vers. 16 sqq.; cap. XXXV, vers. 23 sqq.
** II *Reg.* cap. V, vers. 13.
* Cf. *Gen.* cap. XVI, vers. 3; cap. XXV, vers. 6; I *Reg.* cap. I, vers. 2; II *Paralip.* cap. XXIV, vers. 3.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut ex dictis * patet, pluralitas uxorum dicitur esse contra legem naturae, non quantum ad prima praecepta eius, sed quantum ad secunda, quae quasi conclusiones a primis praeceptis derivantur. Sed quia actus humanos variari oportet secundum diversas conditiones personarum et temporum et aliarum circumstantiarum, ideo conclusiones praedictae a primis legis naturae praeceptis non procedunt ut semper efficaciam habentes, sed in maiori parte: talis est enim tota materia moralis, ut patet per Philosophum, in libro *Ethicorum* *. Et ideo, ubi eorum efficacia deficit, licite ea praetermitti possunt. Sed quia non est facile determinare huiusmodi varietates, ideo illi ex cuius auctoritate lex efficaciam habet, reservatur ut licentiam praebeat legem praetermittendi in illis casibus ad quos legis efficacia se non extendere debet. Et talis licentia *dispensatio* dicitur *.

* Art. praeced.
* Lib. I, cap. III, n. 4; cap. VII, n. 18. - S. Th. lect. III, XI.
* Cf. s. Raym. *Summ.* lib. III, tit. XXIX, *de Laps. et Dispens.*, § 2.

Lex autem de unitate uxoris non est humanitus, sed divinitus instituta: nec unquam verbo aut litteris tradita, sed cordi impressa *, sicut et alia quae ad legem naturae qualitercumque pertinent. Et ideo in hoc a solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam. Quae quidem principaliter sanctis Patribus facta est, et per eorum exemplum ad alios derivata est, eo tempore quo oportebat praedictum naturae praeceptum praetermitti ut maior esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandae. Semper enim principalior finis magis observandus est quam secundarius. Unde, cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum quod posset in secundariis finibus evenire, ad quod removendum praeceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur, ut ex dictis * patet.

* Cf. arg. 2.
* Art. praeced.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ius naturale semper et ubique, quantum est de se, habet eandem potentiam. Sed per accidens, propter aliquod impedimentum, quandoque et alicubi potest variari: sicut ibidem * Philosophus exemplum ponit de aliis rebus naturalibus. Semper enim et ubique dextera est melior quam sinistra secundum naturam: sed per aliquod accidens contingit aliquem esse ambidextrum, quia natura nostra variabilis est. Et similiter etiam est de naturali iusto, ut ibidem Philosophus dicit.

* Num. 4.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in decretali quadam, *de Divortiis* *, dicitur quod *nunquam licuit alicui plures habere uxores sine dispensatione per divinam inspirationem habita.* Nec tamen talis dispensatio datur contra rationes quas Deus naturae inseruit, sed praeter eas: quia rationes illae non sunt ordinatae ad semper, sed in pluribus esse, ut dictum est *; sicut etiam non est contra naturam quando aliqua accidunt in rebus naturalibus miraculose, praeter ea quae ut frequenter solent evenire.

* Cap. *Gaudemus.*
* In corpore.

AD TERTIUM DICENDUM quod qualis est lex, talis debet esse dispensatio legis. Et quia lex naturae non est litteris scripta sed est cordibus impressa, propter hoc non oportuit dispensationem eorum quae ad legem naturae pertinent lege scripta dari, sed per internam inspirationem fieri.

AD QUARTUM DICENDUM quod, veniente Christo, fuit tempus plenitudinis gratiae Christi, per quam cultus Dei in omnes gentes spirituali propagatione diffusus est. Et ideo non est eadem ratio dispensationis quae erat ante Christi adventum, quando cultus Dei carnali propagatione multiplicabatur et conservabatur.

AD QUINTUM DICENDUM quod proles quod est bonum matrimonii, includit fidem ad Deum servandam: quia secundum quod proles expectatur ad cultum Dei educanda, ponitur matrimonii bonum. Fides autem ad Deum servanda est potior quam fides uxori, quae ponitur bonum matrimonii; et quam significatio, quae pertinet ad sacramentum, quia significatio ad fidei cognitionem ordinatur. Et ideo non est inconveniens si propter bonum prolis aliquid detrahitur aliis duobus bonis.

Nec tamen omnino tolluntur. Quia et fides manet ad plures: et sacramentum aliquo modo. Quia, quamvis non significatur coniunctio Christi ad Ecclesiam inquantum est una, significatur tamen distinctio graduum in Ecclesia per pluralitatem uxorum, quae quidem non solum est in Ecclesia militante, sed etiam triumphante. Et ideo illorum matrimonia aliquo modo significabant coniunctionem Christi ad Ecclesiam, non solum militantem, ut quidam * dicunt, sed etiam triumphantem, in qua sunt *diversae mansiones* *.

* B. Albert. IV *Sent.*, dist. XXXIII, art. 6.
* Ioan. cap. XIV, vers. 2.

ART. III. UTRUM HABERE CONCUBINAM SIT CONTRA LEGEM NATURAE

Infra, qu. LXVII, art. 2, ad 2; IIa IIae, qu. CLIV, art. 2; III *Cont. Gent.*, cap. CXXII; *De Malo,* qu. XV, art. 1.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod habere concubinam non sit contra legem naturae. Legis enim caeremonia non sunt de lege naturae. Sed fornicatio prohibetur, *Act.* XV *, inter alia caeremonia legis quae ad tempus credentibus ex gentibus imponebantur. Ergo fornicatio simplex, quae est accessus ad concubinam, non est contra legem naturae.

* Vers. 29.

2. PRAETEREA, ius positivum a naturali iure profectum est, ut Tullius dicit *. Sed secundum ius positivum fornicatio simplex non prohibetur: immo potius in poenam secundum antiquas leges mulieres lupanaribus tradendae condemnabantur *. Ergo habere concubinam non est contra legem naturae.

* *De Invent. Rhetor.* lib. II, cap. LIII.
* Cf. Tacit. *Annal.* V, 9.

3. PRAETEREA, naturalis lex non prohibet quin illud quod datur simpliciter, possit dari ad tempus et secundum quid. Sed una mulier soluta potest dare viro soluto in perpetuum sui corporis potestatem, ut ea utatur licite cum voluerit. Ergo non est contra legem naturae si dederit ei potestatem sui corporis ad horam.

4. PRAETEREA, quicumque re sua utitur ut vult, nemini facit iniuriam *. Sed ancilla est res domini **. Ergo, si dominus ea utitur ad libitum, nulli facit iniuriam. Et ita habere concubinam non est contra legem naturae.

* Cf. Dig. L, XVII, *de Divers. Reg. Iuris Antiq.*, reg. CLI.
** Cf. Aristot. *Polit.* lib. I, cap. II, n. 4, 6, 7. - S. Th. lect. II.

5. PRAETEREA, quilibet potest alteri dare quod suum est. Sed uxor habet potestatem in corpore viri, ut patet I *Cor.* VII *. Ergo, si uxor velit, vir poterit alteri mulieri coniungi sine peccato.

* Vers. 4.

SED CONTRA, secundum omnes leges filii qui de concubina nascuntur, sunt vituperabiles *. Sed hoc non esset nisi concubitus ex quo oriuntur esset naturaliter turpis. Ergo habere concubinam est contra legem naturae.

* Cf. can. *Liberi dicti,* caus. XXXII, qu. IV.

2. PRAETEREA, matrimonium est naturale *. Sed hoc non esset si sine praeiudicio legis naturae homo posset coniungi mulieri praeter matrimonium. Ergo contra legem naturae est concubinam habere.

* Cf. qu. XLI, art. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod illa actio dicitur esse contra legem naturae quae non est conveniens fini debito, sive quia non ordinatur in ipsum per actionem agentis, sive quia de se est improportionata illi fini. Finis autem quem natura ex concubitu intendit, est proles procreanda et educanda: et ut hoc bonum quaereretur, posuit delectationem in coitu, ut Constantinus * dicit. Quicumque ergo concubitu utitur propter delectationem quae in ipso est, non referendo in finem a natura intentum, contra naturam facit: et similiter etiam nisi sit talis concubitus qui ad illum finem convenienter ordinari possit. Et quia res a fine plerumque nominantur tanquam ab optimo *, sicut coniunctio *matrimonii* a prolis bono nomen accepit *, quod per matrimonium principaliter quaeritur; ita *concubinae* nomen illam coniunctionem exprimit qua solus concubitus propter seipsum quaeritur.

* Lib. *de Coitu,* in princip.
* Cf. Aristot. *de Anima*, lib. II, cap. IV, n. 15, s. Th. lect. IX; *Topic.* lib. VI, cap. VIII, n. 2.
* Cf. qu. XLIV, art. 2.

Et si etiam aliquis quandoque ex tali concubitu prolem quaerat, non tamen est conveniens ad prolis bonum, in quo non solum intelligitur ipsius procreatio, per quam

proles *esse* accipit, sed etiam educatio et instructio, per quam accipit *nutrimentum* et *disciplinam* a parentibus, in quibus tribus parentes proli tenentur, secundum Philosophum, VIII *Ethic.* * Cum autem educatio et instructio proli a parentibus debeantur per longum tempus, exigit lex naturae ut pater et mater in longum tempus commaneant, ad subveniendum communiter proli. Unde aves quae communiter pullos nutriunt, ante completam nutritionem non separantur a mutua societate, quae incipit a concumbendo. Haec autem obligatio ad commanendum feminam marito matrimonium facit. Et ideo patet quod accedere ad mulierem non iunctam sibi matrimonio, quae concubina vocatur, est contra legem naturae.

* Cap. xii, n. 5. - S. Th. lect. xii.

Ad primum ergo dicendum quod in gentibus quantum ad multa lex naturae obfuscata erat. Unde accedere ad concubinam malum non reputabant, sed passim fornicatione quasi re licita utebantur: sicut et aliis quae erant contra caeremonias Iudaeorum, quamvis non essent contra legem naturae. Et ideo Apostoli immiscuerunt prohibitionem fornicationis caeremonialibus, propter discretionem quae erat in utroque inter Iudaeos et gentiles.

Ad secundum dicendum quod ex praedicta obscuritate *, scilicet in quam ceciderunt gentiles, Deo debitam gloriam non reddentes, ut dicitur *Rom.* i *, lex illa processit, et non ex instinctu legis naturae. Unde, praevalente Christiana religione, lex illa extirpata est.

* Resp. ad 1.

* Vers. 21.

Ad tertium dicendum quod in aliquibus, sicut nihil inconveniens sequitur si rem aliquam quam quis in potestate habet alteri simpliciter tradat, ita etiam nec si tradat ad tempus: et sic neutrum est contra legem naturae. Ita autem non est in proposito. Ideo ratio non sequitur.

Ad quartum dicendum quod iniuria iustitiae opponitur. Lex autem naturalis non solum prohibet iniustitiam, sed etiam opposita omnium virtutum *: sicut contra legem naturae est ut aliquis immoderate comedat, quamvis talis, rebus utens suis, nulli iniuriam facit. – Et praeterea ancilla, quamvis sit res domini ad obsequium, non est tamen res sua ad concubitum. Et iterum interest qualiter quisque re sua utatur *. – Facit etiam talis iniuriam proli procreandae, ad cuius bonum non sufficienter talis coniunctio ordinatur, ut dictum est *.

* Aristot. *Ethic.* lib. V, cap. 1, n. 14. - S. Th. lect. ii.

* Cf. qu. lii, art. 2, ad 2.

* In corpore.

Ad quintum dicendum quod mulier habet potestatem in corpore viri non simpliciter quantum ad omnia, sed solum quantum ad matrimonium. Et ideo non potest contra bonum matrimonii corpus viri alteri praebere.

ART. IV. Utrum accedere ad concubinam sit peccatum mortale

IIa IIae, qu. cliv, art. 2; III *Cont. Gent.*, cap. cxxii; *De Malo*, qu. xv, art. 2.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod accedere ad concubinam non sit peccatum mortale. Maius enim peccatum est mendacium quam fornicatio simplex: quod patet ex hoc quod Iudas, qui fornicationem non horruit cum Thamar committere, recusavit mendacium, dicens: *Certe mendacii arguere nos non poterit* *. Sed mendacium non est semper peccatum mortale. Ergo neque fornicatio simplex.

* *Gen.* cap. xxxviii, vers. 23.

2. Praeterea, peccatum mortale morte puniri debet. Sed lex vetus non puniebat concubitum concubinae morte, nisi in aliquo casu, ut patet *Deuteron.* xxii *. Ergo non est peccatum mortale.

* Vers. 20 sqq.

3. Praeterea, secundum Gregorium *, peccata mortalia carnalia sunt minoris culpae quam spiritualia. Sed non omnis superbia aut avaritia est peccatum mortale, quae sunt spiritualia peccata. Ergo non omnis fornicatio, quae est peccatum carnale.

* *Moral.* lib. XXXIII, cap. xii, al. xi; in vet. cap. xvi.

4. Praeterea, ubi est maius incitamentum, ibi est minus peccatum: quia magis peccat qui minori tentatione vincitur *. Sed concupiscentia maxime instigat ad venerea. Ergo, cum actus gulae non semper sit peccatum mortale, nec fornicatio simplex erit mortale.

* Cf. IV *Sent.* dist. xvi, cap. 1.

Sed contra, nihil excludit a regno Dei nisi peccatum mortale. Sed fornicatores excluduntur a regno Dei, ut patet I *ad Cor.* vi *. Ergo fornicatio simplex est peccatum mortale.

* Vers. 9, 10.

2. Praeterea, sola peccata mortalia *crimina* dicuntur. Sed fornicatio dicitur crimen: ut patet *Tobiae* iv *, *Attende tibi ab omni fornicatione, et praeter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.*

* Vers. 13.

Respondeo dicendum quod, sicut in Secunda Parte * dictum est, illi actus ex suo genere sunt peccata mortalia per quos foedus amicitiae hominis ad Deum et hominis ad hominem violatur: haec enim sunt contra duo praecepta caritatis, quae est animae vita *. Et ideo, cum concubitus fornicarius tollat debitam ordinationem parentis ad prolem, quam natura ex concubitu intendit, non est dubium quod fornicatio simplex de sui ratione est peccatum mortale, etiam si lex scripta non esset.

* Ia IIae, qu. lxxxviii, art. 2. - Cf. II *Sent.*, dist. xlii, qu. 1, art. 4.

* Cf. Part. III, qu. lxxxix, art. 6.

Ad primum ergo dicendum quod frequenter homo qui non vitat peccatum mortale, vitat aliquod peccatum veniale, ad quod non habet tantum incitamentum. Et ita etiam Iudas mendacium vitavit, fornicationem non vitans. – Quamvis illud mendacium perniciosum fuisset, iniuriam habens annexam, si promissum non reddidisset *.

* Cf. loc. cit. in arg., vers. 17.

Ad secundum dicendum quod peccatum non dicitur mortale quia morte temporali puniatur, sed quia punitur aeterna. Unde etiam furtum, quod est peccatum mortale, et multa alia, interdum non puniuntur per leges temporali morte. Et similiter etiam est de fornicatione.

Ad tertium dicendum quod, sicut non quilibet motus superbiae est peccatum mortale, ita nec quilibet motus luxuriae: quia primi motus luxuriae et huiusmodi sunt peccata venialia, et etiam concubitus matrimonialis interdum. Tamen aliqui luxuriae actus sunt peccata mortalia, aliquibus motibus superbiae venialibus existentibus: quia in verbis Gregorii inductis intelligitur comparatio vitiorum secundum genus, non quantum ad singulos actus.

Ad quartum dicendum quod illa circumstantia efficacior est ad gravandum quae magis appropinquat ad speciem peccati *. Unde, quamvis fornicatio ex magnitudine incitamenti diminuatur, tamen ex materia circa quam est, gravitatem habet maiorem quam inordinata comestio: cum sit circa ea quae pertinent ad fovendum foedus societatis humanae. Et ideo ratio non sequitur.

* Cf. IV *Sent.*, dist. xvi, qu. iii, art. 2, qua 2.

ART. V. Utrum aliquando licitum fuerit concubinam habere

IV *Sent.*, dist. xxxiii, qu. ii, art. 2, qa 1, ad 2; III *Cont. Gent.*, cap. cxxv, in fine.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod aliquando licitum fuerit concubinam habere. Sicut enim habere unam uxorem est de lege naturae, ita non habere concubinam. Sed aliquando licuit plures uxores habere *. Ergo et habere concubinam.

* Art. 2.

2. Praeterea, non potest aliqua simul esse ancilla et uxor: unde secundum legem ex hoc ipso quod ancilla in matrimonium ducebatur, libera reddebatur *. Sed aliqui amicissimi Deo leguntur ad suas accessisse ancillas: sicut Abraham * et Iacob **. Ergo illae non erant uxores. Et sic aliquando licuit concubinas habere.

* *Deut.* cap. xxi, vers. 10 sqq.

* *Gen.* cap. xvi, vers. 3, 4; cap. xxv, vers. 6.

** Ibid., cap. xxxiv, vers. 23 sqq.

3. Praeterea, illa quae in matrimonium ducitur, non potest eiici, et filius eius debet esse hereditatis particeps. Sed Abraham eiecit Agar, et filius eius non fuit heres *. Ergo non fuit uxor Abrahae.

* *Gen.* cap. xxi, vers. 10 sqq.

Sed contra, ea quae sunt contra praecepta Decalogi, nunquam licuerunt. Sed habere concubinam est contra praeceptum Decalogi, scilicet, *Non moechaberis* *. Ergo nunquam fuit licitum.

* *Exod.* cap. xx, vers. 14.

2. Praeterea, Ambrosius dicit, in libro *de Patriarchis* *: *Viro non licet quod mulieri non licet.* Sed nunquam licuit mulieri ad alium virum accedere, dimisso viro proprio. Ergo nec viro unquam licuit concubinam habere.

* *De Abraham*, lib. I, cap. iv, n. 25. - Cf. can. *Nemo sibi blandiatur*, caus. XXXII, qu. iv.

Respondeo dicendum quod Rabbi Moyses dicit * quod ante tempus legis fornicatio non erat peccatum: quod probat ex hoc quod Iudas cum Thamar concubuit *. – Sed ista ratio non cogit. Non enim necesse est filios Iacob a peccato excusari: cum accusati fuerint apud patrem *crimine pessimo* *, et in Ioseph necem vel venditionem consenserint *.

* *Doct. Perplex.* lib. III, cap. xlix.

* *Gen.* cap. xxxviii, vers. 13 sqq.

* Ibid., cap. xxxvii, vers. 2.

* Ibid., vers. 18 sqq.

Et ideo dicendum est quod, cum habere concubinam non matrimonio iunctam sit contra legem naturae *, nullo

* Art. 3.

tempore secundum se licitum fuit, nec etiam ex dispensatione. Sicut enim ex dictis * patet, concubitus cum ea quae non est matrimonio iuncta, non est conveniens actus ad bonum prolis, quod est principalis finis matrimonii. Et ideo est contra prima praecepta legis naturae, quae dispensationem non recipiunt.

* Art. 1.

Unde ubicumque legitur in veteri Testamento aliquos concubinas habuisse quos necesse sit a peccato mortali excusari, oportet eas esse matrimonio iunctas, et tamen concubinas dici quia aliquid habebant de ratione uxoris et aliquid de ratione concubinae. Secundum enim quod matrimonium ordinatur ad suum principalem finem, qui est bonum prolis, uxor viro coniungitur insolubili coniunctione, vel saltem diuturna, ut ex dictis * patet: et contra hoc non est aliqua dispensatio. Sed quantum ad secundum finem, qui est dispensatio familiae et communicatio operum, uxor coniungitur viro ut socia. Sed hoc deerat in his quae concubinae nominantur. In hoc enim poterat esse dispensatio: cum sit secundarius matrimonii finis. Et ex hac parte habebant aliquid simile concubinis, ratione cuius concubinae nominantur.

* Ibid.

Ad primum ergo dicendum quod habere plures uxores non est contra legis naturae prima praecepta *, sicut habere concubinam *. Et ideo ratio non sequitur.

* Cf. art. 1.
* Cf. corp. art.

Ad secundum dicendum quod antiqui Patres, ea dispensatione qua plures uxores habebant, ad ancillas accedebant uxorio affectu. Erant enim uxores quantum ad principalem et primarium finem matrimonii. Sed non erant uxores quantum ad illam coniunctionem quae respicit secundarium finem, cui conditio servitutis opponitur, cum non possit simul esse socia et ancilla.

Ad tertium dicendum quod, sicut in lege Moysi per dispensationem licebat dare libellum repudii ad evitandum uxoricidium, ut dicetur *; ita ex eadem dispensatione licuit Abrahae eiicere Agar, ad significandum mysterium quod Apostolus explicat, *Galat.* iv *. Quod etiam ille filius heres non fuit, ad mysterium pertinet, ut ibidem patet. Sicut etiam ad mysterium pertinet quod Esau, filius liberae, heres non fuit *: ut patet *Rom.* ix **. Similiter etiam propter mysterium factum est ut filii Iacob ex ancillis et liberis nati heredes essent *, ut Augustinus dicit **: quia Christo nascuntur in baptismo filii tam per bonos, quos liberae significant, quam per malos ministros, qui per ancillas significantur.

* Qu. lxvii, art. 6.
* Vers. 22 sqq.
* *Gen.* cap. xxvii.
** Vers. 10 sqq.
* *Gen.* cap. xlix.
** *In Ioan. Evang.*, tract. XI, n. 11. - Cf. *de Baptism. cont. Donatist.* lib. I, capp. x, xv, xvi.

QUAESTIO SEXAGESIMASEXTA

DE BIGAMIA ET IRREGULARITATE EX EA CONTRACTA

Deinde considerandum est de bigamia et irregularitate ex ea contracta *.

* Cf. qu. lxiv, Introd.

Circa quod quaeruntur quinque.

Primo: utrum illi bigamiae quae est ex hoc quod aliquis duas uxores successive habuerit, sit irregularitas annexa.

Secundo: utrum irregularitatem contrahat qui simul vel successive duas uxores habuit, unam de iure, aliam de facto.

Tertio: utrum irregularitas contrahatur ex hoc quod quis uxorem virginem non accepit.

Quarto: utrum bigamia per baptismum solvatur.

Quinto: utrum cum bigamo liceat dispensare.

ART. I. UTRUM ILLI BIGAMIAE QUAE EST EX HOC QUOD ALIQUIS DUAS UXORES SUCCESSIVE HABUIT, SIT IRREGULARITAS ANNEXA

IIª IIae, qu. cviii, art. 4, ad 2; IV *Sent.*, dist. xlii, qu. iii, art. 2, ad 4; I *ad Tim.*, cap. iii, lect. 1; *Ad Tit.*, cap. i, lect. ii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod illi bigamiae quae est ex hoc quod aliquis duas uxores successive habuit, non sit irregularitas annexa. Quia multitudo et unitas consequuntur ens. Ergo ens et non ens non faciunt multitudinem aliquam. Sed ille qui habet successive duas uxores, quando una est in esse, alia non est in esse. Ergo ex hoc non efficitur vir *non unius uxoris*, qui, secundum Apostolum *, ab episcopatu prohibetur.

* I *ad Tim.*, cap. iii, vers. 2; *ad Tit.* cap. i, vers. 6.

2. Praeterea, maius signum incontinentiae apparet in eo qui plures fornicarie cognoscit quam qui plures uxores successive habet. Sed ex primo non efficitur aliquis irregularis *. Ergo nec ex secundo.

* Cf. can. *Quia circa*, *de Bigamis* etc.

3. Praeterea, si bigamia irregularitatem causat, aut hoc est ratione sacramenti, aut ratione carnalis copulae. Sed non ratione primi: quia sic, si aliquis cum una contraxisset per verba de praesenti, et, ea mortua ante carnalem copulam subsecutam, duceret aliam, efficeretur irregularis; quod est contra decretalem Innocentii III *. Nec iterum ratione secundi: quia secundum hoc etiam qui plures fornicario concubitu cognosceret, irregularis esset; quod falsum est *. Ergo nullo modo bigamia irregularitatem causat.

* Cap. *Debitum pastoralis*, ibid.
* Cf. arg. 2.

Respondeo dicendum quod aliquis per sacramentum ordinis minister sacramentorum constituitur: et ille qui aliis sacramenta ministrare debet, nullum defectum in sacramentis pati debet. Defectus autem in sacramento est quando sacramenti significatio integra non invenitur. Sacramentum autem matrimonii significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam *, quae est unius ad unam. Et ideo requiritur ad perfectam significationem sacramenti quod vir sit tantum unius vir, et uxor sit tantum unius uxor. Et ideo bigamia, quae hoc tollit, irregularitatem inducit *.

* *Ad Ephes.*, cap. v, vers. 32.
* Can. *Qui sine crimine*, dist. XXVI; *de Bigamis* etc., per plura capp.

Et sunt quatuor modi bigamiae. Primus est, cum quis plures habet uxores de iure successive *. Secundus, cum simul habet plures, unam de iure, aliam de facto *. Tertius, cum habet plures successive, unam de iure, aliam de facto *. Quartus, quando viduam ducit uxorem *. Et in omnibus his est irregularitas adiuncta *.

* Can. *Aperiant*, caus. XXXI, qu. 1.
* Ibid., can. *Quomodo.*
* Cap. *Nuper, de Bigamis* etc.
* Can. *Seriatim*, dist. XXXII.
* Can. *Seriatim*, dist. XXXII; can. *Praecipimus*, dist. XXXIV; *de Bigamis* etc., per plura capp.

Alia autem causa consequens assignatur *: quia in illis qui accipiunt sacramentum ordinis, maxima spiritualitas debet apparere; tum quia spiritualia ministrant, scilicet sacramenta; tum quia spiritualia docent; et in spiritualibus occupari debent. Unde, cum concupiscentia maxime spiritualitati repugnet, per quam *totus homo caro efficitur* *, non debet aliquod signum concupiscentiae permanentis in eis apparere. Quod quidem apparet in bigamis, qui una uxore contenti esse noluerunt. – Tamen prima ratio est melior.

* Ct. b. Albert., IV *Sent.*, dist. xxvii, art. 21.
* Aug. Serm. CLXIII, al. fragm. iii, n. 2

Ad primum ergo dicendum quod multitudo plurium uxorum simul existentium est multitudo simpliciter. Et ideo talis multitudo totaliter significationi sacramenti repugnat. Et propter hoc tollitur sacramentum. – Sed multitudo uxorum successive est multitudo secundum quid. Et ideo non tollit significationem sacramenti totaliter: nec sacramentum evacuat quantum ad sui essentiam, sed quantum ad sui perfectionem. Quae requiritur in illis qui sunt sacramentorum dispensatores.

Ad secundum dicendum quod, quamvis sit in fornicariis maioris concupiscentiae signum, non tamen concupiscentiae ita adhaerentis: quia per fornicationem unus alteri non in perpetuo obligatur. – Et iterum non est defectus sacramenti.

Ad tertium dicendum quod, sicut dictum est *, bigamia causat irregularitatem inquantum tollit perfectam significationem matrimonii, quae quidem consistit et in coniunctione animorum, quae fit per consensum, et in coniunctione corporum *. Et ideo ratione utriusque simul oportet esse bigamiam quae irregularitatem faciat. Unde per decretalem Innocentii III derogatur ei quod Magister in littera * dicit, scilicet quod solus consensus per verba de praesenti sufficit ad irregularitatem inducendam.

* In corpore.
* Cf. cap. *Debitum pastoralis*, cit. in arg.
* Dist. xxvii, cap. *Secundum hoc intelligendum est.*

ART. II. UTRUM IRREGULARITAS SIT ANNEXA BIGAMIAE QUAE CONTINGIT EX HOC QUOD HOMO HABET DUAS UXORES, SIMUL VEL SUCCESSIVE, UNAM DE IURE, ALIAM DE FACTO

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod irregularitas non sit annexa bigamiae quae contingit ex hoc quod homo habet duas uxores, simul vel successive, unam de iure, aliam de facto. Quia ubi nullum est sacramentum, non potest esse defectus sacramenti. Sed quando aliquis contrahit de facto cum aliqua et non de iure, non est ibi aliquod sacramentum: quia talis coniunctio non significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam. Ergo, cum irregularitas non consequatur bigamiam nisi propter defectum sacramenti, videtur quod talem bigamiam irregularitas non consequatur.

2. Praeterea, aliquis accedens ad illam cum qua contrahit de facto et non de iure, committit fornicationem si non habeat aliam uxorem legitimam, vel adulterium si habeat aliam. Sed *dividere carnem suam in plures* * per fornicationem vel adulterium non causat irregularitatem *. Ergo nec dictus bigamiae modus.

* Cf. cap. *Debitum pastoralis*, *de Bigamis* etc.
* Cf. ibid. cap. *Quia circa.*

3. Praeterea, contingit quod aliquis, antequam cognoscat carnaliter illam cum qua de iure contraxit, cum alia contrahat de facto non de iure, et eam carnaliter cognoscat, sive prima mortua sive vivente. Talis contraxit cum pluribus vel de iure vel de facto, et tamen non est irregularis, quia *carnem suam non divisit in plures* *. Ergo ex praedicto modo bigamiae non contrahitur irregularitas.

* Cf. arg. 2.

Respondeo dicendum quod in secundis duobus modis bigamiae * contrahitur irregularitas, quia, quamvis in altero non sit sacramentum, est tamen quaedam sacramenti similitudo. Unde isti duo modi sunt secundarii, et primus est principalis in irregularitate causanda.

* Cf. art. praec.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis ibi non sit sacramentum, est tamen ibi aliqua similitudo sacramenti. Quae non est in fornicatione vel adulterino concubitu. Et ideo non est simile.

Et per hoc patet solutio ad secundum.

Ad tertium dicendum quod in tali casu non reputatur bigamus, quia primum matrimonium non habuit perfectam significationem suam. Tamen si per iudicium Ecclesiae compellatur ad primam redire et eam cognoscere, statim efficitur irregularis: quia irregularitatem non facit peccatum, sed imperfectio significationis *.

* Art. 1.

ART. III. Utrum contrahatur irregularitas ex hoc quod aliquis ducit uxorem non virginem

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non contrahatur irregularitas ex hoc quod aliquis ducit uxorem non virginem. Quia plus impeditur aliquis defectu proprio quam alieno. Sed si ipse contrahens non sit virgo, non fit irregularis *. Ergo multo minus si uxor eius virgo non sit.

* Cf. cap. *Quia circa*, *de Bigamis* etc.

2. Praeterea, potest esse quod aliquis defloravit aliquam et postea ducat eam in uxorem. Talis non videtur fieri irregularis: quia *non divisit carnem in plures* *, nec etiam uxor eius. Sed tamen ducit corruptam iu uxorem. Ergo talis modus bigamiae non causat irregularitatem.

* Cf. ibid., cap. *Debitum pastoralis.*

3. Praeterea, nullus potest contrahere irregularitatem nisi voluntarius. Sed aliquis quandoque ducit uxorem non virginem involuntarius: ut quando credit eam virginem esse et postea invenit eam corruptam fuisse cognoscens eam. Ergo talis modus non semper facit irregularitatem.

4. Praeterea, corruptio sequens matrimonium est vituperabilior quam praecedens. Sed si uxor, postquam est consummatum matrimonium, ab alio cognoscatur, non efficitur vir irregularis: alias puniretur pro peccato uxoris. Et potest etiam esse, postquam hoc sciat, quod reddat ei debitum poscenti, antequam de adulterio accusata condemnetur. Ergo videtur quod ille modus bigamiae non causet irregularitatem.

Sed contra est quod Gregorius dicit *: *Praecipimus ne unquam illicitas ordinationes facias: ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus in uxorem, aut ignorantem litteras, aut qualibet parte corporis vitiatum, vel poenitentiae vel curiae aut cuilibet conditioni obnoxium, ad sacros ordines permittas accedere.*

* Regist. lib. II, Epist. xxxvii, al. xxv. - Can. *Praecipimus*, dist. XXXIV.

Respondeo dicendum quod in coniunctione Christi et Ecclesiae unitas ex utraque parte invenitur. Et ideo, sive divisio carnis inveniatur ex parte viri sive ex parte uxoris, est defectus sacramenti. Sed tamen diversimode: quia ex parte viri requiritur quod aliam non duxerit in uxorem, non quod sit virgo; sed ex parte uxoris requiritur quod etiam sit virgo.

Cuius ratio a Decretistis assignatur *, quia episcopus significat Ecclesiam militantem, cuius curam gerit, in qua sunt multae corruptiones: sed sponsa significat Christum, qui virgo fuit. Et ideo ex parte sponsae requiritur virginitas, sed non ex parte sponsi, ad hoc quod aliquis episcopus fieri possit. – Sed haec ratio est expresse contra Apostolum, *Ephes.* v *: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus Ecclesiam:* ex quo apparet quod uxor significat Ecclesiam, et sponsus Christum. Et iterum *: *Quia vir est caput mulieris, sicut Christus Ecclesiae.*

* Vide glosa. in cap. *Debitum pastoralis*, *de Bigamis* etc.
* Vers. 25.
* Ibid., vers. 23.

Et ideo alii * dicunt quod per sponsum significatur Christus, per sponsam Ecclesia triumphans, in qua *non est aliqua macula* *. Christus autem primo habuit synagogam, quasi concubinam. Et sic non tollitur aliquid de perfectione significationis sacramenti si sponsus prius habuit.

* Gloss. ubi supra; s. Bonav. IV *Sent.*, dist. xxv, art. 2, qu. iii.
* *Ad Ephes.*, loc. cit., vers. 27.

Sed hoc est valde absurdum. Quia, sicut est una fides antiquorum et modernorum *, ita una Ecclesia. Unde illi qui tempore synagogae Deo serviebant, ad unitatem Ecclesiae in qua Deo servimus pertinebant. – Et praeterea hoc est expresse contra illud quod habetur Ierem. iii et Ezech. xvi et Osee ii, ubi expresse fit mentio de desponsatione synagogae. Unde non fuit sicut concubina, sed sicut uxor. – Et praeterea secundum hoc fornicatio esset sacramentum illius coniunctionis: quod est absurdum. Et ideo gentilitas, priusquam desponsaretur a Christo in fide Ecclesiae, corrupta fuit a diabolo per idololatriam.

* Aug. Ep. clvii, aliter lxxxix, *ad Hilar.*, n. 14.

Et ideo aliter dicendum, quod defectus in ipso sacramento causat irregularitatem *. Corruptio autem carnis extra matrimonium contingens quae praecessit matrimonium, nullum defectum facit in sacramento ex parte illius in quo est corruptio, sed facit defectum ex parte alterius; quia actus contrahentis matrimonium non cadit supra seipsum, sed supra alterum; et ideo ex termino specificatur, qui etiam est respectu illius actus quasi materia sacramenti. Unde, si mulier esset ordinis susceptiva, sicut vir efficitur irregularis ex hoc quod ducit in uxorem corruptam, non autem ex hoc quod corruptus contrahit; ita fieret mulier irregularis si contraheret cum corrupto, non autem si contraheret corrupta; nisi in alio matrimonio prius corrupta fuisset.

* Cf. art. 1.

Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad secundum dicendum quod in tali casu sunt diversae opiniones *. Tamen probabilius est quod non sit irregularis: quia *carnem suam non divisit in plures* *.

* Cf. s. Raym. *Summ.* lib. III, tit. iii, *de Bigamis*, § 2.
* Cf. cap. *Debitum pastoralis*, *de Bigamis* etc.

Ad tertium dicendum quod irregularitas non est poena inflicta, sed defectus quidam sacramenti. Et ideo non oportet quod semper sit voluntaria bigamia ad hoc quod irregularitatem causet. Et ideo ille qui uxorem ducit corruptam quam virginem credit, irregularis est eam cognoscens *.

* Cf. ibid.

Ad quartum dicendum quod, si mulier fornicetur post matrimonium contractum, non efficitur ex hoc vir irregularis, nisi post corruptionem adulterinam eam iterato cognoscat *: quia alias corruptio uxoris nullo modo cadit sub actu matrimoniali viri. Sed si etiam per ius compellatur ei reddere debitum vel ex conscientia propria, illa petente debitum, ante condemnationem adulterii, irregularis efficitur *. Quamvis de hoc sint opiniones: sed hoc quod dictum est, est probabilius; quia hic non quaeritur quid sit peccatum, sed significatio tantum.

* Can. *Si quis uxorem*, et can. *Si laici*, dist. XXXIV.
* Cf. s. Raym. loc. cit in resp. ad 2.

ART. IV. Utrum bigamia per baptismum solvatur

I *ad Tim.*, cap. iii, lect. 1; *Ad Tit.*, lect. ii.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod bigamia per baptismum solvatur. Dicit enim Hieronymus, super Epistolam *ad Titum* *, quod, si quis ante baptismum plures uxores habuit, vel unam ante et aliam post, non est bigamus. Ergo bigamia per baptismum solvitur.

* Cap. i, vers. 6. - Cf. can. *Oportet episc.*, caus, XXVIII, qu. iii; Gloss. Ord. in I *ad Tim.* cap. iii, vers. 2.

2. Praeterea, qui facit quod maius est, facit quod minus est. Sed baptismus tollit omne peccatum, quod est gravius quam irregularitas. Ergo tollit bigamiae irregularitatem.

3. Praeterea, baptismus tollit omnem poenam ex actu provenientem *. Sed irregularitas bigamiae est huiusmodi. Ergo, etc.

* Cf. Part. III, qu. lxix, art. 2.

4. Praeterea, bigamus est irregularis inquantum deficit a repraesentatione Christi *. Sed per baptismum plene Christo conformamur. Ergo solvitur illa irregularitas.

* Art. 1.

5. Praeterea, sacramenta novae legis sunt magis efficacia quam sacramenta veteris legis. Sed sacramenta veteris legis solvebant irregularitates, ut in principio Libri * dictum est a Magistro. Ergo et baptismus, qui est efficacissimum sacramentum in nova lege, solvit irregularitatem ex bigamia contractam.

* Lib. IV, dist. i, cap. *Sacramentum.*

Sed contra est quod Augustinus dicit *: *Acutius intelligunt qui nec eum qui catechumenus aut paganus habuit alteram, ordinandum censuerunt: quia de sacramento agitur, non de peccato.*

* *De Bono Coniug.*, lib. I, cap. xviii. – Cf. can. *Acutius*, dist. XXVI.

2. Praeterea, sicut idem dicit *, *femina, si catechumena vel pagana vitiata est, non potest inter Dei virgines post baptismum velari.* Ergo, eadem ratione, nec bigamus ante baptismum ordinari.

* Ibid.

Respondeo dicendum quod baptismus solvit culpas, et non solvit coniugia *. Unde, cum ex ipso coniugio sequatur irregularitas, per baptismum tolli non potest, ut Augustinus dicit *.

* Cap. *Gaudemus, de Divort.*

* Arg. *Sed cont.* 1. – Cf. can. *Una tantum*, dist. XXVI (ex Ambros.).

Ad primum ergo dicendum quod in casu isto non tenetur Hieronymi opinio: nisi forte velimus eum exponere quod loquitur quantum ad faciliorem dispensationem.

Ad secundum dicendum quod non oportet ut quod facit maius faciat minus, nisi sit ad illud ordinatum. Et hoc deficit in proposito: quia baptismus ad irregularitatem tollendam non ordinatur.

Ad tertium dicendum quod hoc intelligendum est de poenis quae consequuntur ex actuali peccato quasi inflictae, non infligendae. Non enim aliquis per baptismum virginitatem recuperat. Et similiter nec carnis indivisionem.

Ad quartum dicendum quod baptismus conformat Christo quantum ad virtutem mentis: sed non quantum ad statum carnis, qui consideratur in virginitate vel indivisione carnis.

Ad quintum dicendum quod illae irregularitates ex levibus causis non perpetuis erant contractae. Et ideo etiam per illa sacramenta auferri poterant. – Et iterum, erant ad hoc ordinata. Non autem baptismus ad hoc ordinatur.

ART. V. utrum cum bigamo liceat dispensare

Quodl. IV, qu. viii, art. 2.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod cum bigamo non liceat dispensare. Quia Extra, *de Bigamis* *, dicitur: *Cum clericis qui, inquantum in ipsis fuit, secundas sibi mulieres coniunxerunt matrimonialiter, tanquam cum bigamis, non licet dispensare.*

* Cap. *Nuper*.

2. Praeterea, contra ius divinum non licet dispensare. Sed omnia quae in canone dicuntur, ad ius divinum pertinent. Cum ergo Apostolus in Scriptura canonica * dicat, *Oportet episcopum unius uxoris virum esse,* videtur quod in hoc non possit dispensari.

* I *ad Tim.*, cap. iii, vers. 2; *ad Tit.* cap. i, vers. 6.

3. Praeterea, nullus potest dispensare in his quae sunt de necessitate sacramenti. Sed non esse irregularem est de necessitate sacramenti ordinis: cum significatio, quae est sacramento essentialis, desit. Ergo non potest in hoc dispensari.

4. Praeterea, quod rationabiliter factum est, non potest rationabiliter mutari. Si ergo potest rationabiliter dispensari cum bigamo, irrationabiliter est ei adiuncta irregularitas. Quod est inconveniens.

Sed in contrarium est quod Lucius Papa dispensavit cum episcopo Panormitano, qui erat bigamus *.

2. Praeterea, Martinus Papa * dicit: *Lector, si viduam uxorem accipiat, in lectoratu permaneat, aut, si necessitas fuerit, subdiaconus fiat: nihil autem supra. Similiter si bigamus fuerit.* Ergo ad minus usque ad subdiaconatum cum eo dispensari potest *.

* Cf. Gloss. in can. *Lector*, dist. XXXIV; b. Alb. IV *Sent.*, dist. xxvii, art. 22; Gaufrid. *Summ.*
* Martin. Bracarens. Cap. xliii, – Can. *Lector*, dist. XXXIV, ex Conc. Tolet. I, cap. 3.
* Cf. s. Raym. *Summ.* lib. III, tit. iii, *de Bigamis*, § 2.

Respondeo dicendum quod bigamiae non est adiuncta irregularitas de iure naturali, sed de iure positivo. Nec iterum est de essentialibus ordinis quod aliquis non sit bigamus: quod patet ex hoc quod, si aliquis bigamus ad ordines accedit, characterem accipit. Et ideo Papa potest dispensare in tali irregularitate totaliter: sed episcopus quantum ad minores ordines. Et quidam * dicunt quod etiam quantum ad maiores in illis qui volunt Deo in religione servire, propter vitandum religiosorum discursum.

* B. Albert. IV *Sent.*, dist. xxvii, art. 22.

Ad primum ergo dicendum quod per illam decretalem ostenditur eadem esse difficultas dispensandi in illis qui de facto cum pluribus contraxerunt, ac si de iure contraxissent: non quod subtrahatur simpliciter potestas Papae dispensandi in talibus.

Ad secundum dicendum quod hoc est verum quantum ad ea quae sunt de iure naturali, et quantum ad ea quae sunt de necessitate sacramentorum et fidei: sed in aliis, quae sunt de institutione Apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc eandem potestatem statuendi et destituendi quam tunc habuit, potest per eum qui primatum in Ecclesia tenet, dispensari.

Ad tertium dicendum quod non quaelibet significatio est de essentia sacramenti, sed tantum illa quae pertinet ad officium sacramenti. Et talis non tollitur per irregularitatem.

Ad quartum dicendum quod in particularibus non potest inveniri ratio quae omnibus competat aequaliter, propter eorum diversitatem. Et ideo quod universaliter statutum est rationabiliter consideratis his quae in plurimis accidunt, potest etiam per dispensationem rationabiliter removeri in aliquo casu determinato *.

* Cf. IV *Sent.*, dist. xv, qu. iii, art. 2, qu^a 1; I^am II^ae, qu. xcvii, art. 4.

QUAESTIO SEXAGESIMASEPTIMA

DE LIBELLO REPUDII

Deinde considerandum est de libello repudii *.

* Cf. qu. lxiv, Introd.

Circa quod quaeruntur septem.

Primo: utrum inseparabilitas matrimonii sit de lege naturae.

Secundo: utrum repudiare uxorem possit esse licitum per dispensationem.

Tertio: utrum sub lege Moysi fuerit licitum.

Quarto: utrum liceret uxori repudiatae alium accipere.

Quinto: utrum liceret viro repudiatam a se iterum ducere.

Sexto: utrum causa repudii fuerit odium uxoris.

Septimo: utrum causae repudii deberent in libello scribi.

ART. I. utrum inseparabilitas uxoris sit de lege naturae

II^a II^ae, qu. cliv, art. 2; III *Cont. Gent.*, cap. cxxiii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod inseparabilitas uxoris non sit de lege naturae. Lex enim naturae communis est apud omnes *. Sed nulla lege praeter legem Christi fuit prohibitum uxorem dimittere. Ergo inseparabilitas uxoris non est de lege naturae.

* I^a II^ae, qu. xciv, art. 4.

2. Praeterea, sacramenta non sunt de lege naturae. Sed inseparabilitas matrimonii ad sacramenti bonum pertinet *. Ergo non est de lege naturae.

* Qu. xlix, art. 3.

3. Praeterea, coniunctio viri et feminae in matrimonio ordinatur principaliter ad prolis generationem et educationem et instructionem *. Sed haec omnia aliquo certo tempore consummantur. Ergo post illud tempus licet uxorem dimittere sine aliquo praeiudicio legis naturae.

* Qu. lxv, art. 3.

4. Praeterea, ex matrimonio principaliter quaeritur bonum prolis. Sed inseparabilitas est contra bonum prolis: quia, ut tradunt physici, aliquis vir non potest ex aliqua femina prolem accipere qui tamen ex alia accipere posset, et quae etiam ab alio viro impraegnaretur *. Ergo inseparabilitas matrimonii magis est contra legem naturae quam de lege naturae.

* Aristot. *de Animal. Histor.*, lib. VII, cap. vi, in princip.; *de Animal. Generat.* lib. IV, cap. ii.

Sed contra, illud praecipue est de lege naturae quod natura bene instituta accepit in sui principio. Sed inseparabilitas matrimonii est huiusmodi, ut patet Matth. xix *. Ergo est de lege naturae.

* Vers. 3 sqq.

2. Praeterea, de lege naturae est quod homo Deo non contrarietur. Sed homo quodammodo contrarius esset Deo si separaret *quos Deus coniunxit.* Cum ergo ex hoc instituta sit inseparabilitas matrimonii, Matth. xix *, videtur quod sit de lege naturae.

* Vers. 6.

Respondeo dicendum quod matrimonium ex intentione naturae ordinatur ad educationem prolis non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Unde de lege naturae est quod *parentes filiis thesaurizent* *, et filii parentum heredes sint *. Et ideo, cum proles sit commune bonum viri et uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam secundum legis naturae dictamen. Et sic inseparabilitas matrimonii est de lege naturae.

* II *ad Cor.*, cap. xii, vers. 14.
* Cf. *ad Rom.* cap. viii, vers. 17.

Ad primum ergo dicendum quod sola lex Christi *ad perfectum* humanum genus adduxit *, reducens in statum novitatis naturae *. Unde et in lege Moysi et in legibus huma-

* Cf. *ad Heb.*, cap. vii, vers. 19.
* II *ad Cor.*, cap. v, vers. 17; *ad Galat.* cap. vi, vers. 15; *ad Ephes.* cap. ii, vers. 15.

nis non potuit totum auferri quod contra legem naturae erat. Hoc enim soli *legi spiritus et vitae* * reservatum est.

* *Ad Rom.*, cap. viii, vers. 2.

Ad secundum dicendum quod inseparabilitas competit matrimonio secundum quod est signum perpetuae coniunctionis Christi et Ecclesiae; et secundum quod est in officium naturae ad bonum prolis ordinatum, ut dictum est *. Sed quia separatio matrimonii magis directe repugnat significationi quam prolis bono, cui consequenter repugnat, ut dictum est *; inseparabilitas matrimonii magis in bono sacramenti intelligitur quam in bono prolis. Quamvis in utroque intelligi possit. Et secundum quod pertinet ad bonum prolis, erit de lege naturae: non autem secundum quod pertinet ad bonum sacramenti.

* In corp., et qu. xlix, art. 2, 3.
* Qu. lxv, art. 3.

Ad tertium patet solutio ex dictis *.

* In corp. et ad 2.

Ad quartum dicendum quod matrimonium principaliter ordinatur ad bonum commune ratione principalis finis, qui est bonum prolis: quamvis etiam ratione finis secundarii ordinetur ad bonum matrimonium contrahentis, prout per se est in remedium concupiscentiae. Et ideo in legibus matrimonii magis attenditur quid omnibus expediat quam quid uni competere possit. Quamvis ergo matrimonii inseparabilitas impediat bonum prolis in aliquo homine, tamen est conveniens ad bonum prolis simpliciter. Et propter hoc ratio non sequitur.

ART. II. Utrum uxorem dimittere per dispensationem esse licitum potuerit

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod uxorem dimittere per dispensationem esse licitum non potuerit. Illud enim quod est in matrimonio contra bonum prolis, est contra prima praecepta legis naturae, quae indissolubilia sunt *. Sed dimissio uxoris est huiusmodi, ut ex dictis ** patet. Ergo, etc.

* Iª IIªᵉ, qu. xciv, art. 5.
** Art. praeced.

2. Praeterea, concubina differt ab uxore praecipue in hoc quod non est inseparabiliter iuncta. Sed habere concubinas fuit indispensabile *. Ergo et dimittere uxorem.

* Qu. lxv, art. 5.

3. Praeterea, homines ita sunt modo receptibiles dispensationis sicut olim fuerunt. Sed modo non potest dispensari cum aliquo ut uxorem dimittat. Ergo nec olim.

Sed contra, Agar cognita est ab Abraham uxorio affectu, ut dictum est *. Sed ipse eam praecepto divino eiecit *, et non peccavit. Ergo potuit per dispensationem fieri licitum quod homo uxorem dimitteret.

* Ibid., ad 2.
* *Gen.* cap. xxi, vers. 10 sqq.

Respondeo dicendum quod dispensatio in praeceptis, praecipue quae sunt aliquo modo legis naturae, est sicut mutatio cursus rei naturalis. Qui quidem mutari dupliciter potest. Uno modo, ex aliqua causa naturali, per quam alia causa naturalis impeditur a cursu suo: sicut est in omnibus quae in minori parte casualiter accidunt in natura. Sed per hunc modum non variatur cursus rerum naturalium quae sunt semper, sed quae sunt frequenter. – Alio modo per causam penitus supernaturalem: sicut in miraculis accidit. Et hoc modo potest mutari cursus naturalis non solum qui est ordinatus ut sit frequenter, sed qui est ordinatus etiam ut sit semper: ut patet in statione solis tempore Iosue *, et reditu eiusdem tempore Ezechiae **, et de eclipsi miraculosa tempore passionis Christi *.

* *Iosue* cap. x, vers. 12, 13.
** Isaiae cap. xxxviii, vers. 8.
* Matth. cap. xxvii, vers. 45; Marc. cap. xv, vers. 33; Luc. cap. xxiii, vers. 44, 45.

Haec autem ratio dispensationis in praeceptis legis naturae quandoque est in causis inferioribus. Et sic dispensatio cadere potest supra secunda praecepta legis naturae: non autem supra prima, quia illa sunt quasi semper existentia: ut dictum est * de pluralitate uxorum, et de huiusmodi. – Aliquando autem est tantum in causis superioribus. Et tunc potest dispensatio esse divinitus etiam contra prima praecepta legis naturae, ratione alicuius mysterii divini significandi vel ostendendi: sicut patet de dispensativo praecepto Abrahae facto de occisione filii innocentis *. Tales autem dispensationes non fiunt communiter ad omnes, sed ad aliquas singulares personas: sicut etiam in miraculis accidit.

* Qu. lxv, art. 2. – Cf. Iᵃᵐ IIᵃᵉ, qu. xciv, art. 5.
* *Gen.* cap. xxii, vers. 2.

Si ergo inseparabilitas matrimonii inter prima praecepta legis naturae contineatur, solum hoc secundo modo sub dispensatione cadet. Si autem sit inter secunda praecepta legis naturae, etiam primo modo cadere potuit sub dispensatione. Videtur autem magis inter secunda praecepta legis naturae contineri. Inseparabilitas enim matrimonii non ordinatur ad prolis bonum, quod est principalis matrimonii finis, nisi quantum ad hoc quod per parentes filiis provideri debet in totam vitam per debitam praeparationem eorum quae sunt necessaria in vita. Huiusmodi autem rerum appropriatio non est de prima intentione naturae, secundum quam omnia sunt communia. Et ideo non videtur contra primam intentionem naturae dimissio uxoris esse: et per consequens nec contra prima praecepta, sed contra secunda, legis naturae. Unde etiam primo modo sub dispensatione videtur posse cadere.

Ad primum ergo dicendum quod in bono prolis, secundum quod est de prima intentione naturae, intelligitur procreatio et nutritio et instructio quousque proles ad perfectam aetatem ducatur. Sed quod ei provideatur in posterum per hereditatis et aliorum bonorum dimissionem, videtur pertinere ad secundam legis naturae intentionem.

Ad secundum dicendum quod habere concubinam est contra bonum prolis quantum ad id quod natura in eo de prima intentione intendit, scilicet educationem et instructionem, quae requirit diuturnam commansionem parentum, quod non est in concubina, quae ad tempus assumitur *. Et ideo non est simile. – Tamen quantum ad secundam dispensationem *, etiam habere concubinam sub dispensatione cadere potest: ut patet Osee i *.

* Cf. qu. lxv, art. 3.
* Cf. corp. art.
* Vers. 2.

Ad tertium dicendum quod inseparabilitas, quamvis sit de secunda intentione matrimonii prout est in officium naturae, tamen est de prima intentione ipsius prout est sacramentum Ecclesiae. Et ideo, ex quo institutum est ut sit Ecclesiae sacramentum, manente tali institutione non potest sub dispensatione cadere: nisi forte secundo modo dispensationis *.

* Cf. corp. art.

ART. III. Utrum sub lege Moysi fuerit licitum uxorem dimittere

III *Cont. Gent.*, capp. cxxiii, cxxv; *Quodl.* II, qu. v, art. 2, ad 1; *In Matth.* capp. v, xix; I *ad Cor.*, cap. vii, lect. 1.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod sub lege Moysi fuerit licitum uxorem dimittere. Unus enim modus consentiendi est non prohibere, cum prohibere possit. Consentire autem illicito est illicitum. Cum ergo Moyses non prohibuerit uxoris repudium *; nec peccaverit, quia *lex sancta est,* ut dicitur *Rom.* vii *: videtur quod repudium fuerit aliquando licitum.

* *Deut.* cap. xxiv, vers. 1-4.
* Vers. 12.

2. Praeterea, prophetae locuti sunt *Spiritu Sancto inspirante,* ut patet II Pet. i *. Sed Malach. ii ** dicitur: *Si odio habueris eam, dimitte eam.* Ergo, cum illud quod Spiritus Sanctus inspirat, non sit illicitum, videtur quod repudium uxoris non semper fuerit illicitum.

* Vers. 21.
** Vers. 16.

3. Praeterea, Chrysostomus dicit * quod, sicut Apostoli permiserunt secundas nuptias *, ita Moyses permisit libellum repudii. Sed secundae nuptiae non sunt peccatum. Ergo nec repudium uxoris sub lege Moysi.

* *Op. Imperf. in Matth.*, homil. XXXII (inter Op. Chrys.).
* I *ad Cor.*, cap. vii, vers. 39.

Sed contra est quod Dominus dicit *, quod libellus repudii datus est a Moyse Iudaeis *propter duritiam cordis eorum.* Sed duritia cordis eorum non excusabat eos a peccato. Ergo nec lex de libello repudii.

* Matth. cap. xix, vers. 8.

2. Praeterea, Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, quod *Moyses, dando libellum repudii, non iustitiam Dei monstravit: ut quasi per legem agentibus peccatum non videatur esse peccatum.*

* Hom. cit., in arg. 2.

Respondeo dicendum quod circa hoc est duplex opinio. Quidam * enim dicunt quod illi qui sub lege uxorem, dato libello repudii, dimittebant, non excusabantur a peccato, quamvis excusarentur a poena secundum legem infligenda. Et propter hoc dicitur Moyses libellum repudii permisisse. Et sic ponunt quatuor modos permissionis *. Unus, per privationem praeceptionis: ut, quando maius bonum non praecipitur, minus bonum permitti dicitur; sicut Apostolus, non praecipiendo virginitatem, matrimonium permisit, I *Cor.* vii *. Secundus, per privationem prohibitionis: sicut venialia dicuntur permissa, quia non sunt prohibita. Tertius, per privationem cohibitionis: et sic peccata omnia dicuntur permitti a Deo, inquantum non impedit, cum impedire possit. Quartus, per privationem punitionis.

* Mag. IV *Sent.*, dist. xxxiii, cap. *Si quis;* Halens. *Summ. Theol.* p. III, qu. xlvi, m. 2, art. 2; Autissiod. *Summ. Aur.* lib. IV, tr. *de Matrim.*, cap. *de Libello Repud.*; s. Bonavent. IV *Sent.*, dist. xxxiii, art. 3, qu. 1; b. Innoc. V, ibid., qu. iii, art. 1.
* Cf. s. Bonav. et b. Innoc. V, loc. cit.
* Vers. 7 sqq.; 25 sqq.

Et sic libellus repudii lege permissus fuit: non quidem propter aliquod maius bonum consequendum, sicut fuit dispensatio de pluribus uxoribus habendis *; sed propter maius malum cohibendum, scilicet uxoricidium, ad quod Iudaei proni erant propter corruptionem irascibilis *; sicut permissum fuit eis extraneis faenerari propter corruptionem aliquam in concupiscibili, ne scilicet fratribus suis faenerarentur *; et sicut, propter corruptionem suspicionis in rationali, fuit permissum sacrificium zelotypiae *, ne sola suspicio apud eos iudicium corrumperet.

* Qu. LXV, art. 2. — * Cf. art. 6. — * *Deut.* cap. XXIII, vers. 19, 20. — * *Num.* cap. V, vers. 12 sqq.

Sed quia lex vetus, quamvis gratiam non conferret, tamen ad hoc data erat ut peccatum ostenderet, ut communiter Sancti dicunt *; ideo aliis ** videtur quod, si repudiando uxorem peccassent, hoc saltem eis per legem aut prophetas indicari debuisset: Isaiae LVIII *, *Annuntia populo meo scelera eorum.* Alias viderentur nimis esse neglecti, si ea quae necessaria sunt ad salutem, quae non cognoscebant, nunquam eis nuntiata fuissent. Quod non potest dici: cum iustitia legis, tempore suo observata, vitam mereretur aeternam. Et propter hoc dicunt quod, quamvis repudiare uxorem per se sit malum, tamen ex permissione divina licitum fiebat. Et hoc confirmant auctoritate Chrysostomi, qui dicit * quod *a peccato abstulit culpam* Legislator quando permisit repudium.

* Cf. Chrys. *in Epist. ad Rom.* hom. X, ad cap. V, vers. 20; Ambros. Comm. in eund. loc.; Aug. *Proposit. ex Ep. ad Rom.*, prop. XXX. — ** B. Albert. IV *Sent.*, dist. XXXIII, art. 26. — * Vers. 1. — * Loc. cit. in arg. *Sed contra* 2.

Et quamvis hoc probabiliter dicatur, tamen primum communius sustinetur. Ideo ad utrasque rationes respondendum est.

Ad primum ergo dicendum quod aliquis qui potest prohibere, non peccat si a prohibitione abstineat non sperans correctionem, sed maius malum aestimans ex tali prohibitione occasionem sumere. Et sic accidit Moysi. Unde, divina auctoritate fretus, libellum repudii non prohibuit.

Ad secundum dicendum quod prophetae, *Spiritu Sancto inspirati,* non dicebant dimittendam esse uxorem quasi Spiritus Sancti praeceptum sit: sed quasi permissum, ne aliqua peiora fierent.

Ad tertium dicendum quod illa permissionis similitudo non est intelligenda quantum ad omnia, sed solum quantum ad causam eandem: quia utraque permissio ad vitandam turpitudinem facta est.

Ad quartum * dicendum quod, quamvis duritia cordis non excusaret a peccato, tamen permissio ex duritia facta excusat. Quaedam enim prohibentur sanis quae non prohibentur infirmis corporaliter, nec tamen infirmi peccant permissione sibi facta utentes.

* Arg. *Sed contra* 1.

Ad quintum * dicendum quod aliquod bonum potest intermitti dupliciter. Uno modo, propter aliquod maius bonum consequendum. Et tunc intermissio illius boni ex ordine ad maius bonum accipit honestatem: sicut intermittebatur singularitas uxoris honeste a Iacob propter bonum prolis *. – Alio modo bonum aliquod intermittitur ad vitandum maius malum. Et tunc, si auctoritate eius qui dispensare potest hoc fiat, reatum talis boni intermissio non habet, sed honestatem etiam non acquirit. Et sic indivisibilitas matrimonii in lege Moysi intermittebatur propter maius malum vitandum, scilicet uxoricidium *. Et ideo Chrysostomus dicit * quod *a peccato abstulit culpam.* Quamvis enim inordinatio maneret in repudio, ex quo peccatum dicitur; tamen reatum poenae non habebat, neque temporalis neque perpetuae, inquantum divina dispensatione fiebat. Et sic erat ab eo culpa ablata. Et ideo etiam ipse ibidem dicit quod *permissum est repudium, malum quidem, tamen licitum.* Quod quidem illi qui sunt de prima opinione *, referunt ad hoc tantum quod non habebat reatum temporalis poenae.

* Arg. *Sed contra* 2. — * *Gen.* cap. XXX, vers. 1 sqq.; cap. XXXV, vers. 22 sqq. — * Cf. art. 6. — * Cf. fin. corp. — * Cf. corpus art.

ART. IV. UTRUM FUERIT LICITUM UXORI REPUDIATAE ALIUM VIRUM HABERE

In Matth., capp. V, XIX; I *ad Cor.*, cap. VII, lect. III.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod liceret uxori repudiatae alium virum habere. Quia in repudio magis erat iniquitas viri repudiantis quam uxoris repudiatae. Sed vir poterat sine peccato aliam ducere uxorem. Ergo uxor sine peccato alium virum ducere poterat.

2. Praeterea, Augustinus dicit * de duabus uxoribus quod, *quando mos erat, peccatum non erat.* Sed tempore legis veteris erat talis consuetudo quod repudiata alium virum ducebat: ut patet *Deuteron.* XXIV *, *Cum egressa virum alterum duceret,* etc. Ergo non peccabat alteri viro se iungendo.

* *Cont. Faust.* lib. XXII, cap. XLVII. — * Vers. 2.

3. Praeterea, Dominus, Matth. V *, iustitiam novi Testamenti ostendit superabundantem esse respectu iustitiae veteris Testamenti. Hoc autem dicit ad iustitiam novi Testamenti per superabundantiam pertinere quod uxor repudiata non ducit alterum virum *. Ergo in veteri lege licebat.

* Vers. 20 sqq. — * Ibid., vers. 32.

Sed contra est quod dicitur Matth. V *: *Qui dimissam duxerit, moechatur.* Sed moechia nunquam fuit in veteri lege licita. Ergo nec uxori repudiatae licuit alium virum habere.

2. Praeterea, *Deuteron.* XXIV * dicitur quod mulier repudiata quae alium virum duceret, *polluta erat et abominabilis facta coram Domino.* Ergo peccabat alium virum ducendo.

* Ibid.; et cap. XIX, vers. 9. — * Vers. 4.

Respondeo dicendum quod, secundum primam opinionem *, post repudium uxor peccabat alteri viro coniuncta *: quia adhuc matrimonium primum non erat solutum. *Mulier enim, quanto tempore vivit, alligata est legi viri,* ut patet *Rom.* VII *: non autem poterat simul plures viros habere. – Sed secundum aliam opinionem *, sicut licebat ex dispensatione divina viro uxorem repudiare, ita uxori alium virum ducere. Quia inseparabilitas matrimonii ex causa divinae dispensationis tollebatur: qua inseparabilitate manente intelligitur verbum Apostoli.

* Cf. art. praec. — * Cf. Halens., loc. cit. art. praeced. — * Vers. 2. - Cf. I *ad Cor.*, cap. VII, vers. 39. — * B. Albert. IV *Sent.*, dist. XXXIII, art. 27.

Ut ergo ad utrasque rationes respondeamus, dicendum *ad primum* quod viro licebat plures uxores simul habere secundum dispensationem divinam *. Et ideo, una dimissa, etiam matrimonio non soluto, poterat aliam ducere. Sed nunquam uxori licuit habere plures viros. Et ideo non est simile.

* Qu. LXV, art. 2.

Ad secundum dicendum quod in illo verbo Augustini *mos* non ponitur pro consuetudine, sed pro actu honesto: secundum quod a *more* aliquis dicitur *morigeratus,* quia est bonorum morum; vel sicut a *more* philosophia *moralis* nominatur *.

* Cf. Aristot. *Ethic.*, lib. II, cap. I, n. 1. - S. Th. lect. 1.

Ad tertium dicendum quod Dominus, Matth. V, ostendit novam legem abundare per consilia ad veterem, non solum quantum ad ea quae lex vetus licita faciebat, sed etiam quantum ad ea quae in veteri lege illicita erant sed a multis licita putabantur per non rectam praeceptorum expositionem: sicut patet de odio inimici *. Et ita est etiam de repudio.

* Vers. 43 sqq.

Ad quartum * dicendum quod verbum Domini intelligitur quantum ad tempus novae legis, in quo dicta permissio est sublata.

* Arg. *Sed contra* 1.

Et sic etiam intelligitur quoddam verbum Chrysostomi, qui dicit * quod *qui secundum legem dimittit uxorem, quatuor facit iniquitates: quia quoad Deum existit homicida,* inquantum habet propositum occidendi uxorem nisi eam dimitteret *; *et quia dimittit non fornicantem,* in quo solo casu lex Evangelii uxorem dimittere permittit; *et similiter quia facit eam adulteram; et illum cui copulatur.*

* *Op. Imperf. in Matth.* homil. XII (inter Opp. Chrys.). — * Cf. art. 6.

Ad quintum * dicendum quod quaedam Interlinearis dicit: « *Polluta est et abominabilis* »: *scilicet illius iudicio qui quasi pollutam eam prius dimisit.* Et sic non oportet quod sit polluta simpliciter.

* Arg. *Sed contra* 2.

Vel dicitur polluta eo modo quo *immundus* dicebatur qui mortuum tangebat * vel leprosum **, non immunditia culpae, sed cuiusdam irregularitatis legalis. Unde et sacerdoti non licebat viduam aut repudiatam ducere in uxorem *.

* *Num.* cap. XIX, vers. 11 sqq. — ** Cf. ibid., vers. 22; *Levit.* cap. XIII, vers. 46. — * *Levit.* cap. XXI, vers. 14.

ART. V. UTRUM FUERIT LICITUM VIRO REPUDIATAM A SE ACCIPERE

I *ad Cor.*, cap. VII, lect. III.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod licebat viro repudiatam a se accipere. Licet enim corrigere quod male factum est. Sed male factum erat quod vir uxorem repudiabat. Ergo licebat hoc corrigere reducendo uxorem ad se.

2. Praeterea, semper licuit peccanti indulgere: cum sit morale praeceptum, quod in omni lege manet *. Sed vir

* Cf. I^am^ II^ae^, qu. XCIII, art. 3.

accipiendo repudiatam ei peccanti indulgebat. Ergo hoc licitum erat.

* Vers. 4.

3. PRAETEREA, *Deuteron.* XXIV * ponitur pro causa quare non possit accipi iterum, *quia polluta est.* Sed repudiata non polluitur nisi alterum virum ducendo. Ergo saltem antequam alium virum duceret, licebat eam accipere.

* Ibid. - Cf. Ierem. cap. III, vers. 1.

SED CONTRA EST quod dicitur *Deuteron.* XXIV *, quod *non poterat prior maritus accipere eam,* etc.

* *Deut.* cap. XXIV, vers. 1-4.
* Cf. art. 4.
* Cf. art. 3.
* Cf. ibid.

RESPONDEO DICENDUM quod in lege de libello repudii * duo erant permissa, scilicet dimittere uxorem, et uxorem dimissam alteri iungi *; et duo praecepta, scilicet scriptura libelli repudii, et quod iterum maritus repudians eam accipere non possit. Quod quidem, secundum eos qui primam opinionem * tenent, factum fuit in poenam mulieris quae alteri nupsit et in hoc peccato polluta est. Sed secundum alios *, ut vir non de facili uxorem repudiaret, quam postea nullo modo recuperare posset.

* In corpore.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ad illius mali impedimentum quod committebat aliquis repudiando uxorem, ordinabatur quod vir uxorem repudiatam assumere iterato non posset, ut patet ex dictis *. Et ideo divinitus ordinatum fuit.

AD SECUNDUM DICENDUM quod semper licuit indulgere peccanti quantum ad rancorem cordis: sed non quantum ad poenam divinitus taxatam.

* S. Bonavent. IV *Sent.*, dist. XXXIII, art. 3, qu. III.

AD TERTIUM DICENDUM quod in hoc est duplex opinio. Quidam * enim dicunt quod licuit repudiatam viro reconciliari nisi matrimonio alteri viro esset iuncta. Tunc enim, propter adulterium, cui se mulier voluntarie subdidit, in poenam dabatur ei quod ad priorem virum non rediret.

* Halens. *Summ. Theol.* part. III, qu. XLVI, m. 2, art. 6.
* Art. praeced., ad 5.

Sed quia lex universaliter prohibet, ideo dicunt alii * quod etiam antequam alteri nuberet, non poterat revocari, ex quo repudiata erat: quia pollutio non intelligitur quantum ad culpam, sed ut dictum est *.

ART. VI. UTRUM CAUSA REPUDII FUERIT ODIUM UXORIS

* Vers. 16.
* Vers. 1.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod causa repudii fuerit odium uxoris: secundum hoc quod dicitur Malach. II *: *Si odio habueris eam, dimitte illam.*

2. PRAETEREA, *Deuteron.* XXIV * dicitur: *Cum non invenerit gratiam in oculis eius propter aliquam foeditatem,* etc. Ergo idem quod prius.

SED CONTRA, sterilitas et fornicatio magis contrariantur matrimonio quam odium. Ergo illa potius debuerunt esse causa repudii quam odium.

2. PRAETEREA, odium potest causari ex virtute eius qui odio habetur. Si ergo odium est sufficiens causa, tunc mulier posset repudiari propter virtutem suam. Quod est absurdum.

* Vers. 13 sqq.

3. PRAETEREA, *Deuteron.* XXII * dicitur: *Si duxerit vir uxorem suam et postea odio habuerit,* et obiecerit ei stuprum ante coniugium, si in probatione defecerit, *verberabitur, et centum siclis argenti condemnabitur, et non poterit eam dimittere omni tempore vitae suae.* Ergo odium non est sufficiens causa repudii.

* Cf. Chrys. *de Virginit.*, cap. XLI; Hieron. *Comment. in Matth.* lib. III, ad cap. XIX, vers. 8; Aug. *de Bono Coniug.* cap. VIII.
* Ord.
** Vers. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod causa permissionis repudiandi uxorem fuit vitatio uxoricidii, ut Sancti communiter dicunt *. Proxima autem causa homicidii est odium. Et ideo proxima causa repudii est odium. Sed odium ex aliqua causa causatur, sicut et amor. Et ideo oportet etiam alias causas repudii ponere remotas, quae erant causa odii.

Dicit autem Augustinus, in Glossa * *Deuteron.* XXIV **: *Multae erant in lege causae dimittendi uxorem. Solam Christus fornicationem excipit: ceteras molestias iubet pro fide et castitate coniugii sustinere.* Hae autem causae intelliguntur foeditates in corpore, puta infirmitas, vel aliqua notabilis macula; vel in anima, sicut fornicatio, vel aliquod huiusmodi quod in moribus inhonestatem facit.

* B. Albert. IV *Sent.*, dist. XXXIII, art. 25.

Sed quidam * has causas magis coarctant, satis probabiliter dicentes quod non licebat uxorem repudiare nisi propter aliquam causam post matrimonium supervenientem; nec propter quamlibet talem, sed propter illas solum quae possunt bonum prolis impedire; vel in corpore, ut sterilitas aut lepra aut aliquid huiusmodi; vel in anima, ut si esset malorum morum, quos filii ex conversatione ad ipsam imitarentur.

* Vers. 1.

Sed quaedam glossa super illud *Deuteron.* XXII *, *Cum non invenerit gratiam* etc., videtur magis arctare, scilicet ad peccatum: cum dicit ibi per *foeditatem* peccatum intelligi. – Sed *peccatum* glossa nominat non solum in moribus animae, sed etiam in natura corporis.

Sic ergo prima duo concedimus.

* Arg. *Sed contra* 1.
* Arg. *Sed contra* 2.
* Iª IIae, qu. XXVII, art. 1.
* Arg. *Sed contra* 3.
* *Deut.* cap. XXII, vers. 28, 29.

AD TERTIUM * DICENDUM quod sterilitas et alia huiusmodi sunt causa odii. Et sic sunt causae remotae.

AD QUARTUM * DICENDUM quod propter virtutem non est aliquis odibilis per se loquendo: quia bonitas est causa amoris *. Et ideo ratio non sequitur.

AD QUINTUM * DICENDUM quod dabatur in poenam viri quod non posset in perpetuum repudiare uxorem in casu illo: sicut etiam in alio casu, quando puellam defloraverat *.

ART. VII. UTRUM CAUSAE REPUDII DEBUERINT IN LIBELLO SCRIBI

In Matth., cap. V.

* *Deut.* cap. XXIV, vers. 1, 3.

AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod causae repudii debebant in libello scribi. Quia per libellum repudii scriptum * a poena legis absolvebatur. Sed hoc omnino videtur iniustum nisi causis sufficientibus repudii assignatis. Ergo oportebat illas scribere in libello.

2. PRAETEREA, ad nihil aliud illa scriptura valere videbatur nisi ut causae repudii ostenderentur. Ergo, si non inscribebantur, frustra libellus ille tradebatur sibi.

* Dist. XXXIII, cap. *Si quis opponat.*

3. PRAETEREA, hoc Magister dicit in littera *.

* *Deut.* loc. cit., vers. 3; cf. art. 4.

SED CONTRA, causae repudii aut erant sufficientes, aut non. Si sufficientes, praecludebatur mulieri via ad secundas nuptias, quae ei secundum legem concedebantur *. Si autem insufficientes, ostendebatur iniustum repudium: et sic repudium fieri non poterat. Ergo nullo modo causae repudii ibi inscribebantur.

* *Antiquit. Iud.* lib. IV, cap. VIII. - Cf. Halena. *Sum. Theol.* part. III, qu. XLVI, m. 2, art. 5.

RESPONDEO DICENDUM quod causae repudii in speciali non scribebantur in libello, sed in generali, ut ostenderetur iustum repudium. Sed secundum Iosephum *, ut mulier, habens libellum conscriptum de repudio, alteri nubere posset: alias enim ei traditum non fuisset. Unde secundum eum erat scriptura talis: *Promitto tibi quod nunquam tecum conveniam.*

* *Cont. Faust.* lib. XIX, cap. XXVI.

Sed secundum Augustinum *, ideo libellus scribebatur *ut, mora interveniente, et consilio scribarum dissuadente, vir a proposito repudiandi desisteret.*

Et per hoc patet solutio ad obiecta.

QUAESTIO SEXAGESIMAOCTAVA

DE FILIIS ILLEGITIME NATIS

* Cf. qu. LXIV, Introd.

DEINDE considerandum est de filiis illegitime natis *. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo: utrum filii qui nascuntur extra verum matrimonium, sint illegitimi.

Secundo: utrum illegitimi filii debeant ex hoc damnum reportare.

Tertio: utrum possint legitimari.

ART. I. UTRUM FILII QUI NASCUNTUR EXTRA VERUM MATRIMONIUM, SINT ILLEGITIMI

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod filii qui nascuntur extra verum matrimonium, non sint illegitimi. Quia secundum legem natus legitimus filius dicitur. Sed quilibet filius nascitur secundum legem, ad minus naturae, quae fortissima est. Ergo quilibet filius est legitimus.

* S. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. XXIV, *de Filiis* § 1.

2. PRAETEREA, communiter dicitur quod legitimus filius est *qui est de legitimo matrimonio natus, vel de eo quod in facie Ecclesiae legitimum reputatur* *. Sed contingit quandoque quod aliquod matrimonium legitimum reputatur in facie Ecclesiae quod habet impedimentum ne sit verum matrimonium, et tamen a contrahentibus in facie Ecclesiae scitur. Et si occulte nubant et impedimentum nesciant, legitimum videtur in facie Ecclesiae, ex quo per Ecclesiam non prohibentur. Ergo filii extra verum matrimonium nati non sunt illegitimi.

SED CONTRA, illegitimum dicitur quod est contra legem. Sed illi qui nascuntur extra matrimonium, nascuntur contra legem. Ergo sunt illegitimi.

Respondeo dicendum quod quadruplex est status filiorum *. Quidam enim sunt naturales et legitimi: sicut illi qui nascuntur ex legitimo matrimonio. Quidam naturales et non legitimi: ut filii qui nascuntur ex simplici fornicatione. Quidam legitimi et non naturales: sicut filii adoptivi. Quidam nec legitimi nec naturales: sicut spurii nati de adulterio vel de stupro; tales enim nascuntur et contra legem positivam, et expresse contra legem naturae. Et sic concedendum est quosdam filios esse illegitimos.

* Cf. gloss. in cap. *Tanta est vis, Qui filii sint legit.*; s. Raym. loc. cit. supra.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis illi qui nascuntur ex illicito coitu, nascuntur secundum naturam quae communis est homini et omnibus animalibus, tamen nascuntur contra legem naturae quae est propria hominibus: quia fornicatio et adulterium et huiusmodi sunt contra legem naturae *. Et ideo tales secundum nullam legem sunt legitimi.

* Cf. qu. lxv, art. 3; Iam IIae, qu. xciv, art. 5, arg. 2.

Ad secundum dicendum quod ignorantia excusat illicitum coitum a peccato nisi sit affectata. Unde illi qui conveniunt bona fide in facie Ecclesiae, quamvis sit impedimentum, dum tamen ignorent, non peccant, nec filii sunt illegitimi *. Si autem sciant, quamvis Ecclesia sustineat, quae ignorat impedimentum, non excusantur a peccato, nec filii ab illegitimitate *. Si autem nesciant et in occulto contrahant, non excusantur: quia talis ignorantia videtur affectata *.

* Cap. *Ex tenore, Qui filii sint legit.*
* Cap. *Cum inhibit., de Clandest. Despons.*
* Ibid.

ART. II. utrum illegitimi filii debeant ex hoc aliquod damnum reportare

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod illegitimi filii non debeant ex hoc aliquod damnum reportare. Quia filius non debet puniri pro peccato patris: ut patet per sententiam Domini, Ezech. xviii *. Sed quod iste nascatur ex illicito coitu, non est peccatum proprium, sed peccatum patris. Ergo ex hoc non debet aliquod damnum incurrere.

* Vers. 20.

2. Praeterea, iustitia humana est exemplata a divina. Sed Deus aequaliter largitur bona naturalia legitimis et illegitimis filiis. Ergo et secundum iura humana filii illegitimi debent legitimis aequiparari.

Sed contra est quod dicitur *Genes.* xxv *, quod *Abraham dedit omnia bona sua Isaac,* et *filiis concubinarum largitus est munera.* Et tamen illi non erant ex illicito coitu nati *. Ergo multo magis debent illi qui ex illicito coitu nascuntur, hoc damnum reportare quod non succedant in bonis paternis.

* Vers. 5, 6.
* Cf. qu. lxv, art. 2.

Respondeo dicendum quod aliquis dicitur damnum ex aliquo incurrere dupliciter. Uno modo, per hoc quod ei subtrahitur quod ei erat debitum. Et sic filius illegitimus nullum damnum incurrit. – Alio modo, per hoc quod ei aliquid non est debitum quod alias poterat esse ei debitum. Et sic filius illegitimus damnum incurrit duplex: unum, quia non admittitur ad actus legitimos, sicut ad officia et dignitates, quae requirunt quandam honestatem in illis qui hoc exercent; aliud damnum incurrit quia non succedit in hereditate paterna *.

* Cap. *Referente, Qui filii sint legit.*

Sed tamen naturales filii succedere possunt in sexta parte tantum *. – Spurii autem in nulla parte **: quamvis ex iure naturali parentes eis in necessariis providere teneantur. Unde pertinet ad sollicitudinem episcopi ut utrumque parentum cogat ad hoc quod eis provideant *.

* Novell. lxxxix, *Quibus modis naturales* etc., cap. xii, *Discretis igitur,* § *Si vero filios.*
** Novell. ibid., cap. xv, *Ultima.*
* Cap. *Cum haberet, De eo qui duxit* etc. - Vide s. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. xxiv, *de Filiis*, § 3.

Ad primum ergo dicendum quod incurrere damnum hoc secundo modo non est poena. Et ideo non dicimus quod sit poena alicui quod non succedit in regno aliquo per hoc quod non est filius regis. Et similiter non est poena quod alicui qui non est legitimus, non debeantur ea quae sunt legitimorum filiorum.

Ad secundum dicendum quod coitus illegitimus non est contra legem inquantum est actus generativae virtutis, sed inquantum ex prava voluntate procedit. Et ideo filius illegitimus non incurrit damnum in his quae acquiruntur per naturalem originem, sed in his quae per voluntatem fiunt vel possidentur.

ART. III. utrum filius illegitimus possit legitimari

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod filius illegitimus non possit legitimari. Quantum enim distat legitimus ab illegitimo, tantum e converso illegitimus a legitimo. Sed legitimus nunquam fit illegitimus. Ergo illegitimus numquam fit legitimus.

2. Praeterea, coitus illegitimus causat illegitimum filium. Sed coitus illegitimus nunquam fit legitimus. Ergo nec filius illegitimus legitimari potest.

Sed contra, quod per legem inducitur, per legem revocari potest. Sed illegitimitas filiorum est per legem positivam inducta. Ergo potest filius illegitimus legitimari ab eo qui habet auctoritatem legis.

Respondeo dicendum quod filius illegitimus potest legitimari, non ut fiat de legitimo coitu natus, quia coitus ille transivit, et nunquam potest fieri legitimus ex quo semel fuit illegitimus: sed dicitur legitimari inquantum damna quae illegitimus filius incurrit, subtrahuntur per legis auctoritatem.

Et sunt sex modi legitimandi *. Duo secundum canones: scilicet cum quis ducit in uxorem illam ex qua filium illegitimum generavit, si non fuit adulterium *; et per specialem indulgentiam et dispensationem Domini Papae *.

* Cf. s. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. xxiv, *de Filiis*, § 2.
* Capp. *Conquestus*, et *Tanta*, *Qui filii sint legit.*
* Ibid., cap. *Per Venerabilem.*

Quatuor autem alii modi sunt secundum leges. Primus est si pater filium naturalem curiae Imperatoris offerat *: ex hoc enim ipso legitimatur, propter curiae honestatem. – Secundus, si pater testamento nominet eum legitimum heredem, et filius postmodum testamentum Imperatori offerat *. – Tertius est si nullus sit filius legitimus, et ipsemet filius se principi offerat *. – Quartus, si pater in publico instrumento, vel cum trium testium subscriptione, eum legitimum nominet nec adiiciat *naturalem* *.

* Novell. lxxxix, *Quibus modis naturales* etc., cap. ii, *Primus itaque,* § *Si quis igitur.*
* Ibid.
* Ibid.
* Novell. cxvii, *Ut liceat matri* etc., cap. ii, *Ad haec autem.*

Ad primum ergo dicendum quod alicui potest sine iniustitia gratia fieri: sed non potest aliquis damnificari nisi pro culpa. Et ideo magis potest illegitimus fieri legitimus quam e converso. Etsi enim legitimus aliquando hereditate privatur pro culpa, non tamen dicitur illegitimus filius: quia generationem legitimam habuit.

Ad secundum dicendum quod actus illegitimus habet defectum intra se inseparabilem, quo legi opponitur: et ideo non potest fieri legitimus. Nec est simile de filio illegitimo, qui non habet huiusmodi defectum.

QUAESTIO SEXAGESIMANONA

DE HIS QUAE SPECTANT AD RESURRECTIONEM. ET PRIMO, DE LOCO ANIMARUM POST MORTEM

Post hoc agendum est de his quae spectant ad tractatum resurrectionis *. Postquam enim dictum est de sacramentis, quibus homo liberatur a morte culpae, consequenter dicendum est de resurrectione, per quam homo liberatur a morte poenae.

* Cf. Part. III, Prolog.

Circa tractatum autem resurrectionis tria consideranda sunt: scilicet praecedentia resurrectionem, concomitantia, et sequentia. Et ideo primo dicendum est de his quae, pro parte quamvis non ex toto *, resurrectionem praecedunt; secundo, de ipsa resurrectione et circumstantibus eam *; tertio, de his quae eam sequuntur *.

* Cf. qu. lxxiv, art. 7.
* Qu. lxxv.
* Qu. lxxxvii.

Praecedentium autem resurrectionem prima consideratio est de receptaculis animarum post mortem eis assignatis; secundo, de qualitate, et poena animarum separatarum eis ab igne inflicta *; tertio, de suffragiis quibus animae defunctorum a vivis adiuvantur *; quarto, de orationibus sanctorum in patria existentium *; quinto, de signis iudicium generale praecedentibus *; sexto, de igne ultimae conflagrationis mundi, qui faciem Iudicis praecedet *.

* Qu. lxx.
* Qu. lxxi.
* Qu. lxxii.
* Qu. lxxiii.
* Qu. lxxiv.

Circa primum quaeruntur septem.

Primo: utrum animabus post mortem receptacula assignentur.

Secundo: utrum statim post mortem ad ipsa animae deducantur.

Tertio: utrum de ipsis locis egredi valeant.

Quarto: utrum limbus inferni sit idem quod sinus Abrahae.

Quinto: utrum limbus sit idem quod infernus damnatorum.

Sexto: utrum limbus puerorum sit idem quod limbus Patrum.

Septimo: utrum tot receptacula debeant distingui.

ART. I. UTRUM ANIMABUS POST MORTEM RECEPTACULA ASSIGNENTUR

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod animabus post mortem receptacula non assignentur. Sicut enim dicit Boetius, in libro *de Hebdomad.* *, *communis animi conceptio est apud sapientes incorporalia in loco non esse.* Cui concordat quod Augustinus dicit, XII *super Gen. ad litt.* *: *Cito quidem responderi potest ad corporalia loca animam non ferri nisi cum aliquo corpore.* Sed anima separata a corpore non habet aliquod corpus: sicut ibidem Augustinus dicit. Ergo ridiculum est animabus separatis aliqua receptacula assignare.

* Al. *An omne quod est, sit bonum.* - Opusc. III, edit. Teubner, 1871.
* Cap. XXXII.

2. PRAETEREA, omne quod habet locum determinatum, magis convenit cum illo loco quam cum alio. Sed animae separatae, sicut etiam quaelibet aliae spirituales substantiae, indifferenter se habent ad omnia loca: non enim potest dici quod cum aliquibus corporibus conveniant et cum aliis differant, cum ab omnibus conditionibus corporalibus penitus sint remotae. Ergo eis receptacula determinata non sunt assignanda.

3. PRAETEREA, animabus separatis non assignatur aliquid post mortem nisi quod cedat in poenam vel in praemium. Sed corporalis locus non potest eis esse in poenam vel in praemium: cum a corporibus nihil recipiant. Ergo non sunt eis assignanda certa receptacula.

SED CONTRA, caelum empyreum est locus corporalis. Et tamen ipsum *factum mox sanctis angelis est repletum*, ut Beda dicit *. Cum ergo angeli sint incorporei, sicut et animae separatae, videtur etiam quod animabus separatis sint certa receptacula assignanda. Ergo, etc.

* *Hexaem.* lib. I, ad *Gen.* cap. I, vers. 2. - Cf. Strab. Gloss. Ord. ibid., vers. 1.

2. PRAETEREA, hoc patet per id quod Gregorius dicit, in IV *Dialog.* *, scilicet animas post mortem ad diversa loca corporalia esse deductas: ut patet de Paschasio, quem Germanus, Capuanus episcopus, in balneis invenit *; et de anima Theodorici regis, quam dicit ad gehennam esse deductam *. Ergo animae post mortem habent certa receptacula.

* Cap. XXV, XXVIII, XXIX.
* Cap. XL.
* Cap. XXX.

RESPONDEO DICENDUM quod, quamvis substantiae spirituales secundum esse suum a corpore non dependeant, corporalia tamen a Deo mediantibus spiritualibus gubernantur: ut dicit Augustinus, in III *de Trin.* *, et Gregorius, in IV *Dialog.* * Et ideo est quaedam convenientia spiritualium substantiarum ad corporales substantias per congruentiam quandam, ut scilicet dignioribus substantiis digniora corpora adaptentur. Unde etiam philosophi secundum ordinem mobilium posuerunt ordinem substantiarum separatarum *. Quamvis autem animabus post mortem non assignentur aliqua corpora quorum sint formae vel determinati motores, determinantur tamen eis quaedam corporalia loca per congruentiam quandam secundum gradum dignitatis earum, in quibus sint quasi in loco, eo modo quo incorporalia in loco esse possunt, secundum quod magis accedent ad primam substantiam, cui locus superior per congruentiam deputatur, scilicet Deum, cuius sedem caelum Scriptura esse denuntiat *. Et ideo animas quae sunt in participatione perfecta divinitatis, in caelo esse ponimus: animas vero quae a participatione huiusmodi impediuntur, loco contrario dicimus deputari.

* Cap. IV.
* Cap. VI.
* Cf. Arist. *Metaphys.* lib. XI, cap. VIII, n. 3. - S. Th. lib. XII, lect. IX.
* Isai. cap. LXVI, vers. 1; *Act.* cap. VII, vers. 49.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod incorporalia non sunt in loco modo aliquo nobis noto et consueto, secundum quod dicimus corpora proprie in loco esse. Sunt tamen in loco modo substantiis spiritualibus convenienti, qui nobis plene manifestus esse non potest.

AD SECUNDUM DICENDUM quod duplex est convenientia vel similitudo. Una quae est per participationem eiusdem qualitatis: sicut calida ad invicem conveniunt. Et talis convenientia incorporalium ad loca corporalia esse non potest. – Alia per quandam proportionalitatem: secundum quam in Scripturis metaphorae corporalium ad spiritualia transferuntur, ut cum dicitur Deus esse *sol* *, quia est principium vitae spiritualis sicut sol vitae corporalis. Et secundum hanc convenientiam quaedam animae quibusdam locis magis conveniunt: sicut animae spiritualiter illuminatae cum corporibus luminosis; animae vero obtenebratae per culpam cum locis tenebrosis.

* Cf. *Sap.* cap. V, vers. 6; Isai. cap. LX, vers. 19, 20.

AD TERTIUM DICENDUM quod anima separata directe nihil recipit a locis corporalibus per modum quo corpora recipiunt, quae conservantur a suis locis *: sed ipsae animae, ex hoc quod cognoscunt se talibus locis deputari, sibi gaudium ingerunt vel maerorem. Et sic locus cedit eis in poenam vel praemium.

* Aristot. *Physic.* lib. IV, cap. IV, n. 1. - S. Th. lect. V.

ART. II. UTRUM STATIM POST MORTEM ALIQUAE ANIMAE DEDUCANTUR AD CAELOS VEL AD INFERNUM

Part. I, qu. LXIV, art. 4, ad 3; I[a] II[ae], qu. IV, ad 5; Part. III, qu. LIX, art. 5, ad 1; II *Sent.*, dist. VI, art. 3, ad 5; dist. XI, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. XCI; *In Ioan.* cap. XIX, lect. V; II *ad Cor.*, cap. V, lect. II; *Ad Heb.*, cap. XI, lect. VIII.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod statim post mortem nullae animae deducantur ad caelos vel ad infernum. Quia super illud Psalmi *, *Adhuc pusillum et non erit peccator,* dicit Glossa * quod *sancti liberantur in fine mundi: post hanc tamen vitam non ibi eris ubi erunt sancti, quibus dicetur, Venite benedicti Patris mei.* Sed illi sancti erunt in caelo. Ergo sancti post hanc vitam non statim ascendunt ad caelum.

* Ps. XXXVI, vers. 10.
* Lomb.

2. PRAETEREA, Augustinus dicit, in *Enchirid.* *, quod *tempus inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum animas abditis receptaculis continet, sicut unaquaeque digna est requie vel aerumna.* Sed haec abdita receptacula non possunt intelligi caelum et infernus: quia in illis etiam post resurrectionem ultimam cum corporibus erunt; unde pro nihilo distingueret tempus ante resurrectionem et post resurrectionem. Ergo non erunt nec in inferno nec in paradiso usque ad diem iudicii.

* Cap. CIX.

3. PRAETEREA, maior est gloria animae quam corporum. Sed simul omnibus redditur gloria corporum, ut sit maior laetitia singulorum ex communi gaudio: ut patet *Heb.* XI, super illud *, *Deo pro nobis aliquid melius providente,* etc.; dicit Glossa *: *Ut in communi gaudio omnium maius fieret gaudium singulorum.* Ergo multo fortius gloria animarum debet differri usque ad finem, ut simul omnibus reddatur.

* Vers. 40.
* Lomb.

4. PRAETEREA, poena et praemium quae per sententiam iudicii redduntur, iudicium praecedere non debent. Sed ignis inferni et gaudium paradisi dabuntur omnibus per sententiam iudicantis Christi, scilicet in ultimo iudicio, ut patet Matth. XXV *. Ergo ante diem iudicii nullus ascendit in caelum vel descendit ad inferos.

* Vers. 31 sqq.

SED CONTRA EST quod dicitur II *Cor.* V *: *Si terrena nostra habitatio dissolvatur, domum habemus non manufactam conservatam in caelis.* Ergo, dissoluta carne, homo habet mansionem quae ei in caelis fuerat conservata.

* Vers. 1.

2. PRAETEREA, *Philip.* I * dicit Apostolus: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Ex quo sic arguit Gregorius, in IV *Dialog.* *: *Qui ergo Christum in caelo esse non dubitat, nec Pauli animam in caelo esse negat.* Sed non est negandum Christum esse in caelo: cum sit articulus fidei *. Ergo nec est dubitandum animas sanctorum ad caelos ferri. – Quod etiam aliquae animae ad infernum descendunt statim post mortem, patet Luc. XVI *: *Mortuus est autem dives, et sepultus est in inferno.*

* Vers. 23.
* Cap. XXV.
* Symb. Apost.
* Vers. 22.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut in corporibus est gravitas vel levitas, qua feruntur ad suum locum, qui est finis motus ipsorum; ita etiam est in animabus meritum vel demeritum, quibus perveniunt animae ad praemium vel poenam, quae sunt fines actionum ipsarum. Unde, sicut corpus per gravitatem vel levitatem statim fertur in locum suum nisi prohibeatur, ita statim animae, soluto vinculo carnis, per quod in statu viae detinebantur, praemium consequuntur vel poenam, nisi aliquid impediat: sicut interdum impedit consecutionem praemii veniale peccatum, quod prius purgari oportet, ex quo sequitur quod praemium differatur. Et quia locus deputatur animabus secundum congruentiam praemii vel poenae *, statim ut anima absolvitur a corpore, vel in infernum immergitur; vel ad caelum evolat, nisi impediatur aliquo reatu, quo oporteat evolationem differri, ut prius anima purgetur.

* Art. praeced., ad 3.

Et huic veritati auctoritates Scripturae canonicae manifeste attestantur, et documenta sanctorum Patrum. Unde contrarium pro haeresi est habendum: ut patet IV *Dialog.* *, et in libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus* *.

* S. Greg. Magn., capp. XXV, XXVIII.
* Cap. XLVI, al. LXXIX. - Inter Op. Aug.

Ad primum ergo dicendum quod Glossa seipsam exponit. Quod enim dicit, *Nondum eris ubi erunt sancti* etc., statim exponit subdens: *Idest, Non habebis geminam stolam, quam habebunt sancti in resurrectione.*

Ad secundum dicendum quod inter illa abdita receptacula de quibus Augustinus loquitur, etiam sunt computandi et infernus et paradisus, in quibus animae aliquae ante resurrectionem continentur. Sed ideo distinguitur tempus ante resurrectionem et post, quia ante resurrectionem sunt ibi sine corpore, post autem erunt cum corpore: et quia in aliquibus receptaculis nunc sunt animae in quibus post resurrectionem non erunt.

Ad tertium dicendum quod homines secundum corpora habent quandam continuitatem ad invicem: quia secundum ea est verum quod dicitur *Act.* XVII *, quod *Deus ex uno fecit omnium hominum genus.* Sed animas *singillatim finxit* *. Unde non est tanta congruentia ut omnes homines simul glorificentur in anima, sicut quod simul glorificentur in corpore.

* Vers. 26.
* Cf. Ps. XXXII, vers. 15.

Et praeterea gloria corporis non est ita essentialis sicut gloria animae. Unde maius detrimentum esset sanctis si gloria animae differretur, quam de hoc quod gloria corporis differatur. Nec posset hoc detrimentum gloriae recompensari per ampliationem gaudii singulorum de gaudio communi.

Ad quartum dicendum quod eandem obiectionem Gregorius, in IV *Dialog.* *, proponit et solvit. *Si,* inquit, *nunc in caelo sunt animae sanctorum, quid est quod in die iudicii pro iustitiae suae retributione recipiunt?* Et respondet. *Hoc eis nimirum crescit in iudicio, quod nunc animae sola singulari retributione laetantur; postmodum vero etiam corporum beatitudine perfruentur, ut in ipsa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro Domino cruciatusque pertulerunt.* Et eodem modo dicendum est de damnatis.

* Cap. XXV.

ART. III. Utrum animae in paradiso vel in inferno existentes egredi valeant

Part. I, qu. LXXXIX, art. 8, ad 2; II *Sent.,* dist. VI, art. 3, ad 5.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod animae in paradiso vel in inferno existentes egredi non valeant. Augustinus enim dicit, in libro *de Cura pro mortuis agenda* *: *Si rebus viventium uterentur animae mortuorum, ut de aliis taceam, meipsum pia mater nulla nocte desereret, quae terra marique secuta est ut mecum viveret;* et ex hoc concludit quod animae defunctorum rebus viventium non intersunt. Sed interesse possent si de suis receptaculis exirent. Ergo de suis receptaculis non exeunt.

* Cap. XIII.

2. Praeterea, in Psalmo * dicitur: *Ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.* Et *Iob* VII *: *Qui descendit ad inferos, non ascendet.* Ergo tam boni quam mali a suis receptaculis non exeunt.

* Ps. XXVI, vers. 4.
* Vers. 9.

3. Praeterea, receptacula, ut dictum est *, animabus post mortem dantur in praemium vel in poenam. Sed post mortem neque praemia sanctorum minuuntur neque poenae damnatorum. Ergo non exeunt de suis receptaculis.

* Art. praeced.

Sed contra est quod dicit Hieronymus, *contra Vigilantium* *, sic eum alloquens: *Ais enim vel in sinu Abrahae, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei, animas Apostolorum et martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, cum voluerint, adesse praesentes. Et ita tu Deo leges ponis, tu Apostolis vincula iniicies, ut usque ad diem iudicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est, « Sequuntur Agnum quocumque ierit ». Et si Agnus ubique est, ergo et hi qui cum eo sunt, ubique esse credendi sunt.* Ridiculum ergo est dicere quod animae mortuorum a suis receptaculis non recedant.

* Num. 6.

2. Praeterea, Hieronymus ibidem arguit sic: *Cum diabolus et daemones vagentur orbe toto, et celeritate nimia ubique praesentes sint, martyres post effusionem sanguinis ara operientur inclusi, et inde exire non poterunt?* Ex quo potest concludi non solum de bonis, sed etiam de malis, quod sua receptacula quandoque exeant: cum non habeant maiorem damnationem quam daemones, qui ubique discurrunt.

3. Praeterea, idem probari potest per Gregorium, in IV *Dialog.* *, ubi narrat de multis mortuis qui vivis apparuerunt.

* Capp. XII, XVI, XXX, XL, LV.

Respondeo dicendum quod aliquem exire de inferno vel de paradiso potest intelligi dupliciter. Uno modo, ita quod simpliciter inde exeat, ut iam locus eius non sit paradisus vel infernus. Et sic nullus inferno vel paradiso finaliter deputatus inde exire potest, ut infra * dicetur.

* Qu. LXXI, art. 5, ad 5.

Alio modo potest intelligi ut exeat ad tempus. Et in hoc distinguendum est quid eis conveniat secundum legem naturae, et quid eis conveniat secundum ordinem divinae providentiae: quia, ut dicit Augustinus, in libro *de Cura pro mortuis agenda* *, *alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum; alia sunt quae naturaliter, alia quae mirabiliter fiunt.*

* Cap. XVI.

Secundum ergo naturalem cursum, animae separatae, propriis receptaculis deputatae, a conversatione viventium penitus segregantur. Non enim secundum cursum naturae homines in mortali carne viventes substantiis separatis immediate iunguntur, cum omnis eorum cognitio a sensu oriatur: nec propter aliud a suis receptaculis eas conveniret exire nisi ut rebus viventium interessent.

Sed secundum dispositionem divinae providentiae, aliquando animae separatae, a suis receptaculis egressae, conspectibus hominum praesentantur: sicut Augustinus, in libro praedicto *, narrat de Felice martyre, qui civibus Nolanis visibiliter apparuit cum a barbaris oppugnarentur. Et hoc etiam credi potest quod aliquando de damnatis contingat, quod, ad eruditionem hominum et terrorem, permittuntur viventibus apparere; aut etiam ad suffragia expetenda, quantum ad illos qui in purgatorio detinentur; ut per multa quae in IV *Dialog.* * narrantur, patet. Sed hoc interest inter sanctos et damnatos, quod sancti, cum voluerint, apparere possunt viventibus: non autem damnati. Sicut enim sancti viventes in carne per donum gratiae gratis datae accipiunt ut sanitates et signa perficiant, quae non nisi divina virtute mirabiliter fiunt, quae quidem signa ab aliis hoc dono carentibus perfici non possunt; ita etiam non est inconveniens ut ex virtute gloriae aliqua potentia animabus sanctorum detur per quam possint mirabiliter apparere viventibus cum volunt; quod alii non possunt, nisi interdum permissi.

* Ibid.
* Capp. XXX, XL, LV.

Ad primum ergo dicendum quod Augustinus, ut per sequentia patet, loquitur secundum communem cursum naturae. – Nec tamen sequitur quod, etiam si mortui possunt ut volunt viventibus apparere, toties appareant quoties apparent in carne viventes. Quia separati a carne vel omnino conformantur divinae voluntati, ita quod non liceat eis nisi quod secundum divinam dispositionem congruere intuentur; vel ita sunt poenis oppressi ut de sua miseria magis doleant quam curent aliis apparere.

Ad secundum dicendum quod auctoritates illae loquuntur quantum ad hoc quod nullus de paradiso vel inferno egreditur simpliciter: et non quod non egrediatur ad tempus.

Ad tertium dicendum quod, sicut ex dictis * patet, secundum hoc locus animae cedit in poenam vel praemium, quod anima afficitur ex hoc quod tali loco deputatur vel gaudendo vel dolendo. Hoc autem gaudium, sive hic dolor, de hoc quod talibus locis deputatur, manet in anima etiam quando extra loca praedicta fuerit: sicut pontifici, cui datur pro honore ut in cathedra sedeat in ecclesia, non minuitur gloria quando a cathedra recedit, quia, etsi actu ibi non sedeat, locus tamen ille sibi deputatus est.

* Art. 1, ad 3.

Ad ea etiam quae contra obiiciuntur, respondere oportet. Ad quorum *primum* * dicendum quod Hieronymus loquitur de Apostolis et martyribus secundum hoc quod eis accrescit ex potestate gloriae, et non secundum quod eis congruit ex debito naturae. Quod autem dicit eos *ubique esse,* non est intelligendum quasi simul sint in pluribus locis aut ubique: sed quia esse possunt ubi volunt.

* Arg. *Sed contra* 1.

Ad secundum * dicendum quod non est simile de daemonibus et angelis, et animabus sanctorum et damnatorum. Angeli enim boni et mali hoc officium sortiuntur ut hominibus praesint, vel ad custodiam vel ad exercitium. Quod de animabus hominum non potest dici: sed tantum secun-

* Arg. *Sed contra* 2.

dum potestatem gloriae animabus sanctorum hoc congruit quod possunt esse ubi voluerint. Et hoc est quod Hieronymus intendit.

Ad tertium * dicendum quod, quamvis aliquando animae sanctorum vel damnatorum praesentialiter adsint ubi apparent, non tamen credendum est hoc semper accidere. Aliquando enim huiusmodi apparitiones fiunt, vel in dormiendo vel in vigilando, operatione bonorum vel malorum spirituum, ad instructionem vel deceptionem viventium. Sicut etiam vivi homines aliquando aliis apparent et eis multa dicunt in somniis, cum tamen constet eos non esse praesentes: sicut Augustinus per multa exempla probat in libro *de Cura pro mortuis agenda* *.

* Arg. *Sed contra* 3.
* Cap. xi, xii, xvii.

ART. IV. Utrum limbus inferni sit idem quod sinus Abrahae

Part. III, qu. lii, art. 2, ad 4; IV *Sent.*, dist. 1, part. ii, exposit. text.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod limbus inferni non sit idem quod *sinus Abrahae* *. Sicut enim dicit Augustinus, XII *super Gen. ad litt.* *: *Nondum inveni inferos alicubi in bono posuisse Scripturam.* Sed sinus Abrahae in bono accipitur: ut ibidem subiungit Augustinus, sic dicens: *Non in bono accipiendum sinum Abrahae, et illam requiem quo ab angelis pius pauper allatus est, nescio utrum quisquam possit audire.* Ergo sinus Abrahae non est idem quod limbus inferni.

* Luc. cap. xvi, vers. 22.
* Cap. xxxiii, n. 64.

2. Praeterea, in inferno existentes non vident Deum. Sed in sinu Abrahae videtur Deus: ut patet per Augustinum, IX libro *Confess.* *, qui, loquens de Nebridio, dicit: *Quidquid illic est quod sinus Abrahae vocatur, ibi Nebridius meus vivit;* et infra: *Iam non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontem tuum, et bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua, sine fine felix.* Ergo sinus Abrahae non est idem quod limbus inferni.

* Cap. iii.

3. Praeterea, Ecclesia non orat pro aliquo ut ad infernum deducatur. Orat autem ut angeli animam defuncti *in sinum Abrahae* ferant *. Ergo videtur quod sinus Abrahae non sit idem quod limbus.

* *Processionar. Ord. Praed.*, Offic. Sepult. FF., resp. 1.

Sed contra, *sinus Abrahae* dicitur ubi mendicus Lazarus ductus est *. Sed ductus est ad infernum: quia, ut dicit Glossa * *Iob* xxx, super illud **, *Ubi constituta est domus omni viventi*: *Infernus domus erat omnium viventium ante Christi adventum.* Ergo sinus Abrahae est idem quod limbus.

* Luc. cap. xvi, vers. 22.
* Ord.
** Vers. 23.

2. Praeterea, *Genes.* xlii * dicit Iacob filiis suis: *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Ergo Iacob sciebat in morte sua se ad inferos transferendum. Ergo et, eadem ratione, Abraham ad inferos translatus fuit post mortem. Et ita sinus Abrahae videtur esse aliqua pars inferni.

* Vers. 38.

Respondeo dicendum quod animae hominum post mortem ad quietem pervenire non possunt nisi merito fidei: quia *accedentem ad Deum oportet credere, Heb.* xi *. Primum autem exemplum credendi hominibus in Abraham datur, qui primo se a coetu infidelium segregavit *, et speciale *signum fidei accepit* *. Et ideo requies illa quae hominibus post mortem datur, *sinus Abrahae* dicitur: ut patet per Augustinum, XII *super Gen. ad litt.* *

* Vers. 6.
* *Gen.* cap. xii, vers. 4.
* Ibid. cap. xvii, vers. 10 sqq.; *ad Rom.* cap. iv, vers. 11.
* Cap. xxxiv, n. 65. - Cf. *de Anima et eius orig.*, lib. IV, cap. xvi.

Sed animae sanctorum post mortem non omni tempore eandem quietem habuerunt. Quia post Christi adventum habent plenam quietem, divina visione perfruentes. Sed ante Christi adventum habebant quietem per immunitatem poenae, sed non habebant quietem desiderii per consecutionem finis. Et ideo status sanctorum ante Christi adventum potest considerari et secundum id quod habebat de requie, et sic dicitur *sinus Abrahae:* potest etiam considerari quantum ad id quod eis deerat de requie, et sic dicitur *limbus inferni.*

Limbus ergo inferni et sinus Abrahae fuerunt ante Christi adventum unum per accidens, et non per se. Et ideo nihil prohibet post Christi adventum esse sinum Abrahae omnino diversum a limbo: quia ea quae sunt per accidens, separari contingit.

Ad primum ergo dicendum quod quantum ad id quod habebat de bono, status sanctorum Patrum *sinus Abrahae* dicebatur. Sed quantum ad id quod habebat de defectu, dicebatur *infernus.* Et sic nec sinus Abrahae in malum accipitur, nec infernus in bonum, quamvis quodammodo sint unum.

Ad secundum dicendum quod, sicut requies sanctorum Patrum ante Christi adventum dicebatur sinus Abrahae, ita et post Christi adventum: sed diversimode. Quia enim ante Christi adventum sanctorum requies habebat defectum requiei adiunctum, dicebatur idem infernus et sinus Abrahae, inquantum ibi non videbatur Deus. Sed quia post Christi adventum sanctorum requies est completa, cum Deum videant, talis requies dicitur sinus Abrahae, et nullo modo infernus. Et ad hunc sinum Abrahae Ecclesia orat fideles perduci.

Unde patet responsio *ad tertium.* Et sic etiam intelligenda est quaedam glossa * quae habetur Luc. xvi, super illud *, *Factum est ut moreretur mendicus* etc., quae sic dicit: *Sinus Abrahae est requies beatorum pauperum, quorum est regnum caelorum.*

* Ord.
* Vers. 22.

ART. V. Utrum limbus sit idem quod infernus damnatorum

III *Sent.*, dist. xxii, qu. ii, art. 1, qu^a 2.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod limbus sit idem quod infernus damnatorum. Christus enim dicitur infernum *momordisse* *, non absorbuisse, quia aliquos inde extraxit, non autem omnes *. Non autem diceretur momordisse infernum si illi quos liberavit non fuissent pars multitudinis in inferno contentae. Ergo, cum illi quos liberavit in limbo inferni continerentur, iidem continebantur in limbo et inferno. Ergo limbus vel est idem quod infernus, vel pars inferni.

* Osee cap. xiii, vers. 14.
* Cf. Greg. homil. XXII *in Evang.*, num. 6.

2. Praeterea, Christus dicitur in Symbolo * *descendisse ad infernum.* Sed non descendit nisi ad limbum Patrum. Ergo limbus Patrum est idem quod infernus.

* Apostolorum.

3. Praeterea, *Iob* xvii * dicitur: *In profundissimum inferni descendent omnia mea.* Sed Iob, cum esset vir sanctus et iustus *, ad limbum descendit. Ergo limbus est idem quod profundissimum inferni.

* Vers. 16.
* Cap. i, vers. 1.

Sed contra, *in inferno nulla est redemptio* *. Sed a limbo sancti fuerunt redempti *. Ergo limbus non est idem quod infernus.

* Offic. Def. resp. vii ad Matut.; S. Bernard. serm. XLII, *de Divers.*, n. 5.
* Part. III, qu. xii, art. 5.

2. Praeterea, Augustinus dicit, XII *super Gen. ad litt.* *: *Quomodo illam requiem*, quam Lazarus accepit, *apud inferos esse credamus, non video.* Sed anima Lazari ad limbum descendit. Ergo limbus non est idem quod infernus.

* Cap. xxxiii, n. 64.

Respondeo dicendum quod receptacula animarum post mortem dupliciter distingui possunt: aut secundum situm; aut secundum locorum qualitatem, prout scilicet in aliquibus locis poenas vel praemia recipiunt animae. Si ergo consideretur limbus Patrum et infernus secundum locorum qualitatem praedictam, sic non est dubium quod distinguuntur. Tum quia in inferno est poena sensibilis, quae non erat in limbo Patrum. Tum etiam quia in inferno est poena aeterna: sed in limbo Patrum detinebantur sancti temporaliter tantum.

Sed si considerentur quantum ad situm loci, sic probabile est quod idem locus, vel quasi continuus, sit infernus et limbus: ita tamen quod quaedam superior pars inferni limbus Patrum dicatur. Existentes enim in inferno secundum diversitatem culpae diversam sortiuntur et poenam. Et ideo secundum quod gravioribus peccatis etiam irretiuntur damnati, secundum hoc obscuriorem locum et profundiorem obtinent in inferno. Unde et sancti Patres, in quibus minimum erat de ratione culpae, supremum et minus tenebrosum locum habuerunt omnibus puniendis.

Ad primum ergo dicendum quod secundum hoc quod infernus et limbus sunt idem quantum ad situm, dicitur Christus infernum momordisse, et in infernum descendisse, quando Patres a limbo eripuit suo descensu.

Et per hoc patet solutio *ad secundum.*

Ad tertium dicendum quod Iob non descendit in infernum damnatorum, sed in limbum Patrum. Qui quidem dicitur *profundissimus locus,* non quidem respectu locorum poenalium, sed in comparatione ad alia loca, secundum quod sub eodem includitur omnis locus poenarum.

* Loc. cit. supra.

Vel dicendum, sicut Augustinus solvit, XII *super Gen. ad litt.* *, de Iacob, sic dicens: *Illud quod dicit Iacob ad filios suos, « Deducetis senectutem meam cum tristitia ad inferos »: videtur hoc magis timuisse, ne nimia tristitia sic perturbaretur ut ad requiem beatorum non iret, sed ad inferos peccatorum.* Et similiter potest exponi verbum Iob, eadem ratione, ut sit verbum magis timentis quam asserentis *.

* Cf. Part. III, qu. LII, art. 2, ad 5.

ART. VI. UTRUM LIMBUS PUERORUM SIT IDEM QUOD LIMBUS PATRUM

III *Sent.*, dist. XXII, qu. II, art. 1, qu^a 2.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod limbus puerorum sit idem quod limbus Patrum. Poena enim debet respondere culpae. Sed pro eadem culpa detinebantur in limbo Patres et pueri, scilicet pro culpa originali. Ergo idem debet esse utrorumque locus poenae.

2. Praeterea, Augustinus dicit, in *Enchirid.* *: *Mitissima est poena puerorum, qui cum solo originali decedunt.* Sed nulla est poena mitior ea quam sancti Patres habebant. Ergo idem est locus poenae utrorumque.

* Cap. XCIII.

Sed contra, sicut actuali peccato debetur poena temporalis in purgatorio et aeterna in inferno, ita et originali peccato debebatur poena temporalis in limbo Patrum, et aeterna in limbo puerorum. Si ergo infernus et purgatorium non sunt idem, videtur quod nec limbus puerorum et limbus Patrum sint idem.

Utrum autem infernus et purgatorii locus sint idem, quaesitum est supra dist. XXI *.

* Qu. I, art. 1, qu^a 2.

Respondeo dicendum quod limbus Patrum et limbus puerorum absque dubio differunt secundum qualitatem praemii vel poenae: pueris enim non adest spes beatae vitae, quae Patribus in limbo aderat, in quibus etiam lumen fidei et gratiae refulgebat. Sed quantum ad situm probabiliter creditur utrorumque locus idem fuisse: nisi quod requies beatorum adhuc erat in superiori loco quam limbus puerorum, sicut de limbo et inferno dictum est *.

* Art. praeced.

Ad primum ergo dicendum quod ad culpam originalem non eodem modo se habebant Patres et pueri. In Patribus enim originalis culpa expiata est secundum quod erat infectiva personae, remanebat tamen impedimentum ex parte naturae, pro qua nondum erat satisfactum plenarie. Sed in pueris est impedimentum et ex parte personae et ex parte naturae. Et ideo pueris et Patribus diversa receptacula assignantur.

Ad secundum dicendum quod Augustinus loquitur de poenis quae debentur alicui ratione personae suae, inter quos mitissimam poenam habent qui solo originali peccato gravantur. Sed adhuc est mitior poena eorum quos non impedit a perceptione gloriae defectus personae, sed solum defectus naturae: ut ipsa dilatio gloriae quaedam poena dicatur.

ART. VII. UTRUM DEBEANT TOT RECEPTACULA DISTINGUI

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod non debeant tot receptacula distingui. Sicut enim receptacula debentur animabus pro peccato post mortem, ita et pro merito. Sed ratione meriti non debetur nisi unum tantum receptaculum, scilicet paradisus. Ergo nec ratione peccatorum debetur nisi unum receptaculum.

2. Praeterea, receptacula assignantur animabus post mortem ratione meritorum vel demeritorum. Sed unus est locus in quo merentur vel demerentur. Ergo unum tantum receptaculum deberet eis assignari post mortem.

3. Praeterea, loca poenalia debent respondere ipsis culpis. Sed non sunt nisi tria genera culparum: scilicet originalis, venialis et mortalis. Ergo non debent esse nisi tria receptacula poenalia.

Sed contra, videtur quod debeant esse multo plura quam assignentur. Aer enim iste caliginosus est daemonum carcer, ut patet II Petri II *. Nec tamen computatur inter quinque receptacula quae a quibusdam * assignantur. Ergo sunt plura receptacula quam quinque.

* Vers. 4. (vid. Aug. *de Civit. Dei* lib. XI, cap. XXXIII). - Cf. *ad Ephes.* cap. VI, vers. 12; *Ep. Iud.* vers. 6.
* B. Albert. IV *Sent.*, dist. XLIV, art. 45.

2. Praeterea, alius est paradisus terrestris, et alius paradisus caelestis. Sed quidam post statum huius vitae ad paradisum terrestrem sunt translati: sicut de Henoch et de Elia dicitur *. Cum ergo paradisus terrestris inter quinque receptacula non computetur, videtur quod sint plura quam quinque.

* *Eccli.* cap. XLIV, vers. 16; cap. XLVIII, vers. 9. - Cf. s. Irenaeum, *Cont. Haeres.*, lib. V, cap. V.

3. Praeterea, cuilibet statui peccantium debet aliquis locus poenalis respondere. Sed si ponatur aliquis in originali decedere cum solo veniali peccato, nullum receptaculorum assignatorum ei competeret. Constat enim quod in paradiso non esset: cum gratia careret. Et eadem ratione nec in limbo Patrum. Similiter etiam nec in limbo puerorum: cum in ipso non sit poena sensibilis, quae tali debetur ratione venialis peccati. Similiter nec in purgatorio: quia ibi non est nisi poena temporalis, huic autem debetur poena perpetua. Similiter autem nec in inferno damnatorum: quia mortali peccato caret. Ergo oportet sextum receptaculum assignare.

4. Praeterea, diversae sunt quantitates praemiorum et poenarum secundum differentias culparum et meritorum *. Sed infiniti sunt gradus meritorum et culparum. Ergo infinita debent distingui receptacula, in quibus puniantur vel praemientur post mortem.

* Cf. I^am II^ae, qu. LXXIII, art. 2; III *Cont. Gent.*, cap. CXXXIX; *De Malo*, qu. II, art. 9.

5. Praeterea, animae quandoque puniuntur in locis in quibus peccaverunt: ut per Gregorium patet, IV *Dialog.* * Sed peccaverunt in loco in quo nos habitamus. Ergo hic locus debet computari inter receptacula: et praecipue cum aliqui in hoc mundo pro peccatis suis puniantur, ut supra * Magister dixit.

* Cap. LV.
* Dist. XV, cap. *Attende lector.*

6. Praeterea, sicut aliqui in gratia decedentes habent aliqua pro quibus digni sunt poena, ita aliqui in peccato mortali decedentes habent aliqua bona pro quibus essent digni praemio. Sed decedentibus in gratia cum peccatis venialibus assignatur aliquod receptaculum in quo puniuntur antequam praemia consequantur, scilicet purgatorium. Ergo, eadem ratione, e converso debet esse de illis qui in mortali decedunt cum aliquibus bonis operibus.

7. Praeterea, sicut Patres retardabantur a plena gloria animae ante Christi adventum, ita et nunc a gloria corporis. Ergo, sicut distinguitur receptaculum sanctorum ante Christi adventum ab eo in quo nunc recipiuntur, ita debet receptaculum nunc distingui ab eo in quo recipientur post resurrectionem.

Respondeo dicendum quod receptacula animarum distinguuntur secundum diversos status earum. Anima autem coniuncta mortali corpori habet statum merendi: sed exuta corpore est in statu recipiendi pro meritis bonum vel malum. Ergo post mortem vel est in statu recipiendi finale praemium, vel est in statu quo impeditur ab illo. Si autem est in statu recipiendi finalem retributionem, hoc est dupliciter: vel quantum ad bonum, et sic est paradisus; vel quantum ad malum, et sic ratione actualis culpae est infernus, ratione autem originalis est limbus puerorum. Si vero est in statu quo impeditur a finali retributione consequenda, vel hoc est propter defectum personae, et sic est purgatorium, in quo detinentur animae ne statim praemia consequantur, propter peccata quae commiserunt; vel propter defectum naturae, et sic est limbus Patrum, in quo detinebantur Patres a consecutione gloriae propter reatum humanae naturae, quae nondum poterat expiari.

Ad primum ergo dicendum quod *bonum contingit uno modo, sed malum multifarie:* ut patet per Dionysium, IV cap. *de Div. Nom.* *, et per Philosophum, in II *Ethic.* ** Et propter hoc non est inconveniens si locus beatae retributionis est unus, loca vero poenarum sunt plura.

* S. Th. lect. XXII.
** Cap. VI, n. 14. - S. Th. lect. VII.

Ad secundum dicendum quod status merendi et demerendi est unus status: cum eiusdem sit posse mereri et demereri. Et ideo convenienter debetur omnibus unus locus. Sed eorum qui recipiunt pro meritis, sunt status diversi. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum quod pro culpa originali potest aliquis puniri dupliciter, ut ex dictis * patet: vel ratione personae, vel ratione naturae tantum. Et ideo illi culpae respondet duplex limbus.

* In corp.; et art. 6, ad 1.

Ad quartum * dicendum quod aer iste caliginosus non assignatur daemonibus quasi locus in quo recipiant retributionem pro meritis, sed quasi competens officio eorum

* Arg. *Sed contra* 1.

inquantum deputantur nobis ad exercitium. Et ideo inter receptacula de quibus nunc agitur, non computatur: primo enim eis deputatur ignis inferni, ut patet Matth. xxv *.

* Vers. 41.

Ad quintum * dicendum quod paradisus terrestris pertinet magis ad statum viatoris quam ad statum recipientis pro meritis. Et ideo inter receptacula de quibus nunc agitur, non computatur.

* Arg. Sed contra 2.

Ad sextum * dicendum quod illa positio est impossibilis *. Si tamen esset possibilis, talis in inferno puniretur in aeternum. Quod enim veniale peccatum in purgatorio temporaliter puniatur, accidit ei inquantum gratiam habet adiunctam. Unde, si adiungatur mortali, quod est sine gratia, poena aeterna in inferno punietur. Et quia iste qui cum originali peccato decedit, habet veniale sine gratia, non est inconveniens si ponitur aeternaliter puniri.

* Arg. Sed contra 3.
* Cf. II Sent., dist. xlii, qu. ii, art. 5, ad 7; de Malo, qu. v, art. 2, ad 8; qu. vii, art. 10, ad 8.

Ad septimum * dicendum quod diversitas graduum in poenis vel praemiis non diversificat statum, secundum cuius diversitatem receptacula distinguuntur. Et ideo ratio non sequitur.

* Arg. Sed contra 4.

Ad octavum * dicendum quod hoc quod animae separatae aliquando in loco nostrae habitationis puniuntur, non est propter hoc quod locus iste sit proprius locus poenarum: sed hoc fit ad nostram instructionem, ut, eorum poenas videntes, retrahamur a culpis.

* Arg. Sed contra 5.

Quod autem animae existentes in carne hic puniuntur pro peccatis, non pertinet ad propositum. Quia talis poena non trahit hominem extra statum merentis vel demerentis: nunc autem agimus de receptaculis quae debentur animae post statum meriti vel demeriti.

Ad nonum * dicendum quod malum non potest esse purum absque commixtione boni, sicut bonum summum est absque omni commixtione mali. Et ideo illi qui ad beatitudinem, quae summum bonum est, transferendi sunt, debent etiam ab omni malo purgari. Et propter hoc oportet esse locum in quo tales purgentur, si hinc non omnino purgati exeant. Sed illi qui in inferno detrudentur, non erunt immunes ab omni bono. Et ideo non est simile: quia ibi in inferno existentes praemium bonorum suorum recipere possunt inquantum bona praeterita eis valent ad mitigationem poenae.

* Arg. Sed contra 6.

Ad decimum * dicendum quod in gloria animae consistit praemium essentiale: sed gloria corporis, cum redundet ex anima, tota consistit in anima quasi originaliter. Et ideo carentia gloriae animae diversificat statum, non autem carentia gloriae corporis. Et propter hoc etiam idem locus, scilicet caelum empyreum, debetur animabus sanctis exutis a corpore, et coniunctis corporibus gloriosis. Non autem idem locus debetur animabus Patrum ante perceptionem gloriae animae, et post perceptionem ipsius.

* Arg. Sed contra 7.

QUAESTIO SEPTUAGESIMA

DE QUALITATE ANIMAE EXISTENTIS A CORPORE SEPARATAE, ET POENA EI INFLICTA AB IGNE CORPOREO

Deinde considerandum est de qualitate animae exeuntis a corpore, et poena ei ab igne corporeo inflicta *. Circa quod quaeruntur tria.

* Cf. qu. lxix, Introd.

Primo: utrum in anima separata remaneant potentiae sensitivae.

Secundo: utrum remaneant in ea actus dictarum potentiarum.

Tertio: utrum anima separata possit pati ab igne corporeo.

ART. I. utrum in anima separata remaneant potentiae sensitivae

Part. I, qu. lxxvii, art. 8; *Quaest. Dispp., de Anima,* art. 19; XII *Metaphys.,* lect. iii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod in anima separata remaneant potentiae sensitivae. Augustinus enim, in libro *de Spiritu et Anima* *, sic dicit: *Recedit anima a corpore secum trahens omnia: sensum scilicet, imaginationem, rationem, intellectum, intelligentiam, concupiscibilitatem et irascibilitatem.* Sed sensus et imaginatio, et vis irascibilis et concupiscibilis, sunt vires sensitivae. Ergo in anima separata vires sensitivae remanent.

* Cap. xv. - Inter Opp. Aug.; cf. art. seq., ad 1.

2. Praeterea, Augustinus dicit, in libro *de Ecclesiasticis Dogmat.* *: *Solum hominem credimus animam habere substantivam, quae exuta a corpore vivit, et sensus suos atque ingenia vivaciter tenet.* Ergo anima exuta a corpore vivit et habet potentias sensitivas.

* Cap. xvi. - Inter Opp. Aug.

3. Praeterea, potentiae animae vel essentialiter ei insunt, ut quidam * dicunt: vel ad minus sunt naturales proprietates ipsius. Sed id quod essentialiter inest alicui, non potest ab eo separari: neque subiectum aliquod deseritur a naturalibus proprietatibus. Ergo impossibile est quod anima separata a corpore aliquas potentias amittat.

* Cf. *de Spirit. et Anima*, cap. xiii. - Inter Opp. Aug.

4. Praeterea, non est totum integrum cui aliqua partium deest. Sed potentiae animae dicuntur partes ipsius. Si ergo potentias aliquas post mortem anima amittit, non erit anima integra post mortem. Quod est inconveniens.

5. Praeterea, potentiae animae magis cooperantur ad meritum quam etiam corpus: cum corpus sit solum instrumentum actus, potentiae vero principia agendi. Sed necesse est ut simul corpus praemietur cum anima propter hoc quod cooperabatur in merito. Ergo multo fortius est necesse quod potentiae animae simul praemientur cum ipsa. Ergo anima separata eas non amittit.

6. Praeterea, si anima, cum separatur a corpore, potentiam sensitivam amittit, oportet quod illa potentia in nihilum cedat: non enim potest dici quod in materia aliqua resolvatur, cum non habeat materiam partem sui. Sed id quod omnino in nihilum cedit, non reiteratur idem numero *. Ergo anima non habebit in resurrectione eandem numero potentiam sensitivam. Sed, secundum Philosophum *, sicut se habet anima ad corpus, ita se habent potentiae animae ad partes corporis, ut visus ad oculum. Si autem non est eadem anima quae redibit ad corpus, non esset idem homo. Ergo, eadem ratione, non esset idem oculus numero si non habeat eandem numero potentiam visivam. Et, simili ratione, nec aliqua alia pars eadem numero resurgeret. Et per consequens nec totus homo idem numero erit. Non ergo potest esse quod anima separata potentias sensitivas amittat.

* Cf. dist. xliv, qu. i, art. 1, qu^a 1, arg. 4.
* *De Anima*, lib. II, cap. i, n. 9. - S. Th. lect. ii.

7. Praeterea, si potentiae sensitivae corrumperentur corrupto corpore, oporteret quod, debilitato corpore, debilitarentur. Hoc autem non contingit: quia, ut dicitur in I *de Anima* *, *si senex accipiat oculum iuvenis, videbit utique sicut iuvenis.* Ergo nec, corrupto corpore, sensitivae potentiae corrumpentur.

* Cap. iv, n. 13. - S. Th. lect. x.

Sed contra est quod Augustinus, in libro *de Ecclesiasticis Dogmat.* *, dicit: *Duabus substantiis homo constat, anima tantum et carne, anima cum ratione sua, et carne cum sensibus suis.* Potentiae ergo sensitivae ad carnem pertinent. Ergo, corrupta carne, non manent potentiae sensitivae in anima.

* Cap. xix. - Inter Opp. Aug.

2. Praeterea, Philosophus, in XII *Metaphys.* *, de separatione animae loquens, sic dicit: *Si autem aliquid remanet in postremo, quaerendum est de hoc. In quibusdam enim non est impossibile. Verbi gratia, si anima est talis dispositionis, non tota, sed intellectus. Tota enim forte impossibile.* Ex hoc videtur quod anima tota a corpore non separetur, sed solum potentiae animae intellectivae: non enim sensitivae vel vegetativae.

* S. Th. lect. iii. - Did. lib. XI, cap. iii, n. 5.

3. Praeterea, in II *de Anima* * Philosophus dicit, de intellectu loquens: *Hoc solum contingit separari ut perpetuum a corruptibili. Reliquae autem partes animae manifestum est ex his quod non separabiles sunt, ut quidam dicunt.* Ergo potentiae sensitivae non manent in anima separata.

* Cap. ii, n. 9, 10. - S. Th. lect. iv.

Respondeo dicendum quod circa hoc est multiplex opinio. Quidam enim, aestimantes potentias omnes esse in anima ad modum quo color est in corpore, dicunt quod anima a corpore separata omnes potentias suas secum trahit *. Si enim aliqua ei deesset, oporteret animam transmutatam esse secundum naturales proprietates: quae, subiecto manente, variari non possunt.

* Cf. arg. 1; et Mag. dist. xliv, cap. ult.

Sed dicta aestimatio falsa est. Cum enim potentia sit secundum quam potentes dicimur aliquid agere vel pati; eiusdem autem sit agere et posse agere: oportet quod eiusdem sit potentia sicut subiecti quod est agens vel

patiens. Unde Philosophus, in principio *de Somno et Vigilia* *, dicit quod *cuius est potentia, eius est actio.* Videmus autem manifeste quasdam operationes, quarum potentiae animae sunt principia, non esse animae, proprie loquendo, sed coniuncti, quia non explentur nisi mediante corpore: ut est videre, audire, et huiusmodi. Unde oportet quod istae potentiae sint coniuncti sicut subiecti *; animae autem sicut principii influentis, sicut forma est principium proprietatum compositi. Quaedam vero operationes exercentur ab anima sine organo corporali: ut intelligere, considerare et velle. Unde, cum hae actiones sint animae propriae, et potentiae quae sunt harum principia, non solum erunt animae ut principii, sed ut subiecti *. Quia ergo, manente proprio subiecto, manere oportet et proprias passiones, et corrupto eo corrumpi; necesse est illas potentias quae in suis actionibus non utuntur organo corporali, remanere in anima separata; illas autem quae utuntur, corrumpi corpore corrupto. Et huiusmodi sunt potentiae omnes quae pertinent ad animam sensibilem et vegetabilem.

* Cap. I. - S. Th. lect. I.
* Cf. Part. I, qu. LXXVII, art. 5.
* Cf. ibid.

Et propter hoc quidam in potentiis animae sensibilibus distinguunt. Dicunt enim has esse duplices: quasdam quae sunt actus organorum, quae sunt ab anima effluxae in corpus, et hae cum corpore corrumpuntur; quasdam vero originales harum, quae sunt in anima, quia per eas anima corpus sensificat ad videndum et audiendum et huiusmodi, et hae originales potentiae manent in anima separata.

Sed hoc non videtur convenienter dici. Anima enim per suam essentiam, non mediantibus aliquibus aliis potentiis, est origo illarum potentiarum quae sunt actus organorum: sicut et forma qualibet, ex hoc ipso quod per essentiam suam materiam informat, est origo proprietatum quae compositum naturaliter consequuntur. Si enim oporteret in anima ponere alias potentias, quibus mediantibus potentiae quae organa perficiunt ab essentia animae effluerent, eadem ratione oporteret ponere alias potentias quibus mediantibus ab essentia animae effluerent illae mediae potentiae: et sic in infinitum. Si enim statur alicubi, melius est ut in primo stetur.

Unde alii * dicunt quod potentiae sensitivae, et aliae similes, non manent in anima separata nisi secundum quid, scilicet ut in radice, per modum scilicet quo principiata sunt in principiis suis: in anima enim separata manet efficacia influendi iterum huiusmodi potentias si corpori uniatur. Nec oportet hanc efficaciam esse aliquid superadditum essentiae animae, ut dictum est. Et haec opinio videtur magis rationabilis.

* B. Albert. IV *Sent.*, dist. XLIV, art. 43.

Ad primum ergo dicendum quod verbum illud Augustini intelligendum est quod anima secum trahit quasdam illarum potentiarum in actu, scilicet intelligentiam et intellectum; quasdam vero radicaliter, ut dictum est *.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod sensus quos anima secum trahit, non sunt isti exteriores, sed interiores, qui scilicet ad partem intellectivam pertinent: quia intellectus interdum *sensus* appellatur, ut patet per Basilium, *super Proverbia* *, et per Philosophum, in VI *Ethic.* **. – Vel, si intelligit de sensibus exterioribus, dicendum sicut ad primum.

* *Homil. in princip. Proverb.*, num. 13.
** Cap. XI, n. 5. - S. Th. lect. IX.

Ad tertium dicendum quod, sicut iam patet ex dictis *, potentiae sensitivae non comparantur ad animam sicut naturales passiones ad subiectum, sed sicut ad originem. Unde ratio non procedit.

* In corpore.

Ad quartum dicendum quod potentiae animae dicuntur partes eius potentiales. Talium autem totorum ista est natura, quia tota virtus totius consistit in una partium perfecte, in aliis autem partialiter: sicut in anima virtus animae perfecte consistit in parte intellectiva, in aliis autem partialiter. Unde, cum in anima separata remaneant vires intellectivae partis, integra remanebit, non diminuta, quamvis sensitivae potentiae actu non remaneant: sicut nec potentia regis manet diminuta mortuo praeposito, qui eius potentiam participabat.

Ad quintum dicendum quod corpus cooperatur ad meritum quasi pars essentialis hominis qui meretur. Sic autem non cooperantur potentiae sensitivae: cum sint de genere accidentium. Et ideo non est simile.

Ad sextum dicendum quod potentiae animae sensitivae non dicuntur esse actus organorum quasi formae essentiales ipsorum, nisi ratione animae cuius sunt: sed sunt actus ipsorum sicut perficientes ea ad proprias operationes, sicut calor est actus ignis perficiens ipsum ad calefaciendum. Unde, sicut ignis idem numero remaneret etiam si alius numero in eo calor esset, sicut patet de frigore aquae, quod non redit idem numero postquam fuerit calefacta, aqua nihilominus eadem numero manente; ita et organa erunt eadem numero, quamvis potentiae eaedem numero non sint.

Ad septimum dicendum quod Philosophus ibi loquitur de huiusmodi potentiis secundum quod radicaliter in anima consistunt: quod patet ex hoc quod dicit, quod *senium non est in patiendo aliquid animam, sed id in quo est,* scilicet corpus. Sic enim propter corpus neque debilitantur nec corrumpuntur animae virtutes.

ART. II. Utrum in anima separata remaneant actus sensitivarum potentiarum

Part. I, qu. LXXVII, art. 8; III *Cont. Gent.*, cap. LXXXI, ad 5; *Quodl.* X, qu. IV, ad 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod in anima separata remaneant etiam actus sensitivarum potentiarum. Dicit enim Augustinus, in libro *de Spiritu et Anima* *: *Anima recedens a corpore ex his,* scilicet imaginatione, concupiscibilitate, irascibilitate, *secundum merita afficitur ad delectationem sive dolorem.* Sed imaginatio et concupiscibilis et irascibilis sunt potentiae sensitivae. Ergo secundum sensitivas potentias anima separata afficietur. Et ita secundum eas in aliquo actu erit.

* Cap. XV. - Inter Opp. Aug.

2. Praeterea, Augustinus, *super Gen. ad litt.*, lib. XII *, dicit quod *corpus non sentit, sed anima per corpus*; et infra: *Quaedam autem anima non per corpus, sed sine corpore sentit, ut est timor et huiusmodi.* Sed id quod animae sine corpore convenit, potest inesse animae a corpore separatae. Ergo tunc actu anima sentire poterit.

* Cap. XXIV. - Cf. lib. III, cap. V.

3. Praeterea, inspicere similitudines corporum sicut in somno accidit, ad visionem imaginariam pertinet, quae est in parte sensitiva. Sed huiusmodi similitudines corporum inspicere sicut in somnis accidit, convenit animae separatae. Unde Augustinus, XII *super Gen. ad litt.* *, sic dicit: *Neque enim video cur habeat anima similitudinem corporis sui, cum, iacente sine sensu corpore, nondum tamen penitus mortuo, videt talia qualia multi ex illa subductione vivis redditi narraverunt, et non habeat cum perfecta morte penitus de corpore exierit.* Non enim potest hoc intelligi quod anima similitudinem corporis habeat, nisi secundum quod eam inspicit. Unde praemisit de iacentibus sine sensu quod *gerunt quandam similitudinem corporis sui, per quam possunt ad loca corporalia ferri, et talia,* qualia vident, *similitudinibus sensuum experiri.* Ergo anima separata potest exire in actum potentiarum sensitivarum.

* Cap. XXXII.

4. Praeterea, memoria est potentia sensitivae partis: ut probatur in libro *de Memoria et Reminiscentia* *. Sed animae separatae actu memorabuntur eorum quae in hoc mundo gesserunt: unde et diviti epuloni dicitur, Luc. XVI *: *Recordare quia recepisti bona in vita tua.* Ergo anima separata exibit in actum potentiae sensitivae.

* Cap. I. - S. Th. lect. II.
* Vers. 25.

5. Praeterea, secundum Philosophum, in III *de Anima* *, irascibilis et concupiscibilis sunt in parte sensitiva. Sed in irascibili et concupiscibili sunt gaudium et tristitia, amor et odium, timor et spes, et huiusmodi affectiones, quas secundum fidem nostram ponimus in animabus separatis. Ergo animae separatae non carebunt actibus potentiarum sensitivarum.

* Cap. IX, n. 3. - S. Th. lect. XIV.

Sed contra, id quod est commune animae et corpori, non potest remanere in anima separata. Sed omnes operationes potentiarum sensitivarum sunt communes animae et corpori: quod patet ex hoc quod nulla potentia sensitiva aliquem actum habet nisi per organum corporale. Ergo anima separata carebit actibus sensitivarum potentiarum.

2. Praeterea, Philosophus dicit, in I *de Anima* *, quod, *corrupto corpore, anima neque reminiscitur neque amat.* Et eadem ratio est de omnibus aliis actibus sensitivarum

* Cap. IV, n. 14. - S. Th. lect. X.

potentiarum. Ergo non procedit anima separata in aliquem actum alicuius potentiae sensitivae.

Respondeo dicendum quod quidam distinguunt duplices actus sensitivarum potentiarum: quosdam exteriores, quos per corpus exercet, et hi non remanent in anima separata; quosdam vero intrinsecos, quos anima per seipsam exercet, et hi erunt in anima separata. Haec autem positio descendere videtur ab opinione Platonis, qui posuit * animam corpori coniungi sicut quandam substantiam perfectam in nullo a corpore dependentem, sed solum sicut motorem mobili: quod patet ex trans-corporatione quam ponebat *. Quia autem secundum ipsum nihil movebat nisi motum; et, ne abiretur in infinitum, dicebat quod primum movens movet seipsum: posuit quod anima erat seipsam movens *. Et secundum hoc erat duplex motus animae: unus quo movebatur a seipsa; alius quo movebatur corpus ab ea. Et sic anima habebat actum qui est videre, primo in seipsa, secundum quod movebat seipsam; et secundo in organo corporali, secundum quod movebat corpus.

* Vide I *Alcibiad.*, cap. xxv; *Phaedri* cap. xxx; *Timaeum* (Did. vol. II, p. 213); *Leg.* lib. X (Did. vol. II, p. 451).
* *Civit.* lib. X, circa fin.

* Vide Aristot. *Topic.* lib. VI, cap. III, n. 2; VIII *Physic.* cap. IX, n. 3, S. Th. lect. XX; I *de Anim.*, cap. IX, n. 11, S. Th. lect. VII.

Hanc autem positionem Philosophus destruit, in I *de Anima* *, ostendens quod anima non movet seipsam, et quod nullo modo movetur secundum istas operationes quae sunt videre, sentire et huiusmodi, sed quod istae operationes sunt motus coniuncti tantum. Unde oportet dicere quod actus sensitivarum potentiarum nullo modo maneant in anima separata, nisi forte sicut in radice remota *.

* Cap. III. - S. Th. lect. VI sqq.

* Cf. art. praeced., in fine corp.

Ad primum ergo dicendum quod liber ille negatur a quibusdam fuisse Augustini: dicitur enim fuisse cuiusdam Cisterciensis, qui eum ex dictis Augustini compilavit, et quaedam de suo addidit *. Unde quod ibi scribitur, pro auctoritate habendum non est.

* Cf. admonit. in lib. *de Spirit. et Anima*, Migne Patr. Lat. XL, 779.

Si tamen auctoritas debeat sustineri, dicendum quod non debet intelligi quod anima separata ex imaginatione et aliis huiusmodi potentiis afficiatur quasi ipsa affectio sit actus potentiarum praedictarum: sed quia ex his quae anima per imaginationem et alias huiusmodi potentias commisit in corpore, in futuro afficietur, vel in bonum vel in malum; ut sic imaginatio et huiusmodi potentiae non intelligantur elicere illam affectionem, sed elicuisse in corpore meritum affectionis illius.

Ad secundum dicendum quod anima dicitur sentire per corpus, non quasi actus sentiendi sit animae secundum se: sed quia est totius coniuncti ratione animae, eo modo loquendi quo dicimus quod calor calefaciat.

Quod autem subiungitur, quod quaedam anima sentit sine corpore, ut timorem et huiusmodi, intelligendum est sine exterioris corporis motu, qui accidit in actibus sensuum propriorum: non enim timor et huiusmodi passiones sine motu corporali contingunt. – Vel potest dici quod Augustinus loquitur secundum opinionem Platonicorum, qui hoc ponebant, ut dictum est *.

* In corpore. - Cf. Part. I, qu. LXXVII, art. 5, ad 3.

Ad tertium dicendum quod Augustinus ibi inquirendo loquitur, non determinando: sicut fere per totum illum librum. Patet enim quod non est similis ratio de anima dormientis, et de anima separata. Anima enim dormientis utitur organo imaginationis, in qua corporales similitudines imprimuntur: quod de anima separata dici non potest.

Vel dicendum quod similitudines rerum sunt in anima et quantum ad potentiam sensitivam, et imaginativam, et intellectivam, secundum maiorem et minorem abstractionem a materia et a materialibus conditionibus. Tenet ergo similitudo Augustini quantum ad hoc quod, sicut similitudines rerum corporalium sunt in anima somniantis vel excessum mentis patientis imaginabiliter, ita sunt in anima separata intellectualiter: non autem quod in anima separata sint imaginabiliter.

Ad quartum dicendum quod, sicut in I Libro * dictum est, memoria dupliciter sumitur. Quandoque prout est potentia sensitivae partis, secundum quod concernit praeteritum tempus. Et hoc modo actus memoriae in anima separata non erit. Unde dicit Philosophus, in I *de Anima* *, quod, *hoc corrupto*, scilicet corpore, *anima non reminiscitur*. – Alio modo accipitur memoria prout est *pars imaginis* *, ad intellectivam partem pertinens: secundum scilicet quod ab omni differentia temporis abstrahit, cum non sit tantum praeteritorum, sed etiam praesentium et futurorum, ut Augustinus dicit *. Et secundum hanc memoriam anima separata memorabitur.

* Dist. III, qu. IV, art. 1, ad 2. - Cf. lib. III, dist. XXVI, qu. II, art. 5, ad 4.

* Cap. IV, n. 14. - S. Th. lect. X.

* Cf. Part. I, qu. XCIII, art. 7, ad 2, 3.

* *De Trin.* lib. XIV, cap. XI.

Ad quintum dicendum quod amor, gaudium et tristitia, et huiusmodi, dupliciter accipiuntur. Quandoque quidem secundum quod sunt passiones appetitivae sensibilis. Et sic non erunt in anima separata: hoc enim modo non explentur sine determinato motu cordis. – Alio modo, secundum quod sunt actus voluntatis, quae est in parte intellectiva. Et hoc modo erunt in anima separata: sicut et delectationem, quae quodam modo est passio partis sensitivae, secundum alium modum accipiendi ponit Philosophus in Deo, dicens, in VII *Ethic.* *, quod *Deus una simplici delectatione gaudet.*

* Cap. XIV, n. 8. - S. Th. lect. XIV.

ART. III. UTRUM ANIMA SEPARATA PATI POSSIT AB IGNE CORPOREO

Part. I, qu. LXIV, art. 4, ad 1; IV *Cont. Gent.*, cap. XC; *Quaest. Dispp.*, *de Anima*, art. 6, ad 7; art. 21; *de Spirit. Creat.*, art. 1, ad 20; *de Verit.*, qu. XXVI, art. 1; *Compend. Theol.*, cap. CLXXX; *Quodl.* II, qu. VII, art. 1; III, qu. X, art. 1; VII, qu. V, art. 3.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod anima separata pati non possit ab igne corporeo. Augustinus enim, XII *super Gen. ad litt.* *, dicit: *Non sunt corporalia, sed corporalibus similia, quibus animae corporibus exutae afficiuntur, seu bene seu male*. Ergo anima separata igne corporeo non punitur.

* Cap. XXXII.

2. Praeterea, Augustinus, in eodem libro *, dicit quod *agens semper est nobilius patiente.* Sed impossibile est aliquod corpus esse nobilius anima separata. Ergo non potest ab aliquo corpore pati.

* Cap. XVI. - Cf. *de Musica*, lib. VI, cap. V, n. 8.

3. Praeterea, secundum Philosophum, in I *de Generat.* *, et secundum Boetium, in libro *de duabus Naturis* **, illa solum agunt et patiuntur ad invicem quae in materia communicant. Sed anima et ignis corporeus non communicant in materia: quia spiritualium et corporalium non est materia communis. Unde non possunt ad invicem transmutari, ut Boetius in eodem libro * dicit. Ergo anima separata ab igne non patitur.

* Cap. X, n. 8. - Continuat. Comment. s. Th. lect. XXV.
** Cap. VI.

* Ibid.

4. Praeterea, omne quod patitur recipit aliquid ab agente. Si ergo anima patiatur ab igne corporeo, aliquid ab eo recipiet. Sed omne quod recipitur in aliquo, est in eo per modum recipientis. Ergo quod recipitur ab igne in anima, non est in eo materialiter, sed spiritualiter. Sed formae rerum in anima spiritualiter existentes sunt perfectiones ipsius. Ergo, etsi patiatur ab igne corporeo, hoc non erit in eius poenam, sed magis in eius perfectionem.

5. Si dicatur quod *hoc ipso anima punitur ab igne quod ignem videt,* ut videtur dicere Gregorius, IV *Dialog.* *: contra. Si videt anima ignem inferni, non potest videre nisi visione intellectuali: cum non habeat organa quibus visio sensitiva vel imaginaria perficitur. Sed visio intellectualis non videtur quod possit esse causa tristitiae: *delectationi* enim *quae est in considerando, non est tristitia contrarium,* secundum Philosophum *. Ergo ex tali visione anima non punitur.

* Cap. XXIX.

* *Topic.* lib. I, cap. XIII, n. 5. - Cf. *Ethic.* lib. X, cap. III, n. 7, s. Th. lect. III; Nemes. *de Nat. Hom.* cap. XVIII, al. lib. IV, cap. X.

6. Si dicatur quod anima patitur ab igne corporeo eo quod tenetur ab eo, sicut nunc tenetur a corpore dum vivit in corpore: contra. Anima, dum in corpore vivit, tenetur a corpore inquantum ex ea et corpore fit unum sicut ex materia et forma fit unum. Sed anima non erit forma illius ignis corporei. Ergo supra dicto modo non poterit ab illo igne teneri.

7. Praeterea, omne agens corporeum agit per contactum *. Sed non potest esse aliquis contactus ignis corporei et animae: quia contactus solum fit inter corpora quae habent ultima simul. Ergo anima ab igne corporeo non patitur.

* Cf. Aristot. *de Gen. et Corr.* lib. I, cap. VI, n. 4. - Continuat. Comment. s. Th. lect. XVIII.

8. Praeterea, agens organicum non agit in remota nisi per hoc quod agit in media: unde per determinatam distantiam agere potest proportionatam suae virtuti. Sed animae, vel ad minus daemones, de quibus est eadem ratio, quandoque sunt extra locum inferni; quandoque etiam in hoc mundo hominibus apparent. Nec tamen sunt

a poena immunes: sicut enim gloria sanctorum nunquam interrumpitur, ita nec poena damnatorum. Nec tamen videmus quod omnia intermedia ab igne inferni patiantur. Nec iterum est credibile aliquid corporeum de natura elementi esse tantae virtutis ut ad tantam distantiam actionem suam diffundat. Ergo non videtur quod poenas quas animae damnatorum sustinent, ab igne corporeo patiantur.

Sed contra, eadem ratio est in animabus separatis et daemonibus quod ab igne corporeo pati possint. Sed daemones ab eo patiuntur: cum puniantur ab illo igne in quem corpora damnatorum proiicientur post resurrectionem, quem oportet esse corporeum; et hoc patet per sententiam Domini, Matth. xxv *: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.* Ergo et animae separatae ab igne corporeo pati possunt.

* Vers. 41.

2. Praeterea, poena debet respondere culpae. Sed anima per culpam se corpori subiecit per pravam concupiscentiam. Ergo iustum est ut in poenam rei corporeae subiiciatur per passionem.

3. Praeterea, maior est unio formae ad materiam quam agentis ad patiens. Sed diversitas naturae spiritualis et corporalis non impedit quin anima sit forma corporis. Ergo nec impedit quin possit a corpore pati.

Respondeo dicendum quod, supposito ex praedictis * quod ignis inferni non sit metaphorice dictus, nec ignis imaginarius, sed verus ignis corporeus, oportet dicere quod anima ab igne corporeo patietur: cum Dominus ignem illum *diabolo et angelis eius paratum esse* dicat, Matth. xxv *, qui sunt incorporei sicut illa. Sed quomodo pati possit, multipliciter assignatur.

* Dist. xliv, qu. iii, art. 2, qu^a 1.

* Vers. 41.

Quidam enim dixerunt quod hoc ipsum quod est ignem videre, sit animam ab igne pati. Unde Gregorius, in IV *Dialog.* *, dicit: *Ignem eo ipso patitur anima quo videt.* Sed illud non videtur sufficere. Quia quodlibet visum, ex hoc quod videtur, est perfectio videntis. Unde non potest in eius poenam cedere inquantum est visum. Sed quandoque est punitivum vel contristans per accidens, inquantum scilicet apprehenditur ut nocivum. Unde oportet quod, praeter hoc quod anima ignem illum videt, sit aliqua comparatio animae ad ignem secundum quam ignis animae noceat.

* Cap. xxix.

Unde alii dixerunt quod, quamvis ignis corporeus non possit animam exurere, tamen anima apprehendit ipsum ut nocivum sibi, et ad talem apprehensionem afficitur timore et dolore: ut in eis impleatur id quod dicitur *: *Trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Unde Gregorius, in IV *Dialog.* *, dicit quod, *quia anima cremari se conspicit, crematur.*

* Ps. xiii, vers. 5.

* Loc. cit.

Sed hoc iterum non videtur sufficere. Quia secundum hoc passio animae ab igne non esset secundum rei veritatem, sed secundum apparentiam tantum. Quamvis enim possit esse vera passio tristitiae vel doloris ex aliqua falsa imaginatione, ut Augustinus dicit, XII *super Gen. ad litt.* *; tamen non potest dici quod secundum illam passionem vere patiatur a re, sed a similitudine rei quam conspicit. – Et iterum iste modus passionis magis recederet a reali passione quam ille qui ponitur per imaginarias visiones: cum ille dicatur per veras imagines rerum esse, quas anima secum defert; iste autem per falsas conceptiones, quas anima errans fingit. – Et iterum non est probabile quod animae separatae, vel daemones, qui subtilitate ingenii pollent, putarent ignem corporeum sibi nocere posse, si ab eo nullatenus gravarentur.

* Cap. xxxii.

Unde alii dicunt quod oportet ponere animam etiam realiter ab igne corporeo pati. Unde et Gregorius, in IV *Dialog.* *, dicit: *Colligere ex dictis Evangelicis possumus quod incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo, patiatur.* Sed hoc tali modo fieri ponunt *. Dicunt enim quod ignis ille corporeus considerari potest dupliciter. Uno modo, secundum quod est res quaedam corporea. Et hoc modo non habet quod in animam agere possit. Alio modo, secundum quod est instrumentum divinae iustitiae vindicantis: hoc enim divinae iustitiae ordo exigit, ut anima quae peccando se rebus corporalibus subdidit, eis etiam in poenam subdatur. Instrumentum autem non solum agit virtute propriae naturae, sed etiam in virtute principalis agentis. Et ita non est inconveniens si ignis ille, cum agat in vi spiritualis agentis, in spiritum agat hominis vel daemonis; per modum etiam quo de sacramentis dictum est * quod animam sanctificant.

* Loc. cit.

* Vide b. Albert. IV *Sent.*, dist. xliv, art. 37, 40.

* Dist. i, qu. i, art. 4, qu^a 1. – Cf. Part. III, qu. lxii, art. 1.

Sed istud etiam non videtur sufficere. Quia omne instrumentum in id circa quod instrumentaliter operatur, habet propriam actionem sibi connaturalem, et non solum illam actionem secundum quam agit in virtute principalis agentis: immo exercendo primam actionem oportet quod efficiat hanc secundam, sicut aqua lavando corpus in baptismo sanctificat animam, et serra secando lignum perducit ad formam domus. Unde oportet dare igni aliquam actionem in animam quae sit ei connaturalis, ad hoc quod sit instrumentum divinae iustitiae peccata vindicantis.

Et ideo dicendum quod corpus in spiritum naturaliter agere non potest, nec ei aliquo modo obesse vel ipsum gravare, nisi secundum quod aliquo modo corpori unitur: sic enim invenimus quod *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, Sap.* ix *. Spiritus autem corpori unitur dupliciter. Uno modo, ut forma materiae, ut ex eis fiat unum simpliciter. Et sic spiritus unitus corpori et vivificat corpus, et a corpore aliqualiter aggravatur. Sic autem spiritus hominis vel daemonis igni corporeo non unitur. – Alio modo, sicut movens mobili; vel sicut locatum loco, eo modo quo incorporalia sunt in loco. Et secundum hoc spiritus incorporei creati loco definiuntur, ita in uno loco existentes quod non in alio *. Quamvis autem res corporea ex sua natura habeat quod spiritum incorporeum loco definiat, non tamen ex sua natura habet quod spiritum incorporeum loco definitum detineat, ut ita alligetur illi loco quod ad alia divertere non possit: cum spiritus non sit ita in loco naturaliter quod loco subdatur. Sed hoc superadditur igni corporeo inquantum est instrumentum divinae iustitiae vindicantis, quod sic detinet spiritum. Et ita efficitur ei poenalis, retardans eum ab executione propriae voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult et secundum quod vult.

* Vers. 15.

* I *Sent.*, distinct. xxxvii, qu. iii, art. 2; IV, dist. x, qu. 1, art. 3, qu^a 2; Part. I, qu. lii, art. 2.

Et hunc modum ponit Gregorius, in IV *Dialog.* * Exponens enim quomodo anima incendium experiendo patiatur, sic dicit: *Dum Veritas peccatorem divitem damnatum in igne perhibeat, quisnam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget?* – Et hoc etiam Iulianus * dicit, ut in littera * Magister dicit: *Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur etiam non post mortem corporeo igne teneatur?* Augustinus etiam, XXI *de Civ. Dei* *, dicit quod, sicut anima in hominis conditione iungitur corpori ut dans ei vitam, quamvis illud sit spirituale et hoc corporale, et ex illa coniunctione vehementer concipit amorem ad corpus; sic ligatur igni ut *accipiens ab eo poenam,* et ex illa coniunctione concipit horrorem.

* Loc. cit.

* Episc. Tolet. - *Prognost.* lib. II, cap. xvii.

* Dist. xliv, cap. *Cum autem constat.*

* Cap. x.

Oportet ergo omnes praedictos modos in unum colligere, ut perfecte videatur quomodo anima ab igne corporeo patiatur: ut scilicet dicamus quod ignis ex natura sua habet quod spiritus incorporeus ei coniungi possit ut loco locatum; sed inquantum est instrumentum divinae iustitiae, habet ut ipsum quodammodo retineat alligatum; et in hoc veraciter ignis ille est spiritui nocivus; et sic anima, ignem ut sibi nocivum videns, ab igne cruciatur. Unde Gregorius, in IV *Dialog.* *, omnia ista per ordinem tangit, ut ex praemissis eius auctoritatibus patet.

* Loc. cit.

Ad primum ergo dicendum quod Augustinus loquitur inquirendo. Unde etiam alium modum ponit determinando in libro de *Civitate Dei,* ut ex dictis * patet.

* In corpore, fin.

Vel dicendum quod Augustinus intelligit quod ea quibus anima proxime afficitur ad dolorem vel tristitiam, sunt spiritualia: non enim affligeretur nisi ignem ut nocivum sibi apprehenderet. Ignis ergo apprehensus est proximum affligens: sed ignis corporeus extra animam existens est affligens remotum.

Ad secundum dicendum quod, quamvis anima simpliciter sit igne nobilior, ignis tamen est anima nobilior inquantum est instrumentum divinae iustitiae.

Ad tertium dicendum quod Philosophus et Boetius loquuntur de actione illa per quam patiens transmutatur in

naturam agentis. Talis autem non est actio ignis in animam. Et propter hoc ratio non concludit.

Ad quartum dicendum quod ignis agit in animam non per modum influentis, sed per modum detinentis, ut ex dictis * patet. Et ideo ratio non est ad propositum.

* In corpore.

Ad quintum dicendum quod in visione intellectuali non est tristitia ex hoc ipso quod aliquid videatur: cum illud quod videtur, nullo modo intellectui possit esse contrarium inquantum videtur. In sensu autem hoc quod videtur, ex ipsa actione quam agit in visum ut videatur, potest esse corruptivum visus per accidens, inquantum corrumpit harmoniam organi. Sed tamen visio intellectualis potest esse contristans inquantum id quod videtur apprehenditur ut nocivum: non quasi noceat eo ipso quod videtur, sed alio quocumque modo. Et sic anima videndo ignem affligitur.

Ad sextum dicendum quod non est simile quantum ad omnia, sed quantum ad aliquid, ut ex dictis * patet.

* Ibid.

Ad septimum dicendum quod, quamvis non sit tactus corporalis inter animam et corpus, tamen est inter ea aliquis tactus spiritualis: sicut etiam motor caeli, cum sit spiritualis, spirituali tactu tangit caelum ipsum movens, per modum quo dicitur *contristans tangere,* sicut dicitur in I *de Generat.* * Et huiusmodi modus sufficit ad actionem.

* Cap. vi, n. 9. - Continuat. Comment. s. Th. lect. xviii.

Ad octavum dicendum quod spiritus damnati nunquam sunt extra infernum nisi ex dispensatione divina, vel ad instructionem vel ad exercitium electorum. Ubicumque autem extra infernum sint, semper tamen vident ignem inferni ut eis in poenam praeparatum. Unde, cum ista visio sit immediate affligens, ut dictum est *, ubicumque sunt, ab igne inferni affliguntur: sicut et captivi extra carcerem existentes quodammodo a carcere affliguntur, dum vident se ad carcerem damnatos. Unde, sicut gloria electorum in nullo minuitur, nec quantum ad praemium essentiale nec quantum ad accidentale, si aliquando extra caelum empyreum sint, quod quodammodo in eorum gloriam cedit; ita etiam in nullo minuitur poena damnatorum si extra infernum ex divina dispensatione ponantur ad tempus. Et hoc est quod Glossa * dicit, super illud Iac. iii **, *Inflammat rotam nativitatis nostrae* etc.: *Diabolus, ubicumque sit, sive sub aere sive sub terra, secum trahit tormenta suarum flammarum.* Obiectio autem procedit ac si ignis corporeus affligeret immediate spiritus sicut affligit corpora.

* Resp. ad 1.
* Ord. Bedae.
** Vers. 6.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAPRIMA
DE SUFFRAGIIS MORTUORUM

Deinde considerandum est de suffragiis mortuorum *. Et circa hoc quaeruntur quatuordecim.

* Cf. qu. lxix, Introd.

Primo: utrum suffragia quae per unum fiunt, alii prodesse possint.
Secundo: utrum mortui iuvari possint ex operibus vivorum.
Tertio: utrum suffragia per peccatores facta mortuis prosint.
Quarto: utrum suffragia pro mortuis facta facientibus prosint.
Quinto: utrum suffragia existentibus in inferno prosint.
Sexto: utrum prosint existentibus in purgatorio.
Septimo: utrum valeant pueris existentibus in limbo.
Octavo: utrum aliquo modo prosint existentibus in patria.
Nono: utrum oratio Ecclesiae, et sacrificium Altaris, et eleemosyna, prosint defunctis.
Decimo: utrum indulgentiae quas Ecclesia facit, eis prosint.
Undecimo: utrum cultus exequiarum eis prosint.
Duodecimo: utrum suffragia magis prosint ei pro quo fiunt quam aliis.
Decimotertio: utrum suffragia pro multis facta valeant tantum singulis ac si pro unoquoque singulariter fierent.
Decimoquarto: utrum valeant tantum communia suffragia illis pro quibus specialia non fiunt, quantum illis pro quibus fiunt valent specialia et communia simul.

ART. I. UTRUM SUFFRAGIA PER UNUM FACTA ALII PRODESSE POSSINT

IV *Sent.*, dist. xviii, qu. ii, art. 1, qu^a 1, ad 2; I *ad Cor.*, cap. xv, lect. iv.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod suffragia per unum facta alii prodesse non possint. *Galat.* vi *: *Quae enim seminaverit homo, haec et metet.* Sed si unus ex suffragiis alterius consequeretur fructum, meteret ab aliis seminata. Ergo ex suffragiis aliorum nullus fructum consequitur.

* Vers. 8.

2. Praeterea, ad iustitiam Dei pertinet ut unicuique tribuatur pro meritis: unde Psalmus *: *Tu reddes unicuique secundum opera sua.* Sed iustitiam Dei deficere est impossibile. Ergo impossibile est quod unus ex operibus alterius iuvetur.

* Ps. lxi, vers. 13.

3. Praeterea, secundum eandem rationem est aliquod opus meritorium et laudabile: quia, scilicet, inquantum est voluntarium. Sed ex opere unius non laudatur alter. Ergo nec opus unius potest esse alteri meritorium.

4. Praeterea, ad iustitiam divinam pertinet similiter bona reddere pro bonis, et mala pro malis. Sed nullus punitur pro malis alterius: immo, ut dicitur Ezech. xviii *, *anima quae peccaverit, ipsa morietur.* Ergo nec unus iuvatur pro bono alterius.

* Vers. 20.

Sed contra est quod dicitur in Psalmo *: *Particeps ego sum omnium timentium te,* etc.

* Ps. cxviii, vers. 63.

2. Praeterea, omnes fideles per caritatem uniti sunt *unius corporis Ecclesiae membra* *. Sed unum membrum iuvatur per alterum. Ergo unus homo potest ex alterius meritis iuvari.

* Cf. *ad Rom.*, cap. xii, vers. 5.

Respondeo dicendum quod actus noster ad duo valere potest: primo, ad aliquem statum acquirendum, sicut per opus meritorium homo acquirit statum beatitudinis; secundo, ad aliquid consequens statum, sicut homo per aliquem actum meretur aliquod praemium accidentale, vel dimissionem poenae. Ad utrumque autem horum actus noster dupliciter valere potest: uno modo, per viam meriti; alio modo, per viam orationis. Et est differentia inter istas duas vias, quia meritum innititur iustitiae; sed orans impetrat petitum ex sola liberalitate eius qui oratur.

Dicendum ergo quod opus unius nullo modo potest alteri valere ad statum consequendum per viam meriti, ut scilicet ex his quae ego facio, aliquis mereatur vitam aeternam. Quia sors gloriae redditur secundum mensuram accipientis: unusquisque autem ex actu suo disponitur, et non ex alieno; et dico dispositione dignitatis ad praemium. – Sed per viam orationis etiam quantum ad statum consequendum opus unius alteri, dum est in via, valere potest: sicut quod unus homo impetrat alteri primam gratiam. Cum enim impetratio orationis sit secundum liberalitatem Dei, qui oratur, ad omnia illa impetratio orationis se potest extendere quae potestati divinae subsunt ordinate.

Sed quantum ad aliquid quod est consequens vel accessorium ad statum, opus unius potest valere alteri non solum per viam orationis, sed etiam per viam meriti. Quod quidem dupliciter contingit. Vel propter communicantiam in radice operis, quae est caritas in operibus meritoriis. Et ideo omnes qui sibi invicem caritate connectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportant: tamen secundum mensuram status uniuscuiusque; quia etiam in patria unusquisque gaudebit de bonis alterius. Et inde est quod articulus fidei ponitur *sanctorum communio* *. – Alio modo, ex intentione facientis, qui aliqua opera specialiter ad hoc facit ut talibus prosint. Unde ista opera qundammodo efficiuntur eorum pro quibus fiunt, quasi eis a faciente collata. Unde possunt eis valere vel ad impletionem satisfactionis; vel ad quidquid huiusmodi quod statum non mutat.

* Symb. Apost.

Ad primum ergo dicendum quod messio illa est perceptio vitae aeternae: sicut habetur Ioan. iv *: *Et qui metit fructum congregat in vitam aeternam.* Sors autem vitae aeternae non datur alicui nisi pro propriis operibus: quia, etsi aliquis alteri impetret ut ad vitam aeternam perveniat, nunquam tamen hoc fit nisi mediantibus operibus propriis; dum scilicet precibus alicuius gratia alicui datur, per quam meretur vitam aeternam.

* Vers. 36.

Ad secundum dicendum quod opus quod pro aliquo fit, efficitur eius pro quo fit. Et similiter opus quod est eius qui mecum est unum, quodammodo est et meum. Unde non est contra divinam iustitiam si unus fructum percipit de operibus factis ab eo qui est unum secum in caritate, vel ab operibus pro se factis. Hoc etiam secundum humanam iustitiam contingit, ut satisfactio unius pro alio accipiatur.

Ad tertium dicendum quod laus non datur alicui nisi secundum ordinem eius ad actum: unde laus est *ad aliquid*, ut dicitur in I *Ethic.* * Et quia ex opere alterius nullus efficitur vel ostenditur bene dispositus vel male ad aliquid, inde est quod nullus laudatur ex operibus alterius: nisi per accidens, secundum quod ipse est aliquo modo operum illorum causa, consilium vel auxilium praebendo, seu inducendo, vel quocumque alio modo. Sed opus est meritorium alicui non solum considerata eius dispositione, sed etiam quantum ad aliquid consequens dispositionem vel statum eius, ut ex dictis * patet.

* Cap. xii, n. 2. - S. Th. lect. xviii.
* In corpore.

Ad quartum dicendum quod auferre alicui quod sibi debetur, hoc directe iustitiae repugnat. Sed dare aliquid alicui quod ei non debetur, hoc non est iustitiae contrarium, sed metas iustitiae excedit: est enim liberalitatis. Non autem posset aliquis laedi ex malis alterius nisi aliquid ei de suo subtraheretur. Et ideo non ita convenit quod aliquis puniatur pro peccatis alterius, sicut quod emolumentum percipiat ex bonis alterius.

ART. II. Utrum mortui possint iuvari ex operibus vivorum

IV *Sent.*, dist. xv, qu. ii, art. 5, quª 3, ad 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod mortui non possint iuvari ex operibus vivorum. Primo, per hoc quod dicit Apostolus, II *Cor.* v *: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis quae gessit.* Ergo ex his quae post mortem hominis geruntur, quando extra corpus erit, nihil ei accrescere poterit ex aliquibus operibus.

* Vers. 10.

2. Praeterea, hoc idem videtur ex hoc quod habetur *Apoc.* xiv *: *Beati mortui qui in Domino moriuntur: opera enim illorum sequuntur illos.*

* Vers. 13.

3. Praeterea, proficere ex opere aliquo est solum in via existentis. Sed homines post mortem iam non sunt viatores: quia de eis hoc intelligitur quod legitur *Iob* xix *: *Semitam meam circumsepsit, et transire non possum.* Ergo mortui de suffragiis alicuius iuvari non possunt.

* Vers. 8.

4. Praeterea, nullus iuvatur ex opere alterius nisi sit aliqua vitae communicatio inter eos. Sed nulla communicatio est mortuorum ad vivos, secundum Philosophum, in I *Ethic.* * Ergo suffragia vivorum non prosunt mortuis.

* Cap. xi, n. 5, 6. - S. Th. lect. xvii.

Sed contra est quod habetur II *Machab.* xii *: *Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Sed hoc esset inutile nisi eos iuvaret. Ergo suffragia vivorum mortuis prosunt.

* Vers. 46.

2. Praeterea, Augustinus dicit, in libro *de Cura pro mortuis agenda* *: *Non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritas, ut in precibus sacerdotis, quae Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habeat etiam commendatio mortuorum.* Quae quidem consuetudo ab ipsis Apostolis inchoavit: ut dicit Damascenus, in quodam sermone *de Suffragiis Mortuorum* *, sic dicens: *Mysteriorum conscii discipuli Salvatoris et sacri Apostoli in tremendis et vivificis mysteriis memoriam fieri eorum qui fideliter dormierunt, sanxerunt.* Quod etiam per Dionysium patet, in ult. cap. * *Eccles. Hier.*, ubi ritum commemorat quo in primitiva Ecclesia pro mortuis orabatur; ubi etiam * Dionysius asserit suffragia vivorum mortuis prodesse. Ergo hoc indubitanter credendum est.

* Cap. i, n. 3.
* Al. *De his qui in fide dormierunt*, num. 3.
* Part. ii.
* Part. iii, § 6.

Respondeo dicendum quod caritas, quae est vinculum Ecclesiae membra uniens *, non solum ad vivos se extendit, sed etiam ad mortuos qui in caritate decedunt: caritas enim vita corporis non finitur, I *Cor.* xiii *: *Caritas nunquam excidit.* Similiter etiam mortui in memoriis hominum viventium vivunt: et ideo intentio viventium ad eos dirigi potest. Et sic suffragia vivorum mortuis dupliciter prosunt, sicut et vivis *: et propter caritatis unionem; et propter intentionem ad eos directam.

* Cf. *ad Ephes.* cap. iv, vers. 3; *ad Coloss.* cap. iii, vers. 14.
* Vers. 8.
* Cf. art. praeced.

Non tamen sic eis valere credenda sunt vivorum suffragia ut status eorum mutetur de miseria ad felicitatem vel e converso. Sed valet ad diminutionem poenae, vel aliquid huiusmodi quod statum mortui non transmutat.

Ad primum ergo dicendum quod homo, dum in corpore vixit, meruit ut haec ei valerent post mortem. Et ideo, si post hanc vitam eis iuvatur, nihilominus hoc procedit ex his quae in corpore gessit.

Vel dicendum, secundum Ioannem Damascenum, in sermone praedicto *, quod hoc est intelligendum quantum ad retributionem quae fiet in finali iudicio, quae erit aeternae gloriae vel aeternae miseriae, in qua quilibet recipiet solum secundum quod ipse in corpore gessit. Interim autem iuvari possunt vivorum suffragiis.

* In arg. *Sed contra* 2, num. 2.

Ad secundum dicendum quod auctoritas illa expresse loquitur de sequela aeternae retributionis: quod patet ex hoc quod praemittitur, *Beati mortui* etc.

Vel dicendum quod opera pro eis facta sunt etiam quodammodo eorum, ut dictum est *.

* Art. praeced.

Ad tertium dicendum quod, quamvis animae post mortem non sint simpliciter in statu viae, sed quantum ad aliquid adhuc sunt in statu viae: inquantum scilicet eorum progressus adhuc retardatur ab ultima retributione. Et ideo simpliciter eorum via est *circumsepta*, ut non possint ulterius per aliqua opera transmutari secundum statum felicitatis et miseriae. Sed quantum ad hoc non est circumsepta, quin, quantum ad hoc quod detinentur ab ultima retributione, possint ab aliis iuvari: quia secundum hoc adhuc sunt in via.

Ad quartum dicendum quod, quamvis communicatio civilium operum, de qua Philosophus loquitur, non possit esse mortuorum ad vivos, quia mortui extra vitam civilem sunt; potest tamen eorum communicatio esse quantum ad opera vitae spiritualis, quae est per caritatem ad Deum, *cui mortuorum spiritus vivunt* *.

* Cf. Processionar. Ord. Praed., *Offic. Sepulturae Fratrum*, in quadam orat.

ART. III. Utrum suffragia facta per peccatores mortuis prosint

Part. III, qu. lxxxii, art. 6; II *Sent.*, dist. xl, art. 4, ad 5; IV, dist. v, qu. ii, art. 2, quª 2, ad 2; dist. xix, qu. i, art. 2, quª 2, ad 4.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod suffragia per peccatores facta mortuis non prosint. Quia, ut dicitur Ioan. ix *, *peccatores Deus non audit.* Sed, si orationes eorum prodessent illis pro quibus orant, a Deo exaudirentur. Ergo suffragia per eos facta mortuis non prosunt.

* Vers. 31.

2. Praeterea, Gregorius, in *Pastorali* *, dicit quod, *cum is qui displicet ad interpellandum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.* Sed quilibet peccator Deo displicet. Ergo per peccatorum suffragia Deus ad misericordiam non flectitur. Et ideo talia suffragia non prosunt.

* Part. I, cap. xi, al. x.

3. Praeterea, opus alicuius magis videtur esse fructuosum facienti quam alteri. Sed peccator per opera nihil meretur sibi. Ergo multo minus potest alteri mereri.

4. Praeterea, omne opus meritorium oportet esse vivificatum, idest *caritate informatum* *. Sed opera per peccatores facta sunt mortua. Ergo non possunt per ea mortui iuvari pro quibus fiunt.

* Cf. Part. I, qu. cxiv, art. 4.

Sed contra est quod nullus potest scire de altero pro certo utrum sit in statu culpae vel gratiae *. Si ergo tantum illa suffragia prodessent quae fiunt per eos qui sunt in gratia, non posset homo scire per quos suffragia conquireret suis defunctis. Et ita multi a suffragiis procurandis retraherentur.

* Cf. Part. Iª IIªᵉ, qu. cxii, art. 5.

2. Praeterea, sicut Augustinus * dicit, in littera **, secundum hoc iuvatur aliquis mortuus ex suffragiis, secundum quod, dum viveret, meruit ut iuvaretur post mortem. Ergo valor suffragiorum mensuratur secundum conditionem eius pro quo fiunt. Non ergo differt utrum per bonos vel malos fiant.

* *Enchirid.*, cap. cx.
** Distinct. xlv, cap. *Neque negandum.*

Respondeo dicendum quod in suffragiis quae per malos fiunt, duo possunt considerari. Primo, ipsum opus operatum: sicut sacrificium Altaris. Et quia nostra sacramenta

ex seipsis efficaciam habent absque opere operantis, quam aequaliter explent per quoscumque fiant *, quantum ad hoc suffragia per malos facta defunctis prosunt.

* Part. III, qu. LXIV, art. 5.

Alio modo, quantum ad opus operans. Et sic distinguendum est. Quia operatio peccatoris suffragia facientis potest uno modo considerari prout est eius. Et sic nullo modo meritoria esse potest nec sibi nec alii. – Alio modo, inquantum est alterius. Quod dupliciter contingit. Uno modo, inquantum peccator suffragia faciens gerit personam totius Ecclesiae: sicut sacerdos dum dicit in ecclesia exequias mortuorum. Et quia ille intelligitur facere cuius nomine vel vice fit, ut patet per Dionysium, in XIII cap. * *Cael. Hier.*, inde est quod suffragia talis sacerdotis, quamvis sit peccator, defunctis prosunt. – Alio modo, quando agit ut instrumentum alterius. Opus enim instrumenti est magis principalis agentis. Unde, quamvis ille qui agit ut instrumentum alterius, non sit in statu merendi, actio tamen eius potest esse meritoria ratione principalis agentis: sicut si servus in peccato existens quodcumque opus misericordiae facit ex praecepto domini sui caritatem habentis. Unde, si aliquis in caritate decedens praecipiat sibi suffragia fieri, vel alius praecipiat caritatem habens, illa suffragia valent defuncto, quamvis illi per quos fiunt in peccato existant. Magis tamen valerent si essent in caritate: quia tunc ex duabus partibus opera illa meritoria essent.

* § 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod oratio per peccatorem facta quandoque non est peccatoris, sed alterius. Et ideo secundum hoc digna est ut a Deo exaudiatur.

Tamen etiam quandoque Deus peccatores audit, quando scilicet peccatores petunt aliquid Deo acceptum. Non enim solis iustis, sed etiam peccatoribus Deus bona sua providet, ut patet Matth. v *: non autem ex eorum meritis, sed ex sua clementia. Et ideo Ioan. IX, super illud *, *Deus peccatores non audit,* Glossa * dicit quod loquitur ut *inunctus,* non sicut plene videns.

* Vers. 45.
* Vers. 31.
* Interlin. - Cf. Aug. *In Ioan. Evang.*, tr. XLIV.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quamvis ex parte eius qui displicet oratio peccatoris non sit accepta, tamen ratione alterius, cuius vice vel imperio agitur, potest esse Deo accepta.

AD TERTIUM DICENDUM quod hoc quod peccator faciens huiusmodi suffragia nullum reportat commodum, contingit ex hoc quod non est capax talis profectus, propter propriam indispositionem. Et tamen alii, qui non est indispositus, aliquo modo valere potest, ut dictum est *.

* In corpore.

AD QUARTUM DICENDUM quod, quamvis opus peccatoris non sit vivum inquantum est eius, potest tamen esse vivum inquantum est alterius, ut dictum est *.

* Ibid.

SED QUIA rationes quae sunt in oppositum videntur concludere quod non differat utrum quis suffragia procuret per bonos vel per malos, ideo etiam ad eas est respondendum.

AD QUINTUM * ERGO DICENDUM quod, quamvis aliquis pro certo scire non possit de altero an sit in statu salutis, potest tamen probabiliter aestimare de his quae exterius de homine videt: *ex fructu* enim *suo arbor cognoscitur,* ut dicitur Matth. VII *.

* Arg. *Sed contra* 1.
* Vers. 16 sqq.; cap. XII, vers. 33.

AD SEXTUM * DICENDUM quod ad hoc quod suffragium alteri valeat, requiritur et ex parte eius pro quo fit capacitas huius valoris: et hanc homo acquisivit per opera propria quae gessit in vita; et sic Augustinus loquitur. Requiritur nihilominus qualitas operis quod prodesse debet. Et haec non pendet ex eo pro quo fit, sed magis ex eo qui facit, vel exequendo vel imperando.

* Arg. *Sed contra* 2.

ART. IV. UTRUM SUFFRAGIA QUAE A VIVIS PRO MORTUIS FIUNT, FACIENTIBUS PROSINT

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod suffragia quae a vivis pro mortuis fiunt, facientibus non prosint. Quia si aliquis pro altero debitum solveret, secundum humanam iustitiam ipse a debito proprio non absolveretur. Ergo per hoc quod aliquis suffragia faciens debitum solvit pro illo pro quo facit, ex hoc a debito proprio non absolvitur.

2. PRAETEREA, unusquisque quod facit, facere debet meliori modo quo potest. Sed melius est iuvare duos quam unum. Si ergo qui per suffragia debitum mortui solvit, a proprio debito liberatur, videtur quod nunquam debet aliquis pro seipso satisfacere, sed semper pro alio.

3. PRAETEREA, si satisfactio alicuius pro alio satisfacientis aequaliter prodesset sibi ut ei pro quo satisfacit, eadem ratione aequaliter valebit et tertio, si pro eodem satisfaciat simul; et similiter quarto, et sic deinceps. Ergo unus una satisfactione posset pro omnibus satisfacere. Quod est absurdum.

SED CONTRA EST quod dicitur in Psalmo *: *Oratio mea in sinu meo convertetur.* Ergo, eadem ratione, et suffragia quae pro aliis fiunt, satisfacientibus prosunt.

* Ps. XXXIV, vers. 13.

2. PRAETEREA, Damascenus dicit, in Sermone *De his qui in fide dormierunt* *: *Quemadmodum unguento vel alio oleo sancto circumlinire volens infirmum, primo ille, scilicet liniens, participat unctionem, deinde sic perungit laborantem; sic et quicumque pro proximi salute agonizat, primum sibi prodest, deinde proximo.* Et sic habetur propositum.

* Num. 18.

RESPONDEO DICENDUM quod opus suffragii quod pro altero fit, potest considerari dupliciter. Uno modo, ut est expiativum poenae per modum cuiusdam recompensationis, quae in satisfactione attenditur. Et hoc modo opus suffragii, quod computatur quasi eius pro quo fit, ita absolvit eum a debito poenae quod non absolvit facientem a debito poenae propriae. Quia in tali recompensatione consideratur aequalitas iustitiae. Opus autem illud satisfactorium ita potest adaequari uni reatui quod alteri non adaequetur: reatus enim duorum peccatorum maiorem satisfactionem requirunt quam reatus unius.

Alio modo potest considerari inquantum est meritorium vitae aeternae, quod habet inquantum procedit ex radice caritatis. Et secundum hoc non solum prodest ei pro quo fit, sed facienti magis.

Et per hoc patet solutio ad obiecta. Primae enim rationes procedebant de opere suffragii secundum quod est satisfactorium; sed aliae secundum quod est meritorium.

ART. V. UTRUM SUFFRAGIA PROSINT EXISTENTIBUS IN INFERNO

Supra, qu. XIV, art. 5; Part. III, qu. LXXXIX, art. 6, ad 3;
I *Sent.*, dist. XLIII, qu. II, art. 2, ad 5; III, dist. XLV, qu. I, art. 3, ad 6;
IV, dist. XV, qu. I, art. 3, qu^{a} 5; dist. XLV, Expos. litt.;
I *ad Cor.*, cap. XV, lect. IV.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod suffragia prosint existentibus in inferno, per hoc quod habetur II *Machab.* XII *, ubi dicitur quod *invenerunt sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, a quibus lex prohibet Iudaeos;* et tamen post * subditur quod *Iudas duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis eorum.* Constat autem illos peccasse mortaliter, contra legem agentes; et ita in peccato mortali decessisse; et sic ad inferos esse translatos. Ergo existentibus in inferno suffragia prosunt.

* Vers. 40.
* Vers. 43.

2. PRAETEREA, in littera * habetur ex verbis Augustini ** quod *quibus valent* suffragia, *vel ad hoc prosunt ut sit plena remissio, vel ad hoc ut tolerabilior sit eorum damnatio.* Sed soli illi qui in inferno sunt, damnati esse dicuntur. Ergo etiam existentibus in inferno suffragia prosunt.

* Cap. *Neque negandum.*
** *Enchirid.*, cap. CX.

3. PRAETEREA, Dionysius, ult. cap. * *Eccles. Hier.*, dicit: *Si hic iustorum orationes et secundum hanc vitam, quanto magis post mortem in illis qui digni sunt sacris orationibus operantur tantummodo:* ex quo potest accipi quod suffragia magis prosunt mortuis quam etiam vivis. Sed vivis prosunt etiam in peccato mortali existentibus: cum quotidie oret Ecclesia pro peccatoribus ut convertantur ad Deum. Ergo etiam mortuis in peccato mortali suffragia valent.

* Part. III, § 6.

4. PRAETEREA, in *Vitis Patrum* * legitur, quod etiam Damascenus in Sermone suo * refert, quod Macarius, inventa in via calvaria cuiusdam defuncti, oratione praemissa, quaesivit cuius caput fuisset; et caput respondit quod fuerat sacerdotis gentilis, qui in inferno erat damnatus; et tamen confessus est oratione Macarii se et alios iuvari. Ergo suffragia Ecclesiae etiam in inferno existentibus prosunt.

* Lib. III, num. 172, auct. Ruffino; lib. VI, libell. III, num. 16, auct. incerto.
* *De his qui in fide dormierunt,* num. 10.

5. PRAETEREA, Damascenus, in eodem Sermone *, narrat quod Gregorius, pro Traiano orationem fundens, audivit

* Num. 16.

vocem sibi divinitus illatam: *Vocem tuam audivi, et veniam Traiano do.* Cuius rei, ut Damascenus dicit in dicto Sermone *, *testis est oriens omnis et occidens.* Sed constat Traianum in inferno fuisse, quia *multorum martyrum necem amaram instituit,* ut ibidem Damascenus dicit. Ergo suffragia Ecclesiae valent etiam in inferno existentibus.

* Eodem num.

Sed contra est quod dicit Dionysius, VII cap. * *Eccles. Hier.: Summus sacerdos pro immundis non orat: quia in hoc averteretur a divino ordine.* Et commentator * ibidem dicit quod *peccatoribus non orat remissionem: quia non audiretur pro illis.* Ergo suffragia existentibus in inferno non valent.

* Part. III, § 7.

* S. Maximus Mart. - Cf. b. Albert. IV *Sent.*, dist. XLV, art. 3.

2. Praeterea, Gregorius dicit, in XXXIV lib. *Moral.* *: *Eadem causa est cur non oretur tunc,* scilicet post diem iudicii, *pro hominibus aeterno igne damnatis, quae nunc causa est ut non oretur pro diabolo et angelis eius aeterno supplicio deputatis. Quae etiam nunc causa est ut sancti non orent pro hominibus infidelibus impiisque defunctis: quia de eis utique quos aeterno damnatos supplicio iam noverint, ante illum iudicis iusti conspectum orationis suae meritum cassari refugiunt.* Ergo suffragia in inferno positis non valent.

* Cap. XIX, al. XVI; in vet. cap. XIII.

3. Praeterea, in littera * habetur ex verbis Augustini **: *Qui sine fide operante per dilectionem, eiusque sacramentis, de corpore exeunt, frustra illis a suis huiusmodi officia impenduntur.* Sed omnes damnati sunt huiusmodi. Ergo eis suffragia non prosunt.

* Dist. XLV, cap. *Neque negandum.*
** Serm. CLXXII, al. *de Verb. Apost.* XXXII, cap. II.

Respondeo dicendum quod circa damnatos in inferno fuit duplex opinio. Quidam * enim dixerunt in hoc distinguendum esse dupliciter. Uno modo, quantum ad tempus: dicentes quod post diem iudicii nullus in inferno existens aliquo suffragio iuvatur; sed ante diem iudicii aliqui iuvantur suffragiis Ecclesiae. – Alio modo distinguebant quantum ad personas in inferno detentas. Inter quos aliquos dicebant esse valde malos, qui scilicet sine fide et sacramentis Ecclesiae decesserunt: et talibus, quia de Ecclesia non fuerunt nec *merito* nec *numero* *, suffragia Ecclesiae prodesse non possunt. Alii vero sunt non valde mali, qui scilicet de Ecclesia fuerunt numero, et fidem habentes, et sacramentis imbuti, et aliqua opera de genere bonorum facientes. Et talibus suffragia Ecclesiae prodesse debent.

* Praepositin. et Autissiod. locis cit. infra. - Cf. b. Albertum IV *Sent.*, dist. XLV, art. 3.

* Cf. orat. ad Vesp. feriae tert. post Dom. Passionis.

Sed occurrebat eis quaedam dubitatio eos perturbans. Quia scilicet videbatur ex hoc sequi, cum poena inferni sit finita secundum intensionem, quamvis duratione infinita existat, quod, multiplicatis suffragiis, poena illa totaliter auferetur: quod est error Origenis *. Et ideo hoc inconveniens evadere multipliciter voluerunt.

* *Peri Archon,* lib. I, cap. VI. - Cf. s. Greg. *Moral.* lib. cit., cap. XIX, al. XVI; in vet. capp. XII, XIII.

Praepositinus enim dixit * quod tantum possunt suffragia pro damnatis multiplicari quod a tota poena redduntur immunes, non quidem simpliciter, ut Origenes posuit, sed ad tempus, scilicet usque ad diem iudicii: tunc enim animae, iterato corporibus coniunctae, in poenas inferni sine spe veniae retrudentur.

* Cf. *Summ.*, cap. *de Igne Purgat.* etc.

Sed ista opinio videtur divinae providentiae repugnare, quae nihil in rebus inordinatum relinquit. Culpa autem non potest ordinari nisi per poenam. Unde non potest esse ut poena tollatur nisi prius culpa expietur. Et ideo, cum culpa continue maneat in damnatis, eorum poena nullatenus interrumpetur.

Et ideo Porretani * alium modum invenerunt, dicentes quod hoc modo proceditur in diminutione poenarum per suffragia sicut proceditur in divisione linearum; quae, cum sint finitae, tamen in infinitum dividi possunt, et nunquam per divisionem consumuntur, dum fit subtractio non secundum eandem quantitatem, sed secundum eandem proportionem; velut si primo auferatur pars quarta totius, et secundo pars quarta illius quartae, et iterum quarta illius quartae, et sic deinceps in infinitum. Et similiter dicunt quod per primum suffragium diminuitur aliquota pars poenae, et per secundum pars aliqua remanentis secundum eandem proportionem.

* Apud b. Albert. IV *Sent.*, dist. XLVI, art. 2.

Sed iste modus multipliciter defectivus invenitur. Primo, quia infinita divisio, quae congruit continuae quantitati, non videtur posse ad quantitatem spiritualem transferri. – Secundo, quia non est aliqua ratio quare secundum suffragium minus de poena diminuat quam primum, si sit aequalis valoris. – Tertio, quia poena diminui non potest nisi diminuatur et culpa: sicut nec auferri nisi ea ablata. – Quarto, quia in divisione lineae tandem pervenitur ad hoc quod non est sensibile: corpus enim sensibile non est in infinitum divisibile. Et sic sequeretur quod post multa suffragia poena remanens propter sui parvitatem non sentiretur, et non esset poena.

Et ideo alii alium invenerunt modum. Autissiodorensis * enim dixit quod suffragia prosunt damnatis non quidem per diminutionem poenae vel per interruptionem, sed per confortationem patientis: sicut si homo portaret grave onus, et facies sua perfunderetur aqua; sic enim confortaretur ad melius portandum, cum tamen onus suum in nullo levius fieret.

* Vide *Summ. Aur.* lib. IV, *de Damnatione reproborum.*

Sed hoc iterum esse non potest. Quia aliquis plus vel minus aeterno igne gravatur, ut Gregorius dicit *, secundum meritum culpae. Et inde est quod eodem igne quidam plus, quidam minus cruciantur. Unde, cum culpa damnati immutata remaneat, non potest esse quod levius poenam ferat.

* *Moral.* lib. IX, cap. LXV, al. XXXIX; in vet. cap. XLVII.

Est nihilominus et praedicta opinio et praesumptuosa, utpote Sanctorum dictis contraria; et vana, nulla auctoritate fulcita; et nihilominus irrationalis. Tum quia damnati in inferno sunt extra vinculum caritatis, secundum quam opera vivorum continuantur defunctis. – Tum quia totaliter ad viae terminum pervenerunt, recipientes ultimam pro meritis retributionem, sicut et sancti qui sunt in patria. Quod enim adhuc restat de poena vel gloria corporis, hoc eis rationem viatoris non praebet: cum gloria essentialiter et radicaliter existat in anima, et similiter miseria damnatorum. Et ideo non potest eorum poena diminui, sicut nec gloria sanctorum augeri quantum ad praemium essentiale.

Sed tamen modus qui a quibusdam ponitur quod suffragia prosunt damnatis, posset aliquo modo sustineri: ut si dicatur quod non prosunt neque quantum ad diminutionem poenae vel interruptionem, vel quantum ad diminutionem sensus poenae; sed quia ex huiusmodi suffragiis eis aliqua materia doloris subtrahitur, quae eis esse posset si ita se abiectos conspicerent quod pro eis nullam curam haberent; quae materia doloris subtrahitur dum suffragia pro eis fiunt.

Sed illud etiam non potest esse secundum legem communem. Quia, ut Augustinus dicit, in libro *de Cura pro mortuis agenda* *, quod praecipue de damnatis verum est: *Ibi sunt spiritus defunctorum ubi non vident quaecumque aguntur aut eveniunt in ista vita hominibus.* Et ita non cognoscunt quando pro eis suffragia fiunt: nisi supra communem legem hoc remedium divinitus datur aliquibus damnatorum. Quod est verbum omnino incertum.

* Cap. XIII.

Unde tutius est simpliciter dicere quod suffragia non prosunt damnatis, nec pro eis Ecclesia orare intendit, sicut ex inductis auctoritatibus * apparet.

* In argg. *Sed contra.*

Ad primum ergo dicendum quod donaria idolorum non fuerunt inventa apud illos mortuos ut ex eis signum accipi posset quod in reverentiam idolorum eis deferrent: sed ea acceperunt ut victores, quia eis iure belli debebantur. Et tamen per avaritiam venialiter peccaverunt. Unde non fuerunt in inferno damnati. Et sic suffragia eis prodesse poterant.

Vel dicendum, secundum quosdam, quod in ipsa pugna, videntes sibi periculum imminere, de peccato poenituerunt: secundum illud Psalmi *: *Cum occideret eos, quaerebant eum.* Et hoc probabiliter potest aestimari. Et ideo pro eis fuit oblatio facta.

* Ps. LXXVII, vers. 34.

Ad secundum dicendum quod in verbis illis damnatio large accipitur pro quacumque punitione. Et sic includit etiam poenam purgatorii, quae quandoque totaliter per suffragia expiatur, quandoque autem non, sed diminuitur.

Ad tertium dicendum quod quantum ad hoc magis acceptatur suffragium pro mortuo quam pro vivo, quia magis indiget: cum non possit sibi auxiliari sicut vivus. Sed quantum ad hoc vivus est melioris conditionis, quia potest transferri de statu culpae mortalis in statum gratiae,

quod de mortuis dici non potest. Et ideo non est eadem causa orandi pro mortuis et pro vivis.

Ad quartum dicendum quod illud adiutorium non erat quod poena eorum diminueretur, sed in hoc solo, ut ibidem dicitur, quod, eo orante, concedebatur eis ut mutuo se viderent: et in hoc aliquod gaudium, non verum sed phantasticum, habebant, dum implebatur hoc quod desiderabant. Sicut et daemones gaudere dicuntur dum homines ad peccatum pertrahunt, quamvis per hoc eorum poena nullatenus minuatur: sicut non minuitur angelorum gaudium per hoc quod malis nostris compati dicuntur *.

* Cf. Isai. cap. xxxiii, vers. 7; Zach. cap. i, vers. 12.

Ad quintum dicendum quod de facto Traiani hoc modo potest probabiliter aestimari: quod precibus beati Gregorii ad vitam fuerit revocatus, et ita gratiam consecutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, et per consequens immunitatem a poena; sicut etiam apparet in omnibus illis qui fuerunt miraculose a mortuis suscitati, quorum plures constat idololatras et damnatos fuisse. De omnibus enim similiter dici oportet quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum praesentem iustitiam propriorum meritorum. Secundum autem superiores causas, quibus praevidebantur ad vitam revocandi, erat aliter de eis disponendum *.

* Cf. art. seq., ad 1; I *Sent.*, dist. xliii, qu. ii, art. 2, ad 5; *De Verit.*, qu. vi, art. 6, ad 8.

Vel dicendum, secundum quosdam, quod anima Traiani non fuit simpliciter a reatu poenae aeternae absoluta, sed eius poena fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem iudicii. Nec tamen oportet quod hoc fiat communiter per suffragia: quia alia sunt quae lege communi accidunt, et alia quae singulariter ex privilegio aliquibus conceduntur; sicut *alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum,* ut Augustinus dicit, in libro *de Cura pro mortuis agenda* *.

* Cap. xvi.

ART. VI. UTRUM SUFFRAGIA PROSINT EXISTENTIBUS IN PURGATORIO

IV *Sent.*, dist. xlv, Expos. litt.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod nec etiam existentibus in purgatorio. Quia purgatorium pars quaedam inferni est *. Sed *in inferno nulla est redemptio* **. Et Psalmus * dicit: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Ergo suffragia his qui sunt in purgatorio non prosunt.

* Cf. qu. lxix, art. 5.
** Brev. Rom. Offic. Defunct. resp. vii ad Matutin.; s. Bernard. Serm. XLII *de Divers.*, num. 5.
* Ps. vi, vers. 6.

2. Praeterea, poena purgatorii est poena finita. Si ergo per suffragia aliquid de poena dimittitur, tantum poterunt multiplicari suffragia quod tota tolletur. Et ita peccatum remanebit totaliter impunitum. Quod videtur divinae iustitiae repugnare.

3. Praeterea, ad hoc animae in purgatorio detinentur ut, ibi purgatae, purae ad Regnum perveniant. Sed nihil potest purgari nisi aliquid circa ipsum fiat. Ergo suffragia facta per vivos poenam purgatorii non diminuunt.

4. Praeterea, si suffragia existentibus in purgatorio valerent, maxime ea viderentur valere quae sunt ad imperium eorum facta. Sed haec non semper valent. Sicut si aliquis decedens disponat tot suffragia pro se fieri, quae, si facta essent, sufficerent ad totam poenam abolendam: – posito ergo quod huiusmodi suffragia differantur quousque ille poenam evaserit, illa suffragia nihil ei proderunt: non enim potest dici quod ei prosint antequam fiant; postquam autem sunt facta, eis non indiget, quia iam poenas evasit. Ergo suffragia existentibus in purgatorio non valent.

Sed contra est quod dicitur in littera * ex verbis Augustini *, quod suffragia prosunt his qui sunt mediocriter boni vel mali. Sed tales sunt qui in purgatorio detinentur. Ergo, etc.

* Dist. xlv, cap. *Neque negandum.*
* *Enchirid.*, cap. cx.

2. Praeterea, Dionysius dicit, vii cap. * *Eccles. Hier.*, quod *divinus sacerdos, pro mortuis orans, pro illis orat qui sancte vixerunt et tamen aliquas maculas habuerunt ex infirmitate humana contractas.* Sed tales in purgatorio detinentur. Ergo, etc.

* Part. III, § 4.

Respondeo dicendum quod poena purgatorii est in supplementum satisfactionis quae non fuerat plene in corpore consummata. Et ideo, quia, sicut ex dictis * patet, opera unius possunt valere alteri ad satisfactionem, sive vivis sive mortuis, non est dubium quin suffragia per vivos facta existentibus in purgatorio prosint.

* Art. 1, ad 2. - Cf. qu. xiii, art. 2.

Ad primum ergo dicendum quod auctoritas illa loquitur de inferno damnatorum, in quo *nulla est redemptio* quantum ad illos qui sunt finaliter tali poenae deputati *.

* Cf. art. praec., ad 5.

Vel dicendum, secundum Damascenum, in Sermone *de Dormientibus* *, quod huiusmodi auctoritates sunt exponendae secundum causas inferiores, idest secundum exigentiam meritorum eorum qui poenis deputantur. Sed secundum divinam misericordiam, quae vincit humana merita, ad preces iustorum aliquando aliter disponitur quam sententia praedictarum auctoritatum contineat. *Deus autem mutat sententiam, sed non consilium,* ut dicit Gregorius *. Unde et Damascenus ponit * ad hoc exempla de Ninivitis, Achab et Ezechia, in quibus apparet quod sententia contra eos lata divinitus fuit per divinam misericordiam commutata *.

* Al. *De his qui in fide dormierunt.*
* *Moral.* lib. XVI, cap. xxxvii, al. xvii; in vet. cap. xviii.
* Loc. cit., num. 14.
* Ionae cap. iii, vers. 10; III *Reg.* cap. xxi, vers. 29; IV *Reg.* cap. xx, vers. 5, 6.

Ad secundum dicendum quod non est inconveniens si, multiplicatis suffragiis, poena existentium in purgatorio annihiletur. Non enim sequitur quod peccata remaneant impunita: quia poena unius pro altero suscepta alteri computatur.

Ad tertium dicendum quod purgatio animae per poenas purgatorii non est aliud quam expiatio reatus impedientis a perceptione gloriae. Et quia per poenam quam unus sustinet pro alio, potest reatus alterius expiari, ut dictum est *, non est inconveniens si per unius satisfactionem alius purgetur.

* In corpore.

Ad quartum dicendum quod suffragia ex duobus valent: scilicet ex opere operante, et ex opere operato. Et dico opus operatum non solum Ecclesiae sacramentum, sed effectum accidentem ex operatione: sicut ex collatione eleemosynarum consequitur pauperum relevatio, et eorum oratio pro defuncto ad Deum. – Similiter opus operans potest accipi vel ex parte principalis agentis; vel ex parte exequentis.

Dico ergo quod, quam cito moriens disponit aliena suffragia sibi fieri, praemium suffragiorum plene consequitur, ante etiam quam fiant, quantum ad efficaciam suffragii quae erat ex opere operante principalis agentis. Sed quantum ad efficaciam suffragiorum quae est ex opere operato, vel ex opere operante exequentis, non consequitur fructum antequam suffragia fiant. Et si prius contingat ipsum a poena purgari, quantum ad hoc fraudabitur suffragiorum fructu: quod redundabit in illos quorum culpa defraudatur. Non enim est inconveniens quod aliquis defraudetur per culpam alterius in temporalibus, poena autem purgatorii temporalis est: quamvis quantum ad aeternam retributionem nullus defraudari possit nisi per propriam culpam.

ART. VII. UTRUM SUFFRAGIA VALEANT PUERIS IN LIMBO EXISTENTIBUS

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod suffragia valeant pueris in limbo existentibus. Quia illi non detinentur nisi pro peccato alieno. Ergo maxime decens est ut ipsi iuventur suffragiis alienis.

2. Praeterea, in littera * habetur ex verbis Augustini ** quod suffragia Ecclesiae *pro non valde malis propitiationes sunt*. Sed pueri non computantur inter valde malos: cum sit *mitissima eorum poena* *. Ergo suffragia Ecclesiae eos iuvant.

* Dist. xlv, cap. *Neque negandum.*
** *Enchirid.* cap. cx.
* Ibid., cap. xciii.

Sed contra est quod habetur in littera * ab Augustino **, quod suffragia non prosunt illis *qui sine fide operante per dilectionem hinc exierunt.* Ergo suffragia eis non prosunt.

* Loc. cit.
** Serm. CLXXII, al. *de Verb. Apost.* XXXII, cap. ii.

Respondeo dicendum quod pueri non baptizati non detinentur in limbo nisi quia deficiunt a statu gratiae. Unde, cum per opera vivorum mortuorum status mutari non possit, maxime quantum ad meritum essentialis praemii vel poenae *, suffragia vivorum pueris existentibus in limbo prodesse non possunt.

* Cf. art. 5.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis peccatum originale sit huiusmodi quod pro eo possit aliquis ab alio iuvari, tamen animae puerorum in limbo existentes sunt in tali statu quod iuvari non possunt: quia post hanc vitam non est tempus gratiam acquirendi.

Ad secundum dicendum quod Augustinus loquitur de non valde malis qui tamen baptizati sunt. Quod patet ex hoc quod praemittitur *: *Cum ergo sacrificia, sive Altaris sive quarumcumque eleemosynarum, pro baptizatis omnibus offeruntur,* etc.

* Loc. cit. in arg., cap. cx.

ART. VIII. Utrum suffragia aliquo modo prosint sanctis existentibus in patria

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod aliquo modo prosint sanctis existentibus in patria: per hoc quod habetur in collecta missae *: *Sicut sanctis tuis prosunt ad gloriam,* scilicet sacramenta, *ita nobis proficiant ad medelam.* Sed inter alia suffragia praecipuum est sacramentum Altaris. Ergo suffragia prosunt his qui sunt in patria.

* Cf. Postcommun. s. Andreae.

2. Praeterea, *sacramenta efficiunt quod figurant* *. Sed tertia pars hostiae, scilicet in calicem missa, significat eos qui beatam vitam in patria ducunt *. Ergo suffragia Ecclesiae prosunt etiam existentibus in patria.

* Cf. Part. III, qu. lxii, art. 1, ad 1.
* Cf. Part. III, qu. lxxxiii, art. 5, ad 8.

3. Praeterea, sancti non solum gaudent de propriis bonis, sed etiam de bonis aliorum: unde Luc. xv * dicitur: *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.* Ergo ex bonis operibus viventium sanctorum qui sunt in patria gaudium crescit. Et ita etiam eis nostra suffragia prosunt.

* Vers. 10.

4. Praeterea, Damascenus dicit, in Sermone *de Dormientibus* *, inducens verba Chrysostomi: *Si enim gentiles,* inquit, *cum his qui abierunt sua comburunt, quanto magis te fidelem mittere convenit cum fideli ipsius propria: non ut favilla fiant et haec velut illa; sed ut maiorem hinc circumponas gloriam; et, si quidem peccator fuerit qui mortuus est, ut peccamina solvas; si autem iustus, ut appositio fiat mercedis et retributionis.* Et sic idem quod prius.

* Al. *De his qui in fide dormierunt,* num. 6.

Sed contra est quod in littera * habetur ex verbis Augustini *: *Iniuria est in Ecclesia pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari.*

* Dist. xlv, cap. *Neque negandum.*
* Serm. CLIX, al. *de Verb. Apost.* XVII, cap. 1.

2. Praeterea, eius est iuvari cuius est indigere. Sed sancti in patria sunt absque omni indigentia. Ergo per suffragia Ecclesiae non iuvantur.

Respondeo dicendum quod suffragium de sui ratione importat quandam auxiliationem. Quae non competit ei qui defectum non patitur: nulli enim iuvari competit nisi in eo quo indigens est. Unde, cum sancti qui sunt in patria sint ab omni indigentia immunes, *inebriati ab ubertate Domus Dei* *, eis iuvari per suffragia non competit.

* Ps. xxxv, vers. 9.

Ad primum ergo dicendum quod huiusmodi locutiones non sunt sic intelligendae quasi sancti in gloria proficiant quantum ad se quod eorum festa recolimus: sed quia nobis proficit, qui eorum gloriam solennius celebramus. Sicut ex hoc quod Deum cognoscimus vel laudamus, et sic quodammodo eius gloria in nobis crescit, nihil Deo, sed nobis accrescit.

Ad secundum dicendum quod, quamvis sacramenta *efficiant quod figurant,* non tamen illum effectum suum ponunt circa omne id quod figuratur: alias, cum figurent Christum, in ipso Christo aliquid efficerent, quod est absurdum. Sed efficiunt circa suscipientem sacramentum ex virtute eius quod per sacramentum significatur. Et sic non sequitur quod sacrificia pro fidelibus defunctis oblata sanctis prosint: sed quia ex meritis sanctorum, quae recoluntur vel significantur in sacramento, prosunt aliis, pro quibus offeruntur.

Ad tertium dicendum quod, quamvis sancti qui sunt in patria de bonis nostris omnibus gaudeant, non tamen sequitur quod, multiplicatis nostris gaudiis, eorum gaudium augmentetur formaliter, sed materialiter tantum. Quia omnis passio formaliter augetur secundum rationem obiecti sui. Ratio autem gaudendi in sanctis de quibuscumque gaudent, est ipse Deus. De quo non possunt magis et minus gaudere: quia sic essentiale eorum praemium variaretur, quod consistit in hoc quod de Deo gaudent. Unde ex hoc quod bona multiplicantur de quibus gaudendi ratio eis Deus est, non semper sequitur quod intensius gaudeant, sed quod de pluribus gaudeant. Et ideo non sequitur quod operibus nostris iuventur.

Ad quartum dicendum quod non est intelligendum quod fiat appositio mercedis vel retributionis illi beato per suffragia ab aliquo facta, sed facienti.

Vel dicendum quod ex suffragiis potest appositio mercedis fieri beato defuncto, inquantum de suffragiis sibi faciendis adhuc vivens disposuit, quod ei meritorium fuit *.

* Cf. art. 6, ad 4.

ART. IX. Utrum solum orationibus Ecclesiae, et sacrificio Altaris, et eleemosynis animae defunctorum iuventur; vel eis iuventur praecipue

Ad nonum sic proceditur. Videtur quod non solum orationibus Ecclesiae, et sacrificio Altaris, et eleemosynis animae defunctorum iuventur, vel quod eis iuventur praecipue. Poena enim debet per poenam recompensari. Sed ieiunium magis est poenale quam eleemosyna vel oratio. Ergo ieiunium magis prodesset in suffragiis quam aliquod praedictorum.

2. Praeterea, Gregorius istis tribus connumerat ieiunium: ut habetur causa XIII, qu. ii *: *Animae defunctorum quatuor modis solvuntur: aut oblationibus sacerdotum; aut orationibus sanctorum; aut eleemosynis carorum; aut ieiunio cognatorum.* Ergo insufficienter connumerantur hic *, ab Augustino **, tria praedicta.

* Can. *Animae defunctorum.* - Vide notat. Corrector. ibid.
* Dist. xlv, cap. *Neque negandum.*
** Serm. CLXXII, al. *de Verb. Apost.* XXXII, cap. II.

3. Praeterea, baptismus est potissimum sacramentorum *, maxime quantum ad effectum. Ergo baptismus vel alia sacramenta deberent vel similiter vel magis prodesse defunctis sicut sacramentum Altaris.

* Cf. Part. III, qu. lxv, art. 3.

4. Praeterea, hoc videtur ex hoc quod habetur I *Cor.* xv *: *Si omnino mortui non resurgunt, ut quid etiam baptizantur pro illis?* Ergo etiam baptismus valet ad suffragia defunctorum.

* Vers. 29.

5. Praeterea, in diversis missis est idem sacrificium Altaris. Si ergo sacrificium computatur inter suffragia et non missa, videtur quod tantundem valeat quaecumque missa pro defuncto dicatur, sive de Beata Virgine, sive de Spiritu Sancto, vel quaecumque alia. Quod videtur esse contra Ecclesiae ordinationem, quae specialem missam pro defunctis instituit.

6. Praeterea, Damascenus, in Sermone *de Dormientibus* *, docet *ceras et oleum,* et huiusmodi, pro defunctis offerri. Ergo non solum oblatio sacrificii Altaris, sed etiam aliae oblationes debent inter suffragia mortuorum computari.

* Al. *De his qui in fide dormierunt.,* num. 19. - Cf. art. 11, arg. 1.

Respondeo dicendum quod suffragia vivorum prosunt defunctis secundum quod uniuntur viventibus caritate; et secundum quod intentio viventis refertur in mortuos *. Et ideo illa opera praecipue nata sunt mortuis suffragari quae maxime ad communicationem caritatis pertinent, vel ad directionem intentionis ad alterum. Ad caritatem autem sacramentum Eucharistiae praecipue pertinet: cum sit sacramentum ecclesiasticae unionis *, continens illum in quo tota Ecclesia unitur et consolidatur, scilicet Christum. Unde Eucharistia est quasi quaedam caritatis origo sive vinculum. Sed inter caritatis effectus est praecipuum eleemosynarum opus. Et ideo ista duo ex parte caritatis praecipue mortuis suffragantur: scilicet sacrificium Ecclesiae et eleemosynae. Sed ex parte intentionis directae in mortuos, praecipue valet oratio: quia oratio, secundum suam rationem, non solum dicit respectum ad orantem, sicut et cetera opera, sed directius ad illud pro quo oratur. Et ideo ista tria ponuntur quasi praecipua mortuorum subsidia: quamvis quaecumque alia bona ex caritate fiant pro defunctis, eis valere credenda sint.

* Art. 2.
* Cf. Part. III, qu. lxxiii, art. 4.

Ad primum ergo dicendum quod in eo qui satisfacit pro altero, magis est considerandum, ad hoc quod effectus satisfactionis ad alterum perveniat, illud quo satisfactio unius transit in alterum, quam etiam satisfactionis poena: quamvis ipsa poena magis expiet reatum satisfacientis, inquantum est quaedam medicina. Et ideo tria praedicta magis valent defunctis quam ieiunium.

Ad secundum dicendum quod etiam ieiunium prodesse potest defunctis ratione caritatis et intentionis in defunctos directae. Sed tamen ieiunium in sui ratione non continet aliquid quod ad caritatem vel directionem intentionis pertineat, sed haec sunt ei quasi extrinseca. Et ideo Augu-

stinus non posuit, sed Gregorius posuit ieiunium inter suffragia mortuorum.

Ad tertium dicendum quod baptismus est quaedam spiritualis regeneratio. Unde, sicut per generationem non acquiritur esse nisi generato, ita baptismus non habet efficaciam nisi in eo qui baptizatur, quantum est ex opere operato: quamvis ex opere operante, vel baptizantis vel baptizati, possit aliis prodesse, sicut et cetera opera meritoria. Sed Eucharistia est signum ecclesiasticae unionis *. Et ideo ex ipso opere operato eius efficacia in alterum transire potest. Quod non contingit de aliis sacramentis.

* Cf. Part. III, qu. LXXXIII, art. 4.

Ad quartum dicendum quod Glossa * istam auctoritatem dupliciter exponit. Uno modo, sic. « *Si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit. Ut quid etiam baptizantur pro illis?* » *idest, peccatis: cum ipsa non dimittantur si Christus non resurrexit.* Quia in baptismo non solum Christi passio, sed resurrectio operatur, quae est nostrae spiritualis resurrectionis quodammodo causa.

* Lomb. et Ord.

Alio modo sic. *Fuerunt quidam imperiti qui baptizabantur pro his qui de hac vita sine baptismo discesserant, putantes illis prodesse.* Et secundum hoc, Apostolus non loquitur nisi secundum errorem aliquorum in verbis illis.

Ad quintum dicendum quod in officio missae non solum est sacrificium, sed etiam sunt ibi orationes. Et ideo missae suffragium continet duo horum quae hic Augustinus enumerat *, scilicet orationem et sacrificium. Ex parte igitur sacrificii oblati missa aequaliter prodest defuncto de quocumque dicatur: et hoc est praecipuum quod fit in missa. Sed ex parte orationum magis prodest illa in qua sunt orationes ad hoc determinatae. Sed tamen iste defectus recompensari potest per maiorem devotionem vel eius qui dicit missam, vel eius qui facit dici; vel iterum per intercessionem sancti cuius suffragium in missa imploratur.

* Loc. cit. in arg. 2.

Ad sextum dicendum quod huiusmodi oblatio candelarum vel olei possunt prodesse defuncto inquantum sunt eleemosynae quaedam: dantur enim ad cultum Ecclesiae, vel etiam in usum fidelium.

ART. X. Utrum indulgentiae quas Ecclesia facit, etiam mortuis prosint

Ad decimum sic proceditur. Videtur quod indulgentiae quas Ecclesia facit, etiam mortuis prosint. Primo, per consuetudinem Ecclesiae, quae facit praedicari crucem ut aliquis indulgentiam habeat pro se et duobus vel tribus, et quandoque etiam decem animabus, tam vivorum quam mortuorum. Quod esset deceptio nisi mortuis prodessent. Ergo indulgentiae mortuis prosunt.

2. Praeterea, meritum totius Ecclesiae est efficacius quam meritum unius personae. Sed meritum personale suffragatur defunctis: ut patet in largitione eleemosynarum. Ergo multo fortius meritum Ecclesiae, cui indulgentiae innituntur.

3. Praeterea, indulgentiae prosunt illis qui sunt de foro Ecclesiae. Sed illi qui sunt in purgatorio, sunt de foro Ecclesiae: alias Ecclesiae suffragia non prodessent illis. Ergo videtur quod indulgentiae defunctis prosint.

Sed contra est quod ad hoc quod indulgentiae alicui valeant, requiritur causa conveniens pro qua indulgentiae dantur. Sed talis causa non potest esse ex parte defuncti: quia non potest facere aliquid quod sit in utilitatem Ecclesiae, pro qua causa praecipue indulgentiae dantur. Ergo videtur quod indulgentiae defunctis non prosint.

2. Praeterea, indulgentiae determinantur secundum arbitrium eas facientis. Si ergo indulgentiae defunctis prodesse possent, esset in potestate facientis indulgentiam ut defunctum omnino liberaret a poena. Quod videtur absurdum.

Respondeo dicendum quod indulgentia alicui prodesse potest dupliciter: uno modo, principaliter; alio modo, secundario. Principaliter quidem prodest ei qui indulgentiam accipit, scilicet qui facit hoc pro quo indulgentia datur, ut qui visitat limina alicuius sancti. Unde, cum mortui non possint facere aliquid horum pro quibus indulgentiae dantur, eis directe indulgentiae valere non possunt.

Secundario autem et indirecte prosunt ei pro quo aliquis facit illud quod est indulgentiae causa. Quod quandoque contingere potest, quandoque autem non potest, secundum diversam indulgentiae formam. Si enim sit talis indulgentiae forma, *Quicumque facit hoc vel illud, habebit tantum de indulgentia*, ille qui hoc facit non potest fructum indulgentiae in alium transferre: quia eius non est applicare ad aliquid intentionem Ecclesiae, per quam communicantur communia suffragia, ex quibus indulgentiae valent *. Si autem indulgentia sub hac forma fiat, *Quicumque fecerit hoc vel illud, ipse et pater eius, vel quicumque ei adiunctus, in purgatorio detentus, tantum de indulgentia habebit*, talis indulgentia non solum vivo, sed etiam mortuo proderit. Non enim est aliqua ratio quare Ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentiae innituntur, in vivos, et non in mortuos.

* Cf. qu. XXVII, art. 3, ad 2.

Nec tamen sequitur quod praelatus Ecclesiae possit pro suo arbitrio animas a purgatorio liberare. Quia ad hoc ut indulgentiae valeant, requiritur causa conveniens indulgentias faciendi, ut supra * dictum est.

* Qu. XXV, art. 2.

ART. XI. Utrum cultus exequiarum defuncto prosint

IV *Sent.*, dist. XV, qu. II, art. 3, qua 1, ad 1.

Ad undecimum sic proceditur. Videtur quod cultus exequiarum defuncto prosint. Damascenus enim, in Sermone *de Dormientibus* *, inducit verba Athanasii sic dicentis: *Licet in aera qui in pietate consummatus est, depositus fuerit, ne renuas oleum et ceras, Deum invocans, in sepulcro accendere. Accepta enim ista sunt Deo, et multam ab eo recipientia retributionem.* Sed huiusmodi pertinent ad cultum exequiarum. Ergo cultus exequiarum prodest defunctis.

* Al. *De his qui in fide dormierunt*, num. 19.

2. Praeterea, sicut Augustinus dicit, I lib. *de Civ. Dei* *, *antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, et exequiae celebratae, et sepulcra provisa: ipsique, cum viverent, de sepeliendis vel transferendis suis corporibus filiis mandaverunt.* Sed hoc non fecissent nisi sepultura et huiusmodi aliquid mortuis conferrent. Ergo huiusmodi aliquid prosunt defunctis.

* Cap. XIII; *De Cura pro mort. agend.*, cap. III.

3. Praeterea, nullus facit eleemosynam circa aliquem nisi ei proficiat. Sed sepelire mortuos computatur inter opera eleemosynarum *: unde, ut Augustinus dicit, in I *de Civ. Dei* *, *Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse, teste angelo, commendatur.* Ergo huiusmodi sepulturae cultus mortuis prodest.

* Cf. IIam IIae, qu. XXXII, art. 2, ad 1.
* Loc. cit.; *de Cura pro mort. agend.*, cap. III.

4. Praeterea, inconveniens est dicere quod frustretur devotio fidelium. Sed aliqui ex devotione in locis aliquibus religiosis sepeliri disponunt. Ergo sepulturae cultus prodest defunctis.

5. Praeterea, Deus pronior est ad miserendum quam ad condemnandum *. Sed aliquibus nocet in locis sanctis sepultura, si indigni sunt: unde dicit Gregorius *: *Quos peccata gravia deprimunt, ad maiorem damnationis cumulum potius quam ad solutionem, eorum corpora in ecclesiis ponuntur.* Ergo multo amplius dicendum est quod sepulturae cultus prosit bonis.

* Cf. can. *Quia divinitatis*, *de Poenit.*, dist. I.
* *Dialog.* lib. IV, cap. L.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro *de Cura pro mortuis agenda* *: *Corpori humano quidquid impenditur, non est praesidium vitae aeternae, sed humanitatis officium.*

* Cap. XVIII.

2. Praeterea, Gregorius dicit, in IV *Dialog.* *: *Curatio funeris, conditio sepulturae, pompa exequiarum, magis sunt vivorum solatia quam subsidia defunctorum.*

* Can. *Animae defunctor.*, caus. XIII, qu. II. Vide notat. Corrector. ibid.

3. Praeterea, Dominus dicit, Matth. X *: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, et post hoc non habent amplius quid faciant.* Sed post mortem sanctorum corpora possunt a sepultura prohiberi: sicut in Ecclesiastica historia * legitur esse factum de quibusdam martyribus Lugduni Galliae. Ergo non nocet defunctis si eorum corpora inhumata remaneant. Ergo nec cultus sepulturae prodest.

* Vers. 28; Luc. cap. XII, vers. 4.
* Euseb. lib. V, cap. 1, ad fin.

Respondeo dicendum quod sepultura adinventa est et propter vivos et propter mortuos. Propter vivos quidem, ne eorum oculi ex turpitudine cadaverum offendantur, et corpora fetoribus inficiantur: et hoc quantum ad corpus. Sed spiritualiter etiam prodest vivis, inquantum per hoc

adstruitur resurrectionis fides. – Sed mortuis prosunt ad hoc quod inspicientes sepulcra memoriam retinent defunctorum, et pro defunctis orant. Unde et *monumentum* a memoria nomen accepit: dicitur enim monumentum quasi *monens mentem,* ut dicit Augustinus, in I *de Civ. Dei,* et in libro *de Cura pro mortuis agenda* *. Paganorum tamen error fuit quod ad hoc sepultura mortuo prosit ut eius anima quietem accipiat: non enim credebant animas prius quietem posse accipere quam corpus sepulturae daretur *. Quod omnino ridiculum est et absurdum.

* Cap. IV.

* Cf. Virgil. *Aen.* lib. VI, vers. 325 sqq.

Sed quod ulterius sepultura in loco sacrato mortuo prodest, non quidem est ex ipso opere operato, sed magis ex opere operante: dum scilicet vel ipse defunctus vel alius, corpus tumulari in loco sacro disponens, patrocinio alicuius sancti eum committit, cuius precibus per hoc credendus est adiuvari; et etiam patrocinio eorum qui loco sacro deserviunt, qui pro tumulatis apud se frequentius et specialius orant.

Sed illa quae ad ornatum sepulturae adhibentur, prosunt quidem vivis, inquantum sunt *vivorum solatia* *: sed possunt etiam defunctis prodesse, non quidem per se, sed per accidens; inquantum scilicet per huiusmodi homines excitantur ad compatiendum, et per consequens ad orandum; vel inquantum ex sumptibus sepulturae vel pauperes fructum capiunt, vel ecclesia decoratur; sic enim sepultura inter ceteras eleemosynas computatur.

* Cf. arg. *Sed contra* 2.

Ad primum ergo dicendum quod oleum et cera ad sepulcra defunctorum prolata per accidens defuncto prosunt: vel inquantum ecclesiae offeruntur, sive pauperibus dantur; vel inquantum huiusmodi in Dei reverentiam fiunt. Unde et verbis praemissis subiungitur: *Oleum enim et cera holocaustum.*

Ad secundum dicendum quod ideo sancti Patres de suis corporibus tumulandis curaverunt, ut ostenderent *corpora mortuorum ad Dei providentiam pertinere: non quod mortuis corporibus aliquis sensus insit, sed propter fidem resurrectionis adstruendam;* ut patet per Augustinum, in I *de Civ. Dei* *. Unde etiam voluerunt in terra promissionis sepeliri *, ubi credebant Christum nasciturum et moriturum, cuius resurrectio nostrae resurrectionis est causa *.

* Cap. XIII; *De Cura pro mort. agend.*, cap. III.
* Cf. *Gen.* cap. XXIII; cap. XXV, vers. 9, 10; cap. XLIX, vers. 29 sqq.; cap. L, vers. 24.
* Cf. Part. III, qu. LVI, art. 1.

Ad tertium dicendum quod, quia caro est pars naturae hominis, naturaliter homo ad carnem suam afficitur: secundum illud *Ephes.* V *: *Nemo carnem suam unquam odio habuit.* Unde secundum istum naturalem affectum inest viventi quaedam sollicitudo quid etiam post mortem de eius corpore sit futurum; doleretque si aliquid indignum suo corpori evenire praesentiret. Et ideo illi qui hominem diligunt, ex hoc quod affectui eius quem diligunt conformantur, circa eius carnem curam humanitatis impendunt. Ut enim dicit Augustinus, in I *de Civ. Dei* *, *si paterna vestis et anulus, ac si quid huiusmodi, tanto carius sunt posteris quanto erga parentes maior affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quae utique multo familiarius atque coniunctius quam quaelibet indumenta gestamus.* Unde et inquantum affectui hominis satisfacit sepeliens eius corpus, cum ipse in hoc sibi satisfacere non potest, eleemosynam ei facere dicitur.

* Vers. 29.

* Cap. XIII; *De Cura pro mort. agend.*, cap. III.

Ad quartum dicendum quod fidelium devotio, ut Augustinus dicit, in libro *de Cura pro mortuis agenda* *, suis caris in locis sacris providens sepulturam, in hoc non frustratur, quod defunctum suum suffragio sanctorum committit, ut dictum est *.

* Cap. IV.

* In corpore.

Ad quintum dicendum quod sepultura in loco sacro impio defuncto non nocet nisi quatenus hanc sepulturam, sibi indignam, propter humanam gloriam procuravit.

ART. XII. Utrum suffragia quae fiunt pro uno defuncto, magis proficiant ei pro quo fiunt quam aliis

Quodl. II, qu. VII, art. 2; VIII, qu. V, art. 2.

Ad duodecimum sic proceditur. Videtur quod suffragia quae fiunt pro uno defuncto, non magis proficiant ei pro quo fiunt quam aliis. Lumen enim spirituale magis est communicabile quam corporale lumen. Sed lumen corporale, sicut candelae, quamvis accendatur pro uno, tamen aequaliter omnibus prodest qui simul commorantur, quamvis pro eis candela non accendatur. Ergo, cum suffragia sint quaedam spiritualia lumina, quamvis pro uno specialiter fiant, non magis valent ei quam aliis existentibus in purgatorio.

2. Praeterea, sicut in littera * dicitur, secundum hoc suffragia mortuis prosunt, quia, *dum viverent hic, sibi ut postea possent prodesse meruerunt.* Sed aliqui magis meruerunt ut suffragia sibi prodessent quam illi pro quibus fiunt. Ergo eis magis prosunt: alias eorum meritum frustraretur.

* Dist. XLV, cap. *Neque negandum.* - Ex Aug. *Enchirid.*, cap. CX.

3. Praeterea, pro pauperibus non fiunt tot suffragia sicut pro divitibus. Si ergo suffragia facta pro aliquibus eis magis quam aliis valerent, pauperes essent deterioris conditionis. Quod est contra sententiam Domini, Luc. VI *: *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei.*

* Vers. 20.

Sed contra, iustitia humana exemplatur a iustitia divina. Sed iustitia humana, si aliquis debitum pro aliquo solvit, eum solum absolvit. Ergo, cum ille qui suffragia facit quodammodo solvat debitum eius pro quo facit, ei soli proderit.

2. Praeterea, sicut homo faciens suffragia quodammodo satisfacit pro mortuo, ita etiam interdum aliquis pro vivo satisfacere potest *. Sed quando aliquis satisfacit pro vivo, satisfactio illa non computatur nisi illi pro quo facta est. Ergo et suffragia faciens ei soli prodest pro quo facit.

* Cf. art. 6.

Respondeo dicendum quod circa hoc fuit duplex opinio. Quidam enim, ut Praepositinus *, dixerunt quod suffragia pro uno aliquo facta non magis prosunt ei pro quo fiunt, sed eis qui sunt magis digni. Et ponebant exemplum de candela quae accenditur pro aliquo divite, quae non minus prodest eis qui cum ipso sunt quam ipsi diviti, et forte magis, si habent oculos clariores: et etiam de lectione, quae non magis prodest ei pro quo legitur quam aliis qui simul cum eo audiunt, sed forte aliis magis, qui sunt sensu capaciores. – Et si eis obiiceretur quod secundum hoc ordinatio Ecclesiae esset vana, quae pro aliquibus specialiter orationes instituit: dicebant quod hoc Ecclesia fecit ad excitandam devotionem fidelium, qui promptiores sunt ad facienda specialia suffragia quam communia, et ferventius etiam pro suis propinquis orant quam pro extraneis.

* *Summ.*, cap. *de Parvulis qui decedunt baptizati.*

Alii e contra dixerunt quod suffragia magis valent eis pro quibus fiunt.

Utraque autem opinio secundum aliquid veritatem habet. Valor enim suffragiorum pensari potest ex duobus *. Valent enim uno modo ex virtute caritatis, quae facit omnia bona communia. Et secundum hoc magis valent ei qui magis caritate est plenus, quamvis pro eo specialiter non fiant. Et sic valor suffragiorum attenditur magis secundum quandam interiorem consolationem, secundum quod unus in caritate existens de bonis alterius delectatur post mortem, quam ad diminutionem poenae: post mortem enim non est locus acquirendi gratiam vel augendi, ad quod nobis in vita valent opera aliorum ex virtute caritatis.

* Cf. art. 1.

Alio modo valent suffragia ex hoc quod per intentionem unius alteri applicantur. Et sic satisfactio unius alteri computatur. Et hoc modo non est dubium quod magis valent ei pro quo fiunt. Immo sic ei soli valent. Satisfactio enim proprie ad remissionem poenae ordinatur. Unde, quantum ad dimissionem poenae, praecipue valet suffragium ei pro quo fit. Et secundum hoc secunda opinio plus habet de veritate quam prima.

Ad primum ergo dicendum quod suffragia prosunt per modum luminis inquantum a mortuis acceptantur, et ex hoc quandam consolationem accipiunt; et tanto maiorem quanto maiori caritate sunt praediti. Sed inquantum suffragia sunt quaedam satisfactio per intentionem facientis translata in alterum, non sunt similia lumini, sed magis solutioni alicuius debiti. Non autem est necesse ut, si debitum pro uno solvitur, quod ex hoc debitum aliorum solvatur.

Ad secundum dicendum quod illud meritum est conditionale quo sibi meruerunt. Hoc enim modo sibi meruerunt, ut sibi prodessent si pro eis fierent. Quod nihil aliud fuit quam facere se habiles ad recipiendum. Unde patet

quod non directe meruerunt illud iuvamen suffragiorum, sed per merita praecedentia se habilitaverunt ut fructum suffragiorum susciperent. Et ideo non sequitur quod meritum eorum frustretur.

Ad tertium dicendum quod nihil prohibet divites quantum ad aliquid esse melioris conditionis quam pauperes: sicut quantum ad expiationem poenae. Sed hoc quasi nihil est comparatum possessioni regni caelorum, in qua pauperes melioris conditionis esse ostenduntur per auctoritatem inductam.

ART. XIII. An suffragia facta pro multis tantundem valeant singulis ac si pro unoquoque specialiter fierent

Ad decimumtertium sic proceditur. Videtur quod suffragia facta pro multis tantundem valeant singulis ac si pro unoquoque specialiter fierent. Videmus enim quod ex lectione quae uni legitur, nihil ei deperit si simul et alii legatur. Ergo et, eadem ratione, nihil deperit ei pro quo fit suffragium, si ei aliquis connumeretur. Et ita, si pro pluribus fiat, tantum valet singulis ac si pro unoquoque singulariter fieret.

2. Praeterea, secundum communem usum Ecclesiae videmus quod, cum missa pro aliquo defuncto dicitur, simul etiam illic orationes adiunguntur pro aliis defunctis. Hoc autem non fieret si ex hoc defunctus pro quo missa dicitur, aliquod detrimentum reportaret. Ergo idem quod prius.

3. Praeterea, suffragia, praecipue orationum, innituntur divinae virtuti. Sed apud Deum, sicut non differt iuvare per multos vel per paucos *, ita non differt iuvare multos vel paucos. Ergo, quantum iuvaretur unus ex una oratione si pro eo tantum fieret, tantum iuvabuntur singuli multorum si eadem oratio pro multis fiat.

* Cf. I *Machab.*, cap. III, vers. 18.

Sed contra, melius est plures iuvare quam unum. Si ergo suffragium pro multis factum valeret singulis tantum ac si pro uno tantum fieret, videtur quod Ecclesia non debuit instituisse ut pro aliquo singulariter fieret missa vel oratio, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis. Quod patet esse falsum.

2. Praeterea, suffragium habet finitam efficaciam. Ergo, distributum in multos, minus prodest singulis quam prodesset si fieret pro uno tantum.

Respondeo dicendum quod, si valor suffragiorum consideretur secundum quod valent ex virtute caritatis unientis membra Ecclesiae, suffragia pro multis facta tantum singulis prosunt ac si pro uno tantum fierent. Quia caritas non minuitur si dividatur effectus in multos: immo magis augetur. Et similiter etiam gaudium, quanto pluribus est commune, fit maius, ut dicit Augustinus, VIII *Confess.* * Et sic de uno bono facto non minus laetantur multi in purgatorio quam unus.

* Cap. IV.

Si autem consideretur valor suffragiorum inquantum sunt satisfactiones quaedam per intentionem facientis translatae in mortuos, tunc magis valet suffragium alicui quod pro eo singulariter fit, quam quod fit pro eo communiter et multis aliis: sic enim effectus suffragii dividitur ex divina iustitia inter eos pro quibus suffragia fiunt.

Unde patet quod haec quaestio dependet ex prima *. Et ex hoc etiam patet quare institutum sit ut suffragia specialia in Ecclesia fiant.

* Art. praeced.

Ad primum ergo dicendum quod suffragia, ut sunt satisfactiones quaedam, non prosunt per modum actionis, sicut doctrina prodest, quae, sicut et omnis alia actio, effectum habet secundum dispositionem recipientis: sed valet per modum solutionis debiti, ut dictum est *. Et ideo non est simile.

* Ibid., ad 1.

Ad secundum dicendum quod, quia suffragia pro uno facta aliquo modo etiam aliis prosunt, ut ex dictis * patet, ideo, cum pro uno missa dicitur, non est inconveniens ut pro aliis etiam orationes fiant. Non enim ad hoc dicuntur aliae orationes ut satisfactio unius suffragii determinetur ad alios principaliter: sed ut illis oratio pro eis specialiter fusa prosit.

* Ibid., corp.

Ad tertium dicendum quod oratio consideratur et ex parte orantis, et ex parte eius qui oratur: et ex utroque eius effectus dependet. Et ideo, quamvis divinae virtuti non sit magis difficile absolvere multos quam unum, tamen huiusmodi orantis oratio non ita est satisfactoria pro multis sicut pro uno.

ART. XIV. Utrum tantum valeant communia suffragia illis pro quibus specialia non fiunt, quantum illis pro quibus fiunt valent specialia et communia simul

Quodl. VIII, qu. v, art. 2.

Ad decimumquartum sic proceditur. Videtur quod tantum valeant communia suffragia illis pro quibus specialia non fiunt, quantum illis pro quibus fiunt valent specialia et communia simul. Unicuique enim secundum propria merita reddetur in futuro *. Sed ille pro quo non fiunt suffragia, meruit ut tantum iuvaretur post mortem quantum et ille pro quo fiunt specialia. Ergo tantum iuvabitur per communia quantum et ille per specialia et communia.

* Matth. cap. XVI, vers. 27; *ad Rom.* cap. II, vers. 6.

2. Praeterea, inter Ecclesiae suffragia praecipuum est Eucharistia *. Sed Eucharistia, cum contineat totum Christum, habet quodammodo efficaciam infinitam. Ergo una oblatio Eucharistiae, quae communiter pro omnibus fit, valet ad plenam liberationem eorum qui sunt in purgatorio. Et ita tantum iuvant communia suffragia sola quantum iuvant specialia et communia simul.

* Cf. art. 9.

Sed contra est quod duo bona uno sunt magis eligenda. Ergo suffragia specialia et communia magis prosunt ei pro quo fiunt quam communia tantum.

Respondeo dicendum quod huius etiam solutio dependet ex solutione primae quaestionis *. Si enim suffragia pro uno specialiter facta indifferenter omnibus valeant, tunc omnia suffragia sunt communia. Et ideo tantum iuvabitur ille pro quo non fiunt specialia, quantum ille pro quo fiunt, si sit aequaliter dignus. Si autem suffragia pro aliquo facta non indifferenter omnibus prosint, sed eis maxime pro quibus fiunt, tunc non est dubium quod suffragia communia et specialia simul plus valent alicui quam communia tantum.

* Art. 12.

Et ideo Magister duas opiniones in littera * tangit. Unam, dum dicit quod aequaliter prosunt diviti communia et specialia, et pauperi communia tantum: quamvis enim ex pluribus iuvetur unus quam alter, non tamen plus iuvatur. – Aliam autem tangit cum dicit quod ille pro quo fiunt specialia, consequitur *velociorem absolutionem, sed non pleniorem:* quia uterque finaliter ab omni poena liberabitur.

* Dist. XLV, cap. *Solet moveri.*

Ad primum ergo dicendum quod iuvamen suffragiorum non cadit directe sub merito et simpliciter, sed quasi sub conditione *. Et ideo ratio non sequitur.

* Cf. art. 12, ad 2.

Ad secundum dicendum quod, quamvis virtus Christi, qui continetur sub sacramento Eucharistiae, sit infinita, tamen determinatus est effectus ad quem illud sacramentum ordinatur. Unde non oportet quod per unum Altaris sacrificium tota poena eorum qui sunt in purgatorio expietur: sicut etiam nec per unum sacrificium quod aliquis offert, liberatur a tota satisfactione debita pro peccatis *. Unde et quandoque plures missae in satisfactione unius peccati iniunguntur.

* Cf. Part. III, qu. LXXIX, art. 5.

Credibile tamen est quod per divinam misericordiam, si aliquid de specialibus suffragiis supersit his pro quibus fiunt, ut scilicet eis non indigeant, aliis dispensetur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant: ut patet per Damascenum, in Sermone *de Dormientibus* *, sic dicentem: *Deus, tanquam iustus, commetietur impotenti possibilitatem; tanquam sapiens, defectuum commutationem negotiabitur.* Quae quidem negotiatio attenditur secundum quod id quod deest uni, alteri supplet.

* Al. *De his qui in fide dormierunt*, num. 25.

QUAESTIO SEPTUAGESIMASECUNDA

DE ORATIONE SANCTORUM QUI SUNT IN PATRIA

Deinde considerandum est de oratione sanctorum qui sunt in patria *.

* Cf. qu. LXIX, Introd.

Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo: utrum sancti orationes nostras cognoscant.

Secundo: utrum eos interpellare debeamus ad orandum pro nobis.

Tertio: utrum orationes eorum pro nobis fusae semper exaudiantur. – Nam utrum sancti orent pro nobis, dictum est qu. LXXXIII * Secundae Partis.

* Art. II.

ART. I. UTRUM SANCTI ORATIONES NOSTRAS COGNOSCANT

Part. I, qu. LXXXIX, art. 8; IIª IIªᵉ, qu. IV, art. 2; IV *Sent.*, dist. XV, qu. IV, art. 5, quª 1, ad 3; *De Verit.*, qu. VIII, art. 4, ad 12.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sancti orationes nostras non cognoscant. Isaiae LXIII *, *Pater noster es, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos,* Glossa * Augustini dicit quod *mortui sancti nesciunt quid agant vivi, etiam eorum filii.* Et sumitur ab Augustino *de Cura pro mortuis agenda* *, ubi hanc auctoritatem inducit. Et sunt haec verba Augustini ibidem: *Si tanti Patriarchae quid erga populum ab eis procreatum ageretur ignoraverunt, quomodo mortui vivorum rebus atque actibus cognoscendis adiuvandisque miscentur?* Ergo sancti orationes nostras cognoscere non possunt.

* Vers. 16. * Interlin. * Cap. XIII.

2. PRAETEREA, IV *Reg.* XXII * dicitur ad Iosiam regem: *Idcirco* (scilicet *quia flevisti coram me* *) *colligam te ad patres tuos, ut non videant oculi tui mala omnia quae sum inducturus in locum istum.* Sed in hoc nullo modo per mortem Iosiae subventum fuisset si post mortem quid genti suae eveniret cognosceret. Ergo sancti mortui actus nostros non cognoscunt. Et ita non intelligunt nostras orationes.

* Vers. 20. * Vers. 19.

3. PRAETEREA, quanto aliquis est in caritate perfectior, tanto magis proximo in periculis subvenit. Sed sancti in carne viventes proximis, et maxime sibi coniunctis, in periculis et consulunt et auxiliantur manifeste. Cum ergo post mortem sint multo maioris caritatis, si facta nostra cognoscerent, multo amplius suis caris sibi coniunctis consulerent et auxiliarentur in necessitatibus. Quod facere non videntur. Ergo non videtur quod actus nostros et orationes nostras cognoscant.

4. PRAETEREA, sicut sancti post mortem vident Verbum, ita et angeli, de quibus dicitur, Matth. XVIII *: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Sed angeli Verbum videntes non propter hoc omnia cognoscunt: cum a *nescientia* minores a superioribus purgentur, ut patet per Dionysium, in VII cap. * *Cael. Hier.* Ergo nec sancti, quamvis Verbum videant, in eo nostras orationes cognoscunt, et alia quae circa nos aguntur.

* Vers. 10. * § 3; *Eccl. Hier.* cap. VI, § 6.

5. PRAETEREA, solus Deus est *inspector cordium* *. Sed oratio praecipue in corde consistit. Ergo solius Dei est orationes cognoscere. Non ergo sancti nostras orationes cognoscunt.

* 1 *Reg.*, cap. XVI, vers. 7; *Proverb.* cap. XXIV, vers. 12.

SED CONTRA, super illud *Iob* XIV *, *Sive nobiles fuerint filii eius sive ignobiles, non intelliget,* dicit Gregorius, XII lib. *Moral.* *: *Hoc de animabus sanctis sentiendum non est. Quia quae intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est quod sit foris aliquid quod ignorent.* Ergo ipsi orationes nostras cognoscunt.

* Vers. 21. * Cap. XXI, al. XIV; in vet. cap. XIII.

2. PRAETEREA, Gregorius, in II *Dialog.* *: *Animae videnti Creatorem angusta est omnis creatura. Quantumlibet enim de luce Creatoris aspexerit, breve fit ei omne quod creatum est.* Sed hoc maxime impedire videretur quod animae sanctorum orationes et alia quae circa nos aguntur cognoscant, quia a nobis distant. Cum ergo distantia illa non impediat, ut ex praedicta auctoritate patet, videtur quod animae sanctorum cognoscant orationes nostras et ea quae hic aguntur.

* Cap. XXXV.

3. PRAETEREA, si ea quae circa nos aguntur non cognoscerent, nec pro nobis orarent: quia defectus nostros ignorarent. Sed hic est error Vigilantii: ut Hieronymus dicit, in Epistola contra eum *. Ergo sancti ea quae circa nos aguntur cognoscunt.

* Num. 6.

RESPONDEO DICENDUM quod divina essentia est sufficiens medium cognoscendi omnia: quod patet ex hoc quod Deus videndo suam essentiam omnia intuetur *. Non tamen sequitur quod quicumque essentiam Dei vident, omnia cognoscant, sed solum qui essentiam comprehendit *: sicut nec in principio aliquo cognito consequens est omnia cognosci quae ex principio consequuntur, nisi tota virtus principii comprehendatur. Unde, cum animae sanctorum divinam essentiam non comprehendant, non est consequens ut omnia cognoscant quae per essentiam divinam cognosci possunt. Unde etiam de quibusdam inferiores angeli a superioribus edocentur *, quamvis omnes essentiam divinam videant. Sed unusquisque beatus tantum de aliis rebus necessarium est ut in essentia divina videat, quantum perfectio beatitudinis requirit. Hoc autem ad perfectionem beatitudinis requiritur ut homo *habeat quidquid velit, nec aliquid inordinate velit* *. Hoc autem recta voluntate quilibet vult, ut ea quae ad ipsum pertinent cognoscat. Unde, cum nulla rectitudo sanctis desit, volunt cognoscere ea quae ad eos pertinent. Et ideo oportet quod illa in Verbo cognoscant. Hoc autem ad eorum gloriam pertinet, quod auxilium indigentibus praestent ad salutem: sic enim *Dei cooperatores* efficiuntur, *quo nihil est divinius,* ut ait Dionysius, III cap. * *Cael. Hier.* Unde patet quod sancti habent cognitionem eorum quae ad hoc requiruntur. Et sic manifestum est quod in Verbo cognoscunt vota et orationes et devotiones hominum qui ad eorum auxilium confugiunt.

* Part. I, qu. XIV, art. 5. * Ibid., qu. XII, art. 8. * Cf. arg. 4. * Aug. *De Trin.*, lib. XIII, cap. V. * § 2. – Cf. III, Ioan., vers. 8.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod verbum Augustini intelligendum est de cognitione naturali animarum separatarum, quae quidem cognitio in sanctis viris non est obtenebrata, sicut est in peccatoribus. Non autem loquitur de cognitione quae est in Verbo, quam constat Abraham, eo tempore quo haec dicta sunt per Isaiam, non habuisse: cum ante Christi passionem nullus ad visionem Dei pervenerit *.

* Cf. Part. III, qu. XLIX, art. 5, ad 1.

AD SECUNDUM DICENDUM quod sancti, licet post hanc vitam cognoscant ea quae hic geruntur, non tamen credendum est quod afficiantur doloribus, cognitis adversitatibus eorum quos in hoc saeculo dilexerunt. Ita enim repleti sunt gaudio beatitudinis quod dolor in eis locum non invenit. Unde, etsi cognoscant suorum infortunia post mortem, nihilominus dolori eorum consulitur si ante huiusmodi infortunia de hoc saeculo subtrahantur. Sed forte animae non glorificatae dolorem aliquem sentirent si incommoda carorum suorum perciperent. Et quia anima Iosiae non statim glorificata fuit a corpore egressa, quantum ad hoc ex hac ratione Augustinus * concludere nititur quod animae mortuorum cognitionem non habeant de factis viventium.

* *De Cura pro mort. agend.*, capp. XIII sqq.

AD TERTIUM DICENDUM quod animae sanctorum habent voluntatem plenarie conformem divinae voluntati etiam in volito. Et ideo, quamvis affectum caritatis ad proximum retineant, non tamen eis aliter auxilium ferunt quam secundum divinam iustitiam vident esse dispositum. – Et tamen credendum est quod multum proximos iuvant, pro eis apud Deum intercedendo.

AD QUARTUM DICENDUM quod, quamvis videntes Verbum non sit necessarium in Verbo omnia videre, vident tamen ea quae ad perfectionem pertinent beatitudinis eorum, ut dictum est *.

* In corpore.

AD QUINTUM DICENDUM quod cogitationes cordium solus Deus per seipsum novit: sed tamen alii cognoscere possunt quatenus eis revelatur, vel per visionem Verbi vel quocumque alio modo.

ART. II. UTRUM DEBEAMUS SANCTOS INTERPELLARE AD ORANDUM PRO NOBIS

II *Sent.*, dist. XXVII, art. 6, ad 2.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non debeamus sanctos interpellare ad orandum pro nobis. Nullus enim amicos alicuius interpellat ad orandum pro se nisi quatenus credit apud eos facilius gratiam obtinere. Sed Deus est in infinitum magis misericors quolibet sancto: et sic voluntas eius facilius inclinatur ad nos exaudiendum quam voluntas alicuius sancti. Ergo videtur superfluum constituere mediatores inter nos et Deum, ut ipsi pro nobis intercedant.

2. PRAETEREA, si eos ad orandum pro nobis interpellare debemus, hoc non est nisi quia scimus eorum orationem esse Deo acceptam. Sed quanto est aliquis sanctior inter sanctos, tanto eius oratio est magis Deo accepta. Ergo semper deberemus superiores pro nobis intercessores constituere ad Deum, et nunquam minores.

3. Praeterea, Christus, etiam secundum quod homo, dicitur *Sanctus Sanctorum* *: et ei, secundum quod homo, orare competit *. Sed nunquam Christum ad orandum pro nobis interpellamus. Ergo nec alios sanctos interpellare debemus.

* Dan. cap. ix, vers. 24.
* Cf. Part. III, qu. xxi.

4. Praeterea, quicumque rogatus ab aliquo ut pro eo intercedat, preces ipsius ei repraesentat apud quem pro eo intercedit. Sed superfluum est ei repraesentare aliquid cui omnia sunt praesentia. Ergo superfluum est quod sanctos intercessores constituamus pro nobis ad Deum.

5. Praeterea, illud est superfluum quod fit propter aliquid quod sine eo eodem modo fieret vel non fieret. Sed similiter sancti orarent pro nobis vel non orarent, sive nos oremus eos sive non oremus: quia, si sumus digni ut pro nobis orent, etiam, nobis eos non orantibus, pro nobis orarent; si autem sumus indigni, etiam si petamus, pro nobis non orant. Ergo interpellare eos ad orandum pro nobis videtur omnino superfluum.

Sed contra est quod dicitur *Iob* v *: *Voca, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere. Vocare autem nostrum,* ut Gregorius dicit ibidem *, *est humili Deum prece deposcere.* Ergo, cum volumus Deum orare, debemus ad sanctos converti, ut pro nobis Deum orent.

* Vers. 1.
* *Moral.* lib. V, cap. xliii, al. xxx.

2. Praeterea, sancti qui sunt in patria magis sunt accepti Deo quam in statu viae. Sed sanctos qui sunt in via constituere debemus intercessores pro nobis ad Deum: exemplo Apostoli, qui dicebat, *Rom.* xv *: *Obsecro vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum et per caritatem Spiritus Sancti, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Ergo nos multo fortius petere debemus a sanctis qui sunt in patria, ut nos iuvent orationibus suis ad Deum.

* Vers. 30.

3. Praeterea, ad hoc est communis consuetudo Ecclesiae, quae in litaniis sanctorum orationem petit.

Respondeo dicendum quod *iste ordo est divinitus institutus in rebus,* secundum Dionysium *, *ut per media ultima reducantur in Deum.* Unde, cum sancti qui sunt in patria sint Deo propinquissimi, hoc divinae legis ordo requirit, ut nos, qui *manentes in corpore peregrinamur a Domino* *, in eum per sanctos medios reducamur. Quod quidem contingit dum per eos divina bonitas in nos suum effectum infundit. Et quia reditus noster in Deum respondere debet processui bonitatum ipsius ad nos, sicut mediantibus sanctorum suffragiis Dei beneficia in nos deveniunt, ita oportet nos in Deum reduci, ut iterato beneficia eius sumamus, mediantibus sanctis. Et inde est quod eos intercessores pro nobis ad Deum constituimus, et quasi mediatores, dum ab eis petimus quod pro nobis orent.

* *Eccles. Hier.* cap. v, p. i, § 4. - Cf. *Cael. Hier.* cap. iv, § 3.
* II *ad Cor.*, cap. v, vers. 6.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut non est propter defectum divinae potentiae quod mediantibus secundis causis agentibus operatur, sed est ad complementum ordinis universi, et ut eius bonitas multiplicius diffundatur in res, dum res ab eo non solum suscipiunt bonitates proprias, sed insuper quod aliis causa bonitatis existant; ita etiam non est propter defectum misericordiae ipsius quod oporteat eius clementiam per orationes sanctorum pulsare, sed est ad hoc ut ordo praedictus * conservetur in rebus.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod, quamvis sancti superiores sint magis Deo accepti quam inferiores, utile tamen est etiam minores sanctos interdum orare. Et hoc propter quinque rationes. Primo, ex hoc quod quandoque aliquis habet maiorem devotionem ad minorem sanctum quam ad maiorem. Ex devotione autem maxime dependet orationis effectus. – Secundo, propter fastidium tollendum. Quia assiduitas unius rei fastidium parit. Per hoc autem quod diversos sanctos oramus, quasi in singulis novus fervor devotionis excitatur. – Tertio, quia quibusdam sanctis datum est in aliquibus specialibus causis praecipue patrocinari: sicut sancto Antonio ad *ignem infernalem* *. – Quarto, ut omnibus honor debitus exhibeatur a nobis. – Quinto, quia plurium orationibus quandoque impetratur quod unius oratione non impetratur.

* Cf. Du Cange, in verb. *Infernalis Morbus* et *Ignis infernalis*; Bolland. *Act. SS.*, Vit. s. Anton., die 17ª Iannarii.

Ad tertium dicendum quod oratio est actus quidam. Actus autem sunt particularium suppositorum *. Et ideo, si diceremus, *Christe, ora pro nobis,* nisi aliquid adderetur, videremur hoc ad personam Christi referre. Et ita videretur esse consonum vel errori Nestorii, qui distinxit in Christo personam Filii hominis a persona Filii Dei *; vel errori Arii, qui posuit personam Filii minorem Patre *. Unde, ad hos errores evitandos, Ecclesia non dicit, *Christe, ora pro nobis:* sed, *Christe, audi nos,* vel, *miserere nobis.*

* Cf. Aristot. *Metaphys.* lib. I, cap. i, n. 6; s. Th. lect. i. - Vide Part. III, qu. xix, art. i, arg. 3.
* Cf. Part. III, qu. ii, art. 6.
* Cf. Part. I, qu. xxvii, art. 1.

Ad quartum dicendum quod, sicut infra * dicitur, non dicuntur sancti preces nostras Deo repraesentare quasi ei incognita manifestent: sed quia eas exaudiri a Deo petunt; vel divinam consulunt veritatem de eis, quid scilicet secundum eius providentiam fieri debeat.

* Art. seq.

Ad quintum dicendum quod ex hoc ipso aliquis efficitur dignus ut sanctus aliquis pro eo oret, quod ad ipsum in sua necessitate cum pura devotione recurrit. Et ita non est superfluum quod sanctos oremus.

ART. III. Utrum orationes sanctorum ad Deum pro nobis fusae semper exaudiantur

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod orationes sanctorum pro nobis ad Deum fusae non semper exaudiantur. Si enim exaudirentur, maxime exaudirentur sancti de his quae ad eos pertinent. Sed de his non exaudiuntur: unde dicitur *Apoc.* vi *, quod martyribus petentibus vindictam de his qui sunt super terram, *dictum est ut requiescerent modicum tempus adhuc, donec impleretur numerus fratrum suorum.* Ergo multo minus exaudiuntur de his quae ad alios pertinent.

* Vers. 10, 11.

2. Praeterea, Ierem. xv * dicitur: *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo sancti non semper exaudiuntur cum pro nobis orant ad Deum.

* Vers. 1.

3. Praeterea, sancti in patria *aequales angelis Dei* commemorantur, ut patet Matth. xxii *. Sed angeli non semper exaudiuntur in suis orationibus quas fundunt ad Deum: quod patet ex hoc quod habetur Dan. x *, ubi dicitur: *Ego veni propter sermones tuos: princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus.* Non autem venerat in adiutorium Danielis angelus qui loquebatur nisi a Deo liberationem petendo. Et tamen est impedita orationis eius impletio. Ergo nec etiam alii sancti pro nobis orantes apud Deum semper exaudiuntur.

* Vers. 30; Luc. cap. xx, vers. 36.
* Vers. 12, 13.

4. Praeterea, quicumque oratione impetrat aliquid, quodammodo meretur illud. Sed sancti qui sunt in patria non sunt in statu merendi. Ergo non possunt suis orationibus aliquid impetrare nobis apud Deum.

5. Praeterea, sancti per omnia conformant voluntatem suam voluntati Dei *. Ergo non volunt nisi quod sciunt Deum velle. Sed nullus orat nisi quod vult. Ergo non orant nisi pro eo quod sciunt Deum velle. Sed hoc quod Deus vult, fieret etiam eis non orantibus. Ergo eorum orationes non sunt efficaces ad aliquid impetrandum.

* Cf. Iam IIae, qu. xix, art. 10, ad 1.

6. Praeterea, orationes totius caelestis curiae, si aliquid impetrare possunt, efficaciores essent quam omnia praesentis Ecclesiae suffragia. Sed, multiplicatis praesentis Ecclesiae suffragiis factis pro aliquo in purgatorio existente, totaliter absolveretur a poena. Cum ergo sancti qui sunt in patria eadem oratione orent pro illis qui sunt in purgatorio sicut et pro nobis, si nobis aliquid impetrant, illos qui sunt in purgatorio totaliter orationes eorum a poena absolverent. Quod falsum est: quia sic suffragia Ecclesiae pro defunctis facta superflua essent.

Sed contra est quod habetur II *Machab.* ult. *: *Hic est qui multum orat pro populo et pro universa sancta civitate, Ieremias, propheta Dei.* Et quod eius oratio sit exaudita, patet per hoc quod sequitur *, quod *extendit Ieremias dexteram et dedit Iudae gladium, dicens: Accipe sanctum gladium, munus a Deo,* etc.

* Vers. 14.
* Vers. 15, 16.

2. Praeterea, Hieronymus, in Epistola *contra Vigilantium* *: *Dicis in libello tuo quod, dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus.* Et hoc postea improbat, dicens sic: *Si Apostoli et martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias et triumphos!*

* Num. 6.

3. Praeterea, ad hoc est consuetudo Ecclesiae, quae frequenter petit ut sanctorum orationibus adiuvetur.

Respondeo dicendum quod sancti dupliciter dicuntur orare pro nobis. Uno modo, oratione expressa: dum votis suis aures divinae clementiae pro nobis pulsant. Alio modo, quasi oratione interpretativa: scilicet per eorum merita, quae, in conspectu eius existentia, non solum eis cedunt ad gloriam, sed sunt nobis etiam suffragia et orationes quaedam; sicut etiam sanguis Christi pro nobis dicitur veniam petere *. Utroque autem modo sanctorum orationes sunt, quantum est in ipsis, efficaces ad impetrandum quod petunt. Sed ex parte nostra potest esse defectus, quod non consequamur fructum orationum ipsorum secundum quod pro nobis orare dicuntur ex hoc quod merita eorum nobis proficiunt. Sed secundum quod orant pro nobis votis suis aliquid nobis postulando, semper exaudiuntur: quia non volunt nisi quod Deus vult, nec petunt nisi quod volunt fieri. Quod autem Deus simpliciter vult, impletur: nisi loquamur de voluntate antecedente, secundum quam *vult omnes homines salvos fieri* *, quae non semper impletur *. Unde nec est mirum si etiam quod sancti volunt per hunc modum voluntatis, interdum non impletur.

* Cf. *Ad Heb.*, cap. XII, vers. 24.
* I *ad Tim.*, cap. II, vers. 4.
* Cf. I Part., qu. XIX, art. 6, ad 1.

Ad primum ergo dicendum quod illa oratio martyrum non est aliud quam eorum desiderium de obtinenda stola corporis et societate sanctorum qui salvandi sunt, et consensus quo consentiunt divinae iustitiae punienti malos. Unde *Apoc.* VI, super illud *, *Usquequo Domine* etc., dicit Glossa *: *Desiderant gaudium maius et consortium sanctorum, et iustitiae Dei consentiunt.*

* Vers. 10.
* Ord.

Ad secundum dicendum quod Dominus loquitur ibi de Moyse et Samuele secundum statum quo fuerunt in hac vita. *Ipsi enim leguntur, pro populo orantes, irae Dei restitisse,* ut Interlinearis * dicit. Et tamen, si in illo tempore fuissent, non potuissent orationibus Deum placare ad populum, propter populi illius malitiam. Et hic est intellectus litterae.

* Ad loc. cit. in arg. - *Exod.* cap. XXXII, vers. 31 sqq.; cap. XXXIII, vers. 12 sqq.; I *Reg.* cap. VII, vers. 9.

Ad tertium dicendum quod ista pugna bonorum angelorum non intelligitur ex hoc quod apud Deum contrarias orationes funderent: sed quia contraria merita ex diversis partibus ad divinum examen referebant, divinam sententiam expectantes. Et hoc est quod Gregorius dicit, XVII *Moral.* *, exponens praedicta verba Danielis: *Sublimes spiritus gentibus principantes nequaquam pro iniuste agentibus decertant, sed eorum facta recte iudicantes examinant. Cumque uniuscuiusque gentis vel culpa vel iustitia ad supernae curiae solium ducitur, eiusdem gentis praepositus vel obtinuisse in certamine, vel non obtinuisse perhibetur. Quorum tamen omnium una victoria est super se Opificis voluntas summa. Quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, nequaquam volunt.* Unde nec petunt. Ex quo etiam patet quod orationes eorum semper exaudiuntur.

* Cap. XII, al. VIII; in vet. cap. VII.

Ad quartum dicendum quod, licet sancti non sint in statu merendi sibi postquam sunt in patria, sunt tamen in statu merendi aliis, vel potius ex merito praecedenti alios iuvandi: hoc enim apud Deum viventes meruerunt, ut orationes eorum exaudirentur post mortem.

Vel dicendum quod oratio ex alio meretur et ex alio impetrat. Meritum enim consistit in quadam adaequatione actus ad finem propter quem est, qui ei quasi merces redditur *. Sed orationis impetratio innititur liberalitati eius qui rogatur: impetrat enim aliquis quandoque ex liberalitate eius qui rogatur, quod tamen ipse non meruit. Et ita, quamvis sancti non sint in statu merendi, tamen non sequitur quod non sint in statu impetrandi.

* I^a II^ae, qu. CXIV, art. 1.

Ad quintum dicendum quod, sicut ex auctoritate Gregorii inducta * patet, sancti vel angeli non volunt nisi quod in divina voluntate conspiciunt; et etiam nihil aliud petunt. Nec tamen oratio eorum est infructuosa: quia, sicut dicit Augustinus, in libro *de Praedest. Sanctorum* *, orationes sanctorum praedestinatis prosunt, quia forte praeordinatum est ut intercedentium orationibus salventur. Et ita etiam Deus vult ut orationibus sanctorum impleatur illud quod sancti vident eum velle.

* Resp. ad 3.
* Lib. II, al. *de Dono Perseverant.*, cap. XXII.

Ad sextum dicendum quod suffragia Ecclesiae pro defunctis sunt quasi quaedam satisfactiones viventium vice mortuorum; et secundum hoc mortuos a poena absolvunt quam non solverunt. Sed sancti qui sunt in patria non sunt in statu satisfaciendi. Et ideo non est simile de eorum orationibus et de suffragiis Ecclesiae.

QUAESTIO SEPTUAGESIMATERTIA
DE SIGNIS QUAE IUDICIUM PRAECEDENT

Deinde considerandum est de signis quae iudicium praecedunt *.

* Cf. qu. LXIX, Introd.

Circa quod quaeruntur tria.

Primo: utrum adventum Domini ad iudicium aliqua signa praecedant.

Secundo: utrum secundum rei veritatem sol et luna obscurari tunc debeant.

Tertio: utrum virtutes caelorum, Domino veniente, moveantur.

ART. I. UTRUM ADVENTUM DOMINI AD IUDICIUM PRAECESSURA SINT ALIQUA SIGNA

IV *Sent.*, dist. XLVII, qu. I, art. 1, qu^a 3, ad 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod adventum Domini ad iudicium non praecedent aliqua signa. Quia I *Thessal.* V *: *Cum dixerint, Pax et securitas, repentinus eis superveniet interitus.* Sed non esset pax et securitas si homines per signa praecedentia terrerentur. Ergo signa non praecedent illum adventum.

* Vers. 3.

2. Praeterea, signa ad manifestationem requiruntur. Sed adventus eius debet esse occultus: unde I *Thessal.* V *: *Dies Domini, sicut fur, ita in nocte veniet.* Ergo signa non debent ipsum praecedere.

* Vers. 2.

3. Praeterea, tempus primi adventus fuit praecognitum a prophetis *: quod non est de secundo adventu **. Sed primum adventum Christi non praecesserunt aliqua huiusmodi signa. Ergo nec secundum praecedent.

* Cf. *Gen.* cap. XLIX, vers. 10; Dan. cap. IX, vers. 24 sqq.; Aggae. cap. II, vers. 8, 10; Luc. cap. II, vers. 26.
** Cf. Matth. cap. XXIV, vers. 36; *Act.* cap. I, vers. 7.

Sed contra est quod dicitur Luc. XXI *: *Erunt signa in sole et luna et stellis.*

* Vers. 25.

2. Praeterea, Hieronymus ponit quindecim signa praecedentia iudicium *: dicens quod primo die maria omnia exaltabuntur quindecim cubitis super montes. – Secundo, omnia aequora prosternentur in profundum, ita ut vix videri poterunt. – Tertio, redigentur in statum antiquum. – Quarto, belluae omnes, et alia quae moventur in aquis, congregabuntur et levabuntur super pelagus, more contentionis invicem mugientes. – Quinto, omnia volatilia caeli congregabuntur in campis, invicem plorantes, non gustantes nec bibentes. – Sexto, flumina ignea surgent contra faciem firmamenti, ab occasu solis usque ad ortum corruentia. – Septimo, omnia sidera errantia et fixa ex se spargent igneas comas sicut cometae. – Octavo, erit magnus terrae motus, ut omnia animalia prosternantur. – Nono, omnes lapides parvi et magni dividentur in quatuor partes, unaquaque aliam collidente. – Decimo, omnes plantae sanguineum fluent rorem. – Undecimo, omnes montes et colles et aedificia in pulverem redigentur. – Duodecimo, omnia animalia venient ad campos de silvis et montibus, rugientia et nihil gustantia. – Decimotertio, omnia sepulcra ab ortu solis usque ad occasum patebunt cadaveribus ad resurgendum. – Decimoquarto, omnes homines de habitaculis suis recedent, non intelligentes neque loquentes, sed discurrentes. – Decimoquinto, omnes morientur, et resurgent cum mortuis longe ante defunctis.

* Cf. s. Petr. Damian. Opuscul. LIX, de *Noviss. et Antichristo*, cap. IV. - Vid. corp. art., fin.

Respondeo dicendum quod Christus ad iudicandum veniens in forma gloriosa apparebit *, propter auctoritatem quae iudici debetur. Ad dignitatem autem iudiciariae potestatis pertinet habere aliqua indicia quae ad reverentiam et subiectionem inducant. Et ideo adventum Christi ad iudicium venientis multa signa praecedent, ut corda hominum in subiectionem venturi iudicis adducantur, et ad iudicium praeparentur huiusmodi signis praemoniti.

* Matth. cap. XVI, vers. 27.

Quae autem sint ista signa, de facili sciri non potest. Signa enim quae in Evangeliis leguntur *, ut Augustinus dicit, *ad Hesychium de Fine Mundi* *, non solum pertinent ad adventum Christi ad iudicium, sed etiam ad tempus destructionis Ierusalem, et ad adventum quo Christus con-

* Matth. cap. XXIV; Marc. cap. XIII; Luc. cap. XXI.
* Ep. CXCIX, al. LXXX, cap. IX, X.

tinue Ecclesiam suam visitat. Ita quod forte, si diligenter advertatur, nullum eorum invenitur ad futurum adventum pertinere, ut ipse dicit *: quia signa quae in Evangeliis tanguntur, sicut pugnae et terrores et huiusmodi, a principio humani generis fuerunt; nisi forte dicatur quod tunc temporis magis invalescent. Sed secundum quam mensuram crescentia vicinum adventum denuntient, incertum est.

* Cap. XI, n. 45.

Signa vero quae Hieronymus ponit *, non asserit, sed in annalibus Hebraeorum se ea scripta reperisse dicit. Quae etiam valde parum verisimilitudinis habent.

* Cf. arg. *Sed contra* 2.

Ad primum ergo dicendum, secundum Augustinum, in libro *ad Hesychium* praedicto *, quod circa finem mundi erit persecutio malorum contra bonos: unde simul aliqui timebunt, scilicet boni; et aliqui securi erunt, scilicet mali. Quod autem dicitur, *Cum dixerint, Pax et securitas,* etc., ad malos referendum est, qui signa futuri iudicii parvipendent. Ad bonos vero pertinet quod dicitur Luc. XXI *: *Arescentibus hominibus,* etc.

* In corpore. - Cap. XI.
* Vers. 26.

Vel potest dici quod omnia illa signa quae circa iudicium erunt, infra tempus iudicii computantur, ut sic dies iudicii omnia illa contineat. Unde, quamvis ex signis apparentibus circa diem iudicii homines terreantur, ante tamen quam signa illa apparere incipiant, in pace et securitate impii se esse credent, post mortem Antichristi non statim videntes mundum consummari, ut prius existimabant.

Ad secundum dicendum quod dies Domini dicitur *sicut fur* venire, quia ignoratur determinatum tempus, quod per signa illa cognosci non poterit. Quamvis etiam sub die iudicii comprehendi possint omnia illa manifestissima quae immediate praecedent, ut dictum est *.

* Resp. ad 1, *Vel potest.*

Ad tertium dicendum quod in primo adventu Christus venit occultus: quamvis determinatum tempus esset prius praecognitum a prophetis. Et ideo non oportebat huiusmodi signa in primo adventu apparere, sicut apparebunt in secundo adventu, in quo manifestus veniet: quamvis determinatum tempus sit occultum.

ART. II. UTRUM CIRCA IUDICIUM SECUNDUM REI VERITATEM SOL ET LUNA OBSCURANDI SINT

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod circa iudicium secundum rei veritatem sol et luna obscurentur. Quia, ut dicit Rabanus, *super Matth.* *, *nihil prohibet intelligere tunc temporis veraciter solem et lunam, cum sideribus ceteris, suo lumine privari: quo modo de sole constat factum esse tempore Dominicae passionis.*

* Ex Beda, *In Marci Evangel. Exposit.*, ad cap. XIII, vers. 24. - Cf. *Cat. Aur. in Matth.* cap. XXIV, vers. 29, nom. *Raban.*

2. Praeterea, lux corporum caelestium ad generationem inferiorum corporum ordinatur: quia per eam influunt in haec inferiora, et non solum per motum, ut dicit Averroes, in libro *de Substantia Orbis* *. Sed tunc generatio cessabit. Ergo nec lux in caelestibus corporibus remanebit.

* Cap. II. - Cf. *de Caelo,* lib. II, text. XLII.

3. Praeterea, inferiora corpora purgabuntur, ut quibusdam * videtur, a qualitatibus quibus agunt. Corpus autem caeleste non solum agit per motum, sed per lumen, ut dictum est *. Ergo, sicut motus caeli cessabit, ita lumen corporum caelestium.

* Cf. b. Albert. IV *Sent.*, dist. XLVII, art. 7.
* Arg. 2.

Sed contra est quod, secundum astrologos, sol et luna simul eclipsim pati non possunt. Sed illa obscuratio solis et lunae simul esse dicitur, Domino ad iudicium veniente. Ergo non erit obscuratio secundum rei veritatem, per modum eclipsis naturalis.

2. Praeterea, non congruit idem esse causam defectus alicuius rei et augmenti. Sed, veniente Domino, lux luminarium promittitur augenda: unde Isaiae XXX *, *Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis septempliciter.* Ergo non est conveniens quod, veniente Domino, lux illorum corporum cesset.

* Vers. 26.

Respondeo dicendum quod, si loquamur de sole et luna quantum ad ipsum momentum adventus Christi, sic non est credibile quod obscurentur sui luminis privatione: quia totus mundus innovabitur, Christo veniente et sanctis resurgentibus, ut dictum est *. Si autem loquamur de eis secundum tempus propinquum ante iudicium, sic esse poterit quod sol et luna et alia caeli luminaria sui luminis privatione obscurabuntur, vel diversis temporibus vel simul, divina virtute faciente ad hominum terrorem.

* Dist. XLVII, qu. II, art. 3, qu^a 1. - Cf. infra, qu. LXXIV, art. 7.

Ad primum ergo dicendum quod Rabanus loquitur quantum ad tempus iudicium praecedens.

Ad secundum dicendum quod lux est in corporibus caelestibus non solum ad causandum generationem in istis inferioribus, sed etiam ad eorum perfectionem et decorem. Unde non oportet quod, cessante generatione, lux corporum caelestium cesset, sed magis augeatur.

Ad tertium dicendum quod non videtur esse probabile quod qualitates elementares ab elementis removeantur, quamvis quidam hoc posuerint. Si tamen removerentur, non est simile de eis et de luce: eo quod qualitates elementares habent ad invicem contrarietatem, unde agunt corrumpendo; lux autem non est principium actionis per viam contrarietatis, sed per viam principii regulantis contraria et ad concordiam reducentis. – Nec est etiam simile de motu corporum caelestium. Motus enim est *actus imperfecti* *. Unde et tolli debet quando tolletur imperfectio. Quod de luce non potest dici.

* Aristot. *de Anima,* lib. II, cap. VII, n. 1. - S. Th. lect. XII.

ART. III. UTRUM VIRTUTES CAELORUM, DOMINO VENIENTE, COMMOVENDAE SINT

Resp. de Artic. XLII, art. 17; *Resp. de Artic.* XXXVI, art. 4; *In Matth.*, cap. XXIV.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod virtutes caelorum, Domino veniente, non commoveantur. *Virtutes* enim *caelorum* dici non possunt nisi angeli beati *. Sed immutabilitas est de ratione beatitudinis. Ergo moveri non poterunt.

* Cf. Bed. et Gloss. Interlin. in Matth. cap. XXIV, vers. 29.

2. Praeterea, admirationis causa est ignorantia, ut patet in principio *Metaphysicae* *. Sed, sicut ab angelis longe abest timor, ita et ignorantia: quia, ut dicit Gregorius *, *Quid est quod non videant qui videntem omnia vident?* Ergo non poterunt per admirationem moveri, ut in littera * dicitur.

* Lib. I, cap. II, n. 8, 11. - S. Th. lect. III.
* *Dialog.* lib. IV, cap. XXXIII; *Moral.* lib. II, cap. III.
* Dist. XLVIII, cap. *Veniente.*

3. Praeterea, omnes angeli divino iudicio adstabunt: unde *Apoc.* VII *, *Omnes angeli stabunt in circuitu throni.* Sed *virtutes* nominant unum specialem ordinem in angelis *. Ergo non potius de eis dici debuit quod moveantur quam de aliis angelis.

* Vers. 11.
* Cf. corp. art.

Sed contra est quod dicitur *Iob* XXVI *: *Columnae caeli pavent adventum eius.* Sed columnae caeli non possunt intelligi nisi virtutes caelorum. Ergo virtutes caelorum commovebuntur.

* Vers. 11.

2. Praeterea, Matth. XXIV * dicitur: *Stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum movebuntur.*

* Vers. 29; Luc. cap. XXI, vers. 26.

Respondeo dicendum quod *virtutes* in angelis dicuntur dupliciter: ut patet per Dionysium, XI cap. * *Cael. Hier.* Quandoque enim nomen *virtutum* uni ordini appropriatur *, qui secundum ipsum est medius mediae hierarchiae; secundum vero Gregorium * est supremus infimae hierarchiae. Alio modo accipitur communiter pro omnibus caelestibus spiritibus *. Et utroque modo potest accipi in proposito.

* § 1; cap. VIII, § 1.
* Cap. VIII, § 1.
* Homil. XXXIV *in Evang.*, n. 7.
* Dionys. *Cael. Hier.*, cap. XI, § 1.

In littera * enim exponitur prout accipitur secundo modo, scilicet pro omnibus angelis. Et tunc dicuntur moveri propter admirationem novitatis quae in mundo erit, sicut in littera * dicitur.

* Loc. cit. arg. 2.
* Ibid.

Potest etiam exponi prout *virtutes* est proprium nomen ordinis. Et tunc ordo ille dicitur moveri prae aliis ratione effectus. Quia illi ordini, secundum Gregorium *, attribuitur miracula facere, quae maxime circa illud tempus fient. – Vel quia ordo ille, cum sit de media hierarchia, secundum Dionysium *, non habet potentiam limitatam. Unde oportet quod eius ministerium sit circa causas universales. Unde proprium officium virtutum esse videtur corpora caelestia movere *, quae sunt causa eorum quae in natura inferiori aguntur *. Et hoc etiam ipsum nomen sonat, quia *virtutes caelorum* dicuntur *. Tunc ergo movebuntur, quia ab effectu suo cessabunt, ulterius corpora caelestia non moventes: sicut nec angeli qui sunt ad custodiam hominum deputati, ulterius custodiae officio vacabunt.

* Homil. XXXIV *in Evang.*, n. 10.
* Locis cit.
* Cf. *Cont. Gent.*, lib. III, cap. LXXX.
* Cf. Part. I, qu. CXV, art. 3.
* Cf. arg. *Sed contra* 2.

Ad primum ergo dicendum quod mutatio illa non variat aliquid quod ad eorum statum pertineat: sed refertur vel ad effectus eorum, qui immutari possunt sine eorum mutatione; vel ad novam rerum considerationem, quam prius secundum species concreatas videre non potuerant. Hanc

autem vicissitudinem cogitationum ab eis beatitudo non tollit. Unde dicit Augustinus * quod *Deus movet creaturam spiritualem per tempora.*

* *De Gen. ad litt.*, lib. VIII, cap. xx.

Ad secundum dicendum quod admiratio solet esse de his quae nostram conditionem excedunt vel facultatem. Et secundum hoc virtutes caelorum admirabuntur divinam virtutem talia facientem, inquantum ab eius imitatione et comprehensione deficiunt: per quem modum dixit Agnes quod *eius pulcritudinem sol et luna mirantur* *. Et sic non ponitur in angelo ignorantia, sed tollitur Dei comprehensio.

* *Vit. s. Agnet.*, cap. I, n. 3 (inter Opp. Ambros.). - Bolland. *Act. SS.*, die 21 Ianuar.

Ad tertium patet responsio ex dictis *.

* In corpore.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUARTA
DE IGNE ULTIMAE CONFLAGRATIONIS

Deinde considerandum est de igne ultimae conflagrationis mundi *.

* Cf. qu. LXIX, Introd.

Circa quod quaeruntur novem.

Primo: utrum aliqua mundi purgatio sit futura.
Secundo: utrum per ignem sit futura.
Tertio: utrum ille ignis sit eiusdem speciei cum igne elementari.
Quarto: utrum ignis ille sit caelos superiores purgaturus.
Quinto: utrum ille ignis sit alia elementa consumpturus.
Sexto: utrum omnia elementa sit purgaturus.
Septimo: utrum ille ignis praecedat iudicium vel sequatur.
Octavo: utrum per illum ignem consumendi sint homines.
Nono: utrum per eum involvendi sint reprobi.

ART. I. UTRUM ALIQUA MUNDI PURGATIO SIT FUTURA
IV *Cont. Gent.*, cap. XCVII.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod nulla mundi purgatio sit futura. Non enim purgatione indiget nisi quod est immundum. Sed creaturae Dei non sunt immundae: unde dicitur *Act.* x *: *Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris,* idest immundum. Ergo creaturae mundi non purgabuntur.

* Vers. 15.

2. Praeterea, purgatio secundum divinam iustitiam ordinatur ad auferendum immunditiam culpae: sicut patet de purgatione post mortem. Sed in elementis huius mundi nulla potest esse culpae infectio. Ergo videtur quod purgatione non indigeant.

3. Praeterea, unumquodque dicitur purgari quando separatur quod est extraneum ab ipso inducens in eo ignobilitatem: separatio enim eius quod nobilitatem inducit, non dicitur purgatio, sed magis diminutio. Sed hoc ad perfectionem et nobilitatem elementorum pertinet quod aliquid extraneae naturae est eis admixtum: quia forma corporis mixti est nobilior quam forma simplicis. Ergo videtur quod elementa huius mundi nullo modo convenienter purgari possint.

Sed contra, omnis innovatio fit per aliquam purgationem. Sed elementa innovabuntur: unde *Apoc.* XXI *, *Vidi caelum novum et terram novam: primum enim caelum et prima terra abiit.* Ergo elementa purgabuntur.

* Vers. 1.

2. Praeterea, I *Cor.* VII, super illud *, *Praeterit figura huius mundi,* dicit Glossa *: *Pulcritudo huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit.* Et sic idem quod prius.

* Vers. 31.
* Lomb. - Cf. art. 3, Arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum quod, quia mundus aliquo modo propter hominem factus est, oportet quod, quando homo per corpus glorificabitur, etiam alia mundi corpora ad meliorem statum mutentur, ut sit et locus convenientior et aspectus delectabilior. Ad hoc autem quod homo gloriam corporis consequatur, oportet prius removeri ea quae gloriae opponuntur. Quae sunt duo, scilicet corruptio, et infectio culpae: quia, ut dicitur I *Cor.* XV *, *corruptio incorruptelam non possidebit;* et a civitate gloriae omnes immundi *foris* erunt, *Apoc.* ult. * Et similiter etiam oportet elementa mundi purgari a contrariis dispositionibus antequam in novitate gloriae adducantur, proportionaliter ei quod de homine dictum est.

* Vers. 50.
* Vers. 15. - Cf. cap. XXI, vers. 27.

Quamvis autem res corporalis subiectum infectionis culpae proprie esse non possit, tamen ex culpa quaedam incongruitas in rebus corporalibus corruptis relinquitur ad hoc quod spiritualibus ditentur: et inde videmus quod loca in quibus aliqua crimina sunt commissa, non reputantur idonea ad aliqua sacra exercenda in eis, nisi purgatione quadam praemissa. Et secundum hoc, ex peccatis hominum quandam inidoneitatem ad gloriae susceptionem pars mundi recipit quae in usum nostrum cedit. Unde quantum ad hoc mundatione indiget. – Similiter etiam circa medium locum, propter elementorum contactum, multae sunt corruptiones et generationes, et alterationes elementorum, quae puritati eorum derogant. Et ideo ab his oportet elementa purgari, ad hoc quod decenter suscipiant novitatem gloriae.

Ad primum ergo dicendum quod, cum dicitur omnis creatura Dei esse munda *, hoc intelligendum est quia non habet in substantia sua alicuius malitiae commixtionem: sicut ponebant Manichaei, dicentes bonum et malum esse duas substantias alicubi divisas et alicubi commixtas *. Non autem removetur quin aliqua creatura habeat permixtionem naturae extraneae: quae etiam natura in se bona est, sed perfectioni huiusmodi creaturae repugnat. Similiter non removetur ex hoc quin malum alicui creaturae accidat: quamvis non sit permixtum ei quasi pars substantiae ipsius.

* Cf. I *ad Tim.*, cap. IV, vers. 4.
* Cf. Aug. *de Haeres.*, n. XLVI.

Ad secundum dicendum quod, quamvis elementa corporea subiectum culpae esse non possint, tamen ex culpa in eis commissa aliquam ineptitudinem possunt consequi ad perfectionem gloriae suscipiendam.

Ad tertium dicendum quod forma mixti et forma elementi possunt dupliciter considerari. Aut quantum ad perfectionem speciei: et sic corpus mixtum nobilius est. Aut quantum ad perpetuitatem durationis. Et sic corpus simplex nobilius est: quia non habet in seipso unde corrumpatur, nisi eius corruptio fiat ab aliquo exteriori; corpus autem mixtum in seipso habet causam corruptionis suae, scilicet compositionem contrariorum. Et ideo corpus simplex, etsi sit corruptibile secundum partem, est tamen incorruptibile secundum totum: quod de mixto dici non potest. Et quia incorruptio est de perfectione gloriae, perfectio corporis simplicis magis convenit perfectioni gloriae quam perfectio corporis mixti: nisi etiam corpus mixtum in se habeat aliquod incorruptionis principium, sicut humanum, cuius forma est incorruptibilis. Nihilominus tamen, quamvis aliquo modo corpus mixtum sit nobilius quam simplex, nobilius tamen esse habet corpus simplex secundum se existens quam existens in mixto: quia in mixto sunt corpora simplicia quodammodo in potentia; in seipsis autem existentia sunt in ultima sui perfectione.

ART. II. UTRUM HAEC PURGATIO SIT FUTURA PER IGNEM
IV *Cont. Gent.*, cap. XCVII.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod haec purgatio non sit futura per ignem. Ignis enim, cum sit pars mundi, purgatione indiget, sicut et aliae partes. Sed non debet esse idem purgans et purgatum. Ergo videtur quod ignis non purgabit.

2. Praeterea, sicut ignis habet virtutem purgativam, ita et aqua. Cum ergo non omnia sint purgabilia per ignem, sed quaedam necesse sit aqua purgari, sicut etiam vetus lex distinguit *; videtur quod ignis non purget ad minus universaliter.

* *Num.* cap. XXXI, vers. 22, 23.

3. Praeterea, purgatio ad hoc videtur pertinere ut partes mundi ab invicem segregatae puriores reddantur. Sed segregatio partium mundi ab invicem in mundi initio sola virtute divina facta est: quia ex hac opus distinctionis determinatur *. Unde et Anaxagoras segregationem posuit actum intellectus moventis omnia *. Ergo videtur quod in fine mundi purgatio fiat immediate a Deo, et non per ignem.

* Vide Part. I, qu. XLVII, art. 1.
* Cf. Arist. *Physic.* lib. VIII, cap. IX, n. 3. - S. Th. lect. XX.

Sed contra est quod in Psalmo * dicitur: *Ignis in conspectu eius exardebit, et in circuitu eius tempestas valida:* et postea * sequitur de iudicio, *Advocabit caelum desursum et terram discernere populum suum.* Ergo videtur quod ultima purgatio mundi sit futura per ignem.

* Ps. XLIX, vers. 3.
* Vers. 4.

2. Praeterea, II Pet. ult. * dicitur: *Caeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent.* Ergo illa purgatio per ignem fiet.

* Vers. 12.

Respondeo dicendum quod illa mundi purgatio removebit a mundo infectionem ex culpa relictam, et impuritatem commixtionis, et erit dispositio ad gloriae perfectionem *. Et ideo quantum ad haec tria convenientissime fiet per ignem purgatio. Primo, quia ignis, cum sit nobilissimum elementorum, habet naturales proprietates similiores proprietatibus gloriae: ut maxime patet de luce. – Secundo, quia ignis non ita recipit commixtionem extranei, propter efficaciam virtutis activae, sicut alia elementa. – Tertio, quia sphaera ignis est remota a nostra habitatione *, nec ita communis est nobis usus ignis sicut terrae, aquae et aeris. Unde non ita inficitur. – Et praeter hoc, habet magnam efficaciam ad purgandum et ad dividendum subtiliando.

* Cf. art. praeced.
* Cf. Arist. *Physic.* lib. IV, cap. v, n. 3, s. Th. lect. vii; *de Cael.* lib. II, cap. ix, n. 4, s. Th. lect. xiv.

Ad primum ergo dicendum quod ignis non venit in usum nostrum prout est in materia propria, sic enim remotus est a nobis *: sed solum prout est in materia aliena. Et quoad hoc, poterit per ignem in sua puritate existentem purgari iste ignis quantum ad hoc quod habet de extraneo adiunctum.

* Cf. ibid.

Ad secundum dicendum quod purgatio mundi quae facta est per diluvium, non respiciebat nisi infectionem peccati *. Praecipue autem tunc regnabat peccatum concupiscentiae *. Et ideo convenienter per contrarium purgatio facta fuit, scilicet per aquam. Sed secunda purgatio respicit et infectionem culpae et commixtionis impuritatem. Et quantum ad utrumque convenit magis quod fiat per ignem quam per aquam. Aqua enim non habet vim disgregandi, sed magis aggregandi. Unde per aquam naturalis impuritas elementorum tolli non posset sicut per ignem. – Similiter etiam circa finem mundi regnabit vitium tepiditatis, quasi mundo iam senescente: quia, ut dicitur Matth. xxiv *, tunc *refrigescet caritas multorum.* Unde tunc convenienter purgatio per ignem fiet.

* *Gen.* cap. vi, vers. 5 sqq.
* Ibid., vers. 2, 4, 12.
* Vers. 12.

Nec est aliquid quod igne purgari non possit aliquo modo. Sed quaedam sunt quae sine sui corruptione per ignem non possunt purgari: sicut panni et vasa lignea et huiusmodi. Et talia lex praecipit purgari per aquam. Quae tamen finaliter omnia corrumpentur per ignem.

Ad tertium dicendum quod per opus distinctionis sunt rebus diversae formae collatae, quibus ad invicem distinguuntur. Et ideo hoc fieri non potuit nisi per eum qui est Auctor naturae *. Sed per finalem purgationem reducentur res ad puritatem in qua conditae fuerunt. Et in hoc poterit natura creata exhibere ministerium Creatori. Et propter hoc ministerium creaturae committitur, quia hoc ad eius nobilitatem cedit.

* Part. I, qu. xlvii, art. 1.

Art. III. Utrum ille ignis sit eiusdem speciei cum igne elementari

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod ille ignis non sit eiusdem speciei cum igne elementari. Nihil enim seipsum consumit. Sed *ille ignis quatuor elementa consumet:* ut dicit Glossa *, II Pet. ult. ** Ergo ignis ille non erit eiusdem speciei cum igne elementari.

* Ord. ex Bed.
** Vers. 10.

2. Praeterea, sicut virtus manifestatur per operationem, ita natura per virtutem. Sed ille ignis habebit aliam virtutem ab igne qui est elementum: quia scilicet purgabit universum, quod ignis iste facere non potest. Ergo non erit eiusdem speciei cum isto.

3. Praeterea, ea quae sunt eiusdem speciei in corporibus naturalibus, habent eundem motum. Sed ille ignis habebit alium motum quam ignis elementum: quia circumquaque movebitur, ut totum purgare possit. Ergo ignis ille non est eiusdem speciei cum isto.

Sed contra est quod Augustinus dicit, XX *de Civ. Dei* *, et habetur in Glossa *, I *Cor.* vii **, quod *figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit.* Ergo ignis ille erit de natura ignis qui nunc est in hoc mundo.

* Cap. xvi.
* Lomb.
** Vers. 31.

2. Praeterea, sicut futura purgatio erit per ignem, ita praecedens fuit per aquam *: et utraque ad invicem comparantur, II Pet. iii *. Sed in prima purgatione fuit aqua eiusdem speciei cum aqua elementari *. Ergo et similiter erit in secunda purgatione ignis eiusdem speciei cum igne elementari.

* *Gen.* cap. vii.
* Vers. 5 sqq.
* Cf. Aug. loc. cit.

Respondeo dicendum quod circa hoc inveniuntur tres opiniones. Quidam enim dicunt quod elementum quod est in sphaera sua, descendet ad purgationem mundi. Modum autem descensionis ponunt per multiplicationem. Ignis enim, undique apposito combustibili, augmentatur. Et hoc praecipue tunc fiet, quando virtus ignis exaltabitur super omnia alia elementa.

Sed contra hoc esse videtur quod ignis ille non tantum descendet, sed etiam a Sanctis ascendere perhibetur: ut patet II Pet. iii *, ubi videtur quod *tantum ascendet iudicii ignis quantum aquae diluvii;* ex quo videtur quod ille ignis sit circa locum medium generationis.

* Vers. 10. - Gloss. Interlin. ex Bed. - Cf. Mag., dist. xlvii, cap. *Cum autem.*

Et propter hoc alii dicunt quod ignis ille generabitur circa locum terrae ex congregatione radiorum caelestium corporum: sicut videmus quod congregantur in speculo comburente. Tunc autem loco speculorum erunt nubes concavae, ad quas fiet radiorum reverberatio.

Sed hoc etiam non videtur conveniens. Quia, cum effectus corporum caelestium sequantur determinatos situs et aspectus eorum, si ex virtute corporum caelestium ignis ille generaretur, esset notum tempus illius purgationis considerantibus motus astrorum. Quod auctoritati Scripturae repugnat *.

* Matth. cap. xxiv, vers. 36.

Et ideo alii * dicunt, sequentes Augustinum, quod, *sicut mundanarum aquarum inundatione factum est diluvium, ita mundanorum ignium conflagratione figura huius mundi peribit,* ut dicitur XX *de Civ. Dei* *. Ista autem conflagratio nihil aliud est quam congregatio omnium causarum inferiorum et superiorum quae ex natura sua habent virtutem igniendi; quae quidem congregatio non naturali cursu rerum, sed virtute divina fiet; et ex omnibus istis causis sic congregatis generabitur ignis qui faciem huius mundi exuret.

* S. Bonav. IV *Sent.*, dist. xlvii, art. 2, qu. 1.
* Cf. arg. *Sed contra* 1.

Si autem hae opiniones directe considerentur, inveniuntur diversificari quantum ad causam generationis illius ignis, et non quantum ad speciem eius. Ignis enim generatus a sole vel ab inferiori calefaciente, est eiusdem speciei cum igne qui est in sua sphaera, nisi inquantum admiscetur ei de materia aliena. Quod quidem tunc oportebit: quia ignis non potest aliquid purgare nisi secundum quod alterum efficitur materia eius aliquo modo. Unde simpliciter concedendum est quod ignis ille erit eiusdem speciei cum isto.

Ad primum ergo dicendum quod ignis ille, quamvis sit eiusdem speciei cum igne qui apud nos est, non tamen est idem numero. Videmus autem quod duorum ignium eiusdem speciei unus alterum destruit, maior scilicet minorem, consumendo materiam eius. Et similiter etiam ille ignis ignem qui apud nos est, consumere poterit.

Ad secundum dicendum quod, sicut operatio quae procedit a virtute est virtutis indicium, ita et virtus est indicium essentiae vel naturae quae procedit a principiis essentialibus rei. Operatio autem quae non procedit ex virtute rei operantis, non indicat virtutem ipsius: sicut patet in instrumentis. Actio enim instrumenti magis manifestat virtutem moventis quam virtutem instrumenti: quia virtutem agentis manifestat ut primum operationis principium; virtutem autem instrumenti non manifestat nisi quatenus est susceptivum influentiae principalis agentis secundum quod movetur ab eo. Similiter etiam virtus quae non procedit ex principiis essentialibus rei, non manifestat naturam eius nisi quantum ad susceptibilitatem: sicut virtus qua aqua calefacta potest calefacere, non manifestat naturam eius nisi quantum ad calefactibilitatem. Et ideo nihil prohibet quin aqua habens hanc virtutem sit eiusdem speciei cum aqua non habente virtutem istam. Similiter non est inconveniens quod ignis ille, qui habebit vim purgandi faciem mundi, sit eiusdem speciei cum igne qui est apud nos: cum vis calefactiva non oriatur in ipso ex principiis essentialibus, sed ex divina operatione; sive dicatur quod illa virtus sit aliqua qualitas absoluta, sicut calor in aqua calefacta; sive sit intentio quaedam, sicut

* Qu. I, art. 4, qu^a 2, 4.

de instrumentali virtute in prima distinctione * dictum est. Et hoc probabilius est: quia ignis ille non aget nisi ut instrumentum divinae virtutis.

Ad tertium dicendum quod ignis ex propria natura non fertur nisi sursum: sed inquantum sequitur materiam quam requirit extra propriam sphaeram existens, sic sequitur materiae combustibilis situm. Et per modum istum non est inconveniens quod vel in circuitu vel in deorsum moveatur: et praecipue secundum quod agit ut instrumentum divinae virtutis.

ART. IV. Utrum ignis ille purgaturus sit etiam caelos superiores

IV *Cont. Gent.*, cap. xcvii; *Ad Heb.*, cap. xii, lect. v.

* Ps. ci, vers. 26, 27.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod ignis ille purgabit etiam caelos superiores. Quia in Psalmo * dicitur: *Opera manuum tuarum sunt caeli: ipsi peribunt, tu autem permanes.* Sed etiam superiores caeli sunt opera manuum Dei. Ergo et ipsi in finali mundi conflagratione peribunt.

* Vers. 12.

2. Praeterea, II Pet. iii * dicitur: *Caeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent.* Caeli autem qui ab elementis distinguuntur, sunt caeli superiores, quibus fixa sunt sidera. Ergo videtur etiam quod illi per ignem illum purgabuntur.

* Cf. art. 1, 2.
* Cf. Part. I, qu. lxvi, art. 3.
* Vers. 22.
* Lomb. ex *Comment. in Ep. ad Rom.*, inter Opp. Ambros.

3. Praeterea, ignis ille ad hoc erit ut removeat a corporibus indispositionem ad perfectionem gloriae *. Sed in caelo superiori invenitur indispositio et ex parte culpae, quia diabolus ibi peccavit *; et ex parte naturalis defectus, quia *Rom.* viii, super illud *, *Scimus quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc,* dicit Glossa *: *Omnia elementa cum labore explent officia sua: sicut sol et luna non sine labore statuta implent sibi spatia.* Ergo etiam caeli purgabuntur per ignem illum.

* *Sentent. Philosoph. ex Aristot. collect.*, litt. C. - Inter Opp. Bedae.
* Vers. 8.
* Lomb. ex Haym. - Cf. Interlin. et Ord. sine nom.
* Vers. 20.

Sed contra est quod *corpora caelestia peregrinae impressionis receptiva non sunt* *.

2. Praeterea, super illud II *Thessal.* i *, *In flamma ignis dantis vindictam,* dicit Glossa *: *Ignis erit in mundo, qui praecedet eum, tantum spatium aeris occupans quantum occupavit aqua in diluvio.* Sed aqua diluvii non ascendit usque ad superiores caelos, sed solum *quindecim cubitis super altitudinem montium,* ut habetur *Genes.* vii *. Ergo caeli superiores illo igne non purgabuntur.

* Cf. arg. 3.

Respondeo dicendum quod purgatio mundi ad hoc erit ut removeatur a corporibus dispositio contraria perfectioni gloriae *, quae quidem perfectio est ultima rerum consummatio. Et haec quidem dispositio in omnibus corporibus invenitur, sed diversimode in diversis. In quibusdam enim invenitur indispositio secundum aliquid inhaerens substantiae eorum: sicut in istis corporibus inferioribus, quae per mutuam mixtionem decidunt a propria puritate. In quibusdam vero corporibus invenitur indispositio non per aliquid substantiae eorum inhaerens: sicut in corporibus caelestibus, in quibus nihil invenitur repugnans ultimae perfectioni universi nisi motus, qui est via ad perfectionem; nec motus quilibet, sed localis tantum, qui non variat aliquid quod sit intrinsecum rei, ut substantiam aut quantitatem aut qualitatem, sed solum locum, qui est extra rem. Et ideo a substantia caeli superioris non oportet quod aliquid removeatur, sed oportet quod motus eius quietetur. Quietatio autem motus localis non fit per actionem alicuius contrarii agentis, sed per hoc quod motor desistit a movendo. Et ideo caelestia corpora nec per ignem nec per alicuius creaturae actionem purgabuntur, sed ipsa eorum quietatio, sola voluntate divina accidens, eis loco purgationis erit.

* Capp. xviii, xxiv.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Augustinus dicit, XX *de Civ. Dei* *, verba illa Psalmi sunt intelligenda de *caelis aereis,* qui purgabuntur per ignem ultimae conflagrationis.

Vel dicendum quod, si etiam de superioribus caelis intelligatur, tunc dicuntur perire quantum ad motum, quo nunc continue moventur.

* Vers. 5 sqq.

Ad secundum dicendum quod Petrus se exponit de quibus caelis intelligat. Praemiserat enim * ante verba inducta quod *caeli prius et terra per aquam perierant qui nunc sunt eodem verbo repositi, igni reservati in diem iudicii.* Ergo illi caeli per ignem purgabuntur qui prius per aquam diluvii sunt purgati, scilicet caeli aerii.

* Luc. cap. x, vers. 18; *Apoc.* cap. xii, vers. 7 sqq.

Ad tertium dicendum quod ille labor et illa servitus creaturae quae corporibus caelestibus secundum Ambrosium attribuitur, nihil est aliud quam vicissitudo motus, ratione cuius tempori subiiciuntur, et defectus ultimae consummationis, quae finaliter in eis erit. Ex culpa etiam daemonum caelum empyreum infectionem non contraxit: quia peccando statim de caelo expulsi sunt *.

ART. V. Utrum ignis ille alia elementa consumpturus sit

IV *Cont. Gent.*, cap. xcvii.

* Ord.
* Vers. 10.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod ignis ille alia elementa consumet. Quia, ut dicit Glossa * Bedae, II Pet. ult. *, *elementa quatuor, quibus mundus consistit, ille maximus ignis absumet. Nec cuncta in tantum consumet ut non sint: sed duo ex toto consumet, duo vero in meliorem restituet faciem.* Ergo videtur quod ad minus duo elementa per ignem illum destruenda sint totaliter.

* Vers. 1.
* *De Civit. Dei,* lib. XX, cap. xviii.
* *Gen.* cap. i, vers. 10.

2. Praeterea, *Apoc.* xxi *: *Primum caelum et prima terra abiit, et mare iam non est.* Sed per *caelum* aer intelligitur, ut Augustinus dicit *. Mare autem est *aquarum congregatio* *. Ergo videtur quod illa tria elementa totaliter destruentur.

* Cf. art. 3, in fin. corp.

3. Praeterea, ignis non purgat nisi secundum hoc quod alia efficiuntur materia eius *. Si ergo ignis purgat alia elementa, oportet quod eius materia efficiantur. Ergo oportet quod in naturam ignis transeant. Et sic a natura sua corrumpentur.

4. Praeterea, forma ignis est nobilissima formarum ad quam perduci possit elementaris materia. Sed per illam purgationem omnia in nobilissimum statum mutabuntur. Ergo alia elementa in ignem totaliter convertentur.

* Gloss. Interlin.
** Vers. 31.

Sed contra est quod dicitur * I *Cor.* vii, super illud **, *Praeterit figura huius mundi: Pulcritudo, non substantia praeterit.* Sed ipsa substantia elementorum pertinet ad perfectionem mundi. Ergo elementa non consumentur secundum suam substantiam.

2. Praeterea, illa finalis purgatio, quae fiet per ignem, respondebit primae purgationi, quae facta est per aquam. Sed illa non corrupit elementorum substantiam. Ergo nec illa quae fiet per ignem corrumpet.

* Vers. 1.

Respondeo dicendum quod circa hanc quaestionem est multiplex opinio. Quidam enim dicunt quod omnia elementa manebunt quantum ad materiam, omnia autem mutabuntur quantum ad imperfectionem; sed duo eorum retinebunt propriam formam substantialem, scilicet aer et terra; in duobus vero, scilicet in igne et aqua, non remanebit forma substantialis eorum, sed mutabuntur ad formam caeli; et sic tria elementa, scilicet ignis, aer et aqua, caelum dicentur; quamvis aer retineat formam substantialem eandem quam nunc habet, quia nunc etiam caelum dicitur. Unde etiam *Apoc.* xxi * non fit mentio nisi de caelo et terra: *Vidi,* inquit, *caelum novum et terram novam.*

* Ps. cxlviii, vers. 7, 8.

Sed haec opinio est omnino absurda. Repugnat enim et philosophiae, secundum quam poni non potest quod corpora inferiora sint in potentia ad formam caeli, cum nec materiam habeant communem, nec contrarietatem ad invicem; et etiam theologiae, quia secundum hanc propositionem non salvabitur perfectio universi cum integritate suarum partium, duobus elementis sublatis. Unde per hoc quod dicit *caelum,* intelligitur quintum corpus; omnia vero elementa intelliguntur per terram, sicut in Psalmo *: *Laudate Dominum de terra,* et sequitur, *ignis, grando, nix, glacies,* etc.

* B. Albert. IV *Sent.*, dist. xlviii, art. 7.
* Cap. xvi.

Et ideo alii dicunt quod omnia elementa manebunt secundum substantiam, sed qualitates activae et passivae ab eis removebuntur *. Sicut etiam ponunt quod in corpore mixto elementa salvantur secundum suas formas substantiales sine hoc quod proprias qualitates habeant: cum sint in medium reductae, et medium neutrum extremorum est. Et huic etiam videtur consonare quod Augustinus dicit, XX *de Civ. Dei* *: *Illa conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates quae corporibus*

nostris congruebant, ardendo penitus interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit quae corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant.

Sed illud non videtur probabile, cum qualitates propriae elementorum sint effectus formarum substantialium, quod, formis substantialibus manentibus, qualitates praedictae possunt mutari, nisi per actionem violentam ad tempus: sicut in aqua calefacta videmus quod ex vi suae speciei frigiditatem recuperat, quam per actionem ignis amisit, dummodo species aquae remaneat. – Et praeterea ipsae qualitates elementares sunt de perfectione secunda elementorum, sicut propriae passiones eorum: nec est probabile quod in illa finali consummatione aliquid perfectionis naturalis ab elementis tollatur.

Et ideo videtur dicendum quod manebunt elementa quantum ad substantiam et qualitates eorum proprias, sed purgabuntur ab infectione quam ex peccatis hominum contraxerunt, et ab impuritate quae per actionem et passionem mutuam in eis accidit: quia iam, cessante motu primi mobilis, in inferioribus elementis mutua actio et passio esse non poterit. Et hoc Augustinus appellat * *qualitates corruptibilium elementorum,* scilicet innaturales dispositiones eorum, secundum quas corruptioni appropinquant.

* Vide supra.

Ad primum ergo dicendum quod ignis ille dicitur quatuor elementa absumere, inquantum ea aliquo modo purgabit. Quod autem sequitur, *duo ex toto consumet,* non est intelligendum quod duo elementa secundum substantiam destruantur: sed quia duo magis removebuntur a proprietate quam nunc habent. Quae quidem duo a quibusdam dicuntur esse ignis et aqua, quae maxime excedunt in qualitatibus activis, scilicet calore et frigore, quae sunt maxime corruptionis principia in aliis corporibus. Et quia tunc non erit actio ignis et aquae, quae sunt maxime activa, maxime immutari videbuntur a virtute quam nunc habent. – Alii vero dicunt haec duo esse aerem et aquam, propter varios motus istorum duorum elementorum, quos consequuntur ex motu corporum caelestium. Et quia isti motus non erunt, sicut fluxus et refluxus maris et commotiones ventorum et huiusmodi, ideo ista elementa maxime mutabuntur a proprietate quam nunc habent.

Ad secundum dicendum quod, sicut dicit Augustinus, XX *de Civ. Dei* *, cum dicitur, *et mare iam non est,* per *mare* potest intelligi praesens saeculum, de quo supra parum ante * dixerat, *Mare dedit mortuos suos.* – Si tamen ad mare ad litteram referamus, tunc est dicendum quod in mari duo intelliguntur: scilicet substantia aquarum; et earum dispositio quantum ad salsedinem et commotiones fluctuum. Et quantum ad hoc secundum mare non remanebit, remanebit autem quantum ad primum.

* Cap. xvi.

* *Apoc.* cap. xx, vers. 13.

Ad tertium dicendum quod ignis ille non aget nisi ut instrumentum providentiae et virtutis divinae. Unde non aget in alia elementa usque ad eorum consumptionem, sed solum usque ad purgationem. Nec oportet quod illud quod efficitur materia ignis, totaliter a specie propria corrumpatur: sicut patet in ferro ignito, quod, a loco ignitionis remotum, ex virtute speciei remanentis ad proprium statum et pristinum redit. Et ita etiam erit de elementis per ignem purgatis.

Ad quartum dicendum quod in partibus elementorum non oportet considerari solum quid congruat alicui parti secundum se acceptae: sed etiam quid congruat secundum ordinem ad totum. Dico ergo quod, quamvis aqua esset nobilior si haberet formam ignis, similiter terra et aer, universum tamen esset imperfectius si tota elementorum materia formam ignis assumeret.

ART. VI. UTRUM OMNIA ELEMENTA PER ILLUM IGNEM PURGANDA SINT

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod nec omnia elementa per illum ignem purgabuntur. Quia ignis ille, ut iam dictum est *, non ascendet nisi quantum ascendit aqua diluvii. Sed aqua diluvii non pervenit usque ad sphaeram ignis. Ergo nec per ultimam purgationem elementum ignis purgabitur.

* Art. 4, arg. *Sed contra* 2.

2. Praeterea, *Apoc.* xxi, dicit Glossa *, super illud **, *Vidi caelum novum* etc.: *Immutatio aeris et terrae dubitabile non est quin per ignem fiet. Sed de aqua dubitatur: nam purgationem in seipsa habere creditur.* Ergo ad minus non est certum quod omnia elementa purgentur.

* Ord. ** Vers. 1.

3. Praeterea, locus qui est perpetuae infectionis, nunquam purgatur. Sed in inferno erit perpetua infectio. Cum ergo infernus inter elementa collocetur, videtur quod elementa non totaliter purgentur.

4. Praeterea, paradisus terrestris in terra continetur. Sed ille non purgabitur per ignem: quia etiam nec aquae diluvii illuc ascenderunt, ut Beda dicit *, et habetur in Secundo *Sententiarum* *. Ergo videtur quod non omnia elementa totaliter purgentur.

* *Hexaem.* lib. I, ad *Gen.* cap. ii, vers. 8. – Cf. Gloss. Ord. Strabi, ibid.

* Dist. xvii, cap. *Hominem autem.*

Sed contra est glossa supra * inducta, quae habetur II Pet. ult. *, quod *quatuor elementa ignis ille absumet.*

* Art. praeced., arg. 1.

* Vers. 10.

Respondeo dicendum quod quidam * dicunt quod ille ignis ascendet usque ad summitatem spatii continentis quatuor elementa, ut sic elementa totaliter purgentur et ab infectione peccati, quo etiam superiores partes elementorum sunt infectae, ut patet per fumum idololatriae superiora inficientis; et etiam a corruptione, quia elementa secundum omnes partes sui corruptibilia sunt.

* S. Bonav. IV *Sent.*, dist. xlvii, art. 2, qu. 3.

Sed haec opinio repugnat auctoritati Scripturae: quia II Pet. iii * dicitur quod illi caeli *repositi sunt igni* qui fuerunt per aquam purgati. Et Augustinus dicit, XX *de Civ. Dei* *, quod *ille mundus qui diluvio periit, igni reservatur.* Constat autem quod aqua diluvii non ascendit usque ad summitatem spatii elementorum, sed solum usque ad *quindecim cubitos super altitudinem montium* *.

* Vers. 5 sqq.

* Cap. xviii.

* *Gen.* cap. vii, vers. 20.

Et praeterea notum est quod vapores elevati, vel fumi quicumque, non possunt transire per totam sphaeram ignis, ut perveniant ad summitatem eius. Et ita infectio peccati non venit usque ad spatium praedictum.

A corruptibilitate etiam elementa non possunt purgari per subtractionem alicuius quod per ignem possit consumi: sed per ignem poterunt consumi impuritates elementorum, quae ex eorum permixtione proveniunt. Huiusmodi autem impuritates praecipue sunt circa terram usque ad medium aeris interstitium. Unde usque ad illud spatium ignis ultimae conflagrationis elementa purgabit. Tantum enim etiam aquae diluvii ascenderunt: quod probabiliter aestimari potest ex montium altitudine, quos determinata mensura transcenderant.

Primum ergo concedimus.

Ad secundum dicendum quod ratio dubitationis in Glossa exprimitur: quia scilicet *aqua virtutem purgationis in se habere creditur.* Non tamen habet vim purgationis talis qualis futuro statui competit, ut ex dictis * patet.

* Art. 2, ad 2.

Ad tertium dicendum quod illa purgatio praecipue ad hoc erit ut quidquid est imperfectionis a sanctorum habitatione removeatur *. Et ideo in illa purgatione totum quod est foedum ad locum damnatorum congregabitur. Unde infernus non purgabitur: sed ad ipsum deducentur totius mundi purgamenta.

* Art. 1.

Ad quartum dicendum quod, quamvis peccatum primi hominis in terrestri paradiso sit commissum, non tamen locus ille est locus peccantium, sicut nec caelum empyreum: ex utroque enim loco homo et diabolus statim post peccatum sunt eiecti *. Unde locus ille purgatione non indiget.

* *Gen.* cap. iii, vers. 24; Luc. cap. x, vers. 18; *Apoc.* cap. xii, vers. 7 sqq.

ART. VII. UTRUM IGNIS ULTIMAE CONFLAGRATIONIS IUDICIUM DEBEAT SEQUI

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod ignis ultimae conflagrationis iudicium debet sequi. Augustinus enim, XX *de Civ. Dei* *, hunc ordinem ponit eorum quae in iudicio sunt futura, dicens: *In illo iudicio, vel circa illud iudicium, has res didicimus esse venturas: Eliam Thesbiten, Iudaeorum fidem, Antichristum persecuturum, Christum iudicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque divisionem, mundi conflagrationem, eiusdemque renovationem.* Ergo conflagratio iudicium sequetur.

* Cap. xxx, n. 5.

2. Praeterea, Augustinus dicit, in eodem libro *: *Iudicatis impiis et in ignem aeternum missis, figura huius*

* Cap. xvi.

mundi mundanorum ignium conflagratione peribit. Ergo idem quod prius.

3. Praeterea, Dominus ad iudicandum veniens aliquos vivos reperiet: ut patet ex hoc quod habetur I *Thessal.* iv *, ubi ex persona eorum Apostolus dicit: *Deinde nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini,* etc. Sed hoc non esset si conflagratio mundi praecederet: quia per ignem resolverentur. Ergo ignis ille iudicium sequetur.

* Vers. 14 sqq.

4. Praeterea, Dominus dicitur iudicaturus orbem per ignem *. Et ideo conflagratio finalis videtur esse executio divini iudicii. Sed executio sequitur iudicium. Ergo ille ignis iudicium sequetur.

* II *ad Thessal.*, cap. i, vers. 7, 8; Offic. Defunct., resp. ix ad Matutin.

Sed contra est quod dicitur in Psalmo *: *Ignis ante ipsum praecedet.*

* Ps. xcvi, vers. 3.

2. Praeterea, resurrectio praecedet iudicium: alias non *videret omnis oculus* Christum iudicantem *. Sed mundi conflagratio resurrectionem praecedet. Sancti enim qui resurgent, corpora spiritualia et impassibilia habebunt, et ita non poterunt purgari per ignem: cum tamen in littera * dicatur, ex verbis Augustini *, quod *per illum ignem purgabitur si quid in aliquibus sit purgandum.* Ergo ille ignis iudicium praecedet.

* Cf. *Apoc.* cap. i. vers. 7.
* Dist. xlvii, cap. *Cum autem.*
* Vid. *de Civ. Dei* lib. XVI, cap. xxiv; lib. XX, cap. xviii.

Respondeo dicendum quod illa conflagratio, secundum rei veritatem, quantum ad sui initium iudicium praecedet. Quod ex hinc manifeste colligitur quod mortuorum resurrectio iudicium praecedet. Quod patet ex hoc quod dicitur I *Thessal.* iv *, quod illi etiam *qui dormierunt, rapientur in nubibus in aera obviam Christo* ad iudicium venienti. Simul autem erit resurrectio communis, et corporum sanctorum glorificatio: sancti enim resurgentes corpora gloriosa resument, ut patet per illud quod dicitur I *Cor.* xv *, *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Simul autem cum corpora sanctorum glorificabuntur, etiam tota creatura suo modo renovabitur: ut patet per illud quod dicitur *Rom.* viii *, quod *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* Cum ergo conflagratio mundi sit dispositio ad renovationem praedictam, ut ex dictis * patet, manifeste potest colligi quod illa conflagratio quoad purgationem mundi iudicium praecedet. Sed quoad aliquem actum, qui scilicet est involvere malos, iudicium sequetur *.

* Vers. 14, 16.
* Vers. 43.
* Vers. 21.
* Art. 1, 4.
* Cf. art. 9.

Ad primum ergo dicendum quod Augustinus non loquitur determinando, sed opinando. Quod patet ex hoc quod sequitur: *Quae omnia quidem ventura esse credendum est: sed quibus modis et quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia quam nunc ad perfectum hominis intelligentia valeat consequi. Aestimo tamen eo quo a me commemorata sunt ordine esse ventura.* Ergo patet quod haec dixit opinando.

Et similiter dicendum est ad secundum.

Ad tertium dicendum quod omnes homines morientur et resurgent. Sed tamen illi dicuntur vivi reperiri qui usque ad tempus conflagrationis vivent in corpore.

Ad quartum dicendum quod ille ignis non consequitur sententiam iudicis nisi quoad involutionem malorum. Et quantum ad hoc sequetur iudicium.

ART. VIII. utrum ille ignis habiturus sit talem effectum in hominibus qualis designatur

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod ille ignis non habebit talem effectum in hominibus qualis designatur *. Illud enim *consumi* dicitur quod reducitur in nihilum. Sed corpora impiorum non resolventur in nihilum, sed in aeternum conservabuntur, ut aeternam poenam sustineant. Ergo ignis non erit *malis consumptio,* ut in littera * dicitur.

* Dist. xlvii, cap. *Cum autem.*
* Ibid.

2. Si dicatur quod consumet malorum corpora inquantum ea resolvet in cinerem: contra. Sicut corpora malorum, ita et bonorum in cinerem resolventur: hoc enim est Christi privilegium, ut *caro eius non videat corruptionem* *. Ergo etiam bonis tunc repertis erit consumptio.

* *Act.* cap. ii, vers. 27, 31; cap. xiii, vers. 35. - Cf. Ps. xv, vers. 10.

3. Praeterea, infectio peccati magis abundat in elementis secundum quod veniunt ad compositionem humani corporis, in quo est corruptio fomitis etiam quantum ad bonos, quam in elementis extra corpus humanum existentibus. Sed elementa extra corpus humanum existentia purgabuntur propter peccati infectionem. Ergo multo fortius oportet per ignem purgari elementa in corporibus humanis existentia sive bonorum sive malorum. Et ita oportet utrorumque corpora resolvi.

4. Praeterea, quandiu status viae durat, elementa similiter agent in bonos et in malos. Sed adhuc durabit status huius viae in illa conflagratione: quia post statum huius viae non erit mors naturalis, quae tamen per illam conflagrationem causabitur. Ergo ille ignis aequaliter aget in bonos et malos. Et ita videtur quod non sit aliqua discretio inter eos quantum ad effectum illius ignis suscipiendum, sicut in littera ponitur *.

* Loc. cit. supra.

5. Praeterea, illa conflagratio quasi in momento perficitur *. Sed multi invenientur vivi, in quibus erunt multa purgabilia. Ergo illa conflagratio non sufficiet ad eorum purgationem.

* Cf. I *ad Cor.*, cap. xv, vers. 52.

Respondeo dicendum quod ignis ille finalis conflagrationis, quantum ad hoc quod iudicium praecedet *, aget ut instrumentum divinae iustitiae, et iterum per virtutem naturalem ignis. Quantum ergo pertinet ad virtutem naturalem ipsius, similiter aget in bonos et malos qui vivi reperientur, utrorumque corpora in cinerem resolvendo. Inquantum vero aget ut instrumentum divinae iustitiae, diversimode aget in diversos quantum ad sensum poenae. Mali enim per actionem ignis cruciabuntur. – Boni vero in quibus nihil purgandum invenietur, omnino nullum dolorem ex igne sentient, sicut nec pueri senserunt in camino, Dan. iii *: quamvis eorum corpora non serventur integra, sicut puerorum servata fuerunt *. Et hoc divina virtute fieri poterit, ut sine doloris cruciatu resolutionem corporum patiantur. – Boni vero in quibus aliquid purgandum reperietur, sentient cruciatum doloris ex illo igne plus vel minus pro meritorum diversitate.

* Cf. art. praec.
* Vers. 50.
* Vers. 92, 94.

Sed quantum ad actum quem post iudicium ille ignis habebit, in damnatos tantum aget: quia omnes boni habebunt corpora impassibilia.

Ad primum ergo dicendum quod *consumptio* ibi accipitur non pro annihilatione, sed pro resolutione in cinerem.

Ad secundum dicendum quod bonorum corpora, quamvis in cinerem resolventur per ignem, non tamen ex hoc dolorem sentient, sicut nec pueri in fornace existentes *. Et quantum ad hoc est dissimile de bonis et malis.

* Cf. corpus art.

Ad tertium dicendum quod elementa in corporibus humanis existentia purgabuntur per ignem etiam in corporibus electorum: sed hoc per divinam virtutem fiet sine cruciatu doloris.

Ad quartum dicendum quod ignis ille non aget tantum secundum naturalem elementorum virtutem, sed etiam ut divinae iustitiae instrumentum.

Ad quintum dicendum quod tres sunt causae quare subito illi qui vivi reperientur purgari poterunt. Una est quia in eis pauca purganda inveniuntur: cum terroribus et persecutionibus praecedentibus fuerint purgati. – Secunda causa est quia et vivi et voluntarii poenam sustinebunt. Poena autem in hac vita voluntarie suscepta multo plus purgat quam poena post mortem inflicta: sicut patet in martyribus quod, *si quid purgandum in eis invenitur, passionis falce tollitur,* ut Augustinus dicit *; cum tamen poena martyrii brevis fuit in comparatione ad poenam quae in purgatorio sustinetur. – Tertia est quia calor ille recuperabit in intensione quantum amittet in temporis abbreviatione.

* *De Unic. Baptism. cont. Petilian.*, cap. xiii, n. 22.

ART. IX. utrum ille ignis involuturus sit reprobos

Ad nonum sic proceditur. Videtur quod ille ignis non involvet reprobos. Quia Malach. iii, super illud *, *Purgabit filios Levi,* dicit Glossa *: *Duos ignes legimus futuros: unum quo purgabit electos, et praecedet iudicium; alterum qui reprobos cruciabit.* Sed hic est ignis inferni, qui malos involvet: primus autem est ignis finalis conflagrationis. Ergo ille ignis conflagrationis non erit ille qui malos involvet.

* Vers. 3.
* Ord. et Lomb. in I *ad Cor.*, cap. iii, vers. 15.

2. Praeterea, ille ignis Deo obsequitur in purgatione mundi. Ergo remunerari deberet, aliis elementis remune-

ratis: et praecipue cum ignis sit nobilissimum elementorum. Non ergo videtur quod in infernum debeat deiici ad poenam damnatorum.

3. Praeterea, ignis qui malos involvet, erit ignis inferni. Sed ignis ille ab initio mundi praeparatus est damnatis. Unde Matth. xxv *: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo.* Et Isaiae xxx *, *Praeparata est ab heri Tophet, a Rege praeparata*, etc.: Glossa *, *ab heri, idest ab initio; Tophet, idest Vallis Gehennae.* Sed ignis ille finalis conflagrationis non fuit ab initio praeparatus, sed ex concursu mundanorum ignium generabitur *. Ergo ille ignis est alius ab igne inferni, qui reprobos involvet.

* Vers. 41. — * Vers. 33. — * Interlin. — * Art. 3.

In contrarium est quod in Psalmo * de illo igne dicitur quod *inflammabit in circuitu inimicos eius.*

2. Praeterea, Dan. vii * dicitur: *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius:* Glossa *, *ut peccatores traheret in gehennam.* Loquitur autem auctoritas illa de illo igne de quo nunc est mentio: ut patet per quandam glossam *, quae ibi ** dicit, *ut bonos purget et malos puniat.* Ergo ignis finalis conflagrationis in infernum cum reprobis demergetur.

* Ps. xcvi, vers. 3. — * Vers. 10. — * Interlin. — * Interlin. ** Vers. 9.

Respondeo dicendum quod tota purgatio mundi et innovatio ad purgationem et innovationem hominis ordinabitur. Et ideo oportet quod mundi purgatio et innovatio purgationi et innovationi humani generis respondeat *. Humani autem generis purgatio quaedam erit quando mali segregabuntur a bonis: unde dicitur Luc. iii *: *Cuius ventilabrum in manu eius, et purgabit aream suam: et congregabit triticum suum,* idest electos, *in horreum suum, paleas autem,* idest reprobos, *comburet igne inextinguibili.* Unde et ita erit de purgatione mundi, quod quidquid erit turpe et foedum, in infernum cum reprobis retrudetur; quidquid vero pulcrum et nobile, conservabitur in superioribus ad gloriam electorum. Et ita etiam erit de illo igne conflagrationis: sicut dicit Basilius, super illud Psalmi *, *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Quia quoad calidum, ustivum, et quantum ad id quod in igne grossum reperietur, descendet ad inferos ad poenam damnatorum: quod vero est ibi subtile et lucidum, remanebit superius ad gloriam electorum.

* Cf. art. 1. — * Vers. 17. — * Ps. xxviii, vers. 7. - *Homil. in Psalm.*, in Psal. XXVIII; Homil. VI *in Hexaem.*

Ad primum ergo dicendum quod ignis qui purgabit electos ante iudicium, erit idem cum igne conflagrationis mundi, quamvis quidam * contrarium dicant: convenit enim ut, cum homo sit pars mundi, eodem igne purgetur homo et mundus. Dicuntur autem duo ignes qui purgabit hos et cruciabit malos, et quantum ad officium, et aliquo modo ad substantiam: quia non tota substantia ignis purgantis in infernum retrudetur, ut dictum est *.

* Strab. et Lomb. in Gloss. - Cf. arg. — * In corpore.

Ad secundum dicendum quod in hoc ille ignis remunerabitur, quod illud quod est grossum in eo, separabitur ab ipso et retrudetur in infernum.

Ad tertium dicendum quod, sicut gloria electorum post iudicium erit maior quam ante, ita et poena reproborum. Et ideo, sicut claritas superiori creaturae addetur ad augmentandum gloriam electorum, ita etiam quidquid est turpe in creaturis retrudetur in infernum ad augmentandam miseriam damnatorum. Et ita igni ab initio praeparato in inferno, non est inconveniens si alter ignis addatur.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUINTA

DE RESURRECTIONE

Post hoc considerandum est de circumstantibus et concomitantibus resurrectionem *. Quorum prima consideratio est de ipsa resurrectione; secunda, de eius causa *; tertia, de eius tempore et modo *; quarta, de ipsius termino a quo *; quinta, de conditionibus resurgentium *.

* Cf. qu. lxix, Introd. — * Qu. lxxvi. — * Qu. lxxvii. — * Qu. lxxviii. — * Qu. lxxix.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo: utrum resurrectio corporum sit futura.

Secundo: utrum sit omnium generaliter.

Tertio: utrum naturalis vel miraculosa.

ART. I. Utrum corporum resurrectio sit futura

IV *Cont. Gent.*, cap. lxxix; *Compend. Theol.*, cap. cli; I *ad Cor.*, cap. xv, lect. ii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod corporum resurrectio non sit futura. *Iob* xiv *: *Homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur caelum.* Sed caelum nunquam atteretur: quia *terra,* de qua minus videtur, *in aeternum stat,* ut patet *Eccle.* i *. Ergo homo mortuus nunquam resurget.

* Vers. 12. — * Vers. 4.

2. Praeterea, Dominus, Matth. xxii *, probat resurrectionem per auctoritatem illam *, *Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob,* quia *non est Deus mortuorum, sed viventium.* Sed constat quod, quando verba illa dicebantur, Abraham, Isaac et Iacob non vivebant corpore, sed solum anima. Ergo resurrectio non erit corporum, sed solum animarum.

* Vers. 31, 32. — * *Exod.* cap. iii, vers. 6.

3. Praeterea, Apostolus, I *Cor.* xv *, videtur probare resurrectionem ex remuneratione laborum quos in hac vita sustinent sancti, qui, *si in hac vita tantum confidentes essent, miserabiliores essent omnibus hominibus.* Sed sufficiens remuneratio omnium laborum hominis potest esse in anima tantum: non enim oportet quod instrumentum simul cum operante remuneretur; corpus autem instrumentum animae est. Unde etiam in purgatorio, ubi animae punientur *pro his quae gesserunt in corpore* *, anima sine corpore punitur. Ergo non oportet ponere resurrectionem corporum, sed sufficit ponere resurrectionem animarum: quae est dum transferuntur de morte culpae et miseriae in vitam gratiae et gloriae.

* Vers. 19, 30 sqq. — * II *ad Cor.*, cap. v, vers. 10. - Cf. IV *Sent.*, dist. xxi, qu. 1, art. 1, qª 1.

4. Praeterea, ultimum rei est perfectissimum in re: quia per illud attingit finem suum. Sed perfectissimus status animae est ut sit a corpore separata: quia in hoc statu conformior est Deo et angelis; et magis pura, quasi separata ab omni extranea natura. Ergo separatio a corpore est ultimus status eius. Et ita ex hoc statu non redit ad corpus: sicut nec ex viro fit puer.

5. Praeterea, mors corporalis in poenam hominis est inducta pro prima praevaricatione, ut patet *Genes.* ii *: sicut et mors spiritualis, quae est separatio animae a Deo, est inflicta homini pro peccato mortali. Sed de morte spirituali nunquam redeunt ad vitam post sententiam damnationis acceptam. Ergo nec de morte corporali ad vitam corporalem erit regressus. Et sic resurrectio non erit.

* Vers. 17; cap. iii, vers. 19.

Sed contra est quod dicitur *Iob* xix *: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea.* Ergo resurrectio erit etiam corporum.

* Vers. 25, 26.

2. Praeterea, donum Christi est maius quam peccatum Adae, ut patet *Rom.* v *. Sed mors per peccatum introducta est *: quia, si peccatum non fuisset, mors nulla esset. Ergo per donum Christi a morte reparabitur ad vitam.

* Vers. 15 sqq. — * Vers. 12.

3. Praeterea, membra debent esse capiti conformia. Sed caput nostrum vivit, et in aeternum vivet, in corpore et anima: quia *resurgens ex mortuis iam non moritur,* ut patet *Rom.* vi *. Ergo et homines qui sunt eius membra, vivent in corpore et anima. Et sic oportet carnis resurrectionem esse.

* Vers. 9.

Respondeo dicendum quod secundum diversas sententias de ultimo fine hominis, diversificatae sunt sententiae ponentium vel negantium resurrectionem. Ultimus enim finis hominis, quem omnes homines naturaliter desiderant, est beatitudo *. Quam quidam homini posse provenire in hac vita posuerunt. Unde non cogebantur ponere aliam vitam post istam, in qua homo ultimam sui perfectionem consequeretur. Et sic resurrectionem negabant.

* Cf. Aug. *de Trin.* lib. XIII, capp. iii, xx.

Et hanc opinionem satis probabiliter excludit varietas fortunae, et infirmitas humani corporis, scientiae et virtutis imperfectio, et instabilitas, quibus omnibus beatitudinis perfectio impeditur, ut Augustinus prosequitur in fine *de Civitate Dei* *.

* Lib. XXII, cap. xxii. - Cf. lib. XIX, cap. iv sqq.

Et ideo alii posuerunt aliam vitam esse post hanc, in qua homo tantum secundum animam vivebat post mortem: et hanc vitam ponebant sufficere ad naturale desi-

derium implendum de beatitudine consequenda. Unde Porphyrius dicebat, ut Augustinus dicit, in libro *de Civ. Dei* *, quod *animae, ad hoc quod beata sit, omne corpus fugiendum est.* Unde tales resurrectionem non ponebant.

* Lib. XXII, cap. XXVI.

Huius autem opinionis apud diversos diversa erant falsa fundamenta. Quidam enim haeretici * posuerunt omnia corporalia esse a malo principio, spiritualia vero a bono. Et secundum hoc oportebat quod anima summe perfecta non esset nisi a corpore separata, per quod a suo principio distrahitur, cuius participatio ipsam beatam facit. Et ideo omnes haereticorum sectae quae ponunt a diabolo corporalia esse creata vel formata, negant corporum resurrectionem. – Huius autem fundamenti falsitas in Secundi Libri principio * ostensa est.

* Manichaei. - Cf. Aug. *De Haeres.*, n. XLVI.

* Dist. I, part. I (al. qu. I), art. 3.

Quidam vero posuerunt totam hominis naturam in anima constare, ita ut anima corpore uteretur sicut instrumento, aut sicut nauta navi. Unde secundum hanc opinionem sequitur quod, sola anima beatificata, homo naturali desiderio beatitudinis non frustraretur. Et sic non oportet ponere resurrectionem. – Sed hoc fundamentum sufficienter Philosophus, in II *de Anima* *, destruit, ostendens animam corpori sicut formam materiae uniri.

* Cap. II, n. 12; S. Th. lect. IV. - Cf. Part. I, qu. LXXVI, art. 1.

Et sic patet quod, si in hac vita homo non potest esse beatus, necesse est resurrectionem ponere.

Ad primum ergo dicendum quod caelum nunquam atteretur quantum ad substantiam: sed atteretur quantum ad effectum virtutis per quam movet ad generationem et corruptionem inferiorum; ratione cuius dicit Apostolus, I *Cor.* VII *: *Praeterit figura huius mundi.*

* Vers. 31.

Ad secundum dicendum quod anima Abrahae non est, proprie loquendo, ipse Abraham, sed est pars eius: et sic de aliis. Unde vita animae Abrahae non sufficeret ad hoc quod Abraham sit vivens, vel quod Deus Abraham sit Deus viventis: sed exigitur vita totius coniuncti, scilicet animae et corporis. Quae quidem vita, quamvis non esset actu quando verba proponebantur, erat tamen in ordine utriusque partis ad resurrectionem. Unde Dominus per verba illa subtilissime et efficaciter probat resurrectionem.

Ad tertium dicendum quod anima non comparatur ad corpus solum ut operans ad instrumentum quo operatur, sed etiam ut forma ad materiam. Unde operatio est coniuncti, et non tantum animae: ut patet per Philosophum, in I *de Anima* *. Et quia operanti debetur operis merces, oportet quod ipse homo, compositus ex anima et corpore, operis sui mercedem accipiat. Venialia autem sicut dicuntur peccata quasi dispositiones ad peccandum, non quod simpliciter habeant rationem peccati; ita poena quae eis redditur in purgatorio non est simpliciter retributio, sed magis purgatio quaedam; quae seorsum fit in corpore per mortem et incinerationem, et in anima per purgatorium ignem.

* Cap. IV, n. 11 sqq. - S. Th. lect. X.

Ad quartum dicendum quod, ceteris paribus, perfectior est status animae in corpore quam extra corpus, quia est pars totius compositi, et omnis pars integralis materialis est respectu totius: quamvis sit Deo conformior secundum quid. Tunc enim, simpliciter loquendo, est aliquid maxime Deo conforme quando habet quidquid conditio suae naturae requirit: quia tunc perfectionem divinam maxime imitatur. Unde cor animalis magis est conforme Deo immobili quando movetur, quam quando quiescit: quia perfectio cordis est in moveri, et eius quies est eius destructio.

Ad quintum dicendum quod mors corporalis est introducta per peccatum Adae, quod est morte Christi deletum. Unde poena illa non manet in perpetuum. Sed peccatum quod mortem aeternam per impoenitentiam inducit, ultra non expiabitur. Et ideo mors illa aeterna erit.

ART. II. utrum resurrectio sit futura omnium generaliter

IV *Cont. Gent.*, capp. LXXX, LXXXI.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod resurrectio non erit omnium generaliter. In Psalmo * enim dicitur: *Non resurgent impii in iudicio.* Sed resurrectio non erit hominum nisi tempore iudicii universalis. Ergo impii nullo modo resurgent.

* Ps. I, vers. 5.

2. Praeterea, Dan. XII * dicitur: *Multi de his qui dormiunt in pulvere, evigilabunt.* Sed haec locutio quandam particulationem importat. Ergo non omnes resurgent.

* Vers. 2.

3. Praeterea, per resurrectionem homines conformantur Christo resurgenti: unde I *Cor.* XV * concludit Apostolus quod, si Christus resurrexit, et nos resurgemus. Sed illi soli debent Christo resurgenti conformari qui ipsius *imaginem portaverunt* *: quod est solum bonorum. Ergo ipsi soli resurgent.

* Vers. 20 sqq.

* Vers. 49.

4. Praeterea, poena non dimittitur nisi ablata culpa *. Sed mors corporalis est poena peccati originalis. Ergo, cum non omnibus sit dimissum originale peccatum, non omnes resurgent.

* Cf. I^am^ II^ae^, qu. LXXXVII, art. 3; art. 5, ad 3.

5. Praeterea, sicut per gratiam Christi renascimur, ita per gratiam eius resurgemus. Sed illi qui in maternis uteris moriuntur nunquam poterunt renasci. Ergo nec resurgere poterunt. Et sic non omnes resurgent.

Sed contra est quod dicitur Ioan. V *: *Omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent.* Ergo omnes mortui resurgent.

* Vers. 25, 28.

2. Praeterea, I *Cor.* XV * dicitur: *Omnes quidem resurgemus,* etc.

* Vers. 51.

3. Praeterea, resurrectio ad hoc necessaria est ut resurgentes recipiant pro meritis poenam vel praemium. Sed omnibus debetur vel poena vel praemium: pro merito proprio, sicut adultis; vel alieno, sicut parvulis. Ergo omnes resurgent.

Respondeo dicendum quod ea quorum ratio sumitur ex natura speciei, oportet similiter inveniri in omnibus quae sunt eiusdem speciei. Talis autem est resurrectio: haec enim est eius ratio, ut ex dictis * patet, quod anima in perfectione ultima speciei humanae esse non potest a corpore separata. Unde nulla anima in perpetuum remanebit a corpore separata. Et ideo necesse est, sicut unum, ita et omnes resurgere.

* Art. praeced., ad 4.

Ad primum ergo dicendum quod Psalmus loquitur de spirituali resurrectione, qua impii non resurgent in iudicio discussionis conscientiae, ut Glossa * exponit.

* Lomb.

Vel loquitur de impiis qui sunt omnino infideles, qui non resurgent ut iudicentur: *iam enim iudicati sunt* *.

* Ioan. cap. III, vers. 18.

Ad secundum dicendum quod Augustinus exponit *: « *multi* », *idest omnes.* Et hic modus loquendi frequenter invenitur in sacra Scriptura *.

* *De Civ. Dei*, lib. XX, cap. XXIII.

* Cf. Matth. cap. XX, vers. 28; *ad Rom.*, cap. V, vers. 15.

Vel particulatio potest intelligi quantum ad pueros damnatos in limbo, qui, quamvis resurgent, non proprie dicuntur *evigilare*, cum nec sensum poenae nec gloriae habituri sint: vigilia enim est *solutio sensus* *.

* Arist. *de Somn. et Vigil.*, cap. I. - S. Th. lect. II.

Ad tertium dicendum quod tam boni quam mali conformantur Christo vivendo in ista vita in his quae ad naturam speciei pertinent: non autem in his quae pertinent ad gratiam. Et ideo omnes ei conformabuntur in reparatione vitae naturalis: non autem in similitudine gloriae, sed soli boni.

Ad quartum dicendum quod mortem, quae est poena originalis peccati, qui in originali decesserunt exsolverunt moriendo. Unde, non obstante originali culpa, possunt a morte resurgere: poena enim originalis peccati magis est mori quam morte detineri.

Ad quintum dicendum quod renascimur per gratiam Christi nobis datam: sed resurgimus per gratiam Christi qua factum est ut naturam nostram susciperet; quia ex hoc ei in naturalibus conformamur. Unde illi qui in maternis uteris decedunt, quamvis renati non fuerint per susceptionem gratiae, tamen resurgent, propter conformitatem naturae ad ipsum, quam consecuti sunt ad perfectionem humanae speciei pertingentes.

ART. III. utrum resurrectio sit naturalis

II *Sent.*, dist. XVIII, qu. I, art. 3, ad 3; IV *Cont Gent.*, cap. LXXXI, ad 6; *Compend. Theol.*, cap. CLIV; *Ad Rom.*, cap. XI, lect. III, in fine; I *ad Cor.*, cap. XV, lect. V.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod resurrectio sit naturalis. Quia, sicut dicit Damascenus, in III libro *, *quod communiter in omnibus inspicitur, naturam characterizat in his quae sub ipso sunt atomis.* Sed resurrectio communiter in omnibus invenitur. Ergo est naturalis.

* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. XIV.

2. Praeterea, Gregorius dicit, XIV *Moral.* *: *Qui resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc ex ratione tenere debuerant. Quid enim quotidie mundus in elementis suis nisi resurrectionem nostram imitatur?* Et ponit exemplum de luce, quae quasi moriendo oculis subtrahitur, et rursus quasi resurgendo revocatur; et de arbustis, quae viriditatem amittunt, et rursus quasi resurgentia reparantur; et de seminibus, quae putrescentia moriuntur, et rursus germinando quodammodo resurgunt; quod etiam exemplum Apostolus ponit, I *Cor.* xv *. Sed nihil potest ex naturalibus operibus ratione cognosci nisi naturale. Ergo resurrectio erit naturalis.

* Cap. lv, al. xxviii; in vet. cap. xxx.

* Vers. 36 sqq.

3. Praeterea, illa quae sunt praeter naturam, non multo tempore manent, quia sunt quasi violenta *. Sed vita quae per resurrectionem reparatur in aeternum manebit. Ergo resurrectio erit naturalis.

* Cf. *Sentent. Philosoph. ex Aristot. collect.*, ad litt. N (inter Opp. Bed.); II *de Cael.* cap. i, n. 5, 6, s. Th. lect. i.

4. Praeterea, illud ad quod tota naturae expectatio intendit, maxime videtur esse naturale. Sed resurrectio et glorificatio sanctorum est huiusmodi, ut patet *Rom.* viii *. Ergo resurrectio erit naturalis.

* Vers. 19 sqq.

5. Praeterea, resurrectio est motus quidam ad perpetuam coniunctionem animae et corporis. Sed motus est naturalis qui terminatur ad quietem naturalem, ut patet V *Physic.* * Perpetua autem coniunctio animae et corporis erit naturalis: quia, cum anima sit proprius motor corporis, habet sibi corpus proportionatum et ita in perpetuum est naturaliter vivificabile ab ipsa, sicut ipsa in perpetuum vivit. Ergo resurrectio erit naturalis.

* Cap. vi, n. 8. - S. Th. lect. x.

Sed contra, *a privatione in habitum non erit regressus secundum naturam* *. Sed mors est privatio vitae. Ergo resurrectio, per quam est reditus de morte ad vitam, non est naturalis.

*Aristot. *Categ.*, cap. viii, num. 17.

2. Praeterea, ea quae sunt unius speciei, unum habent determinatum modum originis: unde animalia quae generantur ex putrefactione et ex semine nunquam sunt eiusdem speciei, ut dicit Commentator, in VIII *Physic.* * Sed naturalis motus quo homo oritur est generatio ex simili in specie: quod non erit in resurrectione. Ergo non est naturalis.

* Text. xlvi.

Respondeo dicendum quod motus sive actio aliqua se habet ad naturam tripliciter. Est enim aliquis motus sive actio cuius natura nec est principium nec terminus. Et talis motus quandoque est a principio supra naturam, ut patet de glorificatione corporis: quandoque autem a principio alio quocumque, sicut patet de motu violento lapidis sursum, qui terminatur ad quietem violentam. – Est etiam alius motus cuius principium et terminus est natura, ut patet in motu lapidis deorsum. – Est etiam alius motus cuius terminus est natura, sed non principium: sed quandoque aliquid supra naturam, sicut patet in illuminatione caeci, quia visus naturalis est, sed illuminationis principium est supra naturam; quandoque autem aliquid aliud, ut patet in acceleratione florum vel fructuum per artificium facta. – Quod autem principium sit natura et non terminus, esse non potest: quia principia naturalia sunt ad determinatos effectus definita, ultra quos se extendere non possunt.

Operatio ergo vel motus primo modo se habens ad naturam, nullo modo potest dici naturalis: sed vel est miraculosa, si sit a principio supra naturam; vel violenta, si sit ab alio quocumque principio. – Operatio autem vel motus secundo modo se habens ad naturam, est simpliciter naturalis. – Sed operatio quae tertio modo se habet ad naturam, non potest dici simpliciter naturalis, sed secundum quid, inquantum scilicet perducit ad id quod secundum naturam est: sed vel dicitur miraculosa, vel artificialis aut violenta. *Naturale* enim proprie dicitur *quod secundum naturam est:* secundum autem naturam esse dicitur habens naturam et quae consequuntur naturam, ut patet in II *Physic.* * Unde motus, simpliciter loquendo, non potest dici naturalis nisi eius principium sit natura.

* Cap. i, n. 5. - S. Th. lect. i.

Resurrectionis autem principium natura esse non potest, quamvis ad vitam naturae resurrectio terminetur. Natura enim est *principium motus in eo in quo est* *: vel activum, ut patet in motu gravium et levium, et in alterationibus naturalibus animalium; vel passivum, ut patet in generatione simplicium corporum. Passivum autem principium naturalis generationis est potentia passiva naturalis, quae semper habet aliquam potentiam activam sibi respondentem in natura, ut dicitur in IX *Metaphys.* * Nec differt, quantum ad hoc, sive respondeat passivo principio activum principium in natura respectu ultimae perfectionis, scilicet formae; sive respectu dispositionis quae est necessitas ad formam ultimam, sicut est in generatione hominis secundum positionem fidei, vel etiam de omnibus aliis secundum opinionem Platonis * et Avicennae **. Nullum autem principium activum resurrectionis est in natura: neque respectu coniunctionis animae ad corpus; neque respectu dispositionis quae est necessitas ad talem coniunctionem, quia talis dispositio non potest a natura induci nisi determinato modo per viam generationis ex semine. Unde, etsi ponatur esse etiam aliqua potentia passiva ex parte corporis, seu etiam inclinatio quaecumque ad animae coniunctionem, non est talis quod sufficiat ad rationem motus naturalis. Unde resurrectio, simpliciter loquendo, est miraculosa, non naturalis, nisi secundum quid, ut ex dictis patet.

* Ibid., n. 2.

* Vide s. Th. lect. ii; Did. lib. VIII, cap. i, n. 6. - Cf lib. IV, cap. xii, n. 2; s. Th. lib. V, lect. xiv.

* *Phaedon.* cap. xlix; *Tim.* (Platon. Opp. vol. II, pag. 218, ed. Didot).
** *Metaph.* lib. IX, cap. v.

Ad primum ergo dicendum quod Damascenus loquitur de illis quae inveniuntur in omnibus individuis ex principiis naturae creatis. Non enim, si divina operatione omnes homines dealbarentur, vel in uno loco congregarentur, sicut tempore diluvii factum est *, propter hoc albedo esset proprietas naturalis hominis, vel esse in tali loco.

* *Gen.* cap. vii, vers. 23.

Ad secundum dicendum quod ex rebus naturalibus non cognoscitur aliquid ratione demonstrante non naturale. Sed ratione persuadente potest cognosci aliquid supra naturam: quia eorum quae supra naturam sunt, ea quae sunt in natura aliquam similitudinem repraesentant; sicut unio animae et corporis repraesentat animae unionem ad Deum per gloriam fruitionis, ut Magister dicit *. Et simili modo exempla quae Apostolus et Gregorius inducunt, fidei resurrectionis persuasive adminiculantur.

* II *Sent.*, dist. i, part. ii, cap. *Solet etiam quaeri.*

Ad tertium dicendum quod illa ratio procedit de operatione illa quae terminatur ad illud quod non est secundum naturam, sed naturae contrarium. Hoc autem non est in resurrectione. Et ideo non est ad propositum.

Ad quartum dicendum quod tota operatio naturae est sub operatione divina sicut operatio inferioris artis sub operatione superioris. Unde, sicut omnis operatio inferioris artis expectat aliquem finem ad quem non pervenitur nisi operatione artis superioris inducentis formam vel utentis artificio facto, ita ad ultimum finem ad quem tota expectatio naturae intendit, non potest perveniri opere naturae. Et propter hoc consecutio eius non est naturalis.

Ad quintum dicendum quod, quamvis non possit esse motus naturalis qui terminatur ad quietem violentam, tamen potest esse motus non naturalis qui terminatur ad quietem naturalem, ut ex dictis * patet.

* In corpore.

QUAESTIO SEPTUAGESIMASEXTA
DE CAUSA RESURRECTIONIS

Deinde considerandum est de causa nostrae resurrectionis *.

* Cf. qu. lxxv, Introd.

Circa quod tria quaeruntur.

Primo: utrum resurrectio Christi sit causa nostrae resurrectionis.

Secundo: utrum vox tubae.

Tertio: utrum angeli.

ART. I. UTRUM CHRISTI RESURRECTIO SIT CAUSA NOSTRAE RESURRECTIONIS

Part. III, qu. lvi, art. 1; IV *Sent.*, dist. xlviii, Expos. litt.; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxix; *Compend. Theol.*, cap. ccxxxix; I *ad Cor.*, lect. xv, lect. ii; I *ad Thess.*, cap. iv, lect. ii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christi resurrectio non sit causa nostrae resurrectionis. *Posita* enim *causa, ponitur effectus* *. Sed, posita resurrectione Christi, non est secuta statim resurrectio aliorum mortuorum. Ergo resurrectio eius non est causa nostrae resurrectionis.

* Cf. Arist. *Physic.* lib. II, cap. iii, n. 11. - S. Th. lect. vi.

2. Praeterea, effectus non potest esse nisi causa praecesserit *. Sed resurrectio mortuorum esset etiam si Christus non resurrexisset: erat enim alius modus possibilis Deo ut homo liberaretur *. Ergo resurrectio Christi non est causa nostrae resurrectionis.

* Cf. Arist. loc. cit. in arg. 1.
* Cf. Part. III, qu. XLVI, art. 2.

3. Praeterea, idem est factivum unius in tota una specie. Sed resurrectio erit omnibus hominibus communis. Cum ergo resurrectio Christi non sit causa sui ipsius, non erit causa aliarum resurrectionum.

4. Praeterea, in effectu relinquitur aliquid de similitudine causae. Sed resurrectio ad minus quorundam, scilicet malorum, non habet aliquid simile resurrectioni Christi. Ergo resurrectionis illorum non erit causa resurrectio Christi.

Sed contra, *illud quod est primum in quolibet genere, est causa eorum quae sunt post,* ut patet in II *Metaphys.* * Sed Christus ratione suae resurrectionis corporalis dicitur *primitiae dormientium,* I *Cor.* xv *, et *primogenitus mortuorum, Apoc.* I *. Ergo sua resurrectio est causa resurrectionis aliorum.

* S. Th. lect. II; Didot lib. Iα, cap. 1, n. 5. - Ex Averr. lib. cit., text. IV.
* Vers. 20.
* Vers. 5. - Cf. *ad Coloss.* cap. I, vers. 18.

2. Praeterea, resurrectio Christi magis convenit cum nostra resurrectione corporali quam cum resurrectione spirituali, quae est per iustificationem. Sed resurrectio Christi est causa iustificationis nostrae: ut patet *Rom.* IV *, *Resurrexit propter iustificationem nostram.* Ergo est causa nostrae resurrectionis corporalis.

* Vers. 25.

Respondeo dicendum quod Christus ratione humanae naturae dicitur *Dei et hominum mediator* *: unde divina dona a Deo in homines mediante Christi humanitate proveniunt *. Sicut autem a morte spirituali liberari non possumus nisi per donum gratiae divinitus datum, ita nec a morte corporali nisi per resurrectionem divina virtute factam. Et ideo, sicut Christus primitias gratiae suscepit divinitus et eius gratia est causa nostrae gratiae, quia *de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia,* Ioan. I *; ita in Christo inchoata est resurrectio, et sua resurrectio causa est nostrae resurrectionis; ut sic Christus inquantum est Deus, sit prima causa nostrae resurrectionis quasi aequivoca; sed inquantum est Deus et homo resurgens, est causa proxima et quasi univoca nostrae resurrectionis.

* I *ad Tim.*, cap. II, vers. 5. - Cf. III *Sent.*, dist. XIX, art. 5, quª 2.
* Cf. *ad Ephes.* cap. IV, vers. 8.
* Vers. 16.

Causa autem univoca agens producit effectum in similitudine formae suae: unde non solum est causa efficiens, sed exemplaris istius effectus. Hoc autem contingit dupliciter. Quandoque enim ipsa forma per quam attenditur similitudo agentis ad effectum, est directe principium actionis qua producitur ille effectus: sicut calor in igne calefaciente. Quandoque autem illius actionis qua producitur effectus, non est principium primo et per se ipsa forma secundum quam attenditur similitudo, sed principia illius formae: sicut, si homo albus generet hominem album, ipsa albedo generantis non est principium activae generationis, et tamen albedo generantis dicitur causa albedinis generatae, quia principia albedinis in generante sunt principia generativa facientia albedinem in generato.

Et per hunc modum resurrectio Christi est causa nostrae resurrectionis: quia illud quod fecit resurrectionem Christi, qui est causa efficiens univoca nostrae resurrectionis, ad nostram resurrectionem agit, scilicet virtus divinitatis ipsius Christi, quae sibi et Patri communis est. Unde dicitur *Rom.* VIII *: *Qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit mortalia corpora nostra.*

* Vers. 11.

Sed ipsa resurrectio Christi, virtute divinitatis adiunctae, est causa quasi instrumentalis resurrectionis nostrae. Operationes enim divinae agebantur mediante carne Christi quasi quodam organo: sicut ponit exemplum Damascenus, in III libro *, de tactu corporali quo mundavit leprosum, Matth. VIII *.

* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. XV.
* Vers. 3.

Ad primum ergo dicendum quod causa sufficiens statim producit effectum suum ad quem immediate ordinatur: non autem effectum ad quem ordinatur mediante alio, quantumcumque sit sufficiens; sicut calor, quantumcumque sit intensus, non statim in primo instanti causat calorem, sed statim incipit movere ad calorem, quia calor est effectus eius mediante motu. Resurrectio autem Christi dicitur causa nostrae resurrectionis, non quia ipsa agat resurrectionem nostram, sed mediante principio suo, scilicet divina virtute, quae nostram resurrectionem faciet ad similitudinem resurrectionis Christi. Virtus autem divina omnia operatur mediante voluntate, quae est propinquissima effectui. Unde non oportet quod statim, resurrectione Christi facta, nostra resurrectio sit secuta: sed tunc sequitur quando voluntas Dei ordinavit.

Ad secundum dicendum quod virtus divina non alligatur aliquibus causis secundis, quin effectus illarum posset immediate, vel aliis causis mediantibus, producere: sicut posset generationem corporum inferiorum causare etiam motu caeli non existente, et tamen, secundum ordinem quem in rebus statuit, motus caeli est causa generationis inferiorum corporum. Similiter etiam, secundum ordinem quem rebus humanis divina providentia praefixit, resurrectio Christi est causa nostrae resurrectionis. Potuit tamen alium ordinem praefigere. Et tunc esset alia causa nostrae resurrectionis, qualem Deus ordinasset.

Ad tertium dicendum quod ratio illa procedit quando omnia quae sunt in una specie, habent eundem ordinem ad causam primam illius effectus qui est inducendus in totam illam speciem. Sic autem non est in proposito. Quia humanitas Christi propinquior est divinitati, cuius virtus est prima causa generationis, quam humanitas aliorum. Unde resurrectio Christi causatur a divinitate immediate: sed resurrectio aliorum mediante Christo homine resurgente.

Ad quartum dicendum quod resurrectio omnium hominum habebit aliquid de similitudine resurrectionis Christi, quod scilicet pertinet ad vitam naturae, secundum quam omnes Christo fuerunt conformes. Et ideo omnes resurgent in vitam immortalem. Sed in sanctis, qui fuerunt Christo conformes per gratiam, erit conformitas quantum ad ea quae sunt gloriae.

ART. II. UTRUM VOX TUBAE SIT CAUSA NOSTRAE RESURRECTIONIS

I *ad Cor.*, cap. XV, lect. VIII.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod vox tubae non sit causa nostrae resurrectionis. Dicit enim Damascenus *: *Crede resurrectionem futuram divina voluntate, virtute et nutu.* Ergo, cum haec sint sufficiens causa resurrectionis nostrae, non oportet ponere causam eius vocem tubae.

* *De Fide Orth.*, lib. IV, cap. ult., in fine.

2. Praeterea, frustra vox emittitur ad eum qui audire non potest. Sed mortui non habebunt auditum. Ergo non est conveniens quod vox aliqua formetur ad resuscitandum eos.

3. Praeterea, si vox aliqua sit causa resurrectionis, hoc non erit nisi sit per virtutem voci divinitus datam: unde super illud Psalmi *, *Dabit voci suae vocem virtutis,* dicit Glossa *, *resuscitandi corpora.* Sed ex quo potentia data est alicui, quamvis miraculose detur, tamen actus qui sequitur est naturalis: sicut patet in caeco nato miraculose illuminato, qui postea naturaliter videt. Ergo, si vox aliqua esset causa resurrectionis, resurrectio esset naturalis. Quod falsum est *.

* Ps. LXVII, vers. 34.
* Ord. Cassiod. et Lomb.,
* Qu. LXXV, art. 3.

Sed contra est quod dicitur I *Thessal.* IV *: *Ipse Dominus in tuba Dei descendet de caelo, et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.*

* Vers. 15.

2. Praeterea, Ioan. V * dicitur quod *qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent.* Haec autem vox dicitur tuba, ut in littera * patet. Ergo, etc.

* Vers. 25, 28.
* Dist. XLIII, cap. *Causa enim.*

Respondeo dicendum quod causam effectui oportet aliquo modo coniungi: quia movens et motum, faciens et factum, sunt simul, ut patet in VII *Physic.* * Christus autem resurgens est causa univoca nostrae resurrectionis *. Unde oportet quod in resurrectione corporum communi aliquo signo corporali dato Christus resurgens operetur.

* Cf. cap. II, n. 1. - S. Th. lect. III.
* Art. praeced.

Quod quidem signum, ut quidam dicunt, erit, ad litteram, vox Christi resurrectionem imperantis, sicut *imperavit mari et cessavit tempestas,* Matth. VIII *.

* Vers. 26; Marc. cap. IV, vers. 39; Luc. cap. VIII, vers. 24.

Quidam vero dicunt quod hoc signum nihil aliud erit quam ipsa re-praesentatio evidens Filii Dei in mundo, de qua dicitur Matth. XXIV *: *Sicut fulgur venit ab oriente et*

* Vers. 27.

paret in occidente, sic erit adventus Filii hominis. Et innituntur auctoritati Gregorii dicentis * quod *tubam sonare nihil aliud est quam mundo ut iudicem Filium demonstrare.* Et secundum hoc ipsa apparitio Filii Dei *vox* eius dicitur: quia ei apparenti obediet tota natura ad corporum humanorum reparationem sicut imperanti; unde *in iussu* venire dicitur I *Thessal.* IV *. Et sic eius apparitio, inquantum habet vim cuiusdam imperii, vox eius dicitur.

Apud b. Albert., IV *Sent.*, dist. XLIII, art. 4.
* Vers. 15.

Et haec vox, quaecumque sit, quandoque dicitur *clamor* *, quasi praeconis ad iudicium citantis. – Quandoque autem dicitur sonus *tubae* *. Vel propter evidentiam: ut in littera * dicitur. Vel propter convenientiam ad usum tubae qui erat in veteri Testamento *: tuba enim congregabantur ad concilium, commovebantur ad praelium, et vocabantur ad festum; resurgentes autem congregabuntur ad concilium iudicii *, ad praelium quo *orbis terrarum pugnabit contra insensatos* *, et ad festum aeternae solemnitatis *.

* Matth. cap. XXV, vers. 6. – Cf. dist. XLIII, cap. *Causa enim.*
* Cf. arg. *Sed contra* 1. – I *ad Cor.*, cap. XV, vers. 52.
* Ibid.
* *Num.* cap. X.
* Ioan. cap. V, vers. 28, 29.
* *Sap.* cap. V, vers. 21.
* Matth. cap. XXV, vers. 34; Luc. cap. XXII, vers. 30.

Ad primum ergo dicendum quod Damascenus in verbis illis circa materialem causam resurrectionis tria tetigit: scilicet voluntatem divinam, quae imperat; virtutem, quae exequitur; et facilitatem exequendi, in hoc quod *nutum* adiunxit, ad similitudinem eorum quae in nobis sunt. Illud enim valde facile est nobis facere quod statim ad dictum nostrum fit: sed multo apparet maior facilitas si, ante verbum prolatum, ad primum signum voluntatis, quod nutus dicitur, executio nostrae voluntatis per ministros fiat. Et talis noster nutus est quaedam causa praedictae executionis, inquantum per ipsum inducuntur alii ad nostram voluntatem explendam. Nutus autem divinus, quo fiet resurrectio, nihil aliud est quam signum ab ipso datum, cui tota natura obediet ad resurrectionem mortuorum. Et hoc signum idem est quod *vox tubae,* ut ex dictis * patet.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod, sicut formae sacramentorum habent virtutem sanctificandi, non ex hoc quod audiuntur, sed ex hoc quod proferuntur, ita illa vox, quidquid sit, habebit efficaciam instrumentalem ad resuscitandum, non ex hoc quod sentitur, sed ex hoc quod profertur: sicut etiam vox ex ipsa impulsione aeris excitat dormientem solvendo organum sentiendi, non ex hoc quod cognoscatur; quia iudicium de voce perveniente ad aures sequitur excitationem, et non est causa eius.

Ad tertium dicendum quod ratio illa procederet si virtus illi voci data esset ens perfectum in natura: quia tunc quod ex ea procederet, virtutem iam naturalem factam principium haberet. Non autem est talis virtus illa: sed qualis supra * dicta est esse in formis sacramentorum.

* Dist. I, qu. I, art. 4, qu^a 2. – Cf. Part. III, qu. LXII, art. 4.

ART. III. Utrum aliquo modo ad resurrectionem angeli operaturi sint

IV *Sent.*, dist. XLIII, art. 3, ad 4; Part. I, qu. XCI, art. 2, ad 1; qu. CX, art 4, ad 1.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod nullo modo ad resurrectionem angeli operentur. Quia maioris virtutis est ostensiva resurrectio mortuorum quam generatio hominum. Sed quando generantur homines, anima non infunditur corpori mediantibus angelis. Ergo nec resurrectio, quae est iterata coniunctio animae et corporis, fiet ministerio angelorum.

2. Praeterea, si ad aliquos angelos hoc ministerium pertineat, maxime videtur pertinere ad Virtutes, quarum est miracula facere *. Sed eis non adscribitur, sed Archangelis, ut patet in littera *. Ergo non fiet ministerio angelorum.

* Cf. qu. LXXIII, art. 3.
* Dist. XLIII, cap. *Causa enim.*

Sed contra est quod dicitur I *Thessal.* IV *, quod *Dominus in voce Archangeli descendet de caelo, et mortui resurgent.* Ergo resurrectio mortuorum ministerio angelico complebitur.

* Vers. 15.

Respondeo dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in III *de Trin.* *, quod *sicut corpora crassiora et inferiora per subtiliora et potentiora ordine quodam reguntur, ita omnia corpora reguntur a Deo per spiritum vitae rationalem.* Et hoc etiam Gregorius, IV *Dialog.* *, tangit. Unde in omnibus quae corporaliter a Deo fiunt, utitur Deus ministerio angelorum. In resurrectione autem est aliquid ad transmutationem corporum pertinens: scilicet collectio cinerum, et eorum praeparatio ad reparationem humani corporis. Unde quantum ad hoc in resurrectione utetur Deus ministerio angelorum. Sed anima, sicut immediate a Deo creata est, ita immediate a Deo corpori iterato unietur, sine aliqua operatione angelorum. Similiter etiam gloriam corporis ipse faciet absque ministerio angelorum, sicut et animam immediate glorificat. – Et illud angelorum ministerium dicitur *vox*, secundum unam expositionem, quae tangitur in littera *.

* Cap. IV.
* Cap. VI.
* Loc. cit.

Ad primum ergo patet solutio ex dictis *.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod ministerium istud erit principaliter unius Archangeli, scilicet Michaelis, qui est princeps Ecclesiae, sicut fuit Synagogae, sicut dicitur Dan. X *. Qui tamen agit ex influentia Virtutum et aliorum superiorum ordinum *. Unde quod ipse faciet, superiores ordines quodammodo facient. Similiter inferiores angeli cooperabuntur ei circa resurrectionem singulorum, quorum custodiae deputati fuerunt. Et sic vox illa potest dici *unius* et *plurium angelorum* *.

* Vers. 21; cap. XII, vers. 1.
* Cf. Part. I, qu. CXII, art. 2, ad 2; qu. CXIII, art. 3, ad 3.
* Cf. litt. loc. cit.

QUAESTIO SEPTUAGESIMASEPTIMA
DE TEMPORE ET MODO RESURRECTIONIS

Deinde considerandum est de tempore et modo resurrectionis *.

* Cf. qu. LXXV, Introd.

Circa quod quaeruntur quatuor.
Primo: utrum tempus resurrectionis differatur usque ad finem mundi.
Secundo: utrum tempus illud sit occultum.
Tertio: utrum resurrectio fiet in noctis tempore.
Quarto: utrum fiet subito.

ART. I. Utrum tempus resurrectionis oporteat differri usque ad finem mundi, ut omnes simul resurgant

In Iob, cap. XIX, lect. II.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod tempus resurrectionis non oporteat differri usque ad finem mundi, ut omnes simul resurgant. Maior est enim convenientia capitis ad membra quam membrorum ad invicem: sicut causae ad effectus quam effectuum ad invicem. Sed Christus, qui est caput nostrum *, non distulit resurrectionem suam usque ad finem mundi ut simul cum omnibus resurgeret. Ergo non oportet quod priorum sanctorum resurrectio usque ad finem mundi differatur, ut simul cum aliis resurgant.

* *Ad Ephes.*, cap. I, vers. 22. – Cf. Part. III, qu. VIII.

2. Praeterea, resurrectio capitis est causa resurrectionis membrorum *. Sed resurrectio quorundam membrorum nobilium, propter vicinitatem ad caput, non est dilata usque ad finem mundi, sed statim resurrectionem Christi secuta est: sicut pie creditur de beata Virgine et Ioanne Evangelista *. Ergo et aliorum resurrectio tanto propinquior erit resurrectioni Christi, quanto per gratiam et meritum magis ei fuerunt conformes.

* Qu. LXXVI, art. 1.
* Cf. Epist. *de Assumpt. B. M. V.*, cap. II. – Inter Opp. Hieron.

3. Praeterea, status novi Testamenti est perfectior, et expressius portat imaginem Christi, quam status veteris Testamenti. Sed quidam Patres veteris Testamenti, Christo resurgente, resurrexerunt, sicut dicitur Matth. XXVII *: quia *multa corpora sanctorum qui dormierant, resurrexerunt.* Ergo videtur quod nec sanctorum novi Testamenti resurrectio differri debeat usque ad finem mundi, ut sit omnium simul.

* Vers. 52.

4. Praeterea, post finem mundi non erit aliquis annorum numerus *. Sed post resurrectionem mortuorum adhuc computantur multi anni usque ad resurrectionem aliorum, ut patet *Apoc.* XX: dicitur enim ibi *: *Vidi animas decollatorum propter testimonium Iesu et propter verbum Dei;* et infra, *Et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis; et ceteri mortuorum non vixerunt donec consummentur mille anni.* Ergo resurrectio omnium non differtur usque ad finem mundi, ut sit omnium simul.

* Cf. *Apoc.* cap. X, vers. 6.
* Vers. 4, 5.

Sed contra est quod dicitur *Iob.* XIV *: *Homo, cum dormierit, non resurget donec atteratur caelum, nec evigilabit ut consurgat a somno suo:* et loquitur de somno mortis. Ergo usque ad finem mundi, quando caelum atteretur, resurrectio hominum differetur.

* Vers. 12.

2. PRAETEREA, *Heb.* XI * dicitur: *Homines Dei, testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, « idest plenam animae et corporis beatitudinem * », Deo aliquid aliud pro nobis providente, ne sine nobis consummarentur, « idest perficerentur » :* Glossa *: « *ut in communi gaudio omnium maius fieret gaudium singulorum* ». Sed non erit ante resurrectio quam corporum glorificatio: quia *reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae, Philipp.* III *; et *resurrectionis filii erunt sicut angeli in caelo,* ut patet Matth. XXII *. Ergo resurrectio differetur usque ad finem mundi, in quo omnes simul resurgent.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in III *de Trin.* *, divina providentia statuit *ut corpora crassiora et inferiora per subtiliora et potentiora quodam ordine regantur.* Et ideo tota materia corporum inferiorum subiacet variationi secundum motum caelestium corporum. Unde esset contra ordinem quem divina providentia in rebus statuit, si materia inferiorum corporum ad statum incorruptionis produceretur, manente motu superiorum corporum. Et quia secundum positionem fidei resurrectio erit in vitam immortalem conformiter Christo, qui *resurgens a mortuis iam non moritur,* ut dicitur *Rom.* VI *; ideo humanorum corporum resurrectio usque ad finem mundi differtur, in quo motus caeli quiescet *. Et propter hoc etiam quidam philosophi, qui posuerunt motum caeli nunquam cessare, posuerunt reditum humanarum animarum ad corpora mortalia, qualia nunc habemus: sive ponerent reditum animae ad idem corpus in fine *magni anni* *, ut Empedocles **; sive ad aliud, ut Pythagoras posuit *quamlibet animam quodlibet corpus ingredi,* ut dicitur in I *de Anima* *.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quamvis caput magis conveniat cum membris convenientia proportionis, quae exigitur ad hoc quod in membra influat, quam membra ad invicem; tamen caput habet causalitatem quandam super membra qua membra carent, et in hoc membra differunt a capite et conveniunt ad invicem. Unde resurrectio Christi est exemplar quoddam nostrae resurrectionis, ex cuius fide spes nobis de nostra resurrectione consurgit: non autem resurrectio alicuius membri Christi est causa resurrectionis ceterorum membrorum. Et ideo Christi resurrectio debuit praecedere resurrectionem aliorum, qui omnes simul resurgere debuerunt *in consummatione saeculorum* *.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quamvis inter membra Christi sint quaedam aliis digniora et magis capiti conformia, non tamen pertingunt ad rationem capitis, ut sint causa aliorum. Et ideo ex conformitate ad Christum non debetur eis quod eorum resurrectio praecedat resurrectionem aliorum quasi exemplar exemplatum, sicut dictum est * de resurrectione Christi: sed quod aliquibus sit hoc concessum quod eorum resurrectio non sit usque ad communem resurrectionem dilata, est ex speciali gratiae privilegio, non ex debito conformitatis ad Christum.

AD TERTIUM DICENDUM quod de illa resurrectione sanctorum cum Christo videtur dubitare Hieronymus, in Sermone *de Assumptione* *: utrum scilicet, peracto resurrectionis testimonio, iterum mortui sint, ut sic eorum fuerit magis resuscitatio quaedam, sicut Lazari *, quam vera resurrectio, qualis erit in fine mundi; an ad immortalem vitam vere resurrexerunt semper in corpore victuri, *in caelum cum Christo ascendentes corporaliter,* ut Glossa * dicit, Matth. XXVII *. Et hoc videtur probabilius. Quia ad hoc quod verum testimonium de vera resurrectione Christi proferrent, congruum fuit ut vere resurgerent: sicut Hieronymus ibidem * dicit. Nec eorum resurrectio propter ipsos accelerata est: sed propter resurrectionem Christi testificandam. Quod quidem testimonium erat ad fundandam fidem novi Testamenti. Unde decentius factum est per Patres veteris Testamenti quam per eos qui, iam novo Testamento fundato, decesserunt.

Tamen sciendum est quod, etsi de resurrectione eorum in Evangelio mentio fiat ante resurrectionem Christi, tamen, ut per testimonium patet, intelligendum est per anticipationem esse dictum: quod frequenter historiographis accidit. Nulli enim vera resurrectione ante Christum resurrexerunt, eo quod ipse est *primitiae dormientium,* ut dicitur I *Cor.* XV *: quamvis fuerint aliqui resuscitati ante Christi resurrectionem, ut de Lazaro patet.

* Vers. 39, 40.
* Gloss. Interlin. et Lomb.
* Interlin. et Lomb.
* Vers. 21.
* Vers. 30; Luc. cap. XX, vers. 36.
* Cap. IV.
* Vers. 9.
* Dist. XLVIII, qu. II, art. 2. - Cf. supra qu. LXXIV, art. 4.
* Cf. b. Albert. IV *Sent.*, dist. XLIII, art. 7.
** Vide Aristot. *Physic.*, lib. VIII, cap. I, n. 1, 2. - S. Th. lect. I.
* Cap. III, n. 23. - S. Th. lect. VIII.
* *Ad Heb.*, cap. IX, vers. 26.
* Resp. ad 1.
* Cit. in arg. 2. - Cf. Part. III, qu. LIII, art. 3.
* Ioan. cap. XI, vers. 43, 44.
* Ord. Strabi.
* Vers. 52, 53.
* Vide Pseudo-Hieron., loc. cit.

AD QUARTUM DICENDUM quod occasione illorum verborum, ut Augustinus narrat, XX *de Civ. Dei* *, quidam haeretici posuerunt primam resurrectionem futuram esse mortuorum ut cum Christo mille annis in terra regnent: unde vocati sunt *Chiliastae,* quasi *Millenarii.* Et ideo Augustinus ibidem ostendit verba illa aliter intelligenda esse: scilicet de resurrectione spirituali, per quam homines a peccatis dono gratiae resurgunt. Secunda autem resurrectio est corporum.

Regnum autem *Christi* dicitur Ecclesia, in qua cum Christo non solum martyres, sed etiam alii electi regnant: *ut a parte totum intelligatur* *. – Vel regnant cum Christo in gloria quantum ad omnes, et fit specialiter mentio de martyribus *quia ipsi praecipue regnant mortui qui usque ad mortem pro veritate certaverunt* *.

Millenarius autem non significat aliquem certum numerum, sed designat totum tempus quod nunc agitur, in quo nunc sancti cum Christo regnant. Quia numerus millenarius designat universitatem magis quam centenarius: eo quod centenarius est quadratum denarii; sed millenarius est numerus solidus ex duplici ductu denarii in seipsum surgens, quia decies decem decies mille sunt. Et similiter in Psalmo * dicitur: *Verbi quod mandavit in mille generationes,* idest *in omnes* *.

ART. II. UTRUM TEMPUS ILLUD SIT OCCULTUM

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod tempus illud non sit occultum. Quia cuius principium est determinatum et scitum, et finis potest determinate sciri: eo quod *omnia mensurantur quadam periodo,* ut dicitur in II *de Generat.* * Sed principium mundi determinate scitur. Ergo et finis ipsius potest determinate sciri. Tunc autem erit tempus resurrectionis et iudicii. Ergo tempus illud non est occultum.

2. PRAETEREA, *Apoc.* XII * dicitur quod *mulier,* per quam Ecclesia significatur *, *habet locum paratum a Deo, in quo pascatur diebus mille ducentis sexaginta.* Daniel etiam XII * ponitur determinatus numerus dierum, per quos anni significari videntur, secundum illud Ezech. IV *, *Diem pro anno dedi tibi.* Ergo ex sacra Scriptura potest sciri determinate finis mundi et resurrectionis tempus.

3. PRAETEREA, status novi Testamenti praefiguratus fuit in veteri Testamento *. Sed scimus determinate tempus in quo vetus Testamentum statum habuit. Ergo et potest sciri tempus determinate in quo novum Testamentum statum habebit. Sed novum Testamentum habebit statum usque ad finem mundi: unde dicitur Matth. ult. *: *Ecce, ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Ergo potest sciri determinate finis mundi et resurrectionis tempus.

SED CONTRA, illud quod est ignoratum ab angelis, est etiam hominibus multo magis occultum: quia ea ad quae homines naturali ratione pertingere possunt, multo limpidius et certius angeli naturali cognitione cognoscunt. Similiter etiam revelationes hominibus non fiunt nisi mediantibus angelis: ut patet per Dionysium, IV cap. *Cael. Hier.* * Sed angeli nesciunt tempus determinate: ut patet Matth. XXIV *: *De die illa et hora nemo scit, neque angeli caelorum.* Ergo illud est hominibus occultum.

2. PRAETEREA, Apostoli fuerunt magis conscii secretorum Dei quam alii sequentes: quia, ut dicitur *Rom.* VIII *, ipsi *primitias Spiritus habuerunt;* Glossa *, *tempore prius et ceteris abundantius.* Sed eis de hoc ipso quaerentibus dictum est, *Act.* I *: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae posuit Pater in potestate sua.* Ergo multo magis est aliis occultum.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in libro *Octogintatrium Quaest.* *, *aetas ultima humani generis, quae incipit ab adventu Domini usque ad finem saeculi, quibus generationibus computetur incertum est:* sicut etiam

* Vers. 20.
* Cap. VII.
* Cap. IX, n. 2.
* Ibid.
* Ps. CIV, vers. 8.
* Aug. lib. cit., cap. VII, n. 2.
* Cap. X, n. 5. - Continuat. Comment. s. Th. lect. X.
* Vers. 6.
* Gloss. Ord. et Interlin. ibid.
* Vers. 11, 12.
* Vers. 6.
* I *ad Cor.*, cap. X, vers. 6, 11; Aug. *Cont. Faust.* lib. XXII, cap. LXXVI, LXXIX.
* Vers. 20.
* § 2.
* Vers. 36.
* Vers. 23.
* Interlin. et Lomb.
* Vers. 7.
* Qu. LVIII.

senectus, quae est ultima aetas hominis, non determinatum habet tempus secundum mensuram aliarum, cum quandoque sola *tantum teneat temporis quantum omnes aliae aetates.*

Huius autem ratio est quia determinatus numerus futuri temporis sciri non potest nisi vel per revelationem, vel per naturalem rationem. Tempus autem quod erit usque ad resurrectionem, numerari non potest naturali ratione. Quia simul erit resurrectio et finis motus caeli, ut dictum est *. Ex motu autem accipitur numerus omnium quae determinato tempore per naturalem rationem futura praevidentur. Ex motu autem caeli non potest cognosci finis eius: quia, cum sit circularis, ex hoc ipso habet quod secundum naturam suam possit in perpetuum durare *. Unde naturali ratione tempus quod erit usque ad resurrectionem, numerari non potest.

* Art. praeced.

* Aristot. *Physic.* lib. VIII, cap. VIII, n. 1 sqq. - S. Th. lect. XVI.

Similiter nec per revelationem haberi potest: ideo ut omnes semper sint solliciti et praeparati ad Christo occurrendum. Et propter hoc etiam Apostolis de hoc quaerentibus respondit, *Act.* I *: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate;* in quo, ut Augustinus dicit, XVIII *de Civ. Dei* *, *omnium de hac re calculantium digitos resolvit et quiescere iubet.* Quod enim Apostolis quaerentibus noluit indicare, nec aliis revelabit.

* Cf. arg. *Sed contra* 2.

* Cap. LIII.

Unde omnes illi qui tempus praedictum numerare voluerunt hactenus, falsiloqui sunt inventi. Quidam enim, ut Augustinus dicit ibidem, dixerunt *ab ascensione Domini usque ad ultimum eius adventum quadringentos annos posse compleri; alii quingentos; alii mille.* Quorum falsitas patet. Et similiter patebit eorum qui adhuc computare non cessant.

Ad primum ergo dicendum quod eorum quorum finis cognoscitur principio noto, oportet mensuram esse nobis cognitam. Et ideo, cognito principio alicuius rei cuius duratio mensuratur motu caeli, possumus cognoscere eius finem eo quod motus caeli est nobis notus. Sed mensura durationis motus caeli est sola divina dispositio, quae est nobis occulta. Et ideo, quantumcumque sciamus principium, finem scire non possumus.

Ad secundum dicendum quod per *mille ducentos sexaginta dies,* de quibus fit mentio in *Apoc.* XII, significatur omne tempus in quo Ecclesia durat, et non determinatus aliquis numerus annorum. Et hoc ideo quia praedicatio Christi, super quam fundatur Ecclesia, duravit tribus annis cum dimidio, quod tempus fere continet aequalem numerum dierum numero praedicto.

Et similiter etiam numerus eorum qui in Daniele ponuntur, non est referendus ad numerum aliquem annorum qui sunt usque ad finem mundi, vel usque ad praedicationem Antichristi: sed debet referri ad tempus quo praedicabit et quo persecutio eius durabit.

Ad tertium dicendum quod, quamvis status novi Testamenti in generali sit praefiguratus per statum veteris Testamenti, non tamen oportet quod singula respondeant singulis: praecipue cum in Christo omnes figurae veteris Testamenti fuerint completae. Et ideo Augustinus, XVIII *de Civ. Dei* *, respondet quibusdam qui volebant accipere numerum persecutionum quas Ecclesia passa est secundum numerum plagarum Aegypti, dicens: *Ego per illas res gestas in Aegypto istas persecutiones prophetice significatas esse non arbitror: quamvis ab eis qui hoc putant, exquisite et ingeniose illa singula his singulis comparata videantur, non prophetico spiritu, sed coniectura mentis humanae, quae aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur.*

* Cap. LII.

Et similiter videtur esse de dictis Abbatis Ioachim *, qui per tales coniecturas de futuris aliqua vera praedixit, et in aliquibus deceptus fuit.

* Cf. Bolland. *Act. SS.*, die 7 Mart., *Vit. s. Thomae Aq.*, auctore Guilielm. de Thoco, cap. IV, n. 21.

ART. III. Utrum resurrectio futura sit in noctis tempore

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod resurrectio non erit in noctis tempore. Quia resurrectio non erit *donec atteratur caelum,* ut dicitur *Iob* XIV *. Sed, cessante motu caeli, quod dicitur eius attritio, non erit tempus, neque nox neque dies. Ergo resurrectio non erit in nocte.

* Vers. 12.

2. Praeterea, finis uniuscuiusque rei debet esse perfectissimus *. Sed tunc erit finis temporis: unde in *Apoc.* ** dicitur quod *tempus amplius non erit.* Ergo tunc debet esse tempus in sua optima dispositione. Et ita debet esse dies.

* Cf. Aristot. de *Somn. et Vig.*, cap. II. - S. Th. lect. IV.
** Cap. X, vers. 6.

3. Praeterea, qualitas temporis debet respondere his quae geruntur in tempore: unde Ioan. XIII * fit mentio de nocte quando Iudas exivit a consortio lucis. Sed tunc erit perfecta manifestatio omnium quae nunc latent: quia, cum venerit Dominus, *illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium,* ut dicitur I *Cor.* IV *. Ergo debet esse in die.

* Vers. 30.

* Vers. 5.

Sed contra, resurrectio Christi est exemplar nostrae resurrectionis *. Sed resurrectio Christi fuit in nocte, ut Gregorius dicit, in Homilia Paschali *. Ergo et nostra resurrectio erit tempore nocturno.

* Cf. qu. LXXVI, art. 1; Part. III, qu. LVI, art. 1, ad 3.
* Al. Homil. XXI *in Evang.*, n. 7.

2. Praeterea, adventus Domini comparatur adventui furis in domum, ut patet Luc. XII *. Sed fur in tempore noctis in domum venit. Ergo et Dominus tempore nocturno veniet. Sed veniente ipso fiet resurrectio, ut dictum est *. Ergo fiet resurrectio in tempore nocturno.

* Vers. 39, 40; Matth. cap. XXIV, vers. 43, 44. - Cf. I *ad Thess.* cap. V, vers. 2; *Apoc.* cap. XVI, vers. 15.
* Qu. LXXVI, art. 2.

Respondeo dicendum quod determinata hora temporis qua fiet resurrectio, sciri pro certo non potest, ut patet in littera *. Tamen satis probabiliter a quibusdam dicitur quod resurrectio erit quasi in crepusculo, sole existente in oriente et luna in occidente: quia in tali dispositione sol et luna creduntur esse creata; ut sic eorum circulatio compleatur penitus per reditum ad idem punctum. Unde de Christo dicitur quod tali hora resurrexit *.

* Dist. XLIII, cap. *Media autem nocte.*

* Matth. cap. XXVIII, vers. 1; Marc. cap. XVI, vers 2; Luc. cap. XXIV, vers. 1; Ioan. cap. XX, vers. 1. - Cf. Part. III, qu. LI, art. 4, ad 1, 2.

Ad primum ergo dicendum quod, quando resurrectio erit, non erit tempus, sed finis temporis: quia in eodem instanti in quo cessabit motus caeli, erit resurrectio mortuorum. Et tamen erit situs siderum secundum dispositionem qua se habent nunc in aliqua determinata hora. Et secundum hoc dicitur resurrectio futura tali vel tali hora.

Ad secundum dicendum quod optima dispositio temporis dicitur esse in meridie propter illuminationem solis. Sed tunc *civitas Dei non egebit neque sole neque luna, quia claritas Dei illuminabit eam,* ut dicitur *Apoc.* ult. * Et ideo quantum ad hoc non refert utrum in die vel in nocte resurrectio fiat.

* Vers. 5; cap. XXI, vers. 23.

Ad tertium dicendum quod tempori illi congruit manifestatio quantum ad ea quae tunc gerentur, et occultatio quantum ad determinationem ipsius temporis. Et ideo utrumque congrue fieri potest: ut scilicet sit resurrectio in die vel in nocte.

ART. IV. Utrum resurrectio futura sit subito vel successive

I *ad Cor.*, cap. XV, lect. VIII.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod resurrectio non fiet subito, sed successive. Quia Ezech. XXXVII praenuntiatur resurrectio mortuorum: ubi dicitur *, *Accesserunt ossa ad ossa, et vidi, et ecce, super ea nervi et carnes ascenderunt, et extenta est in eis cutis desuper, et spiritum non habebant.* Ergo reparatio corporum praecedet tempore coniunctionem animarum. Et sic resurrectio non erit subita.

* Vers. 7, 8.

2. Praeterea, illud ad quod exiguntur plures actiones se consequentes, non potest subito fieri. Sed ad resurrectionem exiguntur plures actiones se consequentes: scilicet collectio cinerum, reformatio corporis, et infusio animae. Ergo resurrectio non fiet subito.

3. Praeterea, omnis sonus tempore mensuratur. Sed sonus tubae erit causa resurrectionis, ut dictum est *. Ergo resurrectio fiet in tempore, et non subito.

* Qu. LXXVI, art. 2.

4. Praeterea, nullus motus localis potest esse subito, ut dicitur in libro *de Sensu et Sensato* *. Sed ad resurrectionem exigitur aliquis motus localis in collectione cinerum. Ergo non fiet subito.

* Cap. VI; s. Th. lect. XVI. - Cf. Aristot. *Physic.* lib. VI, cap. III, n. 6; s. Th. lect. V.

Sed contra est quod dicitur I *Cor.* XV *: *Omnes quidem resurgemus in momento, in ictu oculi.* Ergo resurrectio erit subito.

* Vers. 51, 52.

2. Praeterea, virtus infinita subito operatur. Sed, sicut Damascenus dicit *: *Crede resurrectionem futuram divina virtute,* de qua constat quod sit infinita. Ergo resurrectio fiet subito.

* De Fide Orth., lib. IV, cap. ult., in fine.

Respondeo dicendum quod in resurrectione aliqua fient ministerio angelorum, et aliqua virtute divina immediate, ut dictum est *. Illud ergo quod fiet ministerio angelorum, non erit in instanti, si instans dicat indivisibile temporis: erit tamen instans si instans accipiatur pro tempore imperceptibili. Illud autem quod fiet virtute divina immediate, fiet subito, scilicet in termino temporis quo angelorum opus complebitur: quia virtus superior inferiorem ad perfectionem adducit.

* Qu. lxxvi, art. 3.

Ad primum ergo dicendum quod Ezechiel loquebatur populo rudi, sicut et Moyses. Unde, sicut Moyses distinxit opera sex dierum per dies *, ut rudis populus capere posset, quamvis omnia simul sint facta, secundum Augustinum *; ita Ezechiel diversa quae in resurrectione futura sunt expressit, quamvis omnia simul sint futura in instanti.

* Gen. cap. 1.
* De Gen. ad litt., lib. IV, capp. xxxiii, xxxiv.

Ad secundum dicendum quod, quamvis illae operationes sint se invicem consequentes natura, tamen simul sunt tempore: vel quia sunt in eodem instanti; vel una est in instanti ad quod alia terminatur.

Ad tertium dicendum quod idem videtur esse dicendum de sono illo et de formis sacramentorum: scilicet quod in ultimo instanti sonus effectum suum habebit *.

* Cf. Part. III, qu. lxxviii, art. 4, ad 3.

Ad quartum dicendum quod congregatio cinerum, quae sine motu locali esse non potest, fiet ministerio angelorum. Et ideo erit in tempore, sed imperceptibili, propter facilitatem operandi quae competit angelis.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAOCTAVA

DE TERMINO RESURRECTIONIS

Deinde considerandum est de termino a quo resurrectionis *.

* Cf. qu. lxxv, Introd.

Circa quod quaeruntur tria.

Primo: utrum mors sit terminus a quo resurrectionis in omnibus.

Secundo: utrum cineres vel pulveres.

Tertio: utrum illi pulveres habeant naturalem inclinationem ad animam.

ART. I. UTRUM MORS SIT FUTURA TERMINUS A QUO RESURRECTIONIS IN OMNIBUS

Ia IIae, qu. lxxxi, art. 3, ad 1; II *Sent.*, dist. xxxi, qu. 1, art. 2, ad 2; *De Pot.*, qu. iv, art. 6, ad 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod mors non erit terminus a quo resurrectionis in omnibus. Quia quidam non morientur, sed immortalitate *supervestientur* *. Dicitur enim in Symbolo * quod ipse *venturus est iudicare vivos et mortuos.* Hoc autem non potest intelligi quantum ad tempus iudicii: quia tunc erunt omnes vivi. Ergo oportet quod referatur haec distinctio ad tempus praecedens. Et ita non omnes ante iudicium morientur.

* Cf. II *ad Cor.*, cap. v, vers. 4.
* Apostolorum.

2. Praeterea, naturale et commune desiderium non potest esse vacuum et inane, quin in aliquibus expleatur. Sed secundum Apostolum, II *Cor.* v *, hoc est commune desiderium, quod *nolumus exspoliari, sed supervestiri.* Ergo aliqui erunt qui nunquam exspoliabuntur corpore per mortem, sed supervestientur gloria resurrectionis.

* Vers. 4.

3. Praeterea, Augustinus, in *Enchirid.* *, dicit quod quatuor ultimae petitiones Dominicae orationis ad praesentem vitam pertinent. Quarum una est, *Dimitte nobis debita nostra.* Ergo Ecclesia petit in hac vita sibi omnia debita relaxari. Sed Ecclesiae oratio non potest esse cassa, quin exaudiatur: Ioan. xvi *, *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ergo Ecclesia in aliquo huius vitae tempore omnium debitorum remissionem consequetur. Sed unum de debitis, quo pro peccato primi parentis adstringimur, est quod nascimur in originali peccato. Ergo aliquando hoc Ecclesiae Deus praestabit, quod homines sine originali peccato nascentur. Sed mors est poena originalis peccati. Ergo aliqui homines erunt circa finem mundi qui non morientur. Et sic idem quod prius.

* Cap. cxv.
* Vers. 23.

4. Praeterea, via compendiosior est semper sapienti magis eligenda. Sed compendiosior via est quod homines qui invenientur vivi in impassibilitatem resurrectionis transferantur, quam quod prius moriantur et postea resurgant a morte in immortalitatem. Ergo Deus, qui est summe sapiens, hanc viam eliget in his qui vivi invenientur. Et sic idem quod prius.

Sed contra, I *Cor.* xv *: *Quod seminas, non vivificatur nisi prius moriatur.* Et loquitur sub similitudine seminis de resurrectione corporum. Ergo corpora a morte resurgent.

* Vers. 36.

2. Praeterea, I *Cor.* xv *: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* Sed in Christo omnes vivificabuntur. Ergo in Adam omnes morientur. Et sic resurrectio omnium erit a morte.

* Vers. 22.

Respondeo dicendum quod super hac quaestione varie loquuntur Sancti, ut in littera * patet. Tamen haec est securior et communior opinio, quod omnes morientur et a morte resurgent. Et hoc propter tria. Primo, quia magis concordat divinae iustitiae, quae humanam naturam pro peccato primi parentis damnavit *, ut omnes qui per actum naturae ab eo originem ducerent, infectionem originalis peccati contraherent, et per consequens mortis debitores essent.

* Dist. xliii, cap. *Quaeri solet.*
* *Ad Rom.*, cap. v, vers. 12 sqq.; I *ad Cor.*, cap. xv, vers. 22.

Secundo, quia magis concordat divinae Scripturae, quae omnium futuram resurrectionem praedicit *. Resurrectio autem proprie non est nisi *eius quod cecidit et dissolutum est,* ut Damascenus dicit *.

* Ioan. cap. v, vers. 28; I *ad Cor.*, cap. xv, vers. 51.
* *De Fide Orth.*, lib. IV, cap. xxvii.

Tertio, quia magis concordat ordini naturae, in quo invenimus quod id quod corruptum et vitiatum est, in suam novitatem non reducitur nisi corruptione mediante: sicut acetum non fit vinum nisi aceto corrupto et in humorem vitis transeunte. Unde, cum natura humana in defectum necessitatis moriendi devenerit, non erit reditus ad immortalitatem nisi mediante morte.

Convenit etiam ordini naturae propter aliam rationem. Quia, ut in VIII *Physic.* * dicitur, motus caeli est *ut vita quaedam natura existentibus omnibus:* sicut et motus cordis totius corporis vita quaedam est. Unde sicut, cessante motu cordis, omnia membra mortificantur; ita, cessante motu caeli, non potest aliquid vivum remanere illa vita quae ex influentia illius motus conservabatur. Talis autem vita est qua nunc degimus. Unde oportet quod ex hac vita discedant qui post motum caeli quiescentem victuri sunt.

* Cap. i, n. 1. - S. Th. lect. 1.

Ad primum ergo dicendum quod distinctio illa mortuorum et vivorum non est referenda ad ipsum iudicii tempus; neque ad totum tempus praeteritum, quia omnes iudicandi aliquo tempore fuerunt vivi et aliquo tempore mortui; sed ad illud tempus determinatum quod immediate iudicium praecedet, quando scilicet iudicii signa incipient apparere.

Ad secundum dicendum quod perfectum desiderium sanctorum non potest esse vanum: sed nihil prohibet desiderium conditionatum eorum vanum esse. Et tale desiderium est quo *nolumus exspoliari sed supervestiri:* scilicet, si possibile sit. Et hoc desiderium a quibusdam *velleitas* dicitur.

Ad tertium dicendum quod hoc est erroneum, dicere quod aliquis sine peccato originali concipiatur, praeter Christum. Quia ille qui sine peccato originali conciperetur, non indigeret redemptione, quae facta est per Christum. Et sic Christus non esset Redemptor omnium.

Nec potest dici quod non hac redemptione indiguerunt quia praestitum fuit eis ut sine peccato conciperentur quia illa gratia facta est parentibus ut in eis vitium naturae sanaretur, quo manente sine originali peccato generare non possent; vel ipsi naturae, quae sanata est. Oportet enim ponere quod quilibet personaliter redemptione Christi indigeat, non solum ratione naturae.

Liberari autem *a malo,* vel *a debito absolvi,* non potest nisi qui debitum incurrit vel in malum deiectus fuit. Et ideo non possent omnes fructum Dominicae orationis in seipsis percipere nisi omnes debitores nascerentur et malo subiecti. Unde *dimissio debitorum,* vel *liberatio a malo,*

non potest intelligi quod aliquis sine debito vel immunis a malo nascatur: sed quia, cum debito natus, postea per gratiam Christi liberatur.

Nec etiam sequitur, si potest sine errore poni quod aliqui non moriantur, quod sine originali nascantur, licet mors sit poena peccati originalis. Quia Deus potest ex misericordia relaxare alicui poenam ad quam obligatur ex culpa praeterita: sicut adulteram sine poena dimisit, Ioan. VIII *. Et similiter poterit a morte liberare qui reatum mortis contraxerunt cum originali nascendo. Et sic non sequitur: *Si non morientur, ergo nascuntur sine originali peccato.*

* Vers. 11.

Ad quartum dicendum quod non semper via compendiosior est magis eligenda: sed solum quando est magis vel aequaliter accommoda ad finem consequendum. Et sic non est hic, ut ex dictis * patet.

* In corpore.

ART. II. UTRUM OMNIUM RESURRECTIO FUTURA SIT A CINERIBUS

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non omnium resurrectio erit a cineribus. Resurrectio enim Christi est exemplar nostrae resurrectionis *. Sed resurrectio eius non fuit a cineribus: quia *caro eius non vidit corruptionem,* ut dicitur in Psalmo * et *Act.* II **. Ergo resurrectio omnium non erit ex cineribus.

* Cf. qu. LXXVI, art. 1.
* Ps. XV, vers. 10.
** Vers. 31. - Cf. cap. XIII, vers. 35 sqq.

2. Praeterea, corpus hominis non semper comburitur. Sed in cineres non potest aliquid resolvi nisi per combustionem. Ergo non omnes a cineribus resurgent.

3. Praeterea, corpus hominis mortui non statim in cinerem redigitur. Sed quidam statim post mortem resurgent, ut in littera * dicitur, scilicet illi qui vivi invenientur. Ergo non omnes resurgent a cineribus.

* Dist. XLIII, cap. *Quaeri solet.* - Cf. art. praeced.

4. Praeterea, terminus a quo respondet termino ad quem. Sed terminus ad quem resurrectionis non est idem in bonis et malis: I *Cor.* XV *, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Ergo non est idem terminus a quo. Et sic, si mali resurgent a cineribus, boni a cineribus non resurgent.

* Vers. 51.

Sed contra est quod dicit Haymo *: *Omnes in originali peccato natos tenet haec sententia, « Terra es et in terram ibis * ».* Sed omnes qui in communi resurrectione resurgent, fuerunt nati in peccato originali: vel nativitate *ex utero,* vel saltem nativitate *in utero* *. Ergo omnes a cineribus resurgent.

* Cf. *Exposit. in Epp. S. Pauli, ad Rom.* cap. V, vers 10.
* *Gen.* cap. III, vers. 19. - Iuxta LXX Interp.
* Cf. qu. LVI, art. 2, ad 1.

2. Praeterea, multa sunt in corpore humano quae non sunt de veritate humanae naturae. Sed omnia illa auferentur. Ergo oportet omnia corpora in cinerem resolvi.

Respondeo dicendum quod eisdem rationibus quibus ostensum est * omnes a morte resurgere, est etiam ostendendum quod omnes resurgent a cineribus in communi resurrectione: nisi aliquibus ex speciali privilegio gratiae sit indultum contrarium, sicut et resurrectionis acceleratio *.

* Art. praeced.
* Cf. qu. LXXVII, art. 1, ad 2.

Scriptura autem sacra, sicut resurrectionem praenuntiat *, ita et *corporum reformationem, Philip.* III **. Et ideo oportet quod, sicut omnes moriuntur ad hoc quod omnes vere resurgere possint, ita omnium corpora dissolventur ad hoc quod omnium corpora reformari possint. – Sicut etiam in poenam hominis mors a divina iustitia est inflicta, ita et corporis resolutio: ut patet *Genes.* III *: *Terra es et in terram ibis.*

* Ioan. cap. V, vers. 25 sqq.; I *ad Cor.*, cap. XV, vers. 21, 51.
** Vers. 21.
* Vers. 19. - Iuxta LXX Interp.

Similiter etiam ordo naturae exigit ut non solum animae et corporis coniunctio solvatur, sed etiam elementorum commixtio: sicut etiam acetum non potest in vini qualitatem reduci nisi prius facta resolutione in materiam praeiacentem. – Ipsa etiam elementorum commixtio ex motu caeli causatur et conservatur. Quo cessante, omnia mixta in pura elementa resolventur.

Ad primum ergo dicendum quod resurrectio Christi est exemplar nostrae resurrectionis quoad terminum ad quem: non autem quoad terminum a quo.

Ad secundum dicendum quod *cineres* intelliguntur omnes reliquiae quae remanent humano corpore resoluto, duplici ratione. Primo, quia communis mos erat apud antiquos corpora mortuorum comburere et cineres reservare. Unde inolevit modus loquendi ut ea in quae corpus humanum resolvitur, cineres dicantur. – Secundo, propter causam resolutionis, quae est incendium fomitis, quo corpus humanum radicitus est infectum. Unde, ad purgationem huius infectionis, oportet usque ad prima componentia corpus humanum resolvi. Quod autem per incendium resolvitur, dicitur in cineres resolvi. Et ideo ea in quae corpus humanum resolvitur, cineres dicuntur.

Ad tertium dicendum quod ille ignis qui faciem mundi purgabit, poterit statim corpora eorum qui vivi invenientur usque ad cineres resolvere: sicut et alia mixta resolvet in materiam praeiacentem.

Ad quartum dicendum quod motus non accipit speciem a termino a quo, sed a termino ad quem. Et ideo resurrectio sanctorum, quae erit gloriosa, oportet quod differat a resurrectione impiorum, quae non erit gloriosa, penes terminum ad quem: non autem penes terminum a quo. Contingit enim frequenter non esse eundem terminum ad quem, existente eodem termino a quo: sicut de nigredine potest aliquid moveri in albedinem, et in pallorem.

ART. III. UTRUM PULVERES ILLI EX QUIBUS HUMANUM CORPUS REPARABITUR, ALIQUAM HABEANT INCLINATIONEM NATURALEM AD ANIMAM QUAE EIS CONIUNGETUR

I *ad Cor.*, cap. XV, lect. V, VI.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod pulveres illi ex quibus corpus humanum reparabitur, aliquam habeant inclinationem naturalem ad animam quae eis coniungetur. Si enim nullam inclinationem habent ad animam, eodem modo se habent ad illam animam sicut alii pulveres. Ergo non esset differentia utrum ex illis vel ex aliis pulveribus reficeretur corpus animae coniungendum. Quod falsum est *.

* Cf. qu. LXXIX, art. 1.

2. Praeterea, maior est dependentia corporis ad animam quam animae ad corpus. Sed anima separata a corpore adhuc habet aliquam dependentiam ad corpus: unde *retardatur eius motus in Deum propter appetitum corporis,* ut dicit Augustinus *. Ergo multo fortius corpus separatum ab anima adhuc habet naturalem inclinationem ad animam.

* *De Gen. ad litt.* lib. XII, cap. XXXV.

3. Praeterea, *Iob* XX * dicitur: *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiae eius, et cum eo in pulvere dormient.* Sed vitia non sunt nisi in anima. Ergo adhuc in illis pulveribus remanebit aliqua naturalis inclinatio ad animam.

* Vers. 11.

Sed contra, corpus humanum potest resolvi ad ipsa elementa, vel in carnes aliorum animalium converti. Sed elementa sunt homogenea: et similiter caro leonis vel alterius animalis. Cum ergo in aliis partibus elementorum vel animalium non sit aliqua inclinatio naturalis ad illam animam, nec in illis partibus in quas conversum est corpus humanum, erit aliqua inclinatio ad animam. Patet per auctoritatem Augustini, in *Enchirid.* *: *Corpus humanum, in quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur; in quorumcumque hominum seu animalium cibum cedat carnemque vertatur; illi animae humanae in puncto temporis redit quae illud prius ut fieret, viveret et cresceret, animavit.*

* Cap. LXXXVIII.

2. Praeterea, cuilibet inclinationi naturali respondet aliquod agens naturale: alias *natura deficeret in necessariis* *. Sed nullo agente naturali possunt praedicti pulveres eidem animae iterato coniungi. Ergo in eis non est aliqua naturalis inclinatio ad praedictam coniunctionem.

* Cf. Aristot. *de Anima*, lib. III, cap. IX, n. 6. - S. Th. lect. XIV.

Respondeo dicendum quod circa hoc est triplex opinio. Quidam dicunt quod corpus humanum nunquam resolvitur usque ad elementa. Et ita semper in cineribus manet aliqua vis addita elementis, quae facit naturalem inclinationem ad eandem animam.

Sed haec positio contrariatur auctoritati Augustini inductae *, et sensui, et rationi: quia omnia composita ex contrariis possibile est in ea resolvi ex quibus componuntur.

* Arg. *Sed contra* 1.

Et ideo alii dicunt quod illae partes elementorum in quas humanum corpus resolvitur, retinent plus de luce ex hoc quod fuerunt animae humanae coniunctae. Et ex hoc habent quandam inclinationem ad animas.

Sed hoc iterum frivolum est. Quia partes elementorum sunt unius naturae, et aequaliter habent participationem lucis et obscuritatis.

Et ideo aliter dicendum est quod in cineribus illis nulla est inclinatio naturalis ad resurrectionem: sed solum ex ordine divinae providentiae, quo statuit illos cineres iterum animae coniungi. Et ex hoc provenit quod illae partes elementorum iterato coniungentur et non aliae.

Unde patet solutio ad primum.

Ad secundum dicendum quod anima separata a corpore manet in eadem natura quam habebat cum corpori esset unita. Quod de corpore non contingit. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum quod verbum illud *Iob* non est intelligendum quod vitia actu maneant in pulveribus mortuorum: sed secundum ordinem divinae iustitiae, quo sunt deputati cineres illi ad corporis reparationem, quod pro peccatis commissis cruciabitur in aeternum.

QUAESTIO SEPTUAGESIMANONA

DE CONDITIONIBUS RESURGENTIUM. ET PRIMO, DE EORUM IDENTITATE

Consequenter agendum est de conditionibus resurgentium *. Ubi prima consideratio erit de his quae communiter ad bonos et malos pertinent; secunda, de his quae tantum ad bonos pertinent *; tertia, de his quae spectant tantum ad malos *.

* Cf. qu. LXXV, Introd.
* Qu. LXXXII.
* Qu. LXXXVI.

Ad bonos autem et malos communiter tria pertinent: scilicet ipsorum identitas, integritas et qualitas. Et primo videndum est de resurgentium identitate; secundo, de corporum integritate *; tertio, de ipsorum qualitate **.

* Qu. LXXX.
** Qu. LXXXI.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo: utrum idem numero corpus resurget.

Secundo: utrum idem numero homo.

Tertio: utrum oporteat eosdem pulveres ad easdem partes in quibus ante fuerant, reverti.

ART. I. UTRUM IDEM CORPUS NUMERO ANIMA RESUMPTURA SIT IN RESURRECTIONE

IV *Cont. Gent.*, capp. LXXX, LXXXI; *Quaest. Dispp.*, qu. *de Anima*, art. 19, ad 13; *Compend. Theol.*, cap. CLIII; *Quodl.* XI, qu. VI; *In Iob*, cap. XIX, lect. II; I *ad Cor.*, cap. XV, lect. V, IX.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non idem corpus numero anima resumat in resurrectione. I *Cor.* XV*: *Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum.* Sed Apostolus ibi comparat mortem seminationi et resurrectionem pullulationi. Ergo non idem corpus quod per mortem deponitur, in resurrectione resumitur.

* Vers. 37.

2. Praeterea, cuilibet formae aptatur materia secundum suam conditionem; et similiter cuilibet agenti instrumentum. Sed corpus comparatur ad animam sicut materia ad formam, et sicut instrumentum ad agentem. Cum ergo anima in resurrectione non sit eiusdem conditionis sicut modo est, quia vel transfertur totaliter in caelestem vitam, cui inhaesit vivens in mundo, vel deprimitur in brutalem, si brutaliter in hoc mundo vixit; videtur quod non resumet idem corpus, sed vel caeleste vel brutale.

3. Praeterea, corpus humanum usque ad elementa post mortem resolvitur, ut dictum est supra *. Sed illae partes elementorum in quas corpus humanum resolutum est, non conveniunt cum humano corpore quod in ea resolutum est nisi in materia prima: quo modo quaelibet aliae partes elementorum cum praedicto corpore conveniunt. Si autem ex aliis partibus elementorum corpus formaretur, non diceretur idem numero. Ergo nec si ex illis partibus reparetur, corpus non erit numero idem.

* Qu. LXXVIII, art. 3.

4. Praeterea, impossibile est esse idem numero cuius partes essentiales sunt aliae numero. Sed forma mixti, quae est essentialis pars corporis humani sicut forma eius, non poterit eadem numero resumi. Ergo corpus non erit idem numero. – Probatio mediae. Illud enim quod penitus cedit in non-ens, non potest idem numero resumi. Quod patet ex hoc quod non potest esse idem numero cuius est esse diversum: sed esse interruptum, quod est actus entis, est diversus; sicut et quilibet alius actus interruptus. Sed forma mixtionis cedit penitus in non-ens per mortem: cum sit forma corporalis. Et similiter qualitates contrariae, ex quibus fit mixtio. Ergo forma mixtionis non redit eadem numero.

Sed contra est quod dicit Iob *: *In carne mea videbo Deum salvatorem meum.* Loquitur autem de visione post resurrectionem: quod patet ex hoc quod praecedit *, *In novissimo die de terra surrecturus sum.* Ergo idem numero corpus resurget.

* Cap. XIX, vers. 26.
* Vers. 25.

2. Praeterea, sicut Damascenus dicit, in IV libro *, *resurrectio est eius quod cecidit secunda surrectio.* Sed hoc corpus quod nunc gerimus, per mortem cecidit. Ergo idem numero resurget.

* *De Fide Orth.*, lib. IV, cap. XXVII.

Respondeo dicendum quod circa hanc quaestionem et philosophi erraverunt, et quidam haeretici moderni errant. Quidam enim philosophi posuerunt animas a corpore separatas iterato corporibus coniungi *, sed erraverunt in hoc quantum ad duo. Primo quidem, quantum ad modum coniunctionis. Quia quidam ponebant corpori iterum coniungi naturaliter animam separatam per viam generationis. – Secundo, quantum ad corpus cui coniungebatur secundo. Quia ponebant quod secunda coniunctio non erat ad idem corpus quod per mortem depositum fuit, sed ad aliud, quandoque quidem idem specie, quandoque autem diversum. Ad diversum quidem, quando anima in corpore existens praeter rationis ordinem vitam duxerat bestialem: unde transibat post mortem de corpore hominis in corpus alterius animalis, cuius moribus vivendo se conformavit, sicut in corpus canis propter luxuriam, in corpus leonis propter rapinam et violentiam, et sic de aliis. Sed in corpus eiusdem speciei, quando anima bene in corpore vivens, post mortem aliqua felicitate perfuncta, post aliqua saecula incipiebat ad corpus velle redire, et sic iterum corpori coniungebatur humano.

* Cf. qu. LXX, art. 2; qu. LXXVII, art. 1; II *Sent.*, dist. XVII, qu. II, art. 2.

Sed haec opinio ex duabus falsis radicibus venit. Quarum prima est, quia dicunt quod anima non coniungitur corpori essentialiter, sicut forma materiae; sed solum accidentaliter, sicut motor mobili *, aut sicut homo vestimento. Et ideo ponere poterant quod anima praeexistebat antequam corpori generato infunderetur in generatione naturali; et iterum quod diversis corporibus uniretur. – Secunda est, quia ponebant intellectum non differre a sensu nisi accidentaliter: ut si homo diceretur intellectum habere prae aliis animalibus quia in eo propter optimam corporis complexionem vis sensitiva amplius viget *. Unde poterant ponere quod anima hominis in corpus animalis bruti transiret: praecipue facta immutatione animae humanae ad effectus brutales. – Sed praedictae duae rationes destruuntur a Philosopho in libro *de Anima* *. Quibus destructis, patet falsitas praedictae positionis.

* Cf. qu. LXX, art. 2; Part. I, qu. LXXVI, art. 1; Aristot. *de Anima*, lib. I, cap. III, n. 23, s. Th. lect. VIII.
* Vide Aristot. *de Part. Animal.* lib. II, cap. XVII; *de Anima*, lib. II, cap. IX, n. 2, s. Th. lect. XIX.
* Lib. II, cap. I, n. 5, s. Th. lect. I; lib. III, cap. III, s. Th. lect. IV.

Et simili modo destruuntur errores quorundam haereticorum. Quorum quidam in praedictas positiones inciderunt. – Quidam autem posuerunt animas iterato coniungi corporibus caelestibus, vel etiam corporibus in modum venti subtilibus: ut Gregorius de quodam Episcopo Constantinopolitano narrat *, exponens illud *Iob* **, *In carne mea videbo Deum*, etc.

* *Moral.* lib. XIV, cap. LVI, al. XXIX; in vet. cap. XXXI. - Cf. Part. III, qu. LIV, art. 3.
** Cap. XIX, vers. 26.

Et praeter hoc, praedicti errores haereticorum destrui possunt ex hoc quod veritati resurrectionis praeiudicant, quam sacra Scriptura profitetur *. Non enim resurrectio dici potest nisi anima ad idem corpus redeat: quia resurrectio est *iterata surrectio* *; eiusdem autem est surgere et cadere. Unde resurrectio magis respicit corpus, quod post mortem cadit, quam animam, quae post mortem vivit. Et ita, si non est idem corpus quod anima resumit, non dicetur resurrectio, sed magis novi corporis assumptio.

* Ioan. cap. V, vers. 25, 28; I *ad Cor.*, cap. XV, vers. 51.
* Cf. arg. *Sed contra* 2.

Ad primum ergo dicendum quod similitudo non currit per omnia, sed quantum ad aliquid. In seminatione enim grani granum seminatum et natum non est idem numero, nec eodem modo se habens: cum primo seminatum fuerit absque folliculis, cum quibus nascitur. Corpus autem resurgens erit idem numero, sed alio modo se habens: quia fuit mortale, et surget in immortalitate.

Ad secundum dicendum quod differentia quae est inter animam resurgentis et animam in hoc mundo viventis,

non est secundum aliquid essentiale, sed secundum gloriam et miseriam, quae differentiam accidentalem faciunt. Unde non oportet quod aliud corpus numero resurgat, sed alio modo se habens, ut respondeat proportionaliter differentia corporum differentiae animarum.

Ad tertium dicendum quod illud quod intelligitur in materia ante formam, remanet in materia post corruptionem: quia, remoto posteriori, adhuc potest remanere prius. Oportet autem, ut Commentator dicit, in I *Physic.* * et in libro *de Substantia Orbis* *, in materia generabilium et corruptibilium ante formam substantialem intelligere dimensiones non terminatas, secundum quas attendatur divisio materiae, ut diversas formas in diversis partibus recipere possit. Unde et post separationem formae substantialis a materia, adhuc dimensiones illae manent eaedem. Et sic materia sub illis dimensionibus existens, quamcumque formam accipiat, habet maiorem identitatem ad illud quod ex ea generatum fuerat quam aliqua pars aliae materiae sub quacumque forma existens. Et sic eadem materia ad corpus humanum reparandum reducetur quae prius materia eius fuit.

* Text. LXIII.
* Cap. I.

Ad quartum dicendum quod, sicut qualitas simplex non est forma substantialis elementi, sed accidens proprium eius et dispositio per quam materia efficitur propria tali formae; ita forma mixtionis, quae est forma resultans ex qualitatibus simplicibus ad medium venientibus, non est forma substantialis corporis mixti, sed est accidens proprium, et dispositio per quam materia fit necessaria ad formam *. Corpus autem humanum praeter hanc formam mixtionis non habet aliam formam substantialem nisi animam rationalem: quia, si haberet aliam formam substantialem priorem, illa daret ei substantiale esse, et sic per eam constitueretur in genere substantiae; unde anima iam adveniret corpori constituto in genere substantiae; et sic comparatio animae ad corpus esset sicut comparatio formarum artificialium ad suas materias, quantum ad hoc quod constituuntur in genere substantiae per suam materiam. Unde coniunctio animae ad corpus esset accidentalis: quod est error antiquorum philosophorum, a Philosopho reprobatus in libro *de Anima* *. Sequeretur etiam quod corpus humanum, et singulae partes eius, non aequivoce retinerent priora nomina: quod est contra Philosophum, in II *de Anima* *. Unde, cum anima rationalis remaneat, nulla forma corporis humani substantialis cedit penitus in non-ens. Formarum autem accidentalium variatio non facit diversitatem in numero. Unde idem numero resurget: cum materia eadem numero resumatur, ut in praecedenti solutione dictum est.

* Cf. Opusc. *de Mixtione Element.*
* Lib. II, cap. II, n. 12; s. Th. lect. IV. - Cf. Part. I, qu. LXXVI, art. I.
* Cap. I, n. 9. - S. Th. lect. II.

ART. II. UTRUM SIT FUTURUS IDEM NUMERO HOMO QUI RESURGET

IV *Cont. Gent.*, cap. LXXX. LXXXI; *QQ. Dispp.*, qu. *de Anima*, art. 19. ad 5; *Compend. Theol.*, cap. CLIV; *In Iob*, cap. XIX, lect. II; I *ad Cor.*, cap. XV, lect. IX.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non sit idem numero homo qui resurget. Sicut enim dicit Philosophus, in II *de Generat.* *, *quaecumque habent speciem corruptibilem motam, non reiterantur eadem numero.* Sed talis est substantia hominis secundum praesentem statum. Ergo non potest post mutationem mortis reiterari idem numero.

* Cap. XI, n. 9. - Continuat. Comment. s. Th. lect. XII.

2. Praeterea, ubi est alia et alia humanitas, non est idem homo numero: unde Socrates et Plato sunt duo homines et non unus homo, quia alia est humanitas utriusque. Sed alia est humanitas hominis resurgentis ab ea quam nunc habet. Ergo non est idem homo numero.

Media probari potest dupliciter. Primo, quia humanitas, quae est forma totius, non est forma et substantia, sicut anima, sed est forma tantum. Huiusmodi autem formae cedunt penitus in non-ens: et sic non possunt iterari *.

* Cf. art. praec., arg. 4.

Secundo, quia humanitas resultat ex coniunctione partium. Sed non potest eadem numero coniunctio resumi quae prius fuit, quia iteratio identitati opponitur: iteratio enim numerum importat, identitas autem unitatem, quae se non compatiuntur. In resurrectione autem coniunctio iteratur. Ergo non est eadem coniunctio. Et sic nec eadem humanitas, nec idem homo.

3. Praeterea, unus homo non est si est plura animalia. Ergo, si non est idem animal, non est unus homo numero. Sed ubi non est idem sensus, non est idem animal: quia animal definitur per sensum primum, scilicet tactum, ut patet in II *de Anima* *. Sensus autem, cum non maneant in anima separata, ut quidam dicunt *, non possunt idem numero resumi. Ergo in resurrectione non erit homo resurgens idem animal numero. Et sic nec idem homo.

* Cap. II, n. 4, 5; s. Th. lect. III. - Cf. *de Part. Animal.*, lib. II, cap. VIII.
* Cf. qu. LXX, art. I.

4. Praeterea, materia statuae principalior est in statua quam materia hominis in homine: quia artificialia tota sunt in genere substantiae ex materia, sed naturalia ex forma, ut patet per Philosophum, II *Physic.* *; et Commentator idem dicit, in II *de Anima* *. Sed, si statua ex eodem aere reficiatur, non est eadem numero. Ergo multo minus, si homo ex eisdem pulveribus reficiatur, non erit idem homo numero.

* Cap. I, n. 12, 13. - S. Th. lect. II.
* Text. VIII.

Sed contra est quod dicitur *Iob* XIX *: *Quem visurus sum ego ipse et non alius:* et loquitur de visione post resurrectionem *. Ergo idem homo numero resurget.

* Vers. 27.
* Vers. 25, 26.

2. Praeterea, Augustinus dicit, VIII *de Trin.* *, quod *resurgere nihil est aliud quam reviviscere.* Nisi autem idem homo numero rediret ad vitam qui mortuus est, non diceretur reviviscere. Ergo non resurget. Quod est contra fidem.

* Cap. V.

Respondeo dicendum quod necessitas ponendi resurrectionem est ex hoc ut homo finem ultimum, propter quem factus est, consequatur, quod in hac vita fieri non potest, nec in vita animae separatae *: alias vane esset homo constitutus, si ad finem ad quem factus est, venire non posset. Et quia oportet quod illud idem numero ad finem perveniat quod propter finem est factum, ne in vanum factum esse videatur; oportet quod idem homo numero resurgat. Et hoc quidem fit dum eadem anima eidem numero corpori coniungitur *. Alias enim non esset resurrectio, proprie loquendo, nisi idem homo repararetur. Unde ponere quod idem numero non sit qui resurget, est haereticum, derogans veritati Scripturae, quae resurrectionem praedicat *.

* Cf. qu. LXXV, art. I, 2.
* Cf. art. praeced.
* Ioan. cap. V, vers. 25, 28; I *ad Cor.*, cap. XV, vers. 51.

Ad primum ergo dicendum quod Philosophus loquitur de iteratione quae fit per motum vel mutationem naturalem. Ostendit enim differentiam circulationis quae est in generatione et corruptione, ad circulationem quae est in motu caeli. Quia caelum per motum localem redit idem numero ad principium motus: quia habet substantiam incorruptibilem motam. Sed generabilia et corruptibilia per generationem redeunt ad idem specie, non ad idem numero: quia ex homine generatur semen, ex quo sanguis, et sic deinceps usquequo perveniatur ad hominem non eundem numero sed specie; et ex igne generatur aer, ex quo aqua, ex aqua terra, ex terra ignis non idem numero sed specie. Unde patet quod ratio inducta, secundum Philosophi intentionem, non est ad propositum.

Vel dicendum quod aliorum generabilium et corruptibilium forma non est per se subsistens, ut post compositi corruptionem remanere valeat: sicut est de anima rationali, quae esse quod sibi in corpore acquirit, etiam post corpus retinet, et in participationem illius esse corpus per resurrectionem adducitur; cum non sit aliud esse corporis et aliud animae in homine, alias esset coniunctio animae et corporis accidentalis. Et sic interruptio nulla facta est in esse substantiali hominis, ut non possit idem numero redire homo propter interruptionem essendi: sicut accidit in aliis rebus corruptis, quarum esse omnino interrumpitur, forma non remanente, materia autem sub alio esse remanente.

Sed tamen nec etiam homo per generationem naturalem reiteratur idem numero. Quia corpus generati hominis non fit ex tota materia generantis. Unde est corpus diversum in numero: et per consequens anima, et totus homo.

Ad secundum dicendum quod de humanitate, et qualibet forma totius, est duplex opinio. Quidam * enim dicunt quod idem secundum rem est forma totius et forma partis: forma partis, secundum quod perficit materiam; forma autem totius secundum quod ex ea tota ratio spe-

* B. Albert. IV *Sent.*, dist. XLIV, art. II, ad 2.

ciei consequitur. Et secundum hanc opinionem humanitas secundum rem non est aliud quam anima rationalis. Et sic, cum anima rationalis eadem numero resumatur, eadem numero erit humanitas. Et etiam post mortem manet: quamvis non sub ratione humanitatis, quia ex ea compositum rationem speciei non consequitur.

Alia opinio est Avicennae *, quae verior videtur: quod forma totius non est forma partis tantum, nec forma aliqua alia praeter formam partis; sed est totum resultans ex compositione formae et materiae, comprehendens in se utrumque; et haec forma partis totius essentia vel quidditas dicitur. Quia ergo in resurrectione idem numero corpus erit et eadem numero anima rationalis, erit de necessitate eadem humanitas.

* *Metaphys.* lib. V, tract. v.

Ratio autem procedebat ac si humanitas esset quaedam alia forma superveniens formae et materiae. Quod falsum est.

Secunda autem ratio etiam non potest identitatem humanitatis impedire. Quia coniunctio significat actionem vel passionem. Quae quamvis diversa sit, non potest identitatem humanitatis impedire: quia actio et passio ex quibus erat humanitas, non sunt de essentia humanitatis; unde eorum diversitas non inducit diversitatem humanitatis. Constat enim quod generatio et resurrectio non sunt idem motus numero: nec tamen propter hoc identitas resurgentis impeditur. – Similiter etiam nec impeditur identitas humanitatis si accipiatur coniunctio pro ipsa relatione. Quia relatio illa non est de essentia humanitatis, sed concomitatur eam: eo quod humanitas non est de illis formis quae sunt compositio et ordo, ut dicitur II *Physic.* *, sicut sunt formae artificiatorum; unde, existente alia compositione numero, non est eadem numero forma domus.

* Cap. I, n. 12, 13. - S. Th. lect. II.

Ad tertium dicendum quod ratio illa optime concludit contra illos qui ponunt animam sensibilem et rationalem diversas in homine esse: quia secundum hoc anima sensitiva in homine non esset incorruptibilis, sicut nec in aliis animalibus. Unde in resurrectione non erit eadem anima sensibilis; et per consequens nec idem animal, nec idem homo.

Si autem ponamus quod eadem anima secundum substantiam in homine sit rationalis et sensibilis, nullas in hoc angustias patiemur. Quia animal definitur per sensum qui est anima sensitiva, sicut per formam essentialem; per sensum autem qui est potentia sensitiva, cognoscitur eius definitio sicut per formam accidentalem, quae *maximam partem confert ad cognoscendum quod quid est,* ut in I *de Anima* * dicitur. Post mortem ergo manet anima sensibilis, sicut et anima rationalis, secundum substantiam. Sed potentiae sensitivae secundum quosdam non manent. Quae quidem potentiae cum sint accidentales proprietates, earum varietas identitatem animalis totius auferre non potest, nec etiam partium animalis. Nec dicuntur potentiae perfectiones vel actus organorum nisi sicut principia agendi, ut calor in igne.

* Cap. I, n. 8. - S. Th. lect. I.

Ad quartum dicendum quod statua dupliciter potest considerari: vel secundum quod est substantia quaedam; vel secundum quod est artificiale quoddam. Et quia in genere substantiae ponitur ratione suae materiae, ideo, si consideretur secundum quod est substantia quaedam, est eadem numero statua quae ex eadem materia reparatur. Sed in genere artificialium ponitur secundum quod est forma. Quae accidens quoddam est, et transit, statua destructa. Et sic non redit idem numero: nec statua eadem numero esse potest. Sed forma hominis, scilicet anima, manet post dissolutionem corporis. Et ideo non est similis ratio.

ART. III. UTRUM OPORTEAT PULVERES HUMANI CORPORIS AD EAM PARTEM CORPORIS QUAE IN EIS DISSOLUTA EST, PER RESURRECTIONEM REDIRE

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod oporteat pulveres humani corporis ad eam partem corporis quae in eis dissoluta est, per resurrectionem redire. Quia secundum Philosophum, in II *de Anima* *, *sicut se habet tota anima ad totum corpus, ita pars animae ad partem corporis*, ut visus ad pupillam. Sed oportet quod post resurrectionem corpus resumatur ab eadem anima. Ergo oportet quod etiam partes corporis resumantur ad eadem membra in quibus eisdem partibus animae perficiantur.

* Cap. I, n. 9. - S. Th. lect. II.

2. Praeterea, diversitas materiae facit diversitatem in numero. Sed, si pulveres non redeant ad easdem partes, singulae partes non reficientur ex eadem materia ex qua prius constabant. Ergo non erunt eaedem numero. Sed si partes sunt diversae, et totum erit diversum: quia partes comparantur ad totum sicut materia ad formam, ut patet in II *Physic.* * Ergo non erit idem numero homo. Quod est contra veritatem resurrectionis.

* Cap. III, n. 5. - S. Th. lect. V.

3. Praeterea, resurrectio ad hoc ordinatur quod homo operum suorum mercedem accipiat. Sed diversis operibus meritoriis vel demeritoriis diversae partes corporis deserviunt. Ergo oportet quod in resurrectione quaelibet pars ad suum statum redeat, ut pro suo modo praemietur.

Sed contra, artificialia magis dependent ex sua materia quam naturalia *. Sed in artificialibus, ad hoc quod idem artificiatum ex eadem materia reparetur, non oportet quod partes reducantur ad eundem situm. Ergo nec in homine oportet.

* Cf. art. praeced., arg. 4.

2. Praeterea, variatio accidentis non facit diversitatem in numero. Sed situs partium est accidens quoddam *. Ergo diversitas eius in homine non facit diversitatem in numero.

* Aristot. *Categ.* cap. II, n. 6.

Respondeo dicendum quod in hac quaestione differt considerare quid fieri possit sine identitatis praeiudicio, et quid fiet ut congruentia servetur. Quantum ergo ad primum, sciendum est quod in homine possunt accipi diversae partes dupliciter: uno modo, diversae partes totius homogenei, sicut diversae partes carnis, vel diversae partes ossis; alio modo, diversae partes diversarum specierum totius heterogenei, sicut os et caro. Si ergo dicatur quod pars materiae redibit ad aliam partem speciei eiusdem, hoc non faciet nisi varietatem in situ partium. Situs autem partium variatus non variat speciem in totis homogeneis. Et sic, si materia unius partis redeat ad aliam, nullum praeiudicium generabitur identitati totius. Et ita etiam est in exemplo quod ponitur in littera *: quia statua non redit eadem numero secundum formam, sed secundum materiam, secundum quam est substantia quaedam; sic autem statua est homogenea, quamvis non secundum formam artificialem.

* Dist. XLIV, cap. *Non enim perit.*

Si autem dicatur quod materia unius partis redit ad aliam partem alterius speciei, sic de necessitate variatur non solum situs partium, sed etiam identitas earum: ita tamen si tota materia, aut aliquid quod erat de veritate humanae naturae in una, in aliam transferatur; non autem si aliquid quod erat in una parte superfluum, transferatur in aliam. Ablata autem identitate partium aufertur identitas totius, si loquimur de partibus essentialibus: non autem si loquimur de partibus accidentalibus, sicut sunt capilli et ungues, de quibus videtur loqui Augustinus *. Et sic patet qualiter translatio materiae de parte in partem tollit identitatem totius, et qualiter non.

* *Enchirid.*, cap. LXXXIX; cf. *De Civit. Dei*, lib. XXII, cap. XIX. - Vide litt., cap. cit. supra.

Sed loquendo secundum congruentiam, magis probabile est quod etiam situs partium idem servabitur in resurrectione, praecipue quantum ad partes essentiales et organicas: quamvis forte non quantum ad accidentales, sicut sunt ungues et capilli.

Ad primum ergo dicendum quod obiectio illa procedit de partibus organicis, et non de partibus similibus.

Ad secundum dicendum quod situs diversus partium materiae non facit diversitatem in numero: quamvis eam faciat diversitas materiae.

Ad tertium dicendum quod operatio, proprie loquendo, non est partis, sed totius. Unde praemium non debetur parti, sed toti.

QUAESTIO OCTOGESIMA

DE INTEGRITATE CORPORUM RESURGENTIUM

Deinde considerandum est de integritate corporum resurgentium *.

* Cf. qu. LXXIX, Introd.

Circa quod quaeruntur quinque.

Primo: utrum omnia membra corporis humani in ipso resurgant.

Secundo: utrum capilli et ungues.
Tertio: utrum humores.
Quarto: utrum totum id quod fuit in eo de veritate humanae naturae.
Quinto: utrum quidquid in eo materialiter fuerit.

ART. I. UTRUM OMNIA MEMBRA CORPORIS HUMANI RESURRECTURA SINT

Quaest. Dispp., qu. *de Pot.*, qu. v, art. 10, ad 9: *Compend. Theol.*, cap. CLVII; *Quodl.* VII, qu. v, art. 2.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non omnia membra corporis humani resurgant. Remoto enim fine, frustra reparatur id quod est ad finem. Finis autem cuiuslibet membri est eius actus. Cum ergo nihil frustra sit in operibus divinis; et quorundam membrorum usus post resurrectionem non competat, praecipue genitalium, quia tunc *neque nubent neque nubentur* *; videtur quod non omnia membra resurgent.

* Matth. cap. XXII, vers. 30; Marc. cap XII, vers. 25; Luc. cap. XX, vers. 35.

2. PRAETEREA, intestina quaedam membra sunt. Sed non resurgent. Plena enim resurgere non possunt: quia immunditias continent. Nec vacua: quia nihil est vacuum in natura *. Ergo non omnia membra rusurgent.

* Cf. Arist. *Physic.* lib. IV, cap. VI sqq. - S. Th. lect. IX sqq.

3. PRAETEREA, ad hoc corpus resurget ut praemietur de opere quod anima per ipsum gessit *. Sed membrum propter furtum amputatum furi qui postea poenitentiam agit et salvatur, non potest in resurrectione remunerari: neque de bono, quia ad hoc non cooperatum est; neque de malo, quia poena membri in poenam hominis redundaret. Ergo non omnia membra resurgent cum homine.

* II *ad Cor.*, cap. V, vers. 10.

SED CONTRA, magis pertinent ad veritatem humanae naturae alia membra quam capilli et ungues. Sed capilli et ungues restituentur homini in resurrectione, ut in littera * dicitur. Ergo multo fortius alia membra.

* Dist. XLIV, cap. *Non enim perit.*

2. PRAETEREA, *Dei perfecta sunt opera* *. Sed resurrectio opere divino fiet. Ergo homo reparabitur perfectus in omnibus membris.

* *Deut.* cap. XXXII, vers. 4.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dicitur in II *de Anima* *, anima se habet ad corpus non solum in habitudine formae et finis, sed etiam in habitudine causae efficientis. Est enim comparatio animae ad corpus sicut comparatio artis ad artificiatum, ut dicitur in XIII *de Animal.* * *: quidquid autem explicite in artificiato ostenditur, hoc totum implicite et originaliter in ipsa arte continetur. Et similiter quidquid in partibus corporis apparet, totum originaliter et quodammodo implicite in anima continetur. Sicut ergo artis opus non esset perfectum si artificiato aliquid deesset eorum quae ars continet, ita nec homo posset esse perfectus nisi totum quod in anima implicite continetur, exterius in corpore explicaretur: nec etiam corpus animae ad plenum proportionaliter responderet. Cum ergo oporteat in resurrectione corpus hominis esse animae totaliter correspondens, quia non resurget nisi secundum ordinem quem habet ad animam rationalem; oportet etiam hominem perfectum resurgere, utpote qui ad ultimam perfectionem consequendam reparatur: oportet quod omnia membra quae nunc sunt in corpore, in resurrectione hominis reparentur.

* Cap. IV, vers. 3 sqq. - S. Th. lect. VII.
* Al. *de Animal. Generat.*, lib. II, cap. IV, in fine.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod membra possunt dupliciter considerari in comparatione ad animam: vel secundum habitudinem materiae ad formam, vel secundum habitudinem instrumenti ad agentem; eadem enim est comparatio totius corporis ad totam animam et partium ad partes, ut dicitur in II *de Anima* *. Si ergo membrum accipiatur secundum primam comparationem, finis eius non est operatio, sed magis perfectum esse speciei: quod etiam post resurrectionem requiretur. Si autem accipiatur secundum secundam comparationem, sic finis eius est operatio. Nec tamen sequitur quod, quando deficit operatio, frustra sit instrumentum: quia instrumentum non solum servit ad exequendam operationem agentis, sed ad ostendendam virtutem ipsius. Unde oportebit quod virtus potentiarum animae in instrumentis corporeis demonstretur, etsi nunquam in actum prodeant, ut ex hoc commendetur Dei sapientia.

* Cap. I, n. 9. - S. Th. lect. II.

AD SECUNDUM DICENDUM quod intestina resurgent in corpore, sicut et alia membra. Et plena erunt, non quidem turpibus superfluitatibus, sed nobilibus humiditatibus.

AD TERTIUM DICENDUM quod actus quibus meremur non sunt, proprie loquendo, manus vel pedis, sed totius hominis *: sicut et operatio artis non attribuitur serrae, sed artifici, ut principio *. Quamvis ergo membrum quod ante poenitentiam est mutilatum, non sit cooperatum homini in statu illo quo gloriam post meretur, tamen ipse homo meretur ut totum praemietur, qui ex toto quod habet Deo servit.

* Cf. qu. LXXIX, art. 3, ad 3.
* Arist. *de Gen. et Corr.* lib. II, cap. IX, n. 10. - Continuat. Comment. s. Th. lect. IX.

ART. II. UTRUM CAPILLI ET UNGUES RESURRECTURI SINT IN HOMINE

Part. III, qu. LIV, art. 3; *In Matth.*, cap. X.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod capilli et ungues non resurgent in homine. Sicut enim capilli et ungues ex superfluitatibus cibi generantur, ita urina et sudor et aliae huiusmodi faeces. Sed haec non resurgent cum corpore. Ergo nec capilli et ungues.

2. PRAETEREA, inter alias superfluitates quae ex cibo generantur, maxime accedit ad naturae humanae veritatem semen, quod est *superfluum quo indigetur* *. Sed semen non resurget in corpore hominis. Ergo multo minus capilli et ungues resurgent.

* Aristot. *de Animal. Generat.*, lib. I, cap. XVIII; I Part. qu. CXIX, art. 2; I^a II^ae qu. CLIII, art. 3, ad 1.

3. PRAETEREA, nihil est perfectum anima rationali quod non sit perfectum anima sensibili. Sed capilli et ungues non sunt perfecti anima sensibili: quia eis *non sentimus*, ut dicitur in I *de Anima* *. Ergo, cum non resurgat corpus humanum nisi propter hoc quod est perfectum ab anima rationali, videtur quod capilli et ungues non resurgent.

* Cap. V, n. 9; s. Th. lect. XII. - Cf. lib. III, cap. XIII, n. 1; s. Th. lect. XVIII.

SED CONTRA EST quod dicitur Luc. XXI *: *Capillus de capite vestro non peribit.*

* Vers. 18.

2. PRAETEREA, capilli et ungues sunt dati in ornamentum homini. Sed corpora hominum, praecipue electorum, debent resurgere cum omni ornatu. Ergo debent resurgere cum capillis.

RESPONDEO DICENDUM quod anima se habet ad corpus animatum sicut ars ad artificiatum, et ad partes eius sicut ars ad sua instrumenta: unde et corpus animatum *organicum* dicitur *. Ars autem utitur instrumentis quibusdam ad operis intenti executionem, et haec instrumenta sunt de prima intentione artis; utitur etiam aliis instrumentis ad conservationem principalium instrumentorum, et haec sunt de secunda intentione artis; sicut ars militaris utitur gladio ad bellum, et vagina ad gladii conservationem. Ita et in partibus corporis animati quaedam ordinantur ad operationes animae exequendas, sicut cor, hepar, manus et pes; quaedam autem ad conservationem aliarum partium, sicut folia sunt ad cooperimentum fructuum. Ita etiam capilli et ungues sunt in homine ad custodiam aliarum partium. Unde sunt de secunda perfectione corporis humani, quamvis non de prima. Et quia homo resurget in omni perfectione suae naturae, propter hoc oportet quod capilli et ungues resurgant in ipso.

* Aristot. *de Anima*, lib. II, cap. I, n. 5, 6. - S. Th. lect. I.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illae superfluitates expelluntur a natura, quasi ad nihilum utiles: unde non pertinent ad perfectionem humani corporis. Secus autem est de illis superfluitatibus quas natura sibi retinet ad generationem capillorum et unguium, quibus indiget ad membrorum conservationem.

AD SECUNDUM DICENDUM quod semine non indigetur ad perfectionem individui, sicut capillis: sed solum ad perfectionem speciei.

AD TERTIUM DICENDUM quod capilli et ungues nutriuntur et augentur: et sic patet quod aliqua operatione participent. Quod non posset esse nisi essent partes aliquo modo ab anima perfectae. Et quia in homine non est nisi una anima, scilicet rationalis *, constat quod ab anima rationali perfecta sunt: quamvis non usque ad hoc quod operationem sensus participent; sicut nec ossa, de quibus constat quod resurgent *, et sunt de integritate individui.

* Qu. LXXIX, art. 2, ad 3; Part. I, qu. LXXVI, art. 3.
* Ioan. cap. XXIV, vers. 39; - Cf. Part. III, qu. IV, art. 3.

ART. III. UTRUM HUMORES IN CORPORE RESURRECTURI SINT

Part. III, qu. LIV, art. 3, ad 2.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod humores in corpore non resurgent. Quia I *Cor.* XV * dicitur: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Sed sanguis est principalior humor. Ergo non resurget in beatis, qui regnum Dei possidebunt. Et multo minus in aliis.

* Vers. 50.

2. PRAETEREA, humores sunt ad restaurationem deperditi. Sed post restaurationem nulla deperditio fiet. Ergo corpus non resurget cum humoribus.

3. PRAETEREA, illud quod est via generationis in corpore humano, nondum est ab anima rationali perfectum. Sed humores adhuc sunt in via generationis: quia sunt in potentia caro et os *. Ergo nondum sunt perfecti anima rationali. Sed corpus humanum non habet ordinem ad resurrectionem nisi secundum quod est anima rationali perfectum *. Ergo humores in eo non resurgent.

* Cf. Aristot. *de Partib. Animal.*, lib. III, cap. V.
* Cf. art. 1.

SED CONTRA, quod est de constitutione corporis humani, resurget in eo. Sed humores sunt huiusmodi: ut patet per Augustinum, qui dicit * quod *corpus constat ex membris officialibus, officialia ex consimilibus, consimilia ex humoribus.* Ergo humores resurgent in corpore.

* *De Spirit. et Anim.*, cap. XV. - Inter Opp. Aug.

2. PRAETEREA, resurrectio nostra erit conformis resurrectioni Christi *. Sed in Christo resurrexit sanguis: alias nunc vinum non transubstantiaretur in sanguinem eius in sacramento Altaris. Ergo et in nobis resurget sanguis. Et eadem ratione alii humores.

* Qu. LXXVI, art. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod quidquid pertinet ad integritatem humanae naturae, in resurgente hoc totum resurget, ratione praedicta *. Unde oportet quod illa humiditas corporis resurgat in homine quae ad integritatem eius pertineat.

* Art. 1, 2.

Est autem in homine triplex humiditas. Quaedam enim humiditas est in recedendo a perfectione huius individui: vel quia est in via corruptionis, et a natura abiicitur, sicut urina, sudor et sanies et huiusmodi; vel quia a natura ordinatur ad conservationem speciei in alio individuo, sive per actum generativae, sicut semen, sive per actum nutritivae, sicut lac. Et nulla talium humiditatum resurget: eo quod non est de perfectione individui resurgentis.

Secunda humiditas est quae nondum pervenit ad ultimam perfectionem quam natura operatur in individuo, sed est ad illam ordinata a natura. Et haec est duplex. Quia quaedam est quae habet aliquam formam determinatam, secundum quam continetur inter partes corporis: sicut sanguis et alii tres humores, quos natura ordinavit ad membra quae ex eis generantur, sed tamen habent aliquas formas determinatas, sicut et aliae partes corporis. Et ideo resurgent cum aliis partibus corporis.

Quaedam vero humiditas est in via transeundi de forma in formam, scilicet de forma humoris in formam membri. Et talis humiditas non resurget. Quia post resurrectionem partes corporis singulae in suis formis stabilientur, ut una in aliam non transeat. Et ideo non resurget illa humiditas quae est in ipso actu transeundi de forma in formam. – Haec autem humiditas potest in duplici statu accipi. Vel secundum quod est in principio transmutationis: et sic vocatur *ros,* illa scilicet humiditas quae est in foraminibus parvarum venarum. Vel secundum quod est in progressu transmutationis et incipit iam dealbari: et sic vocatur *cambium.* In neutro autem statu resurget.

Tertium genus humiditatis est quod iam pervenit ad ultimam perfectionem quam natura intendit in corpore individui: quae iam est dealbata et incorporata membris. Et haec vocatur *gluten.* Et, cum sit de substantia membrorum, resurget, sicut alia membra resurgunt.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod *caro et sanguis* in verbis illis Apostoli non accipiuntur pro substantia carnis et sanguinis, sed pro operibus carnis et sanguinis, quae sunt opera peccati *, vel opera animalis vitae. – Vel, secundum quod dicit Augustinus, in Epistola *ad Consentium* *, *caro et sanguis* accipitur ibi pro corruptione quae nunc dominatur in carne et sanguine. Unde et subditur in verbis Apostoli *: *neque corruptio incorruptionem.*

* Cf. Part. III, qu. LIV, art. 3, ad 1.
* Epist. CCV, al. CXLVI, cap. II. - Cf. *Enchirid.*, cap. XCI.
* Loc cit. in arg.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut membra servientia generationi erunt post resurrectionem ad integritatem humanae naturae, non ad operationem quae nunc exercetur per membra illa; ita et humores erunt in corpore, non ad restaurationem deperditi, sed ad integritatem humanae naturae reparandam, et ad virtutis naturalis ostensionem.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut elementa sunt in via generationis respectu corporum mixtorum, quia sunt eorum materia, non autem ita quod semper sint in transeundo in corpore mixto, ita etiam se habent humores ad membra. Et propter hoc, sicut elementa in partibus universi habent formas determinatas, ratione quarum sunt de perfectione universi, sicut et corpora mixta; ita etiam humores sunt de perfectione corporis humani sicut et aliae partes, quamvis non perveniant ad totam perfectionem, sicut aliae partes; nec elementa habent ita perfectas formas sicut mixta. Sicut autem partes omnes universi a Deo perfectionem consequuntur non aequaliter, sed secundum suum modum unumquodque; ita etiam humores aliquo modo perficiuntur ab anima rationali, non tamen eodem modo sicut partes perfectiores.

ART. IV. UTRUM TOTUM QUOD FUIT IN CORPORE DE VERITATE HUMANAE NATURAE, RESURRECTURUM SIT IN IPSO

Part. I, qu. CXIX, art. 1; II *Sent.*, dist. XXX, qu. II, art. 1; *Quodl.* V, qu. III, art. 1; VIII, qu. III; *In Matth.*, cap. X.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non totum quod fuit in corpore de veritate humanae naturae, resurget in ipso. Quia cibus convertitur in veritatem humanae naturae. Sed aliquando carnes bovis sumuntur in cibum. Si ergo resurget quidquid fuit de veritate humanae naturae, resurget etiam caro bovis. Quod est inconveniens.

2. PRAETEREA, costa Adae fuit de veritate humanae naturae in ipso, sicut et costa nostra in nobis. Sed costa Adae non resurget in eo, sed in Heva: alias Heva non resurgeret, quae de costa illa formata est *. Ergo non resurget in homine quidquid fuit in eo de veritate humanae naturae.

* *Gen.* cap. II, vers. 22.

3. PRAETEREA, non potest esse quod idem in diversis hominibus resurgat. Sed potest esse quod aliquid fuit de veritate humanae naturae in diversis hominibus: sicut si aliquis carnibus humanis vescatur, quae in substantiam eius transeant. Ergo non resurget in aliquo quidquid fuit de veritate humanae naturae in ipso.

4. SI DICATUR quod non quidquid est in carnibus comestis est de veritate humanae naturae, et ita aliquid eorum potest resurgere in primo et aliquid in secundo: contra. De veritate humanae naturae maxime videtur esse illud quod a parentibus trahitur. Sed, si aliquis non comedens nisi carnes humanas filium generet, oportet quod illud quod filius a parente trahit, fuerit de carnibus aliorum hominum, quas pater suus comedit: quia *semen est de superfluo alimenti,* ut Philosophus probat, in libro *de Animalibus* *. Ergo illud quod est de veritate humanae naturae in puero isto, fuit etiam de veritate humanae naturae in aliis hominibus, quorum carnes pater comedit.

* *De Animal. Generat.*, lib. I, cap. XVIII.

5. SI DICATUR quod illud quod erat de veritate humanae naturae in carnibus hominum comestorum non transit in semen, sed illud quod erat ibi de veritate humanae naturae non existens: contra. Ponatur quod aliquis cibetur solum embryis, in quibus nihil videtur esse quod non sit de veritate humanae naturae, quia totum quod est in eis a parentibus trahitur. Si ergo superfluitas cibi convertitur in semen, oportet quod illud quod fuit de veritate humanae naturae in embryis, quae etiam ad resurrectionem pertinent postquam animam rationalem perceperunt, sit etiam de veritate humanae naturae in puero qui ex tali semine generatur. Et sic, cum non possit idem resurgere in duobus, non poterit in quolibet resurgere quidquid fuit de veritate humanae naturae in ipso.

SED CONTRA, quidquid fuit de veritate humanae naturae, fuit perfectum anima rationali. Sed ex hoc habet corpus humanum ordinem ad resurrectionem, quia fuit anima rationali perfectum *. Ergo quidquid fuit de veritate humanae naturae, resurget in unoquoque.

* Cf. art. 1; art 3, arg. 3.

2. Praeterea, si a corpore hominis subtrahatur aliquid quod est de veritate humanae naturae in ipso, non erit corpus hominis perfectum. Sed omnis imperfectio tolletur in resurrectione: praecipue ab electis, quibus promissum est, Luc. xxi *, quod *capillus de capite eorum non peribit.* Ergo quidquid fuit de veritate humanae naturae, resurget in homine.

* Vers. 18.

Respondeo dicendum quod *unumquodque, sicut se habet ad esse, ita se habet ad veritatem,* ut dicitur in II *Metaphys.* *: quia illa res vera est quae est ita ut videtur cognitori secundum actum. Et propter hoc Avicenna dicit * quod *veritas uniuscuiusque rei est proprietas sui esse, quod stabilitum est ei.* Et secundum hoc, aliquid dicetur esse de veritate humanae naturae quia proprie pertinet ad esse humanae naturae. Et hoc est quod participat formam humanae naturae: sicut verum aurum dicitur quod habet veram formam auri, ex qua est proprium esse auri.

* S. Th. lect. II. - Did. lib. Iα, cap. I, n. 5.
* *Metaphys.*, tr. VIII, cap. VI. - Cf. Part. I, qu. XVI, art. 1.

Ut ergo videatur quid sit illud quod est de veritate humanae naturae, sciendum est quod circa hoc est triplex opinio. Quidam * enim posuerunt quod nihil de novo esse incipit de veritate humanae naturae, sed quidquid ad veritatem humanae naturae pertinet, totum fuit in ipsa institutione humanae naturae de veritate eius; et hoc per seipsum multiplicatur, ut ex eo possit semen decidi a generante, ex quo filius generetur; in quo etiam illa pars decisa multiplicatur, et ad perfectam quantitatem pervenit per augmentum, et sic deinceps; et ita multiplicatum est totum genus humanum. Unde, secundum opinionem hanc, quidquid ex alimento generatur, quamvis videatur speciem carnis aut sanguinis habere, non tamen pertinet ad veritatem humanae naturae.

* Hug. de s. Vict., *Summ. Sent.*, tr. III, cap. x; Mag., II *Sent.*, dist. xxx, cap. *Quibus responderi,* et seq.

Alii * vero dixerunt quod aliquid de novo additur ad veritatem humanae naturae per transmutationem naturalem alimenti in corpus humanum, considerata veritate humanae naturae in specie, ad cuius conservationem ordinatur actus generativae virtutis. Si autem veritas humanae naturae in individuo consideretur, ad cuius conservationem et perfectionem actus nutritivae virtutis ordinatur, non additur aliquid per alimentum quod sit primo de veritate humanae naturae huius individui, sed solum secundario. Ponunt enim quod veritas humanae naturae primo et principaliter consistit in humido radicali, ex quo est prima constitutio humani generis: quod autem convertitur de alimento in veram carnem et sanguinem, non est principaliter de necessitate humanae naturae illius individui, sed secundario; sed potest esse principaliter de veritate humanae naturae alterius individui, quod ex semine illius generatur. Semen enim ponunt esse superfluum alimenti: vel cum admixtione alicuius quod est primo de veritate humanae naturae in generante, ut quidam dicunt; vel sine admixtione eius, ut dicunt alii. Et sic quod est humidum nutrimentale in uno, fit humidum radicale in alio.

* Alexand., apud Averr. I *de Gen. et Corr.*, text. XXXIX; s. Bonav. II *Sent.*, dist. xxx, art. 3, qu. 2.

Tertia opinio * est quod aliquid de novo incipit esse principaliter de veritate humanae naturae etiam in isto individuo. Quia non est distinctio talis in corpore humano ut aliqua pars materialis signata de necessitate per totam vitam remaneat: sed ad hoc indifferenter se habet quaelibet pars signata accepta, quod manet semper quantum ad id quod est speciei in ea, sed potest fluere et refluere quantum ad id quod est materiae in ipsa. Et sic humidum nutrimentale non distinguitur a radicali ex parte principii, ut dicatur radicale quod est ex semine generatum, nutrimentale quod generatur ex cibo: sed magis distinguitur ex termino, quod radicale dicitur quod ad terminum generationis pervenit per actum generativae vel etiam nutritivae virtutis; sed nutrimentale, quod nondum pervenit ad hunc terminum, sed est adhuc in via nutriendi.

* Aristot. *de Anima,* lib. II, cap. IV. n. 13; s. Th. lect. IX; Averr. I *de Gen. et Corr.*, text. XXXVIII.

Et hae tres opiniones in II libro *Sententiarum,* dist. xxx *, plenius percunctatae et investigatae sunt *. Et ideo non debent hic repeti, nisi quantum ad propositum pertinet.

* Qu. II, art. 1.
* Cf. art. seq., corp., post med.

Sciendum est ergo quod secundum has opiniones diversimode ad hanc quaestionem oportet respondere. Prima opinio, per viam multiplicationis quam ponit, potest ponere perfectionem humanae naturae, et quantum ad numerum individuorum et quantum ad debitam quantitatem uniuscuiusque individui, absque eo quod ex alimento generatum est; quod quidem non additur nisi ad resistendum consumptioni quae posset induci per actionem caloris naturalis, sicut argento apponitur plumbum ne ex liquefactione consumatur. Unde, cum in resurrectione oporteat naturam humanam in sua perfectione reparari, nec calor naturalis tunc agat ad consumptionem humidi naturalis, nulla necessitas erit quod resurgat aliquid in homine quod ex alimento sit generatum: sed resurget tantum illud quod fuit de veritate humanae naturae individui, et per decisionem et multiplicationem ad praedictam perfectionem pervenit in numero et quantitate.

Secunda autem opinio, quia ponit quod eo quod adgeneratur ex nutrimento, indigetur ad perfectionem quantitatis individui et ad multiplicationem quae fit per generationem, necesse habet ponere aliquid de hoc in quod conversum est alimentum, resurgere: non tamen totum, sed solum quantum indigetur ad perfectam reintegrationem humanae naturae in omnibus suis individuis. Unde ponit haec opinio quod totum illud quod fuit in substantia seminis, resurget in illo homine qui ex illo semine generatus est: quia hoc est principaliter de veritate humanae naturae in ipso. De eo autem quod postea advenit per nutrimentum, tantum resurget in eo quantum est necessarium ad perfectionem quantitatis: et non totum, quia hoc non pertinet aliter ad veritatem humanae naturae nisi quatenus natura indiget eo ad perfectionem quantitatis. Sed quia hoc humidum nutrimentale fluit et refluit, hoc ordine reparabitur quod illud quod primo fuit de substantia corporis hominis, totum reparabitur; et de eo quod secundo et tertio et deinceps advenit, quantum necessarium est ad quantitatem reintegrandam, duplici ratione. Primo, quia super hoc quod advenit inductum fuit ut illud quod primo erat deperditum repararetur: et ita non ita principaliter pertinet ad veritatem humanae naturae sicut praecedens. Secundo, quia adiunctio humidi extranei ad primum humidum radicale facit quod totum permixtum non ita perfecte participet veritatem speciei sicut primum participabat. Et ponit exemplum Philosophus, in I *de Generat.* *, de aqua permixta vino, quae semper virtutem vini debilitat, ita quod in fine ipsum aquosum reddit. Unde, sicut secunda aqua, quamvis assumatur in speciem vini, non tamen ita perfecte speciem vini participat sicut prima quae in vinum assumebatur, ita illud quod de alimento secundo in carnem convertitur, non ita perfecte attingit ad speciem carnis sicut quod primo convertebatur. Et ideo non ita pertinet ad veritatem humanae naturae, nec ad resurrectionem. Sic ergo patet quod haec opinio ponit resurgere totum id quod est de veritate humanae naturae principaliter, non autem totum quod est de veritate humanae naturae secundario.

* Cap. IV, n. 18. - S. Th. lect. XVII.

Tertia autem opinio quantum ad aliquid differt a secunda, et quantum ad aliquid convenit cum ea. Differt quidem quantum ad hoc, quod ponit totum quod est sub forma carnis et ossis eadem ratione ad veritatem humanae naturae pertinere. Quia non distinguit aliquid materiale signatum permanens in homine toto tempore vitae eius, quod per se pertinet ad veritatem humanae naturae et primo; et aliquid fluens et refluens, quod pertinet ad veritatem humanae naturae solum propter quantitatis perfectionem, non propter primum esse speciei; sicut secunda opinio dicebat. Sed ponit omnes partes quae non sunt praeter intentionem naturae adgeneratae, pertinere ad veritatem humanae naturae quantum ad id quod habent de specie, quia sic manent; non autem quantum ad id quod habent de materia, quia sic fluunt et refluunt indifferenter; ut ita etiam intelligamus contingere in partibus unius hominis sicut contingit in tota multitudine civitatis, quia singuli subtrahuntur a multitudine per mortem, aliis in loco eorum succedentibus; unde partes multitudinis fluunt et refluunt materialiter, sed formaliter manent, quia ad eadem officia et ordines substituuntur alii a quibus priores subtrahebantur, unde respublica una numero remanere dicitur. Et similiter etiam dum, quibusdam partibus fluentibus alia reparantur in eadem figura et in eodem situ,

omnes partes fluunt et refluunt secundum materiam sed manent secundum speciem, manet nihilominus homo idem numero.

Sed convenit tertia cum secunda opinione quia ponit quod partes secundo advenientes non ita perfecte attingunt ad veritatem speciei sicut quae primo advenerunt. Et ideo idem quod ponit resurgere in homine secunda opinio, ponit tertia: sed non penitus eadem ratione. Ponit enim totum illud quod ex semine generatum est resurgere, non quia alia ratione pertineat ad veritatem humanae naturae quam hoc quod postea advenit: sed quia perfectius veritatem speciei participat. Quem ordinem ponebat secunda opinio in his quae postea adveniunt ex alimento. In quo etiam haec opinio concordat cum illa.

Ad primum ergo dicendum quod res naturalis non est id quod est ex sua materia, sed ex sua forma. Unde, quamvis illud materiae quod quandoque fuit sub forma carnis bovinae, resurgat in homine sub forma carnis humanae, non sequitur quod resurgat caro bovis, sed caro hominis. Ita enim etiam posset concludi quod resurgeret limus de quo formatum est corpus Adae *. – Tamen prima opinio * concedit hanc rationem.

* *Gen.* cap. ii, vers. 7.
* In corp., *Ut ergo.*

Ad secundum dicendum quod costa illa non fuit in Adam de perfectione individui, sed ordinata ad multiplicationem speciei. Unde non resurget in Adam, sed in Heva: sicut et semen non resurget in generante, sed in generato.

Ad tertium dicendum quod secundum primam opinionem * facile est ad hoc respondere. Quia carnes comestae nunquam sunt de veritate humanae naturae in comedente; fuerunt autem de veritate humanae naturae in eo cuius carnes comeduntur. Et ita resurgent in primo, et non in secundo.

* Ibid.

Sed secundum secundam opinionem et tertiam *, unusquisque in illo resurget in quo magis accessit ad perfectam participationem virtutis speciei. Et si aequaliter in utroque accesserit, resurget in illo in quo primo fuit: quia in eo primo habuit ordinem ad resurrectionem ex coniunctione ad animam rationalem illius hominis. Et ideo, si in carnibus comestis fuit aliqua superfluitas quae non pertineret ad veritatem humanae naturae in primo, resurgere poterit in secundo. Alias, illud quod pertinebat ad resurrectionem in primo, resurget in eo et non in secundo: sed in loco eius sumeretur vel aliquid de eo quod ex aliis cibis in carnem secundi conversum est; vel, si nullo cibo unquam pastus fuisset nisi carnibus humanis, divina virtute aliunde suppleretur quantum indigeretur ad perfectionem quantitatis; sicut etiam supplet in illis qui ante perfectam aetatem decedunt. Nec per hoc aliquid praeiudicatur identitati in numero: sicut nec praeiudicatur per hoc quod partes secundum materiam fluunt et refluunt.

* In corp., *Alii vero*, et *Tertia opinio.*

Ad quartum dicendum quod secundum primam opinionem * facile est solvere. Quia ponit quod semen non est ex superfluo alimenti. Unde carnes comestae non transeunt in semen, ex quo puer generatur.

* In corp., *Ut ergo.*

Sed secundum alias duas opiniones *, dicendum est quod non est possibile quod totum quod fuit in carnibus comestis in semen convertatur: quia post multam depurationem cibi pervenitur ad decoctionem seminis, quod est superfluitas ultimi cibi. Illud autem quod de carnibus comestis in semen convertitur, pertinet magis ad veritatem humanae naturae in eo quod ex semine nascitur, quam in illo ex cuius carnibus semen est generatum. Et ideo, secundum regulam prius * datam, hoc quod in semen conversum est, resurget in eo qui ex semine nascitur; residuum autem materiae resurget in illo ex cuius carnibus comestis semen est generatum.

* In corp., *Alii vero*, et *Tertia opinio.*
* Corp., *Sed convenit* et in resp. ad 3.

Ad quintum dicendum quod embrya non pertinent ad resurrectionem ante animationem per animam rationalem. In quo statu iam multum advenit supra substantiam seminis de substantia nutrimenti, qua puer in utero matris nutritur. Et ideo, si aliquis embryis vescatur, et ex superfluo illius cibi generetur aliquis, illud quod erit in substantia seminis, resurget quidem in eo qui ex semine generatur: nisi in illo contineretur aliquid quod fuisset de substantia seminum in illis ex quorum carnibus comestis semen generatum est; quia hoc resurgeret in primo, et non in secundo. Residuum autem carnium comestarum, quod non est conversum in semen, constat quod resurgeret in primo, utrique divina potentia supplente quod deest.

Prima autem opinio * hac obiectione non arctatur: cum non ponat semen esse ex superfluo alimenti. Sed aliae multae rationes sunt contra eam: ut in II libro, dist. xxx *, patuit.

* In corp., *Ut ergo.*
* Qu. ii, art. 1; cf. corp., *Et hae tres.* – Cf. Part. I, qu. cxix, art. 1.

ART. V. UTRUM QUIDQUID FUIT MATERIALITER IN MEMBRIS HOMINIS, TOTUM RESURRECTURUM SIT

In Matth., cap. x.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod quidquid fuit materialiter in membris hominis, totum resurget. Minus enim videntur pertinere ad resurrectionem capilli quam alia membra. Sed quidquid fuit in capillis, totum resurget, etsi non in capillis, saltem in aliis partibus corporis: ut Augustinus dicit, in littera *. Ergo multo fortius quidquid in aliis membris materialiter fuit, totum resurget.

* Dist. xliv, cap. *Non enim perit.* – Aug. *Enchirid.*, cap. lxxxix; cf. *de Civit. Dei.*, lib. XXII, cap. xix.

2. Praeterea, sicut partes carnis secundum speciem perficiuntur ab anima rationali, ita partes secundum materiam. Sed corpus humanum habet ordinem ad resurrectionem ex hoc quod fuit anima rationali perfectum *. Ergo non solum partes secundum speciem, sed omnes partes secundum materiam resurgent.

* Cf. art. 1; art. 3, arg. 3; art. 4, arg. *Sed cont.* 1.

3. Praeterea, ex parte illa accidit corpori totalitas ex qua parte accidit ei divisio in partes. Sed divisio in partes accidit corpori secundum materiam, cuius dispositio est quantitas, secundum quam dividitur. Ergo et totalitas corporis attenditur secundum partes materiae. Si ergo non omnes partes materiae resurgent, non totum corpus resurget. Quod est inconveniens.

Sed contra, partes secundum materiam non manent in corpore, sed fluunt et refluunt: ut patet per illud quod dicitur in I *de Generat.* * Si ergo omnes partes secundum materiam resurgent, vel erit corpus resurgentis densissimum; vel erit immoderatae quantitatis.

* Cap. v, n. 14, 15. – S. Th. lect. xv.

2. Praeterea, quidquid est de veritate humanae naturae in uno homine, totum potest esse pars materiae in alio homine qui eius carnibus vescitur. Si ergo omnes partes secundum materiam resurgant in aliquo, sequetur quod resurget in uno id quod est de veritate humanae naturae in alio. Quod est inconveniens.

Respondeo dicendum quod illud quod est in homine materialiter, non habet ordinem ad resurrectionem nisi secundum quod pertinet ad veritatem humanae naturae: quia secundum hoc habet ordinem ad animam rationalem *. Illud autem totum quod est in homine materialiter, pertinet quidem ad veritatem humanae naturae quantum ad id quod habet de specie, sed non totum considerata materiae totalitate, quia tota materia quae fuit in homine a principio vitae usque ad finem, excederet quantitatem debitam speciei: ut tertia opinio * dicit, quae probabilior inter ceteras mihi videtur. Et ideo totum quod est in homine resurget considerata totalitate speciei, quae attenditur secundum quantitatem, figuram, situm et ordinem partium: non autem resurget totum considerata totalitate materiae.

* Cf. loca cit. in arg. 2.
* Cf. art. praec., *Tertia opinio.*

Secunda autem opinio et prima * non utuntur hac distinctione, sed distinguunt inter partes quarum utraque habet speciem et materiam. Conveniunt autem hae duae opiniones in hoc quod utraque dicit quod illud quod est ex semine generatum, totum resurget, etiam totalitate materiae considerata. Differunt autem in hoc quod de eo quod ex alimento generatur, nihil resurgere ponit prima opinio; secunda vero aliquid eius resurgere ponit, et non totum, ut ex dictis * patet.

* Cf. ibid., *Ut ergo*, et *Alii vero.*
* Ibid., *Sciendum est*, et *Secunda autem.*

Ad primum ergo dicendum quod, sicut quidquid est in aliis partibus corporis resurget considerata totalitate speciei, non autem considerata totalitate materiae, ita etiam est de capillis. In aliis autem partibus advenit aliquid ex nutrimento quod facit augmentum: et hoc computatur ut

alia pars, considerata totalitate speciei, quia obtinet alium locum et situm in corpore, et substat aliis partibus dimensionis. Aliquid autem advenit quod non facit augmentum, sed cedit in restaurationem deperditi nutriendo: et non computatur ut alia pars totius considerati secundum speciem, cum non obtineat alium locum vel situm in corpore quam pars quae defluxit tenebat; quamvis possit alia pars computari considerata totalitate materiae. Et similiter est de capillis. Augustinus ergo loquitur de incisionibus capillorum quae erant partes facientes augmentum. Et ideo oportet quod resurgant: non tamen in quantitate capillorum, ne sit quantitas immoderata; sed in aliis partibus, ut necessarium iudicabit divina providentia. – Vel loquitur in casu illo quando aliis partibus deficiet. Tunc enim eorum defectus poterit ex superfluitatibus capillorum reparari.

Ad secundum dicendum quod secundum tertiam opinionem * eaedem sunt partes secundum speciem, et secundum materiam. Non enim illa distinctione utitur Philosophus, in I *de Generat.* *, ad distinguendum diversas partes: sed ad ostendendum quod eaedem partes possunt considerari et secundum speciem, quantum ad illud quod est formae et speciei in ipsis, et secundum materiam, quantum ad illud quod subest formae et speciei. Constat autem quod materia carnis non habet ordinem ad animam rationalem nisi inquantum est sub tali forma. Et ideo ratione eius habet ordinem ad resurrectionem.

* Cf. art. praeced.

* Loc. cit. in arg. *Sed contra* 1.

Sed prima et secunda opinio *, quae ponunt alias esse partes quae sunt secundum speciem et alias quae sunt secundum materiam, dicunt quod anima, quamvis utrasque partes perficiat, tamen perficit partes secundum materiam mediantibus partibus secundum speciem. Et ideo non habent aequaliter ordinem ad resurrectionem.

* Cf. art. praeced.

Ad tertium dicendum quod in materia generabilium et corruptibilium dimensiones interminatas oportet intelligere ante receptionem formae substantialis. Et ideo divisio quae est secundum huiusmodi dimensiones, proprie pertinet ad materiam. Sed quantitas completa et terminata advenit materiae post formam substantialem. Unde divisio quae fit secundum dimensiones terminatas, respicit speciem: praecipue quando ad rationem speciei pertinet determinatus situs partium, sicut est in corpore humano.

QUAESTIO OCTOGESIMAPRIMA

DE QUALITATE RESURGENTIUM

Deinde considerandum est de qualitate resurgentium *. Circa quod quaeruntur quatuor.

* Cf. qu. lxxix, Introd.

Primo: utrum resurgent omnes in aetate iuvenili.
Secundo: utrum in aequali statura.
Tertio: utrum omnes in eodem sexu.
Quarto: utrum in vita animali.

ART. I. utrum omnes resurrecturi sint in eadem aetate, scilicet iuvenili

Part. III, qu. xlvi, art. 9, ad 4; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxxviii; *Ad Ephes.*, cap. iv, lect. iv.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non omnes resurgent in eadem aetate, scilicet iuvenili. Quia Deus resurgentibus, praecipue beatis, nihil subtrahet quod ad perfectionem hominis pertineat. Sed aetas pertinet ad perfectionem hominis: cum senectus sit *venerabilis aetas* *. Ergo senes non resurgent in aetate iuvenili.

* *Sap.* cap. iv, vers. 8, 9.

2. Praeterea, aetas computatur secundum mensuram temporis praeteriti. Sed impossibile est tempus quod fuit praeteritum, non praeteriisse. Ergo impossibile est eos qui maioris aetatis fuerunt, ad aetatem iuvenilem reduci.

3. Praeterea, illud quod magis fuit de veritate humanae naturae in unoquoque, maxime resurget in eo. Sed quanto aliquid primo fuit in homine, tanto videtur magis ad veritatem humanae naturae pertinuisse *: quia in fine, propter veritatem speciei debilitatam, comparatur vino aquoso corpus humanum, ut patet per Philosophum, in I *de Generat.* * Ergo, si omnes debent in eadem aetate resurgere, magis decet quod resurgant in aetate puerili quam iuvenili.

* Cf. qu. lxxx, art. 4, corp., *Sed convenit.*

* Cap. x, n. 9. - Continuat. Comment. s. Th. lect. xxv.

Sed contra est quod dicitur *Ephes.* iv *: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Sed Christus resurrexit in aetate iuvenili, quae circa triginta annos incipit, ut Augustinus dicit *. Ergo et alii in aetate iuvenili resurgent.

* Vers. 13.

* *De Civit. Dei*, lib. XXII, cap. xv.

2. Praeterea, homo in maxima perfectione naturae resurget. Sed natura humana perfectissimum statum habet in aetate iuvenili. Ergo in illa aetate resurgent omnes.

Respondeo dicendum quod homo resurget absque omni defectu humanae naturae: quia, sicut Deus humanam naturam absque defectu instituit, ita sine defectu reparabit. Deficit autem humana natura dupliciter: uno modo, quia nondum perfectionem ultimam est consecuta; alio modo, quia iam ab ultima perfectione recessit. Et primo modo deficit in pueris; secundo modo deficit in senibus. Et ideo in utrisque reducetur humana natura per resurrectionem ad statum ultimae perfecrionis, qui est in iuvenili aetate, ad quem terminatur motus crementi, et a quo incipit motus decrementi.

Ad primum ergo dicendum quod aetas senectutis habet reverentiam, non propter conditionem corporis, quod in defectu est, sed propter sapientiam animae, quae ibi esse praesumitur ex temporis antiquitate. Unde in electis manebit reverentia senectutis, propter plenitudinem divinae sapientiae quae in eis erit: sed non manebit senectutis defectus.

Ad secundum dicendum quod non loquimur de aetate quantum ad numerum annorum, sed quantum ad statum qui in corpore humano ex annis relinquitur. Unde Adam dicitur in aetate iuvenili formatus propter talem corporis conditionem, quam primo die formationis suae habuit. Et ideo ratio non est ad propositum.

Ad tertium dicendum quod virtus speciei dicitur esse perfectior in puero quam in iuvene quantum ad efficaciam agendi conversionem alimenti aliquo modo: sicut etiam est perfectior in semine quam in homine completo. Sed in iuvenibus est perfectior quantum ad terminum complementi. Unde illud quod maxime ad veritatem naturae pertinuit, ad illam perfectionem reducetur quam habet in aetate iuvenili: non ad illam quam habet in aetate puerili, in qua humores adhuc non pervenerunt ad ultimam digestionem.

ART. II. utrum omnes resurrecturi sint eiusdem staturae

IV *Sent.*, dist. xliv, Expos. litt.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod omnes resurgent eiusdem staturae. Sicut enim homo mensuratur quantitate dimensiva, ita quantitate durationis. Sed quantitas durationis in omnibus reducetur ad eandem mensuram: quia omnes in eadem aetate resurgent *. Ergo quantitas dimensionis in omnibus reducetur ad eandem mensuram, ut in eadem statura omnes resurgant.

* Art. praeced.

2. Praeterea, Philosophus, in II *de Anima* *, dicit quod *omnium natura constantium terminus est et ratio magnitudinis et augmenti.* Sed iste terminus non est nisi ex virtute formae, cui debet congruere quantitas, sicut et omnia alia accidentia. Ergo, cum omnes homines habeant eandem formam specificam, in omnibus debet esse secundum materiam eadem quantitatis mensura, nisi sit error. Sed error naturae corrigetur in resurrectione. Ergo omnes resurgent in eadem statura.

* Cap. iv, n. 8. - S. Th. lect. viii.

3. Praeterea, quantitas resurgentis non poterit esse proportionata virtuti naturali quae primo corpus formavit: alias, qui non potuerunt ad maiorem quantitatem perduci virtute naturae, nunquam in maiori quantitate resurgerent; quod falsum est. Ergo oportet quod quantitas illa proportionetur virtuti reparanti corpus humanum per resurrectionem, et materiae de qua reparatur. Sed virtus reparans omnia corpora est eadem numero, scilicet divina virtus: cineres autem omnes, ex quibus reparantur humana corpora, se habent aequaliter ad suscipiendam actionem praedictae virtutis. Ergo ad eandem quantitatem terminabitur resurrectio omnium hominum. Et sic idem quod prius.

Sed contra, quantitas naturalis consequitur naturam uniuscuiusque individui. Sed in resurrectione non variabitur natura individui. Ergo nec quantitas naturalis eius. Sed non est eadem quantitas naturalis omnium hominum. Ergo non omnes resurgent in eadem statura.

2. Praeterea, natura humana reparabitur per resurrectionem ad gloriam vel ad poenam. Sed non erit eadem quantitas gloriae vel poenae in omnibus resurgentibus *. Ergo nec eadem quantitas naturae.

* Cf. Iam IIae, qu. lxxiii, art. 2; III Cont. Gent., cap. lviii.

Respondeo dicendum quod in resurrectione non reparabitur humana natura solum quantum ad idem specie, sed quantum ad idem numero *. Et ideo in resurrectione non solum attendendum est quid competat naturae speciei, sed quid competat naturae individui. Natura autem speciei habet aliquam quantitatem quam nec excedit nec ab ea deficit absque errore: quae tamen quantitas habet aliquos gradus latitudinis, et non est accipienda secundum unam mensuram determinatam. Unumquodque autem individuum in specie humana assequitur, infra terminos illius latitudinis, aliquem gradum quantitatis, quae competit naturae individui; et ad hanc perducitur in termino augmenti, si non fuit aliquis error in opere naturae per quem sit aliquid additum vel subtractum praedictae quantitati. Cuius quidem mensura accipitur secundum proportionem caloris extendentis et humidi extensibilis. Quod non est eiusdem virtutis in omnibus. Et ideo non omnes resurgent in eadem quantitate: sed quilibet resurget in illa quantitate in qua fuisset in termino augmenti, si natura non errasset vel defecisset. Quod autem superest vel deficit in homine, resecabit vel supplebit divina potentia.

* Qu. lxxix, art. 1, 2.

Ad primum ergo dicendum quod iam patet ex dictis * quod non dicuntur omnes in eadem aetate resurgere quasi omnibus competat eadem quantitas durationis: sed quia idem status perfectionis erit in omnibus. Qui quidem status salvari potest in magna et in parva quantitate.

* Art. praeced., ad 2.

Ad secundum dicendum quod quantitas huius individui non solum respondet formae speciei, sed etiam naturae individui. Et ideo ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum quod quantitas resurgentis non proportionatur virtuti reparanti, quia illa non est de natura corporis; neque omnibus secundum illum statum in quo sunt ante resurrectionem; sed naturae quam primo individuum habebat. Tamen, si virtus formativa propter aliquem defectum non poterat perducere ad debitam quantitatem quae competit speciei, divina virtus supplebit in resurrectione defectum: sicut patet de nanis. Et eadem ratio est de illis qui immoderatae magnitudinis fuerunt, ultra debitum naturae.

ART. III. utrum omnes resurrecturi sint in sexu virili

IV *Cont. Gent.*, cap. lxxxviii; *In Matth.*, cap. xxii; *Ad Ephes.*, cap. iv, lect. iv.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod omnes resurgent in sexu virili. Quia dicitur *Ephes.* iv * quod *occurremus omnes in virum perfectum.* Ergo non erit nisi sexus virilis ibi.

* Vers. 13.

2. Praeterea, in futuro *omnis praelatio cessabit,* ut dicit Glossa *, I *Cor.* xv **. Sed mulier ordine naturali subdita est viro. Ergo mulieres non resurgent in sexu muliebri, sed virili.

* Ord. et Lomb. ** Vers. 24.

3. Praeterea, illud quod est occasionaliter et praeter intentionem naturae inductum, non resurget: quia in resurrectione omnis error tolletur. Sed sexus muliebris est praeter intentionem naturae inductus ex defectu virtutis formativae in semine, quae non potest perducere materiam conceptus ad perfectionem virilem: unde dicit Philosophus, XVI *de Animal.* *, quod femina est *mas occasionatus.* Ergo sexus muliebris non resurget.

* Al. *De Animal. Generat.*, lib. II, cap. iii.

Sed contra est quod dicit Augustinus, XXII *de Civ. Dei* *: *Melius sapere videntur qui utrumque sexum resurrecturum esse non dubitant.*

* Cap. xvii.

2. Praeterea, Deus reparabit in resurrectione quod in homine fecit in prima conditione. Sed ipse fecit mulierem de costa viri, ut patet *Genes.* ii *. Ergo ipse sexum femineum in resurrectione reparabit.

* Vers. 22.

Respondeo dicendum quod sicut, considerata natura individui, debetur diversa quantitas diversis hominibus, ita, considerata natura individui, debetur diversus sexus diversis hominibus. Et haec etiam diversitas competit perfectioni speciei, cuius diversi gradus implentur per dictam diversitatem sexus vel quantitatis. Et ideo, sicut resurgent homines in diversis staturis *, ita in diversis sexibus. Et quamvis sit differentia sexuum, deerit tamen confusio mutuae visionis: quia aberit libido incitans ad turpes actus, ex quibus confusio causatur.

* Art. praeced.

Ad primum ergo dicendum quod dicuntur omnes Christo occurrere *in virum perfectum,* non propter sexum virilem, sed propter virtutem animi, quae erit in omnibus et viris et mulieribus.

Ad secundum dicendum quod mulier subditur viro propter imbecillitatem naturae et quantum ad vigorem animi, et quantum ad robur corporis. Sed post resurrectionem non erit differentia in his secundum diversitatem sexuum, sed magis secundum diversitatem meritorum. Et ideo ratio non procedit.

Ad tertium dicendum quod, quamvis feminae generatio sit praeter intentionem naturae particularis, est tamen de intentione naturae universalis, quae ad perfectionem humanae speciei utrumque sexum requirit. Nec ex sexu erit ibi aliquis defectus, ut ex dictis * patet.

* Resp. ad 2.

ART. IV. utrum resurrecturi sint in vita animali, ut scilicet utantur actu nutritivae et generativae

Part. I, qu. xcvii, art. 3; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxxiii; *Compend. Theol.*, cap. clvi; *In Iob*, cap. xix, lect. ii; *In Matth.*, cap. xxii; I *ad Cor.*, cap. vi, lect. ii; cap. xv, lect. v.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod resurgent in vita animali, ut scilicet utantur actu nutritivae et generativae. Quia resurrectio nostra erit conformis resurrectioni Christi *. Sed Christus post resurrectionem legitur comedisse: ut patet Ioan. ult. * et Luc. ult. ** Ergo et homines post resurrectionem comedent. Et eadem ratione generabunt.

* Cf. qu. lxxvi, art. 1. * Vers. 12 sqq. ** Vers. 43.

2. Praeterea, distinctio sexuum ad generationem ordinatur: et similiter instrumenta quae deserviunt virtuti nutritivae, ordinantur ad comestionem. Sed homo cum omnibus huiusmodi resurget *. Ergo utetur actibus virtutis generativae et nutritivae.

* Cf. art. praeced.; qu. lxxx, art. 1.

3. Praeterea, totus homo beatificatur et secundum animam et secundum corpus *. Sed beatitudo sive felicitas, secundum Philosophum *, in perfecta operatione consistit. Ergo oportet quod omnes potentiae animae et omnia membra sint in suis actibus in beatis post resurrectionem. Et sic idem quod prius.

* Cf. qu. lxxvii, art. 1, arg. *Sed contra* 2. * *Ethic.* lib. I, cap. vii, n. 15; cap. xiii, n. 1; s. Th. lect. x, xix; lib. X, cap. vii, n. 1; s. Th. lect. x.

4. Praeterea, in beatis post resurrectionem erit perfecta et beata iucunditas. Sed talis iucunditas omnes delectationes includit: quia beatitudo est *status omnium bonorum aggregatione perfectus* *; et perfectum est *cui nihil deest* *. Cum ergo in actu virtutis generativae et nutritivae sit magna delectatio, videtur quod tales actus ad vitam animalem pertinentes in beatis erunt. Et multo fortius in aliis, qui minus spiritualia corpora habebunt.

* Boet. *de Consolat. Philos.*, lib. III, pros. ii. * Aristot. *Physic.* lib. III, cap. vi, n. 8, 9. - S. Th. lect. xi.

Sed contra est quod dicitur Matth. xxii *: *In resurrectione neque nubent neque nubentur.*

* Vers. 30.

2. Praeterea, generatio ordinatur ad subveniendum defectui qui per mortem accidit, ad multiplicationem humani generis; et comestio ad restaurationem deperditi et ad augmentum quantitatis. Sed in statu resurrectionis iam humanum genus habebit totam multitudinem individuorum a Deo praefinitam: quia usque ad hoc generatio deferetur *. Similiter etiam quilibet homo resurget in debita quantitate. *Nec erit ultra mors* *, aut aliqua deperditio fiet a partibus hominis. Ergo frustra esset actus generativae et nutritivae virtutis.

* Cf. dist. xlviii, qu. ii, art. 2, arg. *Sed contra* 3. * *Apoc.* cap. xxi, vers. 4.

Respondeo dicendum quod resurrectio non erit necessaria homini propter primam perfectionem ipsius, quae consistit in integritate eorum quae ad naturam spectant: quia ad hoc homo pervenire potest in statu praesentis vitae per actionem causarum naturalium. Sed necessitas resurrectionis est ad consequendam ultimam perfectionem, quae consistit in perventione ad ultimum finem. Et ideo illae operationes naturales quae ordinantur ad primam per-

fectionem humanae naturae vel causandam vel conservandam, non erunt in resurrectione. Et huiusmodi sunt actiones animalis vitae in homine, et actiones mutuae in elementis, et motus caeli. Et ideo haec cessabunt in resurrectione. Et quia comedere, bibere et dormire et generare ad animalem vitam pertinent, cum sint ad primam perfectionem naturae ordinata, in resurrectione talia non erunt.

Ad primum ergo dicendum quod illa comestio qua Christus comedit, non fuit necessitatis, quasi cibis indigeret humana natura post resurrectionem: sed fuit potestatis, ut ostenderet se veram naturam humanam resumpsisse, quam prius habuerat in statu illo quando cum discipulis comederat et biberat. Haec autem ostensio non erit in resurrectione communi: quia omnibus notum erit. Et ideo dicitur dispensative Christus manducasse, eo modo loquendi quo iuristae dicunt, *Dispensatio est communis iuris relaxatio* *: quia Christus intermisit hoc quod est communiter resurgentium, scilicet non uti cibis, propter causam praedictam. Et propter hoc ratio non sequitur.

* S. Raym. *Sum.* lib. III, tit. xxix, § 2.

Ad secundum dicendum quod differentia sexuum et membrorum varietas erit ad naturae humanae perfectionem reintegrandam et in specie, et in individuo. Unde non sequitur quod sint frustra, quamvis animales operationes desint.

Ad tertium dicendum quod praedictae operationes non sunt hominis inquantum est homo, ut etiam Philosophus dicit *. Et ideo in eis non consistit beatitudo humani corporis: sed corpus humanum beatificabitur ex redundantia a ratione *, a qua homo est homo, inquantum erit ei subditum.

* *Ethic.* lib. X, cap. vii, n. 8. - S. Th. lect. xi.
* Cf. Iam IIae, qu. iii, art. 3.

Ad quartum dicendum quod delectationes corporales, sicut dicit Philosophus, in VII * et X ** *Ethic.*, sunt *medicinales,* quia adhibentur homini ad tollendum fastidium; vel etiam *aegritudines* *, inquantum eis homo inordinate delectatur, ac si essent verae delectationes, sicut homo habens infirmum gustum delectatur in quibusdam quae sanis non sunt delectabilia. Et ideo non oportet quod tales delectationes sint de perfectione beatitudinis, ut Iudaei et Saraceni ponunt, et quidam haeretici posuerunt, qui vocantur Chiliastae *. Qui etiam secundum doctrinam Philosophi non videntur sanum habere affectum: solae enim delectationes spirituales, secundum ipsum *, sunt simpliciter delectationes, et propter se quaerendae. Et ideo ipsae solae ad beatitudinem requiruntur.

* Cap. xiv, n. 4, 6. - S. Th. lect. xiv.
** Cap. v, n. 5. - S. Th. lect. vii.
* Cf. ibid. lib. VII, cap. v, n. 3; cap. vi, n. 6. - S. Th. lect. v, vi.
* Cf. Aug. *de Civit. Dei*, lib. XX, cap. vii.
* *Ethic.*, lib. VII, cap. xiv, n. 7, 8; s. Th. lect. xiv; lib. X, cap. v, n. 9 sqq.; s. Th. lect. viii.

QUAESTIO OCTOGESIMASECUNDA
DE CONDITIONIBUS BEATORUM RESURGENTIUM

Deinde considerandum est de conditionibus beatorum resurgentium *. Et primo, de eorum corporum impassibilitate; secundo, de subtilitate *; tertio, de agilitate **; quarto, de claritate *.

* Cf. qu. lxxix, Introd.
* Qu. lxxxiii.
** Qu. lxxxiv.
* Qu. lxxxv.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo: utrum sancti resurgentes resurgant quoad corpora impassibiles.

Secundo: utrum aequalis impassibilitas omnibus inerit.

Tertio: utrum illa impassibilitas sensum in actu a corporibus gloriosis excludat.

Quarto: utrum sint in eis omnes sensus in actu.

ART. I. UTRUM CORPORA SANCTORUM POST RESURRECTIONEM FUTURA SINT IMPASSIBILIA

Part. I, qu. xcvii, art. 3; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxxvi; *Compend. Theol.*, cap. lxviii; I *ad Cor.*, cap. xv, lect. vi.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod corpora sanctorum post resurrectionem non sint impassibilia. Omne enim mortale est passibile. Sed homo post resurrectionem erit *animal rationale mortale:* haec enim est definitio hominis, quae nunquam ab eo separabitur. Ergo corpus erit passibile.

2. Praeterea, omne quod est in potentia ad formam alterius, passibile est ab illo: quia secundum hoc aliquid est passivum ab alio, ut dicitur in I *de Generat.* * Sed corpora sanctorum post resurrectionem erunt in potentia ad aliam formam. Ergo erunt passibilia. – Probatio mediae. Quaecumque communicant in materia, unum eorum est in potentia ad formam alterius: materia enim, secundum quod est sub una forma, non amittit potentiam ad aliam formam. Sed corpora sanctorum post resurrectionem communicabunt cum elementis in materia: quia ex eadem materia reparabuntur ex qua nunc sunt. Ergo erunt in potentia ad aliam formam. Et sic erunt passibilia.

* Cap. vii, n. 4. - Continuat. Comment. s. Th. lect. xix.

3. Praeterea, *contraria nata sunt agere et pati ad invicem:* ut in I *de Generat.* * dicit Philosophus. Sed corpora sanctorum post resurrectionem erunt ex contrariis composita, sicut et nunc sunt. Ergo erunt passibilia.

* Loc. cit., n. 5, 6.

4. Praeterea, in corpore humano resurget sanguis et alii humores, ut dictum est *. Sed ex pugna humorum ad invicem generantur aegritudines et huiusmodi passiones in corpore. Ergo erunt corpora sanctorum post resurrectionem passibilia.

* Qu. lxxx, art. 3.

5. Praeterea, magis repugnat perfectioni defectus in actu quam defectus in potentia. Sed passibilitas importat solum defectum in potentia. Cum ergo in corporibus beatorum sint futuri aliqui defectus in actu, sicut cicatrices vulnerum in martyribus, ut in Christo fuerunt *; videtur quod nihil deperibit perfectioni eorum si ponantur habere corpora passibilia.

* Luc. cap. xxiv, vers. 39; Ioan. cap. xx, vers. 20, 27. - Cf. Part. III, qu. liv, art. 4.

Sed contra, omne passibile est corruptibile: quia *passio magis facta abiicit a substantia* *. Sed corpora sanctorum post resurrectionem erunt incorruptibilia, ut dicitur I *Cor.* xv *: *Seminatur in corruptione, resurget in incorruptione.* Ergo erunt impassibilia.

* Aristot. *Topic.* lib. VI, cap. vi, n. 21.
* Vers. 42.

2. Praeterea, fortius non patitur a debiliori. Sed nullum corpus erit fortius corporibus sanctorum, de quibus dicitur, I *Cor.* xv *: *Seminatur in infirmitate, resurget in virtute.* Ergo erunt impassibilia.

* Vers. 43.

Respondeo dicendum quod passio dupliciter dicitur. Uno modo, communiter. Et sic omnis receptio passio dicitur: sive illud quod recipitur sit conveniens recipienti et perfectivum ipsius; sive contrarium et corruptivum. Ab huiusmodi passionis remotione corpora gloriosa impassibilia non dicuntur: cum nihil quod est perfectionis eis sit auferendum.

Alio modo passio dicitur proprie, quam sic definit Damascenus, in II libro *: *Passio est motus praeter naturam.* Unde immoderatus motus cordis passio eius dicitur: sed moderatus dicitur eius operatio. Cuius ratio est quia omne quod patitur, trahitur ad terminos agentis, quia agens assimilat sibi patiens: et ideo patiens, inquantum huiusmodi, trahitur extra terminos proprios * in quibus erat. Sic ergo proprie accipiendo passionem, non erit in corporibus resurgentium sanctorum potentialitas ad passionem. Et ideo impassibilia dicuntur.

* *De Fide Orth.*, lib. II, cap. xxii.
* Cf. qu. xlvii, art. 1, arg. 4.

Huius autem impassibilitatis ratio a diversis diversimode assignatur. Quidam enim eam attribuunt conditioni elementorum, quae aliter se habebunt tunc in corpore quam modo se habent. Dicunt enim quod elementa remanebunt ibi secundum substantiam, sed qualitates activae et passivae ab elementis auferentur.

Sed hoc non videtur verum. Quia qualitates activae et passivae sunt de perfectione elementorum. Unde, si sine eis repararentur elementa in corpore resurgentis, essent minoris perfectionis quam modo sint. – Et praeterea, cum qualitates illae sint propria accidentia elementorum ex forma et materia ipsorum causata, videtur valde absurdum quod causa maneat et effectus tollatur.

Et ideo alii dicunt quod manebunt qualitates, sed non habebunt proprias actiones, divina virtute id faciente ad conservationem humani corporis.

Sed hoc etiam non videtur posse stare. Quia ad mixtionem requiritur actio activarum et passivarum qualitatum: et secundum praedominium unius vel alterius mixta efficiuntur diversae complexionis. Quod oportet ponere in corpore resurgentis: quia erunt ibi carnes et ossa et huiusmodi partes, quibus omnibus non competit una complexio. – Et praeterea, secundum hoc impassibilitas non posset poni dos * in eis. Quia non poneret aliquam dispositionem in substantia impassibili, sed solum prohibitionem passionis ab exteriori, scilicet divina virtute, quae

* Cf. dist. xlix, qu. iv, art. 5, qa 3.

etiam posset idem facere de corpore hominis in statu huius vitae.

Et ideo alii * dicunt quod in ipso corpore erit aliquid prohibens passionem corporum gloriosorum, scilicet materia quinti corporis, quam ponunt venire in compositionem humani corporis ad conciliandum elementa in harmoniam quandam, per quam possunt esse debita materia animae rationalis; sed tamen in statu huius vitae, propter dominium elementaris naturae, corpus humanum patitur ad similitudinem aliorum elementorum; sed in resurrectione dominabitur natura quinti corporis. Et ideo corpus humanum reddetur impassibile, ad similitudinem corporis caelestis.

* Cf. Halens. *Sum. Theol.* part. III, qu. xxiii, memb. 2.

Sed hoc non potest stare. Quia corpus quintum non venit materialiter ad compositionem corporis humani, ut in II libro * ostensum est. – Et praeterea impossibile est dicere quod aliqua virtus naturalis, qualis est virtus corporis caelestis, transferat corpus humanum ad proprietatem gloriae, qualis est impassibilitas corporis gloriosi: cum immutationem corporis humani Apostolus attribuat virtuti Christi; quia *qualis caelestis, tales et caelestes,* I *Cor.* xv *; et *Philipp.* III *, *Reformabit corpus humilitatis nostrae,* etc. – Et praeterea, non potest natura caelestis ita dominari in corpore humano quin natura elementaris remaneat, cui ex essentialibus suis principiis passibilitas inest.

* Dist. xvii, qu. iii, art. 1. - Cf. Part. I, qu. xci, art. 1, ad 2.
* Vers. 48.
* Vers. 21.

Et ideo aliter dicendum est, quod omnis passio fit per victoriam agentis super patiens: alias non traheret ipsum ad terminos suos. Impossibile est autem quod aliquid dominetur supra patiens nisi inquantum debilitatur dominium formae propriae supra materiam patientis, loquendo de passione quae est contra naturam, de qua nunc loquimur: non enim potest materia subiici uni contrariorum sine hoc quod tollatur dominium alterius super ipsam, vel saltem diminuatur. Corpus autem humanum, et quidquid in eo est, perfecte erit subiectum animae rationali, sicut etiam ipsa perfecte subiecta erit Deo. Et ideo in corpore glorioso non poterit esse aliqua mutatio contra dispositionem illam qua perficitur ab anima. Et ita corpora illa erunt impassibilia.

Ad primum ergo dicendum quod, secundum Anselmum *, « *mortale* » *ponitur in definitione hominis a philosophis, qui non crediderunt hominem totum aliquando posse esse immortalem,* quia non viderunt homines nisi secundum huius mortalitatis statum.

* *Cur Deus Homo,* lib. II, cap. xi.

Vel potest dici quod, secundum Philosophum, in VII *Metaphys.* *, quia differentiae essentiales sunt nobis incognitae, utimur quandoque differentiis accidentalibus ad significandum differentias essentiales, quae sunt accidentalium causae. Unde *mortale* in definitione hominis non ponitur quasi ipsa mortalitas ad essentiam hominis pertineat: sed quia illud quod nunc est causa passibilitatis et mortalitatis secundum praesentem statum, scilicet compositio ex contrariis, est de essentia hominis. Sed tunc non erit causa eius propter victoriam animae super corpus.

* S. Th. lect. xii. - Did. lib. VI, cap. xii, n. 5.

Ad secundum dicendum quod duplex est potentia: ligata, et libera. Et hoc non solum est verum de potentia activa, sed etiam passiva: forma enim ligat potentiam materiae, determinando ipsam ad unum, secundum quod dominatur super eam. Et quia in rebus corruptibilibus non perfecte dominatur forma supra materiam, non perfecte potest ligare ipsam, quin recipiat interdum per aliquam passionem dispositionem contrariam formae. Sed in sanctis post resurrectionem omnino anima dominabitur supra corpus: nec illud dominium aliquo modo poterit auferri, quia ipsa erit immutabiliter Deo subiecta, quod non fuit in statu innocentiae. Et ideo in corporibus illis manet eadem potentia ad formam aliam quae nunc inest, quantum ad substantiam potentiae: sed erit ligata per victoriam animae supra corpus, ut nunquam in actum passionis exire possit.

Ad tertium dicendum quod qualitates elementares sunt instrumenta animae: ut patet, in II *de Anima* *, quod calor ignis in corpore humano regulatur in actu nutriendi per virtutem animae. Quando autem agens principale est perfectum, et non est aliquis defectus in instrumento, nulla actio procedit ab instrumento nisi secundum dispositionem principalis agentis. Et ideo in corporibus sanctorum post resurrectionem nulla actio vel passio poterit provenire a qualitatibus elementaribus quae sit contra dispositionem animae, quae intendit conservare corpus.

* Cap. iv, n. 5. - S. Th. lect. vii.

Ad quartum dicendum, secundum Augustinum, in Epistola *ad Consentium* *, quod *divina potentia valet de ista visibili atque tractabili natura corporum, quibusdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates.* Unde, sicut ab igne fornacis Chaldaeorum abstulit virtutem comburendi quantum ad aliquid, quia corpora puerorum illaesa servata sunt, sed mansit quantum ad aliquid, quia ignis ille ligna comburebat *; ita auferet ab humoribus passibilitatem, et dimittet naturam. Modus autem quo hoc fiet, dictus est *.

* Epist. CCV, al. CXLVI, cap. 1, n. 4.
* Dan. cap. iii, vers. 46, 94.
* In corpore.

Ad quintum dicendum quod cicatrices vulnerum non erunt in sanctis, nec in Christo fuerunt, inquantum important aliquem defectum: sed inquantum sunt signa constantissimae virtutis, qua passi sunt pro iustitia et fide, ut ex hoc et ipsis et aliis gaudium crescat. Unde dicit Augustinus, XXII *de Civ. Dei* *: *Nescio quomodo sic afficimur amore martyrum beatorum ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices quae pro Christi nomine pertulerunt. Et fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit; et quaedam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulcritudo fulgebit. Nec tamen, si aliqua martyribus amputata et ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est: « Capillus de capite vestro non peribit ».*

* Cap. xix, n. 3, al. cap. xx.

ART. II. UTRUM IMPASSIBILITAS IN OMNIBUS FUTURA SIT AEQUALIS

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod impassibilitas in omnibus erit aequalis. Quia I *Cor.* xv dicit Glossa * quod aequaliter omnes habent quod pati non possunt. Sed ex hoc erit in eis quod non possunt pati, quod habent dotem impassibilitatis. Ergo impassibilitas est aequalis in omnibus.

* Cf. Interlin. et Lomb. super vers. 42.

2. Praeterea, negationes non recipiunt magis et minus. Sed impassibilitas est quaedam negatio vel privatio passibilitatis. Ergo non potest esse maior in uno quam in alio.

3. Praeterea, magis album dicitur quod est nigro impermixtius. Sed nulli corporum sanctorum admiscebitur aliquid de passibilitate. Ergo omnia erunt aequaliter impassibilia.

Sed contra, merito debet respondere praemium proportionaliter. Sed sanctorum quidam fuerunt aliis maioris meriti. Ergo, cum impassibilitas sit quoddam praemium, videtur quod in quibusdam sit maior quam in aliis.

2. Praeterea, impassibilitas dividitur contra dotem claritatis. Sed illa non erit aequalis in omnibus, ut patet I *Cor.* xv *. Ergo nec impassibilitas.

* Vers. 41, 42.

Respondeo dicendum quod impassibilitas potest dupliciter considerari: vel secundum se; vel secundum causam suam. Si secundum se consideretur, quia solam negationem vel privationem importat, non suscipit magis et minus, sed erit aequalis in omnibus beatis. Si autem consideretur secundum suam causam, sic erit in uno maior quam in alio. Causa autem eius est dominium animae super corpus *. Quod quidem dominium causatur ex hoc quod fruitur Deo immobiliter. Unde in illo qui perfectius fruitur, est maior impassibilitatis causa.

* Cf. art. praeced.

Ad primum ergo dicendum quod Glossa illa loquitur de impassibilitate secundum se, et non secundum causam suam.

Ad secundum dicendum quod, quamvis negationes et privationes secundum se non intendantur nec remittantur, tamen intenduntur et remittuntur ex causis suis: sicut dicitur esse locus magis tenebrosus qui habet plura et maiora obstacula lucis.

Ad tertium dicendum quod aliqua non solum intenduntur per recessum a contrario, sed per accessum ad terminum: sicut lux intenditur. Et propterea etiam impassibilitas est maior in uno quod in alio, quamvis in nullo aliquid passibilitatis remaneat.

ART. III. UTRUM IMPASSIBILITAS SENSUM IN ACTU A CORPORIBUS GLORIOSIS EXCLUDAT

Ia IIae, qu. III, art. 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXXVI.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod impassibilitas sensum in actu a corporibus gloriosis excludat. Quia, sicut dicit Philosophus, in II *de Anima* *, *sentire est quoddam pati*. Corpora autem gloriosa erunt impassibilia *. Ergo non sentient in actu.

* Cap. XI, n. 11; s. Th. lect. XXIII. - Cf. cap. V, n. 1; s. Th. lect. X.
* Art. 1.

2. Praeterea, immutatio naturalis praecedit immutationem animalem, sicut esse naturale praecedit esse intentionale. Sed corpora gloriosa ratione impassibilitatis non immutabuntur immutatione naturali. Ergo nec immutatione animali, quae requiritur ad sentiendum.

3. Praeterea, quandocumque fit sensus in actu, cum nova receptione fit novum iudicium. Sed ibi non erit novum iudicium: quia *non erunt ibi cogitationes volubiles* *. Ergo non fiet sensus in actu.

* Aug. *de Trin.* lib. XV, cap. XVI, n. 26.

4. Praeterea, quando anima est in actu unius potentiae, remittitur actus alterius potentiae. Sed anima summe erit intenta ad actum virtutis intellectivae, qua Deum contemplabitur. Ergo non erit aliquo modo in actu virtutis sensitivae.

Sed contra est quod dicitur *Apoc.* I *: *Videbit eum omnis oculus*. Ergo erit ibi sensus in actu.

* Vers. 7.

2. Praeterea, secundum Philosophum, in I *de Anima* *, *animatum ab inanimato distinguitur sensu et motu*. Sed ibi erit motus in actu: quia *tanquam scintillae in arundineto discurrent, Sap.* III *. Ergo et sensus in actu.

* Cap. II, n. 2. - S. Th. lect. III.
* Vers. 7.

Respondeo dicendum quod aliquem sensum esse in corporibus beatorum omnes ponunt. Alias corporalis vita sanctorum post resurrectionem assimilaretur magis somno quam vigiliae. Quod non competit illi perfectioni: eo quod in somno corpus sensibile non est in ultimo actu vitae; propter quod somnus dicitur *vitae dimidium* in I *Ethic.* * Sed in modo sentiendi diversi diversa opinantur.

* Cap. XIII, n. 12. - S. Th. lect. XX.

Quidam enim dicunt quod, quia corpora gloriosa sunt impassibilia, et propter hoc *non receptibilia peregrinae impressionis* *, et multo minus quam corpora caelestia, quod non erit ibi sensus in actu per receptionem alicuius speciei a sensibilibus, sed magis extra-mittendo.

* Cf. qu. LXXIV, art. 4, arg. *Sed contra* 1.

Sed hoc non potest esse. Quia in resurrectione natura speciei manebit eadem in homine et omnibus partibus eius. Huiusmodi autem est natura sensus ut sit potentia passiva: ut in II *de Anima* * probat Philosophus. Unde, si in resurrectione sancti sentient extra-mittendo et non recipiendo, non esset sensus in eis virtus passiva, sed activa. Et sic non esset eiusdem speciei cum sensu qui nunc est, sed esset aliqua alia virtus eis data: sicut enim materia nunquam fit forma, ita potentia passiva nunquam fit activa.

* Cap. V, n. 1; s. Th. lect. X. - Cf. cap. XI, n. 11; s. Th. lect. XXIII.

Et ideo alii dicunt quod sensus in actu fiet per susceptionem, non quidem ab exterioribus sensibilibus, sed per effluxum a superioribus viribus: ut sicut nunc superiores vires accipiunt ab inferioribus, ita e converso tunc inferiores accipient a superioribus.

Sed iste modus receptionis non facit vere sentire. Quia omnis potentia passiva secundum suae speciei rationem determinatur ad aliquid activum speciale: quia potentia, inquantum huiusmodi, habet ordinem ad illud respectu cuius dicitur. Unde, cum proprium activum in sensu exteriori sit res existens extra animam, et non intentio eius existens in imaginatione vel ratione; si organum sentiendi non moveatur a rebus extra, sed ex imaginatione vel aliis superioribus viribus, non erit vere sentire. Unde non dicimus quod phrenetici et alii mente capti, in quibus propter victoriam imaginativae virtutis fit huiusmodi defluxus specierum ad organa sentiendi, vere sentiant, sed quia videtur eis quod sentiant.

Et ideo dicendum est, cum aliis, quod sensus corporum gloriosorum erit per susceptionem a rebus quae sunt extra animam. Sed sciendum est quod organa sentiendi immutantur a rebus quae sunt extra animam, dupliciter. Uno modo, immutatione naturali: quando scilicet organum disponitur eadem qualitate naturali qua disponitur res extra animam quae agit in ipsum, sicut cum manus fit calida et adusta ex tactu rei calidae, vel odorifera ex tactu rei odoriferae. Alio modo, immutatione spirituali: quando recipitur qualitas sensibilis in instrumento secundum esse spirituale, idest species sive intentio qualitatis, et non ipsa qualitas; sicut pupilla recipit speciem albedinis et tamen ipsa non efficitur alba. Prima ergo receptio non causat sensum, per se loquendo: quia *sensus est susceptivus specierum* in materia *praeter materiam*, idest praeter esse materiale quod habebant extra animam, ut dicitur in II *de Anima* *. Et haec receptio immutat naturam recipientis: quia recipitur hoc modo qualitas secundum esse suum materiale. Unde ista receptio non erit in corporibus gloriosis: sed secunda, quae per se facit sensum in actu, et non immutat naturam recipientis.

* Cap. XII, n. 1. - S. Th. lect. XXIV.

Ad primum ergo dicendum quod iam patet ex dictis * quod per hanc passionem quae est in actu sentiendi, quae non est aliud quam receptio praedicta, non trahitur corpus extra naturalem suam qualitatem, sed spiritualiter perficitur. Unde impassibilitas gloriosorum corporum hanc passionem non excludit.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod omne passivum recipit actionem agentis secundum suum modum. Si ergo aliquid sit quod natum sit immutari ab activo naturali et spirituali immutatione, immutatio naturalis praecedit immutationem spiritualem, sicut esse naturale praecedit esse intentionale. Si autem natum sit immutari spiritualiter tantum, non oportet quod immutetur naturaliter: sicut de aere, qui non est receptivus coloris secundum esse naturale, sed solum secundum esse spirituale, et ideo hoc solum modo immutatur; sicut e converso corpora inanimata immutantur per qualitates sensibiles solum naturaliter, et non spiritualiter. In corporibus autem gloriosis non poterit esse aliqua immutatio naturalis. Et ideo ibi erit spiritualis immutatio tantum.

Ad tertium dicendum quod, sicut erit nova receptio speciei in organo sentiendi, ita erit novum iudicium sensus communis, non autem novum iudicium intellectus de hoc: sicut fit in eo qui videt aliquid quod prius scivit. Quod autem Augustinus dicit, quod *non erunt ibi cogitationes volubiles,* intelligitur de cogitationibus intellectivae partis. Unde non est ad propositum.

Ad quartum dicendum quod, quando unum duorum est ratio alterius, occupatio animae circa unum non impedit nec remittit occupationem eius circa aliud: sicut medicus, dum videt urinam, non minus potest considerare regulas artis de coloribus urinarum, sed magis. Et quia Deus apprehenditur a sanctis ut ratio omnium quae ab eis agentur vel cognoscentur, ideo occupatio eorum circa sensibilia sentienda, vel quaecumque alia contemplanda aut agenda, in nullo impediet divinam contemplationem, nec e converso.

Vel dicendum quod ideo una potentia impeditur in actu suo quando alia vehementer operatur, quia una potentia de se non sufficit ad tam intensam operationem nisi ei subveniatur per id quod erat aliis potentiis vel membris influendum a principio vitae. Et quia in sanctis erunt omnes potentiae perfectissimae, una poterit intense operari ita quod ex hoc nullum impedimentum praestabitur actioni alterius potentiae: sicut et in Christo fuit.

ART. IV. UTRUM FUTURI SINT IBI OMNES SENSUS IN ACTU

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod non sint ibi omnes sensus in actu. Tactus enim est primus inter omnes alios sensus: ut dicitur in libro *de Anima* *. Sed corpora gloriosa carebunt actu sensus tactus: quia sensus tactus fit in actu per immutationem corporis animalis ab aliquo exteriori corpore praedominante in aliqua qualitatum activarum vel passivarum, quarum est tactus discretivus; qualis tunc immutatio esse non poterit *. Ergo non erit ibi omnis sensus in actu.

* Lib. II, cap. II, n. 5; s. Th. lect. III. - Cf. *de Partib. Animal.* lib. II, cap. VIII.
* Cf. art. praeced.

2. Praeterea, sensus gustus deservit actui virtutis nutritivae. Sed post resurrectionem huiusmodi actus non erit *. Ergo frustra esset ibi gustus.

* Qu. LXXXI, art. 4.

3. Praeterea, post resurrectionem nihil corrumpetur: quia tota creatura vestietur quadam virtute incorruptionis.

Sed sensus odoratus in actu suo esse non potest nisi aliqua corruptione facta: quia odor non sentitur sine aliqua fumali evaporatione, quae in quadam resolutione consistit. Ergo sensus odoratus non erit ibi in suo actu.

4. Praeterea, *auditus deservit disciplinae*: ut dicitur in libro *de Sensu et Sensato* *. Sed non erit post resurrectionem beatis necessaria aliqua disciplina per sensibilia: quia divina sapientia replebuntur ex ipsius Dei visione. Ergo non erit ibi auditus.

* Cap. I. - S. Th. lect. II.

5. Praeterea, visio fit secundum quod in pupilla recipitur species rei visae. Sed hoc non poterit esse post resurrectionem in beatis. Ergo non erit ibi visus in actu. Qui tamen est omnium sensuum nobilior. – Probatio mediae. Illud quod est lucidum in actu, non est receptivum speciei visibilis: unde speculum directe positum sub radio solis non repraesentat speciem corporis oppositi. Sed pupilla, sicut et totum corpus, erit claritate dotata. Ergo non recipietur in ea aliqua species colorati corporis.

6. Praeterea, secundum perspectivos, omne quod videtur, sub angulo videtur. Sed hoc non competit corporibus gloriosis. Ergo non habebunt sensum visus in actu. – Probatio mediae. Quandocumque aliquid videtur sub angulo, oportet esse aliquam proportionem angulo ad distantiam rei visae: quia quod a remotiori videtur, minus videtur et sub minori angulo. Unde posset esse ita parvus angulus quod nihil de re videretur. Si ergo oculus gloriosus videbit sub angulo, oportet quod videat sub determinata distantia: et ita quod non videat aliquid a remotiori quam modo videmus. Quod videtur valde absurdum. Et sic videtur quod sensus visus actu non erit in corporibus gloriosis.

Sed contra, potentia coniuncta actui est perfectior quam non coniuncta. Sed natura humana erit in beatis in maxima perfectione. Ergo erunt ibi omnes sensus in suo actu.

2. Praeterea, vicinius se habent ad animam potentiae sensitivae quam corpus. Sed corpus praemiabitur vel punietur propter merita vel demerita animae *. Ergo et omnes sensus praemiabuntur in beatis et punientur in malis secundum delectationem et dolorem vel tristitiam quae in operatione sensus consistunt.

* Cf. qu. LXXV, art. 1, ad 3.

Respondeo dicendum quod circa hoc est duplex opinio. Quidam * enim dicunt quod in corporibus gloriosis erunt omnes potentiae sensuum, non tamen erunt in actu nisi duo sensus, scilicet tactus et visus. Nec hoc erit ex defectu sensuum, sed ex defectu medii et obiecti. Nec tamen erunt frustra: quia erunt ad integritatem humanae naturae, et ad commendandam sapientiam Creatoris.

* S. Bonav. IV *Sent.*, dist. XLIX, part. II, sect. I, art. 3, qu. I.

Sed hoc non videtur verum. Quia hoc quod est medium in istis sensibus, est etiam in aliis medium. In visu enim est medium aer, qui etiam est medium in auditu et odoratu: sicut patet in II *de Anima* *. Similiter etiam gustus habet medium coniunctum, sicut et tactus: cum gustus sit *tactus quidam*, ut in eodem libro * dicitur. Odor etiam erit ibi, qui est obiectum odoratus: cum Ecclesia cantet quod odor suavissimus erunt corpora sanctorum. Laus etiam vocalis erit in patria: unde Augustinus * dicit, super illud Psalmi *, *Exultationes Dei in gutture eorum*, quod *corda et linguae* non desinent laudare Deum. Et idem etiam habetur per Glossam * super illud *Esdrae* XII **, *In cantico et cymbalis*, etc.

* Cap. VII, n. 9; cap. IX, n. 5. - S. Th. lect. XV, XX.
* Cap. IX, n. 2; s. Th. lect. XIX. - Cf. *de Sensu et Sensat.*, cap. IV; a. Th. lect. IX.
*Gloss. Ord. Aug. et Lomb.
* Ps. CXLIX, vers. 6.
* Ord.
** Vers. 27 (lib. II).

Et ideo, secundum alios, dicendum quod etiam odoratus et auditus erunt ibi in actu. Sed gustus non erit in actu ita quod immutetur ab aliquo cibo vel potu sumpto, ut patet ex dictis *: nisi forte dicatur quod erit gustus in actu per immutationem linguae ab aliqua humiditate adiuncta.

* Qu. LXXXI, art. 4.

Ad primum ergo dicendum quod qualitates quas tactus percipit, sunt illae ex quibus constituitur animalis corpus. Unde per qualitates tangibiles corpus animalis, secundum statum praesentem, natum est immutari immutatione naturali et spirituali ab obiecto tactus. Et ideo tactus dicitur maxime materialis inter alios sensus: quia habet plus de materiali immutatione adiunctum. Non tamen immutatio materialis se habet ad actum sentiendi, qui perficitur spirituali immutatione, nisi per accidens. Et ideo in corporibus gloriosis, a quibus impassibilitas excludit naturalem immutationem, erit immutatio a qualitatibus tangibilibus spiritualis tantum: sicut etiam in corpore Adae fuit, quod nec ignis urere nec gladius scindere potuisset, et tamen horum sensum habuisset.

Ad secundum dicendum quod gustus, secundum quod est sensus alimenti, non erit in actu. Si tamen erit secundum quod est iudicium saporum, hoc esse poterit forte per modum praedictum *.

* Resp. ad 1.

Ad tertium dicendum quod quidam * posuerunt quod odor nihil aliud est quam quaedam fumalis evaporatio. Sed haec positio non potest esse vera: quod patet ex hoc quod vultures currunt ex odore percepto ad cadaver ex locis remotissimis, nec esset possibile quod evaporatio aliqua pertingeret a cadavere ad tam remota loca, etiam si totum resolveretur in vaporem; et praecipue cum sensibilia in aequali distantia ad quamlibet partem immutent. Unde odor immutat medium quandoque, et instrumentum sentiendi, spirituali immutatione, sine aliqua evaporatione pertingente ad organum. Sed quod aliqua evaporatio requiratur, hoc est quia odor in corporibus est humiditate aspersus: unde oportet resolutionem fieri, ad hoc quod percipiatur.

* Cf. *Problemat.* sect. XIII, n. 5 (ed. Didot). - Inter Opp. Aristot.

Sed in corporibus gloriosis erit odor in sua ultima perfectione, nullo modo per humidum suppressus. Unde immutabit spirituali immutatione, sicut odor fumalis evaporationis facit. Et sensus odoratus in sanctis, quia nulla humiditate impedietur, cognoscet non solum excellentias odorum, sicut nunc in nobis contingit, propter nimiam cerebri humiditatem: sed etiam minimas odorum differentias.

Ad quartum dicendum quod in patria erit laus vocalis: quamvis quidam aliter dicant, quod sola immutatione spirituali organum auditus immutabitur in beatis. Nec erit propter disciplinam qua scientiam acquirat: sed propter perfectionem sensus et delectationem. Quomodo autem vox ibi formari poterit, dictum est in II libro *.

* Dist. II, qu. II, art. 2, ad 5.

Ad quintum dicendum quod intensio luminis non impedit receptionem spiritualem speciei coloris, dummodo maneat in natura diaphani: sicut patet quod, quantumcumque illuminetur aer, potest esse medium in visu; et quanto est magis illuminatus, tanto per ipsum aliquid clarius videtur, nisi sit defectus ex debilitate visus. Quod autem in speculo directe opposito radio solis non appareat species corporis oppositi, non est propter hoc quod impediatur receptio: sed propter hoc quod impeditur reverberatio. Oportet enim ad hoc quod forma in speculo appareat, quod fiat quaedam reverberatio ad aliquod corpus obscurum: et ideo plumbum vitro adiungitur in speculo. Hanc autem obscuritatem radius solis repellit: unde non potest apparere species in aliquo speculo. Claritas autem corporis gloriosi non aufert diaphanitatem a pupilla: quia gloria non tollet naturam. Unde magnitudo claritatis in pupilla magis facit ad acumen visus quam ad eius defectum.

Ad sextum dicendum quod, quanto sensus est perfectior, tanto ex minori immutatione facta potest obiectum suum percipere. Quanto autem sub minori angulo visus a visibili immutatur, tanto minor immutatio est: et inde est quod visus perfectior magis a remotis aliquid videre potest quam visus debilior, quia quanto a remotiori videtur, sub minori angulo videtur. Et quia visus corporis gloriosi erit perfectissimus, ex parvissima immutatione poterit videre. Unde sub angulo multo minori videre poterit quam modo possit: et per consequens multo magis a remoto.

QUAESTIO OCTOGESIMATERTIA

DE SUBTILITATE CORPORUM BEATORUM

Deinde considerandum est de subtilitate corporum beatorum *.

* Cf. qu. LXXXII, Introd.

Circa quod quaeruntur sex.

Primo: utrum subtilitas sit proprietas corporis gloriosi.

Secundo: utrum ratione huius subtilitatis possit esse in eodem loco cum alio non glorioso.

Tertio: utrum per miraculum duo corpora possint simul esse in eodem loco.

Quarto: utrum corpus gloriosum possit esse cum alio glorioso in eodem loco.
Quinto: utrum corpus gloriosum necessario requirat aequalem sibi locum.
Sexto: utrum corpus gloriosum sit palpabile.

ART. I. UTRUM SUBTILITAS SIT PROPRIETAS CORPORIS GLORIOSI

Infra, qu. LXXXIV, art. 1; IV *Sent.*, dist. XLIX, qu. IV, art. 5, qu^a^ 3; *Compend. Theol.*, cap. CLXVIII; I *ad Cor.*, cap. XV, lect. VI.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod subtilitas non sit proprietas corporis gloriosi. Proprietas enim gloriae excedit proprietatem naturae sicut claritas gloriae claritatem solis, quae est maxima in natura. Si ergo subtilitas est proprietas corporis gloriosi, videtur quod corpus sit subtilius futurum omni quod est subtile in natura. Et ita erit *ventis aereque subtilius:* quod est haeresis a Gregorio in Constantinopolitana urbe damnata, ut ipse narrat, in XIV libro *Moralium* *.

* Cap. LVI, aliter XXIX; in vet. cap. XXXI. - Cf. Part. III, qu. LIV, art. 3.

2. PRAETEREA, sicut caliditas et frigiditas sunt quaedam qualitates simplicium corporum, scilicet elementorum, ita et subtilitas. Sed calor et aliae qualitates elementorum non intendentur in gloriosis corporibus magis quam nunc: immo magis ad medium reducentur. Ergo neque subtilitas in eis erit maior quam nunc sit.

3. PRAETEREA, subtilitas invenitur in corporibus propter paucitatem materiae: unde corpora quae habent minus de materia sub aequalibus dimensionibus, dicimus magis subtilia, ut ignem aere, et aerem aqua, et aquam terra. Sed tantum de materia erit in corporibus gloriosis quantum nunc est, nec dimensiones erunt maiores, ut ex supra * dictis patet. Ergo non erunt magis subtilia quam modo sunt.

* Qu. LXXX, art. 4, 5; qu. LXXXI, art. 2.

SED CONTRA EST quod dicitur I *Cor.* XV *: *Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale,* idest spiritui simile. Sed subtilitas spiritus excedit omnem subtilitatem corporis. Ergo corpora gloriosa erunt subtilissima.

* Vers. 44.

2. PRAETEREA, corpora quanto sunt subtiliora, tanto nobiliora. Sed corpora gloriosa sunt nobilissima. Ergo erunt subtilissima.

RESPONDEO DICENDUM quod nomen *subtilitatis* a virtute penetrandi est assumptum: unde dicitur in II *de Generat.* *, quod subtile est *quod est repletivum partibus et partium partibus.* Quod autem aliquod corpus sit penetrativum, contingit ex duobus. Primo, ex parvitate quantitatis: praecipue secundum profunditatem et latitudinem; non autem secundum longitudinem, quia penetratio fit in profundum, unde longitudo penetrationi non obstat. Secundo, ex paucitate materiae: unde rara subtilia dicimus. Et quia in corporibus raris forma praedominatur materiae magis, ideo translatum est nomen subtilitatis ad illa corpora quae optime substant formae, et perficiuntur ab ea completissimo modo: sicut dicimus subtilitatem esse in sole et luna et aliis huiusmodi; sicut etiam aurum vel aliquid huiusmodi potest dici subtile quando perfectissime completur in esse et virtute suae speciei.

* Cap. II, n. 5. - Continuat. Comment. s. Th. lect. II.

Et quia res incorporeae quantitate carent et materia, nomen subtilitatis ad eas transfertur: non solum ratione suae substantiae; sed etiam ratione suae virtutis. Sicut enim subtile dicitur penetrativum quia pertingit usque ad intima rei, ita etiam dicitur aliquis intellectus subtilis quia pertingit ad inspicienda intrinseca principia et proprietates naturales rei latentes. Et similiter dicitur aliquis habere visum subtilem quia aliquod minimum potest visu pertingere. Et similiter est de aliis sensibus.

Et secundum hoc etiam diversi diversimode subtilitatem corporibus gloriosis attribuerunt. Quidam enim haeretici, ut Augustinus narrat *, attribuerunt eis subtilitatem secundum modum quo spirituales substantiae subtiles dicuntur, dicentes quod in resurrectione corpus vertetur in spiritum, et ratione huius corpora resurgentium Apostolus *spiritualia* nominat, I *Cor.* XV *.

* *De Civit. Dei*, lib. XIII, cap. XXII.
* Vers. 44, 46.

Sed hoc non potest stare. Primo, quia corpus in spiritum transire non potest: cum non communicent in materia. Quod etiam Boetius ostendit, in libro *de Duabus Naturis* *. – Secundo quia, si hoc esset possibile, corpore in spiritum converso, non resurgeret homo, qui ex anima et corpore naturaliter constat. – Tertio quia, si Apostolus sic intelligeret, sicut nominat *corpora spiritualia*, pari ratione nominaret *corpora animalia* quae in animam sunt conversa. Quod patet esse falsum.

* Cap. VI.

Unde quidam haeretici dixerunt quod corpus in resurrectione remanebit, sed habebit subtilitatem secundum modum rarefactionis, ita quod corpora humana in resurrectione erunt aeri vel vento similia, ut Gregorius narrat, XIV libro *Moralium* *.

* Cf. arg. 1.

Sed hoc etiam non potest stare. Quia Dominus post resurrectionem corpus palpabile habuit, ut patet Luc. ult. *: quod praecipue subtile credendum est. – Et praeterea, corpus humanum cum carnibus et ossibus resurget, sicut corpus Domini, ut dicitur Luc. ult. *, *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et *Iob* XIX * dicitur: *In carne mea videbo Deum, Salvatorem meum.* Natura autem carnis et ossis praedictam raritatem non patitur.

* Vers. 39.
* Ibid.
* Vers. 26.

Et ideo est assignandus corporibus gloriosis alius modus subtilitatis, ut dicantur subtilia propter completissimam corporis perfectionem. Sed hanc completionem quidam * eis attribuunt ratione quintae essentiae, quae eis tunc maxime dominabitur.

* Halens. *Summ. Theol.* part. III, qu. XXIII, m. 2.

Quod esse non potest. Primo, quia nihil de quinta essentia potest venire in compositionem corporis, ut in II libro * ostensum est. – Secundo quia, dato quod veniret in compositionem corporis humani, non posset intelligi quod dominaretur magis tunc quam nunc supra naturam elementarem, nisi ita quod esset in corporibus humanis plus secundum quantitatem de natura caelesti; et sic corpora humana non essent eiusdem staturae; nisi forte minueretur natura elementaris in homine, quod repugnat integritati resurgentium. Vel ita quod natura elementaris indueret proprietates naturae caelestis ex eius dominio in corpore. Et sic naturalis virtus esset causa proprietatis gloriosae. Quod absurdum est.

* Dist. XVII, qu. III, art. 1.

Et ideo alii dicunt quod dicta completio, ex qua corpora humana subtilia dicuntur, erit ex dominio animae glorificatae, quae est forma corporis, super ipsum, ratione cuius corpus gloriosum spirituale dicitur, quasi omnino spiritui subiectum. Prima autem subiectio qua corpus animae subiicitur, est ad participandum esse specificum, prout subiicitur sibi ut materia forma: et deinde subiicitur ei ad alia opera animae, prout anima est motor. Et ita prima ratio spiritualitatis in corpore est ex subtilitate; et deinde ex agilitate, et aliis proprietatibus corporis gloriosi *. Et propter hoc Apostolus in *spiritualitate* tetigit dotem subtilitatis, ut Magistri exponunt *. Unde Gregorius dicit, XIV *Moral.* *, quod corpus gloriosum *dicitur subtile per effectum spiritualis potentiae.*

* Cf. dist. XLIX, qu. IV, art. 5, qu^a^ 3.
* Cf. b. Albert. IV *Sent.*, dist. XLIV, art. 23.
* Loc. cit.

Et per hoc patet solutio ad obiecta, quae procedunt de subtilitate quae est per rarefactionem.

ART. II. UTRUM RATIONE HUIUS SUBTILITATIS COMPETAT CORPORI QUOD SIT SIMUL IN EODEM LOCO CUM ALIO CORPORE NON GLORIOSO

Part. III, qu. LIV, art. 1, ad 1; *Quodl.* I, qu. X, art. 1; *In Ioan.*, cap. XX, lect. IV; I *ad Cor.*, cap. XV, lect. VI.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ratione huius subtilitatis competat corpori quod sit simul in eodem loco cum alio corpore non glorioso. Quia, ut dicitur *Philipp.* III *: *Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.* Sed corpus Christi potuit simul esse cum alio corpore in eodem loco: ut patet per hoc quod post resurrectionem intravit ad discipulos *ianuis clausis,* ut dicitur Ioan. XX *. Ergo et corpora gloriosa ratione subtilitatis poterunt esse cum aliis corporibus non gloriosis in eodem loco.

* Vers. 21.
* Vers. 19, 26.

2. PRAETEREA, corpora gloriosa erunt nobiliora omnibus aliis corporibus. Sed quaedam corpora nunc ratione suae nobilitatis possunt esse simul cum aliis corporibus, scilicet radii solares. Ergo multo fortius hoc conveniet corporibus gloriosis.

3. Praeterea, corpus caeleste non potest dividi, ad minus quantum ad substantiam sphaerarum: unde dicitur *Iob* xxxvii *, quod *caeli velut aere solidissimi firmati sunt.* Si ergo corpus gloriosum non potest simul esse cum alio corpore in eodem loco ratione subtilitatis, nunquam ad caelum empyreum ascendere poterit. Quod est erroneum.

* Vers. 18.

4. Praeterea, corpus quod non potest simul esse cum alio corpore, potest ex alterius obstaculo impediri in motu suo, vel etiam includi. Sed haec non possunt contingere corporibus gloriosis. Ergo possunt simul esse in eodem loco cum aliis corporibus.

5. Praeterea, sicut se habet punctus ad punctum, ita linea ad lineam, et superficies ad superficiem, et corpus ad corpus. Sed duo puncta possunt esse simul, ut patet quando lineae se tangunt; et similiter duae lineae in contactu duarum superficierum; et duae superficies in contactu duorum corporum: quia contigua sunt *quorum ultima sunt simul,* ut patet VI *Physic.* * Ergo non est contra naturam corporis quin possit esse simul cum alio corpore in eodem loco. Sed quidquid nobilitatis natura corporis patitur, totum corpori glorioso praestabitur. Ergo corpus gloriosum ex suae subtilitatis proprietate habebit quod possit esse simul cum alio corpore in eodem loco.

* Cap. vi, n. 1; s. Th. lect. i. - Cf. lib. V, cap. iii, n. 2; s. Th. lect. v.

Sed contra est quod Boetius dicit, in libro *de Trin.* *: *In numero differentiam varietas accidentium facit. Nam tres homines neque genere, neque specie, sed suis accidentibus distant. Nam, si vel animo cuncta ab his accidentia separamus, tamen locus est cunctis diversus, quem unum fingere nullo modo possumus.* Ergo, si ponantur duo corpora esse in uno loco, erunt unum corpus numero.

* Cap. i. - S. Th. lect. i.

2. Praeterea, corpora gloriosa maiorem convenientiam habebunt cum loco quam spiritus angelici. Sed spiritus angelici, ut quidam dicunt, non possent distingui numero nisi essent in diversis locis: et propter hoc ponunt quod necesse est esse eos in loco, et quod ante mundum creari non potuerunt *. Ergo multo magis debent dicere quod duo corpora qualiacumque non possunt esse in eodem loco.

* Cf. II *Sent.*, dist. ii, qu. i, art. 3.

Respondeo dicendum quod non potest dici quod corpus gloriosum ratione suae subtilitatis habeat quod possit esse cum alio corpore in eodem loco, nisi per subtilitatem auferatur ab eo id per quod prohibetur nunc esse simul cum alio corpore in eodem loco. Dicunt autem quidam * quod prohibetur ab hoc in isto statu ratione corpulentiae, per quam habet quod replet locum. Quae quidem corpulentia ab eo per subtilitatis dotem tolletur.

* B. Innocen. V, IV *Sent.*, dist. xlix, qu. iv, art. 3; s. Bonavent. ibid., dist. xlix, part. ii, sect. ii, art. 3, qu. i.

Sed hoc non potest stare propter duo. Primo, quia corpulentia quam dos subtilitatis aufert, est ad defectum pertinens: puta aliqua inordinatio materiae non perfecte substantis suae formae. Totum enim quod ad integritatem corporis pertinet, in corpore resurget, tam ex parte formae quam ex parte materiae *. Quod autem aliquod corpus sit repletivum loci, hoc habet per illud quod est de integritate naturae eius, et non ex aliquo defectu naturae. Cum enim plenum opponatur vacuo, illud solum non replet locum, quo posito in loco, nihilominus manet vacuus locus. Vacuum autem definitur, in IV *Physic.* *, quod est *locus non plenus sensibili corpore.* Dicitur autem aliquod corpus esse sensibile ex materia et forma et naturalibus accidentibus, quae omnia ad integritatem naturae pertinent. Constat etiam quod corpus gloriosum erit sensibile, etiam secundum tactum, ut patet in corpore Domini, Luc. ult. *: nec enim deerit materia aut forma, aut naturalia accidentia, scilicet calidum et frigidum et huiusmodi. Unde patet quod corpus gloriosum, non obstante subtilitatis dote, replebit locum. Insania enim videtur dicere quod locus ubi esset corpus gloriosum, esset vacuus.

* Cf. qu. lxxx, art. 4, 5.

* Cap. vi, n. 2; cap. vii, n. 2. - S. Th. lect. ix, x.

* Vers. 39.

Secundo ratio eorum praedicta non valet, quia coexistentiam corporis impedire in eodem loco est in plus quam replere locum. Si enim ponamus dimensiones esse separatas sine materia, illae dimensiones non replent locum. Unde quidam ponentes vacuum dixerunt vacuum esse locum in quo sunt huiusmodi dimensiones sine aliquo sensibili corpore. Et tamen istae dimensiones prohibentur ne sint simul cum alio corpore in eodem loco: ut patet per Philosophum, in IV *Physic.* * et in III *Metaphys.* **, ubi habet pro inconvenienti quod corpus mathematicum, quod nihil est aliud quam dimensiones separatae, sit simul cum alio corpore naturali sensibili. Unde, dato quod subtilitas gloriosi corporis auferret ab eo hoc quod est replere locum, non tamen sequitur quod propter hoc posset esse cum alio corpore in eodem loco: quia, remoto eo quod in minus est, non propter hoc removetur quod in plus est.

* Cap. i, n. 8; cap. viii, n. 13. - S. Th. lect. ii, xiii.
** S. Th. lect. vii. - Did. lib. II, cap. ii, n. 22.

Ergo videtur quod illud quod impedit corpus nostrum nunc ne simul cum alio corpore sit in eodem loco, nullo modo poterit ab eo removeri per dotem subtilitatis. Nihil enim potest prohibere corpus aliquod ne sit simul situatum cum alio corpore in eodem loco, nisi hoc quod in eo requirit diversum situm: nihil enim est impedimentum identitati nisi quod est causa diversitatis. Hanc autem distinctionem situs non requirit aliqua corporis qualitas: quia corpori non debetur aliquis situs ratione suae qualitatis. Unde, remoto a corpore sensibili quod sit calidum aut frigidum, aut grave aut leve, nihilominus in eo remanet necessitas praedictae distinctionis: ut patet per Philosophum, in IV *Physic.* *; et etiam per se planum est. Similiter etiam materia non potest inducere necessitatem praedictae distinctionis: quia materiae non advenit situs nisi mediante quantitate dimensiva. Similiter etiam neque forma situm habet nisi ex materia situm habente. Restat ergo quod necessitas distinctionis duorum corporum in situ causatur a natura quantitatis dimensivae, cui per se convenit situs: cadit enim in definitione eius, quia quantitas dimensiva est *quantitas habens situm* *. Et inde est quod, remotis omnibus aliis quae sunt in re, distinctionis necessitas invenitur in sola quantitate dimensiva. Si enim accipiatur linea separata, oportet quod, si sint duae lineae vel duae partes unius lineae, quod sint distinctae in situ: alias linea addita lineae non efficeret maius, quod est contra communem animi conceptionem. Et similiter est de superficiebus et corporibus mathematicis. Et quia materiae debetur situs inquantum substat dimensionibus, exinde praedicta necessitas ad materiam situatam derivatur: ut, sicut non est possibile esse duas lineas vel duas partes lineae nisi sint distinctae secundum situm, ita impossibile est esse duas materias vel duas partes materiae nisi sit distinctio situs. Et quia distinctio materiae est principium distinctionis individuorum, inde est quod Boetius dicit, in libro *de Trin.* *, quod *duobus corporibus unum locum fingere nullo modo possumus,* ut hanc saltem accidentium varietatem distinctio individuorum requirat.

* Locis prox. cit.

* Cf. Aristot. *Categ.* cap. iv, n. 8.

* Cf. arg. *Sed contra* 1.

Subtilitas autem a corpore glorioso dimensionem non aufert. Unde nullo modo aufert sibi praedictam necessitatem distinctionis situs ab alio corpore. Et ideo corpus gloriosum non habebit ratione suae subtilitatis quod possit esse cum alio corpore. Sed poterit simul cum alio corpore esse ex operatione virtutis divinae. Sicut etiam corpus Petri non habuit ex aliqua proprietate indita quod ad adventionem eius sanarentur infirmi *: sed hoc fiebat virtute divina ad aedificationem fidei. Ita faciet virtus divina ut corpus gloriosum possit simul cum alio corpore esse ad perfectionem gloriae.

* *Act.* cap. v, vers. 15.

Ad primum ergo dicendum quod corpus Christi non habuit ex subtilitatis dote quod possit esse simul cum alio corpore in eodem loco: sed hoc factum est virtute divina post resurrectionem, sicut in nativitate. Unde Gregorius, in Homilia *, dicit: *Illud corpus Domini intravit ad discipulos ianuis clausis quod ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exiit utero Virginis.* Unde non oportet quod ratione subtilitatis hoc conveniat corporibus gloriosis *.

* Homil. XXVI *in Evang.*

* Cf. Part. III, qu. liv, art. 1, ad 1.

Ad secundum dicendum quod lumen non est corpus: ut in Prima Parte * dictum est. Unde obiectio procedit ex falsis.

* Qu. lxvii, art. 2. - Cf. II *Sent.*, dist. xiii, art. 3.

Ad tertium dicendum quod corpus gloriosum transibit sphaeras caelorum sine eorum divisione, non ex vi subtilitatis, sed ex divina virtute, quae eis ad nutum in omnibus subveniet.

Ad quartum dicendum quod ex hoc quod Deus eis ad nutum aderit in omnibus quae volunt, sequitur quod non possint includi vel carcerari.

Ad quintum dicendum quod, sicut dicitur in IV *Physic.**, *puncti non convenit esse locum.* Unde, si dicatur esse in loco, hoc non est nisi per accidens, quia corpus cuius est terminus est in loco. Sicut autem totus locus respondet toti corpori, ita terminus loci respondet termino corporis. Contingit autem duorum locorum esse unum terminum: sicut et duas lineas terminari ad unum punctum. Et ideo, quamvis duo corpora non possunt esse nisi in diversis locis, tamen duobus terminis duorum corporum respondet idem terminus duorum locorum. Et secundum hoc dicuntur ultima corporum se contingentium esse simul.

* Cap. v, n. 4. - S. Th. lect. viii.

ART. III. Utrum per miraculum fieri possit quod duo corpora sint in eodem loco

Part. III, qu. liv, art. 1, ad 1; qu. lvii, art. 4, ad 2; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxxvii; *Quodl.* I, qu. x, art. 2; *In Ioan.*, cap. xx, lect. iv; I *ad Cor.*, cap. xv, lect. vi.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod nec etiam per miraculum fieri possit quod duo corpora sint in eodem loco. Non enim potest fieri per miraculum quod duo corpora sint simul duo et unum: quia hoc esset facere contradictoria esse simul. Sed, si ponantur duo corpora esse simul, sequeretur illa duo corpora esse unum. Ergo non est possibile hoc per miraculum fieri.

Probatio mediae. Sint duo corpora in eodem loco, quorum unum dicatur A et aliud B. Aut ergo dimensiones A erunt eaedem cum dimensionibus loci, aut aliae. Si aliae, ergo erunt aliquae dimensiones separatae. Quod non potest poni: quia dimensiones quae sunt inter terminos loci, non sunt in aliquo subiecto nisi sint in corpore locato. Si autem sunt eaedem, ergo eadem ratione dimensiones B erunt eaedem cum dimensionibus loci. Sed *quaecumque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem* *. Ergo dimensiones A et B sunt eaedem. Sed duorum corporum non possunt esse eaedem dimensiones: sicut nec eadem albedo. Ergo A et B sunt unum corpus. Et erant duo. Ergo sunt simul unum et duo.

* Arist. *Sophist. Elench.*, cap vi, n. 8.

2. Praeterea, contra *communes animi conceptiones* * non potest aliquid miraculose fieri, ut scilicet pars non sit minor toto: quia contraria communibus conceptionibus directe contradictionem includunt. Similiter nec conclusiones geometricae, quae a communibus conceptionibus infallibiliter deducuntur: sicut quod triangulus non habeat tres angulos aequales duobus rectis *. Similiter nec aliquid potest fieri in linea contra definitionem lineae: quia separare definitionem a definito est ponere duo contradictoria esse simul. Sed duo corpora esse in eodem loco est contra conclusiones geometriae, et contra definitionem lineae. Ergo non potest fieri per miraculum.

* Cf. Boet. *de Hebdomad.*, al. *Quomodo substantiae in eo quod sint* etc., *Prooem.*

* Euclid. *Element.* lib. I, prop. xxxii.

Probatio mediae. Conclusio est geometriae quod duo circuli non se tangunt nisi in puncto *. Si autem duo corpora circularia essent in eodem, duo circuli designati in eis se tangerent secundum totum. – Similiter etiam est contra definitionem lineae * quod infra duo puncta sit plus quam una linea recta. Quod contingeret si duo corpora essent in eodem loco: quia infra duo puncta signata in diversis superficiebus loci essent duae lineae rectae duorum corporum locatorum.

* Ibid. lib. III, prop. xiii.

* Ibid. lib. I, definit. 4.

3. Praeterea, hoc non videtur posse fieri per miraculum, quod corpus inclusum in alio corpore non sit in loco: quia sic haberet locum communem et non proprium, quod non potest esse. Sed hoc sequeretur si duo corpora essent in eodem loco. Ergo non potest fieri per miraculum.

Probatio mediae. Sint duo corpora in eodem loco quorum unum secundum quamlibet dimensionem sit maius alio. Corpus minus erit inclusum in corpore maiore, et locus corporis maioris erit locus eius communis: locum autem proprium non habebit. Quia non erit aliqua superficies corporis actu signata quae contineat ipsum: quod est de ratione loci *. Ergo non habebit locum proprium.

* Aristot. *Physic.* lib. IV, cap. iv, n. 10, 12. - S. Th, lect. vi.

4. Praeterea, locus proportionaliter respondet locato. Sed nunquam potest fieri per miraculum quod idem corpus sit simul in diversis locis, nisi per aliquam conversionem, sicut accidit in sacramento Altaris *. Ergo nullo modo potest fieri per miraculum quod duo corpora sint simul in eodem loco.

* Part. III, qu. lxxv, art. 2.

Sed contra est quod Beata Virgo filium suum miraculose peperit *. Sed in illo partu oportuit duo corpora esse simul in eodem loco: quia corpus pueri exiens *claustra pudoris* non fregit *. Ergo potest miraculose fieri quod duo corpora sint in eodem loco.

* Cf. dist. xxx, qu. ii, art. 3, ad 5; Part. III, qu. xxviii, art. 2. ad 3.

* Cf. Hymn. *Veni Redemptor*, in festo Nativit. Domini.

2. Praeterea, hoc idem potest ostendi per hoc quod Dominus ad discipulos intravit *clausis ianuis*, Ioan. xx *.

* Vers. 19, 26.

Respondeo dicendum quod, sicut ex dictis * patet, propter hoc necesse est duo corpora in duobus locis esse, quia diversitas materiae requirit distinctionem in situ. Et ideo videmus quod, quando conveniunt duo corpora in unum, destruitur esse distinctum utriusque, et acquiritur utrique simul unum esse distinctum: ut patet in mixtionibus. Non potest ergo esse quod duo corpora remaneant duo et tamen sint simul, nisi utrique conservetur esse distinctum quod prius habebat, secundum quod utrumque erat *ens indivisum in se et divisum ab aliis.* Hoc autem esse distinctum dependet a principiis essentialibus rei sicut a causis proximis, sed a Deo sicut a causa prima. Et quia causa prima potest conservare rem in esse cessantibus causis secundis, ut patet per primam propositionem Libri *de Causis* *, ergo divina virtute, et ea sola, fieri potest ut accidens sit sine subiecto, ut patet in sacramento Altaris *. Et similiter virtute divina fieri potest, et ea sola, quod corpori remaneat esse distinctum ab alio corpore, quamvis eius materia non sit distincta in situ ab alterius corporis materia. Et sic miraculose fieri potest quod duo corpora sint in eodem loco.

* Art. praeced.

* Inter Opp. Aristot.

* Part. III, qu. lxxvii, art. 1.

Ad primum ergo dicendum quod ratio illa est sophistica: quia procedit ex suppositione falsi; vel petit principium. Procedit enim ratio illa ac si inter superficies oppositas loci alicuius esset aliqua dimensio propria loco, cui oporteret quod uniretur dimensio corporis locati advenientis. Sic enim sequeretur quod dimensiones duorum corporum locatorum fierent una dimensio, si utraque unum fieret cum dimensione loci. Haec autem positio falsa est: quia secundum hoc, quandocumque corpus acquireret novum locum, oporteret aliquam immutationem fieri in dimensionibus loci vel locati; non enim potest esse quod aliqua duo fiant de novo unum nisi altero eorum immutato. Si autem, ut se rei veritas habet, loco non debentur aliae dimensiones quam dimensiones locati, patet quod ratio nihil probat.

Sed petit principium, quia secundum hoc nihil est aliud dictum quod dimensiones locati sunt eaedem cum dimensionibus loci, nisi quod dimensiones locati continentur infra terminos loci, et secundum eorum mensuram distant termini sicut distarent propriis dimensionibus si eas haberent. Et sic dimensiones duorum corporum esse dimensiones unius loci, nihil est aliud quam duo corpora esse in eodem loco. Quod est principale propositum.

Ad secundum dicendum quod, posito quod duo corpora sint simul in eodem loco per miraculum, non sequitur aliquid neque contra communes animi conceptiones, neque contra definitionem lineae, neque contra conclusiones aliquas geometriae. Sicut enim supra * dictum est, quantitas dimensiva in hoc differt ab omnibus aliis accidentibus quod habet specialem rationem individuationis et distinctionis, scilicet ex situ partium, praeter rationem individuationis et distinctionis quae est sibi et omnibus accidentibus communis, scilicet ex materia subiecta. Sic ergo una linea potest intelligi diversa ab alia vel quia est in alio subiecto, quae consideratio non est nisi de linea materiali; vel quia distat in situ ab alia, quae consideratio est etiam de linea mathematica, quae intelligitur praeter materiam. Si ergo removeatur materia, non potest esse distinctio linearum nisi secundum situm diversum; et similiter nec punctorum nec superficierum, aut quarumcumque dimensionum. Et sic geometria non potest ponere quod una linea addatur alii tanquam distincta ab ea, nisi sit diversa in situ ab ea. Sed, supposita distinctione subiecti sine distinctione situs ex divino miraculo, intelligentur diversae lineae quae non distant situ, propter diversitatem subiecti; et similiter puncta diversa. Et sic duae lineae designatae in duobus corporibus quae sunt in eodem

* Art. praeced.

loco, trahuntur a diversis punctis ad diversa puncta: ut non accipiamus punctum in loco, sed in ipso corpore locato; quia linea non dicitur trahi nisi a puncto quod est terminus eius. Et similiter etiam duo circuli designati in duobus corporibus sphaericis existentibus in eodem loco, quae sunt duo non propter diversitatem situs, alias non possent se tangere secundum totum, sed sunt duo ex diversitate subiectorum, et propter hoc se totaliter tangentes, adhuc manent duo. Sicut etiam circulus signatus in corpore locato sphaerico, tangit secundum totum alium circulum signatum in corpore locante.

Ad tertium dicendum quod Deus posset facere aliquod corpus non esse in loco. Et tamen, illa positione facta, non sequitur quod aliud corpus non sit in loco: quia corpus maius est locus corporis minoris ratione illius superficiei quae designaretur ex contactu terminorum corporis minoris.

Ad quartum dicendum quod unum corpus esse simul localiter in duobus locis non potest fieri per miraculum, corpus enim Christi non est in altari localiter *: quamvis miraculose possit fieri quod duo corpora sint in eodem loco. Quia esse in pluribus locis simul repugnat individuo ratione eius quod est esse *indivisum in se:* sequeretur enim quod esset distinctum in situ. Sed esse cum alio corpore in eodem loco repugnat ei quantum ad hoc quod est esse *divisum ab alio*. Ratio autem unius perficitur in indivisione, ut patet in IV *Metaphys.* *: sed divisio ab aliis est de consequentibus ad rationem unius. Unde quod idem corpus sit localiter simul in diversis locis, includit contradictionem, sicut quod homo careat ratione. Sed duo corpora esse in eodem loco non includit contradictionem, ut ex dictis * patet. Et ideo non est simile.

* Part. III, qu. LXXVI, art. 5.
* Lib. V, lect. VII, VIII. - Did. lib. IV, cap. VI, n. 9.
* In corp. et ad 2.

ART. IV. UTRUM CORPUS GLORIOSUM POSSIT ESSE CUM ALIO GLORIOSO IN EODEM LOCO

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod corpus gloriosum possit esse cum alio glorioso in eodem loco. Quia ubi est maior subtilitas, ibi est minor resistentia. Si ergo corpus gloriosum est subtilius quam non gloriosum, minus resistet corpori glorioso. Et ita, si corpus gloriosum poterit esse cum corpore non glorioso in eodem loco, multo fortius cum corpore glorioso.

2. Praeterea, sicut corpus gloriosum est subtilius non glorioso, ita unum gloriosum erit subtilius alio. Si ergo corpus gloriosum poterit esse simul cum non glorioso, et corpus gloriosum magis subtile poterit esse cum glorioso minus subtili.

3. Praeterea, corpus caeli est subtile, et erit tunc glorificatum *. Sed corpus alicuius sancti poterit simul esse cum corpore caeli: quia poterunt ad terram descendere et ascendere pro suae libito voluntatis. Ergo duo corpora subtilia vel gloriosa poterunt esse simul.

* Cf. qu. LXXIV, art. 1, 4; qu. XCI, art. 3.

Sed contra, corpora gloriosa erunt *spiritualia* *, idest, spiritibus quantum ad aliquid similia. Sed duo spiritus non possunt esse simul in eodem loco, quamvis spiritus et corpus possint esse in eodem loco: ut in I libro * dictum est. Ergo nec duo corpora gloriosa poterunt esse in eodem loco.

* I *ad Cor.*, cap. XV, vers. 44.
* Dist. XXXVII, qu. III, art. 3. - Cf. Part. I, qu. LII, art. 3.

2. Praeterea, duorum corporum simul existentium unum ab alio penetratur. Sed penetrari ab alio corpore est ignobilitatis, quae omnino a corporibus gloriosis aberit. Ergo non poterunt esse duo corpora gloriosa simul.

Respondeo dicendum quod corpus gloriosum ratione suae proprietatis non habet quod possit esse cum alio corpore glorioso in eodem loco, sicut nec ut sit simul cum corpore non glorioso *. Divina autem virtute fieri posset ut duo corpora gloriosa essent simul, vel duo non gloriosa, sicut gloriosum et non gloriosum *.

* Cf. art. 2.
* Cf. ibid. et art. 3.

Sed tamen non est conveniens quod corpus gloriosum sit simul cum alio corpore glorioso. Tum quia in eis servabitur debitus ordo, qui distinctionem requirit. Tum quia unum corpus gloriosum non se apponet alteri. Et sic nunquam duo corpora gloriosa erunt simul.

Ad primum ergo dicendum quod ratio illa procedit ac si corpori glorioso inesset ratione suae subtilitatis quod posset esse simul in eodem loco cum alio corpore. Quod falsum est.

Et similiter dicendum ad secundum.

Ad tertium dicendum quod corpus caeli et alia corpora aequivoce dicentur gloriosa, inquantum participabunt aliquid gloriae: et non quod eis conveniant dotes corporum humanorum glorificatorum.

ART. V. UTRUM EX SUA SUBTILITATE REMOVEATUR A CORPORE GLORIOSO NECESSITAS EXISTENDI IN AEQUALI LOCO

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod ex sua subtilitate removeatur a corpore glorificato necessitas existendi in aequali loco. Corpora enim gloriosa erunt conformia corpori Christi: ut patet *Philip.* III *. Sed corpus Christi non coarctatur hac necessitate ut sit in loco aequali: immo continetur totum sub parvis vel magnis dimensionibus hostiae consecratae *. Ergo et hoc idem erit in corporibus gloriosis.

* Vers. 21.
* Part. III, qu. LXXVI, art. 3.

2. Praeterea, Philosophus probat, in IV *Physic.* *, quod, si duo corpora sunt in eodem loco, sequetur quod maximum corpus obtineat minimum locum: quia diversae partes eius poterunt esse in eadem parte loci; non enim differt utrum duo corpora vel quotcumque sint in eodem loco. Sed corpus gloriosum erit simul in eodem loco cum alio corpore, ut dicitur communiter. Ergo poterit esse in quovis parvo loco.

* Cap. VI, n. 4. - S. Th. lect. IX.

3. Praeterea, sicut corpus ratione sui coloris videtur, ita commensuratur loco ratione suae quantitatis. Sed corpus gloriosum ita subiectum erit spiritui quod poterit videri et non videri, et praecipue ab oculo non glorioso, pro suae libito voluntatis *: ut in Christo patuit **. Ergo ita quantitas subiicietur nutui spiritus quod poterit esse in parvo vel in magno loco, et habere parvam vel magnam quantitatem, ad libitum.

* Infra, qu. LXXXV, art. 3. - Cf. Part. III, qu. LIV, art. 1, ad 2.
** Luc. cap. XXIV, vers. 31.

Sed contra est quod Philosophus dicit, in IV *Physic.* *, quod omne quod est in loco, est in loco aequali sibi. Sed corpus gloriosum erit in loco. Ergo erit in loco aequali sibi.

* Cap. IV, n. 1. - S. Th. lect. V.

2. Praeterea, eaedem sunt dimensiones loci et locati, ut probatur in IV *Physic.* * Ergo, si locus esset maior locato, esset idem maius et minus seipso. Quod est inconveniens.

* Cap. VIII, n. 13. - S. Th. lect. XIII.

Respondeo dicendum quod corpus non comparatur ad locum nisi mediantibus dimensionibus propriis, secundum quas corpus locatum circumscribitur ex contactu corporis locantis. Unde quod corpus aliquod sit in minori loco quam sit sua quantitas, hoc non potest esse nisi per hoc quod quantitas corporis propria efficitur aliquo modo minor seipsa.

Quod quidem non potest intelligi nisi dupliciter. Uno modo, ex variatione quantitatis circa eandem materiam: ut scilicet materia quae primo subest magnae quantitati, postea subsit parvae. Et hoc quidam posuerunt in corporibus gloriosis, dicentes quod quantitas eorum subest eis ad nutum, ita quod cum voluerint possunt habere magnam quantitatem, et cum voluerint parvam.

Sed hoc non potest esse. Quia nullus motus qui fit secundum aliquid intrinsecum rei, potest esse sine *passione abiiciente a substantia* *. Et ideo in corporibus incorruptibilibus, scilicet caelestibus, est solus motus localis, qui non est secundum aliquid intrinsecum. Unde patet quod mutatio quantitatis circa materiam repugnaret impassibilitati corporis gloriosi et incorruptibilitati. – Et praeterea sequeretur quod corpus gloriosum quandoque esset rarius et quandoque spissius: quia, cum nihil dividi possit ab eo de materia sua, quandoque eadem materia esset sub parvis dimensionibus et quandoque sub magnis, et ita rarefieret et densaretur. Quod non potest esse.

* Cf. Aristot. *Topic.* lib. VI, cap. VI, n. 21.

Alio modo potest intelligi quod quantitas corporis gloriosi efficiatur minor seipsa per variationem situs: ita scilicet quod partes corporis gloriosi subintrent se invicem, et sic redeat ad quantumcumque parvam quantitatem. Et hoc quidam posuerunt, dicentes quod ratione suae subtilitatis corpus gloriosum habebit quod possit esse simul cum alio corpore non glorioso in eodem loco *; et similiter potest una pars esse intra aliam, in tantum quod to-

* Cf. art. 2.

tum corpus gloriosum poterit intrare per minimum porum unius corporis. Et sic ponunt quod corpus Christi exivit de utero virginali, et intravit *ianuis clausis* ad discipulos *.

* Ioan. cap. xx, vers. 19, 26. – Cf. Part. III, qu. liv, art. 1, ad 1.

Sed hoc non potest esse. Tum quia corpus gloriosum non habebit quod sit cum alio corpore simul ratione subtilitatis *. – Tum quia, etiam si haberet ut esset cum alio corpore, non tamen cum corpore glorioso, ut multi dicunt. – Tum quia repugnaret rectae dispositioni corporis humani, quae requirit determinatum situm et distantiam partium. Unde nec per miraculum hoc unquam fiet *.

* Art. 2, 4.

* Cf. art. 4.

Et ideo dicendum, quod corpus semper erit in loco sibi aequali.

Ad primum ergo dicendum quod corpus Christi in Altaris sacramento non est localiter, ut dictum est *.

* Art. 3, ad 4. – Cf. dist. x, art. 1, ad 5; Part. III, qu. lxxvi, art. 5.

Ad secundum dicendum quod probatio Philosophi procedit ex hoc quod una pars eadem ratione subintraret aliam. Sed talis subintratio partium corporis gloriosi in invicem non potest esse, ut dictum est *. Et ideo ratio non sequitur.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod corpus videtur ex hoc quod agit in visum *. Quod autem agat in visum vel non agat, nihil variat in ipso corpore. Et ideo non est inconveniens si possit quando vult videri, et quando vult non videri. Sed esse in loco non est actio aliqua procedens ab eo ratione suae quantitatis, sicut videri ratione sui coloris. Ideo non est simile.

* Aristot. *de Anima*, lib. II, cap. vii, n. 5, 6. – S. Th. lect. xv.

ART. VI. Utrum corpus gloriosum ratione subtilitatis sit impalpabile.

Part. III, qu. liv, art. 2, ad 2; III *Sent.*, dist. xxi, qu. ii, art. 4, qu[a] 2; IV *Cont. Gent.*, cap. lxxxiv; *In Ioan.*, cap. xx, lect. vi.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod corpus gloriosum ratione subtilitatis sit impalpabile. Gregorius enim dicit, in Homilia in octava Paschae *: *Corrumpi necesse est quod palpatur*. Sed corpus gloriosum erit incorruptibile. Ergo erit impalpabile.

* Al. Homil. XXVI *in Evang.*

2. Praeterea, omne quod palpatur, resistit palpanti. Sed quod potest simul esse cum aliquo, non resistit ei. Cum ergo corpus gloriosum possit esse simul cum alio corpore *, non erit palpabile.

* Cf. art. 3.

3. Praeterea, omne corpus palpabile est tangibile. Sed omne tangibile corpus habet qualitates tangibiles excedentes qualitates tangentis. Cum ergo qualitates tangibiles non sint in excessu, sed reductae in maximam aequalitatem in corporibus gloriosis, videtur quod non sint palpabilia.

Sed contra est quod Dominus cum corpore glorioso resurrexit, et tamen corpus palpabile habuit: ut patet Ioan. xx *, *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet*. Ergo et corpora gloriosa erunt palpabilia.

* Luc. cap. xxiv, vers. 39. – Cf. Ioan. cap. xx, vers. 27.

2. Praeterea, haec est haeresis Eutychii Constantinopolitani episcopi, ut Gregorius dicit, in XIV *Moral.* *, qui dixit quod *corpus nostrum in resurrectionis gloria erit impalpabile*.

* Cap. lvi, aliter xxix; in vet. cap. xxxi.

Respondeo dicendum quod omne corpus palpabile est tangibile, sed non convertitur. Omne enim corpus est tangibile quod habet qualitates quibus natus est immutari sensus tactus: unde aer, ignis et huiusmodi sunt corpora tangibilia. Sed *palpabile* ulterius addit quod resistat tangenti: unde aer, qui nequaquam resistit transeunti per eum sed est facillimae divisionis, tangibilis quidem est, sed non palpabilis. Sic ergo patet quod palpabile dicitur aliquod corpus ex duobus: scilicet ex qualitatibus tangibilibus; et ex hoc quod resistit tangenti, ut non pertranseatur. Et quia qualitates tangibiles sunt calidum et frigidum et huiusmodi, quae non inveniuntur nisi in corporibus gravibus et levibus, quae habent contrarietatem ad invicem, ac per hoc sunt corruptibilia; ideo corpora caelestia, quae sunt secundum naturam incorruptibilia, sunt sensibilia quidem visu, sed non tangibilia, et sic etiam nec palpabilia. Et hoc est quod Gregorius dicit *, quod *corrumpi necesse est omne quod palpatur*.

* Loc. cit. in arg. 1.

Corpus ergo gloriosum habet a natura sua qualitates quae sunt natae immutare tactum: sed tamen, quia corpus est omnino subiectum spiritui, in potestate eius est ut secundum eas immutet tactum vel non immutet. Similiter etiam secundum naturam sibi competit ut resistat cuilibet alteri corpori transeunti, ita quod non possit esse cum eo simul in eodem loco: sed miraculose hoc potest divina virtute contingere, ad nutum ipsius, quod sit cum alio corpore in eodem loco *; et sic non resistet ei transeunti. Unde secundum naturam suam palpabile est corpus gloriosum: sed ex virtute supernaturali hoc ei competit ut, cum vult, non palpetur a corpore non glorioso. Et ideo Gregorius dicit * quod *Dominus palpandam carnem praebuit, quam ianuis clausis introduxit, ut profecto ostenderet post resurrectionem corpus suum esse et eiusdem naturae et alterius gloriae*.

* Cf. art. 3.

* Loc. cit. in arg. 1.

Ad primum ergo dicendum quod incorruptibilitas gloriosi corporis non est ex natura componentium, secundum quam *omne quod palpatur necesse est corrumpi*, ut ex dictis * patet. Et ideo ratio non sequitur.

* In corpore. – Cf. qu. lxxxii, art. 1.

Ad secundum dicendum quod, quamvis aliquo modo possit fieri quod corpus gloriosum sit cum alio corpore in eodem loco, tamen corpus gloriosum habet in potestate sua resistere cuilibet tangenti cum voluerit. Et sic palpari potest.

Ad tertium dicendum quod qualitates tangibiles in corporibus gloriosis non erunt reductae ad medium rei secundum aequidistantiam ab extremis acceptum: sed ad medium proportionis, secundum quod optime competit complexioni humanae in singulis partibus. Et ideo tactus illorum corporum est delectabilissimus: quia potentia semper delectatur in convenienti, et tristatur in excessu *.

* Aristot. *de Anima*, lib. III, cap. ii, n. 9. – S. Th. lect. ii.

QUAESTIO OCTOGESIMAQUARTA

DE AGILITATE BEATORUM CORPORUM RESURGENTIUM

Deinde considerandum est de agilitate beatorum corporum resurgentium *.

* Cf. qu. lxxxii, Introd.

Circa quod quaeruntur tria.

Primo: utrum corpora gloriosa sint futura agilia.
Secundo: utrum movebuntur.
Tertio: utrum movebuntur in instanti.

ART. I. Utrum corpora gloriosa sint futura agilia

Part. III, qu. lvii, art. 3; IV *Sent.*, dist. xlix, qu. iv, art. 5, qu[a] 3; *Compend. Theol.*, cap. clxviii; I *ad Cor.*, cap. xv, lect. vi.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod corpora gloriosa non sint futura agilia. Illud enim quod de se est agile ad motum, non indiget aliquo deferente. Sed corpora glorificata deferentur post resurrectionem *in nubibus obviam Christo in aera*, « ab angelis », ut dicit Glossa *, I *ad Thessal.* iv **. Ergo corpora gloriosa non erunt agilia.

* Interlin. et Lomb.
** Vers. 16.

2. Praeterea, nullum corpus quod movetur cum labore et poena, potest dici agile. Sed corpora gloriosa hoc modo movebuntur: cum motor eorum, scilicet anima, moveat in contrarium naturae eorum; alias moverentur semper in unam partem. Ergo non erunt agilia.

3. Praeterea, inter omnes operationes animalis, sensus est nobilior et proprior quam motus. Sed non assignatur corporibus gloriosis aliqua proprietas quae perficiat ea ad sentiendum. Ergo nec debet eis attribui agilitas, per quam perficiantur ad motum.

4. Praeterea, natura dat diversis instrumenta dispositionis diversae secundum diversas virtutes ipsorum: unde non eiusdem dispositionis dat instrumenta animali tardo et veloci. Sed Deus multo ordinatius operatur quam natura. Cum ergo corpus gloriosum habeat membra eiusdem dispositionis in figura et quantitate sicut modo, videtur quod non habeat aliam agilitatem quam modo habeat.

Sed contra est quod dicitur I *Cor.* xv *: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*: Glossa *, *idest, mobile et vivum*. Sed mobilitas non potest dicere nisi agilitatem ad motum. Ergo corpora gloriosa erunt agilia.

* Vers. 43.

* Interlin. et Lomb.

2. Praeterea, tarditas maxime videtur spiritualitati repugnare. Sed corpora gloriosa erunt *spiritualia*, ut dicitur I *Cor.* xv *. Ergo erunt agilia.

* Vers. 44.

Respondeo dicendum quod corpus gloriosum erit omnino subiectum animae glorificatae: non solum ut nihil in eo

sit quod resistat voluntati spiritus, quia hoc fuit etiam in corpore Adae *; sed etiam ut sit in eo aliqua perfectio effluens ab anima glorificata in corpus, per quam habile redditur ad praedictam subiectionem, quae quidem perfectio *dos* glorificati corporis dicitur. Anima autem coniungitur corpori non solum ut forma, sed etiam ut motor. Utroque autem modo oportet quod corpus gloriosum animae glorificatae sit summe subiectum. Unde, sicut per dotem subtilitatis subiicitur ei totaliter inquantum est forma corporis dans esse specificum, ita per dotem agilitatis subiicitur ei inquantum est motor: ut scilicet sit expeditum et habile ad obediendum spiritui in omnibus motibus et actionibus animae.

* Cf. Part. I, qu. xcix, art. 1.

Quidam tamen causam istius agilitatis attribuunt quintae essentiae, quae tunc in corporibus gloriosis dominabitur *.– Sed de hoc frequenter dictum est * quod non videtur conveniens. Unde melius est ut attribuatur animae, a qua gloria in corpus emanat.

* Halens. *Summ. Theol.* part. III, qu. xxiii, m. 2.
* Qu. lxxxii, art. 1; qu. lxxxiii, art. 1; II *Sent.*, dist. xvii, qu. iii, art. 1. - Cf. Part. III, qu. lvii, art. 3.

Ad primum ergo dicendum quod corpora gloriosa dicuntur ferri baiulis angelis, et etiam in nubibus, non quasi eis indigeant: sed ad reverentiam designandam quae corporibus gloriosis et ab angelis et ab omnibus creaturis deferetur.

Ad secundum dicendum quod, quanto virtus animae moventis dominatur magis supra corpus, tanto minor est labor in motu qui etiam fit contra naturam corporis. Unde illi in quibus virtus motiva est fortior, vel qui habent ex exercitio corpus magis habilitatum ad obediendum spiritui moventi, minus laborant in motu. Et quia post resurrectionem anima perfecte dominabitur corpori, tum propter perfectionem propriae virtutis, tum propter habilitatem corporis gloriosi ex redundantia gloriae ab anima in ipsum; non erit aliquis labor in motu sanctorum. Et sic dici poterunt corpora sanctorum agilia.

Ad tertium dicendum quod per dotem agilitatis corpus gloriosum redditur habile non solum ad motum localem, sed ad sensum et ad omnes alias animae operationes exequendas.

Ad quartum dicendum quod, sicut natura dat velocioribus animalibus instrumenta diversae dispositionis in figura et quantitate, ita Deus dabit corporibus sanctorum aliam dispositionem quam nunc habeant, non quidem in figura et quantitate, sed in proprietate gloriae quae dicitur agilitas.

ART. II. Utrum agilitate sua aliquando usura sint ita quod moveantur

IV *Cont. Gent.*, cap. lxxxvi.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod agilitate sua nunquam utentur ita quod moveantur. Quia secundum Philosophum *, *motus est actus imperfecti.* Sed in illis corporibus nulla erit imperfectio. Ergo nec aliquis motus.

* *Physic.* lib. III, cap. ii, n. 4. - S. Th. lect. iii.

2. Praeterea, omnis motus est propter indigentiam: quia omne quod movetur, movetur propter adeptionem alicuius finis. Sed corpora gloriosa non habebunt aliquam indigentiam: quia, ut Augustinus dicit *, *ibi erit quidquid voles, non erit quidquid noles.* Ergo non movebuntur.

* *De Spiritu et Anima* (inter Op. Aug.), cap. lxiv. - Cf. *de Trin.* lib. XIII, cap. vii; *Manual.* (inter Op.), cap. xxxiii.

3. Praeterea, secundum Philosophum, in II *Caeli et Mundi* *, quod participat divinam bonitatem sine motu, nobilius participat illam quam quod participat illam cum motu. Sed corpus gloriosum nobilius participat divinam bonitatem quam aliud corpus. Cum ergo quaedam alia corpora omnino sine motu remaneant, sicut corpora caelestia *, videtur quod multo fortius corpora humana.

* Cap. xii, n. 5. - S. Th. lect. xviii.
* Cf. qu. lxxxi, art. 4; infra qu. xci, art. 2.

4. Praeterea, Augustinus dicit * quod *anima stabilita in Deo, stabiliet et corpus suum consequenter.* Sed anima ita erit in Deo stabilita quod nullo modo ab eo movebitur. Ergo nec in corpore erit aliquis motus ab anima.

* *De Vera Relig.*, cap. xii.

5. Praeterea, quanto corpus est nobilius, tanto debetur ei locus nobilior: unde corpus Christi, quod est nobilissimum, habet locum eminentiorem inter cetera loca, ut patet *Heb.* vii, *, *Excelsior caelis factus;* Glossa **, *loco et dignitate.* Et similiter unumquodque corpus gloriosum habebit, eadem ratione, locum sibi convenientem secundum mensuram suae dignitatis. Sed locus conveniens est de pertinentibus ad gloriam. Cum ergo post resurrectionem gloria sanctorum nunquam varietur neque in plus neque in minus, quia tunc erunt omnino in termino; videtur quod corpora eorum nunquam de loco sibi determinato recedent. Et ita non movebuntur.

* Vers. 26.
** Interl. et Lomb. super *Ephes.* cap. iv, vers. 8.

Sed contra est quod dicitur Isaiae xl *: *Current et non laborabunt, volabunt et non deficient;* et *Sap.* iii *: *Tanquam scintillae in arundineto discurrent.* Ergo erit aliquis motus corporum gloriosorum.

* Vers. 31.
* Vers. 7.

Respondeo dicendum quod corpora gloriosa aliquando moveri necessarium est ponere: quia et ipsum corpus Christi motum est in ascensione; et similiter corpora sanctorum, quae de terra resurgent, ad caelum empyreum ascendent. Sed etiam postquam caelos conscenderint, verisimile est quod aliquando moveantur pro suae libito voluntatis: ut, illud quod habent in virtute actu exercentes, divinam sapientiam commendabilem ostendant; et ut visus eorum reficiatur pulcritudine creaturarum diversarum, in quibus Dei sapientia eminenter relucebit; sensus enim non potest esse nisi praesentium, quamvis magis a longinquo possint sentire corpora gloriosa quam non gloriosa. Nec tamen per motum aliquid deperiet eorum beatitudini, quae consistit in visione Dei, quem ubique praesentem habebunt: sicut et de angelis dicit Gregorius * quod *intra Deum currunt quocumque mittantur.*

* Homil. XXXIV, *in Evang.*

Ad primum ergo dicendum quod motus localis non variat aliquid eorum quae sunt intranea rei, sed est secundum id quod est extra rem, scilicet locum. Unde illud quod movetur motu locali, est perfectum quantum ad ea quae sunt intra rem, ut dicitur in VIII *Physic.* *: quamvis habeat imperfectionem respectu loci, quia, dum est in uno loco est in potentia ad alium locum, quia non potest esse actu in pluribus locis simul; hoc enim solius Dei est. Hic autem defectus non repugnat perfectioni gloriae: sicut nec defectus quod creatura est ex nihilo. Et ideo manebunt defectus huiusmodi in corporibus gloriosis.

* Cap. vii, n. 6. - S. Th. lect. xiv.

Ad secundum dicendum quod aliquis dicitur indigere aliquo simpliciter, et secundum quid. Simpliciter quidem indiget aliquis eo sine quo non potest conservari in esse vel in sua perfectione. Et sic motus in corporibus gloriosis non erit propter aliquam indigentiam: quia ad haec omnia sufficiet eis sua beatitudo. Sed secundum quid indiget quis illo sine quo non potest aliquem finem intentum habere, vel non ita bene, vel tali modo. Et sic motus erit in beatis propter indigentiam: non enim poterunt manifestare virtutem motivam in seipsis experimento nisi moveantur. Huiusmodi enim indigentias nihil prohibet in corporibus gloriosis esse.

Ad tertium dicendum quod ratio illa procederet si corpus gloriosum non posset etiam sine motu participare divinam bonitatem multo altius quam corpora caelestia: quod falsum est. Unde corpora gloriosa non movebuntur ad consequendam perfectam divinae bonitatis participationem, hanc enim habent per gloriam: sed ad demonstrandam virtutem animae. Per motum autem corporum caelestium non posset demonstrari virtus eorum nisi quam habent in movendo corpora inferiora ad generationem et corruptionem: quod non competit illi statui. Et ideo ratio non procedit.

Ad quartum dicendum quod motus localis nihil diminuit de stabilitate ab anima stabilita in Deo: cum non sit secundum aliquid intrinsecum rei, ut dictum est *.

* Resp. ad 1.

Ad quintum dicendum quod locus congruus unicuique glorioso corpori deputatus secundum gradum suae dignitatis, pertinet ad praemium accidentale. Non tamen oportet quod diminuatur aliquid de praemio quandocumque est extra locum suum: quia locus ille non pertinet ad praemium secundum quod actu continet corpus locatum, cum nihil influat in corpus gloriosum, sed magis recipiat splendorem ab eo; sed secundum quod est debitus pro meritis. Unde gaudium de tali loco manet etiam ei qui est extra locum illum.

ART. III. UTRUM MOVEANTUR IN INSTANTI

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod moveantur in instanti. Augustinus enim dicit * quod, *ubicumque voluerit spiritus, ibi erit et corpus.* Sed motus voluntatis, secundum quem spiritus vult alicubi esse, est in instanti. Ergo et motus corporis erit in instanti.

* *De Civit. Dei*, lib. XXII, cap. XXX.

2. PRAETEREA, Philosophus, in IV *Physic.* *, probat quod, si fieret motus per vacuum, quod oporteret aliquid moveri in instanti, quia vacuum non resistit aliquo modo mobili, resistit autem plenum, et sic nulla proportio esset motus qui fit in vacuo ad motum qui fit in pleno, in velocitate, cum proportio motuum in velocitate sit secundum proportionem resistentiae quae est in medio; omnium autem duorum motuum qui fiunt in tempore, oportet esse proportionales velocitates, quia omne tempus omni tempori proportionale est. Sed similiter nullum spatium plenum potest resistere corpori glorioso, quod potest esse cum alio corpore in eodem loco, quocumque modo fiat *: sicut nec vacuum alteri corpori. Ergo, si movetur, in instanti movebitur.

* Cap. VIII, n. 8. - S. Th. lect. XII.

* Cf. qu. LXXXIII, art. 2, 3, 4.

3. PRAETEREA, virtus animae glorificatae quasi improportionaliter excedit virtutem animae non glorificatae. Sed anima non glorificata movet corpus in tempore. Ergo anima glorificata movet corpus in instanti.

4. PRAETEREA, omne quod movetur aequaliter cito ad propinquum et distans, movetur in instanti. Sed motus corporis gloriosi est talis: quia ad quantumcumque distans spatium movetur in tempore imperceptibili; unde Augustinus dicit, in *Quaestionibus de Resurrectione* *, quod corpus gloriosum *utraque intervalla pari celeritate pertingit, ut radius solis.* Ergo corpus gloriosum movetur in instanti.

* Epist. CII, al. XLIX, qu. I. - Cf. Halens. *Summ. Theol.* p. III, qu. XXIII, m. 3.

5. PRAETEREA, omne quod movetur, vel movetur in tempore vel in instanti. Sed corpus gloriosum post resurrectionem non movebitur in tempore: quia *tempus iam non erit,* ut dicitur *Apoc.* X *. Ergo motus ille erit in instanti.

* Vers. 6.

SED CONTRA, in motu locali spatium et motus et tempus simul dividuntur, ut demonstrative probatur in VI *Physic.* * Sed spatium quod transit corpus gloriosum per suum motum, est divisibile. Ergo et motus divisibilis, et tempus divisibile. Instans autem non dividitur. Ergo et motus ille non erit in instanti.

* Cap. IV, n. 6 sqq. - S. Th. lect. VI.

2. PRAETEREA, non potest esse aliquid simul totum in uno loco, et partim in illo et partem in alio: quia sequeretur quod altera pars esset in duobus locis simul, quod esse non potest *. Sed omne quod movetur, partim est in termino a quo et partim in termino ad quem: ut demonstratum est in VI *Physic.* * Omne autem quod motum est, totum est in termino ad quem est motus. Ergo non potest esse quod simul moveatur et motum sit. Sed omne quod movetur in instanti, simul movetur et motum est. Ergo motus localis corporis gloriosi non poterit esse in instanti.

* Qu. LXXXIII, art. 3, ad 4.

* Cap. VI, n. 1. - S. Th. lect. V.

RESPONDEO DICENDUM quod circa hoc est multiplex opinio. Quidam dicunt quod corpus gloriosum transit de uno loco in alium sine hoc quod pertranseat medium, sicut et voluntas de uno loco transfertur ad alium sine hoc quod pertranseat medium. Et propter hoc potest corporis gloriosi motus esse in instanti, sicut et voluntatis.

Sed hoc non potest stare. Quia corpus gloriosum nunquam perveniet ad nobilitatem naturae spiritualis: sicut nunquam desinit esse corpus. – Et praeterea, voluntas, cum dicitur moveri de uno loco in alium, non transfertur essentialiter de loco in locum, quia neutro locorum illorum essentialiter continetur: sed dirigitur in unum locum postquam fuerat directa per intentionem ad alium, et pro tanto dicitur moveri de loco ad locum.

Et ideo alii * dicunt quod corpus gloriosum habet de proprietate naturae suae, qua corpus est, quod pertranseat medium, et ita quod moveatur in tempore: sed virtute gloriae, qua habet infinitatem quandam supra naturam, habet quod possit non pertransire medium, et sic in instanti moveri.

* Vide Halens. *Summ. Theol.* p. III, qu. XXIII, memb. 3.

Sed hoc non potest esse: quia implicat in se contradictionem. Quod patet sic. Sit aliquod corpus quod moveatur de A in B, et corpus motum sit Z. Constat quod Z, quandiu est totum in A, non movetur. Similiter nec quando est totum in B: quia tunc motum est. Ergo, si aliquando movetur, oportet quod neque sit totum in A neque totum in B. Ergo, quando movetur, vel nusquam est; vel est partim in A et partim in B; vel totum in alio loco medio, puta in C; aut partim in C et partim in A seu in B. Sed non potest poni quod nusquam sit: quia sic esset aliqua quantitas dimensiva non habens situm, quod est impossibile. Neque potest poni quod sit partim in A et partim in B et non sit in medio aliquo modo: quia, cum B sit locus distans ab A, sequeretur in medio interiacente quod pars Z quae est in B, non esset continua parti quae est in A. Ergo restat quod vel sit totum in C; vel partim in eo et partim in alio loco, quod ponetur medium inter C et A, puta D; et sic de aliis. Ergo oportet quod Z non perveniat de A in B nisi prius sit in omnibus mediis: nisi dicatur quod pervenit de A in B et nunquam movetur; quod implicat contradictionem, quia ipsa successio locorum est motus localis. Et eadem ratio est de qualibet mutatione quae habet duos contrarios terminos quorum utrumque est aliquid positive. Secus autem est de illis mutationibus quae habent unum terminum tantum positivum et alteram puram privationem: quia inter affirmationem et negationem seu privationem non est aliqua determinata distantia; unde quod est in negatione potest esse propinquius vel remotius ab affirmatione, vel e converso, ratione alicuius quod causat alterum eorum vel disponit ad ea; et sic, dum id quod movetur est totum sub negatione, mutatur in affirmationem, et e converso. Unde etiam in eis mutans praecedit mutatum esse, ut probatur in VI *Physic.* * Nec est simile de motu angeli: quia esse in loco aequivoce dicitur de corpore et angelo *. Et sic patet quod nullo modo potest esse quod aliquod corpus perveniat de uno loco ad alium nisi transeat omnia media.

* Cap. V. - S. Th. lect. VII.

* Cf. Part. I, qu. LII, art. 1.

Et ideo alii hoc concedunt, sed tamen dicunt quod corpus gloriosum movetur in istanti. – Sed ex hoc sequitur quod corpus gloriosum in eodem instanti sit in duobus locis simul, vel pluribus: scilicet in termino ultimo et in omnibus mediis locis. Quod non potest esse.

Sed ad hoc dicunt quod, quamvis sit idem instans secundum rem, tamen differt ratione: sicut punctus ad quem terminantur diversae lineae. – Sed hoc non sufficit. Quia instans mensurat hoc quod est in instanti secundum rem, non secundum hoc quod consideratur. Unde diversa consideratio instantis non facit quod instans possit mensurare illa quae non sunt simul tempore: sicut nec diversa consideratio puncti potest facere quod sub uno puncto loci contineantur quae sunt distantia situ.

Et ideo alii * probabilius dicunt quod corpus gloriosum movetur in tempore, sed imperceptibili propter brevitatem. Et quod tamen unum corpus gloriosum potest in minori tempore idem spatium pertransire quam aliud: quia tempus, quantumcumque parvum accipiatur, est in infinitum divisibile *.

* B. Albert. IV *Sent.*, dist. XLIV, art. 22; b. Innoc. V, ibid., dist. XLIX, qu. IV, art. 4, ad 2um quaest.

* Cf. b. Albert. loc. cit., art. 20, ad 1.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod *illud quod parum deest, quasi nihil deesse videtur,* ut dicitur in II *Physic.* * Et ideo dicimus, *Statim facio,* quod post modicum tempus fiet. Et per hunc modum loquitur Augustinus, quod *ubicumque erit voluntas, ibi erit statim corpus.*

* Cap. V, n. 9. - S. Th. lect. IX.

Vel dicendum quod voluntas nunquam erit inordinata in beatis. Unde nunquam volent corpus suum esse alicubi in aliquo instanti in quo non possit ibi esse. Et sic, quodcumque instans voluntas determinabit, in illo corpus erit in illo loco quem voluntas determinat.

AD SECUNDUM DICENDUM quod quidam contradixerunt illi propositioni quam Philosophus inducit in parte illa, ut Commentator ibidem * dicit: dicentes quod non oportet esse proportionem totius motus ad totum motum secundum proportionem resistentis medii ad aliud medium resistens; sed oportet quod secundum proportionem mediorum per quae transitur, attendatur proportio retardationum quae

* Text. LXXI.

accidit in motibus ex resistentia medii. Quilibet enim motus habet determinatum tempus velocitatis et tarditatis ex victoria moventis supra mobile, etiam si nihil resistat ex parte medii: sicut patet in corporibus caelestibus, in quibus non invenitur aliquid quod obstet motui ipsorum, et tamen non moventur in instanti, sed in tempore determinato secundum proportionem potentiae moventis ad mobile. Et ita patet quod, si ponatur aliquid moveri in vacuo, non oportebit quod moveatur in instanti: sed quod nihil addatur tempori quod debetur motui ex proportione praedicta moventis ad mobile, quia motus non retardatur.

Sed haec responsio, ut Commentator dicit ibidem, procedit ex falsa imaginatione qua quis imaginatur quod tarditas quae causatur ex resistentia medii, sit aliqua pars motus addita motui naturali, qui habet quantitatem secundum proportionem moventis ad mobile, sicut una linea additur lineae, ratione cuius accidit in lineis quod non remanet eadem proportio totius ad totam lineam, quae erat linearum additarum ad invicem: ut sic etiam non sit eadem proportio totius motus ad totum motum sensibilem quae est retardationum contingentium ex resistentia medii. Quae quidem imaginatio falsa est. Quia quaelibet pars motus habet tantum de velocitate quantum totus motus: non autem quaelibet pars lineae habet tantum de quantitate dimensiva quantum habet tota linea. Unde tarditas vel velocitas addita motui redundat in quamlibet partem eius: quod de lineis non contingit. Et sic tarditas addita motui non facit aliam partem motus, sicut in lineis accidebat quod additum est pars totius lineae.

Et ideo ad intelligendam probationem Philosophi, ut Commentator ibidem exponit, sciendum est quod oportet accipere totum pro uno, scilicet resistentiam mobilis ad virtutem moventem, et resistentiam medii per quod est motus, et cuiuscumque alterius resistentis: ita quod accipiatur quantitas tarditatis totius motus secundum proportionem virtutis moventis ad mobile resistens quocumque modo, vel ex se vel ex alio extrinseco. Oportet enim semper quod mobile resistat aliquo modo moventi: cum movens et motum, agens et patiens, inquantum huiusmodi, sint contraria. Quandoque autem invenitur resistere mobile moventi ex seipso: vel quia habet virtutem inclinantem ad contrarium motum, sicut patet in motibus violentis; vel saltem quia habet locum contrarium loco qui est in intentione moventis, cuiusmodi resistentia invenitur etiam corporum caelestium ad suos motores. – Quandoque autem mobile resistit virtuti moventis ex alio tantum et non ex seipso: sicut patet in motu naturali gravium et levium. Quia per ipsam formam eorum inclinantur ad motum talem: est enim forma impressio generantis, quod est motor ex parte gravium et levium. Ex parte autem materiae non invenitur aliqua resistentia neque virtutis inclinantis ad contrarium motum, neque contrarii loci: quia locus non debetur materiae nisi secundum quod, sub dimensionibus consistens, perficitur forma naturali. Unde non potest esse resistentia nisi ex parte medii: quae quidem resistentia est motui eorum connaturalis. – Quandoque autem resistentia est ex utroque: sicut patet in motibus animalium.

Quando ergo in motu non est resistentia nisi ex parte mobilis, sicut accidit in corporibus caelestibus, tunc tempus motus mensuratur secundum proportionem motoris ad mobile. Et in talibus non procedit ratio Philosophi: quia, remoto omni medio, adhuc manet motus eorum in tempore. – Sed in illis motibus in quibus est resistentia ex parte medii tantum, accipitur mensura temporis secundum impedimentum quod est ex medio solum. Unde, si subtrahatur omnino medium, nullum impedimentum remanebit. Et sic vel movebitur in instanti; vel aequali tempore movebitur secundum vacuum spatium et plenum. Quia, dato quod moveatur in tempore per vacuum, illud tempus in aliqua proportione se habebit ad tempus in quo movetur per plenum. Possibile est autem imaginari aliquod corpus in eadem proportione subtilius corpore quo spatium plenum erat; quo si aliud spatium impleatur aequale, in tam parvo tempore movebitur per illud plenum sicut primo per vacuum: quia, quantum additur ad subtilitatem medii, tantum subtrahitur de quantitate temporis; et quanto est magis subtile, minus resistit. – Sed in aliis motibus, in quibus est resistentia ex ipso mobili et ex medio, quantitas temporis est accipienda secundum proportionem moventis potentiae ad resistentiam mobilis et medii simul. Unde, dato quod totaliter medium subtrahatur vel non impediat, non sequitur quod motus sit in instanti: sed quod tempus motus mensuratur tantum ex resistentia mobilis. Neque erit inconveniens si per idem tempus moveatur per vacuum et per plenum, aliquo subtilissimo corpore imaginato: quia determinata subtilitas medii, quanto est maior, nata est facere tarditatem minorem in motu; unde potest imaginari tanta subtilitas quod erit nata facere minorem tarditatem quam sit illa tarditas quam facit resistentia mobilis; et sic resistentia medii nullam tarditatem adiiciet ad motum.

Patet ergo quod, quamvis medium non resistat corporibus gloriosis, secundum hoc quod possint esse cum alio corpore in eodem loco, nihilominus motus eorum non erit in instanti: quia ipsum corpus mobile resistet virtuti moventi ex hoc ipso quod habet determinatum situm, sicut de corporibus caelestibus dictum est.

Ad tertium dicendum quod, quamvis virtus animae glorificatae excedit inaestimabiliter virtutem animae non glorificatae, non tamen excedit in infinitum: quia utraque virtus est finita. Unde non sequitur quod moveatur in instanti.

Si tamen esset simpliciter infinitae virtutis, non sequeretur quod moveretur in instanti, nisi superaretur totaliter resistentia quae est ex parte mobilis. Quamvis autem resistentia qua mobile resistit moventi per contrarietatem quam habet ad talem motum ratione inclinationis ad contrarium motum, possit a movente infinitae virtutis totaliter superari; tamen resistentia quam facit ex contrarietate quam habet ad locum quem intendit motor per motum, non potest totaliter superari, nisi auferatur ab ea esse in tali loco vel in tali situ. Sicut enim album resistit nigro ratione albedinis, et tanto magis quanto albedo magis distat a nigredine; ita corpus resistit alicui loco per hoc quod habet locum oppositum, et tanto est maior resistentia quanto est distantia maior. Non autem potest a corpore removeri quod sit in aliquo loco vel situ nisi auferatur ei sua corporeitas, per quam debetur ei locus vel situs. Unde, quandiu manet in natura corporis, nullo modo potest moveri in instanti, quantacumque sit virtus movens. Corpus autem gloriosum nunquam suam corporeitatem amittet. Unde nunquam in instanti moveri poterit.

Ad quartum dicendum quod *par celeritas* in verbis Augustini est intelligenda quantum ad hoc quod est imperceptibilis excessus unius respectu alterius: sicut et tempus totius motus est imperceptibile.

Ad quintum dicendum quod, quamvis post resurrectionem non erit tempus quod est numerus motus caeli, tamen erit tempus consurgens ex numero prioris et posterioris in quolibet motu.

QUAESTIO OCTOGESIMAQUINTA

DE CLARITATE CORPORUM BEATORUM

Deinde considerandum est de claritate corporum beatorum resurgentium *.

* Cf. qu. LXXXII, Introd.

Circa quod quaeruntur tria.

Primo: utrum claritas inerit corporibus gloriosis.

Secundo: utrum claritas illa videri poterit ab oculo non glorioso.

Tertio: utrum corpus gloriosum necessario videatur a corpore non glorioso.

ART. I. UTRUM CORPORIBUS GLORIOSIS CLARITAS CONVENIAT

Part. III, qu. XLV, art. 2; qu. LIV, art. 2, ad 1;
IV *Sent.*, dist. XLIX, qu. IV, art. 5, qu^{a} 3;
IV *Cont. Gent.*, cap. LXXXVI; I *ad Cor.*, cap. XV, lect. VI.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod corporibus gloriosis claritas non conveniet. Quia, sicut dicit Avicenna, in VI *Naturalium* *, *omne corpus luminosum con-*

* Part. III, cap II.

stat ex partibus perviis. Sed partes corporis gloriosi non erunt perviae: cum in aliquibus dominetur terra, sicut in carnibus et ossibus. Ergo corpora gloriosa non erunt lucida.

2. Praeterea, omne corpus lucidum occultat illud quod est post se: unde unum luminare post aliud eclipsatur; flamma etiam ignis prohibet videri quod est post se. Sed corpora gloriosa non occultabunt illud quod intra ea continetur: quia, ut dicit Gregorius *, super illud *Iob* **, *Non adaequabitur ei aurum et vitrum: Ibi,* scilicet in caelesti patria, *uniuscuiusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, patebitque corporalibus oculis ipsa etiam corporalis harmonia.* Ergo corpora illa non erunt lucida.

* *Mor.* lib. XVIII, cap. xlviii, aliter xxvii; in vet. xxxi.
** Cap. xxviii, vers. 17.

3. Praeterea, lux et color contrariam dispositionem requirunt in subiecto: quia *lux est extremitas perspicui in corpore non terminato, sed color in corpore terminato,* ut patet in libro *de Sensu et Sensato* *. Sed corpora gloriosa erunt colorata: quia, ut dicit Augustinus, XXII *de Civ. Dei* *, *pulcritudo corporis est partium convenientia cum quadam coloris suavitate;* pulcritudo autem corporibus glorificatis deesse non poterit. Ergo corpora gloriosa non erunt lucida.

* Cap. iii; s. Th. lect. vi. - Cf. Averr. II *de Anima.*, comment. lxvii.
* Cap. xix.

4. Praeterea, si claritas erit in corporibus gloriosis, oportet quod sit aequalis in omnibus partibus corporis: sicut omnes partes erunt eiusdem impassibilitatis, subtilitatis et agilitatis. Sed hoc non est conveniens: quia una pars habet maiorem dispositionem ad claritatem quam alia, sicut oculi quam manus, et spiritus quam ossa, et humores quam caro vel nervus. Ergo videtur quod non debeant illa corpora esse lucida.

Sed contra est quod dicitur Matth. xiii *: *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum;* et *Sap.* iii *: *Fulgebunt iusti et tanquam scintillae* etc.

* Vers. 43.
* Vers. 7.

2. Praeterea, I *Cor.* xv *: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria:* quod ad claritatem pertinet, ut patet per praecedentia *, ubi corporum resurgentium gloriam comparat *claritati stellarum.* Ergo corpora sanctorum resurgent lucida.

* Vers. 43.
* Vers. 41, 42.

Respondeo dicendum quod corpora sanctorum fore lucida post resurrectionem ponere oportet propter auctoritatem Scripturae, quae hoc promittit *. Sed claritatis huius causam quidam * attribuunt quintae essentiae, quae tunc dominabitur in corpore humano. Sed quia hoc est absurdum, ut saepe dictum est *, ideo melius est ut dicatur quod claritas illa causabitur ex redundantia gloriae animae in corpus *. Quod enim recipitur in aliquo, non recipitur per modum influentis, sed per modum recipientis *. Et ita claritas, quae est in anima spiritualis, recipitur in corpore ut corporalis. Et ideo, secundum quod anima erit maioris claritatis secundum maius meritum, ita etiam erit differentia claritatis in corpore: ut patet per Apostolum, I *Cor.* xv *. Et ita in corpore glorioso cognoscetur gloria animae, sicut in vitro cognoscitur color corporis quod continetur in vase vitreo: ut Gregorius dicit *, super illud *Iob* **, *Non adaequabitur ei aurum vel vitrum.*

* Cf. arg. *Sed contra* 1, 2.
* Halens. *Summ. Theol.* part. III, qu. xxi, memb. 3. - Cf b. Albert. IV *Sent.*, dist. xliv, art. 30.
* Cf. qu lxxxii, art. 1; qu. lxxxiii, art. 1; qu. lxxxiv, art. 1.
* Cf. Aug. Epist CXVIII, aliter LVI, *ad Diosc.*, cap. iii.
* *De Causis*, prop. x, xii, xx, xxiv. - Inter Opp. Arist.
* Vers. 41, 42.
* Loc. cit. in arg. 2.
** Cap. xxviii, vers. 17.

Ad primum ergo dicendum quod Avicenna loquitur de illo corpore quod habet ex natura componentium claritatem. Sic autem non habebit corpus gloriosum, sed magis ex merito virtutis.

Ad secundum dicendum quod Gregorius comparat corpora gloriosa auro et vitro: auro, propter claritatem; vitro, propter hoc quod translucebunt. Unde videtur dicendum quod erunt simul pervia et clara. Quod enim aliquod clarum non sit pervium, contingit ex hoc quod claritas corporis causatur ex densitate partium lucidarum: densitas enim repugnat pervietati. Sed tunc causabitur claritas ex alia causa, ut dictum est *. Densitas autem corporis gloriosi pervietatem non tollit ab eis: sicut nec densitas vitri a vitro.

* In corpore.

Quidam tamen dicunt quod comparantur vitro, non quia sint pervia, sed propter hanc similitudinem quod, sicut aliquid quod in vitro clauditur apparet, ita animae gloria, quae in corpore glorioso claudetur, non latebit. – Sed primum melius est: quia magis salvatur dignitas corporis gloriosi; et magis consonat dictis Gregorii.

Ad tertium dicendum quod corporis gloria naturam non tollet, sed perficiet. Unde color qui debetur corpori ex natura suarum partium, remanebit in eo: sed superaddetur claritas ex gloria animae; sicut etiam videmus corpora colorata ex sui natura solis splendore relucere, vel ex aliqua alia causa extrinseca vel intrinseca.

Ad quartum dicendum quod, sicut gloriae claritas redundat ab anima in corpus secundum suum modum et ibi est alio modo quam sit in anima, ita in quamlibet partem corporis redundabit secundum suum modum. Unde non est inconveniens quod diversae partes habeant diversimode claritatem, secundum quod sunt diversimode dispositae ex sui natura ad ipsam. Nec est simile de aliis dotibus corporis, respectu quarum partes corporis non inveniuntur habere diversam dispositionem.

ART. II. Utrum claritas corporis gloriosi possit videri ab oculo non glorioso

III *Sent.*, dist. xxi, qu. ii, art. 4, qª 1, ad 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod claritas corporis gloriosi non possit videri ab oculo non glorioso. Oportet enim esse proportionem visibilis ad visum. Sed oculus non glorificatus non est proportionatus ad videndam claritatem gloriae: cum sit alterius generis quam claritas naturae. Ergo corporis gloriosi claritas non videbitur ab oculo non glorioso.

2. Praeterea, claritas corporis gloriosi erit maior quam claritas solis nunc sit: quia etiam claritas solis erit tunc maior quam modo sit, ut dicitur *; et multo maior ea erit claritas corporis gloriosi, propter quod sol et totus mundus claritatem maiorem accipiet. Sed oculus non gloriosus non potest inspicere solem in rota propter magnitudinem claritatis. Ergo multo minus poterit inspicere claritatem corporis gloriosi.

* Isai. cap. xxx, vers. 26; Isidor. *de Ord. Creatur.*, cap. v; Mag. IV *Sent.*, dist. xlviii, cap. *Veniente.*

3. Praeterea, visibile oppositum oculis videntis necesse est videri, nisi sit laesio aliqua in oculo. Sed claritas corporis gloriosi opposita oculis non gloriosis non necessario videtur ab eis: quod patet de discipulis, qui corpus Domini post resurrectionem viderunt claritatem eius non intuentes *. Ergo claritas illa non est visibilis ab oculo non glorioso.

* Cf. Luc. cap. xxiv, vers. 16.

Sed contra est quod dicit Glossa *, *Philip.* iii, super illud *, *Configuratum corpori claritatis suae: Assimilabimur claritati quam habuit in transfiguratione.* Sed claritas illa visa fuit ab oculis discipulorum non glorificatis *. Ergo et claritas corporis glorificati ab oculis non gloriosis visibilis erit.

* Interl. et Lomb.
* Vers. 21.
* Matth. cap. xvii, vers. 1, 2; Marc. cap. ix, vers. 1, 2; Luc. cap. ix, vers. 28, 29; I Pet., cap. 1, vers. 16, 17.

2. Praeterea, impii videntes gloriam iustorum, ex hoc torquebuntur in iudicio: ut patet per hoc quod dicitur *Sap.* v *. Sed non plene viderent gloriam ipsorum nisi claritatem corporum eorum inspicerent. Ergo, etc.

* Vers. 1, 2.

Respondeo dicendum quod quidam dixerunt quod claritas corporis gloriosi non potest videri ab oculo non glorioso, nisi forte per miraculum. Sed hoc non potest esse, nisi claritas illa aequivoce diceretur. Quia lux, secundum id quod est, nata est movere visum; et visus, secundum id quod est, natus est percipere lucem; sicut verum se habet ad intellectum, et bonum ad affectum. Unde, si esset aliquis visus qui non posset percipere aliquam lucem omnino, vel ille visus diceretur aequivoce, vel lux illa. Quod non potest in proposito dici: quia sic per hoc quod dicitur gloriosa corpora futura esse lucida, nihil nobis notificaretur; sicut qui dicit canem esse in caelo, nihil notificat ei qui non novit nisi canem qui est animal. Ideo dicendum est quod claritas corporis gloriosi naturaliter ab oculo non glorioso videri potest.

Ad primum ergo dicendum quod gloriae claritas erit alterius generis quam claritas naturae quantum ad causam, sed non quantum ad speciem. Unde, sicut claritas naturae ratione speciei suae est proportionata visui, ita claritas gloriosa.

Ad secundum dicendum quod, sicut corpus gloriosum non potest pati aliquid passione naturae, sed solum passione animae, ita ex proprietate gloriae non aget nisi actione animae. Claritas autem intensa non offendit visum

inquantum agit actione animae, sed secundum hoc magis delectat: offendit autem inquantum agit actione naturae, calefaciendo et dissolvendo organum visus, et disgregando spiritus. Et ideo claritas corporis gloriosi, quamvis excedat claritatem solis, tamen de sui natura non offendit visum, sed demulcet. Propter quod claritas illa comparatur claritati iaspidis, *Apoc.* XXI *.

* Vera. 11.

AD TERTIUM DICENDUM quod claritas corporis gloriosi provenit ex merito voluntatis. Et ideo voluntati subdetur, ut secundum eius imperium videatur vel non videatur; et in potestate corporis gloriosi erit ostendere claritatem suam vel occultare. Et haec fuit opinio Praepositini *.

* Cf. Autissiod. *Summ. Aur.* lib. IV, cap. *de Resurrect. Christi*; beat. Albert. IV *Sent.*, dist. XLIV, art. 28.

ART. III. UTRUM CORPUS GLORIOSUM NECESSARIO VIDEATUR A CORPORE NON GLORIOSO

III *Sent.*, dist. XXI, qu. II, art. 4, qu^a 1, ad 2; IV, dist. XLIV, qu. II, art. 4, qu^a 2, ad 3; Part. III, qu. LIV, art. 1, ad 2; art. 2, ad 1.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod corpus gloriosum necessario videatur a corpore non glorioso. Quia corpora gloriosa erunt lucida. Sed corpus lucidum manifestat se et alia. Ergo corpora gloriosa necessario videbuntur.

2. PRAETEREA, omne corpus quod occultat alia corpora post se existentia, de necessitate visu percipitur, ex hoc ipso quod alia quae sunt post occultantur. Sed corpus gloriosum occultabit a visu alia corpora post se existentia: quia erit corpus coloratum *. Ergo et de necessitate videbitur.

* Art. 1, ad 3.

3. PRAETEREA, sicut quantitas est de his quae insunt corpori, ita qualitas, per quam videtur. Sed quantitas non suberit voluntati, ut corpus gloriosum possit esse maioris quantitatis vel minoris. Ergo nec qualitas, per quam visibile est, ut possit non videri.

SED CONTRA EST quod corpus nostrum glorificabitur in conformitate corporis Christi post resurrectionem *. Sed corpus Christi post resurrectionem non necessario videbatur: immo disparuit ab oculis discipulorum in Emmaus, ut dicitur Luc. ult. * Ergo et corpus glorificatum non necessario videbitur.

* *Philipp.* cap. III, vers. 21.

* Vers. 31.

2. PRAETEREA, ibi erit summa obedientia corporis ad animam. Ergo corpus poterit videri vel non videri secundum voluntatem animae.

RESPONDEO DICENDUM quod visibile videtur secundum quod agit in visum *. Ex hoc autem quod aliquid agit vel non agit in aliquod extrinsecum, non est aliqua mutatio in ipso. Unde sine mutatione alicuius proprietatis quae sit de perfectione corporis glorificati, potest contingere quod videatur et non videatur. Unde in potestate animae glorificatae erit quod corpus suum videatur vel non videatur, sicut et quaelibet alia actio corporalis in animae potestate erit: alias non esset corpus gloriosum instrumentum summe obediens principali agenti.

* Arist. *de Anima*, lib. II, cap. VII, n. 5, 6. - S. Th. lect. XV.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod claritas illa obediet corpori glorioso, ut possit eam ostendere vel occultare.

AD SECUNDUM DICENDUM quod color corporis non impedit pervietatem ipsius nisi inquantum immutat visum, quia visus non potest immutari simul a duobus coloribus ut utrumque perfecte inspiciat. Color autem corporis gloriosi erit in potestate animae, ut per ipsum immutet visum vel non immutet. Et ideo erit in potestate eius ut occultet corpus quod est post se, vel non occultet.

AD TERTIUM DICENDUM quod quantitas est inhaerens ipsi corpori glorioso: neque posset quantitas immutari ad imperium animae sine mutatione intrinseca corporis gloriosi, quae impassibilitati eius repugnaret. Et ideo non est simile de quantitate et visibilitate. Quia etiam qualitas illa per quam est visibile, non potest subtrahi ad imperium animae: sed actio illius qualitatis suspendetur; et sic occultabitur corpus ad imperium animae.

QUAESTIO OCTOGESIMASEXTA

DE CONDITIONIBUS CORPORUM DAMNATORUM RESURGENTIUM

CONSEQUENTER considerandum est de conditionibus damnatorum resurgentium *.

* Cf. qu. LXXIX, Introd.

Circa quod quaeruntur tria.

Primo: utrum corpora damnatorum cum suis deformitatibus resurgant.

Secundo: utrum eorum corpora erunt corruptibilia.

Tertio: utrum erunt impassibilia.

ART. I. UTRUM CORPORA DAMNATORUM CUM SUIS DEFORMITATIBUS RESURRECTURA SINT

IV *Cont. Gent.*, cap. LXXXIX; *Compend. Theol.*, cap. CLXXVI; *Quodl.* VII, qu. V, art. 2.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod corpora damnatorum cum suis deformitatibus resurgent. Illud enim quod in poenam peccati inductum est, desinere non debet nisi peccato remisso. Sed membrorum defectus qui accidunt per mutilationem, in poenam peccati inducti sunt; et similiter etiam omnes deformitates corporales. Ergo a damnatis, qui peccatorum remissionem non sunt consecuti, in resurrectione non removebuntur.

2. PRAETEREA, sicut resurrectio sanctorum erit ad ultimam felicitatem, sic resurrectio impiorum ad ultimam miseriam. Sed sanctis resurgentibus non auferetur aliquid quod ad eorum perfectionem pertinere possit. Ergo nec impiis resurgentibus aliquid auferetur quod ad eorum miseriam pertineat. Huiusmodi autem sunt deformitates. Ergo, etc.

3. PRAETEREA, sicut ad defectum passibilis corporis pertinet deformitas, ita et tarditas. Sed a corporibus damnatorum resurgentium tarditas non removebitur: quia eorum corpora non erunt agilia. Ergo eadem ratione nec deformitas removebitur.

SED CONTRA, I *ad Cor.* XV *: *Mortui resurgent incorrupti,* Glossa *: *mortui, idest peccatores, vel generaliter omnes mortui, resurgent incorrupti, idest sine aliqua diminutione membrorum.* Ergo mali resurgent sine deformitatibus.

* Vers. 52.

* Interl. et Lomb.

2. PRAETEREA, in damnatis non erit aliquid quod sensum doloris in eis impediat. Sed aegritudo impedit sensum doloris, inquantum per eam debilitantur organa sentiendi. Et similiter defectus membri impediret ne esset universalis dolor in corpore. Ergo sine istis defectibus damnati resurgent.

RESPONDEO DICENDUM quod in corpore humano potest esse deformitas dupliciter. Uno modo, ex defectu alicuius membri, sicut mutilatos turpes dicimus: deest enim eis debita proportio partium ad totum. Et de tali deformitate nulli dubium est quod in corporibus damnatorum non erit: quia omnia corpora, tam bonorum quam malorum, integra resurgent *.

* Cf. qu. LXXX, art. 1.

Alio modo deformitas contingit ex indebita partium dispositione, vel indebita quantitate vel qualitate vel situ, quae etiam proportionem debitam partium ad totum non patitur. Et de talibus deformitatibus, et similibus defectibus, sicut sunt febres et huiusmodi aegritudines, quae interdum sunt deformitatis causa, Augustinus indeterminatum et sub dubio relinquit in *Enchiridio* *, ut in littera ** Magister dicit. Sed apud doctores modernos est duplex super hoc opinio.

* Cap. XCII.
** Dist. XLIV, cap. *De reprobis autem.*

Quidam * enim dicunt quod huiusmodi deformitates et defectus in corporibus damnatorum remanebunt: considerantes eorum damnationem, qua ad summam miseriam deputantur, cui nihil incommoditatis subtrahi debet.

* S. Bonav. IV *Sent.*, dist. XLIV, p. 1, art. 3, qu. 2.

Sed hoc non videtur rationabiliter dici. In reparatione enim corporis resurgentis magis attenditur naturae perfectio quam conditio quae prius fuit: unde et qui infra perfectam aetatem decedunt, in statura iuvenilis aetatis resurgent *. Unde et illi qui aliquos defectus naturales in corpore habuerunt, vel deformitates ex eis provenientes, in resurrectione sine illis defectibus vel deformitatibus repararentur nisi peccati meritum impediret: et ita, si aliquis cum defectibus vel deformitatibus resurget, hoc erit ei in poenam. *Modus* autem *poenae est secundum mensuram culpae* *. Contingit autem quod aliquis peccator damnandus minoribus peccatis subiectus aliquas deformitates vel defectus habeat quas non habuit aliquis damnandus peccatis gravioribus irretitus. Unde, si ille qui in hac vita deformitates habuit cum eis resurgat, sine quibus constat quod resurget alius gravius puniendus qui eas in

* Cf. qu. LXXXI, art. 1.

* Cf. *Deut.* cap. XXV, vers. 2.

hac vita non habuit, modus poenae non responderet quantitati culpae, sed magis videretur aliquis puniri pro poenis quas in hoc mundo passus fuit: quod est absurdum.

* B. Albert. IV *Sent.*, dist. XLIV, art. 33.

Et ideo alii * rationabilius dicunt quod Auctor qui naturam condidit, in resurrectione naturam corporis integre reparabit. Unde quidquid defectus vel turpitudinis ex corruptione vel debilitate naturae sive principiorum naturalium in corpore fuit, totum in resurrectione removebitur, sicut febris, lippitudo et similia: defectus autem qui ex naturalibus principiis in humano corpore naturaliter consequuntur, sicut ponderositas, passibilitas et similia, in corporibus damnatorum erunt, quos defectus ab electorum corporibus gloria resurrectionis excludet.

Ad primum ergo dicendum quod, cum poena in quolibet foro infligatur secundum conditionem illius fori, poenae quae in hac vita temporali infliguntur pro aliquo peccato temporales sunt, et ultra vitae terminum non se extendunt. Et ideo, quamvis peccatum non sit remissum damnatis, non tamen oportet quod easdem poenas ibi sustineant quas in hoc mundo sunt passi: sed divina iustitia requirit ut ibi poenis gravioribus in aeternum crucientur.

Ad secundum dicendum quod non est similis ratio de bonis et malis: eo quod aliquid potest esse pure bonum, non autem pure malum. Unde sanctorum ultima felicitas hoc requirit ut ab omni malo penitus sint immunes: sed ultima malorum miseria non excludit omne bonum; quia *malum, si integrum sit, corrumpit seipsum,* ut Philosophus dicit, in IV *Ethic.* * Unde oportet quod miseriae damnatorum substernatur bonum naturae in ipsis: quod est opus Conditoris perfecti, qui ipsam naturam in perfectione suae speciei reparabit.

* Cap. v, n. 7. - S. Th. lect. XIII.

Ad tertium dicendum quod tarditas est de illis defectibus qui naturaliter consequuntur principia humani corporis: non autem deformitas. Et ideo non est similis ratio *.

* Cf. corp. art. fin.

ART. II. Utrum corpora damnatorum futura sint incorruptibilia

IV *Cont. Gent.*, cap. LXXXIX; *Compend. Theol.*, cap. CLXVII; *Resp. de XLII artic.*, art. 25; *Resp. de XXXVI artic.*, art. 20; *Quodl.* VII, qu. v, art. 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod corpora damnatorum erunt corruptibilia. Omne enim compositum ex contrariis necesse est corrumpi *. Sed corpora damnatorum erunt ex contrariis composita, ex quibus etiam nunc componuntur: alias non essent eiusdem speciei, et per consequens nec eadem numero. Ergo erunt corruptibilia.

* Aristot. *de Longitud. et Brevit. Vitae*, cap. III.

2. Praeterea, corpora damnatorum si incorruptibilia sunt futura, hoc non erit per naturam: cum sint futura eiusdem naturae cuius et nunc sunt. Nec etiam per gratiam vel gloriam: quia talibus omnino carebunt. Ergo nullo modo erunt incorruptibilia.

3. Praeterea, illis qui sunt in summa miseria subtrahere maximam poenarum videtur inconveniens. Sed maxima poenarum est mors: ut patet per Philosophum, III *Ethic.* * Ergo a damnatis, qui sunt in miseria, mors removeri non debet. Ergo eorum corpora corruptibilia erunt.

* Cap. VI, n. 6. - S. Th. lect. XIV.

Sed contra est quod dicitur *Apoc.* IX *: *In diebus illis quaerent homines mortem et non invenient eam; desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis.*

* Vers. 6.

2. Praeterea, damnati punientur in anima et corpore poena perpetua: Matth. XXV *, *Ibunt hi in supplicium aeternum.* Sed hoc esse non posset si eorum corpora corruptibilia essent. Ergo eorum corpora erunt incorruptibilia.

* Vers. 46.

Respondeo dicendum quod, cum in omni motu oporteat esse aliquod principium motus, dupliciter motus aliquis vel mutatio a mobili removetur: uno modo, per hoc quod deest principium motus; alio modo, per hoc quod impeditur principium motus. Corruptio autem mutatio quaedam est. Unde dupliciter potest contingere ut corpus quod ex conditione suorum principiorum corruptibilitatem habet, incorruptibile reddatur. Uno modo, ex hoc quod principium ad corruptionem movens totaliter tollitur. Et hoc modo corpora damnatorum incorruptibilia erunt. Cum enim caelum sit primum alterans per motum suum localem; et alia omnia agentia secunda in virtute ipsius agant, et quasi ab ipso mota; oportet quod, cessante motu caeli, nihil sit agens quod possit corpus per alterationem aliquam transmutare a sua naturali proprietate. Et ideo post resurrectionem, cessante motu caeli, nulla qualitas erit sufficiens ut corpus humanum alterare possit a sua naturali qualitate. Corruptio autem est terminus alterationis, sicut et generatio. Unde corpora damnatorum corrumpi non poterunt. Et hoc deservit divinae iustitiae, ut perpetuo viventes perpetuo puniantur, quod divina iustitia requirit, ut infra * dicetur: sicut et nunc corruptibilitas corporum deservit divinae providentiae, per quam ex aliquibus corruptis alia generantur.

* Art. seq.; qu. XCIX, art. 1.

Alio modo contingit ex hoc quod principium corruptionis impeditur. Et hoc modo corpus Adae incorruptibile fuit *: quia contrariae qualitates in hominis corpore existentes continebantur per gratiam innocentiae ne ad dissolutionem corporis agere possent. Et multo plus continebuntur in corporibus gloriosis, quae erunt omnino subiecta spiritui. Et sic in corporibus beatorum post resurrectionem communem coniungentur duo praedicti modi incorruptibilitatis.

* Part. I, qu. XCVII, art. 1.

Ad primum ergo dicendum quod contraria ex quibus corpora componuntur, sunt secunda principia ad corruptionem agentia: primum enim agens est motus caelestis. Unde, supposito motu caeli, necesse est ut corpus ex contrariis compositum corrumpatur, nisi sit aliqua causa potior impediens. Sed motu caeli remoto, contraria ex quibus corpus componitur, non sufficiunt ad corruptionem faciendam, etiam secundum naturam, ut patet ex dictis *. Cessationem autem motus caeli non cognoverunt philosophi. Unde pro infallibili habebant quod corpus compositum ex contrariis corrumpatur secundum naturam.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod incorruptibilitas illa erit per naturam: non quod sit aliquod incorruptionis principium in corporibus damnatorum, sed per defectum primi moventis ad corruptionem *.

* Cf. corp. art.

Ad tertium dicendum quod, quamvis mors sit simpliciter maxima poenarum, secundum quid tamen nihil prohibet mortem esse in poenarum remedium, et per consequens ablationem mortis in poenarum augmentum. *Vivere* enim, ut dicit Philosophus, in IX *Ethic.* *, *videtur omnibus delectabile esse, eo quod omnia esse appetunt: non oportet autem,* ut ibidem * dicitur, *accipere malam vitam, neque corruptam, neque quae est in tristitiis.* Sicut ergo vivere simpliciter est delectabile, non autem vita quae est in tristitiis; ita et mors, quae est privatio vitae, simpliciter est poenosa et maxima poenarum, inquantum subtrahit primum bonum, scilicet esse, cum quo omnia alia subtrahuntur; sed inquantum privat malam vitam et quae est in tristitiis, est in remedium poenarum, quas terminat. Et per consequens mortis subtractio est in augmentum poenarum, quas perpetuas facit.

* Cap. IX, n. 7, 9. - S. Th. lect. XI.
* Num. 8.

Si autem dicatur mors esse poenalis propter corporalem dolorem quem sentiunt morientes, non est dubium quod multo maiorem dolorem damnati continue sustinebunt. Unde in perpetua morte esse dicuntur: sicut scriptum est in Psalmo *: *Mors depascet eos.*

* Ps. XLVIII, vers. 15.

ART. III. Utrum futura sint impassibilia

II *Sent.*, dist. XXXIII, qu. II, art. 1, ad 3, 5; IV, dist. L, qu. II, art. 3, qu[a] 1, ad 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXXIX; *Compend. Theol.*, cap. CLXXVII; *Resp. de XLII artic.*, art. 26; *Resp. de XXXVI artic.*, art. 21; *Quodl.* VII, qu. v, art. 1; VIII, qu. VIII.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod futura sint impassibilia. Quia secundum Philosophum, in VI *Topic.* *, *omnis passio, magis facta, abiicit a substantia.* Sed *a finito si semper aliquid abiiciatur, necesse est illud tandem consumi:* ut dicitur in I *Physic.* * Ergo, si corpora damnatorum erunt passibilia et semper patientur, quandoque deficient et corrumpentur: quod falsum esse ostensum est *. Ergo erunt impassibilia.

* Cap. VI, n. 21.
* Cap. IV, n. 6; S. Th. lect. IX. - Cf. lib. III, cap. VI, n. 4; S. Th. lect. X.
* Art. praeced.

2. Praeterea, omne agens assimilat sibi patiens. Si ergo corpora damnatorum patientur ab igne, ignis ea sibi assimilabit. Sed non consumit aliter ignis corpora nisi inquantum ea sibi assimilans resolvit. Ergo, si corpora damnatorum erunt passibilia, ab igne quandoque consumentur. Et sic idem quod prius.

3. Praeterea, animalia quae in igne sine corruptione dicuntur vivere, ut de salamandra dicitur *, ab igne non affliguntur: animal enim dolore corporis non affligitur nisi corpus aliquo modo laedatur. Si ergo corpora damnatorum in igne sine consumptione remanere possunt, sicut et animalia praedicta, ut Augustinus, in libro *de Civ. Dei* *, dicit, videtur quod nullam afflictionem ibi sustinebunt. Quod non esset nisi eorum corpora impassibilia essent. Ergo, etc.

* Arist. *De Animal. Histor.*, lib. V, cap. XIX, n. 12, 13.
* Lib. XXI, cap. II, IV.

4. Praeterea, si corpora damnatorum sunt passibilia, dolor qui ex eorum passione proveniet, ut videtur, superare debet omnem praesentem corporum dolorem: sicut et sanctorum iucunditas superabit omnem praesentem iucunditatem. Sed propter immensitatem doloris quandoque contingit in praesenti statu quod anima a corpore separatur. Ergo multo fortius, si corpora illa futura sunt passibilia, ex immensitate doloris anima a corpore separabitur: et sic corpora corrumpentur. Quod falsum est. Ergo corpora illa erunt impassibilia.

Sed contra est quod dicitur I *Cor.* xv *: *Et nos immutabimur:* Glossa *, *Nos boni tantummodo immutabimur in gloriam immutabilitatis et impassibilitatis.* Ergo non erunt corpora damnatorum impassibilia.

* Vers. 52.
* Interl. et Lomb.

2. Praeterea, sicut corpus cooperatur animae ad meritum, ita cooperatur ei ad peccatum. Sed propter cooperationem praedictam non solum anima, sed et corpus post resurrectionem praemiabitur. Ergo simili ratione damnatorum corpora punientur. Quod non esset si impassibilia forent. Ergo erunt passibilia.

Respondeo dicendum quod principalis causa quare corpora damnatorum ab igne non consumentur, erit divina iustitia, qua eorum corpora ad poenam perpetuam sunt addicta. Sed divinae iustitiae servit etiam naturalis dispositio ex parte corporis patientis, et ex parte agentium. Quia, cum pati sit recipere quoddam, duplex est modus passionis, secundum quod aliquid in aliquo recipi potest dupliciter. Potest enim aliqua forma recipi in altero aliquo secundum esse naturale materialiter, sicut calor ab igne recipitur in aere. Et secundum hunc modum receptionis est unus modus passionis, qui dicitur passio naturae. – Alio modo aliquid recipitur in altero spiritualiter per modum intentionis cuiusdam, sicut similitudo albedinis recipitur in aere et in pupilla: et haec receptio similatur illi receptioni qua anima recipit similitudines rerum. Unde secundum hunc modum receptionis est alius modus passionis, qui vocatur passio animae.

Quia ergo post resurrectionem, motu caeli cessante, non poterit aliquod corpus alterari a sua naturali aequalitate, ut dictum est *, nullum corpus pati poterit passione naturae. Unde quantum ad hunc modum passionis corpora damnatorum impassibilia erunt, sicut et incorruptibilia. – Sed, cessante motu caeli, adhuc remanebit passio quae est per modum animae: quia et aer a sole illuminabitur, et colorum differentias ad visum deferet. Unde et secundum hunc modum passionis corpora damnatorum passibilia erunt. Et quia in tali passione sensus perficitur, ideo in corporibus damnatorum sensus poenae erunt, sine mutatione naturalis dispositionis.

* Art. praeced.

Corpora vero gloriosa, etsi recipiant aliquid et quodammodo patiantur in sentiendo, non tamen passibilia erunt: quia nihil recipient per modum afflictivi vel laesivi, sicut corpora damnatorum, quae ob hoc passibilia dicuntur.

Ad primum ergo dicendum quod Philosophus loquitur de illa passione per quam transmutatur patiens a sua naturali dispositione. Talis autem passio non erit in corporibus damnatorum, ut dictum est *.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod similitudo agentis est dupliciter in patiente. Uno modo, per modum eundem quo est in agente, sicut est in omnibus agentibus univocis: ut calidum facit calidum, et ignis generat ignem. – Alio modo, per modum diversum a modo quo est in agente: sicut est in omnibus agentibus aequivocis. In quibus quandoque contingit quod in agente est forma spiritualiter quae in patiente materialiter recipitur: sicut forma quae est in domo facta per artificem, est materialiter in ipsa, et in mente artificis est spiritualiter. Quandoque vero e converso est materialiter in agente, et recipitur spiritualiter in patiente: sicut albedo materialiter est in pariete a quo recipitur, spiritualiter in pupilla et in medio deferente. Et similiter est in proposito. Quia species quae materialiter est in igne, recipitur spiritualiter in corporibus damnatorum. Et sic ignis sibi assimilabit damnatorum corpora, nec tamen ea consumet.

Ad tertium dicendum quod, secundum Philosophum, in libro *de Proprietatibus Elementorum* *, nullum animal in igne vivere potest. Galienus etiam, in libro *de Simplicibus Medicinis,* dicit quod nullum corpus est quod tandem ab igne non consumatur, quamvis quaedam corpora sint quae ad horam in igne sine laesione permaneant, ut patet de ebeno. Unde quod inducitur de salamandra, non potest omnino esse simile: quia non posset perseverare finaliter in igne sine corruptione, sicut corpora damnatorum in inferno.

* Al. *de Causis Proprietat. Element.*-Inter Opp. Aristot.

Nec tamen oportet quod, quia corpora damnatorum ab igne inferni per corruptionem aliquam non laeduntur, quod propter hoc ab igne non affligantur. Quia sensibile non solum natum est delectare vel affligere sensum secundum quod agit actione naturae, confortando vel corrumpendo organum; sed etiam secundum quod agit actione spirituali. Quia quando sensibile est in debita proportione ad sentiendum, delectat: e converso autem quando se habet in superabundantia vel defectu. Unde et colores medii et voces consonantes sunt delectabiles: inconsonantes autem offendunt auditum.

Ad quartum dicendum quod dolor non separat animam a corpore secundum quod manet tantum in potentia animae cuius est dolere: sed secundum quod ad passionem animae mutatur corpus a sua naturali dispositione; secundum modum quo videmus quod ex ira corpus calescit et ex timore frigescit. Sed post resurrectionem corpus non poterit transmutari a sua naturali dispositione, ut ex dictis * patet. Unde, quantuscumque sit dolor, animam a corpore non separabit.

* Art. praeced.

QUAESTIO OCTOGESIMASEPTIMA

DE COGNITIONE QUAM HABEBUNT RESUSCITATI IN IUDICIO RESPECTU MERITORUM ET DEMERITORUM

Post hoc agendum est de his quae sequuntur resurrectionem *. Quorum prima consideratio est de cognitione quam habebunt resuscitati in iudicio respectu meritorum et demeritorum; secundo, de ipso iudicio in generali, tempore et loco in quo erit *; tertio, de iudicantibus et iudicatis *; quarto, de forma in qua iudex veniet ad iudicandum *; quinto, de statu mundi et resurgentium post iudicium *.

* Cf. qu. LXIX, Introd.
* Qu. LXXXVIII.
* Qu. LXXXIX.
* Qu. XC.
* Qu. XCI.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo: utrum cognoscat quilibet homo in iudicio omnia peccata sua.

Secundo: utrum possit quilibet legere conscientiam alterius.

Tertio: utrum omnia merita et demerita uno intuitu quis videre possit.

ART. I. UTRUM POST RESURRECTIONEM COGNITURUS SIT QUILIBET OMNIA PECCATA QUAE FECIT

Ad primum sic proceditur. Videtur quod post resurrectionem non cognoscet quilibet omnia peccata quae fecit. Omne enim quod cognoscimus, vel de novo per sensum accipimus, vel de thesauro memoriae educitur. Sed homines post resurrectionem sua peccata non poterunt sensu percipere: quia iam transierunt; sensus autem est tantum praesentium *. Multa etiam peccata a memoria exciderunt peccantis, quae non poterunt de thesauro memoriae educi. Ergo non omnium peccatorum quae fecit resurgens cognitionem habebit.

* Dist. XLIX, qu. III, art. 1, qu^a^ 4.

2. Praeterea, sicut in littera * dicitur, *libri conscientiae* quidam sunt, in quibus merita singulorum leguntur. Sed in libris non potest aliquid legi nisi eius nota contineatur in libro. *Notae* autem *quaedam* peccatorum remanent in conscientia, ut patet *Rom.* II *, in Glossa **: quae non videntur aliud esse quam reatus vel macula. Cum ergo

* Dist. XLIII, cap. *Media autem nocte.*
* Vers. 15.
** Lomb. ex Orig.

multorum peccatorum macula et reatus a multis sit deletus per gratiam, videtur quod non omnia peccata quae fecit possit aliquis in sua conscientia legere. Et sic idem quod prius.

3. Praeterea, crescente causa, crescit effectus. Sed causa quae facit nos dolere de peccatis quae ad memoriam revocamus, est caritas. Cum ergo in sanctis resurgentibus sit perfecta caritas, maxime de peccatis dolebunt si ea ad memoriam revocabunt. Quod non potest esse: quia *fugiet ab eis dolor et gemitus, Apoc.* xxi *. Ergo propria peccata ad memoriam non revocabunt.

* Isai. cap. xxxv, vers. 10. - Cf. *Apoc.* cap. xxi, vers. 4.

4. Praeterea, sicut se habebunt resurgentes damnati ad bona quae aliquando fecerunt, ita se habebunt resurgentes beati ad peccata quae aliquando commiserunt. Sed resurgentes damnati, ut videtur, cognitionem de bonis quae aliquando fecerunt non habebunt: quia per hoc eorum poena multum alleviaretur. Ergo nec beati habebunt cognitionem peccatorum quae commiserunt.

Sed contra est quod Augustinus dicit, XX *de Civ. Dei* *, quod *quaedam divina vis aderit qua fiet ut cuncta peccata ad memoriam revocentur.*

* Cap. xiv.

2. Praeterea, sicut se habet humanum iudicium ad testimonium exterius, ita se habet divinum iudicium ad testimonium conscientiae: ut patet I *Reg.* xvi *, *Homines vident ea quae parent, Deus autem intuetur cor.* Sed non posset perfecte iudicium humanum esse de aliquo nisi testes de omnibus de quibus iudicandum est, testimonium deponerent. Ergo oportet, cum divinum iudicium sit perfectissimum, quod conscientia teneat omnia de quibus iudicandum est. Sed iudicandum erit de omnibus operibus bonis et malis: II *Cor.* v *, *Omnes adstabimus ante tribunal Christi,* etc. Ergo oportet quod conscientia uniuscuiusque retineat omnia opera quae fecit, sive bona sive mala.

* Vers. 7.

* Vers. 10. - Cf. *ad Rom.* cap. xiv, vers. 10.

Respondeo dicendum quod, sicut dicitur *Rom.* ii *, *in illa die cum iudicabit Dominus, testimonium unicuique sua conscientia reddet, et cogitationes erunt accusantes et defendentes.* Et quia oportet quod testis et accusator et defensor in quolibet iudicio habeant eorum notitiam quae in iudicio versantur; in illo autem communi iudicio omnia opera hominum in iudicium venient: oportet quod omnium operum suorum quisque tunc notitiam habeat. Unde conscientiae singulorum erunt quasi quidam libri continentes res gestas, ex quibus iudicium procedet: sicut etiam in iudicio humano registris utuntur. Et isti sunt libri de quibus, *Apoc.* xx *, dicitur: *Libri aperti sunt, et alius liber apertus est qui est vitae; et iudicati sunt mortui ex his quae scripta erant in libris, secundum opera ipsorum:* ut per *libros* qui dicuntur sic *aperti,* ut Augustinus exponit, XX *de Civ. Dei* *, *significentur sancti novi et veteris Testamenti, in quibus Deus ostendit quae mandata fieri iussisset* (unde, ut Richardus de Sancto Victore dicit *, *erunt corda eorum quasi quaedam canonum statuta*); sed per *librum vitae,* de quo subiungitur, intelliguntur conscientiae singulorum, quae dicuntur singulariter *liber unus,* quia una virtute divina fiet ut cunctis ad memoriam sua facta revocentur; et haec vis, inquantum ad memoriam homini reducet sua facta, *liber vitae* dicitur *. — Vel per primos libros conscientiae intelligantur; per secundum sententia Iudicis in eius providentia descripta.

* Vers. 15, 16.

* Vers. 12.

* Cap. xiv.

* *De Iudiciar. Potest.*, in med.

* Cf. Aug. loc. cit.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis multa merita et demerita a memoria excidant, tamen nullum eorum erit quod non aliquo modo maneat in suo effectu. Quia merita quae non sunt mortificata, manebunt in praemio quod eis redditur: quae autem mortificata sunt, manent in reatu ingratitudinis, quae augetur ex hoc quod homo post gratiam susceptam peccavit. Similiter etiam demerita quae non sunt per poenitentiam deleta, manent in reatu poenae quae eis debetur: quae autem poenitentia delevit, manent in ipsa poenitentiae memoria, quam simul cum aliis meritis in notitia habebunt. Unde in quolibet homine erit aliquid ex quo possit ad memoriam sua opera revocare. — Et tamen, ut Augustinus dicit *, principaliter ad hoc *divina vis* operabitur.

* Loc. cit.

Ad secundum dicendum quod iam patet ex dictis * quod aliquae notae manent in conscientiis singulorum de operibus a se factis. Nec oportet quod notae istae sint reatus tantum, ut ex dictis * patet.

* In resp. ad 1.

* Ibid.

Ad tertium dicendum quod, quamvis caritas sit nunc causa dolendi de peccato, tamen sancti in patria erunt ita perfusi gaudio quod dolor in eis locum habere non poterit. Et ideo de peccatis non dolebunt: sed potius gaudebunt de divina misericordia, qua eis peccata sunt relaxata; sicut etiam nunc angeli gaudent de divina iustitia, qua fit ut, deserti a gratia, in peccato ruant illi quos custodiunt, quorum tamen saluti sollicite invigilant.

Ad quartum dicendum quod mali cognoscent omnia bona quae fecerunt: et ex hoc non minuetur eorum dolor, sed magis augebitur; quia maximus dolor est multa bona perdidisse. Propter quod dicit Boetius, in II *de Consolat.* *, quod *summum infortunii genus est fuisse felicem.*

* Pros. iv.

ART. II. utrum quilibet potens futurus sit legere omnia quae sunt in conscientia alterius

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non quilibet possit legere omnia quae sunt in conscientia alterius. Resurgentium enim non erit limpidior cognitio quam nunc sit angelorum, quorum aequalitas resurgentibus promittitur, Matth. xxii *. Sed angeli non possunt invicem in suis cordibus videre ea quae dependent a libero arbitrio: unde indigent locutione ad ea invicem innotescenda *. Ergo resurgentes non poterunt inspicere ea quae continentur in conscientiis aliorum.

* Vers. 30. - Cf. Luc. cap. xx, vers. 36.

* Cf. Part I, qu. cvii, art. 1.

2. Praeterea, omne quod cognoscitur, vel cognoscitur in se, vel in sua causa, vel in suo effectu. Sed merita vel demerita quae continentur in conscientia alicuius, non poterit alius cognoscere in seipsis: quia solus Deus cordi illabitur et secreta eius intuetur. Similiter nec in causa sua: quia non omnes videbunt Deum, qui solus potest imprimere in affectum, ex quo procedunt merita vel demerita. Similiter etiam nec in effectu: quia multa demerita erunt quorum nullus effectus remanebit, eis totaliter per poenitentiam abolitis. Ergo non omnia quae sunt in conscientia alicuius, poterit quilibet alius cognoscere.

3. Praeterea, Chrysostomus dicit, in littera *: *Nunc autem, si recorderis peccatorum tuorum, et frequenter ea in conspectu Dei pronunties et pro eis depreceris, citius illa delebis. Si vero oblivisceris, tunc eorum recordaberis nolens quando publicabuntur, et in conspectu omnium amicorum et inimicorum, sanctorumque angelorum, proferentur.* Ex hoc accipitur quod illa publicatio poena est negligentiae qua homo confessionem praetermittit. Ergo illa peccata de quibus homo confessus est, non publicabuntur aliis.

* Dist. xvii, cap. *Cum ergo.* - Chrysostom. Homil. XXXI *in Epist. ad Heb.*; Grat. Append. ad can. *Quis aliquando, de Poenit.*, dist. I.

4. Praeterea, solatium est alicui si scit se habere multos socios in peccato, et minus inde verecundatur. Si ergo quilibet peccatum alterius cognosceret, cuiuslibet peccatoris erubescentia multum minueretur. Quod non competit. Ergo non omnes omnium peccata cognoscent.

Sed contra, super illud I *Cor.* iv *, *Illuminabit abscondita tenebrarum,* dicit Glossa *: *Gesta et cogitata bona et mala tunc aperta et nota erunt omnibus.*

* Vers. 5.

* Lomb.

2. Praeterea, omnium bonorum peccata praeterita aequaliter erunt abolita. Sed quorundam sanctorum peccata sciemus: sicut Magdalenae * et Petri ** et David ***. Ergo pari ratione aliorum electorum peccata scientur. Et multo magis damnatorum.

* Luc. cap. vii, vers. 37 sqq.
** Matth. cap. xxvi, vers. 69 sqq.; Marc. cap. xiv, vers. 66 sqq.; Luc. cap. xxii, vers. 55 sqq.; Ioan. cap. xviii, vers. 17, 25 sqq.
*** II *Reg.* cap. xi, vers. 2 sqq.; cap. xxiv, vers. 10 sqq.

Respondeo dicendum quod in ultimo et communi iudicio oportet quod divina iustitia omnibus evidenter appareat, quae nunc in plerisque latet. Sententia autem condemnans vel praemians iusta esse non potest nisi secundum merita vel demerita proferatur. Et ideo, sicut oportet quod iudex et assessor iudicis merita causae cognoscant ad hoc quod iustam sententiam proferant, ita oportet, ad hoc quod iusta sententia appareat, quod omnibus sententiam cognoscentibus merita innotescant. Unde quia, sicut cuilibet nota erit sua praemiatio et sua damnatio, ita et omnibus aliis innotescet; oportet quod, sicut quilibet sua merita vel demerita reducet ad memoriam, ita etiam et aliena suae cognitioni subiaceant.

Et haec est probabilior et communior opinio, quamvis contrarium Magister in littera * dicat, scilicet quod *peccata quae sunt per poenitentiam deleta*, in iudicio aliis non patefient. – Sed ex hoc sequitur quod nec etiam poenitentia de peccatis illis perfecta cognoscetur. In quo multum detraheretur sanctorum gloriae et laudi divinae, quae tam misericorditer sanctos liberavit.

* Dist. xliii, cap. *Hic quaeritur.*

Ad primum ergo dicendum quod omnia merita praecedentia vel demerita facient aliquam quantitatem in gloria vel miseria hominis resurgentis *. Et ideo, exterioribus visis, poterunt cuncta in conscientiis videri. Et praecipue divina virtute ad hoc operante, ut sententia iudicis iusta appareat omnibus.

* Cf. art. praeced., ad 1.

Ad secundum dicendum quod merita vel demerita poterunt aliis ostendi in suis effectibus, ut ex dictis * patet. Vel etiam in seipsis per divinam virtutem: quamvis ad hoc virtus intellectus creati non sufficiat.

* Resp. ad 1.

Ad tertium dicendum quod publicatio peccatorum ad ignominiam peccantis est effectus negligentiae quae committitur in omissione confessionis. Sed quod peccata sanctorum revelantur non poterit eis esse in erubescentiam vel verecundiam, sicut nec Mariae Magdalenae est in confusionem quod peccata sua publice in Ecclesia recitantur: quia verecundia est *timor ingloriationis*, ut Damascenus * dicit, qui in beatis esse non poterit. Sed talis publicatio erit eis ad magnam gloriam, propter poenitentiam quam fecerunt: sicut et confessor approbat eum qui magna scelera fortiter confitetur. Dicuntur autem peccata esse deleta, quia Deus non videt ea ad puniendum.

* Aristot. *Ethic.* lib. IV, cap. ix, n. 1; s. Th. lect. xvii. - Cf. Damasc. *de Fide Orth.* lib. II, cap. xv.

Ad quartum dicendum quod ex hoc quod peccator aliorum peccata inspiciet, in nullo sua confusio minuetur, sed magis augebitur, in alieno vituperio suum vituperium magis perpendens. Quod enim ex tali causa confusio minuatur, contingit ex hoc quod verecundia respicit aestimationem hominum, quae ex consuetudine redditur levior. Sed tunc confusio respiciet aestimationem Dei, quae est secundum veritatem de quolibet peccato, sive sit unius tantum sive multorum.

ART. III. Utrum omnia merita vel demerita propria et aliena ab aliquo uno intuitu videnda sint

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non omnia merita vel demerita propria et aliena ab aliquo uno intuitu videantur. Ea enim quae singillatim considerantur, non videntur uno intuitu. Sed damnati singillatim considerabunt sua peccata et ea plangent: unde dicunt, *Sap.* v *: *Quid nobis profuit superbia,* etc. Ergo non omnia videbunt uno intuitu.

* Vers. 8.

2. Praeterea, Philosophus dicit, in II *Topic.* *, quod *non contingit simul plura intelligere.* Sed merita et demerita propria et aliena non videbuntur nisi intellectu. Ergo non poterunt simul omnia videri.

* Cap. x, n. 1.

3. Praeterea, intellectus damnatorum hominum non erit post resurrectionem elevatior quam nunc sit bonorum angelorum quantum ad cognitionem naturalem, qua cognoscunt res per species innatas. Sed tali cognitione angeli non vident plura simul *. Ergo nec tunc damnati poterunt omnia facta simul videre.

* II *Sent.*, dist. iii, qu. ii, art. 4.

Sed contra, super illud *Iob* viii *, *Induetur confusione,* dicit Glossa *: *Viso Iudice, mala omnia ante oculos mentis versantur.* Sed Iudicem subito videbunt. Ergo similiter mala quae commiserunt. Et eadem ratione omnia alia.

* Vers. 22.
* Ord.

2. Praeterea, Augustinus, XX *de Civ. Dei* *, habet pro inconvenienti quod legatur aliquis liber materialis in iudicio in quo facta singulorum sunt scripta, eo quod nullus valeat aestimare illius libri magnitudinem, vel quanto tempore legi posset. Sed similiter etiam non posset aestimari tempus quantum oporteret ponere ad considerandum omnia merita et demerita sua et aliena ab aliquo homine, si successive diversa videant. Ergo oportet ponere quod omnia simul videat unusquisque.

* Cap. xiv.

Respondeo dicendum quod circa hoc est duplex opinio. Quidam * enim dicunt quod omnia merita et demerita simul aliquis videbit, sua et aliena, in instanti. – Quod quidem de beatis facile credi potest: quia omnia in uno videbunt *, et sic non est inconveniens quod simul plura videant. Sed de damnatis, quorum intellectus non est elevatus ut possint Deum videre et in eo omnia alia, est magis difficile.

* B. Albert. IV *Sent.*, dist. xliii, art. 14.
* Cf. Part. I, qu. xii, art. 8.

Et ideo alii dicunt quod mali simul omnia videbunt in genere peccata sua, et hoc sufficit ad accusationem illam quae debet esse in iudicio, vel ad absolutionem. Non autem videbunt omnia simul descendendo ad singula *. – Sed hoc etiam non videtur consonum dictis Augustini, XX *de Civ. Dei* *, qui dicit quod omnia mentis intuitu enumerabuntur: quod autem in genere cognoscitur, non enumeratur.

* Cf. s. Bonav. IV *Sent.*, dist. xliii, art. 2, qu^a 3.
* Loc. cit.

Unde potest eligi media via: quod singula considerabunt, non tamen in instanti, sed in tempore brevissimo, divina virtute ad hoc adiuvante. Et hoc est quod dicit Augustinus, ibidem, quod *mira celeritate* enumerabuntur. Nec est hoc impossibile: quia in quolibet parvo tempore sunt infinita instantia in potentia.

Et per hoc patet responsio ad utramque partem.

QUAESTIO OCTOGESIMAOCTAVA
DE IUDICIO GENERALI, TEMPORE ET LOCO IN QUO FIET

Deinde considerandum est de iudicio generali, tempore et loco in quo fiet *.

* Cf. qu. lxxxvii, Introd.

Circa quod quaeruntur quatuor.

Primo: utrum generale iudicium sit futurum.

Secundo: utrum quantum ad disceptationem fiet per vocalem locutionem.

Tertio: utrum fiet tempore ignoto.

Quarto: utrum fiet in valle Iosaphat.

ART. I. Utrum generale iudicium sit futurum

Part. III, qu. lix, art. 5; IV *Cont. Gent.*, cap. xcvi; *Quodl.* X, qu. 1, art. 2; *Compend. Theol.*, cap. ccxlii; *In Matth.*, cap. xxv.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod generale iudicium non sit futurum. Quia, ut dicitur Nahum i *, *non iudicabit Deus bis in idipsum.* Sed nunc Deus iudicat de singulis hominum operibus: cum post mortem unicuique poenas vel praemia pro meritis tribuit; et dum etiam quosdam in hac vita pro bonis vel malis operibus praemiat vel punit. Ergo videtur quod non sit aliud iudicium futurum.

* Vers. 9. - Iuxta LXX Interpret.

2. Praeterea, in nullo iudicio executio sententiae praecedit iudicium. Sed sententia divini iudicii quoad homines est de adeptione Regni vel exclusione a Regno, ut patet Matth. xxv *. Ergo, cum modo aliqui adipiscantur regnum aeternum et quidam excludantur ab ipso perpetuo, videtur quod aliud iudicium non sit futurum.

* Vers. 31 sqq.

3. Praeterea, propter hoc aliqua in iudicium oportet adduci, quia dubium est quid de eis definiendum sit. Sed ante finem mundi determinata est unicuique damnatorum sua damnatio, et cuique sanctorum sua beatitudo. Ergo videtur quod non oporteat aliquod futurum iudicium esse.

Sed contra, Matth. xii * dicitur: *Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam.* Ergo post resurrectionem aliquod iudicium erit.

* Vers. 41.

2. Praeterea, Ioan. v * dicitur: *Procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitae; qui vero mala, in resurrectionem iudicii.* Ergo videtur quod post resurrectionem aliquod iudicium sit futurum.

* Vers. 29.

Respondeo dicendum quod, sicut operatio pertinet ad rerum principium, quo producuntur in esse, ita iudicium pertinet ad terminum, quo res ad suum finem perducitur. Distinguitur autem duplex Dei operatio. Una, qua res primitus in esse perduxit, instituens naturam et distinguens ea quae ad completionem ipsius pertinent: a quo quidem opere Deus dicitur *quievisse, Genes.* ii *. Alia eius operatio est qua operatur in gubernatione creaturarum: de qua Ioan. v *: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Ita etiam duplex eius iudicium distinguitur, ordine tamen converso. Unum quod respondet operationi gubernationis, quae sine iudicio esse non potest. Per quod quidem iudicium unusquisque singulariter pro suis operibus iudicatur, non solum secundum quod sibi competit, sed secundum quod competit gubernationi universi: unde differtur unius

* Vers. 2.
* Vers. 17.

praemiatio pro utilitate aliorum, ut patet *Heb.* XI *, et poenae unius ad profectum alterius cedunt. Unde necesse est ut sit aliquod iudicium universale correspondens ex adverso primae rerum productioni in esse: ut videlicet, sicut tunc omnia processerunt immediate a Deo, ita tunc ultima completio mundo detur, unoquoque accipiente finaliter quod ei debetur secundum seipsum.

* Vers. 39, 40.

Unde in illo iudicio apparebit manifeste divina iustitia quantum ad omnia, quae nunc ex hoc occultantur quod interdum de uno disponitur, ad utilitatem aliorum, aliter quam manifesta opera exigere videantur. Unde etiam et tunc erit universalis separatio bonorum a malis: quia ulterius non erit locus ut mali per bonos vel boni per malos proficiant, propter quem profectum interim commixti inveniuntur boni malis, quoadusque status huius vitae per divinam providentiam gubernatur.

Ad primum ergo dicendum quod quilibet homo et est singularis quaedam persona, et est pars totius generis humani. Unde et duplex ei iudicium debetur. Unum singulare, quod de eo fiet post mortem, quando *recipiet iuxta ea quae in corpore gessit* *: quamvis non totaliter, quia non quoad corpus, sed quoad animam tantum. Aliud iudicium debet esse de eo secundum quod est pars totius humani generis: sicut aliquis iudicari dicitur, secundum humanam iustitiam, quando etiam iudicium datur de communitate cuius ipse est pars. Unde et tunc, quando fiet universale iudicium totius humani generis per universalem separationem bonorum a malis, etiam quilibet per consequens iudicabitur. Nec tamen Deus iudicat *bis in idipsum:* quia non duas poenas pro uno peccato infert; sed poena quae ante iudicium complete inflicta non fuerat, in ultimo iudicio complebitur, post quod impii cruciabuntur quoad corpus et ad animam simul.

* II *ad Cor.*, cap. v, vers. 10. - Cf. Aug. *de Cura pro mort. gerenda*, cap. I, n. 2.

Ad secundum dicendum quod propria sententia illius generalis iudicii est universalis separatio bonorum a malis, quae illud iudicium non praecedet. Sed nec etiam quoad particularem sententiam uniuscuiusque plene praecessit iudicii effectus: quia etiam boni amplius post iudicium praemiabuntur, tum ex gloria corporis adiuncta, tum ex numero sanctorum completo; et mali etiam plus torquebuntur ex adiuncta poena corporis, et impleto in poenis numero damnatorum; quia quanto cum pluribus ardebunt, tanto plus ardebunt.

Ad tertium dicendum quod universale iudicium magis directe respicit universalitatem hominum quam singulos iudicandorum. Quamvis ergo cuilibet homini ante iudicium sit certa notitia de sua damnatione vel praemio, non tamen omnibus omnium damnatio vel praemium innotescet. Unde iudicium necessarium erit.

ART. II. Utrum iudicium illud, quantum ad disceptationem et sententiam, faciendum sit per locutionem vocalem

Compend. Theol., cap. CCXLIV; *Resp. ad XLII artic.*, art. 27; *In Matth.*, cap. XIX; I *ad Cor.*, cap. VI, lect. I.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod iudicium illud, quantum ad disceptationem et sententiam, fiet per locutionem vocalem. Quia, ut Augustinus dicit, XX *de Civ. Dei* *, *per quot dies hoc futurum iudicium tendatur, hoc incertum est.* Sed non esset incertum si illa quae in iudicio dicuntur futura, tantum mentaliter complerentur. Ergo iudicium illud vocaliter fiet, et non solum mentaliter.

* Cap. I, n. 2.

2. Praeterea, Gregorius dicit *, et habetur in littera **: *Illi saltem verba Iudicis audient qui eius fidem verbo tenuerunt.* Hoc autem non potest intelligi de verbo interiori: quia sic omnes verba Iudicis audient, quia omnibus, bonis et malis, nota erunt omnia facta aliorum *. Ergo videtur quod iudicium illud vocaliter peragetur.

* *Mor.* lib. XXVI, cap. XXIX, al. XX; in vet. cap. XXIV.
** Dist. XLVII, cap. *Erunt autem.*
* Qu. LXXXVII, art. 2

3. Praeterea, Christus secundum formam hominis iudicabit *, in qua corporaliter ab omnibus possit videri **. Ergo eadem ratione videtur quod corporali voce loquatur, ut ab omnibus audiatur.

* Infra, qu. XC, art. 1.
** Cf. Aug. Serm. CXXVII, al. *de Verb. Domin.* LXIV, cap. VII.

Sed contra, Augustinus dicit, XX *de Civ. Dei* *, quod *liber vitae,* de quo *Apoc.* XX *, *vis quaedam intelligenda est divina, qua fiet ut cuique opera sua vel bona vel mala ad memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul et omnes et singuli iudicentur.* Sed, si vocaliter discuterentur merita singulorum, non possent omnes et singuli iudicari simul. Ergo videtur quod illa discussio non erit vocalis.

* Cap. XIV.
* Vers. 12.

2. Praeterea, sententia proportionaliter debet testimonio respondere. Sed testimonium et accusatio vel excusatio erit mentalis: unde *Rom.* II *, *Testimonium illis reddente conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium, in die cum iudicabit Deus occulta hominum.* Ergo videtur quod illa sententia et totum iudicium mentaliter compleatur.

* Vers. 15, 16.

Respondeo dicendum quod quid circa hanc quaestionem sit verum, pro certo definiri non potest. Tamen probabilius aestimatur quod totum illud iudicium, et quoad discussionem, et quoad accusationem malorum et commendationem bonorum, et quoad sententiam de utrisque, mentaliter perficietur. Si enim vocaliter singulorum facta narrarentur, inaestimabilis magnitudo temporis ad hoc exigeretur. Sicut etiam Augustinus dicit, XX *de Civ. Dei* *: *Quod si liber,* ex cuius scriptura omnes iudicabuntur, ut dicitur *Apoc.* XX *, *carnaliter cogitetur, quis eius magnitudinem aut longitudinem valeat aestimare? Aut quanto tempore legi poterit liber in quo scriptae sunt universae vitae universorum?* Non autem minus tempus requiritur ad narrandum ore tenus singulorum facta quam ad legendum, si essent in libro materiali scripta. Unde probabile est quod illa quae dicuntur Matth. XXV *, non vocaliter, sed mentaliter intelligenda sunt esse perficienda.

* Cap. XIV.
* Vers. 12.
* Vers. 34 sqq.

Ad primum ergo dicendum quod pro tanto dicit Augustinus quod *incertum est per quot dies hoc iudicium tendatur,* quia non est determinatum utrum mentaliter vel vocaliter perficiatur. Si enim vocaliter perficeretur, prolixum tempus ad hoc exigeretur. Si autem mentaliter, in momento fieri poterit.

Ad secundum dicendum quod, etiam si iudicium fiat mentaliter tantum, verbum Gregorii salvari potest. Quia etsi omnibus innotescent sua et aliorum facta, divina virtute hoc faciente, quae in Evangelio locutio dicitur; tamen illi qui fidem habuerunt, quam ex verbis Dei conceperunt, ex ipsis verbis iudicabuntur: quia, ut dicitur *Rom.* II *, *qui in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur.* Unde quodam speciali modo dicetur aliquid his qui fuerunt fideles, quod non dicetur his qui fuerunt infideles.

* Vers. 12.

Ad tertium dicendum quod Christus corporaliter apparebit ut ab omnibus iudex corporaliter cognoscatur: quod quidem subito fieri poterit. Sed locutio, quae tempore mensuratur, requireret immensam temporis prolixitatem, si vocali locutione iudicium perageretur.

ART. III. Utrum tempus futuri iudicii sit ignotum

Supra, qu. LXXII, art. 2; Part. III, qu. X, art. 2, ad 1; IV *Sent.*, dist. XLIII, art. 3, quª 2; *De Pot.*, qu. V, art. 6; *Compend. Theol.*, cap. CCXLII; *In Matth.*, cap. XXIV.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod tempus futuri iudicii non sit ignotum. Sicut enim sancti Patres expectabant primum adventum, ita nos expectamus secundum. Sed sancti Patres sciverunt tempus primi adventus: sicut patet per numerum hebdomadarum qui describitur Dan. IX *. Unde et reprehenduntur Iudaei quod tempus adventus Christi non cognoverunt, ut patet Luc. XII *: *Hypocritae, faciem caeli et terrae nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?* Ergo videtur quod etiam nobis esse debeat determinatum tempus secundi adventus, quo *Deus ad iudicium veniet* *.

* Vers. 24 sqq.
* Vers. 56.
* Isai. cap. III, vers. 14.

2. Praeterea, per signa devenimus in cognitionem signatorum. Sed de futuro iudicio multa signa nobis proponuntur in Scriptura: ut patet Matth. XXIV * et Luc. XXI ** et Marc. XIII *. Ergo in cognitionem illius temporis possumus pervenire.

* Vers. 3 sqq.
** Vers. 7 sqq.
* Vers. 3 sqq.

3. Praeterea, Apostolus dicit, I *Cor.* X *: *Nos sumus in quos fines saeculorum devenerunt.* Et I Ioan. II *: *Filioli, novissima hora est,* etc. Cum ergo iam longum tempus transierit ex quo haec dicta sunt, videtur quod saltem nunc scire possumus quod ultimum iudicium sit propinquum.

* Vers. 11.
* Vers. 18.

4. Praeterea, tempus iudicii non oportet esse occultum nisi propter hoc quod quilibet sollicitus se ad iudicium praeparet, dum determinate tempus ignoret *. Sed eadem sollicitudo remaneret etiam si certum esset: quia cuique incertum est tempus suae mortis; et, sicut dicit Augustinus, in Epistola *ad Hesychium* *, *in quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies.* Ergo non est necessarium tempus iudicii esse occultum.

* Cf. Hilar. *Comment. in Matth.*, cap. XXVI, n. 5.
* Ep. CXCIX, al. LXXX, cap. I, n. 2.

Sed contra est quod dicitur Marci XIII *: *De die illa vel hora nemo scit, nec angeli in caelo nec Filius, nisi Pater.* Dicitur autem Filius nescire, inquantum nos scire non facit *.

* Vers. 32.
* Aug. *de Trinit.* lib. I, cap. XII.

2. Praeterea, I *Thessal.* V *: *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Ergo videtur, cum adventus furis in nocte sit omnino incertus, quod dies ultimi iudicii sit omnino incertus.

* Vers. 2.

Respondeo dicendum quod Deus per scientiam suam est causa rerum *. Utrumque autem creaturis communicat: dum et rebus tribuit virtutem agendi alias res, quarum sunt causae; et quibusdam etiam cognitionem rerum praebet. Sed in utroque aliqua sibi reservat: operatur enim quaedam in quibus nulla creatura ei cooperatur; et similiter cognoscit quaedam quae a nulla pura creatura cognoscuntur. Haec autem nulla alia magis esse debent quam illa quae soli divinae subiacent potestati, in quibus nulla creatura ei cooperatur. Et huiusmodi est finis mundi, in quo erit dies iudicii: non enim per aliquam causam creatam mundus finietur; sicut etiam mundus esse incoepit immediate a Deo. Unde decenter cognitio finis mundi soli Deo reservatur. Et hanc rationem videtur ipse Dominus assignare, *Act.* I *: *Non est,* inquit, *vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate:* quasi diceret, *quae soli potestati eius reservata sunt.*

* Part. I, qu. XIV, art. 8.
* Vers. 7.

Ad primum ergo dicendum quod in primo adventu Christus venit occultus: secundum illud Isaiae XLV *: *Vere tu es Deus absconditus Sanctus Israel, Salvator.* Et ideo, ut a fidelibus cognosci posset, oportuit determinate tempus praedeterminare. Sed in secundo adventu veniet manifeste: ut dicitur in Psalmo *, *Deus manifeste veniet,* etc. Et ideo circa cognitionem adventus ipsius error esse non poterit. Et propter hoc non est simile.

* Vers. 15.
* Ps. XLIX, vers. 3.

Ad secundum dicendum quod, sicut dicit Augustinus, in Epistola *de Die Iudicii ad Hesychium* *, signa quae in Evangeliis ponuntur, non omnia pertinent ad secundum adventum, qui erit in fine: sed quaedam eorum pertinent ad tempus destructionis Ierusalem, quae iam praeteriit; quaedam vero, et plura eorum, pertinent ad adventum quo quotidie ad Ecclesiam suam venit, eam visitans spiritualiter, prout nos inhabitat per fidem et amorem *.

* Ep. CXXIX, al. LXXX, cap. IX sqq.
* Cf. Part. I, qu. VIII, art. 3; qu. XLIII, art. 3.

Nec illa quae in Evangeliis vel Epistolis * ponuntur ad ultimum adventum spectantia, ad hoc possunt valere ut determinate tempus iudicii possit cognosci. Quia illa pericula quae praenuntiantur, nuntiantia vicinum Christi adventum, etiam a tempore primitivae Ecclesiae fuerunt, quandoque intensius, quandoque remissius: unde et ipsi dies Apostolorum dicti sunt *novissimi dies;* ut patet *Act.* II *, ubi Petrus exponit illud Ioel II *, *Erit in novissimis diebus* etc., pro tempore illo. Et tamen ex illo tempore tempus plurimum transivit: et quandoque plures, et quandoque pauciores tribulationes in Ecclesia fuerunt. Unde non potest determinari tempus quantum sit futurum, nec de mense nec de anno, nec de centum nec de mille annis, ut Augustinus in eodem libro * dicit: etsi credantur in finem huiusmodi pericula magis abundare. Non potest tamen determinari quae sit illa quantitas periculorum quae immediate diem iudicii praecedet, vel Antichristi adventum: cum etiam circa tempora primitivae Ecclesiae fuerint persecutiones aliquae adeo graves, et corruptiones errorum adeo abundarent, quod ab aliquibus tunc vicinus expectaretur vel imminens Antichristi adventus; sicut dicitur in *Ecclesiastica Historia* *, et in libro Hieronymi *de Viris Illustribus* *.

* Cf. II *ad Thessal.*, cap. II.
* Vers. 16 sqq.
* Vers. 28 sqq.
* Cf. Epist. cit., cap. VI.
* Euseb. lib. VI, cap. VII.
* Cap. LII.

Ad tertium dicendum quod ex hoc quod dicitur, *Novissima hora est,* vel ex similibus locutionibus quae in Scriptura leguntur, non potest aliqua determinata quantitas temporis sciri. Non enim est dictum ad significandum aliquam brevem horam temporis: sed ad significandum novissimum statum mundi, qui est quasi novissima aetas; quae quanto temporis spatio duret, non est definitum, cum etiam nec senio, quod est ultima aetas hominis, sit aliquis certus terminus praefinitus *, cum quandoque inveniatur durare quantum omnes praecedentes aetates vel plus; ut dicit Augustinus, in libro *Octogintatrium Quaestionum* *. Unde etiam Apostolus, II *Thessal.* II *, excludit falsum intellectum quem quidam ex suis verbis conceperant, ut crederent *diem Domini iam instare.*

* Tull. *de Senect.*, cap. XX, init. (ed. Teubner).
* Qu. LVIII.
* Vers. 2.

Ad quartum dicendum quod, etiam supposita mortis incertitudine, dupliciter ad vigilantiam valet incertitudo iudicii. Primo, ad hoc quod ignoratur utrum etiam tantum differatur quantum est hominis vita: ut sic ex duabus partibus incertitudo maiorem diligentiam faciat. – Secundo, quantum ad hoc quod homo non gerit solum sollicitudinem de persona sua, sed de familia vel civitate vel regno aut tota Ecclesia, cui non determinatur tempus durationis secundum hominis vitam: et tamen oportet unumquemque horum hoc modo disponi ut dies Domini non inveniat imparatos.

ART. IV. UTRUM IUDICIUM FACIENDUM SIT IN VALLE IOSAPHAT, AUT IN LOCO CIRCUMSTANTE

Quodl. X, qu. I, art. 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXLIV.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod iudicium non fiet in valle Iosaphat, aut in loco circumstante. Quia ad minus oportet omnes iudicandos in terra stare; eos autem tantum elevari in nubibus quorum erit iudicare. Sed tota terra promissionis capere non posset multitudinem iudicandorum. Ergo non potest esse quod circa vallem illam sit iudicium.

2. Praeterea, Christo in humanitate datum est iudicium ut iuste iudicet qui iniuste iudicatus est *. Sed ipse iniuste iudicatus est in praetorio Pilati *, et sententiam iniusti iudicii in Golgotha suscepit *. Ergo loca illa magis debent ad iudicium determinari.

* Cf. qu. XC, art. I, arg. *Sed cont.* 2.
* Ioan. cap. XIX, vers. 13 sqq.
* Ibid. vers. 17.

3. Praeterea, nubes fiunt ex resolutione vaporum. Sed tunc nulla erit evaporatio vel resolutio *. Ergo non poterit esse quod iusti *in nubibus obviam Christo in aera rapiantur* *. Et sic oportebit et bonos et malos esse in terra. Et ita locus multo amplior requiretur quam sit vallis illa.

* Cf. qu. XCI, art. 2.
* I *ad Thess.*, cap. IV, vers. 16.

Sed contra est quod dicitur Ioel III *: *Congregabo omnes gentes, et educam eas in valle Iosaphat, et disceptabo ibi cum eis.*

* Vers. 2.

2. Praeterea, *Act.* I * dicitur: *Quemadmodum vidistis eum ascendentem in caelum, ita veniet.* Sed ipse ascendit de monte Oliveti *, qui praeeminet valli Iosaphat. Ergo et circa loca illa ad iudicandum veniet.

* Vers. 11.
* Ibid., vers. 12.

Respondeo dicendum quod qualiter illud iudicium sit futurum, et quomodo homines ad iudicium conveniant, non potest multum per certitudinem sciri. Tamen probabiliter potest colligi ex Scripturis quod circa locum montis Oliveti descendet, sicut et inde ascendit: ut idem esse ostendatur *qui ascendit et qui descendit* *.

* *Ad Ephes.* cap. IV, vers. 10.

Ad primum ergo dicendum quod magna multitudo in parvo spatio comprehendi potest. Sufficit autem ponere quantumcumque spatium circa locum illum ad capiendum multitudinem iudicandorum, dummodo ab illo spatio Christum videre possint, qui in aere eminens, et maxima claritate refulgens, a longinquo inspici poterit.

Ad secundum dicendum quod, quamvis Christus per hoc quod iniuste iudicatus est iudiciariam potestatem meruit, non tamen iudicabit in forma infirmitatis, in qua iniuste iudicatus est: sed in forma gloriosa, in qua ad Patrem ascendit. Unde locus ascensionis magis competit iudicio quam locus ubi condemnatus est.

Ad tertium dicendum quod *nubes* hic appellantur, ut dicunt quidam *, densitates lucis resplendentis a corporibus sanctorum, et non aliquae evaporationes ex terra et aqua.

* B. Albert. IV *Sent.*, dist. XLVIII, art. 6, ad ult.

Vel potest dici quod nubes illae generabuntur divina virtute, ad ostendendum conformitatem in adventu ad iudicium et ascensionem: ut qui ascendit in nube *, etiam in nube ad iudicium veniat. – Nubes etiam, propter refrigerium, indicat misericordiam iudicantis.

* *Act.* cap. I, vers. 9.

QUAESTIO OCTOGESIMANONA

DE IUDICANTIBUS ET IUDICATIS IN IUDICIO GENERALI

Deinde considerandum est de iudicantibus et iudicatis in iudicio generali *.

* Cf. qu. LXXXVII, Introd.

Circa quod quaeruntur octo.

Primo: utrum aliqui homines iudicaturi sint cum Christo.
Secundo: utrum voluntariae paupertati correspondeat iudiciaria potestas.
Tertio: utrum angeli sint etiam iudicaturi.
Quarto: utrum daemones exequantur sententiam iudicis.
Quinto: utrum omnes homines in iudicio comparebunt.
Sexto: utrum aliqui boni iudicandi sint.
Septimo: utrum aliqui mali.
Octavo: utrum etiam angeli sint iudicandi.

ART. I. UTRUM ALIQUI HOMINES IUDICATURI SINT CUM CHRISTO

Compend. Theol., cap. CCXLV; *In Psalm.* XLIX; I *ad Cor.*, cap. VI, lect. 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod nulli homines iudicabunt cum Christo. Ioan. v *: *Pater omne iudicium dedit Filio ut omnes* etc. Sed honorificentia talis non debetur alicui nisi Christo. Ergo, etc.

* Vers. 22, 23.

2. Praeterea, quicumque iudicat, habet auctoritatem super illud quod iudicat. Sed ea de quibus debet esse futurum iudicium, sicut merita et praemia humana, soli divinae auctoritati subsunt. Ergo nulli competit de his iudicare.

3. Praeterea, iudicium illud non exercebitur vocaliter sed mentaliter, ut probabilius aestimatur *. Sed hoc quod cordibus hominum notificentur merita et demerita, quod est quasi accusatio vel commendatio; vel retributio poenae et praemii, quod est quasi sententiae prolatio; sola divina virtute fiet. Ergo nulli alii iudicabunt nisi Christus, qui est Deus.

* Qu. LXXXVIII, art. 2.

Sed contra est quod dicitur Matth. xix *: *Sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel.*

* Vers. 28.

2. Praeterea, Isaiae iii *: *Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui.* Ergo videtur quod etiam alii iudicabunt cum Christo.

* Vers. 14.

Respondeo dicendum quod *iudicare* multipliciter dicitur. Uno modo, quasi *causaliter*: ut dicatur illud iudicare unde appareat aliquis iudicandus; et secundum quod aliqui dicuntur iudicare comparatione, inquantum ex comparatione aliorum aliqui iudicandi ostenduntur, sicut patet Matth. xii *, *Viri Ninivitae surgent in iudicio* etc. Sed sic iudicare in iudicio communiter et bonorum et malorum est.

* Vers. 41.

Alio modo dicitur iudicare quasi *interpretative*. Interpretamur enim aliquem facere qui facienti consentit. Unde isti qui consentient Christo iudici, eius sententiam approbando, iudicare dicuntur. Et sic iudicare est omnium electorum: unde dicitur *Sap.* iii *: *Iudicabunt sancti nationes.*

* Vers. 8.

Tertio modo dicitur iudicare quasi *per similitudinem*: quia scilicet similitudinem iudicis habet, inquantum sedet in loco eminenti sicut iudex; sicut assessores dicuntur iudicare. Et secundum hunc modum dicunt quidam * quod perfecti viri, quibus iudiciaria potestas promittitur Matth. xix *, iudicabunt, scilicet per *honorabilem consessionem*: quia superiores ceteris apparebunt in iudicio, *occurrentes obviam Christo in aera* *. – Sed istud non videtur sufficere ad promissionem Domini complendam, qua dicitur, *Sedebitis iudicantes*: videtur enim iudicium consessioni superaddere.

* Halens. *Summ. Theol.* p. III, qu. XXV, m. 5, art. 2; s. Bonavent. IV *Sent.*, dist. XLVIII, art. 1, qu. 1.
* Vers. 27, 28.
* I *ad Thess.* cap. IV, vers. 16.

Et ideo est quartus modus iudicandi, qui perfectis viris conveniet, inquantum in eis continentur decreta divinae iustitiae, ex quibus homines iudicabuntur: sicut si liber in quo continetur lex, iudicare dicatur. Unde *Apoc.* xx *: *Iudicium sedit, et libri aperti sunt.* Et per hunc modum hanc iudicationem Richardus de Sancto Victore exponit. Unde dicit *: *Qui divinae contemplationi assistunt, qui in libro sapientiae quotidie legunt, velut in cordium voluminibus transcribunt quidquid iam perspicua veritatis intelligentia comprehendunt.* Et infra: *Quid vero sunt iudicantium corda, divinitus in omnem veritatem edocta, nisi quaedam canonum decreta?*

* Dan. cap. VII, vers. 10. - Cf. *Apoc.* cap. XX, vers. 12.
* *De Iudiciar. Potest.* etc., in med.

Sed quia iudicare importat actionem in alium procedentem, ideo, proprie loquendo, iudicare dicitur qui sententiam loquendo in alterum fert. Sed hoc dupliciter contingit. Uno modo, ex propria auctoritate. Et hoc est illius proprie qui habet in alios dominium et potestatem, cuius regimini subduntur qui iudicantur, unde eius est in eos ius ferre. Et sic iudicare est solius Dei. – Alio modo, iudicare est sententiam alterius auctoritate latam in aliorum notitiam ducere, quod est sententiam latam pronuntiare. Et hoc modo perfecti viri iudicabunt: quia alios ducent in cognitionem divinae iustitiae, ut sciant quid iuste pro meritis eis debeatur; ut sic ipsa revelatio iustitiae dicatur iudicium. Unde dicit Richardus de Sancto Victore *: *Iudices coram iudicandis decretorum suorum libros aperire, est ad cordium suorum inspectionem inferiorum quorumlibet visum admittere, sensumque suum in his quae ad iudicium pertinent, revelare.*

* Loc. cit.

Ad primum ergo dicendum quod obiectio illa procedit de iudicio auctoritatis, quod soli Christo conveniet.

Et similiter dicendum ad secundum.

Ad tertium dicendum quod non est inconveniens aliquos sanctorum aliis quaedam revelare: vel per modum illuminationis, sicut superiores angeli inferiores illuminant *; vel per modum locutionis, sicut quando inferiores superioribus loquuntur *.

* Part. I, qu. CVI, art. 1.
* Ibid., qu. CVII, art. 2.

ART. II. UTRUM IUDICIARIA POTESTAS CORRESPONDEAT VOLUNTARIAE PAUPERTATI

IV *Sent.*, dist. XLIX, qu. V, art. 5, qu^a 1, ad 2; *In Matth.*, cap. XIX; I *ad Cor.*, cap. VI, lect. 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod iudiciaria potestas non correspondeat voluntariae paupertati. Hoc enim solum duodecim Apostolis est promissum, Matth. xix *: *Sedebitis super sedes iudicantes,* etc. Cum ergo non omnes voluntarie pauperes sint apostoli, videtur quod non omnibus iudiciaria potestas respondeat.

* Vers. 28.

2. Praeterea, maius est offerre sacrificium Deo de proprio corpore quam de exterioribus rebus. Sed martyres et etiam virgines offerunt de proprio corpore sacrificium Deo: voluntarie autem pauperes de exterioribus rebus. Ergo sublimitas iudiciariae potestatis magis respondet martyribus et virginibus quam voluntarie pauperibus.

3. Praeterea, Ioan. v *: *Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis:* Glossa *, *quia voci eius non creditis.* Et Ioan. xii *: *Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die.* Ergo ex hoc quod aliquis proponit legem vel verbum exhortationis ad instructionem morum, habet quod iudicet contemnentes. Sed hoc est doctorum. Ergo doctoribus magis competit quam pauperibus.

* Vers. 45.
* Interlin.
* Vers. 48.

4. Praeterea, Christus ex hoc quod iniuste iudicatus est inquantum homo, meruit ut sit iudex omnium in humana natura: Ioan. v *, *Potestatem dedit ei iudicium facere quia Filius hominis est.* Sed qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, iniuste iudicantur. Ergo talis potestas magis competit eis quam pauperibus.

* Vers. 27. - Cf. qu. XC, art. 1, arg. *Sed cont.* 2.

5. Praeterea, superior non iudicatur ab inferiori *. Sed multi licite divitiis utentes erunt maioris meriti multis voluntarie pauperibus. Ergo voluntarie pauperes non iudicabunt ubi alii iudicabuntur.

* Cf. *Qq. Dispp. de Verit.*, qu. VIII, art. 1, ad 13.

Sed contra, *Iob* xxxvi *: *Non salvat impios, et iudicium pauperibus tribuet.* Ergo pauperum est iudicare.

* Vers. 6.

2. Praeterea, Matth. xix, super illud *, *Vos qui reliquistis omnia* etc., dicit Glossa *: *Qui reliquerunt omnia et secuti sunt Deum, hi iudices erunt: qui licita habentes recte usi sunt, iudicabuntur.* Et sic idem quod prius.

* Vers. 28.
* Ord.

Respondeo dicendum quod paupertati debetur iudiciaria potestas specialiter propter tria. Primo, ratione congruitatis. Quia voluntaria paupertas est eorum qui, omnibus quae mundi sunt contemptis, soli Christo inhaerent. Et ideo non est eis aliquid quod eorum iudicium a iustitia deflectat. Unde idonei ad iudicandum redduntur, quasi veritatem iustitiae prae omnibus diligentes.

Secundo, per modum meriti. Quia humilitati respondet exaltatio pro merito. Inter omnia autem quae hominem in hoc mundo despectum faciunt, praecipuum est paupertas.

Unde et pauperibus excellentia iudiciariae potestatis promittitur, ut sic *qui propter Christum se humiliat, exaltetur* *.

Tertio, quia paupertas disponit ad praedictum modum iudicandi. Ex hoc enim aliquis sanctorum iudicare dicetur, ut ex dictis * patet, quia cor habebit edoctum omni divina veritate, quam aliis potens erit manifestare. In progressu autem ad perfectionem primum quod relinquendum occurrit, sunt exteriores divitiae: quia haec sunt ultimo acquisita; *quod* autem *ultimum est in generatione, est primum in destructione* *. Unde et inter beatitudines, quibus est progressus ad perfectionem, prima ponitur paupertas *. Et sic paupertati respondet iudiciaria potestas, inquantum est prima dispositio ad potestatem praedictam. – Et hinc est quod non quibuscumque pauperibus, etiam voluntarie, repromittitur potestas praedicta: sed illis qui, *relinquentes omnia, sequuntur Christum* * secundum perfectionem vitae.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Augustinus dicit, XX *de Civ. Dei* *: *Nec, quoniam super duodecim sedes sessuros esse ait, duodecim solos homines cum illo iudicaturos putare debemus: alioquin, quoniam in locum Iudae proditoris Apostolum Matthiam legimus ordinatum, Paulus, qui plus aliis laboravit, ubi ad iudicandum sedeat non habebit.* Unde *duodenario numero significata est universa iudicantium multitudo, propter duas partes septenarii, scilicet tria et quatuor, quae in se ductae faciunt duodenarium:* duodenarius autem est numerus perfectionis. Vel propter hoc quod consistit in duplici senario, qui est numerus perfectus *. Vel quia, ad litteram, duodecim Apostolis loquebatur, in quorum persona hoc omnibus eorum sectatoribus promittebat *.

Ad secundum dicendum quod virginitas et martyrium non ita disponunt ad retinendum in corde decreta divinae iustitiae sicut paupertas: sicut e contrario exteriores divitiae ex sua sollicitudine *suffocant verbum Dei*, sicut dicitur Luc. VIII *.

Vel dicendum quod paupertas non solum sufficit ad meritum iudiciariae potestatis: sed quia est prima pars perfectionis, cui respondet iudiciaria potestas. Unde inter ea quae sequuntur ad paupertatem, ad perfectionem spectantia, possunt computari et virginitas et martyrium et omnia perfectionis opera. Non tamen sunt ita principalia sicut paupertas: quia principium est maxima pars rei.

Ad tertium dicendum quod ille qui legem proposuit aut exhortatus est ad bonum, iudicabit causaliter loquendo: quia per comparationem ad verba ab ipso proposita alii iudicabuntur *. Et ideo non respondet proprie potestas iudiciaria praedicationi vel doctrinae.

Vel dicendum, secundum quosdam, quod tria requiruntur ad iudiciariam potestatem: primo, abdicatio temporalium curarum, ne impediatur animus a sapientiae perfectione; secundo, requiritur habitus continens divinam iustitiam scitam et observatam; tertio, quod illam iustitiam alios docuerint. Et sic doctrina erit complens meritum iudiciariae potestatis.

Ad quartum dicendum quod Christus in hoc quod iniuste iudicatus est, *seipsum humiliavit* * (*oblatus est* enim *quia voluit* *), et meritum humilitatis est iudiciaria exaltatio, qua ei omnia subduntur, ut dicitur *Philip.* III *. Et ideo magis debetur iudiciaria potestas illis qui voluntarie se humiliant bona temporalia abiiciendo, propter quae homines a mundanis honorantur, quam his qui ab aliis humiliantnr.

Ad quintum dicendum quod inferior non potest iudicare superiorem auctoritate propria: sed tamen auctoritate superioris potest, sicut patet in iudicibus delegatis. Et ideo non est inconveniens si hoc, quasi accidentale praemium, pauperibus detur, ut iudicent alios etiam qui sunt excellentioris meriti respectu praemii essentialis.

* Matth. cap. XXIII, vers. 12; Luc. cap. XIV, vers. 11; cap. XVIII, vers. 14.
* Art. praeced.
* Aristot. *Ethic.* lib. III, cap. III, n. 12. - S. Th. lect. VIII.
* Matth. cap. V, vers. 3; Luc. cap. VI, vers. 20.
* Matth. cap. XIX, vers. 27, 28.
* Cap. V.
* Cf. s. Bonav. IV *Sent.*, dist. XLVII, art. 1, qu. 1.
* Cf. ibid.
* Vers. 14. - Cf. Matth. cap. XIII, vers. 22; Marc. cap. IV, vers. 19.
* Cf. art. praec.
* *Ad Philipp.*, cap. II, vers. 8.
* Isai. cap. LIII, vers. 7.
* Vers. 21. - Cf. I *ad Cor.*, cap. XV, vers. 26, 27; *ad Philipp.*, cap. II, vers. 9; *ad Heb.*, cap. II, vers. 8.

ART. III. UTRUM ANGELI DEBEANT IUDICARE

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod angeli debeant iudicare. Matth. XXV *: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes angeli cum eo.* Sed loquitur de adventu ad iudicium. Ergo videtur quod angeli etiam iudicabunt.

2. Praeterea, angelorum ordines nomina sortiuntur ex officio quod exercent *. Sed quidam ordo angelorum est ordo Thronorum: quod videtur pertinere ad iudiciariam potestatem *; *thronus* enim est sedes iudicis, *solium* regis, *cathedra* doctoris *. Ergo aliqui angeli iudicabunt.

3. Praeterea, sanctis post hanc vitam promittitur angelorum aequalitas, Matth. XXII *. Si ergo homines hanc habebunt potestatem ut iudicent, multo fortius et angeli.

Sed contra, Ioan. V *: *Potestatem dedit ei iudicium facere quia Filius hominis est.* Sed angeli non communicant in humana natura. Ergo nec in iudiciaria potestate.

2. Praeterea, non est eiusdem iudicare et esse iudicis ministrum. Sed angeli erunt in iudicio illo ut ministri: ut dicitur Matth. XIII *: *Mittet Filius hominis angelos, et colligent de regno eius omnia scandala.* Ergo angeli non iudicabunt.

Respondeo dicendum quod assessores iudicis debent iudici esse conformes. Iudicium autem Filio attribuitur quia secundum humanam naturam omnibus apparebit, tam bonis quam malis: quamvis tota Trinitas iudicet per auctoritatem. Et ideo etiam oportet ut assessores iudicis humanam naturam habeant, in qua possint ab omnibus, bonis et malis, videri. Et sic angelis non competit iudicare. – Quamvis angeli etiam aliquo modo possint dici iudicare, scilicet per sententiae approbationem *.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut ex Glossa * ibidem patet, angeli cum Christo venient non ut iudices, sed *ut sint testes humanorum actuum, sub quorum custodia homines bene vel male egerunt.*

Ad secundum dicendum quod nomen *Throni* attribuitur angelis ratione illius iudicii quod Deus semper exercet, omnia iustissime gubernando, cuius iudicii angeli sunt quodammodo executores et promulgatores. Sed iudicium quod de hominibus per hominem Christum fiet, etiam requirit homines assessores.

Ad tertium dicendum quod hominibus promittitur angelorum aequalitas quantum ad praemium essentiale. Nihil tamen prohibet aliquod praemium accidentale exhiberi hominibus quod angelis non dabitur: ut patet de aureola virginum aut martyrum. Et similiter potest dici de iudiciaria potestate.

* Vers. 31.
* Greg. Homil. *in Evang.* XXXIV, num. 8.
* Ibid., num. 10.
* Cf. Isidor. *Etymol.*, lib. VII, cap. V; lib. XX, cap. XI.
* Vers. 30; Marc. cap. XII, vers. 25; Luc. cap. XX, vers. 36.
* Vers. 27.
* Vers. 41.
* Cf. art. 1.
* Ord.

ART. IV. UTRUM POST DIEM IUDICII DAEMONES EXECUTURI SINT SENTENTIAM IUDICIS IN DAMNATIS

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod post diem iudicii daemones non exequantur sententiam Iudicis in damnatis. Quia secundum Apostolum, I *Cor.* XV *, tunc *evacuabit omnem principatum et potestatem et virtutem.* Ergo *cessabit omnis praelatio* *. Sed exequi iudicis sententiam quandam denotat praelationem. Ergo daemones post diem iudicii non exequentur sententiam iudicis.

2. Praeterea, daemones magis peccaverunt quam homines. Ergo non est iustum quod homines per daemones torqueantur.

3. Praeterea, sicut daemones suggerunt hominibus mala, ita angeli suggerunt bona. Sed praemiare bonos non erit officium angelorum, sed hoc erit ab ipso Deo immediate. Ergo nec punire malos erit officium daemonum.

Sed contra est quod homines peccatores se diabolo subdiderunt peccando. Ergo iustum est ut ei subiiciantur in poenis, quasi ab eo puniendi *.

Respondeo dicendum quod circa hoc tangitur a Magistro in littera * duplex opinio: et utraque videtur Dei iustitiae competere. Ex hoc enim quod homo peccat, iuste daemoni subiicitur; sed daemon iniuste ei praeest. Opinio ergo illa quae ponit daemones in futurum, post diem iudicii, hominibus non praeesse in poenis, respicit ordinem divinae iustitiae ex parte daemonum punientium. Contraria vero opinio respicit ordinem divinae iustitiae ex parte hominum punitorum.

Quae autem earum verior sit, certum nobis esse non potest. Verius tamen aestimo quod, sicut ordo servabitur in salvatis quod quidam a quibusdam illuminabuntur et perficientur *, eo quod ordines caelestis hierarchiae perpetui erunt; ita servabitur ordo in poenis, ut homines per

* Vers. 24.
* Gloss. Ord. Lomb.; dist. XLVII, cap. *Et solet quaeri.*
* Cf. II Pet., cap. II, vers. 19.
* Dist. XLVII, cap. *Et solet quaeri.*
* Part. I, qu. CVIII, art. 7, ad 2.

daemones puniantur; ne totaliter divinus ordo, quo angelos medios inter naturam humanam et divinam constituit, annulletur. Et ideo, sicut hominibus per angelos divinae illuminationes deferuntur *, ita etiam daemones sunt executores divinae iustitiae in malos. Nec ob hoc minuitur aliquid de daemonum poena. Quia in hoc etiam quod alios torquent, ipsi torquebuntur: ibi enim miserorum societas miseriam non minuet, sed augebit.

* Ibid., ad 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod praelatio illa quae dicitur evacuanda per Christum in futuro, est accipienda secundum modum praelationis quae est secundum statum huius mundi, in quo et homines hominibus principantur, et angeli hominibus, et angeli angelis, et daemones daemonibus, et daemones hominibus, et hoc totum ad perducendum ad finem vel abducendum a fine. Tunc autem, cum omnia ad finem suum pervenerint, non erit praelatio abducens a fine vel adducens ad finem, sed conservans in fine boni vel mali.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quamvis meritum daemonum non requirat quod hominibus praeferantur, quia iniuste sibi homines subiecerunt; tamen hoc requirit ordo naturae ipsorum ad naturam humanam. Bona enim naturalia in eis *integra* manent, ut Dionysius dicit, IV *de Divinis Nominibus* *.

* S. Th. lect. XIX.

AD TERTIUM DICENDUM quod angeli boni non sunt causa principalis praemii electis: quia hoc omnes immediate a Deo percipient. Sed tamen quorundam accidentalium praemiorum angeli hominibus sunt causa: inquantum per superiores angelos inferiores et angeli et homines illuminantur de aliquibus secretis divinorum quae ad substantiam beatitudinis non pertinent. Et similiter etiam principalem poenam damnati percipient immediate a Deo, scilicet exclusionem perpetuam a visione Dei: alias autem poenas sensibiles non est inconveniens hominibus per daemones infligi.

In hoc tamen est differentia, quia meritum exaltat, sed peccatum deprimit. Unde, cum natura angelica sit altior quam humana, quidam propter excellentiam meriti in tantum exaltabuntur quod talis exaltatio excedet altitudinem naturae et praemii in quibusdam angelis. Unde quidam angeli per quosdam homines illuminabuntur. Sed nulli homines peccatores, propter aliquem gradum malitiae, pervenient ad illam eminentiam quae debetur naturae daemonum.

ART. V. UTRUM OMNES HOMINES IN IUDICIO COMPARITURI SINT

IV *Sent.*, dist. XLIII, art. 1, qu^a 2, ad 1; *Compend. Theol.*, cap. CCXLIII; *In Matth.*, cap. XXV; II *ad Cor.*, cap. V, lect. II.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non omnes homines in iudicio compareant. Quia dicitur Matth. XIX *: *Sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel.* Sed non omnes homines pertinent ad illas duodecim tribus. Ergo videtur quod non omnes homines compareant.

* Vers. 28.

2. PRAETEREA, idem videtur per hoc quod dicitur in Psalmo *: *Non resurgent impii in iudicio.* Sed multi sunt tales. Ergo in iudicio non comparebunt.

* Ps. I, vers. 5.

3. PRAETEREA, ad hoc aliquis ad iudicium ducitur ut eius merita discuntiantur. Sed quidam sunt qui nulla merita habuerunt: sicut pueri ante perfectam aetatem decedentes. Ergo illos in iudicio comparere non est necesse.

SED CONTRA EST quod dicitur *Act.* X *, quod *Christus est constitutus a Deo iudex vivorum et mortuorum.* Sed sub istis differentiis comprehenduntur omnes homines, qualitercumque vivi a mortuis distinguantur *. Ergo omnes homines in iudicio comparebunt.

* Vers. 42.
* Cf. qu. LXXVIII, art. 1.

2. PRAETEREA, *Apoc.* I * dicitur: *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus.* Hoc autem non esset si non omnes homines in iudicio comparerent. Ergo, etc.

* Vers. 7.

RESPONDEO DICENDUM quod potestas iudiciaria Christo homini collata est in praemium humilitatis quam in passione exhibuit *. Ipse autem sua passione sanguinem pro omnibus fudit quantum ad sufficientiam, licet non in omnibus effectum habuit, propter impedimentum in aliquibus inventum. Et ideo congruum est ut omnes homines in iudicio congregentur ad videndum eius exaltationem in humana natura, secundum quam *constitutus est iudex a Deo vivorum et mortuorum* *.

* Cf. art. 2, ad 4.
* Cf. arg. *Sed contra* 1.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut dicit Augustinus, XX *de Civ. Dei* *: *Non, quia dictum est, « Iudicantes duodecim tribus Israel », tribus Levi, quae tertiadecima est, iudicanda non erit: aut solum illum populum, non etiam gentes ceteras iudicabunt.* Ideo autem per duodecim tribus omnes aliae gentes significatae sunt, quia per Christum in sortem duodecim tribuum omnes gentes sunt vocatae.

* Cap. v.

AD SECUNDUM DICENDUM quod hoc quod dicitur, *Non resurgent impii in iudicio*, si referatur ad omnes peccatores, sic intelligendum est quod non resurgent ad hoc quod iudicent. Si autem impii dicantur *infideles*, sic intelligendum est quod non resurgent ad hoc quod iudicentur, quia *iam iudicati sunt* *. Sed omnes resurgent ut in iudicio compareant ad gloriam iudicis intuendam.

* Ioan. cap. III, vers. 18.

AD TERTIUM DICENDUM quod etiam pueri ante perfectam aetatem decedentes in iudicio comparebunt: non autem ut iudicentur, sed ut videant gloriam iudicis.

ART. VI. UTRUM BONI IN IUDICIO IUDICANDI SINT

Compend. Theol., cap. CCXLIII; *In Psalm.* I; *In Matth.*, cap. XXV; II *ad Cor.*, cap. V, lect. II; *Ad Heb.*, cap. X, lect. III.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod nulli boni in iudicio iudicentur. Quia Ioan. III * dicitur: *Qui credit in eum, non iudicatur.* Sed omnes boni crediderunt in eum. Ergo non iudicabuntur.

* Vers. 18.

2. PRAETEREA, illi non sunt beati quibus est incerta sua beatitudo: ex quo Augustinus probat * daemones numquam fuisse beatos. Sed sancti homines nunc sunt beati. Ergo certi sunt de sua beatitudine. Sed quod certum est, non adducitur ad iudicium. Ergo boni non iudicabuntur.

* *De Gen. ad litt.* lib. XI, cap. XVII.

3. PRAETEREA, timor beatitudini repugnat. Sed extremum iudicium, quod *tremendum* maxime dicitur, non poterit fieri sine timore eorum qui sunt iudicandi. Unde etiam Gregorius dicit *, super illud *Iob* XLI **, *Cum sublatus fuerit timebunt angeli: Consideremus quomodo tunc iniquorum conscientia concutitur, quando etiam iustorum vita turbatur.* Ergo beati non iudicabuntur.

* *Moral.* lib. XXXIV, cap. VII; in vet. IV.
** Vers. 16.

SED CONTRA, videtur quod omnes boni iudicentur. Quia dicitur II *Cor.* V *: *Omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum.* Sed nihil est aliud iudicari. Ergo omnes iudicabuntur.

* Vers. 10. - Cf. *ad Rom.* cap. XIV, vers. 10.

2. PRAETEREA, *universale* omnia comprehendit. Sed illud iudicium dicitur *universale.* Ergo omnes iudicabuntur.

RESPONDEO DICENDUM quod ad iudicium duo pertinent: scilicet discussio meritorum; et retributio praemiorum. Quantum ergo ad receptionem praemiorum, omnes iudicabuntur, etiam boni: in eo quod unusquisque recipiet ex divina sententia praemium merito respondens.

Sed discussio meritorum non fit nisi ubi est quaedam meritorum commixtio bonorum cum malis. Illi autem *qui aedificant supra fundamentum fidei aurum et argentum et lapides pretiosos* *, divinis servitiis totaliter insistentes, qui nullam admixtionem notabilem alicuius mali meriti habent, in eis discussio meritorum locum non habet: sicut illi qui, rebus mundi penitus abiectis, *sollicite cogitant solum quae Dei sunt* *. Et ideo salvabuntur, sed non iudicabuntur. – Illi vero qui *aedificant super fundamentum fidei ligna, foenum, stipulam* *, qui adhuc scilicet amant secularia et *terrenis negotiis implicantur* *, ita tamen quod nihil Christo praeponant, sed studeant *peccata eleemosynis expiare* *, habent quidem commixtionem bonorum meritorum cum malis, et ideo discussio meritorum in eis locum habet. Unde tales, quantum ad hoc, et iudicabuntur, et tamen salvabuntur.

* I *ad Cor.*, cap. vers. 12.
* Ibid., cap. VII, vers. 32.
* Ibid., cap. III, vers. 12.
* II *ad Tim.*, cap. II, vers. 4.
* Dan. cap. IV, vers. 24.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quia punitio est effectus iustitiae, praemiatio autem misericordiae, ideo magis iudicio, quod est actus iustitiae antonomasice *, punitio attribuitur: ut interdum iudicium pro ipsa condemnatione accipiatur. Et sic intelligitur auctoritas inducta, ut per Glossam * ibidem patet.

* Cf. II^am II^ae, qu. LX, art. 1.
* Ord. Ang. et Interlin. super vers. 17.

AD SECUNDUM DICENDUM quod discussio meritorum in

electis non erit ad tollendum certitudinem beatitudinis a cordibus ipsorum iudicandorum: sed ut praeeminentia bonorum meritorum ad mala ostendatur omnibus manifeste, et sic Dei iustitia comprobetur.

Ad tertium dicendum quod Gregorius loquitur de iustis in carne mortali existentibus. Unde supra * praemiserat: *Hi qui in corporibus reperiri potuerint, quamvis iam fortes atque perfecti, adhuc, quia in carne sunt positi, non possunt in tanti terroris turbine nulla formidine concuti.* Unde patet quod terror ille referendus est ad tempus immediate iudicium praecedens, tremendum quidem maxime malis, non autem bonis, quibus nulla erit mali suspicio.

* Loc. cit. in arg.

Rationes autem quae sunt ad oppositum, procedunt de iudicio quantum ad retributionem praemiorum.

ART. VII. UTRUM MALI IUDICANDI SINT

IV *Sent.*, dist. XLIII, art. 1, qu^a 2, ad 1; *Compend. Theol.*, cap. CCXLIII; *In Psalm.* 1; *In Matth.*, cap. XXV; I *ad Cor.*, cap. V, lect. III; II *ad Cor.*, cap. V, lect. II; *Ad Heb.*, cap. X, lect. III.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod nulli mali iudicabuntur. Sicut enim est certa infidelium damnatio, ita et eorum qui in mortali decedunt. Sed propter damnationis certitudinem dicitur Ioan. III *: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Ergo eadem ratione nec alii peccatores iudicabuntur.

* Vers. 18.

2. Praeterea, vox iudicis est valde terribilis eis qui per iudicium condemnantur. Sed, sicut in littera * ex verbis Gregorii * habetur, ad infideles allocutio iudicis non fiet. Si ergo fieret ad fideles damnandos, infideles de sua infidelitate commodum reportarent. Quod est absurdum.

* Dist. XLVII, cap. *Erunt autem.*
* *Moral.* lib. XXVI, cap. XXVII, aliter XX; in vet. XXIV.

Sed contra, videtur quod omnes mali sint iudicandi. Quia omnibus malis infligetur poena secundum quantitatem culpae. Sed hoc sine definitione iudicii esse non potest. Ergo omnes mali iudicabuntur.

Respondeo dicendum quod iudicium quod est poenarum retributio pro peccatis *, omnibus malis competit: iudicium autem quod est discussio meritorum, solum fidelibus. Quia infidelibus non est fidei fundamentum: quo sublato, omnia opera sequentia perfecta rectitudine intentionis carent. Unde non est in eis aliqua permixtio bonorum meritorum ad mala, quae discussionem requirant. Sed fideles, in quibus manet fidei fundamentum, ad minus fidei actum laudabilem habent: quamvis non sit meritorius sine caritate. Tamen, quantum est de se, est ordinatus ad meritum. Et ideo in eis iudicium discussionis locum habet. Unde ipsi fideles, qui fuerunt saltem numero cives Civitatis Dei, iudicabuntur ut cives, in quos sine discussione meritorum sententia mortis non fertur. Sed infideles condemnabuntur ut hostes, qui consueverunt apud homines absque meritorum audientia exterminari.

* Cf. art. praec.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis eis qui in mortali decedunt, pro certo constet de eorum damnatione; quia tamen aliqua quae pertinent ad bene merendum habent annexa, oportet, ad manifestationem divinae iustitiae, ut discussio de eorum meritis fiat, per quam ostendatur eos iuste a sanctorum civitate excludi, cuius esse cives numero exterius videbantur.

Ad secundum dicendum quod allocutio illa, spiritualiter intellecta, secundum hoc non erit aspera fidelibus condemnandis, quod in eis aliqua sibi placentia manifestabit, quae in infidelibus inveniri non possunt, quia *sine fide impossibile est Deo placere, Heb.* XI *. Sed sententia condemnationis, quae in omnes fertur, omnibus terribilis erit.

* Vers. 6.

Ratio vero in contrarium adducta procedebat de iudicio retributionis.

ART. VIII. UTRUM ANGELI IN FUTURO IUDICANDI SINT

Part. III, qu. LIX, art. 6; I *ad Cor.*, cap. VI, lect. I.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod angeli in futuro iudicentur. Quia dicitur I *Cor.* VI *: *Nescitis quoniam angelos iudicabimus?* Sed hoc non potest referri ad statum praesentis temporis. Ergo referri debet ad futurum iudicium.

* Vers. 3.

2. Praeterea, *Iob.* XL * dicitur de Behemoth, per quem diabolus intelligitur: *Cunctis videntibus praecipitabitur.* Et Marc. I *, exclamavit daemon ad Christum: *Venisti ante tempus perdere nos?* Et Glossa * dicit ibidem quod *daemones, in terra Dominum cernentes, se continuo iudicandos esse credebant.* Ergo videtur quod eis finale iudicium reservatur.

* Vers. 28.
* Vers. 24; Matth. cap. VIII, vers. 29; Luc. cap. IV, vers. 34.
* Ord. Bedae, in Marc.

3. Praeterea, II Pet. II * dicitur: *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reservari.* Ergo videtur quod angeli iudicabuntur.

* Vers. 4.

Sed contra, Deus *non iudicat bis in idipsum* *. Sed mali angeli iam iudicati sunt: unde Ioan. XVI *, *Princeps mundi iam iudicatus est.* Ergo in futuro angeli non iudicabuntur.

* Nahum cap. I, vers. 9. - Iuxta LXX Interpret.
* Vers. 11.

2. Praeterea, perfectior est bonitas vel malitia angelorum quam aliquorum hominum in statu viae. Sed quidam homines boni et mali non iudicabuntur *. Ergo nec angeli boni vel mali iudicabuntur.

* Cf. dist. XLVII, cap. *Erunt autem.*

Respondeo dicendum quod iudicium discussionis * nullo modo habet locum neque in bonis angelis neque in malis: quia neque in bonis potest aliquid mali inveniri, neque in malis aliquid boni ad iudicium pertinens.

* Cf. art. 6, 7.

Sed si loquamur de iudicio retributionis, sic est distinguenda duplex retributio. Una respondens propriis meritis angelorum. Et haec a principio fuit utrisque facta, dum quidam ad beatitudinem sublimati sunt, quidam vero in miseriam demersi. – Alia retributio est quae respondet meritis bonis vel malis per angelos procuratis. Et haec retributio in futuro iudicio fiet: quia boni angeli amplius gaudium habebunt de salute eorum quos ad meritum induxerunt; et mali amplius torquebuntur multiplicata malorum ruina, qui per eos ad mala sunt incitati.

Unde, directe loquendo, iudicium nec ex parte iudicantium neque ex parte iudicandorum erit angelorum, sed hominum. Sed indirecte quodammodo respiciet angelos, inquantum actibus hominum fuerunt commixti.

Ad primum ergo dicendum quod illud verbum Apostoli est intelligendum de iudicio comparationis *: quia quidam homines quibusdam angelis superiores invenientur.

* Art. 1.

Ad secundum dicendum quod ipsi daemones *cunctis videntibus praecipitabuntur,* quia in perpetuum in inferni carcerem detrudentur, ut iam non sit eis liberum egredi extra. Quia hoc eis non concedebatur nisi secundum quod ordinabatur ex divina providentia ad hominum vitam exercendam.

Et similiter dicendum est ad tertium.

QUAESTIO NONAGESIMA

DE FORMA IUDICIS VENIENTIS AD IUDICIUM

Deinde considerandum est de forma iudicis venientis ad iudicium *.

* Cf. qu. LXXXVII, Introd.

Circa quod quaeruntur tria.

Primo: utrum Christus in forma humanitatis sit iudicaturus.

Secundo: utrum apparebit in forma humanitatis gloriosa.

Tertio: utrum divinitas possit sine gaudio videri.

ART. I. UTRUM CHRISTUS IN FORMA SERVI SIT IUDICATURUS

Part. III, qu. LIX, art. 2; IV *Cont. Gent.*, cap. XCVI; *Compend. Theol.*, cap. CCXLI; *In Symb. Apost.*, cap. VII; *Quodl.* X, qu. I, art. 2; *In Matth.*, cap. XXV; *In Ioan.*, cap. V, lect. IV, V.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christus in forma servi non sit iudicaturus. Iudicium enim auctoritatem requirit in iudicante. Sed auctoritas super vivos et mortuos est in Christo secundum quod est Deus: sic enim est Dominus et Creator omnium. Ergo in forma divinitatis iudicabit.

2. Praeterea, in iudice requiritur potestas invincibilis: unde *Eccli.* VII *: *Noli quaerere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Sed virtus invincibilis convenit Christo secundum quod est Deus. Ergo in forma divinitatis iudicabit.

* Vers. 6.

3. Praeterea, Ioan. V * dicitur: *Pater omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem.* Sed honor aequalis non debetur Patri et Filio secundum humanam naturam. Ergo non iudicabit secundum formam humanam.

* Vers. 22, 23

4. Praeterea, Dan. vii * dicitur: *Aspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus Dierum sedit.* Throni autem iudiciariam potestatem designant *; antiquitas autem de Deo dicitur ratione aeternitatis, ut Dionysius dicit, in libro *de Div. Nom.* * Ergo iudicare convenit Filio prout est aeternus. Non ergo secundum quod homo.

* Vers. 9.
* Cf. qu. lxxxix, art. 3, arg. 2.
* Cap. x. - S. Th. lect. ii.

5. Praeterea, Augustinus dicit *, et habetur in littera **, quod *per Dei Verbum fit animarum resurrectio, per Verbum factum in carne Filium hominis fit corporum resurrectio.* Sed iudicium illud finale pertinet magis ad animam quam ad carnem. Ergo magis convenit iudicare Christo secundum quod est Deus, quam secundum quod est homo.

* *In Ioan. Evang.* tract. XIX, n. 15.
** Dist. xlviii, cap. *Et sicut dicitur.*

Sed contra, Ioan. v * dicitur: *Potestatem dedit ei iudicium facere quia Filius hominis est.*

* Vers. 27.

2. Praeterea, *Iob* xxxvi * dicitur: *Causa tua quasi impii iudicata est:* Glossa, *a Pilato. Ideo iudicium causamque recipies:* Glossa, *ut iuste iudices.* Sed Christus secundum humanam naturam est iudicatus a Pilato. Ergo secundum humanam naturam iudicabit.

* Vers. 17.

3. Praeterea, eius est iudicare cuius est legem condere. Sed Christus in humana natura apparens nobis legem Evangelii dedit. Ergo et secundum eandem naturam iudicabit.

Respondeo dicendum quod iudicium aliquod dominium in iudicando requirit: unde *Rom.* xiv *, *Tu quis es, qui iudicas alienum servum?* Et ideo secundum hoc Christo competit iudicare quod dominium super homines habet, de quibus principaliter erit finale iudicium. Ipse autem est noster Dominus non solum ratione creationis, quia *Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos et non ipsi nos* *: sed etiam ratione redemptionis, quod ei competit secundum humanam naturam; unde *Rom.* xiv *: *In hoc Christus mortuus est et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominetur.* Ad praemium autem vitae aeternae nobis creationis bona non sufficerent, nisi redemptionis beneficium adderetur, propter impedimentum quod naturae creatae supervenit ex peccato primi parentis. Unde, cum finale iudicium ad hoc ordinetur ut aliqui admittantur ad Regnum et aliqui excludantur a Regno, conveniens est ut ipse Christus secundum humanam naturam, cuius redemptionis beneficio ad Regnum admittimur, illi iudicio praesideat. Et hoc est quod dicitur *Act.* x *, quod *ipse constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum.* Et quia per redemptionem humani generis non solum homines reparavit, sed universaliter totam creaturam, secundum quod tota creatura reparato homine melioratur, ut habetur *Coloss.* i *, *Pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris sive quae in caelis sunt;* ideo non solum super homines, sed super universam creaturam Christus per suam passionem dominium promeruit et potestatem iudiciariam: Matth. ult. *, *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.*

* Vers. 4.
* Ps. xcix, vers. 3.
* Vers. 9.
* Vers. 42.
* Vers. 20.
* Vers. 18.

Ad primum ergo dicendum quod in Christo secundum divinam naturam est auctoritas dominii respectu universalis creaturae ex iure creationis. Sed in Christo secundum humanam naturam est auctoritas dominii quam promeruit per passionem: et est quasi auctoritas secundaria et acquisita. Sed prima est naturalis et aeterna.

Ad secundum dicendum quod, quamvis Christus secundum quod homo non habeat a se invincibilem potestatem ex naturali virtute humanae speciei, tamen ex dono divinitatis etiam in humana natura invincibilem habet potestatem, secundum quod *omnia sunt subiecta pedibus eius,* ut dicitur I *Cor.* xv * et *Heb.* ii **. Et ideo iudicabit quidem in humana natura, sed ex divinitatis virtute.

* Vers. 26.
** Vers. 8. - Cf. Ps. viii, vers. 8.

Ad tertium dicendum quod Christus non suffecisset ad humani generis redemptionem si purus homo fuisset. Et ideo ex hoc ipso quod secundum humanam naturam genus humanum redimere potuit, ac per hoc iudiciariam potestatem consecutus est, manifeste ostenditur quod ipse est Deus, et ita aequaliter honorandus cum Patre, non inquantum homo, sed inquantum Deus.

Ad quartum dicendum quod in illa visione Danielis manifeste totus exprimitur ordo iudiciariae potestatis. Quae quidem sicut in prima origine est in ipso Deo, et specialius in Patre, qui est fons totius deitatis. Et ideo primo praemittitur quod *Antiquus Dierum sedit.* Sed a Patre iudiciaria potestas traducta est in Filium, non solum ab aeterno secundum divinam naturam, sed etiam in tempore secundum humanam, in qua eam meruit. Et ideo subiungitur * in visione praedicta: *Ecce, cum nubibus caeli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum Dierum pervenit: et dedit ei potestatem et honorem et regnum.*

* Vers. 13, 14.

Ad quintum dicendum quod Augustinus loquitur per appropriationem quandam: ut videlicet reducat effectus quos Christus in humana natura fecit, ad causas aliquo modo consimiles. Et quia secundum animam sumus *ad imaginem et similitudinem Dei* *, secundum carnem autem sumus eiusdem speciei cum homine Christo, ideo ea quae in animabus nostris Christus fecit, divinitati attribuit; quae vero in carne fecit vel facturus est, attribuit carni eius. Quamvis caro eius, inquantum est *divinitatis organum,* ut dicit Damascenus *, habeat etiam effectum in animabus nostris: secundum id quod dicitur *Heb.* ix *, quod *sanguis eius emundavit conscientias nostras ab operibus mortuis.* Et sic etiam *Verbum caro factum* est causa resurrectionis animarum. Unde etiam secundum humanam naturam convenienter est iudex non solum corporalium, sed etiam spiritualium bonorum.

* *Gen.* cap. i, vers. 26, 27.
* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. xv.
* Vers. 14.

ART. II. Utrum Christus in iudicio appariturus sit in forma humanitatis gloriosa

Compend. Theol., cap. ccxli.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus in iudicio non apparebit in forma humanitatis gloriosa. Ioan. xix *: *Videbunt in quem transfixerunt:* Glossa **, *Quia in ea carne venturus est in qua crucifixus est.* Sed crucifixus est in forma infirma. Ergo in forma infirmitatis apparebit, non in forma gloriosa.

* Vers. 37.
** Interlin.

2. Praeterea, Matth. xxiv * dicitur quod *apparebit signum Filii hominis in caelo*, idest signum crucis. Et Chrysostomus dicit * quod *veniet in iudicio Christus, non solum vulnerum cicatrices, sed etiam ipsam mortem exprobratissimam ostendens.* Ergo videtur quod non apparebit in forma gloriosa.

* Vers. 30
* Homil. LXXVI, al. LXXVII, *in Matth.*

3. Praeterea, secundum hanc formam Christus in iudicio apparebit quae ab omnibus conspici possit. Sed Christus secundum formam humanitatis gloriosam non poterit videri ab omnibus bonis et malis: quia oculus non glorificatus non videtur esse proportionatus ad videndam claritatem gloriosi corporis. Ergo non apparebit in forma gloriosa.

4. Praeterea, illud quod promittitur iustis in praemium, non conceditur iniustis. Sed videre gloriam humanitatis promittitur iustis in praemium: Ioan. x *, *Ingredietur et egredietur et pascua inveniet,* idest, *refectionem in divinitate et humanitate,* ut Augustinus * exponit. Et Isaiae xxxiii **: *Regem in decore suo videbunt.* Ergo in iudicio non apparebit omnibus in forma gloriosa.

* Vers. 9.
* *De Spirit. et Anim.*, cap. ix. - Inter Opp. Aug.
** Vers. 17.

5. Praeterea, secundum illam formam Christus iudicabit in qua iudicatus est. Unde super illud Ioan. v *, *Sic et Filius quos vult glorificat,* dicit Glossa *: *In qua forma iniuste iudicatus est, iuste iudicabit, ut possit ab impiis videri.* Sed iudicatus est in forma infirmitatis. Ergo et in eadem in iudicio apparebit.

* Vers. 21.
* Ord. Aug.

Sed contra est quod dicitur Luc. xxi *: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate.* Maiestas autem et potestas ad gloriam pertinent. Ergo in forma gloriosa apparebit.

* Vers. 27.

2. Praeterea, ille qui iudicat, debet eminere illis qui iudicantur. Sed electi, qui iudicabuntur a Christo, corpora gloriosa habebunt. Ergo multo fortius iudex in forma gloriosa apparebit.

3. Praeterea, sicut iudicari est infirmitatis, ita iudicare est auctoritatis et gloriae. Sed in primo adventu, quo Christus venit ad hoc quod iudicaretur, in forma infirmitatis apparuit. Ergo in secundo adventu, in quo veniet ad hoc quod iudicet, apparebit manifeste in forma gloriosa.

Respondeo dicendum quod Christus dicitur *Dei et hominum mediator* * inquantum pro hominibus satisfecit et interpellat apud Patrem; et ea quae sunt Patris hominibus

* I *ad Tim.* cap. ii, vers. 5.

communicat, secundum quod dicitur Ioan. XVII *, *Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis.* Secundum hoc autem utrumque convenit ei quod cum utroque communicat extremorum: inquantum enim cum hominibus communicat, vices hominum gerit apud Patrem; inquantum vero cum Patre communicat, dona Patris transmittit ad homines. Quia ergo in primo adventu ad hoc venit ut pro nobis satisfaceret apud Patrem, in forma nostrae infirmitatis apparuit. Quia vero in secundo adventu ad hoc veniet ut iustitiam Patris in homines exequatur, gloriam demonstrare debebit quae inest ei ex communione ad Patrem. Et ideo in forma gloriosa apparebit.

* Vers. 22.

Ad primum ergo dicendum quod in eadem carne apparebit, sed non similiter se habente.

Ad secundum dicendum quod signum crucis apparebit in iudicio, non ad indicium tunc existentis infirmitatis, sed praeteritae: ut per hoc iustior eorum condemnatio appareat qui tantam misericordiam neglexerunt, et eorum praecipue qui Christum iniuste persecuti sunt. Cicatrices autem quae in eius corpore apparebunt, non pertinebunt ad aliquam infirmitatem, sed erunt indicia maximae virtutis qua Christus per passionis infirmitatem de hostibus triumphavit. Exprobratissimam etiam mortem ostendet, non sensibiliter eam oculis ingerens, ac si tunc eam pateretur: sed ex his quae apparebunt, scilicet indiciis praeteritae passionis, homines in recogitationem praeteritae mortis adducet.

Ad tertium dicendum quod corpus gloriosum habet in potestate sua ut se demonstret vel non demonstret oculo non glorioso: ut patet ex his quae dicta sunt *. Et ideo in forma gloriosa Christus ab omnibus poterit videri.

* Qu. LXXXV, art. 2, ad 3.

Ad quartum dicendum quod, sicut amici gloria est delectabilis, ita gloria et potestas eius qui odio habetur, maxime contristat. Et ideo, sicut visio gloriae humanitatis Christi erit iustis in praemium, ita inimicis Christi erit in supplicium. Unde Isaiae XXVI *: *Videant et confundantur zelantes populi, et ignis,* scilicet invidiae *, *hostes tuos devoret.*

* Vers. 11.
* Gloss. Interlin.

Ad quintum dicendum quod forma accipitur ibi pro natura humana, in qua iudicatus est et etiam iudicabit: non autem pro qualitate naturae, quae non erit eadem in iudicante, scilicet infirma, quae in iudicato fuit.

ART. III. Utrum divinitas a malis sine gaudio videri possit

Compend. Theol., cap. CLXV.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod divinitas a malis sine gaudio videri possit. Constat enim quod impii manifestissime cognoscent Christum esse Deum. Ergo divinitatem eius videbunt. Et tamen de visione Christi non gaudebunt. Ergo divinitas sine gaudio videri poterit.

2. Praeterea, voluntas impiorum perversa non magis adversatur humanitati Christi quam eius divinitati. Sed hoc quod videbunt gloriam humanitatis, cedet eis in poenam, ut dictum est *. Ergo multo fortius, si divinitatem eius viderent, magis contristarentur quam gauderent.

* Art. praeced., ad 4.

3. Praeterea, ea quae sunt in affectu non de necessitate sequuntur ad ea quae sunt in intellectu: unde Augustinus dicit *: *Praecedit intellectus, et sequitur tardus aut nullus affectus.* Sed visio ad intellectum pertinet, gaudium autem ad affectum. Ergo poterit esse divinitatis visio sine gaudio.

* *In Psalm.* CXVIII, serm. VIII, n. 4.

4. Praeterea, *omne quod recipitur in aliquo, recipitur per modum recipientis* *, et non per modum recepti. Sed omne quod videtur, quodammodo in vidente recipitur. Ergo, quamvis in se divinitas sit delectabilissima, tamen visa ab illis qui sunt tristitia absorpti, non delectabit, sed magis contristabit.

* *De Causis*, prop. XII. - Inter Opp. Aristot.

5. Praeterea, sicut se habet sensus ad sensibile, ita intellectus ad intelligibile. Sed ita est in sensibus quod *palato non sano poena est panis, qui sano est suavis,* ut dicit Augustinus *: et similiter accidit in aliis sensibus. Ergo, cum damnati habeant intellectum indispositum, videtur quod visio lucis increatae magis afferat eis poenam quam gaudium.

* *Confess.* lib. VII, cap. XVI.

Sed contra est quod dicitur Ioan. XVII *: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, verum Deum;* ex quo patet quod essentia beatitudinis in Dei visione consistit. Sed de ratione beatitudinis est gaudium. Ergo divinitas sine gaudio videri non poterit.

* Vers. 3.

2. Praeterea, ipsa essentia divinitatis est essentia veritatis. Sed unicuique est delectabile videre verum: nam *omnes homines natura scire desiderant,* ut dicitur in principio *Metaphys.* * Ergo divinitas sine gaudio videri non potest.

* S. Th. lect. I.

3. Praeterea, si aliqua visio non semper est delectabilis, contingit eam quandoque esse tristabilem. Sed visio intellectiva nunquam est contristabilis: quia *delectationi quae est in intelligendo non opponitur aliqua tristitia,* ut dicit Philosophus *. Cum ergo divinitas videri non possit nisi per intellectum, videtur quod divinitas sine gaudio videri non possit.

* *Topic.* lib. I, cap. XIII, n. 5. - Cf. *Ethic.* lib. X, cap. III, n. 7, S. Th. lect. III; Nemes. *de Nat. Hom.* cap. XVIII, al. lib. IV, cap. X.

Respondeo dicendum quod in quolibet appetibili vel delectabili duo possunt considerari: scilicet id quod appetitur, vel quod est delectabile; et id quod est ratio appetibilitatis vel delectabilitatis in ipso. Sicut autem, secundum Boetium, in libro *de Hebdomadibus* *, *id quod est habere aliquid praeterquam quod ipsum est, potest; ipsum vero esse nihil aliud praeter se habet admixtum:* ita id quod est appetibile vel delectabile potest habere aliquid aliud admixtum unde non sit delectabile vel appetibile; sed id quod est ratio delectabilitatis nihil habet admixtum, vel habere potest, propter quod non sit delectabilis vel appetibilis. Res igitur quae sunt delectabiles per participationem bonitatis, quae est ratio appetibilitatis et delectabilitatis, possunt apprehensae non delectare: sed id quod per essentiam suam est bonitas, impossibile est quod eius essentia apprehensa non delectet. Unde, cum Deus essentialiter sit ipsa bonitas, non potest sine gaudio videri.

* Al. *An omne quod est sit onum.* - S. h. Prooem.

Ad primum ergo dicendum quod impii manifeste cognoscent Christum esse Deum, non per hoc quod divinitatem eius videant, sed propter manifestissima divinitatis indicia.

Ad secundum dicendum quod divinitatem secundum quod est in se, nullus potest odio habere: sicut nec aliquis potest odio habere ipsam bonitatem. Sed quantum ad aliquos divinitatis effectus dicitur ab aliquibus odio haberi: inquantum scilicet aliquid agit vel praecipit quod est contrarium voluntati. Et ideo visio divinitatis nulli potest esse non delectabilis.

Ad tertium dicendum quod verbum Augustini est intelligendum quando id quod apprehenditur per intellectum praecedentem est bonum per participationem et non per essentiam, sicut sunt omnes creaturae: unde potest in eis esse aliquid quare affectus non moveatur. Similiter etiam in via Deus cognoscitur per effectus, et intellectus non attingit ad ipsam essentiam bonitatis eius. Unde non oportet quod affectus intellectum sequatur, sicut sequeretur si essentiam eius videret, quae est ipsa bonitas.

Ad quartum dicendum quod tristitia non nominat dispositionem, sed magis passionem. Omnis autem passio a contraria causa fortiori superveniente tollitur, et non eam tollit. Et ita tristitia damnatorum tolleretur si Deum per essentiam viderent.

Ad quintum dicendum quod per indispositionem organi tollitur proportio naturalis ipsius organi ad obiectum quod natum est delectare: et propter hoc delectatio impeditur. Sed indispositio quae est in damnatis non tollit naturalem proportionem qua sunt ordinati ad divinam bonitatem: cum imago semper in eis maneat. Et ideo non est simile.

QUAESTIO NONAGESIMAPRIMA

DE QUALITATE MUNDI ET RESURGENTIUM POST IUDICIUM

Consequenter agendum est de qualitate mundi et resurgentium post iudicium *. Ubi triplex consideratio occurrit: prima, de statu et qualitate mundi; secunda, de statu beatorum *; tertia, de statu malorum **.

* Cf. qu. LXXXVII, Introd.
* Qu. XCII.
** Qu. XCVII.

Circa primum quaeruntur quinque.

Primo: utrum innovatio mundi sit futura.

Secundo: utrum motus corporum caelestium cessabit.

Tertio: utrum corpora caelestia tunc magis fulgeant.

Quarto: utrum elementa maiorem claritatem recipient.

Quinto: utrum animalia et plantae remanebunt.

ART. I. UTRUM MUNDUS INNOVANDUS SIT

Supra, qu. LXXIV, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. XCVII; *Compend. Theol.*, cap. CLXIX.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod mundus nunquam innovabitur. Nihil enim est futurum nisi quod aliquando fuerit secundum speciem: *Eccle.* I *, *Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est.* Sed nunquam mundus aliam dispositionem habuit quam nunc habet, quantum ad partes essentiales et ad genera et ad species. Ergo nunquam innovabitur.

* Vers. 9.

2. PRAETEREA, innovatio alteratio quaedam est. Sed impossibile est universum alterari: quia omne alteratum reducitur ad aliquid alterans non alteratum quod tamen secundum locum movetur; quod non est extra universum ponere. Ergo non potest esse quod mundus innovetur.

3. PRAETEREA, *Gen.* II * dicitur quod *Deus die septimo requievit ab omni opere quod patrarat:* et exponunt Sancti quod requievit a novis creaturis condendis *. Sed in illa prima conditione non fuit alius modus rebus impositus quam ipse quem nunc naturali ordine tenent. Ergo nunquam alium habebunt.

* Vers. 2.
* Cf. gloss. Ord. Bed. et Aug.

4. PRAETEREA, ista rerum dispositio quae nunc inest rebus, naturalis est. Si ergo in aliam dispositionem transmutentur, illa dispositio erit eis innaturalis. Sed illud quod est innaturale et per accidens, non potest esse perpetuum: ut patet in I *Caeli et Mundi* *. Ergo etiam illa dispositio novitatis quandoque ab ipsis removebitur. Et ita erit ponere circulationem quandam in mundo, sicut Empedocles * et Origenes * posuerunt: ut post hunc mundum sit iterum mundus alius, et post illum iterum alius.

* Cap. II, n. 12; s. Th. lect. IV. - Cf. lib. II, cap. III, n. 2; s. Th. lect. IV.
* Apud Aristot. *Physic.* lib. VIII, cap. 1, n. 2. - S. Th. lect. I.
* *Peri Archon*, lib. II, cap. III.

5. PRAETEREA, novitas gloriae in praemium rationali creaturae datur. Sed ubi non est meritum, non potest esse praemium. Cum ergo creaturae insensibiles nil meruerint, videtur quod non innovabuntur.

SED CONTRA EST quod habetur Isaiae LXV *: *Ecce, ego creo novos caelos et terram novam, et non erunt in memoria priora.* Et *Apoc.* XXI *: *Vidi caelum novum et terram novam: primum enim caelum et prima terra abiit.*

* Vers. 17.
* Vers. 1.

2. PRAETEREA, habitatio debet habitatori congruere. Sed mundus factus est ut sit habitatio hominis. Sed homo innovabitur. Ergo et mundus innovabitur.

3. PRAETEREA, *omne animal diligit sibi simile*, *Eccli.* XIII *: ex quo patet quod similitudo est ratio amoris. Sed homo habet aliquam similitudinem cum universo: unde *minor mundus* dicitur *. Ergo homo universum diligit naturaliter. Ergo et eius bonum concupiscit. Et ita, ut satisfiat hominis desiderio, debet etiam universum meliorari.

* Vers. 19.
* Arist. *Physic.* lib. VIII, cap. II, n. 2. - S. Th. lect. IV.

RESPONDEO DICENDUM quod omnia corporalia propter hominem facta esse creduntur: unde et omnia dicuntur ei *subiecta* *. Serviunt autem homini dupliciter: uno modo, ad sustentationem corporalis vitae; alio modo, ad profectum cognitionis divinae, inquantum homo *per ea quae facta sunt invisibilia Dei conspicit*, ut dicitur *Rom.* I *. Primo ergo ministerio creaturarum homo glorificatus nullo modo indigebit: cum eius corpus omnino incorruptibile sit futurum, divina virtute id faciente per animam *, quam immediate glorificat.

* Ps. VIII, vers. 8.
* Vers. 20.
* Cf. Aug. Ep. CXVIII, al. LVI, *ad Diosc.*, cap. III.

Secundo etiam ministerio non indigebit homo quantum ad cognitionem intellectivam: quia tali cognitione Deum sancti videbunt immediate per essentiam *. Sed ad hanc visionem essentiae oculus carnis attingere non poterit *. Et ideo, ut ei etiam solatium sibi congruens de visione divinitatis praebeatur, inspiciet divinitatem in suis effectibus corporalibus, in quibus manifesta indicia divinae maiestatis apparebunt: et praecipue in carne Christi, et post hoc in corporibus beatorum, et deinceps in omnibus aliis corporibus. Et ideo oportebit ut etiam alia corpora maiorem influentiam a divina bonitate suscipiant: non tamen speciem variantem, sed addentem cuiusdam gloriae perfectionem. Et haec erit mundi innovatio. Unde simul mundus innovabitur et homo glorificabitur.

* Part. I, qu. XII, art. 1.
* Ibid., art. 3.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Salomon ibi loquitur de cursu naturalium. Quod patet ex hoc quod subditur *, *Nihil sub sole novum.* Cum enim sol circulariter moveatur, oportet ea quae solis virtuti subsunt, circulationem aliquam habere, quae consistit in hoc quod illa quae priora fuerunt, iterum redeunt *specie eadem, numero diversa:* ut dicitur in fine libri *de Generat.* * Ea vero quae ad statum gloriae pertinent soli non subsunt.

* Vers. 10.
* Lib. II, cap. XI. n. 9. - Contin. Comment. s. Th. lect. XII.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illa ratio procedit de alteratione naturali, quae habet agens naturale, quod ex necessitate naturae agit: non enim potest tale agens variam dispositionem inducere nisi ipsum alio et alio modo se habeat. Sed ea quae divinitus fiunt, procedunt ex libertate voluntatis. Unde sine aliqua immutatione Dei volentis potest nunc haec nunc illa dispositio ab ipso in universo existere. Et sic ista innovatio non reducitur in aliquod principium motum, sed in principium immobile, scilicet Deum.

AD TERTIUM DICENDUM quod pro tanto dicitur Deus die septimo a novis creaturis condendis cessasse, quia nihil postea factum est quod prius non praecesserit in aliqua similitudine secundum genus vel speciem, vel ad minus sicut in principio seminali, vel etiam sicut in potentia obedientiali. Dico ergo quod novitas mundi futura praecessit quidem in operibus sex dierum in quadam remota similitudine, scilicet in gloria et in gratia angelorum. Praecessit etiam in potentia obedientiae, quae creaturae tunc est indita ad talem novitatem suscipiendam a Deo agente.

AD QUARTUM DICENDUM quod illa dispositio novitatis non erit naturalis, nec contra naturam: sed erit supra naturam, sicut gratia et gloria sunt supra animae naturam. Et erit a perpetuo agente, quod eam perpetuo conservabit.

AD QUINTUM DICENDUM quod, quamvis corpora insensibilia non meruerint illam gloriam, proprie loquendo; homo tamen meruit ut illa gloria toti universo conferretur, inquantum hoc cedit in augmentum gloriae hominis; sicut aliquis homo meretur ut ornatioribus vestibus induatur, quem tamen ornatum ipsa vestis nullo modo meretur.

ART. II. UTRUM MOTUS CORPORUM CAELESTIUM IN ILLA MUNDI INNOVATIONE CESSATURUS SIT

Supra, qu. LXXIV, art. 4; IV *Sent.*, dist. XLIII, art. 3, qu^a 1; IV *Cont. Gent.*, cap. XCVII; *De Pot.*, qu. V, art. 5; *Compend. Theol.*, cap. CLXXI; *In Ioan.*, cap. VI, lect. V; *Ad Heb.*, cap. I, lect. V.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod motus corporum caelestium in illa mundi innovatione non cessabit. Quia *Genes.* VIII * dicitur: *Cunctis diebus terrae frigus et aestus, aestas et hiems, nox et dies, non requiescent.* Sed nox et dies, et hiems et aestas, efficiuntur per motum solis. Ergo nunquam motus solis cessabit.

* Vers. 22.

2. PRAETEREA, Ierem. XXXI * dicitur: *Haec dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunae et stellarum in lumine noctis, qui turbat mare et sonant fluctus eius: Si steterint leges istae coram me, tunc et semen Israel nunquam deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus.* Sed semen Israel nunquam deficiet, sed in perpetuum permanebit. Ergo leges diei et noctis et fluctuum maris, quae ex motu caeli causantur, in perpetuum erunt. Ergo motus caeli nunquam cessabit.

* Vers. 35, 36.

3. PRAETEREA, substantia corporum caelestium semper erit. Sed frustra est ponere aliquid nisi ponatur illud propter quod est factum *. Corpora autem caelestia ad hoc sunt facta *ut dividant diem et noctem, et sint in signa et tempora, dies et annos*, *Genes.* I *: quod non possunt facere nisi per motum. Ergo motus eorum semper manebit: alias frustra illa corpora remanerent.

* Cf. Arist. *Physic.* lib. II, cap. VI, n. 6. - S. Th. lect. X.
* Vers. 14.

4. PRAETEREA, in illa mundi innovatione totus mundus meliorabitur. Ergo nulli corpori remanenti auferetur quod est de sui perfectione. Sed motus est de perfectione corporis caelestis: quia, ut dicitur in II *de Caelo et Mundo* *, illa corpora participant divinam bonitatem per motum. Ergo motus caeli non cessabit.

* Cap. XII, n. 5. - S. Th. lect. XVIII.

5. PRAETEREA, sol successive illuminat diversas partes mundi secundum quod circulariter movetur. Si ergo motus circularis caeli cesset, sequetur quod in aliqua superficie terrae erit perpetua obscuritas. Quod non convenit illi novitati.

6. PRAETEREA, si motus caeli cessaret, hoc non esset nisi inquantum motus aliquam imperfectionem in caelo ponit, utpote lassitudinis vel laboris. Quod non potest esse:

cum motus ille sit naturalis, et caelestia corpora sint impassibilia; unde in suo motu non fatigantur, ut dicitur in II *Caeli et Mundi* *. Ergo motus caeli nunquam cessabit.

* Cap. 1, n. 3 sqq. - S. Th. lect. 1.

7. Praeterea, *frustra est potentia quae non reducitur in actum* *. Sed in quocumque situ ponatur corpus caeli, est in potentia ad alium situm. Ergo, nisi reduceretur in actum, illa potentia frustra remaneret, et semper esset imperfecta. Sed non potest reduci in actum nisi per motum localem. Ergo semper movebitur.

* *Sentent. ex Aristot.* - Inter Opp. Bedae.

8. Praeterea, illud quod se habet indifferenter ad plura, aut utrumque attribuetur ei, aut nullum. Sed sol indifferenter se habet ad hoc quod sit in oriente vel occidente: alias motus eius non esset uniformis per totum, quia ad locum ubi naturalius esset, velocius moveretur. Ergo vel neuter situs attribuetur soli, vel uterque. Sed nec uterque nec neuter potest ei attribui nisi successive: oportet enim, si quiescit, quod in aliquo situ quiescat. Ergo corpus solis in perpetuum movebitur. Et eadem ratione omnia alia corpora caelestia.

9. Praeterea, motus caeli est causa temporis. Si ergo motus caeli deficiat, oportet tempus deficere. Quod si deficeret, oportet quod deficeret in instanti. Definitio autem instantis est, in VIII *Physic.* *, quod est *initium futuri et finis praeteriti.* Et sic post ultimum instans temporis esset tempus. Quod est impossibile. Ergo motus caeli nunquam cessabit.

* Cap. 1, n. 11. - S. Th. lect. 11.

10. Praeterea, gloria non tollit naturam. Sed motus caeli est ei naturalis. Ergo per gloriam ei non tollitur.

Sed contra est quod dicitur *Apoc.* x *, quod angelus qui apparuit *iuravit per viventem in saecula quia tempus amplius non erit:* scilicet postquam septimus angelus tuba cecinerit *, qua canente *mortui resurgent,* ut dicitur I *Cor.* xv *. Sed, si non est tempus, non est motus caeli. Ergo motus caeli cessabit.

* Vers. 6. — * Vers. 7. — * Vers. 52.

2. Praeterea, Isaiae lx *: *Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur.* Sed occasus solis et diminutio lunae ex motu caeli causatur. Ergo motus caeli quandoque cessabit.

* Vers. 20.

3. Praeterea, ut probatur in II *de Generat.* *, motus caeli est propter continuam generationem in istis inferioribus. Sed generatio cessabit completo numero electorum. Ergo motus caeli cessabit.

* Cap. x, n. 2 sqq. - Contin. Comment. s. Th. lect. x.

4. Praeterea, omnis motus est propter aliquem finem, ut dicitur in II *Metaphys.* * Sed omnis motus qui est propter finem, habito fine quiescet. Ergo vel motus caeli nunquam consequetur finem suum, et sic esset frustra *: vel aliquando quiescet.

* Cf. lect. iv. - Did. lib. 1α, cap. ii, n. 9. — * Cf. arg. 3.

5. Praeterea, quies est nobilior quam motus: quia secundum hoc quod res sunt immobiles, Deo assimilantur, in quo est summa immobilitas. Sed corporum inferiorum motus terminatur naturaliter ad quietem. Ergo, cum corpora caelestia sint multo nobiliora, eorum motus naturaliter ad quietem terminabitur.

Respondeo dicendum quod circa istam quaestionem est triplex positio. Prima est philosophorum, qui dicunt quod motus caeli semper durabit *. Sed hoc non est consonum fidei nostrae, quae ponit certum numerum electorum praefinitum a Deo *; et sic oportet quod generatio non in perpetuum duret; et, eadem ratione, nec alia quae ad generationem hominum ordinantur, sicut est motus caeli et variationes elementorum.

* Aristot. *Physic.* lib. VIII, capp. 1, ii; s. Th. lect. 1 sqq.; II *Caeli*, cap. 1, s. Th. lect. 1. - Emped. et Pythag.; cf. qu. lxxvii, art. 1. — * Cf. Part. I, qu. xxiii, art. 7.

Alii vero dicunt quod motus caeli cessabit secundum naturam. – Sed hoc etiam est falsum. Quia omne corpus quod naturaliter quiescit et naturaliter movetur, habet locum in quo naturaliter quiescit, ad quem naturaliter movetur, et a quo non recedit nisi per violentiam. Nullus autem talis locus potest assignari corpori caelesti: quia non est magis naturalis soli accessus ad punctum orientis quam recessus ab eo. Unde vel motus eius non esset naturalis totaliter; vel motus eius non terminaretur naturaliter ad quietem.

Unde dicendum est, secundum alios *, quod motus caeli cessabit in illa mundi innovatione, non quidem ex aliqua naturali causa, sed divina voluntate faciente. Corpus enim illud sicut et alia in ministerium hominis dupliciter facta sunt, ut prius * dictum est. Altero autem horum ministeriorum homo post statum gloriae non indigebit, scilicet secundum quod corpora ei deserviunt ad sustentationem corporalis vitae. Hoc autem modo servit ei corpus caeleste per motum: inquantum per motum caeli multiplicatur genus humanum; et generantur plantae et animalia, quae usui hominum sunt necessaria; et etiam temperies in aere efficitur, conservans sanitatem. Unde, homine glorificato, motus caeli cessabit.

* S. Bonav. IV *Sent.*, dist. xlviii, art. 2, qu. 2. — * Art. praeced.

Ad primum ergo dicendum quod verba illa intelliguntur de terra secundum statum istum, in quo potest esse principium generationis et corruptionis plantarum. Quod patet ex hoc quod ibi dicitur, *Cunctis diebus terrae sementis et messis.* Et hoc simpliciter concedendum est, quod, quandiu terra erit sementibus et messibus apta, motus caeli non cessabit.

Et similiter dicendum est ad secundum, quod Dominus loquitur ibi de duratione seminis Israel secundum praesentem statum. Quod patet ex hoc quod dicit, *et semen Israel deficiet ut non sit gens coram me cunctis diebus:* vicissitudo enim dierum post illum statum non erit. Et ideo etiam leges de quibus fecerat mentionem, post istum statum non erunt.

Ad tertium dicendum quod finis qui ibi assignatur corporibus caelestibus, est finis proximus: quia est proprius eorum actus. Sed iste actus ulterius ordinatur ad alium finem, scilicet ad ministerium humanum: ut patet per id quod habetur *Deut.* iv *: *Ne forte, oculis elevatis ad caelum, videas solem et lunam et omnia astra caeli, et, errore deceptus, adores ea, quae creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quae sub caelo sunt.* Et ideo magis debet sumi iudicium de corporibus caelestibus secundum ministerium hominum quam secundum finem in *Genesi* assignatum. Corpora autem caelestia per alium modum in ministerium hominis glorificati cedent, sicut prius * dictum est. Et ideo non sequitur quod frustra remaneant.

* Vers. 19. — * Art. praeced.

Ad quartum dicendum quod motus non est de perfectione corporis caelestis nisi inquantum per hoc est causa generationis in istis inferioribus; et secundum hoc etiam motus ille facit corpus caeleste participare divinam bonitatem per quandam similitudinem causalitatis. Non autem motus est de perfectione substantiae caeli, quae remanebit. Et ideo non sequitur quod, motu cessante, aliquid de perfectione caeli tollatur secundum quod remanebit.

Ad quintum dicendum quod omnia corpora elementorum habebunt in semetipsis quandam gloriae claritatem *. Unde, quamvis aliqua superficies terrae non illuminetur a sole, nullo tamen modo remanebit ibi obscuritas.

* Cf. art. 4.

Ad sextum dicendum quod *Rom.* viii, super illud *, *Omnis creatura ingemiscit* etc., dicit Glossa Ambrosii * expresse quod *omnia elementa cum labore explent sua officia: sicut sol et luna non sine labore statuta sibi implent spatia. Quod est causa nostri. Unde quiescent, nobis assumptis.* – Labor autem ille, ut credo, non significat aliquam fatigationem vel passionem illis corporibus accidentem ex motu: cum motus ille sit naturalis, nihil habens de violentia adiunctum, ut probatur in I *Caeli et Mundi* *. Sed labor ibi intelligitur defectus ab eo ad quod aliquid tendit. Unde, quia motus ille ordinatus est ex divina providentia ad complendum numerum electorum, illo incompleto, nondum assequitur illud ad quod ordinatus est: et ideo similitudinarie dicitur *laborare,* sicut homo qui non habet quod intendit. Et hic etiam defectus a caelo tolletur, impleto numero electorum.

* Vers. 22. — * Lomb. ex Comment. inter Opp. Ambr. — * Cap. ii, n. 12, s. Th. lect. iv; lib. ii, cap. 1, n. 3 sqq., s. Th. lect. 1.

Vel potest etiam referri ad desiderium futurae innovationis, quam ex divina dispositione expectat *.

* Cf. Comment. s. Th. in *Rom.* cap. viii, lect. iv.

Ad septimum dicendum quod in corpore caelesti non est aliqua potentia quae perficiatur per locum, vel quae facta sit propter hunc finem qui est esse in tali loco. Sed hoc modo se habet potentia ab *ubi* in corpore caelesti, sicut se habet potentia artificis ad hoc quod faciat diversas domus unius modi: quarum si unam faciat, non dicitur frustra potentiam habere. Et similiter, in quocumque situ ponatur corpus caeleste, potentia quae est in ipso ad *ubi* non remanebit incompleta nec frustra.

Ad octavum dicendum quod, quamvis corpus caeleste secundum suam naturam aequaliter se habeat ad omnem situm qui est ei possibilis, tamen, si comparetur ad ea quae sunt extra ipsum, non aequaliter se habet ad omnes situs, sed secundum unum situm nobilius disponitur respectu quorundam quam secundum alium: sicut quoad nos nobilius disponitur sol in die quam in nocte. Et ideo probabile est, cum tota innovatio mundi ad hominem ordinetur, quod caelum habeat in illa novitate nobilissimum situm qui est possibilis in respectu ad nostram habitabilem.

Vel, secundum quosdam, caelum quiescet in illo situ in quo factum fuit: alias aliqua revolutio caeli remaneret incompleta. – Sed ista ratio non videtur conveniens. Quia, cum aliqua revolutio sit in caelo quae non finitur nisi in triginta sex millibus annorum *, sequeretur quod tandiu mundus deberet durare. Quod non videtur probabile. – Et praeterea, secundum hoc posset sciri quando mundus finiri deberet. Probabiliter enim colligitur ab astrologis in quo situ corpora caelestia sunt facta, considerato numero annorum qui computantur ab initio mundi. Et eodem modo posset sciri certus annorum numerus in quo ad dispositionem similem reverteretur. Tempus autem finis mundi ponitur esse ignotum *.

* Cf. II *de Caelo*, s. Th. lect. xvii.

* Cf. qu. lxxvii, art. 2; qu. lxxxviii, art. 3.

Ad nonum dicendum quod tempus quandoque deficiet, motu caeli deficiente, nec illud *nunc* ultimum erit principium futuri. Dicta enim definitio non datur de *nunc* nisi secundum quod est continuans partes temporis: non secundum quod est terminans totum tempus.

Ad decimum dicendum quod motus caeli non dicitur naturalis quasi sit pars naturae, eo modo quo principia naturae naturalia dicuntur. Nec iterum hoc modo quod habeat principium activum in natura corporis, sed receptivum tantum: principium autem activum eius est in substantia spirituali, ut dicit Commentator, in principio *Caeli et Mundi* *. Et ideo non est inconveniens si per novitatem gloriae motus ille tollatur: non enim, eo ablato, natura corporis caelestis variabitur.

* Comment. v.

Alias rationes concedimus: scilicet duas primas quae sunt ad oppositum, quia debito modo concludunt. Sed quia aliae duae videntur concludere quod motus caeli naturaliter cesset, ideo respondendum est ad eas.

Ad primam * ergo earum dicendum quod motus cessat eo habito propter quod est, si illud sequatur motum, et non concomitetur ipsum. Illud autem propter quod est motus caelestis secundum philosophos, concomitatur motum: scilicet imitatio divinae bonitatis in causalitate quam habet super inferiora. Et ideo non oportet quod naturaliter motus ille cesset.

* Arg. *Sed contra* 4.

Ad secundam rationem * dicendum quod, quamvis immobilitas sit simpliciter nobilior quam motus, tamen motus in eo quod potest per motum consequi aliquam perfectam participationem divinae bonitatis, est nobilior quam quies in illo quod nullo modo per motum posset illam perfectionem consequi. Et ratione hac terra, quae est infimum corporum, est sine motu: quamvis ipse Deus, qui est nobilissimus rerum, sine motu sit, a quo corpora nobiliora moventur. Et inde est etiam quod motus corporum superiorum possent poni secundum viam naturae perpetui, nec unquam ad quietem terminari, quamvis motus inferiorum corporum ad quietem terminetur.

* Arg. *Sed contra* 5.

ART. III. Utrum in corporibus caelestibus claritas augenda sit in illa innovatione

Resp. ad XLII artic., art. xxxvi; *Resp. ad XXXVI artic.*, art. xxvii; *Ad Heb.*, cap. xii, lect. v.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod in corporibus caelestibus claritas non augeatur in illa innovatione. Innovatio enim in corporibus superioribus erit per ignem purgantem. Sed ignis purgans nunquam pertingit ad corpora caelestia *. Ergo corpora caelestia non innovabuntur per maioris claritatis perceptionem.

* Qu. lxxiv, art. 4.

2. Praeterea, sicut corpora caelestia per motum sunt causa generationis in istis inferioribus, ita et per lucem. Sed, cessante generatione, cessabit motus, ut dictum est *. Ergo similiter cessabit lux caelestium corporum, magis quam augeatur.

* Art. praeced.

3. Praeterea, si, innovato homine, corpora caelestia innoventur, oportet quod, eo deteriorato, fiant deteriorata. Sed hoc non videtur probabile: cum illa corpora sint invariabilia quantum ad eorum substantiam. Ergo nec, innovato homine, innovabuntur.

4. Praeterea, si tunc deteriorata fuerit, oportet quod tantum deteriorata fuerit quantum dicuntur esse melioranda in hominis innovatione. Sed dicitur Isaiae xxx * quod tunc *erit lux lunae sicut lux solis.* Ergo et in primo statu ante peccatum luna lucebat quantum nunc lucet sol. Ergo, quandocumque luna erat super terram, faciebat diem, sicut nunc sol. Et hoc manifeste apparet esse falsum per id quod dicitur *Genes.* i *, quod luna facta est *ut praeesset nocti.* Ergo, homine peccante, non sunt caelestia corpora diminuta lumine. Et ita nec eorum lumen augebitur, ut videtur, in hominis glorificatione.

* Vers. 26.

* Vers. 16.

5. Praeterea, claritas corporum caelestium ordinatur ad usum hominum, sicut et aliae creaturae. Sed post resurrectionem claritas solis non cedet in hominis usum: dicitur enim Isaiae lx *: *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te;* et *Apoc.* xxi *: *Civitas illa non eget sole neque luna ut luceant in ea.* Ergo eorum claritas non augebitur.

* Vers. 19.

* Vers. 23.

6. Praeterea, non esset sapiens artifex qui maxima instrumenta faceret ad aliquod modicum artificium construendum. Sed homo est quoddam minimum comparatione caelestium corporum, quae sua ingenti magnitudine quasi incomparabiliter hominis quantitatem excedunt: immo etiam totius terrae, quae se habet ad caelum ut punctus ad sphaeram, ut astrologi dicunt *. Cum ergo Deus sit sapientissimus, non videtur quod finis creationis caeli sit homo. Et ita non videtur quod, eo peccante, caelum deterioratum sit; nec, eo glorificato, melioretur.

* Cf. Aristot. *de Cael. et Mund.*, lib. II, s. Th. lect. x, num. 11. - Ed. Leonin.

Sed contra est quod dicitur Isaiae xxx *: *Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis septempliciter.*

* Vers. 26.

2. Praeterea, totus mundus innovabitur in melius *. Sed caelum est nobilior pars mundi corporalis. Ergo in melius mutabitur. Sed hoc non potest esse nisi maiori claritate resplendeat. Ergo crescet eius claritas.

* Cf. art. 1.

3. Praeterea, *omnis creatura quae ingemiscit et parturit, expectat revelationem gloriae futurae filiorum Dei,* ut dicitur *Rom.* viii *. Sed etiam corpora caelestia sunt huiusmodi, ut ibidem dicit Glossa *. Ergo expectant gloriam sanctorum. Sed non expectarent nisi ex hoc eis aliquid accresceret. Ergo claritas eis per hoc accrescet, qua praecipue decorantur.

* Vers. 19, 22.

* Ord. et Lomb. ex Pseudo-Ambr.

Respondeo dicendum quod ad hoc innovatio mundi ordinatur ut in mundo innovato manifestis indiciis quasi sensibiliter Deus ab homine videatur *. Creatura autem praecipue in Dei cognitionem ducit sua specie et decore, quae manifestant sapientiam facientis et gubernantis: unde dicitur *Sap.* xiii *: *A magnitudine speciei cognoscibiliter poterat videri Creator eorum.* Pulcritudo autem caelestium corporum praecipue consistit in luce: unde *Eccli.* xliii * dicitur: *Species caeli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus.* Et ideo praecipue quantum ad claritatem corpora caelestia meliorabuntur. Quantitas autem et modus meliorationis illi soli cognita est qui erit meliorationis Auctor.

* Cf. art. 1.

* Vers. 5.

* Vers. 10.

Ad primum ergo dicendum quod ignis purgans non causabit innovationis formam, sed disponet tantum ad eam, purgando a foeditate peccati, et ab impuritate commixtionis *, quae in corporibus caelestibus non invenitur. Ideo, quamvis corpora caelestia per ignem non sint purganda, sunt tamen divinitus innovanda.

* Cf. qu. lxxiv, art. 1, 2.

Ad secundum dicendum quod motus non importat aliquam perfectionem in eo quod movetur secundum quod in se consideratur, cum sit *actus imperfecti* *: quamvis possit pertinere ad perfectionem corporis inquantum est causa alicuius. Sed lux pertinet ad perfectionem corporis lucentis etiam in substantia sua considerati. Et ideo, postquam corpus caeleste desinet esse causa generationis, non remanebit motus, sed remanebit claritas eius.

* Aristot. *Physic.* lib. III, cap. ii, n. 4. - S. Th. lect. iii.

Ad tertium dicendum quod super illud Isaiae xxx *, *Erit lux lunae sicut lux solis,* dicit Glossa *: *Omnia*

* Vers. 26.

* Interlin.

propter hominem facta in eius lapsu peiorata sunt, et sol et luna suo lumine minorata. Quae quidem minoratio a quibusdam intelligitur secundum realem minorationem luminis. Nec obstat quod corpora caelestia secundum naturam sunt invariabilia: quia illa variatio facta est a divina virtute.

Alii vero probabilius intelligunt, minorationem illam esse dicentes non secundum realem luminis defectum, sed quoad usum hominis, qui non tantum beneficium ex lumine corporum caelestium post peccatum consecutus est quantum ante fuisset: per quem etiam modum dicitur *Genes.* III *: *Maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi;* quae tamen etiam ante spinas et tribulos germinabat, sed non in hominis poenam.

* Vers. 17, 18.

Nec tamen sequitur, si lux caelestium corporum per essentiam minorata non est homine peccante, quod realiter non sit augenda in eius glorificatione. Quia peccatum hominis non immutavit statum universi: cum etiam homo prius et post animalem vitam habuerit, quae motu et generatione corporalis creaturae indiget. Sed glorificatio hominis statum totius corporalis creaturae immutabit, ut dictum est *. Et ideo non est simile.

* Art. 1.

Ad quartum dicendum quod minoratio illa, ut probabilius aestimatur *, non fuit secundum substantiam, sed secundum effectum. Unde non sequitur quod luna existens super terram diem fecisset: sed quod tantum commodum ex lumine lunae homo habuisset sicut nunc habet ex lumine solis. Sed post resurrectionem, quando lux lunae augebitur secundum rei veritatem, non erit alicubi nox super terram (sed solum in centro terrae, ubi erit infernus *): quia tunc, ut dicitur, luna lucebit quantum lucet nunc sol; sol autem in septuplum quam modo luceat; corpora autem beatorum septies magis sole (quamvis hoc non sit aliqua auctoritate vel ratione probatum).

* Cf. resp. ad 3.
* Cf. infra qu. XCVII, art. 7.

Ad quintum dicendum quod aliquid potest cedere in usum hominis dupliciter. Uno modo, propter necessitatem. Et sic nulla creatura cedet in usum hominis: quia ex Deo plenam sufficientiam habebit. Et hoc significatur in auctoritate *Apocalypsis* inducta, quae dicit quod civitas illa *non eget sole vel luna.* – Alius usus est ad maiorem perfectionem. Et sic homo aliis creaturis utetur: non tamen quasi necessariis ad perveniendum in finem, sicut nunc eis utitur.

Ad sextum dicendum quod ratio illa est Rabbi Moysi, qui omnino improbare nititur mundum propter hominem esse factum *. Unde hoc quod in veteri Testamento de innovatione mundi legitur, sicut patet in auctoritatibus Isaiae inductis *, dicit esse metaphorice dictum **: ut, sicut alicui dicitur obtenebrari sol quando in magnam tristitiam incidit, ut nesciat quid faciat, qui etiam modus loquendi consuetus est in Scriptura *; ita etiam e contrario dicitur ei sol magis lucere et totus mundus innovari quando ex statu tristitiae in maximam exultationem convertitur.

* *Doct. Perplex.* lib. III, cap. XIII.
* Argg. 4, 5; arg. *Sed contra* 1. ** *Doct. Perplex.* lib. II, cap. XXIX.
* Cf. Isai. cap. XIII, vers. 10; Ierem. cap. IV, vers. 23; Ezech. cap. XXXII, vers. 7; Ioel cap. II, vers. 10.

Sed hoc dissonat ab auctoritatibus et expositionibus Sanctorum. Unde rationi illi inductae hoc modo respondendum est, quod, quamvis corpora caelestia maxime excedant corpus hominis, tamen multo plus excedit anima rationalis corpora caelestia quam ipsa excedant corpus humanum. Unde non est inconveniens si corpora caelestia propter hominem esse facta dicantur: non tamen sicut propter principalem finem, quia principalis finis omnium Deus est.

ART. IV. UTRUM ELEMENTA INNOVANDA SINT PER RECEPTIONEM ALICUIUS CLARITATIS

Supra, art. 2, ad 5; *Ad Rom.*, cap. VIII, lect. IV.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod elementa non innovabuntur per receptionem alicuius claritatis. Sicut enim lux est qualitas corporis caelestis propria, ita calidum et frigidum, humidum et siccum, sunt qualitates elementorum. Ergo, sicut caelum innovatur per augmentum claritatis *, ita debent innovari elementa per augmentum qualitatum activarum et passivarum.

* Art. praeced.

2. Praeterea, rarum et densum sunt propriae qualitates elementorum, quas elementa in illa innovatione non amittent *. Sed raritas et densitas elementorum resistere videntur claritati: cum corpus clarum oporteat condensatum esse; unde raritas aeris non videtur quod possit claritatem pati. Et similiter nec densitas terrae, quae pervietatem tollit. Ergo non potest esse quod elementa innoventur per alicuius claritatis additionem.

* Cf. qu. LXXIV, art. 5.

3. Praeterea, constat quod damnati erunt in terra *. Sed ipsi erunt *in tenebris,* non solum interioribus, sed etiam *exterioribus* *. Ergo terra non dotabitur claritate in illa innovatione. Et eadem ratione nec alia elementa.

* Cf. infra qu. XCVII, art. 7.
* Matth. cap. VIII, vers. 12; cap. XXII, vers. 13; cap. XXV, vers. 30.

4. Praeterea, multiplicatio claritatis in elementis multiplicat calorem. Si igitur in illa innovatione erit maior claritas elementorum quam nunc sit, erit etiam per consequens maior caliditas. Et sic videtur quod transmutabuntur a suis naturalibus qualitatibus, quae sunt eis secundum certam mensuram. Quod est absurdum.

5. Praeterea, bonum universi, quod consistit in ordine et harmonia, dignius est quam bonum alicuius naturae singularis *. Sed, si una creatura efficiatur melior, tollitur bonum universi: quia non remanebit eadem harmonia. Ergo, si corpora elementaria, quae secundum gradum suae naturae quem tenent in universo, claritatis debent esse expertia, claritatem recipiant, magis ex hoc deperiet perfectio universi quam accrescet.

* Aristot. *Ethic.*, lib. I, cap. II, n. 8. - S. Th. lect. II.

Sed contra est quod dicitur *Apoc.* XXI *: *Vidi caelum novum et terram novam.* Sed caelum innovabitur per maiorem claritatem. Ergo et terra. Et similiter alia elementa.

* Vers. 1.

2. Praeterea, corpora inferiora fuerunt in usum hominis sicut et superiora. Sed creatura corporalis remunerabitur propter ministerium quod homini exhibuit: ut videtur dicere Glossa * *Rom.* VIII **. Ergo etiam elementa clarificabuntur, sicut et alia corpora caelestia.

* Ord. et Lomb. ex Pseudo-Ambros. ** Vers. 22.

3. Praeterea, corpus hominis est ex elementis compositum. Ergo partes elementorum quae sunt in corpore hominis, glorificato homine, glorificabuntur per receptionem claritatis *. Sed eandem convenit esse dispositionem totius et partis. Ergo et ipsa elementa convenit claritate dotari.

* Qu. LXXXV, art. 1.

Respondeo dicendum quod, sicut est ordo caelestium spirituum ad spiritus terrenos, scilicet humanos, ita etiam est ordo caelestium corporum ad corpora terrestria. Cum autem creatura corporalis sit facta propter spiritualem, et per eam regatur *, oportet similiter disponi corporalia sicut et spiritualia disponuntur. In illa autem ultima rerum consummatione spiritus inferiores accipient proprietates superiorum spirituum: quia homines *erunt sicut angeli in caelis,* sicut dicitur Matth. XXII *. Et hoc erit inquantum ad maximam perfectionem deveniet id secundum quod humanus spiritus cum angelico convenit. Unde etiam similiter, cum corpora inferiora cum caelestibus non communicent nisi in natura lucis et diaphani, ut dicitur in II *de Anima* *, oportet corpora inferiora maxime perfici secundum claritatem. Unde omnia elementa claritate quadam vestientur. Non tamen aequaliter, sed secundum suum modum: terra enim, ut dicitur, erit in superficie exteriori pervia sicut vitrum, aqua sicut crystallus, aer ut caelum, ignis ut luminaria caeli.

* Aug. *de Trin.*, lib. III, cap. IV.
* Vers. 30.
* Cap. VII, n. 2. - S. Th. lect. XIV.

Ad primum ergo dicendum quod innovatio mundi ordinatur ad hoc quod homo etiam sensu in corporibus quodammodo per manifesta indicia divinitatem videat *. Inter sensus autem nostros spiritualior est visus et subtilior. Et ideo quantum ad qualitates visivas, quarum principium est lux, oportet omnia corpora inferiora maxime meliorari. Qualitates autem elementares pertinent ad tactum, qui est maxime materialis: et earum excessus contrarietatis magis est contristativus quam delectativus. Excessus autem lucis erit delectabilis: cum contrarietatem non habeat nisi propter organi debilitatem, quae tunc non erit.

* Art. 1.

Ad secundum dicendum quod aer non erit clarus sicut radios proiiciens, sed sicut diaphanum illuminatum. Terra vero, quamvis ex natura sua opacitatem habeat propter defectum lucis, tamen ex divina virtute in sui superficie gloria claritatis vestietur, sine praeiudicio densitatis ipsius.

Ad tertium dicendum quod in loco inferni non erit terra glorificata per claritatem: sed loco huius gloriae habebit pars illa terrae spiritus rationales hominum et

daemonum, qui, quamvis ratione culpae sint infimi, tamen ex dignitate naturae sunt qualibet qualitate corporali superiores.

Vel dicendum quod, etiam si sit tota terra glorificata, nihilominus reprobi *in tenebris exterioribus* erunt: quia etiam ignis inferni, qui quantum ad aliquid eis lucebit, quantum ad aliud eis lucere non poterit *.

* Cf. qu. xcvii, art. 4.

Ad quartum dicendum quod claritas illa erit in istis corporibus sicut est in corporibus caelestibus, in quibus caliditatem non causat: quia corpora ista tunc inalterabilia erunt, sicut modo sunt caelestia.

Ad quintum dicendum quod non tolletur propter meliorationem elementorum ordo universi. Quia etiam omnes aliae partes meliorabuntur: et sic remanebit eadem harmonia.

ART. V. UTRUM PLANTAE ET ALIA ANIMALIA REMANSURA SINT IN ILLA INNOVATIONE

De Pot., qu. v, art. 9; *Compend. Theol.*, cap. clxx.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod plantae et alia animalia remaneant in illa innovatione. Elementis enim non debet aliquid subtrahi quod ad eorum ornatum pertinet. Sed animalibus et plantis elementa ornari dicuntur *. Ergo non auferentur in illa innovatione.

* Cf. I Part., qu. lxix, art. 2, arg. 1; qu. lxx, art. 1.

2. Praeterea, sicut elementa homini servierunt, ita etiam animalia et plantae et corpora mineralia. Sed elementa propter praedictum ministerium glorificabuntur *. Ergo et animalia et plantae et corpora mineralia glorificabuntur.

* Art. praeced., arg. *Sed contra* 2.

3. Praeterea, universum remanebit imperfectum si aliquid quod est de perfectione eius auferatur. Sed species animalium et plantarum et corporum mineralium sunt de perfectione universi. Cum ergo non debeat dici quod mundus in sua innovatione imperfectus remaneat, videtur quod oporteat dicere plantas et alia animalia remanere.

4. Praeterea, animalia et plantae habent nobiliorem formam quam ipsa elementa. Sed mundus in illa finali innovatione in melius mutabitur. Ergo magis debent remanere animalia et plantae quam elementa: cum sint nobiliora.

5. Praeterea, inconveniens est dicere quod naturalis appetitus frustretur. Sed secundum naturalem appetitum animalia et plantae appetunt esse perpetua, etsi non secundum individuum, saltem secundum speciem: et ad hoc ordinatur eorum generatio continua, ut in II *de Generat.* * dicitur. Ergo inconveniens est dicere quod istae species aliquando deficiant.

* Cap. x, n. 7. - Continuat. Comment. S. Th. lect. x.

Sed contra, si plantae et animalia remanebunt, aut omnia aut quaedam. Si omnia, oportebit etiam animalia bruta quae prius fuerunt mortua, resurgere, sicut et homines resurgent. Quod dici non potest: quia, cum forma eorum in nihilum cedat, non potest eadem numero resumi. – Si autem non omnia, sed quaedam: cum non sit maior ratio de uno quam de alio quod in perpetuum maneat, videtur quod nullum eorum in perpetuum manebit. Sed quidquid remanebit post mundi innovationem, in perpetuum erit, generatione et corruptione cessante. Ergo plantae et animalia penitus post mundi innovationem non erunt.

2. Praeterea, secundum Philosophum, in II *de Generat.* *, in animalibus et plantis et huiusmodi corruptibilibus speciei perpetuitas non conservatur nisi ex continuatione motus caelestis. Sed tunc motus caelestis deficiet. Ergo non poterit perpetuitas in illis speciebus conservari.

* Loc. cit. n. 1.

3. Praeterea, cessante fine, cessare debet id quod est ad finem. Sed animalia et plantae facta sunt ad animalem vitam hominis sustentandam: unde dicitur *Genes.* ix *: *Sicut olera virentia dedi vobis omnem carnem.* Sed post illam innovationem animalis vita in homine non erit. Ergo nec plantae nec animalia remanere debent.

* Vers. 3.

Respondeo dicendum quod, cum innovatio mundi propter hominem fiat, oportet quod innovationi hominis conformetur. Homo autem innovatus de statu corruptionis in incorruptionem transiet et perpetuae quietis: I *Cor.* xv *, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Et ideo mundus hoc modo innovabitur ut, abiecta omni corruptione, perpetuo maneat in quiete. Unde ad illam innovationem nihil ordinari poterit nisi quod habet ordinem ad incorruptionem. Huiusmodi autem sunt corpora caelestia, elementa et homines. Corpora autem caelestia secundum sui naturam incorruptibilia sunt et secundum totum et secundum partes *. Elementa vero sunt corruptibilia quidem secundum partes, sed incorruptibilia secundum totum. Homines vero corrumpuntur et secundum totum et secundum partes: sed hoc ex parte materiae, non ex parte formae, scilicet animae rationalis, quae post corruptionem hominis remanet incorrupta. Animalia vero bruta et plantae et mineralia, et omnia corpora mixta, corrumpuntur et secundum totum et secundum partem, et ex parte materiae, quae formam amittit, et ex parte formae, quae actu non manet. Et sic nullo modo habent ordinem ad incorruptionem. Unde in illa innovatione non manebunt, sed sola ea quae dicta sunt.

* Vers. 53.

* Cf. I Part., qu. lxvi, art. 2.

Ad primum ergo dicendum quod huiusmodi corpora dicuntur esse ad ornatum elementorum inquantum virtutes activae et passivae generales quae sunt in elementis, ad speciales actiones contrahuntur. Et ideo sunt ad ornatum elementorum in statu actionis et passionis. Sed hic status in elementis non remanebit. Unde nec animalia nec plantas remanere oportet.

Ad secundum dicendum quod nec animalia nec plantae nec alia corpora in ministrando homini aliquid meruerunt, cum libertate arbitrii careant: sed pro tanto dicuntur quaedam corpora remunerari, quia homo meruit ut illa innovarentur quae ad innovationem ordinem habent. Plantae autem et animalia non habent ordinem ad innovationem incorruptionis. Unde ex hoc homo non meruit ut illa innovarentur: quia nullus potest alteri mereri nisi id cuius est capax, nec etiam sibi ipsi. Unde, etiam dato quod animalia bruta mererentur in ministerio hominis, non tamen essent innovanda.

Ad tertium dicendum quod, sicut perfectio hominis multipliciter assignatur, est enim perfectio naturae conditae et naturae glorificatae, ita etiam perfectio universi est duplex: una secundum statum huius mutabilitatis; altera secundum statum futurae novitatis. Plantae autem et animalia sunt de perfectione eius secundum statum istum: non autem secundum statum novitatis illius, cum ordinem ad eam non habeant.

Ad quartum dicendum quod, quamvis animalia et plantae quantum ad quaedam alia sint nobiliora quam ipsa elementa, tamen quantum ad ordinem incorruptionis elementa sunt nobiliora, ut ex dictis * patet.

* In corpore.

Ad quintum dicendum quod naturalis appetitus ad perpetuitatem quae inest animalibus et plantis, est accipiendus secundum ordinem ad motum caeli, ut scilicet tantum in esse permaneant quantum motus caeli durabit: non enim potest appetitus esse in effectu ut permaneat ultra causam suam. Et ideo si, cessante motu primi mobilis, plantae et animalia non remanent secundum speciem, non sequitur appetitum naturalem frustrari.

QUAESTIO NONAGESIMASECUNDA

DE VISIONE DIVINAE ESSENTIAE PER COMPARATIONEM AD BEATOS

Consequenter considerandum est de his quae spectant ad beatos post iudicium generale *. Et primo, de visione eorum respectu divinae essentiae, in qua eorum beatitudo principaliter consistit; secundo, de eorum beatitudine et eorum mansionibus *; tertio, de modo quo se erga damnatos habebunt *; quarto, de dotibus ipsorum, quae in beatitudine eorum continentur *; quinto, de aureolis, quibus eorum beatitudo perficitur et decoratur *. Circa primum quaeruntur tria.

* Cf. qu. xci, Introd.
* Qu. xciii.
* Qu. xciv.
* Qu. xcv.
* Qu. xcvi.

Primo: utrum sancti videbunt Deum per essentiam.
Secundo: utrum videbunt eum oculo corporali.
Tertio: utrum, videndo eum, videant omnia quae Deus videt.

ART. I. UTRUM INTELLECTUS HUMANUS POSSIT PERVENIRE AD VIDENDUM DEUM PER ESSENTIAM

Part. I, qu. XII, art. 1; Ia IIae, qu. III, art. 8; III *Cont. Gent.*, cap. LI, LIV, LVII; *De Verit.*, qu. VIII, art. 1; *Quodl.* VII, qu. I, art. 1; X, qu. VIII; *Compend. Theol.*, cap. CIV; *In Matth.*, cap. V; *In Ioan.*, cap. I, lect. XI.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod intellectus humanus non possit pervenire ad videndum Deum per essentiam. Quia Ioan. I * dicitur: *Deum nemo vidit unquam.* Et exponit Chrysostomus * quod nec ipsae caelestes essentiae, ipsa dico Cherubim et Seraphim, ipsum ut est nunquam videre potuerunt. Sed hominibus non promittitur nisi aequalitas angelorum: Matth. XXII *, *Erunt sicut angeli Dei in caelo.* Ergo nec sancti in patria Deum per essentiam videbunt.

* Vers. 18.
* Homil. XV, al. XIV, *in Ioan.*
* Vers. 30. - Cf. Luc. cap. XX, vers. 36.

2. PRAETEREA, Dionysius sic argumentatur in 1 cap. *de Div. Nom.* * Cognitio non est nisi existentium. Omne autem existens finitum est: cum sit in aliquo genere determinatum. Et sic Deus, cum infinitus sit, est *super omnia existentia* *. Ergo eius non est cognitio, sed est super cognitionem.

* S. Th. lect. 1.
* Cf. ibid. cap. IV. - S. Th. lect. II.

3. PRAETEREA, Dionysius, in 1 cap. *de Mystica Theologia*, ostendit quod perfectissimus modus quo intellectus noster Deo coniungi potest, est inquantum coniungitur ei ut ignoto. Sed illud quod est visum per essentiam, non est ignotum. Ergo impossibile est quod intellectus noster per essentiam Deum videat.

4. PRAETEREA, Dionysius, in Epistola *ad Caium Monachum* *, dicit quod *superpositae Dei tenebrae,* quas *abundantiam lucis* appellat, *cooperiuntur omni lumini, et absconduntur omni cognitioni: et si aliquis videns Deum intellexit quod vidit, non ipsum vidit, sed aliquid eorum quae sunt eius.* Ergo nullus intellectus creatus poterit Deum per essentiam videre.

* Epist. I.

5. PRAETEREA, sicut Dionysius dicit, in Epistola *ad Hierotheum* *: *Invisibilis quidem Deus est existens propter excedentem claritatem.* Sed claritas eius, sicut excedit intellectum hominis in via, ita excedit intellectum hominis in patria. Ergo, sicut est invisibilis in via, ita erit invisibilis in patria.

* Epist. V.

6. PRAETEREA, cum intelligibile sit perfectio intellectus, oportet esse proportionem aliquam inter intelligibile et intellectum, visibile et visum. Sed non est accipere proportionem aliquam inter intellectum nostrum et essentiam divinam: cum in infinitum distent. Ergo intellectus noster non potest pertingere ad essentiam divinam videndam.

7. PRAETEREA, plus distat Deus ab intellectu nostro quam intelligibile creatum a sensu. Sed sensus nullo modo potest pertingere ad creaturam spiritualem videndam. Ergo nec intellectus noster poterit pertingere ad videndam divinam essentiam.

8. PRAETEREA, quandocumque intellectus intelligit aliquid in actu, oportet quod informetur per similitudinem intellecti, quae est principium intellectualis operationis in tale obiectum determinatae, sicut calor est principium calefactionis. Si ergo intellectus noster Deum intelligat, oportet quod fiat per aliquam similitudinem informantem ipsum intellectum. Hoc autem non potest esse ipsa divina essentia: quia formae et formati oportet esse unum esse; divina autem essentia ab intellectu nostro differt secundum essentiam et esse. Ergo oportet quod forma qua informatur intellectus noster intelligendo Deum, sit aliqua similitudo impressa a Deo in intellectum nostrum. Sed similitudo illa, cum sit quid creatum, non potest ducere in Dei cognitionem nisi sicut effectus in causam. Ergo impossibile est ut intellectus noster Deum videat nisi per effectum ipsius. Sed visio Dei quae est per effectus, non est visio Dei per essentiam. Ergo intellectus noster non poterit Deum per essentiam videre.

9. PRAETEREA, divina essentia magis distat ab intellectu nostro quam quicumque angelus vel intelligentia. Sed, sicut dicit Avicenna, in sua *Metaphysica* *, intelligentiam esse in nostro intellectu non est essentiam intelligentiae esse in intellectu (quia sic scientia quam de intelligentiis habemus, esset substantia et non accidens): sed hoc est impressionem intelligentiae esse in nostro intellectu. Ergo et Deus non est in intellectu nostro, ut intelligatur a nobis, nisi inquantum impressio eius est in intellectu. Sed illa impressio non potest ducere in cognitionem divinae essentiae: quia, cum in infinitum distet a divina essentia, degenerat in aliam speciem; multo amplius quam si species albi degeneraret in speciem nigri. Ergo, sicut ille in cuius visu species albi degenerat in speciem nigri propter indispositionem organi, non dicitur videre album; ita nec intellectus noster, qui solum per huiusmodi impressionem Deum intelligit, eum per essentiam poterit videre.

* Tract. III, cap. VIII.

10. PRAETEREA, *in rebus separatis a materia idem est intelligens et quod intelligitur:* ut patet in III *de Anima* *. Sed Deus est maxime a materia separatus. Cum ergo intellectus qui est creatus, non possit ad hoc pertingere ut fiat essentia increata, non poterit esse quod intellectus noster Deum per essentiam videat.

* Cap. IV, n. 12. - S. Th. lect. IX.

11. PRAETEREA, omne illud quod videtur per essentiam, de eo scitur quid est. Sed de Deo intellectus noster non potest videre *quid est,* sed solum *quid non est:* sicut dicit Dionysius *, et Damascenus **. Ergo intellectus noster Deum per essentiam videre non potest.

* *De Cael. Hier.*, cap. II, § 3.
** *De Fide Orth.* lib. I, cap. IV.

12. PRAETEREA, *omne infinitum, inquantum infinitum, est ignotum* *. Sed Deus est modis omnibus infinitus. Ergo est omnino ignotus. Ergo per essentiam ab intellectu creato videri non poterit.

* Arist. *Physic.* lib. I, cap. 4, n. 4. - S. Th. lect. IX.

13. PRAETEREA, Augustinus dicit, in libro *de Videndo Deo* *: *Deus est natura invisibilis.* Sed ea quae insunt Deo per naturam, non possunt aliter se habere. Ergo non potest esse quod per essentiam videatur.

* Ep. CXLVII, al. CXII, capp. VII, VIII, XV.

14. PRAETEREA, omne quod alio modo est et alio modo videtur, non videtur secundum id quod est. Sed Deus alio modo est, et alio modo videtur a sanctis in patria: est enim per modum suum, sed videbitur a sanctis per modum eorum. Ergo non videbitur a sanctis secundum id quod est. Et sic non videbitur per essentiam.

15. PRAETEREA, illud quod per medium videtur, non videtur per essentiam. Sed Deus in patria videbitur per medium, quod est lumen gloriae: ut patet in Psalmo *, *In lumine tuo videbimus lumen.* Ergo non videbitur per essentiam.

* Ps. XXXV, vers. 10.

16. PRAETEREA, Deus in patria videbitur *facie ad faciem,* ut dicitur I *Cor.* XIII *. Sed hominem quem videmus facie ad faciem, videmus per similitudinem. Ergo Deus in patria videbitur per similitudinem. Et sic non per essentiam.

* Vers. 12.

SED CONTRA EST quod dicitur I *Cor.* XIII *: *Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem.* Sed id quod videtur facie ad faciem, videtur per essentiam. Ergo Deus per essentiam videbitur a sanctis in patria.

* Ibid.

2. PRAETEREA, I Ioan. III *: *Cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est.* Ergo videbimus Deum per essentiam.

* Vers. 2.

3. PRAETEREA, I *Cor.* XV, super illud *, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri,* dicit Glossa *: *Ubi,* scilicet in patria, *essentia Patris et Filii et Spiritus Sancti videbitur: quod solum mundis cordibus dabitur, quae est summa beatitudo.* Ergo beati Deum per essentiam videbunt.

* Vers. 24.
* Ord. et Lomb.

4. PRAETEREA, Ioan. XIV * dicitur: *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Sed illud quod manifestatur, essentialiter videtur. Ergo Deus a sanctis in patria essentialiter videbitur.

* Vers. 21.

5. PRAETEREA, *Exod.* XXXIII, super illud *, *Non videbit me homo et vivet,* Gregorius * improbat opinionem illorum qui dicebant quod *in illa regione beatitudinis Deus in claritate sua conspici potest, sed in natura videri non potest,* quia *aliud non est eius claritas et eius natura.* Sed natura eius est essentia eius. Ergo videbitur per essentiam suam.

* Vers. 20.
* *Moral.* lib. XVIII, cap. LIV, al. XXVIII, in vet. XXXVIII.

6. PRAETEREA, sanctorum desiderium non potest omnino frustrari. Sed sanctorum desiderium commune est ut Deum per essentiam videant: ut patet *Exod.* XXXIII *, *Ostende mihi gloriam tuam;* et in Psalmo *, *Ostende faciem tuam et salvi erimus;* et Ioan. XIV *, *Ostende nobis Patrem et sufficit nobis.* Ergo sancti per essentiam Deum videbunt.

* Vers. 18.
* Ps. LXXIX, vers. 20.
* Vers. 8.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut secundum fidem ponimus finem ultimum humanae vitae esse visionem Dei,

ita philosophi posuerunt ultimam hominis felicitatem esse intelligere substantias a materia separatas secundum esse. Et ideo circa hanc quaestionem eadem difficultas et diversitas invenitur apud philosophos et apud theologos. Quidam enim philosophi posuerunt quod intellectus noster possibilis nunquam potest ad hoc pervenire ut intelligat substantias separatas: sicut Alpharabius in fine suae *Ethicae;* quamvis contrarium dixerit in libro *de Intellectu,* ut Commentator refert, in III *de Anima* *. Et similiter quidam theologi posuerunt quod intellectus humanus nunquam potest ad hoc pervenire ut Deum per essentiam videat. Et utrosque ad hoc movet distantia inter intellectum nostrum et essentiam divinam, vel alias substantias separatas. Cum enim *intellectus in actu* sit quodammodo unum cum *intelligibili in actu* *, videtur difficile quod intellectus creatus aliquo modo fiat essentia increata. Unde Chrysostomus dicit*: *Quomodo creabile videt increabile?* – Et maior difficultas in hoc est illis qui ponunt intellectum possibilem esse generabilem et corruptibilem, utpote virtutem a corpore dependentem, non solum respectu visionis divinae, sed respectu visionis quarumcumque substantiarum separatarum.

* Comm. XXXVI, digress. part. 2.
* Aristot. *de Anima*, lib. III, cap. VIII, n. 1, 2. - S. Th. lect. XIII.
* Homil. XV, al. XIV, *in Ioan.*

Sed haec positio omnino stare non potest. Primo, quia repugnat auctoritati Scripturae canonicae: ut Augustinus dicit, in libro *de Videndo Deo* *. – Secundo quia, cum intelligere sit maxime propria operatio hominis, oportet quod secundum eam assignetur sibi sua beatitudo, cum haec operatio in ipso perfecta fuerit. Cum autem perfectio intelligentis, inquantum huiusmodi, sit ipsum intelligibile; si in perfectissima operatione intellectus homo non perveniat ad videndam essentiam divinam, sed aliquid aliud, oportebit dicere quod aliquid aliud sit beatificans ipsum hominem quam Deus. Et cum ultima perfectio cuiuslibet sit in coniunctione ad suum principium, sequitur ut aliquid aliud sit principium effectivum hominis quam Deus. Quod est absurdum secundum nos. Et similiter est absurdum apud philosophos qui ponunt animas nostras a substantiis separatis emanare ut in fine eas possimus intelligere. Unde oportet ponere secundum nos, quod intellectus noster quandoque perveniat ad videndam essentiam divinam; et secundum philosophos, quod perveniat ad videndam essentiam substantiarum separatarum.

* Ep. CXLVII, al. CXII, cap. v.

Quomodo autem hoc possit accidere, restat investigandum. Quidam enim dixerunt, ut Alpharabius et Avempace *, quod ex hoc ipso quod intellectus noster intelligit quaecumque intelligibilia, pertingit ad videndam essentiam substantiae separatae. Et ad hoc ostendendum procedunt duobus modis. Quorum primus est quod, sicut natura speciei non diversificatur in diversis individuis nisi secundum quod coniungitur principiis individuantibus, ita forma intellecta hominis non diversificatur apud me et te nisi secundum quod coniungitur diversis formis imaginabilibus. Et ideo, quando intellectus separat formam intellectam a formis imaginationis, remanet quidditas intellecta, quae est una et eadem apud diversos intelligentes. Et huiusmodi est quidditas substantiae separatae. Et ideo, quando intellectus noster pervenit ad summam abstractionem quidditatis intelligibilis cuiuscumque, intelligit per hoc quidditatem substantiae separatae quae est ei similis. – Secundus modus est quia intellectus noster natus est abstrahere quidditatem ab omnibus intelligibilibus habentibus quidditatem. Si ergo quidditas quam abstrahit ab hoc singulari habente quidditatem, sit quidditas non habens quidditatem, intelligendo eam intelliget quidditatem substantiae separatae quae est talis dispositionis: eo quod substantiae separatae sunt quidditates subsistentes non habentes quidditates; *quidditas enim simplicis est ipsum simplex,* ut Avicenna dicit *. Si autem quidditas abstracta ab hoc particulari sensibili sit quidditas habens quidditatem, ergo quidditatem illam intellectus natus est abstrahere. Et ita, cum non sit abire in infinitum, erit devenire ad quidditatem non habentem quidditatem, per quam intelligitur quidditas separata.

* Cf. Averr. III *de Anima*, text. XXXVI, digress. part. 3.
* *Metaph.* tract. V, cap. v.

Sed iste modus non videtur esse sufficiens. Primo, quia quidditas substantiae materialis quam intellectus abstrahit, non est unius rationis cum quidditatibus substantiarum separatarum. Et ita per hoc quod intellectus noster abstrahit quidditates rerum materialium et cognoscit eas, non sequitur quod cognoscat quidditatem substantiae separatae: et praecipue divinam essentiam, quae maxime est alterius rationis ab omni quidditate creata. – Secundo quia, dato quod esset unius rationis, tamen, cognita quidditate rei compositae, non cognosceretur quidditas substantiae separatae nisi secundum genus remotissimum, quod est substantia. Haec autem cognitio est imperfecta, nisi deveniatur ad propria rei: qui enim cognoscit hominem solum inquantum est animal, non cognoscit eum nisi secundum quid et in potentia; et multo minus cognoscit eum si non cognoscat nisi substantiae naturam in ipso. Unde sic cognoscere Deum vel alias substantias separatas non est videre essentiam divinam vel quidditatem substantiae separatae: sed est cognoscere per effectum, et quasi *in speculo* *.

* Cf. I *ad Cor.*, cap. XIII, vers. 12.

Et ideo alius modus intelligendi substantias separatas ponitur ab Avicenna, in sua *Metaphysica* *: scilicet quod substantiae separatae intelliguntur a nobis per intentiones suarum quidditatum, quae sunt quaedam earum similitudines, non abstractae ab eis, quia ipsaemet sunt immateriales, sed impressae ab eis in animabus nostris.

* Tract. III, cap. VIII.

Sed hic modus etiam non videtur nobis sufficere ad visionem divinam quam quaerimus. Constat enim quod *omne quod recipitur in aliquo, est in eo per modum recipientis* *. Et ideo similitudo divinae essentiae impressa ab ipsa in intellectu nostro, erit per modum nostri intellectus. Modus autem intellectus nostri deficiens est a perfecta receptione divinae similitudinis. Defectus autem perfectae similitudinis potest tot modis accidere quot modis dissimilitudo invenitur. Uno enim modo est deficiens similitudo quando participatur forma secundum eandem rationem speciei, sed non secundum eundem perfectionis modum: sicut est similitudo deficiens eius qui parum habet de albedine, ad illum qui multum habet. Alio modo adhuc magis deficiens, quando non pervenitur ad eandem rationem speciei, sed tantum ad eandem rationem generis: sicut similitudo inter illum qui habet colorem citrinum, et illum qui habet colorem album. Alio modo adhuc magis deficiens, quando ad rationem eandem generis pertingit, sed solum secundum analogiam: sicut est similitudo albedinis ad hominem in eo quod utrumque est ens. Et hoc modo est deficiens omnis similitudo quae est in creatura recepta respectu divinae essentiae. Ad hoc autem quod visus cognoscat albedinem, oportet quod recipiatur in eo similitudo albedinis secundum rationem suae speciei (quamvis non secundum eundem modum essendi, quia habet alterius modi esse forma in sensu, et in re extra animam): si enim fieret in oculo forma citrini, non diceretur oculus videre albedinem. Et similiter ad hoc quod intellectus intelligat aliquam quidditatem, oportet quod fiat in eo similitudo eiusdem rationis secundum speciem: quamvis forte non sit idem modus essendi utrobique; non enim forma existens in intellectu vel sensu est principium cognitionis secundum modum essendi quem habet utrobique, sed secundum rationem in qua communicat cum re exteriori. Et ita patet quod per nullam similitudinem receptam in intellectu creato potest Deus intelligi ita quod essentia eius videatur immediate. Unde etiam quidam, ponentes divinam essentiam per hunc modum videri, dixerunt quod ipsa essentia non videbitur, sed quidam fulgor, quasi radius ipsius *. Unde nec iste modus sufficit ad visionem divinam quam quaerimus.

* *De Causis*, prop. XII. - Inter Opp. [Aristot. ...]
* Cf. arg. *Sed contra* 5.

Et ideo accipiendus est alius modus, quem etiam quidam philosophi posuerunt, scilicet Alexander et Averroes, in III *de Anima* *. Cum enim in qualibet cognitione sit necessaria aliqua forma qua res cognoscatur aut videatur, forma ista qua intellectus perficitur ad videndas substantias separatas, non est quidditas quam intellectus abstrahit a rebus compositis, ut dicebat prima opinio; neque aliqua impressio relicta a substantia separata in intellectu nostro, ut dicebat secunda; sed est ipsa substantia separata quae coniungitur intellectui nostro ut forma, ut ipsa sit quod intelligitur et quo intelligitur. Et quidquid sit de aliis sub-

* Averr. comm. XXXVI, digress. part. 1, 5.

stantiis separatis, tamen istum modum oportet nos accipere in visione Dei per essentiam: quia, quacumque alia forma informaretur intellectus noster, non posset per eam duci in essentiam divinam.

Quod quidem non debet intelligi quasi divina essentia sit vera forma intellectus nostri; vel quia ex ea et intellectu nostro efficiatur unum simpliciter, sicut in naturalibus ex forma et materia naturali: sed quia proportio essentiae divinae ad intellectum nostrum est sicut proportio formae ad materiam. Quandocumque enim aliqua duo quorum unum est altero perfectius, recipiuntur in eodem receptibili, proportio unius duorum ad alterum, scilicet magis perfecti ad minus perfectum, est sicut proportio formae ad materiam: sicut lux et color recipiuntur in diaphano, quorum lux se habet ad colorem sicut forma ad materiam. Et ita, cum in anima recipiatur lux intellectiva et ipsa divina essentia inhabitans, licet non per eundem modum, essentia divina se habebit ad intellectum sicut forma ad materiam.

Et quod hoc sufficiat ad hoc quod intellectus per divinam essentiam possit videre ipsam divinam essentiam, hoc modo potest ostendi. Sicut enim ex forma naturali qua aliquid habet esse, et materia, efficitur unum ens simpliciter; ita ex forma qua intellectus intelligit, et ipso intellectu, fit unum in intelligendo. In rebus autem naturalibus res per se subsistens non potest esse forma alicuius materiae, si illa res habeat materiam partem sui: quia non potest esse ut materia sit forma alicuius. Sed si illa res per se subsistens sit forma tantum, nihil prohibet eam effici formam alicuius materiae, et fieri quo est ipsius compositi: sicut patet de anima. In intellectu autem oportet accipere ipsum intellectum in potentia quasi materiam, et speciem intelligibilem quasi formam, et intellectus in actu intelligens erit quasi compositum ex utroque. Unde, si sit aliqua res per se subsistens quae non habeat aliquid in se praeter id quod est intelligibile in ipsa, talis res poterit esse forma qua intelligitur. Res autem quaelibet est intelligibilis secundum id quod habet de actu, non secundum id quod habet de potentia, ut patet in IX *Metaphys.* *: et huius signum est quod oportet formam intelligibilem abstrahere a materia et ab omnibus proprietatibus materiae. Et ideo, cum divina essentia sit actus purus, poterit esse forma qua intellectus intelligit. Et haec erit visio beatificans. Et ideo Magister dicit * quod unio animae ad corpus est quoddam *exemplum beatae unionis qua spiritus unietur Deo.*

* S. Th. lect. x. - Did. lib. VIII, cap. IX, n. 5.

* II *Sentent.* dist. I, cap. *Solet etiam quaeri.*

Ad primum ergo dicendum quod auctoritas illa potest tripliciter exponi: ut patet per Augustinum, in libro *de Videndo Deo* *. Uno modo, ut excludatur visio corporalis, qua nemo vidit vel visurus est Deum in essentia sua *. – Alio modo, ut excludatur visio intellectualis Dei per essentiam ab his qui in ista mortali carne vivunt. – Tertio modo, ut excludatur visio comprehensionis ab intellectu creato *. Et sic intelligit Chrysostomus. Unde subdit **: *Notitiam hic dicit* Evangelista *certissimam considerationem et comprehensionem tantam quantam habet Pater de Filio.* Et hic est Evangelistae intellectus: unde subdit *: *Unigenitus qui est* etc., per comprehensivam visionem volens probare Filium esse Deum.

* Ep. CXLVII, al. CXII, cap. VI sqq.
* Cf. art. seq.
* Cf. Part. I, qu. XII, art. 7.
** Loc. cit. in arg.
* Loc. cit. in arg.

Ad secundum dicendum quod, sicut Deus excedit omnia existentia quae habent esse determinatum, per essentiam suam infinitam, ita cognitio sua, qua cognoscit, est super omnem cognitionem. Unde quae est proportio cognitionis nostrae ad entia creata, ea est proportio cognitionis divinae ad essentiam suam. Ad cognitionem autem duo concurrunt: scilicet cognoscens, et quo cognoscitur. Visio autem illa qua Deum per essentiam videbimus, est eadem cum visione qua Deus se videt, ex parte eius quo videtur: quia sicut ipse se videt per essentiam suam, ita et nos videbimus. Sed ex parte cognoscentis invenitur diversitas quae est inter intellectum divinum et nostrum. In cognoscendo autem id quod cognoscitur sequitur formam qua cognoscimus, quia per formam lapidis videmus lapidem: sed efficacia in cognoscendo sequitur virtutem cognoscentis, sicut qui habet visum fortem acutius videt. Et ideo in illa visione nos videbimus quod Deus videt, scilicet essentiam suam, sed non ita efficaciter.

Ad tertium dicendum quod Dionysius loquitur ibi de cognitione qua Deum in via cognoscimus per aliquam formam creatam, qua intellectus noster formatur ad eum videndum. Sed, sicut dicit Augustinus, Deus omnem formam intellectus nostri subterfugit: quia, quamcumque formam intellectus noster concipiat, illa forma non pertingit ad rationem divinae essentiae. Et ideo ipse non potest esse pervius intellectui nostro: sed per hoc eum perfectissime cognoscimus in statu viae quod scimus eum esse super omne id quod intellectus noster concipere potest; et sic ei coniungimur quasi ignoto. Sed in patria idipsum per formam quae est essentia sua videbimus, et coniungemur ei quasi noto.

Ad quartum dicendum quod *Deus lux est*, ut dicitur I Ioan. I *. *Lumen* autem est impressio lucis in aliquo illuminato. Et quia essentia divina est alterius modi quam omnis similitudo ipsius impressa in intellectu, ideo dicit quod *divinae tenebrae cooperiuntur omni lumini:* quia scilicet essentia divina, quam tenebras vocat propter claritatis excessum, manet non demonstrata per impressionem intellectus nostri. Et per hoc sequitur quod *abscondatur omni cognitioni.* Et ideo quicumque videntium Deum aliquid mente concipit, hoc non est Deus, sed aliquid divinorum effectuum.

* Vers. 5.

Ad quintum dicendum quod claritas Dei, quamvis excedat omnem formam qua nunc intellectus informatur, non tamen excedit ipsam essentiam divinam, quae erit quasi forma intellectus nostri in patria. Et ideo, licet nunc sit invisibilis, tamen tunc erit visibilis.

Ad sextum dicendum quod, quamvis finiti ad infinitum non possit esse proportio, quia excessus infiniti supra finitum non est determinatus, potest tamen esse inter ea *proportionalitas,* quae est similitudo proportionum: sicut enim finitum aequatur alicui finito, ita infinito infinitum. Ad hoc autem quod aliquid totaliter cognoscatur, quandoque oportet esse proportionem inter cognoscentem et cognitum: quia oportet virtutem cognoscentis adaequari cognoscibilitati rei cognitae; aequalitas autem proportio quaedam est. Sed quandoque cognoscibilitas rei excedit virtutem cognoscentis, sicut cum nos cognoscimus Deum: aut e converso, sicut cum ipse cognoscit creaturas. Et tunc non oportet esse proportionem inter cognoscentem et cognitum, sed *proportionalitatem* tantum: ut scilicet, sicut se habet cognoscens ad cognoscendum, ita se habeat cognoscibile ad hoc quod cognoscatur. Et talis proportionalitas sufficit ad hoc quod infinitum cognoscatur a finito, et e converso.

Vel dicendum quod proportio secundum primam nominis institutionem significat habitudinem quantitatis ad quantitatem secundum aliquem determinatum excessum vel adaequationem: sed ulterius est translatum ad significandum omnem habitudinem cuiuscumque ad aliud. Et per hunc modum dicimus quod materia debet esse proportionata ad formam. Et hoc modo nihil prohibet intellectum nostrum, quamvis sit finitus, dici proportionatum ad videndum essentiam divinam: non tamen ad comprehendendum eam; et hoc propter suam immensitatem.

Ad septimum dicendum quod duplex est similitudo et distantia. Una secundum convenientiam in natura. Et sic magis distat Deus ab intellectu creato quam intelligibile creatum a sensu. – Alia secundum proportionalitatem. Et sic est e converso: quia sensus non est proportionatus ad cognoscendum aliquod immateriale, sed intellectus est proportionatus ad cognoscendum quodcumque immateriale. Et haec similitudo requiritur ad cognitionem, non autem prima: quia constat quod intellectus intelligens lapidem non est similis ei in naturali esse. Sicut etiam visus apprehendit mel rubeum et fel rubeum, quamvis non apprehendat mel dulce: fellis enim rubedo magis convenit cum melle inquantum est visibile, quam dulcedo mellis cum melle.

Ad octavum dicendum quod in visione qua Deus per essentiam videbitur, ipsa divina essentia erit quasi forma intellectus qua intelligit. Nec oportet quod efficiantur unum

secundum esse simpliciter: sed solum quod fiant unum quantum pertinet ad actum intelligendi *.

* Cf. Part. I, qu. xii, art. 2, ad 3; Comment. Caiet. ibid., n. xiv sqq.

Ad nonum dicendum quod dictum Avicennae quantum ad hoc non sustinemus: quia ei etiam ab aliis philosophis in hoc contradicitur. Nisi forte velimus dicere quod Avicenna intelligit de cognitione substantiarum separatarum secundum quod cognoscuntur per habitus scientiarum speculativarum, et similitudinibus aliarum rerum. Unde hoc introducit ad ostendendum quod scientia non est in nobis substantia, sed accidens.

Et tamen divina essentia, quamvis plus distet secundum proprietatem naturae suae ab intellectu nostro quam substantia angeli, tamen plus habet de ratione intelligibilitatis: quia est actus purus, cui non admiscetur aliquid de potentia; quod non contingit in aliis substantiis separatis. Nec illa cognitio qua Deum per essentiam videbimus, ex parte eius quod videbitur erit in genere accidentis: sed solum quantum ad actum ipsius intelligentis, qui non erit ipsa substantia intelligentis vel intellecti.

Ad decimum dicendum quod substantia separata a materia intelligit se et intelligit alia: et utroque modo potest verificari auctoritas inducta. Cum enim ipsa essentia substantiae separatae sit per seipsam intelligibilis in actu, eo quod est a materia separata, constat quod, quando substantia separata intelligit se, quod omnino est idem intelligens et intellectum: non enim intelligit se per aliquam intentionem abstractam a se, sicut nos intelligimus res materiales. Et hic videtur esse intellectus Philosophi in III *de Anima* *, ut patet per Commentatorem ibidem *.

* Loc. cit. in arg.
* Text. xv.

Secundum autem quod intelligit res alias, intellectum in actu fit unum cum intellectu in actu, inquantum forma intellecti fit forma intellectus inquantum est intellectus in actu, non quod sit ipsamet essentia intellectus: ut Avicenna probat, in VI *de Naturalibus* *, quia essentia intellectus manet una sub duabus formis, secundum quod intelligit res duas successive, ad modum quo materia prima manet una sub diversis formis. Unde etiam Commentator, in III *de Anima* *, comparat intellectum possibilem, quantum ad hoc, primae materiae. Et sic nullo modo sequitur quod intellectus noster videns Deum fiat ipsa essentia divina: sed quod ipsa essentia divina comparatur ad ipsum quasi perfectio et forma.

* Part. V, cap. vi.
* Text. v.

Ad undecimum dicendum quod auctoritates illae, et omnes similes, sunt intelligendae de cognitione qua cognoscimus Deum in via, ratione prius * posita.

* In corpore; et resp. ad 3.

Ad duodecimum dicendum quod infinitum privative dictum est ignotum inquantum huiusmodi: quia dicitur per remotionem complementi, a quo est cognitio rei. Unde infinitum reducitur ad materiam subiectam privationi: ut patet in III *Physicorum* *. – Sed infinitum negative acceptum dicitur per remotionem materiae terminantis: quia forma etiam quodammodo terminatur per materiam. Unde infinitum hoc modo est maxime de se cognoscibile. Et hoc modo infinitus est Deus.

* Cap. vii, n. 6. - S. Th. lect. xii.

Ad decimumtertium dicendum quod Augustinus loquitur de visione corporali, qua nunquam videbitur. Quod patet ex hoc quod praemittitur *: *Sicut enim videntur visibilia ista quae nominantur, Deum nemo vidit unquam nec videre potest; et est natura invisibilis, sicut et incorruptibilis.* Sicut autem secundum naturam suam est maxime ens, ita et secundum se est maxime intelligibilis: sed quod a nobis quandoque non intelligatur, est ex defectu nostro. Unde quod videatur postquam visus non fuit a nobis, non est ex mutatione sua, sed nostra.

* Loc. cit. in arg., cap. xv.

Ad decimumquartum dicendum quod Deus in patria videbitur a sanctis *sicuti est* *, si hoc referatur ad modum ipsius visi: videbitur enim a sanctis Deus habere illum modum quem habet. Sed si referatur modus ad ipsum cognoscentem, non videbitur sicuti est: quia non erit tanta efficacia intellectus creati ad videndum quanta est efficacia essentiae divinae ad hoc quod intelligatur.

* I Ioan., cap. iii, vers. 2.

Ad decimumquintum dicendum quod medium in visione corporali et intellectuali invenitur triplex. Primum est medium *sub quo* videtur. Et hoc est quod perficit visum ad videndum in generali, non determinans visum ad aliquod speciale obiectum: sicut se habet lumen corporale ad visum corporalem, et lumen intellectus agentis ad intellectum possibilem. – Secundum est medium *quo* videtur. Et hoc est forma visibilis qua determinatur uterque visus ad speciale obiectum: sicut per formam lapidis ad cognoscendum lapidem. – Tertium est medium *in quo* videtur. Et hoc est id per cuius inspectionem ducitur visus in aliam rem: sicut inspiciendo speculum ducitur in ea quae in speculo repraesentantur, et videndo imaginem ducitur in imaginatum. Et sic etiam intellectus per cognitionem effectus ducitur in causam, vel e converso.

In visione igitur patriae non erit tertium medium, ut scilicet Deus per species aliorum cognoscatur, sicut nunc cognoscitur, ratione cuius dicimur nunc videre *in speculo* *. – Nec erit ibi secundum medium: quia ipsa essentia divina erit qua intellectus noster videbit Deum *. – Sed erit ibi tantum primum medium, quod elevabit intellectum nostrum ad hoc quod possit coniungi substantiae increatae modo praedicto. Sed ab hoc medio non dicitur cognitio mediata: quia non cadit inter cognoscentem et rem cognitam, sed est illud quod dat cognoscenti vim cognoscendi.

* I *ad Cor.*, cap. xiii, vers. 12.
* Cf. corp. art.

Ad decimumsextum dicendum quod creaturae corporales non dicuntur immediate videri nisi quando id quod est in eis coniungibile visui, ei coniungitur. Non sunt autem coniungibiles per essentiam suam, ratione materialitatis. Et ideo tunc immediate videntur quando eorum similitudo intellectui coniungitur. Sed Deus per essentiam suam coniungibilis est intellectui *. Unde non immediate videretur nisi essentia sua coniungeretur intellectui. Et haec visio immediata dicitur *visio faciei*.

* Ibid.

Et praeterea similitudo rei corporalis recipitur in visu secundum eandem rationem qua est in re, sed non secundum eundem modum essendi: et ideo similitudo illa ducit in illam rem directe. Non autem potest hoc modo ducere aliqua similitudo intellectum nostrum in Deum, ut ex dictis * patet. Et propter hoc non est simile.

* Ibid.

ART. II. Utrum sancti post resurrectionem Deum corporalibus oculis visuri sint

IV *Sent.*, dist. xlviii, qu. ii, art. 1; *In Iob*, cap. xix, lect. ii; *In Matth.*, cap. v.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod sancti post resurrectionem Deum corporalibus oculis videbunt. Oculus enim glorificatus maioris erit virtutis quam aliquis oculus non glorificatus. Sed beatus Iob oculo suo Deum vidit: *Iob* xlii *, *Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te.* Ergo multo fortius oculus glorificatus per essentiam Deum videre poterit.

* Vers. 5.

2. Praeterea, *Iob* xix *: *In carne mea videbo Deum, Salvatorem meum.* Ergo videtur quod corporalibus oculis Deus in patria videbitur.

* Vers. 26.

3. Praeterea, Augustinus, XXII *de Civ. Dei* *, loquens de visu oculorum glorificatorum, sic dicit: *Vis praepollentior erit oculorum illorum, non ut acrius videant quam quidam perhibentur videre serpentes vel aquilae, quantalibet enim acrimonia cernendi eadem animalia vigeant, nihil aliud quam corpora possunt videre: sed ut videant incorporalia.* Quaecumque autem potentia cognoscitiva est incorporalium, potest elevari ad videndum Deum. Ergo oculi gloriosi Deum videre poterunt.

* Cap. xxix.

4. Praeterea, quae est differentia corporalium ad incorporalia, eadem est e converso. Sed oculus incorporeus potest corporalia videre. Ergo oculus corporeus potest videre incorporalia. Et sic idem quod prius.

5. Praeterea, Gregorius, in V *Moral.* *, super illud *Iob* iv *, *Stetit quidam cuius non agnoscebam vultum* etc., sic dicit: *Homo, qui, si praeceptum servare voluisset, carne spiritualis futurus fuerat, factus est peccando etiam mente carnalis.* Sed ex hoc quod est mente factus carnalis, ut ibidem dicit, *solum ea cogitat quae ad animum per corporum imagines trahit.* Ergo etiam quando carne spiritualis erit, quod post resurrectionem sanctis promittitur *, etiam carne spiritualia videre poterit. Et sic idem quod prius.

* Cap. xxxiv, al. xxv; in vet. xxiv.
* Vers. 16.
* Matth. cap. xxii, vers. 30; Marc. cap. xii, vers. 25; Luc. cap. xx, vers. 36; I *ad Cor.*, cap. xv, vers. 44.

6. Praeterea, homo solo Deo potest beatificari. Beatificabitur autem non solum quantum ad animam, sed etiam

quantum ad corpus. Ergo non solum intellectu, sed etiam carne Deum videre poterit.

7. Praeterea, sicut Deus est praesens per suam essentiam in intellectu, ita etiam erit praesens in sensu: quia erit *omnia in omnibus,* ut dicitur I *Cor.* xv *. Sed videbitur ab intellectu ex hoc quod sua essentia ei coniungetur. Ergo poterit videri etiam a sensu.

* Vers. 28.

Sed contra, Ambrosius dicit, *super Lucam* *: *Nec corporalibus oculis Deus quaeritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur.* Ergo nullo corporali sensu Deus videbitur.

* Cap. I, vers. 11. - Exposit. lib. I, n. 27.

2. Praeterea, Hieronymus dicit *: *Non solum divinitatem Patris, sed nec Filii nec Spiritus Sancti, oculi carnis possunt aspicere: sed oculi mentis, de quibus dicitur, « Beati mundo corde ».*

* *Comment. in Isai.*, lib. III, ad cap. VI, vers. 1.

3. Praeterea, idem Hieronymus dicit *: *Res incorporalis corporalibus oculis non videtur.* Sed Deus est maxime incorporeus. Ergo, etc.

* Apud Aug. Ep. CXLVII, aliter CXII, cap. XXIII.

4. Praeterea, Augustinus, in libro *de Videndo Deo* *: *« Deum nemo vidit unquam »: vel in hac vita sicuti ipse est; vel in angelorum vita sicut visibilia ista quae corporali visione cernuntur.* Vita autem angelorum dicitur vita beata, in qua resurgentes vivent. Ergo, etc.

* Epist. cit., cap. XI.

5. Praeterea, *secundum hoc homo dicitur factus « ad imaginem Dei » quod Deum conspicere potest,* ut Augustinus dicit *. Sed homo est ad imaginem Dei secundum mentem, non secundum carnem. Ergo mente, et non carne Deum videbit.

* *De Trin.* lib. XIV, cap. IV.

Respondeo dicendum quod sensu corporali aliquid sentitur dupliciter *: uno modo, per se; alio modo, per accidens. Per se quidem sentitur illud quod per se passionem sensui corporali inferre potest. Per se autem potest aliquid passionem inferre aut sensui inquantum est sensus; aut huic sensui inquantum est hic sensus. Quod autem secundo modo infert per se passionem sensui, dicitur *sensibile proprium:* sicut color respectu visus, et sonus respectu auditus. – Quia autem sensus, inquantum est sensus, utitur organo corporali, non potest in eo aliquid recipi nisi corporaliter: cum *omne quod recipitur in aliquo, sit in eo per modum recipientis* *. Et ideo omnia sensibilia inferunt passionem sensui, inquantum est sensus, secundum quod habent magnitudinem. Et ideo magnitudo et omnia consequentia, ut motus, quies et numerus et huiusmodi, dicuntur *sensibilia communia, per se* tamen. – *Per accidens* autem sentitur illud quod non infert passionem sensui neque inquantum est sensus neque inquantum est hic sensus, sed coniungitur his quae per se sensui inferunt passionem: sicut *Socrates* et *filius Diaris* et *amicus,* et alia huiusmodi, quae per se cognoscuntur in universali intellectu, in particulari autem virtute cogitativa in homine, aestimativa autem in aliis animalibus. Huiusmodi autem tunc sensus exterior dicitur sentire, quamvis per accidens, quando ex eo quod per se sentitur, vis apprehensiva cuius est illud cognitum per se cognoscere, statim sine dubitatione et discursu apprehendit: sicut videmus aliquem vivere ex hoc quod loquitur. Quando autem aliter se habet, non dicitur illud sensus videre etiam per accidens.

* Aristot. *de Anima* lib. II, cap. VI. - S. Th. lect. XIII.

* *De Causis,* prop. XII. - Inter Opp. Aristot.

Dico ergo quod Deus nullo modo potest videri visu corporali, aut aliquo alio sensu sentiri, sicut per se visibile, nec hic nec in patria. Quia si a sensu removeatur id quod convenit sensui inquantum est sensus, non erit sensus: et similiter si a visu removeatur illud quod est visus inquantum est visus, non erit visus. Cum ergo sensus, inquantum est sensus, percipiat magnitudinem; et visus, inquantum est talis sensus, percipiat colorem: impossibile est quod visus accipiat aliquid quod non est color nec magnitudo, nisi sensus diceretur aequivoce. Cum ergo visus et sensus sit futurus idem specie in corpore glorioso, non poterit esse quod divinam essentiam videat sicut visibile per se.

Videbit autem eam sicut visibile per accidens: dum ex parte visus corporalis tantam gloriam Dei inspiciet in corporibus, et praecipue gloriosis, et maxime in corpore Christi; et ex parte alia intellectus tam clare Deum videbit quod in rebus corporaliter visis Deus percipietur, sicut in locutione percipitur vita. Quamvis enim tunc intellectus noster non videat Deum ex creaturis, tamen videbit eum in creaturis corporaliter visis. Et hunc modum quo Deus corporaliter possit videri, ponit Augustinus in fine *de Civitate Dei* *, ut patet eius verba intuenti. Dicit enim sic: *Valde credibile est sic nos visuros mundana tunc corpora « caeli novi et terrae novae », ut Deum ubique praesentem et universa corporalia gubernantem clarissima perspicuitate videamus: non sicut nunc « invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur »; sed sicut homines, mox ut aspicimus, non credimus vivere, sed videmus.*

* Loc. cit. in arg. 3, n. 6.

Ad primum ergo dicendum quod verbum illud Iob intelligitur de oculo spirituali: de quo dicit Apostolus, *Ephes.* I *: *Illuminatos habere oculos cordis vestri.*

* Vers. 18.

Ad secundum dicendum quod illa auctoritas non intelligitur quod per oculos carnis Deum sumus visuri: sed quia in carne existentes Deum videbimus.

Ad tertium dicendum quod Augustinus loquitur inquirendo in verbis illis, et sub conditione. Quod patet ex hoc quod praemittitur: *Longe itaque alterius potentiae erunt si per eos videbitur incorporea illa natura:* et postea subdit, *Vis itaque* etc.; et postmodum determinat ut dictum est *.

* In corpore.

Ad quartum dicendum quod omnis cognitio fit per aliquam abstractionem a materia. Et ideo, quanto forma corporalis magis abstrahitur a materia, magis est cognitionis principium. Et inde est quod forma in materia existens nullo modo est cognitionis principium; in sensu autem aliquo modo, prout a materia separatur; et in intellectu nostro adhuc melius. Et ideo oculus spiritualis, a quo removetur impedimentum cognitionis, potest videre rem corporalem. Non autem sequitur quod oculus corporalis, in quo deficit vis cognitiva secundum quod participat de materia, possit cognoscere perfecte cognoscibilia quae sunt incorporalia.

Ad quintum dicendum quod, quamvis mens facta carnalis non possit cogitare nisi accepta a sensibus, tamen ea cogitat immaterialiter. Et similiter oportet quod visus illud quod apprehendit, semper apprehendat corporaliter. Unde non potest cognoscere illa quae corporaliter apprehendi non possunt.

Ad sextum dicendum quod beatitudo est perfectio hominis inquantum est homo. Et quia homo non habet quod sit homo ex corpore, sed magis ex anima, corpus autem est de essentia hominis inquantum est perfectum per animam; ideo beatitudo hominis non consistit principaliter nisi in actu animae, et ex ea derivatur ad corpus per quandam redundantiam, sicut patet ex his quae dicta sunt *. Quaedam tamen beatitudo corporis nostri erit inquantum Deum videbit in sensibilibus creaturis, et praecipue in corpore Christi.

* Qu. LXXXV, art. 1.

Ad septimum dicendum quod intellectus est perceptivus spiritualium, non autem visus corporalis. Et ideo intellectus poterit cognoscere divinam essentiam sibi coniunctam, non autem visus corporalis.

ART. III. UTRUM SANCTI VIDENTES DEUM PER ESSENTIAM OMNIA VIDEANT QUAE DEUS IN SEIPSO VIDET.

Part. I, qu. XII, art. 8; qu. CVI, art. 1, ad 1; II *Sent.*, dist. XI, art. 2; III, dist. XIV, art. 2, qu^a 2; IV, dist. XLV, qu. III, art. 1; III *Cont. Gent.*, cap. LVI, LIX; *De Verit.*, qu. VIII, art. 4; qu. XX, art. 4, 5.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod sancti videntes Deum per essentiam omnia videant quae Deus in seipso videt. Quia, ut dicit Isidorus, in libro *de Summo Bono* *, *angeli in Verbo Dei omnia sciunt antequam fiant.* Sed sancti *angelis aequales erunt:* ut patet Matth. XXII *. Ergo et sancti, videndo Deum, omnia videbunt.

* Al. *Sentent.*, lib. I, cap. X, n. 17.
* Vers. 30; Marc. cap. XII, vers. 25; Luc. cap. XXII, vers. 36.

2. Praeterea, Gregorius, in IV *Dialog.* *, dicit: *Quia illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt?* Loquitur autem de beatis, qui Deum vident per essentiam. Ergo qui videt Deum per essentiam, omnia cognoscit.

* Cap. XXXIII.

3. Praeterea, sicut dicitur in III *de Anima* *, *intellectus, cum intelligit maxima, magis potest intelligere minima.* Sed maximum intelligibile est Deus. Ergo maxime

* Cap. IV, n. 5. - S. Th. lect. VII.

auget virtutem intellectus in intelligendo. Ergo intellectus eum videns omnia intelligit.

4. Praeterea, intellectus non impeditur ab intelligendo aliquid nisi inquantum id superat ipsum. Sed intellectum Deum videntem nulla creatura superat: quia, ut dicit Gregorius, in II *Dialog.* *, *animae videnti Creatorem angusta fit omnis creatura.* Ergo videntes Deum per essentiam omnia cognoscent.

* Cap. xxxv.

5. Praeterea, omnis potentia passiva quae non est reducta ad actum, est imperfecta. Sed in intellectu possibili animae humanae est potentia quasi passiva ad cognoscendum omnia: quia intellectus possibilis est *quo est omnia fieri,* ut dicitur in III *de Anima* *. Si ergo in illa beatitudine non intelligeret omnia, remaneret imperfectus. Quod est absurdum.

* Cap. v, n. 1. - S. Th. lect. x.

6. Praeterea, quicumque videt speculum, videt ea quae in speculo resultant. Sed in Verbo Dei omnia sicut in speculo resultant: quia ipsum est ratio et similitudo omnium. Ergo sancti, qui vident Verbum per essentiam, vident omnia creata.

7. Praeterea, ut dicitur *Proverb.* x *, *desiderium suum iustis dabitur.* Sed sancti desiderant omnia scire: quia *omnes homines natura scire desiderant* *; nec natura per gloriam aufertur. Ergo dabitur eis a Deo quod omnia cognoscant.

* Vers. 24.

* Aristot. *Metaphys.* lib. I, cap. I, n. 1. - S. Th. lect. 1.

8. Praeterea, ignorantia est quaedam poenalitas praesentis vitae. Sed omnis poenalitas per gloriam a sanctis aufertur. Ergo et omnis ignorantia. Et ita omnia cognoscent.

9. Praeterea, beatitudo sanctorum per prius est in anima quam in corpore. Sed corpora sanctorum formabuntur in gloriam ad similitudinem corporis Christi: ut patet *Philipp.* iii *. Ergo et animae perficientur ad similitudinem animae Christi. Sed anima Christi in Verbo omnia videt *. Ergo et omnes animae sanctorum videbunt omnia in Verbo.

* Vers. 21.

* Cf. III *Sent.*, dist. xiv, art. 2, qu^a 2.

10. Praeterea, sicut sensus, ita intellectus cognoscit omne illud cuius similitudine informatur. Sed divina essentia expressius indicat quamlibet rem quam aliqua similitudo alia rei. Ergo, cum in illa beata visione essentia divina fiat quasi forma intellectus nostri *, videtur quod sancti videntes Deum omnia videant.

* Art. 1.

11. Praeterea, Commentator dicit, in III *de Anima* *, quod si intellectus agens esset forma intellectus possibilis, intelligeremus omnia. Sed divina essentia clarius repraesentat omnia quam intellectus agens. Ergo intellectus videns Deum per essentiam omnia cognoscit.

* Text. xxxvi, digress. part. 5.

12. Praeterea, propter hoc quod inferiores angeli nunc non omnia cognoscunt, illuminantur de ignotis a superioribus. Sed post diem iudicii angelus non illuminabit angelum: tunc enim *praelatio cessabit,* ut dicit Glossa *, I *Cor.* xv *. Ergo inferiores angeli omnia scient. Et eadem ratione omnes alii sancti Deum per essentiam videntes *.

* Ord. et Lomb.

* Vers. 24.

* Cf. arg. 1.

Sed contra, sicut dicit Dionysius, in vi cap. *Cael. Hier.* *, angeli superiores inferiores a *nescientia* purgant. Angeli autem inferiores vident essentiam divinam. Ergo angelus videns essentiam divinam potest aliqua nescire. Sed anima non perfectius videbit Deum quam angelus. Ergo animae videntes Deum non oportet quod omnia videant.

* § 3. - Cf. *Eccl. Hier.* cap. vi, part. iii, § 6.

2. Praeterea, solus Christus *habet Spiritum non ad mensuram,* ut dicitur Ioan. iii *. Sed Christo inquantum habet Spiritum non ad mensuram, competit quod in Verbo omnia cognoscat: unde ibidem * dicitur quod *Pater omnia dedit in manu eius.* Ergo nulli alii competit cognoscere omnia in Verbo nisi Christo.

* Vers. 34.

* Vers. 35.

3. Praeterea, quanto aliquod principium perfectius cognoscitur, tanto plures eius effectus cognoscuntur per ipsum. Sed quidam videntium Deum per essentiam perfectius aliis cognoscent Deum, qui est rerum omnium principium. Ergo quidam aliis plura cognoscent. Et ita non omnes scient omnia.

Respondeo dicendum quod Deus, videndo suam essentiam, cognoscit omnia quae sunt vel erunt vel fuerunt: et haec dicitur cognoscere *notitia visionis* *, quia, ad similitudinem visionis corporalis, cognoscit ea quasi praesentia. Cognoscit insuper, videndo suam essentiam, omnia quae potest facere, quamvis nunquam fecerit nec facturus sit: alias non perfecte cognosceret potentiam suam; non enim potest cognosci potentia nisi sciantur potentiae obiecta. Et haec dicitur cognoscere *notitia simplicis intelligentiae* *.

* Part. I, qu, xiv, art. ix. - Cf. Autissiod. *Summ. Aur.* lib. I, cap. *De hoc verbo « scire »*, etc.

* Cf. ibid.

Impossibile est autem quod aliquis intellectus creatus cognoscat omnia, videndo divinam essentiam, quae Deus potest facere. Quia quanto aliquod principium perfectius cognoscitur, tanto plura sciuntur in illo: sicut in uno demonstrationis principio ille qui est perspicacioris ingenii plures conclusiones videt quam alius, qui est ingenii tardioris. Cum ergo quantitas potentiae divinae attendatur secundum ea in quae potest, si aliquis intellectus videret in divina essentia omnia quae Deus potest facere, eadem esset quantitas perfectionis in intelligendo quae est quantitas divinae potentiae in producendo effectus: et ita comprehenderet divinam essentiam. Quod est impossibile omni creato intellectui *.

* Cf. art. 1, ad 1.

Illa autem omnia quae Deus scit notitia visionis, aliquis intellectus creatus cognoscit in Verbo, scilicet anima Christi *. Sed de aliis videntibus divinam essentiam duplex est opinio. Quidam enim dicunt quod omnes videntes Deum per essentiam vident omnia quae Deus videt scientia visionis. – Sed hoc repugnat Sanctorum dictis, qui ponunt angelos aliqua ignorare *: quos tamen constat, secundum fidem, omnes Deum per essentiam videre.

* Cf. III *Sent.*, dist. xiv, art. 2, qu^a 2; Part. III, qu. x, art. 2.

* Cf. Dion. loc. cit. in arg. *Sed cont.* 1; Hieron. *Comment. in Ep. ad Ephes.* lib. II, ad cap. iii, vers. 10, 11; Chrys. Homil. VII in *Ep. ad Ephes.*

Et ideo alii dicunt quod alii a Christo, quamvis videant Deum per essentiam, non tamen omnia vident quae Deus videt, eo quod essentiam divinam non comprehendunt. Non est enim necessarium quod sciens causam sciat omnes eius effectus, nisi causam comprehendat: quod non competit intellectui creato. Et ideo unusquisque videntium Deum per essentiam tanto plura in eius essentia conspicit, quanto clarius divinam essentiam intuetur. Et inde est quod de his potest unus alium instruere. Et sic scientia angelorum et animarum sanctarum potest augeri usque ad diem iudicii: sicut et alia quae ad praemium accidentale pertinent. Sed ulterius non proficiet: quia tunc erit ultimus status rerum. Et in illo statu possibile erit quod omnes omnia cognoscent quae Deus scientia visionis novit.

Ad primum ergo dicendum quod hoc quod dicit Isidorus, quod *angeli sciunt in Verbo omnia antequam fiant,* non potest referri ad ea quae Deus scit scientia simplicis intelligentiae tantum, quia illa nunquam fient: sed referendum est ad ea tantum quae Deus scit scientia visionis. De quibus etiam dicit quod non omnes angeli ea omnia cognoscant, sed forte aliqui. Et illi etiam qui cognoscunt, non perfecte cognoscunt omnia. In una enim re est multas rationes intelligibiles considerare, sicut diversas eius proprietates et habitudines ad res alias; et possibile est quod, eadem re scita a duobus communiter, unus alio plures rationes percipiat, et has rationes unus ab alio accipiat. Unde et Dionysius dicit, iv cap. *de Div. Nom.* *, quod inferiores angeli docentur a superioribus rerum scibiles rationes. Et ideo etiam angeli qui omnes creaturas cognoscunt, non oportet quod omnia quae in eis intelligi possunt, percipiant.

* S. Th. lect. 1. - Cf. Part. I, qu. cvi, art. 1, ad 1.

Ad secundum dicendum quod ex verbo illo Gregorii ostenditur quod in illa beata visione est sufficientia ad omnia intuenda ex parte divinae essentiae, quae est medium quo videtur, per quam Deus omnia videt. Sed quod non omnia videantur, est ex defectu intellectus creati, qui divinam essentiam non comprehendit.

Ad tertium dicendum quod intellectus creatus non videt divinam essentiam secundum modum ipsius essentiae, sed secundum modum proprium, qui finitus est. Unde non oportet quod eius efficacia in cognoscendo ex visione praedicta amplietur in infinitum ad omnia cognoscenda.

Ad quartum dicendum quod defectus cognitionis non solum procedit ex excessu cognoscibilis super intellectum, sed etiam ex hoc quod intellectui non coniungitur id quod est ratio cognoscibilis: sicut visus non videt lapidem quandoque ex hoc quod species lapidis non est ei coniuncta.

Quamvis autem intellectui videntis Deum coniungatur ipsa divina essentia, quae est omnium ratio, non tamen coniungitur ei prout est omnium ratio, sed secundum quod est ratio aliquorum: et tanto plurium quanto quisque plenius divinam essentiam intuetur.

Ad quintum dicendum quod, quando potentia passiva est perfectibilis pluribus perfectionibus ordinatis, si perfecta sit sua ultima perfectione, non dicitur imperfecta, etiam si aliquae dispositiones praecedentes ei desint. Omnis autem cognitio qua intellectus creatus perficitur, ordinatur sicut ad finem ad Dei cognitionem. Unde videns Deum per essentiam, etiam si nihil aliud cognosceret, perfectum intellectum haberet. Nec est perfectior ex hoc quod aliquid aliud cum ipso cognoscit, nisi quatenus ipsum plenius videt. Unde Augustinus, in V *Confess.* *: *Infelix homo qui scit omnia illa,* scilicet creaturas, *te autem nescit. Beatus autem qui te scit, etiam si illa nesciat. Qui vero te et illa novit, non propter illa beatior, sed propter te tantum beatus.*

* Cap. iv.

Ad sextum dicendum quod speculum illud est voluntarium: et, sicut ostendet se cui vult, ita in se ostendet quae vult. Nec est simile de speculo materiali, in cuius potestate non est quod videatur vel non videatur.

Vel dicendum quod in speculo materiali tam res quam speculum videntur sub propria forma: quamvis speculum illud videatur per formam a re acceptam, lapis vero per propriam formam resultantem in re alia, et ideo per quam rationem cognoscitur unum, et aliud. Sed in speculo increato videtur aliquid per formam ipsius speculi, sicut effectus videtur per similitudinem causae et e converso. Et ideo non oportet quod quicumque videt speculum aeternum, videat omnia quae in speculo resultant. Non enim necesse est quod videns causam videat omnes effectus eius, nisi comprehendat causam.

Ad septimum dicendum quod sanctorum desiderium quo omnia scire desiderant, implebitur ex hoc solum quod Deum videbunt: sicut desiderium eorum quo omnia bona habere cupiunt, complebitur in hoc quod Deum habebunt. Sicut enim Deus, in hoc quod habet perfectam bonitatem, sufficit affectui, et, eo habito, omnia bona quodammodo habentur; ita eius visio sufficit intellectui: Ioan. xiv *, *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.*

* Vers. 8.

Ad octavum dicendum quod ignorantia proprie accepta in privationem sonat, et sic poena est: sic enim ignorantia est nescientia aliquorum quae sciri debent, vel quae necesse est scire. Nullius autem horum scientia sanctis deerit in patria.

Quandoque autem ignorantia communiter accipitur pro omni nescientia. Et sic angeli et sancti in patria quaedam ignorabunt: unde Dionysius dicit quod angeli a *nescientia* purgantur *. Sic autem ignorantia non est poenalitas, sed defectus quidam. Nec est necesse quod omnis talis defectus per gloriam auferatur: sic enim etiam posset dici quod defectus esset in Lino quod non pervenit ad gloriam Petri.

* Cf. arg. *Sed contra* 1.

Ad nonum dicendum quod corpus nostrum conformabitur corpori Christi in gloria secundum similitudinem, non secundum aequalitatem: erit enim clarum sicut et corpus Christi, sed non aequaliter. Et similiter anima nostra habebit gloriam ad similitudinem animae Christi, sed non ad aequalitatem. Et ita habebit scientiam sicut anima Christi: sed non tantam, ut scilicet sciat omnia sicut anima Christi.

Ad decimum dicendum quod, quamvis essentia divina sit ratio omnium cognoscibilium, non tamen coniungetur cuilibet intellectui creato secundum quod est ratio omnium. Et ideo ratio non sequitur.

Ad undecimum dicendum quod intellectus agens est forma proportionata intellectui possibili, sicut et potentia materiae est proportionata potentiae agentis naturalis: ut omne quod est in potentia passiva materiae vel intellectus possibilis, sit in potentia activa intellectus agentis vel naturalis agentis. Et ideo, si intellectus agens fiat forma intellectus possibilis, oportet quod intellectus possibilis cognoscat omnia ad quae se extendit virtus intellectus agentis. Divina autem essentia non est forma hoc modo nostro intellectui proportionata. Et ideo non est simile.

Ad duodecimum dicendum quod nihil prohibet dicere quod post diem iudicii, quando gloria hominum et angelorum erit penitus consummata, omnes beati scient omnia quae Deus scientia visionis novit: ita tamen quod non omnes omnia videant in essentia divina. Sed anima Christi ibi plene videbit omnia, sicut et nunc videt: alii autem videbunt ibi plura vel pauciora secundum gradum quo Deum cognoscent. Et sic anima Christi de his quae prae aliis videt in Verbo, omnes alias illuminabit: unde dicitur *Apoc.* xxi * quod *claritas Dei illuminat civitatem beatorum, et lucerna eius est Agnus.* Et similiter alii superiores illuminabunt inferiores: non quidem nova illuminatione, ut scientia inferiorum per hoc augeatur; sed quadam continuatione illuminationis, sicut si intelligatur quod sol quiescens illuminat aerem. Et ideo dicitur Dan. xii * quod *qui ad iustitiam erudiunt plurimos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates.* Praelatio autem ordinum dicitur cessatura quantum ad ea quae nunc circa nos per eorum ordinata ministeria exercentur: ut patet per Glossam * ibidem.

* Vers. 23.

* Vers. 3.

* Ord. et Lomb.

QUAESTIO NONAGESIMATERTIA

DE SANCTORUM BEATITUDINE ET EORUM MANSIONIBUS

Deinde considerandum est de sanctorum beatitudine et eorum mansionibus *.

* Cf. qu. xcii, Introd.

Circa quod quaeruntur tria.

Primo: utrum sanctorum beatitudo augeatur post iudicium.

Secundo: utrum gradus beatitudinis appellentur *mansiones.*

Tertio: utrum diversae mansiones distinguantur penes diversos gradus caritatis.

ART. I. UTRUM BEATITUDO SANCTORUM SIT MAIOR FUTURA POST IUDICIUM QUAM ANTE

Part. I, qu. lxii, art. 9, ad 3; Iª IIae, qu. iv, art. 5; IV *Sent.*, dist. xlvii, qu. i, art. 3, quª 4; qu. ii, art. 3, quª 3, ad 3; dist. xlix, qu. iv, art. 5, quª 2, ad 1; I *ad Cor.*, cap. vi, lect. i.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod beatitudo sanctorum non sit maior futura post iudicium quam ante. Quanto enim aliquid magis accedit ad similitudinem divinam, tanto perfectius beatitudinem participat. Sed anima a corpore separata Deo similior est quam corpori coniuncta. Ergo maior est eius beatitudo ante corporis resumptionem quam post.

2. Praeterea, virtus unita est magis potens quam multiplicata *. Sed anima extra corpus est magis unita quam cum est corpori coniuncta. Ergo virtus est maior ad operandum. Et ita perfectius beatitudinem participat, quae in actu consistit *.

* *De Causis*, prop. xvii. - Inter Opp. Arist.

* Iª IIae, qu. iii, art. 2.

3. Praeterea, beatitudo consistit in actu intellectus speculativi *. Sed intellectus in suo actu non utitur organo corporali: et sic corpus resumptum non efficiet ut anima perfectius intelligat. Ergo beatitudo animae non erit maior post resurrectionem.

* Ibid., art. 5.

4. Praeterea, infinito non potest esse aliquid maius: et ita infinitum cum aliquo finito non sunt maius quam infinitum ipsum. Sed anima beata ante corporis resumptionem beatitudinem habet de hoc quod gaudet de bono infinito, scilicet Deo: post resurrectionem autem corporis non habebit de alio gaudium, nisi forte de gloria corporis, quae est quoddam bonum finitum. Ergo gaudium eorum post corporis resumptionem non erit maius quam ante.

Sed contra est quod, *Apoc.* vi, super illud *, *Vidi subter altare animas interfectorum* etc., dicit Glossa *: *Modo animae sanctorum sunt existentes sub, idest in minori dignitate quam sint futurae.* Ergo maior erit eorum beatitudo post iudicium.

* Vers. 9.

* Cf. Haym. *Exposit. Apoc.*, in hunc loc.

2. Praeterea, sicut bonis beatitudo redditur pro praemio, ita et malis miseria. Sed miseria malorum post resumptionem corporum erit maior quam ante: quia non solum in anima, sed etiam in corpore punientur. Ergo

beatitudo sanctorum erit maior post resurrectionem corporum quam ante.

Respondeo dicendum quod beatitudinem sanctorum post resurrectionem augeri extensive quidem manifestum est: quia beatitudo tunc erit non solum in anima, sed etiam in corpore. Et etiam ipsius animae beatitudo augebitur extensive: inquantum anima non solum gaudebit de bono proprio, sed etiam de bono corporis.

Potest etiam dici quod etiam beatitudo animae ipsius intensive augebitur. Corpus enim hominis dupliciter potest considerari: uno modo, secundum quod est ab anima perfectibile; alio modo, secundum quod est in eo aliquid repugnans animae in suis operationibus, prout non perfecte corpus per animam perficitur. Secundum autem primam considerationem corporis, coniunctio ipsius ad animam addit animae aliquam perfectionem. Quia omnis pars imperfecta est, et completur in suo toto: unde et totum se habet ad partem ut forma ad materiam. Unde et anima perfectior est in esse suo naturali cum est in toto, scilicet in homine coniuncto ex anima et corpore, quam cum est per se separata. Sed unio corporis quantum ad secundam ipsius considerationem, impedit animae perfectionem: unde dicitur quod *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, Sap.* IX *. Si ergo a corpore removeatur omne illud per quod actioni animae resistit, simpliciter anima erit perfectior in corpore tali existens quam per se separata. Quanto autem aliquid est perfectius in esse, tanto potest perfectius operari. Unde et operatio animae coniunctae tali corpori erit perfectior quam operatio animae separatae. Huiusmodi autem corpus est corpus gloriosum, quod omnino subdetur spiritui *. Unde, cum beatitudo in operatione consistat, perfectior erit beatitudo animae post resumptionem corporis quam ante: sicut enim anima separata a corpore corruptibili perfectius potest operari quam ei coniuncta, ita, postquam fuerit coniuncta corpori glorioso, perfectior erit eius operatio quam quando erat separata. Omne autem imperfectum appetit suam perfectionem. Et ideo anima separata naturaliter appetit corporis coniunctionem. Et propter hunc appetitum, ex imperfectione procedentem, eius operatio, qua in Deum fertur, est minus intensa. Et hoc est quod dicit Augustinus *, quod *ex appetitu corporis retardatur ne tota intentione pergat in illud summum bonum.*

* Vers. 15.

* Cf. qu. LXXXIII, art. 1.

* *De Gen. ad litt.* lib. XII, cap. XXXV.

Ad primum ergo dicendum quod anima coniuncta corpori glorioso est magis Deo similis quam ab eo separata, inquantum coniuncta habet esse perfectius: quanto enim est aliquid perfectius, tanto est Deo similius. Sicut etiam cor, cuius vitae perfectio in motu consistit, est Deo similius quando movetur quam quando quiescit, quamvis Deus nunquam moveatur.

Ad secundum dicendum quod virtus quae de sua natura habet quod sit in materia, magis est potens in materia existens quam a materia separata: quamvis, absolute loquendo, virtus a materia separata sit potentior.

Ad tertium dicendum quod, quamvis in actu intelligendi anima corpore non utatur, tamen perfectio corporis quodammodo ad perfectionem operationis intellectualis cooperabitur, inquantum ex coniunctione corporis gloriosi anima erit in natura perfectior, et per consequens in operatione efficacior. Et secundum hoc ipsum bonum corporis cooperabitur quasi instrumentaliter ad operationem illam in qua beatitudo consistit: sicut etiam Philosophus ponit, in I *Ethic.* *, quod bona exteriora cooperantur instrumentaliter ad felicitatem vitae.

* Cap. VIII, n. 16; cap. IX, n. 7. - S. Th. lect. XIII, XIV.

Ad quartum dicendum quod, quamvis finitum infinito additum non faciat maius, tamen facit *plus:* quia finitum et infinitum sunt duo, cum infinitum per se acceptum sit unum. Extensio autem gaudii non recipit maius, sed plus. Unde extensive augetur gaudium secundum quod est de Deo et de gloria corporis, respectu gaudii quod erat de Deo. — Gloria etiam corporis operabitur ad gaudii intensionem quod est de Deo, inquantum cooperabitur ad perfectiorem operationem qua anima in Deum feretur: quanto enim operatio conveniens fuerit perfectior, tanto delectatio erit maior, ut patet ex hoc quod dicitur X *Ethicorum* *.

* Cap. IV, n. 5. - S. Th. lect. VI.

ART. II. Utrum beatitudinis gradus mansiones dici debeant

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod beatitudinis gradus *mansiones* dici non debeant. Beatitudo enim importat rationem praemii *. Sed mansio nihil significat quod ad praemium pertineat. Ergo diversi gradus beatitudinis mansiones dici non debent.

* Aristot. *Ethic.* lib. I, cap. IX, n. 3. - S. Th. lect. XIV.

2. Praeterea, *mansio* locum significare videtur. Sed locus quo sancti beatificabuntur, non est corporalis, sed spiritualis, scilicet Deus, qui unus est. Ergo non est nisi una mansio. Et ita diversi gradus beatitudinis mansiones dici non debent.

3. Praeterea, sicut in patria erunt homines diversorum meritorum, ita nunc sunt in purgatorio, et in limbo Patrum fuerunt. Sed in purgatorio et in limbo non distinguuntur mansiones. Ergo nec in patria mansiones debent distingui.

Sed contra est quod dicitur Ioan. XIV *: *In domo Patris mei mansiones multae sunt:* quod Augustinus * exponit de variis dignitatibus praemiorum.

* Vers. 2.

* *In Ioan. Evang.*, tract. LXVII.

2. Praeterea, in qualibet civitate est ordinata mansionum distinctio. Sed caelestis patria civitati comparatur: ut patet *Apoc.* XXI. Ergo oportet ibi diversas mansiones distinguere, secundum diversos beatitudinis gradus.

Respondeo dicendum quod, quia motus localis est prior omnium aliorum motuum *, ideo, secundum Philosophum *, nomen *motus* et *distantiae*, et omnium huiusmodi, derivatum est a motu locali ad omnes alios motus. Finis autem motus localis est locus ad quem cum aliquid pervenerit, ibi manet quiescens et in eo conservatur. Et ideo in quolibet motu ipsam quietationem in fine motus dicimus *collocationem* vel *mansionem*. Et ideo, cum nomen *motus* derivetur usque ad actum appetitus et voluntatis, ipsa assecutio finis appetitivi motus dicitur mansio aut collocatio in fine. Et ideo diversi modi consequendi finem ultimum *diversae mansiones* dicuntur: ut sic unitas *domus* respondeat universitati beatitudinis, quae est ex parte obiecti; et pluralitas *mansionum* respondeat differentiae quae in beatitudine invenitur ex parte beatorum. Sicut etiam videmus in rebus naturalibus quod est idem locus sursum ad quem tendunt omnia levia, sed unumquodque pertingit propinquius secundum quod est levius; et ita habent diversas mansiones secundum differentiam levitatis.

* Aristot. *Physic.* lib. VIII, cap. VII, n. 1 sqq. - S. Th. lect. XIV.

* Ibid., cap. IX, n. 3. - S. Th. lect. XX.

Ad primum ergo dicendum quod mansio importat rationem finis: et sic per consequens rationem praemii, quod est finis meriti.

Ad secundum dicendum quod, quamvis sit unus locus spiritualis, tamen diversi sunt gradus appropinquandi ad locum illum. Et secundum hoc constituuntur diversae mansiones.

Ad tertium dicendum quod illi qui erant in limbo, vel nunc sunt in purgatorio, nondum pervenerunt ad suum finem. Et ideo in purgatorio vel in limbo non distinguuntur mansiones, sed solum in paradiso et in inferno, ubi est finis bonorum et malorum.

ART. III. Utrum diversae mansiones distinguantur penes diversos gradus caritatis

Part. I, qu. XII, art. 6.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod diversae mansiones non distinguantur penes diversos gradus caritatis. Quia Matth. XXV * dicitur: *Dedit unicuique secundum propriam virtutem.* Propria autem uniuscuiusque virtus est eius vis naturalis. Ergo et dona gratiae et gloriae distribuuntur secundum diversos gradus virtutis naturalis.

* Vers. 15.

2. Praeterea, in Psalmo * dicitur: *Tu reddes unicuique secundum opera sua.* Sed illud quod redditur est beatitudinis mensura. Ergo gradus beatitudinis distinguentur secundum diversitatem operum, et non secundum diversitatem caritatis.

* Ps. LXI, vers. 13.

3. Praeterea, praemium debetur actui, et non habitui: unde *fortissimi non coronantur, sed agonizantes,* ut patet

I *Ethic.* *; et II *Tim.* II **, *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit.* Sed beatitudo est praemium. Ergo diversi gradus beatitudinis erunt secundum diversos gradus operum, non secundum diversos gradus caritatis.

* Cap. VIII, n. 9. - S. Th. lect. XII.
** Vers. 5.

Sed contra est quod, quanto aliquis erit Deo magis coniunctus, tanto erit beatior. Sed secundum modum caritatis est modus coniunctionis ad Deum. Ergo secundum differentiam caritatis erit et diversitas beatitudinis.

2. Praeterea, *sicut simpliciter sequitur ad simpliciter, ita magis ad magis* *. Sed habere beatitudinem sequitur ad habere caritatem. Ergo et habere maiorem beatitudinem sequitur ad habere maiorem caritatem.

* Cf. Aristot. *Topic.* lib. V, cap. VIII, n. 3, 4.

Respondeo dicendum quod principium distinctivum mansionum sive graduum beatitudinis est duplex: scilicet propinquum, et remotum. Propinquum est diversa dispositio quae erit in beatis, ex qua contingit diversitas perfectionis apud omnes in operatione beatitudinis. Sed principium remotum est meritum, quo talem beatitudinem consecuti sunt.

Primo autem modo distinguuntur mansiones secundum caritatem patriae: quae quanto in aliquo erit perfectior, tanto eum reddet capaciorem divinae claritatis, secundum cuius augmentum augebitur perfectio visionis divinae.

Secundo vero modo distinguuntur mansiones secundum caritatem viae. Actus enim noster non habet quod sit meritorius ex ipsa substantia actus, sed solum ex habitu virtutis quo informatur. Vis autem merendi est in omnibus virtutibus ex caritate, quae habet ipsum finem pro obiecto *. Et ideo diversitas in merendo tota revertitur ad diversitatem caritatis. Et sic caritas viae distinguet mansiones per modum meriti.

* II^a II^ae, qu. XXIII, art. 7.

Ad primum ergo dicendum quod virtus ibi non accipitur solum pro naturali capacitate: sed pro naturali capacitate simul cum conatu ad habendam gratiam. Et tunc virtus, hoc modo accepta, erit quasi materialis dispositio ad mensuram gratiae et gloriae suscipiendae: sed caritas est formaliter complens meritum ad gloriam. Et ideo distinctio gradus in gloria accipitur penes gradus caritatis potius quam penes gradus virtutis praedictae.

Ad secundum dicendum quod opera non habent quod eis retributio gloriae reddatur nisi inquantum sunt caritate informata. Et ideo secundum diversos caritatis gradus erunt diversi gradus in gloria.

Ad tertium dicendum quod, quamvis habitus caritatis, vel cuiuscumque virtutis, non sit meritum, cui debeatur praemium, est tamen principium et tota ratio merendi in actu. Et ideo secundum eius diversitatem praemia distinguuntur. – Quamvis etiam ex ipso genere actus possit aliquis gradus in merendo considerari, non quidem respectu praemii essentialis, quod est gaudium de Deo, sed respectu alicuius accidentalis praemii, quod est gaudium de aliquo bono creato.

QUAESTIO NONAGESIMAQUARTA

DE MODO QUO SE SANCTI HABEBUNT ERGA DAMNATOS

Deinde considerandum est de modo quo se sancti habebunt erga damnatos *.

* Cf. qu. XCII, Introd.

Circa quod quaeruntur tria.

Primo: utrum sancti poenas damnatorum videant.
Secundo: utrum eis compatiantur.
Tertio: utrum de eorum poenis laetentur.

ART. I. Utrum beati qui erunt in patria, visuri sint poenas damnatorum

Ad primum sic proceditur. Videtur quod beati qui erunt in patria, non videant poenas damnatorum. Maior enim est distantia damnatorum a beatis quam viatorum. Sed beati semper viatorum facta non vident: unde Isaiae LXIII *, *Abraham nescivit nos,* dicit Glossa **: *Nesciunt mortui, etiam sancti, quid faciunt vivi, etiam eorum filii.* Ergo multo minus vident poenas damnatorum.

* Vers. 16.
** Interlin.

2. Praeterea, perfectio visionis dependet a perfectione visibilis: unde Philosophus dicit, X *Ethic.* *, quod *perfectissima sensus operatio est sensus optime dispositi ad pulcherrimum sub sensu iacentium.* Ergo e contrario turpitudo visibilis redundat in imperfectionem visionis. Sed imperfectio nulla erit in beatis. Ergo non videbunt miserias damnatorum, in quibus est summa turpitudo.

* Cap. IV, n. 5. - S. Th. lect. VI.

Sed contra est quod dicitur Isaiae ult. *: *Egredientur et videbunt cadavera virorum qui praevaricati sunt in me:* Glossa *, *Electi egredientur, intelligentia vel visione manifesta, ut ad laudem Dei magis accendantur.*

* Vers. 24.
* Ord.

Respondeo dicendum quod a beatis nihil subtrahi debet quod ad perfectionem beatitudinis eorum pertineat. Unumquodque autem ex comparatione contrarii magis cognoscitur: quia *contraria iuxta se posita magis elucescunt* *. Et ideo, ut beatitudo sanctorum eis magis complaceat, et de ea uberiores gratias Deo agant, datur eis ut poenam impiorum perfecte intueantur.

* Aristot. *Rhet.* lib. III, cap. XVI, n. 13.

Ad primum ergo dicendum quod Glossa illa loquitur de sanctis mortuis secundum impossibilitatem naturae: non enim oportet ut naturali cognitione cognoscant omnia quae erga vivos aguntur. Sed sancti qui sunt in patria omnia clare cognoscunt quae aguntur et apud viatores et apud damnatos. Unde Gregorius dicit, XII lib. *Moral.* *: *De animabus sanctis sentiendum non est* (hoc scilicet quod Iob dicit *, *Sive nobiles fuerint filii eius sive ignobiles nesciet* etc.): *quia qui intus habent Dei claritatem, nullo modo credendum est quod sit foris aliquid quod ignorent.*

* Cap. XXI, aliter XIV; in vet. XIII.
* Cap. XIV, vers. 21.

Ad secundum dicendum quod, quamvis pulcritudo visibilis ad perfectionem faciat visionis, visibilis tamen turpitudo sine visionis infectione esse potest: species enim rerum in anima per quas contraria cognoscuntur, non sunt contrariae. Unde etiam Deus, qui perfectissimam cognitionem habet, omnia pulcra et turpia videt.

ART. II. Utrum beati miseriis damnatorum compatiantur

II *Sent.*, dist. XI, part. I, art. 5.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod beati miseriis damnatorum compatiantur. Compassio enim ex caritate procedit. Sed in beatis erit perfectissima caritas. Ergo maxime miseriis damnatorum compatiuntur.

2. Praeterea, beati nunquam erunt tantum elongati a compassione quantum Deus est. Sed Deus quodammodo miseriis nostris compatitur, unde et *misericors* dicitur: et similiter angeli. Ergo beati compatientur miseriis damnatorum.

Sed contra, quicumque alii compatitur, fit miseriae eius quodammodo particeps. Sed beati non possunt esse participes alicuius miseriae. Ergo miseriis damnatorum non compatiuntur.

Respondeo dicendum quod misericordia, vel compassio, potest in aliquo inveniri dupliciter: uno modo, per modum passionis; alio modo, per modum electionis. In beatis autem non erit aliqua passio in parte inferiori nisi consequens electionem rationis. Unde non erit in eis compassio vel misericordia nisi secundum electionem rationis. Hoc autem modo ex electione rationis misericordia vel compassio nascitur, prout scilicet aliquis vult malum alterius repelli: unde in illis quae secundum iudicium rationis repelli non volumus, compassionem talem non habemus. Peccatores autem quandiu sunt in hoc mundo, in tali statu sunt quod sine praeiudicio divinae iustitiae possunt in beatitudinem transferri a statu miseriae et peccati. Et ideo beatorum compassio ad eos locum habet: et secundum electionem voluntatis, prout Deus, angeli et beati eis compati dicuntur, eorum salutem volendo; et secundum passionem, sicut compatiuntur eis homines boni in statu viae existentes. Sed in futuro non poterunt transferri a sua miseria. Unde ad eorum miserias non poterit esse compassio secundum electionem rectam. Et ideo beati qui erunt in gloria, nullam compassionem ad damnatos habebunt.

Ad primum ergo dicendum quod caritas tunc est compassionis principium quando possumus ex caritate velle remotionem miseriae alicuius. Sed sancti ex caritate hoc velle non possunt de damnatis: cum divinae iustitiae repugnet. Unde ratio non sequitur.

Ad secundum dicendum quod Deus dicitur esse misericors inquantum subvenit illis quos secundum ordinem sa-

pientiae et iustitiae suae convenit a miseria liberari: non quod damnatorum misereatur, nisi forte puniendo citra condignum.

ART. III. UTRUM BEATI LAETENTUR DE POENIS IMPIORUM

Quodl. VIII, qu. VII, art. 1, ad 1; *In Psalm.* XXXVI.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod beati non laetentur de poenis impiorum. Laetari enim de malo alterius ad odium pertinet. Sed in beatis nullum erit odium. Ergo non laetabuntur de miseriis damnatorum.

2. PRAETEREA, beati in patria erunt summe Deo conformes. Sed *Deus non delectatur in poenis nostris* *. Ergo nec beati delectabuntur in poenis damnatorum.

* *Tob.* cap. III, vers. 22.

3. PRAETEREA, illud quod est vituperabile in viatore, nullo modo cadit in comprehensorem. Sed in homine viatore est maxime vituperabile quod reficiatur aliorum poenis; et maxime commendabile ut de poenis doleat. Ergo beati nullo modo laetantur de poenis damnatorum.

SED CONTRA EST quod in Psalmo * dicitur: *Laetabitur iustus cum viderit vindictam.*

* Ps. LVII, vers. 11.

2. PRAETEREA, Isaiae ult. *: *Erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Satietas autem refectionem mentis designat. Ergo beati gaudebunt de poenis impiorum.

* Vers. 24.

RESPONDEO DICENDUM quod aliquid potest esse materia gaudii dupliciter. Uno modo, per se: quando scilicet de aliquo gaudetur inquantum huiusmodi. Et sic sancti non laetabuntur de poenis impiorum. – Alio modo, per accidens, idest ratione alicuius adiuncti. Et hoc modo sancti de poenis impiorum gaudebunt, considerando in eis ordinem divinae iustitiae et suam liberationem, de qua gaudebunt. Et sic divina iustitia et sua liberatio erunt per se causa gaudii beatorum, sed poenae damnatorum per accidens.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod laetari de malo alterius inquantum huiusmodi, pertinet ad odium: non autem laetari de malo alterius ratione alicuius adiuncti. Sic autem aliquis de malo proprio quandoque laetatur: sicut cum quis gaudet de propriis afflictionibus secundum quod prosunt ei ad meritum vitae; Iac. I *, *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.*

* Vers. 2.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quamvis Deus non delectetur in poenis inquantum huiusmodi, delectatur tamen eis inquantum sunt per suam iustitiam ordinatae.

AD TERTIUM DICENDUM quod in viatore non est laudabile quod delectetur de aliorum poenis secundum se: est tamen laudabile si delectetur de eis inquantum habent aliquid annexum. – Tamen alia ratio est de viatore et comprehensore. Quia in viatore passiones frequenter insurgunt sine iudicio rationis. Et tamen tales passiones interdum sunt laudabiles, secundum quod bonam dispositionem mentis indicant: sicut patet de verecundia et misericordia et poenitentia de malo. Sed in comprehensoribus non potest esse passio nisi consequens iudicium rationis.

QUAESTIO NONAGESIMAQUINTA

DE DOTIBUS BEATORUM

DEINDE considerandum est de dotibus beatorum *. Circa quod quaeruntur quinque.

* Cf. qu. XCII, Introd.

Primo: utrum beatis sint assignandae aliquae dotes.
Secundo: utrum dos a beatitudine differat.
Tertio: utrum Christo insint dotes.
Quarto: utrum angelis.
Quinto: utrum convenienter assignentur dotes.

ART. I. UTRUM PONENDAE SINT ALIQUAE DOTES IN HOMINIBUS BEATIS

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non sint ponendae aliquae dotes in hominibus beatis. Dos enim, secundum iura *, datur sponso ad sustinenda onera matrimonii. Sed sancti non gerunt figuram sponsi, sed magis figuram sponsae, inquantum sunt Ecclesiae membra *. Ergo eis dotes non dantur.

* Cod. V, XII, *de Iure Dot.*, 20; Dig. XXIII, III, eod. tit., 7, 56, 76.
* Cf. II *ad Cor.*, cap. XI, vers. 2.

2. PRAETEREA, dotes non dantur, secundum iura *, a patre sponsi, sed a patre sponsae. Omnia autem dona beatitudinis dantur beatis a Patre Sponsi, scilicet Christi: Iac. I *, *Omne datum optimum et omne donum perfectum,* etc. Ergo huiusmodi dona quae beatis dantur, non sunt dotes appellandae.

* Cod. V, XI, *de Dotis promiss.*, 7; Dig. XXIII, II, *de Ritu Nupt.*, 19; III, *de Iure Dot.*, 5.
* Vers. 17.

3. PRAETEREA, in matrimonio dantur dotes ad facilius toleranda onera matrimonii *. Sed in matrimonio spirituali non sunt aliqua onera: maxime secundum statum Ecclesiae triumphantis. Ergo non sunt ibi aliquae dotes assignandae.

* Cf. arg. 1.

4. PRAETEREA, dotes non dantur nisi causa matrimonii *. Sed matrimonium spirituale contrahitur cum Christo per fidem secundum statum Ecclesiae militantis *. Ergo, eadem ratione, si beatis aliquae dotes conveniunt, convenient etiam sanctis existentibus in via. Sed istis non conveniunt. Ergo nec beatis.

* Dig. XXIII, III, *de Iure Dot.*, 3.
* Cf. arg. *Sed contra* 1.

5. PRAETEREA, dotes ad bona exteriora pertinent, quae dicuntur bona fortunae. Sed praemia beatorum erunt de interioribus bonis. Ergo non debent dotes nominari.

SED CONTRA, *Ephes.* V * dicitur: *Sacramentum hoc magnum est: dico autem in Christo et Ecclesia:* ex quo habetur quod spirituale matrimonium per carnale significatur. Sed in carnali matrimonio sponsa dotata traducitur in domum sponsi. Ergo, cum sancti in domum Christi traducantur cum beatificantur, videtur quod aliquibus dotibus dotentur.

* Vers. 32.

2. PRAETEREA, dotes in matrimonio corporali assignantur ad matrimonii solatium *. Sed matrimonium spirituale est delectabilius quam corporale. Ergo ei sunt dotes maxime assignandae.

* Cf. arg. 1.

3. PRAETEREA, ornamenta sponsarum ad dotem pertinent. Sed sancti ornati in gloriam introducuntur: ut dicitur Isai. LXI *: *Induit me vestimentis salutis, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Ergo sancti in patria dotes habent.

* Vers. 10.

RESPONDEO DICENDUM quod absque dubio beatis, quando in gloriam transferuntur, aliqua dona divinitus dantur ad eorum ornatum: et hi ornatus a Magistris *dotes* sunt nominati. Unde datur quaedam definitio de dote de qua nunc loquimur, talis: *Dos est perpetuus ornatus animae et corporis, vitae sufficiens, in aeterna beatitudine iugiter perseverans.* Et sumitur haec descriptio ad similitudinem dotis corporalis, per quam sponsa ornatur et providetur viro unde possit sufficienter sponsam et liberos nutrire, et tamen inamissibiliter dos sponsae conservatur, ut ad eam separato matrimonio revertatur.

Sed de ratione nominis diversi diversimode opinantur. Quidam enim dicunt quod dos non accipitur ex aliqua similitudine ad matrimonium corporale; sed secundum modum loquendi quo omnem perfectionem seu ornatum cuiuscumque hominis *dotem* nominamus; sicut aliquis dicitur esse *dotatus scientia* qui scientia pollet. Et sic Ovidius usus est nomine *dotis,* dicens *: *Et quacumque potes dote placere, place.*

* *Art Amator.* lib. I, vers. 596.

Sed istud non videtur usquequaque conveniens. Quia quandocumque aliquod nomen est impositum ad aliquid principaliter significandum, non consuevit ad alia transferri nisi secundum aliquam similitudinem. Unde, cum secundum primam institutionem nominis *dos* ad matrimonium carnale pertineat, oportet quod in qualibet alia acceptione attendatur aliqua similitudo ad principale significatum.

Et ideo alii dicunt quod secundum hoc similitudo attenditur, quod dos proprie dicitur donum quod in matrimonio corporali datur sponsae ex parte sponsi, quando traducitur in domum sponsi, ad ornatum sponsae pertinens: quod patet ex hoc quod dixit Sichem Iacob et filiis eius, *Genes.* XXXIV *: *Augete dotem et munera postulate;* et *Exod.* XXII *: *Si seduxerit quis virginem dormieritque cum ea, dotabit eam et accipiet eam in uxorem.* Unde et ornatus qui a Christo sanctis exhibetur quando traducuntur in domum gloriae, *dos* nominatur.

* Vers. 12.
* Vers. 16.

Sed hoc manifeste est contra id quod iuristae dicunt, ad quos pertinet de his tractare. Dicunt enim quod dos proprie est *quaedam datio ex parte mulieris his qui sunt ex parte viri facta pro onere matrimonii quod sustinet vir* *. Sed illud quod sponsus dat sponsae, vocatur *donatio*

* S. Raym. *Summ.* lib. IV, tit. XXV, *De Dote et Donat.* etc., § 1.

propter nuptias *. Et secundum hunc modum accipitur dos III *Reg.* IX *, ubi dicitur quod *Pharao, Rex Aegypti, cepit Gazer, et dedit in dotem filiae suae uxori Salomonis.* – Nec contra hoc faciunt auctoritates inductae. Quamvis enim dotes a parente puellae consueverunt assignari, tamen quandoque contingit quod sponsus, vel pater sponsi, assignet dotes vice patris puellae. Quod contingit dupliciter. Vel pro nimio affectu ad sponsam: sicut fuit de Hemor, qui voluit assignare dotem, quam debebat accipere, propter vehementem amorem filii sui ad puellam. Vel hoc fit in poenam sponsi, ut virgini a se corruptae dotem de suo assignet, quam pater puellae debuerat assignare. Et in hoc casu loquitur Moyses in auctoritate inducta.

* Ibid., § 2.
* Vers. 16.

Et ideo, secundum alios, dicendum est quod dos in matrimonio corporali proprie dicitur quando datur ab his qui sunt ex parte mulieris his qui sunt ex parte viri, ad sustentanda onera matrimonii, ut dictum est.

Sed tunc remanet difficultas, quomodo haec assignatio possit aptari ad propositum: cum ornatus qui sunt in beatitudine, dentur sponsae spirituali a parte sponsi. Quod manifestabitur respondendo ad argumenta.

Ad primum ergo dicendum quod dotes, quamvis assignentur sponso in carnali matrimonio ad usum, tamen proprietas et dominium pertinet ad sponsam: quod patet ex hoc quod, soluto matrimonio, dos remanet sponsae, secundum iura *. Et sic etiam in matrimonio spirituali ipsi ornatus qui sponsae spirituali dantur, scilicet Ecclesiae in membris suis, sunt quidem ipsius sponsi inquantum ad eius gloriam et honorem cedunt, sed sponsae inquantum per eas ornatur.

* Dig. XXIV, III, *Soluto matr.* etc., 1, 2.

Ad secundum dicendum quod Pater Sponsi, scilicet Christi, est sola persona Patris: pater autem sponsae est tota Trinitas. Effectus autem in creaturis ad totam Trinitatem pertinent *. Unde huiusmodi dotes in spirituali matrimonio, proprie loquendo, magis dantur a patre sponsae quam a Patre Sponsi.

* Cf. Part. I, qu. XXXII, art. 1; qu. XLV, art. 6.

Sed tamen haec collatio, quamvis ab omnibus Personis fiat, singulis Personis potest appropriari per aliquem modum. Personae quidem Patris ut danti: quia in ipso est auctoritas; ei etiam paternitas respectu creaturae appropriatur; ut sic idem sit Pater Sponsi et sponsae. Filio vero appropriatur inquantum propter ipsum et per ipsum dantur. Sed Spiritui Sancto inquantum in ipso et secundum ipsum dantur: amor enim est omnis donationis ratio *.

* Cf. I *Sent.*, dist. XVIII, art. 3; Part. 1, qu. XXXVIII, art. 2.

Ad tertium dicendum quod dotibus per se convenit illud quod per dotes efficitur, scilicet solatium matrimonii: sed per accidens illud quod per eas removetur, scilicet onus matrimonii, quod per dotes alleviatur; sicut gratiae convenit per se facere iustum, sed per accidens quod de impio faciat iustum. Quamvis ergo in matrimonio spirituali non sint aliqua onera, est tamen ibi summa iucunditas. Et ad hanc perficiendam iucunditatem dotes sponsae conferuntur, ut scilicet delectabiliter per eas sponso coniungatur.

Ad quartum dicendum quod dotes non consueverunt assignari sponsae quando desponsatur, sed quando in domum sponsi traducitur ut praesentialiter sponsum habeat. Quandiu autem in hac vita sumus, *peregrinamur a Domino*, II *Cor.* V *. Et ideo dona quae sanctis in hac vita conferuntur, non dicuntur dotes: sed illa quae conferuntur eis quando transferuntur ad gloriam, in qua Sponso praesentialiter perfruuntur.

* Vers. 6.

Ad quintum dicendum quod in spirituali matrimonio interior decor requiritur: ut in Psalmo *, *Omnis gloria eius filiae Regis ab intus,* etc. Sed in matrimonio corporali requiritur decor exterior. Unde non oportet quod dotes huiusmodi assignentur in matrimonio spirituali sicut assignantur in corporali.

* Ps. XLIV, vers. 14.

ART. II. Utrum dos sit idem quod beatitudo

IV *Sent.*, dist. XLIX, qu. IV, art. 5, qu^a 1, ad 5.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod dos sit idem quod beatitudo. Ut enim ex definitione dotis praedicta * patet, *dos est ornatus animae et corporis in aeterna beatitudine iugiter perseverans.* Sed beatitudo est animae quidam ornatus eius. Ergo beatitudo est dos.

* Art. praeced.

2. Praeterea, dos dicitur illud per quod sponsa delectabiliter sponso coniungitur *. Sed in spirituali matrimonio beatitudo est huiusmodi. Ergo beatitudo est dos.

* Art. praeced., ad 3.

3. Praeterea, visio, secundum Augustinum *, est tota substantia beatitudinis. Sed *visio* ponitur una de dotibus *. Ergo beatitudo est dos.

* *In Psalm.* XCII, serm. II, n. 13.
* Art. 5.

4. Praeterea, fruitio beatum facit. *Fruitio* autem est dos *. Ergo dos beatum facit. Et sic beatitudo est dos.

* Ibid.

5. Praeterea, secundum Boetium, in libro *de Consolatione* *, beatitudo est *status omnium bonorum congregatione perfectus.* Sed status beatorum perficitur ex dotibus. Ergo dotes sunt beatitudinis partes.

* Lib. III, pros. II.

Sed contra, dos datur sine meritis. Sed beatitudo non datur, sed redditur. Ergo beatitudo non est dos.

2. Praeterea, beatitudo est una tantum. Dotes vero sunt plures *. Ergo beatitudo non est dos.

* Art. 5.

3. Praeterea, beatitudo inest homini secundum id quod est potissimum in eo, ut dicitur I *Ethic.* * Sed dos etiam in corpore ponitur. Ergo dos et beatitudo non sunt idem.

* Lib. X, cap. VII, n. 1; s. Th. lect. X. – Cf. lib. I, cap. VII, n. 15; s. Th. lect. X.

Respondeo dicendum quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt quod beatitudo et dos sunt idem re, sed differunt ratione: quia dos respicit spirituale matrimonium quod est inter Christum et animam, non autem beatitudo. – Sed hoc non potest esse, ut videtur: cum beatitudo in operatione consistat; dos autem non sit operatio, sed magis sit qualitas vel dispositio quaedam.

Et ideo, secundum alios, dicendum quod beatitudo et dos etiam realiter differunt: ut beatitudo dicatur ipsa operatio perfecta qua anima beata Deo coniungitur; sed dotes dicuntur habitus vel dispositiones, vel quaecumque aliae qualitates, quae ordinantur ad huiusmodi perfectam operationem; ut sic dotes ordinentur ad beatitudinem magis quam sint in beatitudine ut partes eius.

Ad primum ergo dicendum quod beatitudo, proprie loquendo, non est animae ornatus, sed est aliquid quod ex ornatu animae provenit: cum sit operatio quaedam, ornatus vero dicitur aliquis decor ipsius beati.

Ad secundum dicendum quod beatitudo non ordinatur ad coniunctionem, sed est ipsa coniunctio animae cum Christo, quae est per operationem. Sed dotes sunt dona disponentia ad huiusmodi coniunctionem.

Ad tertium dicendum quod visio dupliciter potest accipi. Uno modo, actualiter, idest pro ipso actu visionis. Et sic visio non est dos, sed est ipsa beatitudo. – Alio modo potest accipi habitualiter, idest pro habitu a quo talis operatio elicitur, idest pro ipsa gloriae claritate, qua anima divinitus illustratur ad Deum videndum. Et sic est dos, et principium beatitudinis; non autem est ipsa beatitudo.

Et similiter dicendum ad quartum de fruitione.

Ad quintum dicendum quod beatitudo colligit omnia bona non quasi partes essentiae beatitudinis, sed quasi aliquo modo ad beatitudinem ordinata.

ART. III. Utrum Christo competat habere dotes

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Christo competat habere dotes. Sancti enim Christo per gloriam conformabuntur: unde dicitur *Philip.* III *: *Qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* Ergo Christus etiam dotes habet.

* Vers. 21.

2. Praeterea, in spirituali matrimonio assignantur dotes ad similitudinem matrimonii corporalis. Sed in Christo invenitur quoddam spirituale matrimonium quod est sibi singulare, scilicet duarum naturarum in una persona: secundum quod dicitur natura humana in ipso esse desponsata a Verbo, ut patet ex Glossa * super illud Psalmi **, *In sole posuit tabernaculum* etc.; et *Apoc.* XXI *, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Ergo et Christo competit habere dotes.

* Ord. et Lomb. ex Aug.
** Ps. XVIII, vers. 6.
* Vers. 3.

3. Praeterea, ut dicit Augustinus, in libro *de Doctrina Christ.* *, Christus, secundum regulam Tyconii, propter

* Lib. III, cap. XXXI.

unitatem corporis mystici quae est inter caput et membra, nominat se etiam sponsam, et non solum sponsum: ut patet Isaiae LXI *, *Quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Cum ergo sponsae debeantur dotes, oportet, ut videtur, in Christo dotes ponere.

* Vers. 10.

4. PRAETEREA, omnibus membris Ecclesiae debetur dos: cum Ecclesia sit sponsa. Sed Christus est Ecclesiae membrum: ut patet I *Cor.* XII *, *Vos estis corpus Christi, et membra de membro; Glossa* *, *idest de Christo.* Ergo Christo debentur dotes.

* Vers. 27.
* Interl. et Lomb.

5. PRAETEREA, Christus habet perfectam visionem, fruitionem et delectationem. Hae autem ponuntur dotes *. Ergo Christus habuit dotes.

* Art. 5.

SED CONTRA, inter sponsum et sponsam exigitur distinctio personarum. Sed in Christo non est aliquid personaliter distinctum a Filio Dei, qui est sponsus, ut patet Ioan. III *, *Qui habet sponsam sponsus est.* Ergo, cum dotes sponsae assignentur, vel pro sponsa, videtur quod Christo non competat habere dotes.

* Vers. 29.

2. PRAETEREA, non est eiusdem dare dotes et recipere. Sed Christus est qui dat dotes spirituales *. Ergo Christo non competit dotes habere.

* Cf. art. 1, ad 2.

RESPONDEO DICENDUM quod circa hanc difficultatem est duplex opinio. Quidam enim dicunt quod in Christo est triplex unio: una, quae dicitur *consentanea,* qua unitur Deo per connexionem amoris; alia *dignativa,* qua humana natura unitur divinae; tertia, qua ipse Christus unitur Ecclesiae. Dicunt ergo quod secundum duas primas uniones competit Christo habere dotes sub ratione dotis; sed quantum ad tertiam, convenit ei id quod est dos excellentissime, non tamen sub ratione dotis; quia in tali coniunctione Christus est ut sponsus, sed Ecclesia ut sponsa; dos autem datur sponsae quantum ad proprietatem et dominium, quamvis detur sponso ad usum.

Sed hoc non videtur esse conveniens. In illa enim coniunctione qua Christus unitur Patri per consensum amoris etiam inquantum est Deus, non dicitur aliquod matrimonium esse: quia non est ibi aliqua subiectio, quam oportet esse sponsae ad sponsum.

Similiter etiam nec in coniunctione humanae naturae ad divinam quae est in unione personae, vel etiam per conformitatem voluntatis, potest esse ratio dotis, propter tria. Primo, quia exigitur conformitas naturae inter sponsum et sponsam in matrimonio illo in quo dantur dotes. Et hoc deficit in coniunctione humanae naturae ad divinam. – Secundo, quia exigitur ibi distinctio personarum. Humana autem natura non est personaliter distincta a Verbo. – Tertio, quia dos datur quando sponsa de novo introducitur in domum sponsi: et sic videtur ad sponsam pertinere quae de non coniuncta fit coniuncta. Humana autem natura quae est assumpta in unitate personae a Verbo, nunquam fuit quin esset perfecte coniuncta.

Unde, secundum alios *, dicendum quod vel omnino non convenit Christo ratio dotis: vel non ita proprie sicut aliis sanctis. Ea tamen quae dotes dicuntur, excellentissime ei conveniunt.

* Cf. b. Innoc. V, IV *Sent.*, dist. XLIX, qu. II, art. 2.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod conformatio illa est intelligenda secundum id quod est dos, et non secundum rationem dotis quae sit in Christo. Non enim oportet quod illud in quo Christo conformamur, sit eodem modo in nobis et in Christo.

AD SECUNDUM DICENDUM quod natura humana non proprie dicitur sponsa in coniunctione illa qua Verbo coniungitur: cum non servetur ibi personarum distinctio, quae inter sponsum et sponsam requiritur. Sed quod quandoque desponsata dicatur humana natura secundum quod Verbo coniuncta est, hoc est inquantum habet aliquem actum sponsae: quia scilicet inseparabiliter coniungitur; et quia in illa coniunctione humana natura est Verbo inferior, et per Verbum regitur sicut sponsa per sponsum.

AD TERTIUM DICENDUM quod hoc quod aliquando dicitur Christus sponsa, non est quia ipse vere sit sponsa: sed inquantum sibi assumit personam sponsae suae, scilicet Ecclesiae, quae est ei spiritualiter coniuncta. Unde nihil prohibet quin per illum modum loquendi posset dici habere dotes: non quod ipse habeat, sed quia Ecclesia habet.

AD QUARTUM DICENDUM quod nomen *Ecclesiae* dupliciter accipitur. Quandoque enim nominat tantummodo corpus quod Christo coniungitur sicut capiti. Et sic tantum Ecclesia habet rationem sponsae. Sic vero Christus non est Ecclesiae membrum, sed est caput influens omnibus Ecclesiae membris *.

* Part. III, qu. VIII, art. 1.

Alio modo accipitur Ecclesia secundum quod nominat caput et membra coniuncta. Et sic Christus dicitur membrum Ecclesiae, inquantum habet officium distinctum ab omnibus aliis, scilicet influere aliis vitam. Quamvis non multum proprie dicatur membrum: quia membrum importat partialitatem quandam; in Christo autem bonum spirituale non est particulatum, sed est totaliter integrum; unde ipse est totum Ecclesiae bonum, nec est aliquid maius ipse et alii quam ipse solus. Sic autem loquendo de Ecclesia, Ecclesia non solum nominat sponsam, sed *sponsum et sponsam* *, prout per coniunctionem spiritualem est ex eis unum effectum. Unde, licet Christus aliquo modo dicatur membrum Ecclesiae, nullo tamen modo potest dici membrum sponsae. Et sic ei non convenit ratio dotis.

* Cf. Matth. cap. XXV, vers. 1; et *Lib. Regularum Tyconii*, Reg. 1 (Cantab. 1894).

AD QUINTUM DICENDUM quod in processu illo est fallacia *accidentis.* Non enim illa Christo conveniunt secundum quod habent rationem dotis.

ART. IV. UTRUM ANGELI HABEANT DOTES

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod angeli habeant dotes. Quia super illud *Cant.* VI *, *Una est columba mea,* dicit Glossa: *Una est Ecclesia in hominibus et angelis.* Sed Ecclesia est sponsa, et sic membris Ecclesiae convenit habere dotes. Ergo angeli dotes habent.

* Vers. 8.

2. PRAETEREA, Luc. XII, super illud *, *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis,* dicit Glossa *: *Ad nuptias Dominus ivit quando post resurrectionem novus homo angelorum sibi multitudinem copulavit.* Ergo angelorum multitudo est sponsa Christi. Et sic angelis debentur dotes.

* Vers. 36.
* Ord.

3. PRAETEREA, spirituale matrimonium in spirituali coniunctione consistit. Sed spiritualis coniunctio non est minor inter angelos et Deum quam inter homines beatos et Deum. Ergo, cum dotes de quibus nunc agimus, ratione spiritualis matrimonii assignentur, videtur quod angelis conveniant dotes.

4. PRAETEREA, spirituale matrimonium requirit spiritualem sponsum et spiritualem sponsam. Sed Christo, inquantum summus spiritus, magis sunt conformes in natura angeli quam homines. Ergo magis potest esse spirituale matrimonium angelorum ad Christum quam hominum.

5. PRAETEREA, maior convenientia exigitur inter caput et membra quam inter sponsum et sponsam. Sed conformitas quae est inter Christum et angelos sufficit ad hoc quod Christus dicatur *caput angelorum* *. Ergo eadem ratione sufficit ad hoc quod dicatur sponsus respectu eorum.

* Part. III, qu. VIII, art. 4.

SED CONTRA, Origenes, *super Cantica* *, distinguit quatuor personas: scilicet *sponsum et sponsam, adolescentulas,* et *sodales sponsi.* Et dicit quod angeli sunt *sodales sponsi.* Cum ergo dotes non debeantur nisi sponsae, videtur quod angelis dotes non conveniant.

* Prolog.

2. PRAETEREA, Christus desponsavit sibi Ecclesiam per incarnationem et passionem *: unde figuratur per hoc quod dicitur *Exod.* IV *: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Sed Christus per passionem et incarnationem non aliter fuit coniunctus angelis quam prius erat. Ergo angeli non pertinent ad Ecclesiam secundum quod Ecclesia dicitur sponsa. Ergo angelis non conveniunt dotes.

* *Ad Ephes.* cap. V, vers. 23 sqq.
* Vers. 25.

RESPONDEO DICENDUM quod ea quae ad dotes animae pertinent, non est dubium angelis sicut et hominibus convenire. Sed secundum rationem dotis non ita eis sicut hominibus conveniunt: eo quod non ita proprie convenit angelis ratio sponsae sicut hominibus. Exigitur enim inter sponsum et sponsam naturae conformitas, ut sint eiusdem speciei. Hoc autem modo homines cum Christo conveniunt: inquantum naturam humanam assumpsit, per quam

assumptionem factus est conformis in natura speciei humanae omnibus hominibus. Angelis autem non est conformis secundum unitatem speciei, neque secundum naturam divinam neque secundum naturam humanam. Et ideo ratio dotis non ita proprie convenit angelis sicut hominibus.

Tamen in his quae metaphorice dicuntur, cum non requiratur similitudo quantum ad omnia, non potest ex aliqua dissimilitudine concludi quod metaphorice aliquid de alio non praedicetur. Et sic ex ratione inducta non potest simpliciter haberi quod angelis dotes non conveniant: sed solum quod non ita proprie sicut hominibus, ratione dissimilitudinis praedictae.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis angeli pertineant ad unitatem Ecclesiae, non tamen sunt membra Ecclesiae secundum quod Ecclesia dicitur sponsa per conformitatem naturae. Et sic non convenit eis proprie habere dotes.

Ad secundum dicendum quod desponsatio illa large accipitur pro unione quae non habet conformitatem naturae in specie. Et sic etiam nihil prohibet, large accipiendo dotes, ponere dotes in angelis.

Ad tertium dicendum quod, quamvis in matrimonio spirituali non sit nisi coniunctio spiritualis, tamen illos qui coniunguntur, ad perfectam matrimonii rationem, oportet in specie naturae convenire. Et propter hoc desponsatio proprie ad angelos non pertinet.

Ad quartum dicendum quod illa conformatio qua angeli conformantur Christo inquantum est Deus, non est talis quae sufficiat ad perfectam matrimonii rationem, cum non sit secundum convenientiam in specie: sed magis adhuc remanet infinita distantia.

Ad quintum dicendum quod nec etiam Christus proprie dicitur caput angelorum, secundum illam rationem qua caput requirit conformitatem naturae.

Tamen sciendum quod, licet caput et alia membra sint partes individui unius speciei, non tamen, si unumquodque per se consideretur, cum alio est eiusdem speciei: manus enim habet aliam speciem partis a capite. Unde, loquendo de membris secundum se, non requiritur inter ea alia convenientia quam proportionis, ut unum ab alio accipiat et unum alii subserviat. Et sic convenientia quae est inter Deum et angelos, magis sufficit ad rationem capitis quam ad rationem sponsi.

ART. V. Utrum convenienter ponantur tres esse animae dotes: scilicet visio, dilectio et fruitio

Part. I, qu. xii, art. 7, ad 1; II *Sent.*, dist. 1, qu. 1, art. 1, qu[a] 1; *Ad Heb.*, cap. 1, lect. vi.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter ponantur tres esse animae dotes: scilicet *visio, dilectio* et *fruitio*. Anima enim coniungitur Deo secundum mentem, in qua est imago Trinitatis secundum memoriam, intelligentiam et voluntatem *. Sed dilectio ad voluntatem pertinet, visio ad intelligentiam. Ergo debet aliquid poni quod memoriae respondeat: cum fruitio non pertineat ad memoriam, sed magis ad voluntatem.

* Aug. *de Trin.* lib. XV, cap. xxi, xxiii. - Cf. I Part., qu. cxiii, art. 7, ad 3.

2. Praeterea, dotes beatitudinis dicuntur respondere virtutibus viae quibus Deo coniungimur, quae sunt fides, spes et caritas, quibus est ipse Deus obiectum *. Sed dilectio respondet caritati, visio autem fidei. Ergo debet aliquid poni quod pertineret ad spem: cum fruitio magis pertineat ad caritatem.

* I[a] II[ae], qu. lxii, art. 1, 2.

3. Praeterea, Deo non fruimur nisi per dilectionem et visionem: illis enim dicimur frui quae diligimus propter se, ut patet per Augustinum, in libro *de Doctrina Christ.* * Ergo fruitio non debet poni alia dos a dilectione.

* Lib. I, cap. iv.

4. Praeterea, ad perfectionem beatitudinis requiritur *comprehensio:* I *Cor.* ix *, *Sic currite ut comprehendatis.* Ergo deberet adhuc quarta dos poni.

* Vers. 24.

5. Praeterea, Anselmus dicit * quod haec pertinent ad beatitudinem animae: *sapientia, amicitia, concordia, potestas, honor, securitas, gaudium.* Et sic videntur praedictae dotes inconvenienter assignari.

* *De Similitud.*, cap. xlviii. - Inter Opp. Anselm.

6. Praeterea, Augustinus, in fine *de Civ. Dei* *, dicit quod Deus in illa beatitudine *sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.* Ergo *laus* praeassignatis dotibus annumerari debet.

* Lib. XXII, cap. xxx.

7. Praeterea, Boetius ponit quinque ad beatitudinem pertinentia, in III *de Consolat.* *, quae sunt haec: *sufficientia,* quam promittunt divitiae; *iucunditas,* quam promittit voluptas; *celebritas,* quam promittit fama; *securitas,* quam promittit potentia; *reverentia,* quam promittit dignitas. Et sic videtur quod ista potius deberent assignari dotes quam praedicta.

* Pros. x.

Respondeo dicendum quod ab omnibus communiter tres ponuntur animae dotes, diversimode tamen. Quidam * enim dicunt quod tres dotes animae sunt *visio, dilectio* et *fruitio*; quidam vero quod sunt *visio, comprehensio* et *fruitio* *; quidam vero quod sunt *visio, delectatio* et *comprehensio.* Omnes tamen hae assignationes reducuntur in idem, et eodem modo earum numerus assignatur.

* Autissiod. *Sum. Aur.* lib. IV, cap. *De Dotib. Animarum.*
* S. Bonav. IV *Sent.*, dist. xlix, part. I, qu. v. - Cf. lib. III, dist. xxvi, art. 1, qu. iii.

Dictum enim est * quod dos est aliquid animae inhaerens per quod ordinatur ad operationem in qua consistit beatitudo. In qua quidem operatione duo requiruntur: scilicet ipsa substantia operationis, quae est visio; et perfectio eius, quae est delectatio, oportet enim beatitudinem esse *operationem perfectam* *. Visio autem aliqua est delectabilis dupliciter: uno modo, ex parte obiecti, inquantum id quod videtur est delectabile; alio modo, ex parte visionis, inquantum ipsum videre delectabile est, sicut delectamur in cognoscendo mala, quamvis mala non delectent nos. Et quia operatio illa in qua ultima beatitudo consistit, debet esse perfectissima, ideo requiritur quod visio illa sit utroque modo delectabilis. Ad hoc autem quod ipsa visio sit delectabilis ex parte visionis, requiritur quod sit facta connaturalis videnti per aliquem habitum: sed ad hoc quod sit delectabilis ex parte visibilis, requiruntur duo, scilicet quod ipsum visibile sit conveniens, et quod sit coniunctum.

* Art. 2.
* Aristot. *Ethic.* lib. I, cap. vii, n. 15; cap. xiii, n. 1. - S. Th. lect. x, xix.

Sic ergo ad delectabilitatem visionis ex parte sui, requiritur habitus qui visionem eliciat. Et sic est una dos, quae dicitur ab omnibus *visio.* – Sed ex parte visibilis requiruntur duo. Scilicet convenientia, quae est per affectum: et quantum ad hoc ponitur dos a quibusdam *dilectio,* et a quibusdam *fruitio,* secundum quod fruitio ad affectum pertinet; illud enim quod summe diligimus, convenientissimum aestimamus. – Requiritur etiam ex parte visibilis coniunctio. Et sic ponitur a quibusdam *comprehensio,* quae nihil est aliud quam in praesentia Deum habere et in seipso tenere: sed secundum alios *fruitio,* prout fruitio est, non spei, sicut est in via, sed iam rei, sicut est in patria.

Et sic dotes tres respondent tribus virtutibus theologicis: scilicet visio fidei; spei vero comprehensio, vel fruitio secundum unam acceptionem; caritati vero delectatio, vel fruitio secundum aliam assignationem. Fruitio enim perfecta, qualis in patria habebitur, includit in se delectationem et comprehensionem. Et ideo a quibusdam accipitur pro uno, a quibusdam vero pro alio.

Quidam * vero attribuunt has tres dotes tribus animae virtutibus: visionem scilicet rationali; dilectionem concupiscibili; fruitionem vero irascibili, inquantum talis fruitio est per quandam victoriam adepta. – Sed hoc non proprie dicitur. Quia irascibilis et concupiscibilis non sunt in parte intellectiva, sed sensitiva *: dotes autem animae ponuntur in ipsa mente.

* S. Bonav. ubi supra.
* Part. I, qu. lxxxi, art. 2; qu. lxxxii, art. 5.

Ad primum ergo dicendum quod memoria et intelligentia non habent nisi unam operationem: vel quia ipsa intelligentia est operatio memoriae; vel, si intelligentia dicatur esse potentia quaedam, memoria non exit in operationem nisi mediante intelligentia, quia memoriae est notitiam tenere. Unde etiam memoriae et intelligentiae non respondet nisi unus habitus, scilicet notitia. Et ideo utrique respondet tantum una dos, scilicet visio.

Ad secundum dicendum quod fruitio respondet spei, inquantum includit comprehensionem, quae spei succedet. Quod enim speratur, nondum habetur: et ideo spes quodammodo affligit *, propter distantiam amati. Et propter hoc in patria non remanet, sed succedet ei comprehensio.

* Cf. *Prov.* cap. xiii, vers. 12; I[am] II[ae], qu. xxxii, art. 3, ad 2.

Ad tertium dicendum quod fruitio, secundum quod comprehensionem includit, distinguitur a visione et dilectione:

alio tamen modo quam dilectio a visione. Dilectio enim et visio diversos habitus nominant, quorum unus pertinet ad intellectum, alter vero ad affectum. Sed comprehensio, vel fruitio secundum quod ponitur pro comprehensione, non importat alium habitum ab illis duobus: sed importat remotionem impedimentorum ex quibus efficiebatur ut non posset mens Deo praesentialiter coniungi. Et hoc quidem fit per hoc quod ipse habitus gloriae animam ab omni defectu liberat: sicut quod facit eam sufficientem ad cognoscendum sine phantasmatibus, et ad praedominandum corpori, et alia huiusmodi, per quae excluduntur impedimenta quibus fit ut nunc *peregrinemur a Domino* *.

* II *ad Cor.*, cap. v, vers. 6.

Ad quartum patet responsio ex dictis *.

* In corpore.

Ad quintum dicendum quod proprie dotes sunt immediata principia illius operationis in qua perfecta beatitudo consistit, per quam anima Christo coniungitur. Illa autem quae Anselmus enumerat, non sunt huiusmodi: sed sunt qualitercumque beatitudinem concomitantia vel consequentia, non solum in comparatione ad sponsum, ad quem sola *sapientia* inter enumerata ab eo pertinet, sed etiam in comparatione ad alios; vel pares, ad quos pertinet *amicitia* quantum ad unionem affectuum, et *concordia* quantum ad consensum in agendis; vel inferiores, ad quos pertinet et *potestas*, secundum quod a superioribus inferiora disponuntur, et *honor*, secundum id quod ab inferioribus superioribus exhibetur; et etiam per comparationem ad seipsum, ad quod pertinet *securitas* quantum ad remotionem mali, et *gaudium* quantum ad adeptionem boni.

Ad sextum dicendum quod laus, quae ab Augustino ponitur tertium eorum quae in patria erunt, non est dispositio ad beatitudinem, sed magis ad beatitudinem consequens: ex hoc enim ipso quod anima Deo coniungitur, in quo beatitudo consistit, sequitur quod in laudem prorumpat. Unde laus non habet rationem dotis.

Ad septimum dicendum quod illa quinque quae enumerat Boetius, sunt quaedam beatitudinis conditiones: non autem dispositiones ad beatitudinis actum. Eo quod beatitudo, ratione suae perfectionis, sola et singulariter habet per seipsam quidquid ab hominibus in diversis rebus quaeritur: ut patet etiam per Philosophum, in I * et X *Ethic.* ** Et secundum hoc, Boetius ostendit illa quinque in vera beatitudine esse, quia haec sunt quae ab hominibus in temporali felicitate quaeruntur. Quae vel pertinent ad immunitatem a malo, sicut *securitas*; – vel ad consecutionem boni: vel convenientis, sicut *iucunditas*; vel perfecti, sicut *sufficientia*; – vel ad manifestationem boni: sicut *celebritas*, inquantum bonum unius est in notitia multorum; et *reverentia*, inquantum illius notitiae vel boni signum aliquod exhibetur; reverentia enim consistit in exhibitione honoris, qui est testimonium virtutis. Unde patet quod ista quinque non debent dici dotes, sed quaedam beatitudinis conditiones.

* Cap. vii, n. 7, 8. - S. Th. lect. ix.
** Cap. vii, n. 4; cap. viii, n. 9 sqq. - S. Th. lect. x, xiii.

QUAESTIO NONAGESIMASEXTA
DE AUREOLIS

Consequenter considerandum est de aureolis *. Circa quod quaeruntur tredecim.

* Cf. qu. xcii, Introd.

Primo: utrum aureola differat a praemio essentiali.
Secundo: utrum differat a fructu.
Tertio: utrum fructus soli virtuti continentiae debeatur.
Quarto: utrum convenienter assignentur tres fructus tribus partibus continentiae.
Quinto: utrum virginibus debeatur aureola.
Sexto: utrum debeatur martyribus.
Septimo: utrum debeatur doctoribus.
Octavo: utrum Christo aureola debeatur.
Nono: utrum angelis.
Decimo: utrum corpori humano debeatur.
Undecimo: utrum convenienter tres aureolae assignentur.
Duodecimo: utrum aureola virginum sit potissima.
Decimotertio: utrum unus alio intensius eandem aureolam habeat.

ART. I. utrum aureola sit aliquod aliud praemium a praemio essentiali, quod aurea dicitur

Ad primum sic proceditur. Videtur quod aureola non sit aliquod aliud praemium a praemio essentiali, quod *aurea* dicitur. Praemium enim essentiale est ipsa beatitudo. Sed beatitudo, secundum Boetium *, est *status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Ergo praemium essentiale includit omne bonum quod habetur in patria. Et sic aureola includitur in aurea.

* *De Consolat. Philos.* lib. III, pros. ii.

2. Praeterea, *magis et minus non diversificant speciem*. Sed illi qui servant consilia et praecepta, magis praemiantur quam illi qui servant praecepta tantum: nec in aliquo praemium eorum videtur differre nisi quod unum est altero maius. Cum ergo aureola nominet praemium quod debetur operibus perfectionis, videtur quod aureola non dicat aliquid distinctum ab aurea.

3. Praeterea, praemium respondet merito. Sed radix totius meriti est caritas *. Cum ergo caritati respondeat aureola, videtur quod in patria non erit aliquod praemium ab aurea distinctum.

* Cf. I^{am} II^{ae}, qu. cxiv, art. 4.

4. Praeterea, *homines beati assumuntur ad angelorum ordines*, ut dicit Gregorius *. Sed in angelis, *licet quaedam data sint quibusdam excellenter, nihil tamen ibi possidetur singulariter: omnia enim in omnibus sunt, non quidem aequaliter, quia alii aliis sublimius possident quae tamen omnes habent*, ut etiam Gregorius dicit *. Ergo et in beatis non erit aliquod aliud praemium nisi omnium commune. Ergo aureola non est praemium distinctum ab aurea.

* Homil. XXXIV *in Evang.*, n. 11. - Cf. II *Sent.*, dist. ix, cap. *Notandum*.
* Loc. cit. n. 14. - Cf. II *Sent.*, dist. ix, cap. *Haec nomina*.

5. Praeterea, excellentiori merito excellentius praemium debetur. Si ergo aurea debetur operibus quae sunt in praecepto, aureola vero his quae sunt in consilio, aureola erit perfectior quam aurea. Et ita non deberet deminutive significari. Et sic videtur quod aureola non sit praemium distinctum ab aurea.

Sed contra, *Exod.* xxv, super illud *, *Facies alteram coronam aureolam*, dicit Glossa *: *Ad coronam pertinet canticum novum quod virgines tantum coram Agno concinunt*: ex quo videtur quod aureola sit quaedam corona non omnibus, sed quibusdam specialiter reddita. Aurea autem omnibus beatis redditur. Ergo aureola est aliud quam aurea.

* Vers. 25.
* Ord. Bedae.

2. Praeterea, pugnae quam sequitur victoria, debetur corona: II *Tim.* ii *, *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit*. Ergo, ubi est specialis ratio certaminis, ibi debet esse specialis corona. Sed in aliquibus operibus est specialis ratio certandi. Ergo prae aliis aliquam coronam habere debent. Et hanc dicimus aureolam.

* Vers. 5.

3. Praeterea, Ecclesia militans descendit a triumphante: ut patet *Apoc.* xxi *, *Vidi civitatem sanctam* etc. Sed in Ecclesia militante specialia opera habentibus redduntur specialia praemia: sicut victoribus corona, currentibus bravium. Ergo similiter debet esse in Ecclesia triumphante.

* Vers. 2.

Respondeo dicendum quod praemium essentiale hominis, quod est eius beatitudo, consistit in perfecta coniunctione animae ad Deum, inquantum eo perfecte fruitur ut viso et amato perfecte. Hoc autem praemium metaphorice *corona* dicitur vel *aurea*: tum ex parte meriti, quod cum quadam pugna agitur, *militia* enim *est vita hominis super terram*, *Iob* vii *; tum etiam ex parte praemii, per quod homo efficitur quodammodo divinitatis particeps *, et per consequens regiae potestatis, *Apoc.* v **, *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes*; corona autem est proprium signum regiae potestatis. Et eadem ratione praemium quod essentiali additur, coronae rationem habet. Significat etiam corona perfectionem quandam, ratione figurae circularis: ut ex hoc etiam perfectioni competat beatorum. Sed quia nihil potest superaddi quin sit eo minus, ideo superadditum praemium *aureola* nominatur.

* Vers. 1.
* II Petr. cap. i, vers. 4.
** Vers. 10.

Huic autem essentiali praemio quod aurea dicitur, aliquid superadditur dupliciter. Uno modo, ex conditione naturae eius qui praemiatur: sicut supra beatitudinem animae gloria corporis adiungitur. Unde et ipsa gloria corporis interdum aureola nominatur: unde super illud *Exod.* xxv *, *Facies alteram coronam aureolam*, dicit quae-

* Cf. arg. *Sed contra* 1.

dam Glossa * quod *in fine aureola superponitur, cum in Scriptura dicatur quod eis sublimior gloria in receptione corporum servetur.* Sic autem nunc de aureola non agitur.

* Ord. Bedae.

Alio modo, ex ratione operis meritorii. Quod quidem rationem meriti habet ex duobus, ex quibus etiam habet bonitatis rationem: scilicet ex radice caritatis, qua refertur in finem ultimum, et sic debetur ei essentiale praemium, scilicet perventio ad finem, quae est *aurea;* et ex ipso genere actus, quod laudabilitatem quandam habet ex debitis circumstantiis, et ex habitu eliciente, et proximo fine; et sic debetur ei quoddam accidentale praemium, quod *aureola* dicitur. Et hoc modo de aureola ad praesens intendimus. Et sic dicendum est quod aureola dicit aliquid aureae superadditum: idest, quoddam gaudium de operibus a se factis quae habent rationem victoriae excellentis, quod est aliud gaudium ab eo quo de coniunctione ad Deum gaudetur, quod gaudium aurea dicitur.

Ad primum ergo dicendum quod beatitudo includit in sè omnia bona quae sunt necessaria ad perfectam hominis vitam, quae consistit in perfecta hominis operatione. Sed quaedam possunt superaddi, non quasi necessaria ad perfectam operationem ut sine quibus esse non possit: sed quia, his additis, est beatitudo clarior. Unde pertinent ad bene esse beatitudinis, et ad decentiam quandam ipsius. Sicut et felicitas politica ornatur nobilitate et corporis pulcritudine et huiusmodi, sine quibus esse potest, ut patet in I *Ethic.* * Et hoc modo se habet aureola ad beatitudinem patriae.

* Cap. VIII, n. 15 sqq. - S. Th. lect. XIII.

Ad secundum dicendum quod ille qui servat consilia et praecepta, semper meretur magis quam ille qui servat praecepta tantum, secundum quod ratio meriti consideratur in operibus ex ipso genere operum: non autem semper secundum quod ratio meriti pensatur ex radice caritatis, cum quandoque ex maiori caritate aliquis servet praecepta tantum quam aliquis praecepta et consilia. Sed ut pluries accidit e converso: quia *probatio dilectionis exhibitio est operis,* ut Gregorius dicit *. Non ergo ipsum praemium essentiale magis intensum dicitur aureola, sed id quod praemio essentiali superadditur: indifferenter sive sit maius praemium essentiale habentis aureolam, sive minus, sive aequale. praemio essentiali non habentis.

* Homil. XXX *in Evang.*, n. 1.

Ad tertium dicendum quod caritas est principium merendi, sed actus noster est quasi instrumentum quo meremur. Ad effectum autem consequendum non solum requiritur debita dispositio in primo movente, sed etiam recta dispositio in instrumento. Et ideo in effectu aliquid consequitur ex parte primi principii, quod est principale; et aliquid ex parte instrumenti, quod est secundarium. Unde et in praemio aliquid est ex parte caritatis, scilicet aurea; et aliquid ex genere operationis, scilicet aureola.

Ad quartum dicendum quod angeli omnes in eodem genere actus suam beatitudinem meruerunt, scilicet in hoc quod sunt conversi ad Deum: et ideo nullum singulare praemium invenitur in uno quod alius non habeat aliquo modo. Homines autem diversis generibus actuum beatitudinem merentur. Et ideo non est simile.

Tamen illud quod unus videtur specialiter habere inter homines, quodammodo omnes communiter habent: inquantum scilicet per caritatem perfectam unusquisque bonum alterius suum reputat. Non tamen hoc gaudium quo unus alteri congaudet, potest aureola nominari: quia non datur in praemium victoriae eius, sed magis respicit victoriam alienam; corona enim ipsis victoribus redditur, non victoriae congaudentibus.

Ad quintum dicendum quod maior est excellentia meriti quae consurgit ex caritate quam illa quae consurgit ex genere actus: sicut *finis,* ad quem ordinat caritas, *est potior his quae sunt ad finem* *, circa quae actus nostri consistunt. Unde et praemium respondens merito ratione caritatis, quantumcumque parvum, est maius quolibet praemio respondente actui ratione sui generis. Et ideo aureola deminutive dicitur respectu aureae.

* Aristot. *Rhet.* lib. I, cap. VII, n. 35.

ART. II. Utrum aureola differat a fructu

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod aureola non differat a fructu. Eidem merito non debentur diversa praemia. Sed eidem merito respondet aureola et *fructus centesimus,* scilicet virginitatis, ut patet in Glossa * Matth. XIII *. Ergo aureola est idem quod fructus.

* Ord. * Vers. 23.

2. Praeterea, Augustinus dicit, in libro *de Virginitate* *, quod centesimus fructus debetur martyri. Et idem debetur virgini *. Ergo fructus est quoddam praemium commune virginibus et martyribus. Sed eisdem etiam debetur aureola *. Ergo aureola est idem quod fructus.

* Cap. XLV. - Cf. Gloss. Ord. in Matth. cap. XIII, vers. 23. * Art. 4. * Art. 5, 6.

3. Praeterea, in beatitudine non invenitur nisi duplex praemium: scilicet essentiale; et accidentale, quod essentiali superadditur. Sed praemium essentiali superadditum dictum est * esse aureolam: quod patet ex hoc quod, *Exod.* XXV *, aureola coronae aureae superponi dicitur. Sed fructus non est praemium essentiale: quia sic deberetur omnibus beatis. Ergo est idem quod aureola.

* Art. praeced. * Vers. 25.

Sed contra, quaecumque non sunt eiusdem divisionis, non sunt eiusdem rationis. Sed fructus et aureola non similiter dividuntur: quia aureola dividitur in aureolam virginum, martyrum et doctorum *; fructus autem in fructum coniugatorum, viduarum et virginum *. Ergo fructus et aureola non sunt idem.

* Art. 11. * Art. 4.

2. Praeterea, si fructus et aureola essent idem, cuicumque deberetur fructus, deberetur et aureola. Hoc autem patet esse falsum: quia fructus debetur viduitati *, non autem aureola. Ergo, etc.

* Art. 4.

Respondeo dicendum quod ea quae metaphorice dicuntur, possunt varie accipi, secundum adaptationem ad diversas proprietates eius unde fit transumptio. Cum autem *fructus* proprie in rebus corporalibus dicatur de terrae nascentibus, secundum diversas conditiones quae in fructibus corporalibus inveniri possunt, diversimode fructus spiritualiter accipitur. Fructus enim corporalis dulcedo est, quae reficit secundum quod in usum hominis venit; est etiam ultimum ad quod operatio naturae pervenit; est etiam id quod ex agricultura expectatur per seminationem vel quoscumque alios modos.

Quandoque igitur fructus spiritualiter accipitur pro eo quod reficit quasi ultimus finis. Et secundum hanc significationem dicimur Deo *frui:* perfecte quidem in patria; imperfecte autem in via. Et ex hac significatione accipitur *fruitio* quae est dos *. – Sic autem nunc de fructibus non loquimur.

* Qu. XCVI, art. 5.

Quandoque autem sumitur fructus spiritualiter pro eo quod reficit tantum, quamvis non sit ultimus finis. Et sic virtutes fructus dicuntur, inquantum *mentem sincera dulcedine reficiunt,* ut Ambrosius * dicit. Et sic accipitur fructus *Galat.* V *: *Fructus autem Spiritus gaudium,* etc. – Sic autem de fructibus nunc etiam non quaeritur *.

* Mag. I *Sent.* dist. 1, p. 1, cap. *Hic considerandum.* * Vers. 22, 23. * Cf. III *Sent.*, dist. XXXIV, qu. 1, art. 5; Iam IIae, qu. LXX, art. 1, ad 2.

Potest autem alio modo sumi fructus spiritualis ad similitudinem corporalis fructus inquantum corporalis fructus est quoddam commodum quod ex labore agriculturae expectatur: ut sic fructus dicatur illud praemium quod homo consequitur ex labore quo in hac vita laborat. Et sic omne praemium quod in futuro habebitur ex nostris laboribus, fructus dicitur. Et sic accipitur fructus *Rom.* VI *: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.* – Sic etiam nos nunc de fructu non agimus.

* Vers. 22.

Sed agimus nunc de fructu secundum quod ex semine consurgit: sic enim de fructu Dominus loquitur Matth. XIII *, ubi fructum dividit in *tricesimum, sexagesimum* et *centesimum.* Fructus autem secundum hoc potest prodire ex semine, quod vis sementina est efficax ad convertendum humores terrae in suam naturam: et quanto haec virtus est efficacior, et terra ad hoc paratior, tanto fructus sequitur uberior. Spirituale autem semen quod in nobis seminatur *est verbum Dei* *. Unde quanto aliquis magis in spiritualitatem convertitur, a carne recedens, tanto in eo est maior fructus verbi Dei. Secundum hoc igitur fructus differt ab aurea et ab aureola, quia *aurea* consistit in gaudio quod habetur de Deo; *aureola* vero in gaudio quod

* Vers. 3 sqq.; Marc. cap. IV, vers. 3 sqq.; Luc. cap. VIII, vers. 5 sqq. * Luc. cap. VIII, vers. 11.

habetur de operum perfectione; sed *fructus* in gaudio quod habetur de ipsa dispositione operantis secundum gradum spiritualitatis in quem proficit ex semine verbi Dei.

Quidam distinguunt inter aureolam et fructum dicentes quod aureola debetur pugnanti, secundum illud II *Tim.* II *, *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit;* fructus autem laboranti, secundum illud quod dicitur *Sap.* III *, *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* – Alii vero dicunt quod aurea respicit conversionem ad Deum; sed aureola et fructus consistunt in his quae sunt ad finem, ita tamen quod fructus principalius respicit voluntatem, aureola autem magis corpus.

* Vers. 5.
* Vers. 15.

Sed, cum in eodem sit labor et pugna et secundum idem; et praemium corporis ex praemio animae dependeat: secundum praedicta non esset differentia inter fructum, auream et aureolam nisi ratione tantum. Et hoc non potest esse: cum quibusdam assignetur fructus quibus non assignatur aureola.

Ad primum ergo dicendum quod non est inconveniens eidem merito, secundum diversa quae in ipso sunt, diversa praemia respondere. Unde et virginitati respondet aurea, secundum quod propter Deum servatur imperio caritatis; aureola vero secundum quod est quoddam perfectionis opus habens rationem victoriae excellentis; fructus vero secundum quod per virginitatem homo in quandam spiritualitatem transit, a carnalitate recedens.

Ad secundum dicendum quod fructus secundum propriam acceptionem, prout nunc loquimur, non dicit praemium commune martyrio et virginitati, sed tribus continentiae gradibus *. Glossa autem illa quae ponit fructum centesimum martyribus respondere, large accipit fructum, secundum quod quaelibet remuneratio dicitur fructus: ut sic per centesimum fructum remuneratio designetur quae quibuslibet operibus perfectionis debetur.

* Cf. art. 3, 4.

Ad tertium dicendum quod, quamvis aureola sit quoddam accidentale praemium essentiali superadditum, non tamen omne accidentale praemium est aureola: sed praemium de operibus perfectionis, quibus homo maxime Christo conformatur, secundum praedictam victoriam *. Unde non est inconveniens quod abstractioni a carnali vita aliquod aliud accidentale praemium debeatur, quod fructus dicitur.

* Cf. art. 1.

ART. III. Utrum fructus debeatur soli virtuti continentiae

IV *Sent.*, dist. XXXIII, qu. III, art. 3, ad 3; XLIX, qu. V, art. 2, qu^a 1, ad 2.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod fructus non debeatur soli virtuti continentiae. Quia I *Cor.* XV, super illud *, *Alia claritas solis* etc., dicit Glossa ** quod *claritati solis illorum dignitas comparatur qui centesimum fructum habent; lunari autem qui sexagesimum; stellae vero qui tricesimum.* Sed illa diversitas claritatum, secundum intentionem Apostoli, pertinet ad quamcumque beatitudinis differentiam. Ergo diversi fructus non debent respondere soli continentiae.

* Vers. 41.
** Ord. et Lomb.

2. Praeterea, fructus a *fruitione* dicuntur. Sed fruitio pertinet ad praemium essentiale, quod omnibus virtutibus respondet. Ergo, etc.

3. Praeterea, fructus labori debetur: *Sap.* III *, *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Sed maior est labor in fortitudine quam in temperantia vel in continentia. Ergo fructus non respondet soli continentiae.

* Vers. 15.

4. Praeterea, difficilius est modum non excedere in cibis, qui sunt necessarii ad vitam, quam in venereis, sine quibus vita conservari potest. Et sic maior est labor parsimoniae quam continentiae. Ergo parsimoniae magis respondet fructus quam continentiae.

5. Praeterea, fructus refectionem importat. Refectio autem praecipue est in fine. Cum ergo virtutes theologicae finem habeant pro obiecto, scilicet ipsum Deum, videtur quod eis fructus maxime debeat respondere.

Sed contra est quod habetur in Glossa * Matth. XIII **, quae fructus assignat virginitati, viduitati et continentiae coniugali, quae sunt continentiae partes.

* Ord.
** Vers. 23.

Respondeo dicendum quod fructus est quoddam praemium quod debetur homini ex hoc quod a carnali vita in spiritualem transit *. Et ideo illi virtuti praecipue fructus respondet quae hominem praecipue a subiectione carnis liberat. Hoc autem facit continentia: quia per delectationes venereas anima praecipue carni subditur, adeo ut in actu carnali, secundum Hieronymum *, nec Spiritus prophetiae corda tangat prophetarum; *nec in illa delectatione est possibile aliquid intelligere,* ut Philosophus dicit, in VII *Ethic.* * Et ideo continentiae magis respondet fructus quam alii virtuti.

* Art. praeced.
* Origen. Homil. VI *in Num.* - Cf. Hieronym. Epist. CXXIII, al. XI, *ad Ageruch.*
* Cap. XI, n. 4. - S. Th. lect. XI.

Ad primum ergo dicendum quod Glossa illa accipit fructum large, secundum quod quaelibet remuneratio fructus nominatur.

Ad secundum dicendum quod *fruitio* non sumitur a *fructu* secundum illam similitudinem qua nunc de fructu loquimur *.

* Cf. art. praec.

Ad tertium dicendum quod fructus, secundum quod nunc loquimur, non respondet labori ratione fatigationis, sed secundum quod per laborem semina fructificant. Unde et ipsae segetes *labores* * dicuntur: inquantum propter eas laboratur, vel labore acquiruntur. Similitudo autem fructus secundum quod oritur ex semine, magis aptatur in continentia quam in fortitudine: quia per passiones fortitudinis homo non subditur carni, sicut per passiones circa quas est continentia.

* Cf. Ps. CXXVII, vers. 2; Ioan. cap. IV, vers. 38.

Ad quartum dicendum quod, quamvis delectationes quae sunt in cibis, sunt magis necessariae illis quae sunt in venereis, non tamen sunt ita vehementes. Unde per eas anima non ita subditur carni.

Ad quintum dicendum quod fructus non sumitur hic secundum quod *frui* dicitur qui reficitur in fine, sed alio modo *. Et ideo ratio non sequitur.

* Cf. art. praec.

ART. IV. Utrum convenienter assignentur tres fructus tribus continentiae partibus

I^a II^ae, qu. LXX, art. 3, ad 2.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter assignentur tres fructus tribus continentiae partibus. Quia *Galat.* V * ponuntur duodecim fructus Spiritus, scilicet *gaudium, pax,* etc. Et ideo videtur quod non debeant poni tres tantum.

* Vers. 22, 23.

2. Praeterea, fructus nominat aliquod praemium speciale. Sed praemium quod assignatur virginibus, viduis et coniugatis, non est speciale: quia omnes salvandi continentur sub aliquo horum trium; cum nullus salvetur qui continentia careat, et continentia per has tres sufficienter dividatur. Ergo inconvenienter tribus praedictis tres fructus assignantur.

3. Praeterea, sicut viduitas excedit continentiam coniugalem, ita virginitas viduitatem. Sed non similiter excedit sexagenarius tricenarium, et centenarius sexagenarium: neque secundum arithmeticam proportionalitatem, quia sexagenarius excedit tricenarium in triginta, et centenarius sexagenarium in quadraginta; neque etiam secundum proportionalitatem geometricam, quia sexagenarius se habet in dupla proportione ad tricenarium, centenarius vero ad sexagenarium in superbitertia, quia continet totum et duas tertias eius. Ergo inconvenienter aptantur fructus tribus continentiae gradibus.

4. Praeterea, ea quae in sacra Scriptura dicuntur, perpetuitatem habent: Luc. XXI *, *Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transient.* Sed ea quae ex institutione hominum sunt facta, quotidie possunt mutari. Ergo ex his quae ex institutione hominum sunt, non est accipienda ratio eorum quae in Scriptura dicuntur. Et sic videtur quod inconveniens sit ratio quam Beda * assignat de istis fructibus, dicens quod fructus tricesimus debetur coniugatis, quia in repraesentatione quae fit in abaco, triginta significatur per contactum pollicis et indicis secundum suam summitatem; unde ibi quodammodo osculantur se; et sic tricenarius numerus significat coniugatorum oscula. Sexagenarius vero numerus significatur per tactum indicis super medium articulum pollicis: et sic per hoc quod index iacet super pollicem opprimens ipsum, significat oppressionem quam viduae patiuntur in mundo. Cum

* Vers. 33.
* *Expos. in Luc.*, lib. III, cap. VIII, ex Hieron. *Cont. Iovinian.* lib. I, cap. I.

autem numerando ad centenarium pervenimus, ad dexteram a laeva transimus: unde per centenarium virginitas designatur, quae habet proportionem angelicae dignitatis, qui sunt in dextera, scilicet in gloria, nos autem in sinistra propter imperfectionem praesentis vitae.

Respondeo dicendum quod per continentiam, cui fructus respondet *, homo in quandam spiritualitatem adducitur, carnalitate abiecta. Et ideo secundum diversum modum spiritualitatis quam continentia facit, diversi fructus distinguuntur. Est enim quaedam spiritualitas necessaria, et quaedam superabundans. Necessaria quidem spiritualitas est in hoc quod rectitudo spiritus ex delectatione carnis non pervertatur: quod fit cum aliquis per rectum ordinem rationis utitur delectationibus carnis. Et haec est spiritualitas coniugatorum. – Spiritualitas vero superabundans est per quam homo ab huiusmodi delectationibus carnis, spiritum suffocantibus, omnino se abstrahit. Sed hoc contingit dupliciter. Vel respectu cuiuslibet temporis praeteriti, praesentis et futuri. Et haec est spiritualitas virginum. – Vel secundum aliquod tempus. Et haec est spiritualitas viduarum.

* Art. praeced.

Servantibus ergo continentiam coniugalem datur fructus trigesimus; vidualem, sexagesimus; virginalem, centesimus; ratione illa quam Beda assignat *.

* Cf. arg. 4.

Quamvis possit et alia ratio assignari ex ipsa natura numerorum. Tricenarius enim numerus ex ductu trinarii in denarium surgit. Ternarius enim est *numerus omnis rei*, ut dicitur I *de Caelo et Mundo* *, et habet in se perfectionem quandam omnibus communem, scilicet principii, medii et finis. Unde convenienter tricenarius numerus coniugatis assignatur, in quibus supra observationem decalogi, qui per denarium significatur, non additur aliqua perfectio nisi communis, sine qua non potest esse salus. – Senarius autem, ex cuius ductu in denarium sexagenarius surgit, habet perfectionem ex partibus: cum constet ex omnibus partibus suis simul aggregatis. Unde convenienter viduitati respondet, in qua invenitur perfecta abstractio a delectationibus carnis quantum ad omnes circumstantias, quae sunt quasi partes virtuosi actus: cum nulla enim persona, et in nullo loco delectationibus carnis viduitas utitur, et sic de aliis circumstantiis. Quod non erat de continentia coniugali. – Sed centenarius convenienter respondet virginitati: quia denarius, ex cuius ductu centenarius surgit, est limes numerorum; et similiter virginitas tenet spiritualitatis limitem, quia ad eam nihil de spiritualitate adiici potest. Habet enim centenarius, inquantum est numerus quadratus, perfectionem ex figura. Figura enim quadrata secundum hoc perfecta est quod ex omni parte aequalitatem habet, utpote habens omnia latera aequalia. Unde competit virginitati, in qua quantum ad omne tempus aequaliter incorruptio invenitur.

* Cap. 1, n. 2. - S. Th. lect. 11.

Ad primum ergo dicendum quod ibi fructus non accipiuntur hoc modo sicut hic de eis loquimur.

Ad secundum dicendum quod nihil cogit ad ponendum fructum esse praemium non omnibus salvandis conveniens. Non solum enim essentiale praemium commune est omnibus, sed etiam aliquod accidentale: sicut gaudium de operibus illis sine quibus non est salus. Potest tamen dici quod fructus non omnibus conveniunt salvandis: sicut patet de his qui in fine poenitent, et incontinenter vixerunt; eis enim non fructus, sed essentiale praemium tantum debetur.

Ad tertium dicendum quod distinctio fructuum magis accipitur secundum species et figuras numerorum quam secundum quantitates ipsorum. Tamen etiam quantum ad quantitatis excessum potest aliqua ratio assignari. Coniugatus enim abstinet tantum a non sua, vidua vero a suo et a non suo: et sic invenitur ibi quaedam ratio dupli, sicut sexagenarius est duplex ad tricenarium. Centenarius vero supra sexagenarium addit quadragenarium, qui consurgit ex ductu quaternarii in denarium. Quaternarius autem est primus numerus solidus et cubicus. Et sic convenit talis additio virginitati, quae supra perfectionem viduitatis perpetuam incorruptionem adiungit.

Ad quartum dicendum quod, quamvis illa repraesentatio numerorum sit ex humana institutione, tamen fundatur aliquo modo super rerum naturam: inquantum secundum ordinem digitorum et articulorum et contactuum numeri gradatim designantur.

ART. V. utrum ratione virginitatis debeatur aureola

Infra, art. 11.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod ratione virginitatis non debeatur aureola. Ubi enim est maior difficultas in opere, ibi debetur maius praemium. Sed maiorem difficultatem patiuntur in abstinendo a delectationibus carnis viduae quam virgines: dicit enim Hieronymus * quod quanto maior est difficultas ex parte quorundam a voluptatis illecebris abstinere, tanto maius est praemium; et loquitur in commendatione viduarum. Philosophus etiam dicit, in libro *de Animalibus* *, quod *iuvenes corruptae magis appetunt coitum, propter rememorationem delectationis*. Ergo aureola, quae est maximum praemium, debetur magis viduis quam virginibus.

* Epist. CXXIII, al. XI, *ad Ageruch.*, n. 2.

* *De Animal. Histor.* lib. VII, cap. 1, n. 4.

2. Praeterea, si virginitati deberetur aureola, ubi esset perfectissima virginitas, maxime inveniretur aureola. Sed in Beata Virgine est perfectissima virginitas: unde et *Virgo Virginum* nominatur *. Et tamen ei non debetur aureola: quia nullam pugnam sustinuit in continendo, cum corruptione fomitis non fuerit infestata. Ergo virginitati aureola non debetur.

* In Litaniis Sanctorum.

3. Praeterea, ei quod non est secundum omne tempus laudabile, non debetur praemium excellens. Sed virginitatem servare non fuisset laudabile in statu innocentiae: cum tunc esset homini praeceptum, *Crescite et multiplicamini et replete terram* *. Nec etiam tempore legis. cum steriles erant maledictae. Ergo virginitati aureola non debetur.

* *Gen.* cap. 1, vers. 28.

4. Praeterea, non debetur idem praemium virginitati servatae et virginitati amissae. Sed pro virginitate amissa quandoque debetur aureola: ut si aliqua invita prostituatur a tyranno quia Christum confitetur. Ergo virginitati aureola non debetur.

5. Praeterea, excellens praemium non debetur ei quod inest nobis a natura. Sed virginitas innascitur cuilibet homini et bono et malo. Ergo virginitati aureola non debetur.

6. Praeterea, sicut se habet viduitas ad fructum sexagenarium, ita virginitas ad fructum centesimum et ad aureolam. Sed non cuilibet viduae debetur fructus sexagenarius, sed solum viduitatem voventi, ut quidam dicunt. Ergo videtur quod non cuilibet virginitati aureola debeatur, sed solum virginitati ex voto servatae.

7. Praeterea, praemium non respondet necessitati: cum omne meritum in voluntate consistat. Sed quaedam sunt virgines ex necessitate: ut naturaliter frigidi et eunuchi. Ergo virginitati non semper debetur aureola.

Sed contra est quod habetur *Exod.* xxv *, *Facies alteram coronam aureolam*: Glossa *, *Ad coronam pertinet canticum novum quod virgines coram Agno concinunt, scilicet « qui sequuntur Agnum quocumque ierit »*. Ergo praemium quod virginitati debetur, dicitur aureola.

* Vers. 25.

* Ord. Bedae.

2. Praeterea, Isaiae lvi * dicitur, *Haec dicit Dominus eunuchis;* et sequitur *, *Dabo eis nomen melius a filiis et filiabus;* Glossa *, *Propriam gloriam excellentemque significat.* Sed per *eunuchos qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum* *, virgines designantur. Ergo virginitati debetur aliquod excellens praemium. Et hoc vocatur aureola.

* Vers. 4.

* Vers. 5.

* Aug. *de Sancta Virginitat.*, cap. xxv, super verb. *nomen sempiternum*, loc. cit.

* Matth. cap. xix, vers. 12.

Respondeo dicendum quod, ubi est praecellens ratio victoriae, ibi debetur aliqua specialis corona *. Unde, cum per virginitatem aliquis singularem quandam victoriam obtineat de carne, contra quam continue bellum geritur, ut patet ad *Galat.* v *, *Spiritus concupiscit adversus carnem* etc., virginitati specialis corona debetur, quae aureola nominatur. Et hoc quidem communiter ab omnibus tenetur. Sed cui virginitati debeatur aureola, non similiter omnes dicunt.

* Art. 1.

* Vers. 17.

Quidam enim dicunt aureolam actui deberi. Unde illa quae actu virginitatem servat, aureolam habebit, si sit de numero salvandorum. – Sed hoc non videtur esse conve-

niens. Quia secundum hoc illae quae habent voluntatem nubendi et tamen antequam nupserint decedunt, habebunt aureolam.

Unde alii dicunt quod aureola debetur statui, et non actui: ut illae tantum virgines aureolam mereantur quae in statu virginitatis perpetuae servandae per votum se posuerunt. – Sed hoc etiam non videtur conveniens. Quia aliquis ex pari voluntate potest servare virginitatem non vovens sicut alius vovens.

Et ideo aliter dici potest quod meritum omne actui virtutis debetur a caritate imperato *. Virginitas autem secundum hoc ad genus virtutis pertinet, secundum quod perpetua incorruptio mentis et corporis sub electione cadit: ut patet ex his quae dicta sunt *. Et ideo illis tantum virginibus aureola proprie debetur quae propositum habuerunt virginitatem perpetuo conservandi, sive hoc propositum voto firmaverunt sive non (et hoc dico secundum quod aureola proprie accipitur ut praemium quoddam merito redditum): quamvis hoc propositum aliquando fuerit interruptum, integritate tamen carnis manente, dummodo in fine vitae inveniatur; quia virginitas mentis reparari potest, quamvis non virginitas carnis *.

* Iª IIªe, qu. cxiv, art. 4.
* Dist. xxxiii, qu. iii, art. 1, 2.
* Cf. IIam IIae, qu. clii, art. 3, ad 3.

Si autem aureolam large accipiamus pro quocumque gaudio quod in patria habebunt super gaudium essentiale, sic etiam incorruptis carne aureola respondebit etiam si propositum non habuerunt perpetuo virginitatem servandi. Non enim est dubium quod de incorruptione corporis gaudebunt: sicut et innocentes de hoc quod immunes a peccato fuerunt, quamvis etiam peccandi oportunitatem non habuerunt, ut patet in pueris baptizatis. Sed haec non est propria acceptio aureolae, sed valde communis.

Ad primum ergo dicendum quod in continendo secundum aliquid maiorem pugnam sustinent virgines, et secundum aliquid viduae, ceteris paribus. Virgines enim concupiscentia inflammat et experiendi desiderium, quod ex quadam quasi curiositate procedit, qua etiam fit ut homo libentius videat quae nunquam vidit; et etiam quandoque in eis concupiscentiam auget aestimatio maioris delectationis quam sit secundum veritatem; et inconsideratio eorum incommodorum quae delectationi huiusmodi adiunguntur. Et quantum ad hoc viduae minorem sustinent pugnam: maiorem autem propter delectationis memoriam. Et in diversis unum alteri praeiudicabit secundum diversas hominis dispositiones: quia quidam magis moventur hoc, quidam illo. Quidquid autem sit de quantitate pugnae, hoc tamen certum est, quod perfectior est victoria virginum quam viduarum. Perfectissimum enim genus victoriae est, et pulcherrimum, hosti nunquam cessisse. Corona autem non debetur pugnae, sed victoriae de pugna.

Ad secundum dicendum quod duplex circa hoc est opinio. Quidam enim dicunt quod Beata Virgo pro virginitatis praemio non habet aureolam, si aureola proprie accipiatur, secundum quod respicit pugnam. Tamen habet aliquid maius aureola, propter perfectissimum propositum virginitatis servandae.

Alii vero dicunt quod aureolam, etiam sub propria ratione aureolae, habet, et excellentissimam. Quamvis enim pugnam non senserit, pugnam tamen carnis aliquam habuit: sed ex vehementia virtutis adeo habuit carnem subditam quod huiusmodi pugna ei insensibilis erat. – Sed istud non videtur convenienter dici. Quia, cum Beata Virgo credatur omnino immunis fuisse a fomitis inclinatione propter eius sanctificationem perfectam *, non est pium ponere aliquam pugnam a carne fuisse in ea: cum talis pugna non sit nisi a fomitis inclinatione; nec tentatio quae est a carne sine peccato esse possit, ut patet per Glossam * II *Cor.* xii, super illud **, *Datus est mihi stimulus carnis meae* etc.

* Part. III, qu. xxvii, art. 3.
* Lomb.
** Vers. 7.

Unde dicendum est quod aureolam proprie habet, ut in hoc membris aliis Ecclesiae conformetur in quibus virginitas invenitur. Et quamvis non habuit pugnam per tentationem quae est *a carne*, habuit tamen pugnam per tentationem *ab hoste*: qui nec etiam ipsum Christum reveritus fuit, ut patet Matth. iv *.

* Vers. 1-11.; Marc. cap. i, vers. 13; Luc. cap. iv, vers. 1-13.

Ad tertium dicendum quod virginitati non debetur aureola nisi inquantum addit quandam excellentiam super alios continentiae gradus. Si autem Adam non peccasset, virginitas nullam perfectionem supra continentiam coniugalem habuisset: quia fuissent tunc *honorabiles nuptiae et torus immaculatus* *, nulla concupiscentiae foeditate existente. Unde virginitas tunc servata non fuisset: nec ei tunc aureola deberetur. Sed, mutata humanae naturae conditione, virginitas specialem decorem habet. Et ideo ei speciale redditur praemium.

* *Ad Heb.* cap. xiii, vers. 4.

Tempore etiam legis Moysi, quando cultus Dei etiam per carnalem actum propagandus erat, non erat omnino laudabile a commixtione carnis abstinere. Unde nec tali proposito speciale praemium redderetur, nisi ex divino processisset instinctu: ut creditur de Ieremia et Elia *, quorum coniugia non leguntur.

* Hieron. Epist. XXII, *ad Eustoch.*, n. 21.

Ad quartum dicendum quod, si aliqua per violentiam oppressa fuerit, propter hoc non amittit aureolam, dummodo propositum perpetuo virginitatem servandi inviolabiliter servet, si illi actui nullo modo est consentiens. Nec tamen per hoc virginitatem perdit *. Et hoc dico sive pro fide, sive pro quacumque alia causa violenter corrumpatur. Sed si hoc pro fide sustineat, hoc ei erit meritorium, et ad genus martyrii pertinebit. Unde Lucia dixit: *Si me invitam violare feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam* *: non quod habeat duas virginitatis aureolas; sed quia duplex praemium reportabit, unum pro virginitate custodita, aliud pro iniuria quam passa est. – Dato etiam quod taliter oppressa concipiat, nec ex hoc meritum virginitatis perdit. Nec tamen matri Christi aequabitur, in qua fuit cum integritate mentis etiam integritas carnis.

* IIª IIªe, qu. clii, art. 1, ad 4.
* Lect. vi ad Matutin. in festo s. Luciae, die 13 Decemb.

Ad quintum dicendum quod virginitas nobis a natura innascitur quantum ad id quod est materiale in virginitate. Sed propositum perpetuae incorruptionis servandae, ex quo virginitas meritum habet, non est innatum, sed ex munere gratiae proveniens.

Ad sextum dicendum, quod non cuilibet viduae fructus sexagenarius debetur: sed ei solum quae propositum viduitatis servandae retinet, quamvis etiam votum non emittat; sicut etiam de virginitate dictum est *.

* In corpore.

Ad septimum dicendum quod, si frigidi et eunuchi voluntatem habeant perpetuam incorruptionem servare etiam si facultas esset coeundi, virgines sunt dicendi, et aureolam merentur: *faciunt* enim *de necessitate virtutem* *. Si vero voluntatem habeant ducendi coniugem si possent, aureolam non merentur. Unde dicit Augustinus, in libro *de Sancta Virginitate* *: *Quibus ipsum virile membrum debilitatur ut generare non possint, ut sunt eunuchi, sufficit, cum Christiani fiunt et Dei praecepta custodiunt, eo tamen proposito sunt ut coniuges si possent haberent, coniugatis fidelibus adaequari.*

* Hieronym. Ep. LIV, al. X, n. 6.
* Cap. xxiv.

ART. VI. utrum martyribus aureola debeatur

Infra, art. 11; *De Verit.*, qu. xxvi, art. 6, ad 3.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod martyribus aureola non debeatur. Aureola enim est praemium quod operibus supererogationis redditur: unde dicit Beda *, super illud *Exod.* xxv *, *Aliam coronam aureolam* etc.: *De eorum praemio potest recte intelligi qui generalia mandata spontanea vitae perfectioris electione transcendunt.* Sed mori pro confessione fidei quandoque est necessitatis, non supererogationis: ut patet ex hoc quod dicitur *Rom.* x *, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ergo martyrio non semper debetur aureola.

* *De Tabernac. et Vasis eius*, lib. I, cap. vi.
* Vers. 25.
* Vers. 10.

2. Praeterea, secundum Gregorium *, servitia quanto sunt magis libera, tanto sunt magis grata. Sed martyrium minimum habet de libertate: cum sit poena ab alio violenter inflicta. Ergo martyrio aureola non debetur, quae respondet merito excellenti.

* Cf. Append. Gratian. ad can. *Iam vero*, caus. XXIII, qu. vi, Aug. *de Adult. Coniug.*, lib. I; cap. xiv.

3. Praeterea, martyrium non solum consistit in exteriori passione mortis, sed etiam in interiori voluntate. Unde Bernardus * distinguit tria genera martyrum: voluntate, non nece, ut Ioannes; voluntate et nece, ut Stephanus; nece, non voluntate, ut Innocentes *. Si ergo martyrio aureola deberetur, magis deberetur martyrio voluntatis quam exteriori martyrio: cum meritum ex voluntate

* Serm. *in Nat. SS. Innoc.*
* Cf. resp. ad 12.

procedat. Hoc autem non ponitur. Ergo martyrio aureola non debetur.

4. Praeterea, afflictio corporis est minor quam afflictio mentis, quae est per interiores dolores et interiores animae passiones. Sed interior etiam afflictio quoddam martyrium est: unde dicit Hieronymus, in Sermone *de Assumptione* *: *Recte dixerim, Dei Genitrix Virgo et Martyr fuit, quamvis in pace vitam finierit. Unde: « Tuam ipsius animam pertransibit gladius »*, scilicet dolor de morte Filii. Cum ergo interiori dolori aureola non respondeat, nec exteriori respondere debet.

* Al. Epist. IX, *ad Paul. et Eustoch.*-Inter Opp. Hieron.

5. Praeterea, ipsa poenitentia martyrium quoddam est: unde dicit Gregorius *: *Quamvis occasio persecutionis desit, habet tamem et pax nostra martyrium suum: quia, etsi carnis colla ferro non subiicimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus.* Poenitentiae autem, quae in exterioribus operibus consistit, aureola non debetur. Ergo nec etiam omni exteriori martyrio.

* Homil. III *in Evang.*

6. Praeterea, illicito operi non debetur aureola. Sed illicitum est sibi ipsi manus iniicere: ut patet per Augustinum, in I lib. *de Civ. Dei* *. Et tamen quorundam martyria in Ecclesia celebrata sunt qui sibi manus iniecerunt, tyrannorum rabiem fugientes: ut patet in Ecclesiastica Historia de quibusdam mulieribus apud Alexandriam *. Ergo non semper martyrio debetur aureola.

* Cap. xvii, xx, xxvi.

* Vide Euseb. *Histor. Eccles.* lib. VIII, cap. xii, de Martyribus Antiochenis.

7. Praeterea, contingit aliquando aliquem pro fide vulnerari et postmodum aliquo tempore supervivere. Hunc constat martyrem esse. Et tamen ei, ut videtur, aureola non debetur: quia eius pugna non duravit usque ad mortem. Ergo non semper martyrio debetur aureola.

8. Praeterea, quidam magis affliguntur in amissione rerum temporalium quam etiam in propria afflictione: quod patet ex hoc quod multas afflictiones sustinent ad lucra acquirenda. Si ergo eis propter Christum temporalia bona diripiantur, videtur quod sint martyres. Nec tamen eis, ut videtur, debetur aureola. Ergo idem quod prius.

9. Praeterea, martyr videtur esse ille qui pro fide occiditur: unde dicit Isidorus *: *Martyres graece, testes latine dicuntur: quia propter testimonium Christi passiones sustinuerunt, et usque ad mortem pro veritate certaverunt.* Sed aliquae aliae virtutes sunt fide excellentiores, ut iustitia, caritas et huiusmodi, quae sine gratia esse non possunt: quibus tamen non debetur aureola. Ergo videtur quod nec martyrio aureola debeatur.

* *Etymol.* lib. VII, cap. xi, n. 1.

10. Praeterea, sicut veritas fidei est a Deo, ita et quaelibet alia veritas, ut dicit Ambrosius *: quia *omne verum, a quocumque dicatur, a Spiritu Sancto est.* Ergo, si sustinenti mortem pro veritate fidei debetur aureola, eadem ratione et sustinentibus mortem pro qualibet alia veritate. Quod tamen non videtur.

* *Comment. in Epist. I ad Cor.*, cap. xii, vers. 3. - Inter Opp. Ambros.

11. Praeterea, bonum commune est potius bono particulari *. Sed si aliquis pro conservatione reipublicae moriatur in bello iusto, non debetur ei aureola. Ergo etiam si occidatur pro conservatione fidei in seipso. Et sic martyrio aureola non debetur.

* Aristot. *Ethic.* lib. I, cap. ii, n. 8. - S. Th. lect. ii.

12. Praeterea, omne meritum ex libero arbitrio procedit. Sed quorundam martyria celebrat Ecclesia qui usum liberi arbitrii non habuerunt. Ergo aureolam non meruerunt. Et sic non omnibus martyribus debetur aureola.

Sed contra, Augustinus dicit, in libro *de Sancta Virginitate* *: *Nemo, quantum puto, ausus fuit praeferre virginitatem martyrio.* Sed virginitati debetur aureola. Ergo et martyrio.

* Cap. xlvi.

2. Praeterea, corona debetur certanti. Sed in martyrio est specialis difficultas pugnae. Ergo ei debetur specialis aureola.

Respondeo dicendum quod, sicut inest quaedam pugna spiritui contra interiores concupiscentias, ita etiam inest homini quaedam pugna contra passiones exterius illatas. Unde, sicut perfectissimae victoriae qua de concupiscentiis carnis triumphatur, scilicet virginitati, debetur specialis corona, quae aureola dicitur; ita etiam perfectissimae victoriae quae habetur de impugnatione exteriori, debetur aureola.

Perfectissima autem victoria de exterioribus passionibus consideratur ex duobus. Primo, ex magnitudine passionis. Inter omnes autem passiones illatas exterius praecipuum locum mors tenet *: sicut et in passionibus interioribus praecipuae sunt venereorum concupiscentiae. Et ideo quando quis obtinet victoriam de morte et ordinatis ad mortem, perfectissime vincit. – Secundo, perfectio victoriae consideratur ex causa pugnae: quando videlicet pro honestissima causa pugnatur; quae scilicet est ipse Christus.

* Cf. Arist. *Ethic.* lib. III, cap. vi, n. 6. - S. Th. lect. xiv.

Et haec duo in martyrio considerantur, quod est mors suscepta propter Christum: *martyrem* enim *non facit poena, sed causa* *. Et ideo martyrio aureola debetur, sicut et virginitati.

* Aug. *Enarrat. in Ps.* XXXIV, serm. ii, n. 13.

Ad primum ergo dicendum quod sustinere mortem propter Christum, quantum est de se, est opus supererogationis: non enim quilibet tenetur fidem suam coram persecutore confiteri. Sed in casu est de necessitate salutis: quando scilicet aliquis a persecutore deprehensus de fide sua requiritur, quam confiteri tenetur. Nec tamen sequitur quod aureolam non mereatur. Aureola enim non debetur operi supererogationis inquantum est supererogatio: sed inquantum perfectionem quandam habet. Unde, tali perfectione manente, etiam si non sit supererogatio, aliquis aureolam meretur.

Ad secundum dicendum quod martyrio non debetur aliquod praemium secundum hoc quod ab exteriori infligitur, sed secundum hoc quod voluntarie sustinetur: quia non meremur nisi per ea quae sunt in nobis. Et quanto id quod aliquis sustinet voluntarie est difficilius et magis natum voluntati repugnare, tanto voluntas quae propter Christum illud sustinet, ostenditur firmius fixa in Christo. Et ideo ei excellentius praemium debetur.

Ad tertium dicendum quod quidam actus sunt qui in ipso actu habent quandam vehementiam delectationis vel difficultatis. Et in talibus actus semper addit ad rationem meriti vel demeriti: secundum quod in actu oportet voluntatem variari ex vehementia actus a statu in quo prius erat. Et ideo, ceteris paribus, actu luxuriam exercens plus peccat quam qui solum in actum consentit: quia in ipso actu voluntas augetur. Similiter et, cum actus martyrii maximam difficultatem habeat, voluntas martyrii non pertingit ad illud meritum quod actui martyrum debetur ratione difficultatis. Quamvis etiam possit pervenire ad alterius praemium considerata radice merendi: quia aliquis ex maiori caritate potest velle sustinere martyrium quam alius sustineat. Unde voluntarie martyr potest mereri sua voluntate praemium essentiale aequale vel maius eo quod martyri debetur. Sed aureola debetur difficultati quae est in ipsa pugna martyrii. Unde aureola voluntarie tantum martyribus non debetur.

Ad quartum dicendum quod, sicut delectationes tactus, circa quas est temperantia, praecipuum locum tenent inter omnes delectationes interiores et exteriores, ita dolores tactus omnibus aliis doloribus praeeminent. Et ideo difficultati illi quae accidit in sustinendo dolores tactus, puta qui sunt in verberibus et huiusmodi, debetur aureola, magis quam difficultati sustinendi interiores dolores. Pro quibus tamen non proprie dicitur aliquis martyr, nisi secundum quandam similitudinem. Et hoc modo Hieronymus loquitur.

Ad quintum dicendum quod afflictio poenitentiae, proprie loquendo, non est martyrium: quia non consistit in his quae ad mortem inferendam ordinantur; cum ordinetur solum ad carnem domandam, quam mensuram si quis excedat, erit afflictio culpanda. Dicitur tamen propter similitudinem afflictionis martyrium. Quae quidem afflictio excedit martyrii afflictionem diuturnitate: sed exceditur intensione.

Ad sextum dicendum quod, secundum Augustinum, in I *de Civ. Dei* *, nulli licitum est sibi ipsi manus iniicere quacumque ex causa: nisi forte divino instinctu fiat, ad exemplum fortitudinis ostendendum, ut mors contemnatur *. Illi autem de quibus obiectum est, divino instinctu mortem sibi intulisse creduntur. Et propter hoc eorum martyria Ecclesia celebrat *.

* Loc. cit. in arg.

* Ibid., cap. xxvi.

* Apud Graecos. die 4a Octobris, fest. SS. Mart. Pelagiae etc.

Ad septimum dicendum quod, si aliquis propter fidem vulnus mortale accipiat et supervivat, non est dubium quod aureolam meretur: sicut de beata Caecilia patet, quae triduo supervixit *; et de multis martyribus qui in carcere sunt defuncti. – Sed etiam si vulnus non mortale accipiat, et tamen exinde mortem incurrat, creditur aureolam mereri: quamvis quidam dicant quod aureolam non meretur si ex incuria vel negligentia propria mortem incurrat. Non enim ista negligentia eum ad mortem perduxisset nisi praesupposito vulnere quod pro fide acceptum est: et ita vulnus propter Christum susceptum est ei prima occasio mortis. Unde propter hoc aureolam non videtur amittere: nisi sit talis negligentia quae culpam mortalem inducat, quae ei et auream aufert et aureolam. – Si vero ex mortali vulnere suscepto non moriatur, aliquo casu contingente; vel etiam vulnera non mortalia susceperat, et adhuc carcerem sustinens moriatur; adhuc aureolam meretur. Unde quorundam sanctorum martyria in Ecclesia celebrantur qui in carcere mortui sunt, aliquibus vulneribus longe ante susceptis: sicut patet de Marcello Papa *.

* Cf. Brev. Rom. in festo s. Caecil. die 22ª Nov., ad Matut. lect. vi.
* Bolland. die 16ª Ianuar., *Acta S. Marcelli*, cap. iv.

Qualitercumque igitur afflictio propter Christum illata usque ad mortem continuatur, sive mors inde sequatur sive non, aliquis martyr efficitur et aureolam meretur. Si vero non continuatur usque ad mortem, non propter hoc aliquis dicetur martyr: sicut patet de Silvestro de quo non solemnizat Ecclesia sicut de martyre, quia in pace vitam finivit, quamvis prius aliquas passiones sustinuerit.

Ad octavum dicendum quod, sicut temperantia non est circa delectationes in pecuniis vel in honoribus et huiusmodi, sed solum in delectationibus tactus, quasi praecipuis *; ita etiam fortitudo est circa pericula mortis sicut circa praecipua, ut dicitur in III *Ethic.* * Et ideo soli iniuriae quae irrogatur circa corpus proprium, ex qua nata est mors sequi, debetur aureola. Sive igitur aliquis propter Christum res temporales, sive famam, vel quidquid huiusmodi amittat, non efficitur propter hoc proprie martyr, nec meretur aureolam. – Nec aliquis potest ordinate res exteriores plus diligere quam proprium corpus. Amor autem inordinatus non coadiuvat ad meritum aureolae. – Nec etiam potest dolor de amissione rerum coaequari dolori de corporis occisione, et aliis huiusmodi.

* IIa IIae, qu. cxli, art. 4.
* Cap. vi, n. 6; s. Th. lect. xiv. - Cf. IIam IIae, qu. cxxiii, art. 4.

Ad nonum dicendum quod causa sufficiens ad martyrium non solum est confessio fidei, sed quaecumque alia virtus non politica, sed infusa, quae finem habeat Christum. Quolibet enim actu virtutis aliquis testis Christi efficitur: inquantum opera quae in nobis Christus perficit, testimonia bonitatis ipsius sunt. Unde aliquae virgines sunt occisae pro virginitate quam servare volebant, sicut beata Agnes et quaedam aliae, quarum martyria in Ecclesia celebrantur *.

* S. Agnet., die 21ª Ianuar.; s. Agathae, die 5ª Februar.; s. Dympnae, die 15ª Maii.

Ad decimum dicendum quod veritas fidei habet Christum pro fine et pro obiecto. Et ideo confessio ipsius aureolam meretur, si poena addatur, non solum ex parte finis, sed etiam ex parte materiae. Sed confessio cuiuscumque alterius veritatis non est causa sufficiens ad martyrium ratione materiae: sed solum ratione finis, utpote si aliquis vellet prius occidi quam, quodcumque mendacium dicendo, contra ipsum peccare.

Ad undecimum dicendum quod etiam bonum increatum excedit omne bonum creatum. Unde quicumque finis creatus, sive sit bonum commune sive privatum, non potest actui tantam bonitatem praestare quantam finis increatus, cum scilicet aliquid propter Deum agitur. Et ideo cum quis propter bonum commune non relatum ad Christum mortem sustinet, aureolam non meretur. Sed si hoc referatur ad Christum, aureolam merebitur et martyr erit: utpote si rempublicam defendat ab hostium impugnatione qui fidem Christi corrumpere moliuntur, et in tali defensione mortem sustineat.

Ad duodecimum dicendum quod quidam * dicunt quod Innocentibus occisis pro Christo virtute divina acceleratus est usus rationis: sicut et in Ioanne Baptista dum adhuc esset in materno utero *. Et secundum hoc vere martyres fuerunt et actu et voluntate, et aureolam habent.

* Vide *Homilias XXVII in varia loca Matth.* Hom. III (inter Opp. Chrys.). - Cf. IIam IIae, qu. cxxiv, art. 1, ad 1.
* Cf. dist. vi, Expos. litt.; Part. III, qu. xxvii, art. 6.

Sed alii dicunt quod fuerunt martyres actu tantum, et non voluntate: quod videtur sentire Bernardus, distinguens tria genera martyrum, ut dictum est *. Et secundum hoc Innocentes, sicut non pertingunt ad perfectam rationem martyrii, sed aliquid martyrii habent ex hoc quod passi sunt pro Christo; ita etiam aureolam, non quidem secundum perfectam rationem, sed secundum aliquam participationem, inquantum scilicet gaudent se in obsequium Christi occisos esse; ut dictum est * de pueris baptizatis quod habebunt aliquod gaudium de innocentia et carnis integritate.

* Arg. 3.
* Art. praeced.

ART. VII. utrum doctoribus aureola debeatur

Infra, art. 11.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod doctoribus aureola non debeatur. Omne enim praemium quod in futuro habebitur, alicui actui virtutis respondet. Sed praedicare vel docere non est actus alicuius virtutis. Ergo doctrinae vel praedicationi non debetur aureola.

2. Praeterea, docere et praedicare ex doctrina et studio proveniunt. Sed ea quae praemiantur in futuro, non sunt acquisita per humanum studium: quia naturalibus acquisitis non meremur. Ergo pro doctrina et praedicatione nullus in futuro aureolam promeretur.

3. Praeterea, exaltatio in futuro respondet humilitati in praesenti: quia *qui se humiliat exaltabitur* *. Sed in docendo et in praedicando non est humiliatio: immo magis superbiae occasio; unde Glossa * dicit, Matth. iv **, quod diabolus *multos decepit honore magisterii inflatos.* Ergo videtur quod praedicationi et doctrinae aureola non debeatur.

* Matth. cap. xxiii, vers. 12; Luc. cap. xiv, vers. 11.
* Ord.
** Vers. 5.

Sed contra, *Ephes.* i, super illud *, *Ut sciatis quae sit supereminens* etc., dicit Glossa *: *Quoddam crementum habebunt sancti doctores ultra id quod alii communiter habebunt.* Ergo, etc.

* Vers. 18, 19.
* Ord.

2. Praeterea, *Cant.* viii, super illud *, *Vinea mea coram me est,* dicit Glossa *: *Ostendit quid singularis praemii doctoribus eius disponit.* Ergo doctores habebunt singulare praemium. Et hoc vocamus aureolam.

* Vers. 12.
* Ord. super vers. 11.

Respondeo dicendum quod, sicut per martyrium et virginitatem aliquis perfectissimam victoriam obtinet de carne et mundo, ita etiam perfectissima victoria contra diabolum obtinetur quando aliquis non solum diabolo impugnanti non cedit, sed etiam eum expellit, et non solum a se, sed etiam ab aliis. Hoc autem fit per praedicationem et doctrinam. Et ideo praedicationi et doctrinae aureola debetur, sicut et virginitati et martyrio.

Nec est dicendum, ut quidam dicunt, quod debeatur tantum praelatis, quibus competit ex officio praedicare et docere: sed quibuscumque qui licite hunc actum exercent. Praelatis autem non debetur, quamvis habeant officium praedicandi, nisi actu praedicent: quia corona non debetur habitui, sed pugnae actuali; secundum illud II *Tim.* ii *: *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit.*

* Vers. 5.

Ad primum ergo dicendum quod praedicare et docere sunt actus alicuius virtutis, scilicet misericordiae. Unde et inter spirituales eleemosynas computantur *.

* Cf. dist. xv, qu. ii, art. 3, quª 2; IIam IIae, qu. xxxii, art. 2.

Ad secundum dicendum quod, quamvis facultas praedicandi et docendi quandoque ex studio proveniat, tamen usus doctrinae ex voluntate procedit, quae per caritatem informatur a Deo infusam. Et sic actus eius meritorius esse potest.

Ad tertium dicendum quod exaltatio in hac vita non deminuit alterius vitae praemium nisi ei qui in tali vita *propriam gloriam quaerit* *. Qui autem talem exaltationem in utilitatem aliorum convertit, ex ea sibi mercedem acquirit. Cum autem dicitur quod doctrinae debetur aureola, intelligendum est: – doctrinae quae est de pertinentibus ad salutem, per quam diabolus a cordibus hominum expugnatur sicut quibusdam spiritualibus armis, de quibus dicitur, II *Cor.* x *: *Arma militiae nostrae non sunt carnalia, sed spiritualia.*

* Ioan. cap. vii, vers. 18.
* Vers. 4.

ART. VIII. UTRUM CHRISTO AUREOLA DEBEATUR

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod Christo aureola debeatur. Debetur enim aureola virginitati et martyrio et doctrinae. Sed in Christo haec tria praecipue fuerunt. Ergo ipsi praecipue aureola competit.

2. Praeterea, omne quod est perfectissimum in rebus humanis, praecipue Christo est attribuendum. Sed praemium aureolae debetur excellentissimis meritis. Ergo et Christo debetur.

3. Praeterea, Cyprianus dicit * quod *imaginem Dei virginitas portat.* Virginitatis igitur exemplar in Deo est. Et sic videtur quod Christo, etiam inquantum est Deus, aureola competat.

* *De Habitu Virginum.*

Sed contra est quod aureola est gaudium de conformitate ad Christum, ut dicitur. Sed nullus conformatur vel similatur sibi ipsi: ut patet per Philosophum *. Ergo Christo aureola non debetur.

* *Metaphys.* lib. IX, cap. III, n. 4. - S. Th. lib. X, lect. IV.

2. Praeterea, Christi praemium nunquam est augmentatum. Sed Christus ab instanti suae conceptionis non habuit aureolam: quia tunc nunquam pugnaverat. Ergo nunquam postea aureolam habuit.

Respondeo dicendum quod circa hoc est duplex opinio. Quidam dicunt quod in Christo est aureola secundum propriam aureolae rationem: cum in eo pugna inveniatur et victoria, et per consequens corona secundum propriam rationem.

Sed, diligenter considerando, quamvis Christo competat ratio aureae vel coronae, non tamen ei competit ratio aureolae. *Aureola* enim, ex hoc ipso quod deminutive dicitur, importat aliquid quod participative et non secundum sui plenitudinem possidetur. Unde illis competit aureolam habere in quibus est aliqua perfectionis victoriae participatio, secundum imitationem eius in quo perfectae victoriae plena ratio consistit. Et ideo, cum in Christo inveniatur huiusmodi principalis et plena victoriae ratio, per cuius victoriam omnes alii victores constituuntur, ut patet Ioan. XVI *, *Confidite, ego vici mundum,* et *Apoc.* V **, *Ecce, vicit Leo de tribu Iuda;* Christo non competit aureolam habere, sed aliquid unde omnes aureolae originantur. Unde dicitur *Apoc.* III *: *Qui vicerit, faciam eum sedere in throno meo, sicut ego vici, et sedeo in throno Patris mei.* Unde, secundum alios, dicendum est quod, quamvis id quod est in Christo non habeat rationem aureolae, tamen est excellentius omni aureola.

* Vers. 33. ** Vers. 5.

* Vers. 21.

Ad primum ergo dicendum quod Christus fuit verissime virgo, martyr et doctor. Sed tamen praemium accidentale his respondens in Christo non habet aliquam notabilem quantitatem in comparatione ad magnitudinem essentialis praemii. Unde non habet aureolam sub ratione aureolae.

Ad secundum dicendum quod aureola, quamvis debeatur operi perfectissimo quoad nos, tamen *aureola,* inquantum deminutive dicitur, significat quandam participationem perfectionis ab aliquo in quo plenarie invenitur. Et secundum hoc ad quandam minorationem pertinet. Et sic in Christo non invenitur, in quo omnis perfectio plenissime invenitur.

Ad tertium dicendum quod, quamvis virginitas habeat aliquo modo exemplar in Deo, non tamen habet exemplar unius rationis. Incorruptio enim Dei, quam virginitas imitatur, non eadem ratione est in Deo et in aliquo virgine.

ART. IX. UTRUM ANGELIS AUREOLA DEBEATUR

Ad nonum sic proceditur. Videtur quod angelis aureola debeatur. Quia, ut dicit Hieronymus *, de virginitate, loquens: *In carne praeter carnem vivere potius est vita angelica quam humana.* Et I *Cor.* VII * dicit Glossa ** quod *virginitas est portio angelica.* Cum igitur virginitati respondeat aureola, videtur quod angelis debeatur.

* *Serm. de Assumpt. B. M.*, al. Epist. IX, *ad Paul. et Eustoch.* - Inter Opp. Hieronym.
* Vers. 26.
** Aug. *de Sancta Virginitat.*, cap. XIII.

2. Praeterea, nobilior est incorruptio spiritus quam incorruptio carnis. Sed in angelis invenitur incorruptio spiritus: quia nunquam peccaverunt. Ergo eis magis debetur aureola quam hominibus incorruptis carne qui alias aliquando peccaverunt.

3. Praeterea, doctrinae debetur aureola *. Sed angeli nos docent *purgando, illuminando* et *perficiendo,* ut Dionysius dicit *. Ergo eis debetur aureola saltem doctorum.

* Art. 7.
* Cf. *Cael. Hier.* cap. X.

Sed contra, II *Tim.* II *: *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit.* Sed in angelis non est pugna. Ergo eis aureola non debetur.

* Vers. 5.

2. Praeterea, aureola non debetur actui qui per corpus non exercetur: unde amantibus virginitatem, martyrium et doctrinam, si exterius eis haec non insunt, aureola non debetur *. Sed angeli sunt incorporei. Ergo aureolam non habent.

* Cf. art. 6, ad 3.

Respondeo dicendum quod angelis aureola non debetur. Cuius ratio est quia aureola respondet cuidam perfectioni in excellenti merito. Ea vero quae in hominibus ad perfectionem meriti pertinent, angelis sunt connaturalia; vel etiam spectant ad communem eorum statum; aut etiam ad ipsum praemium. Et ideo, ratione eadem qua hominibus aureola debetur, angeli non habent aureolas.

Ad primum ergo dicendum quod virginitas dicitur esse vita angelica, inquantum per gratiam virgines imitantur id quod angeli habeant per naturam. Non enim virtutis est in angelis quod omnino a delectationibus carnis abstinent: cum huiusmodi delectationes in eis esse non possint.

Ad secundum dicendum quod perpetua incorruptio spiritus in angelis praemium essentiale meretur. Est enim de necessitate salutis: cum in eis non possit subsequi reparatio post ruinam *.

* Part. I, qu. LXIV, art. 2.

Ad tertium dicendum quod illi actus secundum quos angeli nos docent, pertinent ad gloriam eorum, et ad communem eorum statum. Unde per huiusmodi actus aureolam non merentur.

ART. X. UTRUM AUREOLA ETIAM CORPORI DEBEATUR

Ad decimum sic proceditur. Videtur quod aureola etiam corpori debeatur. Praemium enim essentiale est potius quam accidentale. Sed dos, quae ad praemium essentiale pertinet *, non solum est in anima, sed etiam in corpore. Ergo et aureola, quae pertinet ad praemium accidentale.

* Cf. qu. CXV, art. 2.

2. Praeterea, peccato quod per corpus exercetur, respondet poena in anima et corpore. Ergo et merito quod exercetur per corpus, debetur praemium et in anima et in corpore. Sed meritum aureolae per corpus exercetur. Ergo aureola etiam debetur corpori.

3. Praeterea, in corporibus martyrum apparebit quaedam virtutis pulcritudo in ipsis cicatricibus corporis. Unde Augustinus dicit, XXII *de Civ. Dei* *: *Nescio quomodo sic afficiamur amore martyrum beatorum ut velimus in illo Regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices quas pro Christi nomine pertulerunt. Et fortasse videbimus. Non enim erit deformitas in eis, sed dignitas; et quaedam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulcritudo fulgebit.* Ergo videtur quod aureola martyrum etiam in corpore sit. Et eadem ratio est de aliis.

* Cap. XIX, n. 3, al. cap. XX.

Sed contra, animae quae modo sunt in paradiso, habent aureolas. Nec tamen habent corpora. Ergo proprium subiectum aureolae non est corpus, sed anima.

2. Praeterea, omne meritum est ab anima. Ergo praemium totum in anima esse debet.

Respondeo dicendum quod aureola proprie est in mente: est enim gaudium de operibus illis quibus aureola debetur. Sed sicut ex gaudio essentialis praemii, quod est aurea, redundat quidam decor in corpore, qui est gloria corporis, ita ex gaudio aureolae resultat aliquis decor in corpore: ut sic aureola principaliter sit in mente, sed per quandam redundantiam fulgeat etiam in carne.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

Tamen sciendum est quod decor cicatricum quae in corporibus martyrum apparebunt, non potest dici aureola. Quia aliqui martyres aureolam habebunt in quibus huiusmodi cicatrices non erunt: utpote illi qui sunt submersi, aut famis inedia aut squalore carceris interempti.

ART. XI. UTRUM CONVENIENTER DESIGNENTUR TRES AUREOLAE, VIRGINUM, MARTYRUM ET PRAEDICATORUM

II *ad Tim.*, cap. IV, lect. II.

AD UNDECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod inconvenienter designentur tres aureolae, virginum, martyrum et praedicatorum. Aureola enim martyrum respondet virtuti fortitudinis eorum; aureola vero virginum virtuti temperantiae; aureola vero doctorum virtuti prudentiae. Ergo videtur quod debeat esse quarta aureola, quae respondeat virtuti iustitiae.

2. PRAETEREA, *Exod.* XXV * dicit Glossa ** quod *corona aurea additur cum per Evangelium his qui mandata custodiunt, vita aeterna promittitur:* Matth. XIX *, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Huic aureola superponitur cum dicitur* *: « *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes, et da pauperibus* ». Ergo paupertati debetur aureola.

* Vers. 25. ** Ord. Bedae.
* Vers. 17.
* Ibid. vers. 21; Marc. cap. x, vers. 21; Luc. cap. XVIII, vers. 22.

3. PRAETEREA, per votum obedientiae aliquis se subiicit Deo totaliter. Ergo in voto obedientiae maxima perfectio consistit. Et ita videtur quod ei aureola debeatur.

4. PRAETEREA, multa sunt etiam alia supererogationis opera, de quibus homo in futuro speciale gaudium habebit. Ergo multae sunt aliae aureolae praeter istas tres.

5. PRAETEREA, sicut aliquis divulgat fidem praedicando et docendo, ita scripta compilando. Ergo et talibus quarta aureola debetur.

RESPONDEO DICENDUM quod aureola est quoddam privilegiatum praemium privilegiatae victoriae respondens. Et ideo secundum privilegiatas victorias in tribus pugnis quae cuilibet homini imminent, tres aureolae sumuntur. In pugna enim quae est contra carnem, ille potissimam victoriam obtinet qui a delectabilibus venereis, quae sunt praecipua in hoc genere, omnino abstinet. Et ideo virginitati aureola debetur. – In pugna vero qua contra mundum pugnatur, illa est praecipua cum a mundo persecutionem usque ad mortem sustinemus. Unde et martyribus, qui in ista pugna victoriam obtinent, secunda aureola debetur. – In pugna vero qua contra diabolum pugnatur, illa est praecipua victoria cum aliquis hostem non solum a se, sed a cordibus aliorum removet, quod fit per doctrinam et praedicationem. Et ideo doctoribus et praedicatoribus tertia aureola debetur.

Quidam vero distinguunt tres aureolas secundum tres vires animae: ut dicantur tres aureolae respondere potissimis trium virium animae actibus. Potissimus enim actus rationalis est veritatem fidei etiam in aliis diffundere. Et huic actui debetur doctorum aureola. – Irascibilis vero actus potissimus est etiam mortem propter Christum superare. Et huic actui debetur aureola martyrum. – Concupiscibilis autem actus potissimus est a delectabilibus maximis penitus abstinere. Et huic debetur aureola virginum.

Alii vero aureolas tres distinguunt secundum ea quibus Christo nobilissime conformamur. Ipse enim mediator fuit inter Patrem et mundum *. Fuit ergo doctor, secundum quod veritatem quam a Patre acceperat, mundo manifestavit. Fuit autem martyr, secundum quod a mundo persecutionem sustinuit. Fuit vero virgo, inquantum puritatem in seipso servavit. Et ideo doctores, martyres et virgines ei perfectissime conformantur. Unde talibus debetur aureola.

* I *Tim.*, cap. II, vers. 4.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod in actu iustitiae non attenditur aliqua pugna, sicut in actibus aliarum virtutum. – Nec tamen hoc verum est, quod docere sit actus prudentiae. Immo est potius actus caritatis vel misericordiae, secundum quod ex tali habitu inclinamur ad huiusmodi exercitium; vel etiam sapientiae ut dirigentis.

Vel potest dici, secundum alios, quod iustitia circuit omnes virtutes *: et ideo ei specialiter aureola non debetur.

* Aristot. *Ethic.* lib. V, cap. V, nn. 15, 19. - S. Th. lect. II.

AD SECUNDUM DICENDUM quod paupertas, quamvis sit opus perfectionis, non tamen tenet summum locum in aliqua spirituali pugna: quia amor temporalium minus impugnat quam concupiscentia carnis, vel persecutio inflicta in corpus proprium. Unde paupertati non debetur aureola. Sed debetur ei iudiciaria potestas, ratione humiliationis, quae consequitur paupertatem *. Glossa autem inducta large accipit aureolam pro quolibet praemio quod redditur merito excellenti.

* Qu. LXXXIX, art. 2.

Et similiter dicendum ad tertium et quartum.

AD QUINTUM DICENDUM quod etiam scribentibus sacram doctrinam debetur aureola. Sed haec non distinguitur ab aureola doctorum: quia scripta componere quidam modus docendi est.

ART. XII. UTRUM AUREOLA VIRGINUM SIT INTER ALIAS POTISSIMA

II[a] II[ae], qu. CLII, art. 3.

AD DUODECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod aureola virginum sit inter alias potissima. Quia *Apoc.* XIV * de virginibus dicitur quod *sequuntur Agnum quocumque ierit,* et quod *nemo alius poterat dicere canticum* quod virgines cantabant *. Ergo virgines habent excellentiorem aureolam.

* Vers. 4.
* Vers. 3.

2. PRAETEREA, Cyprianus * dicit de virginibus quod sunt *illustrior portio gregis Christi.* Ergo eis maior aureola debetur.

* *De Habitu Virginum.*

3. ITEM videtur quod potissima sit aureola martyrum. Quia dicit Haymo * quod *non omnes virgines coniugatas praecedunt: sed hi specialiter qui in tormento passionis, virginitate insuper custodita, coaequantur martyribus coniugatis.* Ergo martyrium dat virginitati praeeminentiam super alios status. Ergo martyrio potior aureola debetur.

* *Exposit. in Apoc.* lib. III, ad cap. XIV, vers. 3.

4. ITEM videtur quod potissima debeatur doctoribus. Quia Ecclesia militans exemplata est ab Ecclesia triumphante. Sed in Ecclesia militante maximus honor debetur doctoribus: I *Tim.* V *, *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime autem qui laborant verbo et doctrina.* Ergo in Ecclesia triumphante talibus potior aureola debetur.

* Vers. 17.

RESPONDEO DICENDUM quod praeeminentia aureolae ad aureolam potest dupliciter attendi. Primo, ex parte pugnae: ut dicatur aureola potior quae fortiori pugnae debetur. Et per hunc modum aureola martyrum aliis aureolis supereminet quodam modo, et aureola virginum alio modo. Pugna enim martyrum est fortior secundum seipsam, et vehementius affligens. Sed pugna carnis est periculosior: inquantum est diuturnior, et magis nobis imminet e vicino. – Secundo, ex parte eorum de quibus est pugna. Et sic aureola doctorum inter omnes est potior. Quia huiusmodi pugna versatur circa bona intelligibilia: aliae vero pugnae circa sensibiles passiones.

Sed illa eminentia quae attenditur ex parte pugnae, est aureolae essentialior: quia aureola secundum propriam rationem respicit victoriam et pugnam. Difficultas etiam pugnae quae attenditur ex parte ipsius pugnae, est potior quam illa quae attenditur ex parte nostri inquantum est nobis vicinior. Et ideo, simpliciter loquendo, aureola martyrum inter omnes est potior. Et ideo dicitur Matth. V *, in Glossa *, quod in octava beatitudine, quae ad martyres pertinet, scilicet, *Beati qui persecutionem patiuntur* etc., omnes aliae perficiuntur. Et propter hoc etiam Ecclesia in connumeratione sanctorum martyres doctoribus et virginibus praeordinat. – Sed quantum ad aliquid, nihil prohibet alias aureolas excellentiores esse.

* Vers. 10.
* Ord.

Et per hoc patet solutio ad obiecta.

ART. XIII. UTRUM UNUS AUREOLAM VIRGINITATIS VEL MARTYRII VEL DOCTORIS EXCELLENTIUS ALIO HABEAT

AD DECIMUMTERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod unus aureolam virginitatis vel martyrii vel doctoris excellentius alio non habeat. Quia ea quae sunt in termino, non intenduntur et remittuntur. Aureola autem debetur operibus quae sunt in termino perfectionis. Ergo aureola non intenditur neque remittitur.

2. PRAETEREA, virginitas non suscipit magis et minus: cum importet privationem quandam, et negationes non intendantur nec remittantur *. Ergo nec praemium virginitatis, scilicet aureola virginum, intenditur et remittitur.

* Cf. Aristot. *de Part. Animalium.* lib. I, cap. III; *Physic.* lib. IV, cap. VIII, n. 4, S. Th. lect. XI.

Sed contra, aureola superponitur aureae. Sed aurea est intensior in uno quam in alio. Ergo et aureola.

Respondeo dicendum quod, cum meritum sit quodammodo praemii causa, oportet diversificari praemia secundum quod merita diversificantur: aliquid enim intenditur et remittitur per intensionem et remissionem suae causae. Meritum autem aureolae potest esse maius et minus. Unde et aureola potest esse maior et minor.

Sciendum tamen quod meritum aureolae potest intendi dupliciter: uno modo, ex parte radicis; alio modo, ex parte operis. Contingit enim esse aliquos duos quorum unus ex minori caritate maius tormentum martyrii sustinet; vel magis praedicationi instat; aut etiam magis se a delectabilibus carnis elongat. Intensioni ergo meriti quae attenditur penes radicem, non respondet intensio aureolae, sed intensio aureae. Sed intensioni meriti quae est ex genere actus, respondet intensio aureolae. Unde potest esse quod aliquis qui minus in martyrio meretur quantum ad essentiale praemium, habebit pro martyrio maiorem aureolam.

Ad primum ergo dicendum quod merita quibus debentur aureolae, non attingunt ad terminum perfectionis simpliciter, sed secundum speciem: sicut ignis est specie subtilissimum corporum. Unde nihil prohibet unam aureolam alia esse excellentiorem: sicut unus ignis est alio subtilior.

Ad secundum dicendum quod una virginitas potest esse alia maior propter maiorem recessum a virginitatis contrario: ut dicatur in illa esse maior virginitas quae magis occasiones corruptionis vitat. Sic enim privationes intendi possunt: ut cum dicitur homo magis caecus quia magis elongatur a visu.

QUAESTIO NONAGESIMASEPTIMA
DE POENA DAMNATORUM

Consequenter considerandum est de pertinentibus ad damnatos post iudicium *. Et primo, de poenis damnatorum, et igne quo eorum corpora cruciabuntur; secundo, de his quae pertinent ad eorum affectum et intellectum *; tertio, de iustitia et misericordia Dei respectu damnatorum *.

* Cf. qu. xci, Introd.
* Qu. xcviii.
* Qu. xcix.

Circa primum quaeruntur septem.

Primo: utrum damnati in inferno sola poena ignis affligantur.
Secundo: utrum vermis quo affliguntur sit corporalis.
Tertio: utrum fletus in eis existens sit corporalis.
Quarto: utrum tenebrae eorum sint corporales.
Quinto: utrum ignis quo affliguntur sit corporalis.
Sexto: utrum sit eiusdem speciei cum igne nostro.
Septimo: utrum ignis ille sit sub terra.

ART. I. utrum damnati in inferno sola poena ignis affligantur

IV *Sent.*, dist. xxi, qu. i, art. 1, qu^a 2, ad 2; *Qq. Dispp.*, qu. *de Anima*, art. 21, ad 18: *Quodl.* VIII, qu. viii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod damnati in inferno sola poena ignis affligantur. Quia Matth. xxv, ubi eorum damnatio exprimitur, fit mentio solum de igne, cum dicitur *: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* (* Vers. 41.)

2. Praeterea, sicut poena purgatorii debetur peccato veniali, ita poena inferni debetur mortali. Sed in purgatorio non dicitur esse nisi poena ignis: ut patet per hoc quod dicitur I *Cor.* iii *: *Uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Ergo nec in inferno erit nisi poena ignis. (* Vers. 13.)

3. Praeterea, poenarum varietas refrigerium praestat: sicut calido cum transfertur ad frigidum. Sed nullum refrigerium est ponere in damnatis. Ergo non erunt diversae poenae, sed sola poena ignis.

Sed contra est quod dicitur in Psalmo *: *Ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum.* (* Ps. x, vers. 7.)

2. Praeterea, *Iob* xxiv *: *Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium.* (* Vers. 19.)

Respondeo dicendum quod, secundum Basilium *, in ultima mundi purgatione fiet separatio in elementis, ut quidquid est purum et nobile, remaneat superius ad gloriam beatorum; quidquid vero est ignobile et faeculentum, in infernum proiiciatur ad poenam damnatorum; ut sicut omnis creatura Dei est beatis materia gaudii, ita damnatis ex omnibus creaturis tormentum accrescat, secundum illud *Sap.* v *: *Pugnabit cum illo orbis terrae contra insensatos.* (* *Homil. in Psalmos*, in Ps. xxviii, n. 6; Homil. VI *in Hexaem.*, n. 3.) (* Vers. 21.)

Hoc etiam divinae iustitiae competit: ut sicut, ab uno recedentes per peccatum, in rebus materialibus, quae sunt multa et varia, finem suum constituerunt, ita etiam multipliciter et ex multis affligantur.

Ad primum ergo dicendum quod, quia ignis est maxime afflictivus, propter hoc quod abundat in virtute activa, ideo nomine *ignis* omnis afflictio designatur si sit vehemens.

Ad secundum dicendum quod poena purgatorii non est principaliter ad affligendum, sed ad purgandum. Unde per solum ignem fieri debet, qui habet maximam vim purgativam. Sed damnatorum poena non ordinatur ad purgandum. Unde non est simile.

Ad tertium dicendum quod damnati transibunt ex vehementissimo calore ad vehementissimum frigus sine hoc quod in eis sit aliquod refrigerium. Quia passio ab exterioribus non erit per transmutationem corporis a sua pristina naturali dispositione, ut contraria passio ad aequalitatem vel temperiem reducendo refrigerium causet, sicut nunc accidit: sed erit per actionem spiritualem, secundum quod sensibilia agunt in sensum prout sentiuntur, imprimendo formas illas secundum esse spirituale in organum, et non secundum esse materiale *. (* Cf. supra qu. lxxxvi, art. 3; dist. xliv, qu. iii, art. 1, qu^a 3; *Quaest. Dispp. de Verit.*, qu. xxvi, art. 3, ad 11.)

ART. II. utrum vermis quo affliguntur damnati, sit vermis corporalis

IV *Cont. Gent.*, cap. xc; *De Pot.*, qu. v, art. 9, ad 13; *Quodl.* VII, qu. v, art. 3; *Respp. ad XLII artic.*, ad art. xli.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod vermis quo affliguntur damnati, sit vermis corporalis. Quia caro non potest affligi per vermem spiritualem. Sed caro damnatorum affligetur per vermem: *Iudith* xvi *, *Dabit ignem et vermes in carnes eorum;* et *Eccli.* vii *, *Vindicta carnis impii ignis et vermis.* Ergo vermis ille erit corporalis. (* Vers. 21.) (* Vers. 19.)

2. Praeterea, Augustinus dicit, XXI *de Civ. Dei* *: *Utrumque, idest ignis et vermis, poena erunt carnis.* Et sic idem quod prius. (* Cap. ix.)

Sed contra est quod Augustinus dicit, XX *de Civ. Dei* *: *In poenis malorum inextinguibilis ignis et vivacissimus vermis ab aliis atque aliis aliter atque aliter est expositus. Alii utrumque ad corpus; alii utrumque ad animam retulerunt; alii proprie ad corpus ignem, tropice ad animam vermem, quod credibilius esse videtur.* (* Cap. xxii.)

Respondeo dicendum quod post diem iudicii in mundo innovato non remanebit aliquod animal, vel aliquod corpus mixtum (nisi corpus hominis tantum): eo quod non habeat aliquem ordinem ad incorruptionem, nec post illud tempus sit futura generatio et corruptio *. Unde vermis qui in damnatis ponitur, non debet intelligi esse materialis, sed spiritualis, qui est conscientiae remorsus: qui dicitur *vermis*, inquantum oritur ex putredine peccati et animam affligit, sicut corporalis vermis ex putredine ortus affligit pungendo. (* Cf. qu. lxxvii, art. 1; qu. lxxxi, art. 4; qu. xci, art. 2, 5.)

Ad primum ergo dicendum quod ipsae animae damnatorum dicuntur carnes eorum, pro eo quod carni subiectae fuerunt.

Vel potest dici quod etiam per vermem spiritualem caro affligetur: secundum quod passiones animae redundant in corpus et hic et in futurum.

Ad secundum dicendum quod Augustinus loquitur sub quadam comparatione. Non enim vult simpliciter asserere quod ille vermis sit materialis: sed quod potius esset asserendum ignem et vermem materialiter intelligi quam quod utrumque spiritualiter intelligatur, quia sic damnati nullam poenam corporalem sustinerent; ut patet seriem verborum eius ibidem inspicienti.

ART. III. UTRUM FLETUS QUI ERIT IN DAMNATIS, FUTURUS SIT CORPORALIS

IV *Cont. Gent.*, cap. xc; *Quodl.* VII, qu. v, art. 3; *Resp. ad XLII artic.*, ad art. xl.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod fletus qui erit in damnatis, erit corporalis. Quia Luc. xiii * dicit quaedam Glossa * quod per fletum, quem Dominus reprobis comminatur, potest probari vera corporum resurrectio. Quod non esset si fletus ille tantum esset spiritualis. Ergo, etc.

* Vers. 28. — * Ord.

2. PRAETEREA, tristitia quae est in poena, respondet delectationi quae fuit in culpa: secundum illud *Apoc.* xviii *: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Sed peccatores in culpa habuerunt delectationem interiorem et exteriorem. Ergo habebunt fletum etiam exteriorem.

* Vers. 7.

SED CONTRA, fletus corporalis fit per quandam resolutionem lacrimarum. Sed a corporibus damnatorum non potest fieri perpetua resolutio, cum nihil in eis per cibum restauretur: omne enim finitum consumitur si aliquid ab eo continue abstrahatur. Ergo in damnatis non erit corporalis fletus.

RESPONDEO DICENDUM quod in fletu corporali duo inveniuntur. Quorum unum est lacrimarum resolutio. Et quantum ad hoc fletus corporalis in damnatis esse non potest. Quia post diem iudicii, quiescente motu primi mobilis, non erit aliqua generatio vel corruptio, vel corporalis alteratio *. In lacrimarum autem resolutione oportet esse illius humoris generationem qui per lacrimas distillat. Unde quantum ad hoc corporalis fletus in damnatis esse non poterit.

* Cf. art. praec.; dist. xliv, qu. iii, art. 1, qu[a] 2.

Aliud quod invenitur in corporali fletu, est quaedam commotio et turbatio capitis et oculorum. Et quantum ad hoc fletus in damnatis esse poterit post resurrectionem. Corpora enim damnatorum non solum ex exteriori affligentur: sed etiam ab interiori, secundum quod corpus immutatur ad passionem animae in bonum vel malum. Et quantum ad hoc, fletus carnis resurrectionem indicat *; et respondet delectationi culpae, quae fuit in anima et in corpore *.

* Cf. arg. 1. — * Cf. arg. 2.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

ART. IV. UTRUM DAMNATI FUTURI SINT IN TENEBRIS CORPORALIBUS

Supra, qu. xci, art. 4, ad 3.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod damnati non sint in tenebris corporalibus. Quia, ut dicit Gregorius, in IX lib. *Moral.* *, super illud *Iob* x **, *Sempiternus horror inhabitat: Quamvis ignis illic ad consolationem non luceat, tamen, ut magis torqueat, ad aliquid lucet: nam sequaces quos secum traxerunt de mundo reprobi, flamma illustrante, visuri sunt.* Ergo non erunt ibi tenebrae corporales.

* Cap. lxvi, al. xxxix; in vet. cap. xlix. — ** Vers. 22.

2. PRAETEREA, damnati vident poenam suam: hoc enim est eis ad augmentum poenae. Sed nihil videtur sine lumine. Ergo non sunt ibi tenebrae corporales.

3. PRAETEREA, damnati ibi habebunt potentiam visivam post corporum resumptionem. Sed frustra in eis esset nisi aliquid viderent. Ergo, cum nihil videatur nisi in lumine, videtur quod non sint omnino in tenebris.

SED CONTRA EST quod dicitur Matth. xxii *: *Ligatis manibus eius et pedibus, proiicite eum in tenebras exteriores.* Super quod dicit Gregorius *: *Si ignis ille lucem haberet, in tenebras exteriores nequaquam mitti diceretur.*

* Vers. 13. — * *Moral.* lib. IX, cap. lxv, aliter xxxviii; in vet. cap. xlvi.

2. PRAETEREA, Basilius dicit *, super illud Psalmi **, *Vox Domini intercidentis flammam ignis,* quod *virtute Dei separabitur claritas ignis ab eius virtute adustiva: ita quod claritas cedet in gaudium beatorum, et ustivum ignis in tormentum damnatorum.* Ergo damnati habebunt tenebras corporales.

* *Homiliae in Psalmos, in Ps.* XXVIII, n. 6; et *Homil.* VI *in Hexaem.*, n. 3. — ** Ps. xxviii, vers. 7.

Quaedam vero alia quae ad poenam damnatorum pertinent, determinata sunt supra *.

* Dist. xliv, qu. iii, art. 1, qu[a] 3; art. 3, qu[a] 3 (supra qu. lxx, art. 3; qu. lxxxvi, art. 3).

RESPONDEO DICENDUM quod dispositio inferni erit talis quod maxime miseriae damnatorum competet. Unde secundum hoc sunt ibi lux et tenebra prout maxime spectant ad miseriam damnatorum. Ipsa autem visio secundum se delectabilis est: ut enim dicitur in principio *Metaphys.* *, *sensus oculorum est maxime diligibilis, eo quod per ipsum plura cognoscimus.* Sed per accidens contingit visionem esse afflictivam, inquantum videmus aliqua nobis nociva, vel nostrae voluntati repugnantia. Et ideo in inferno hoc modo debet esse locus dispositus ad videndum secundum lucem et tenebras, quod nihil perspicue videatur, sed solummodo sub quadam umbrositate videantur ea quae afflictionem cordi ingerere possunt. Unde, simpliciter loquendo, locus est tenebrosus: sed tamen ex divina dispositione est ibi aliquid luminis, quantum sufficit ad videndum illa quae animam torquere possunt. Et ad hoc satisfacit naturalis situs loci: quia in terrae medio, ubi infernus ponitur *, non potest esse ignis nisi faeculentus et turbidus et quasi fumosus.

* Lib. I, cap. 1, n. 1. - S. Th. lect. 1. — * Cf. art. 7.

Quidam tamen tenebrarum harum causam assignant ex commassatione corporum damnatorum, quae prae multitudine ita replebunt locum inferni quod nihil ibi de aere manebit. Et sic non erit ibi aliquid de diaphano quod possit esse subiectum lucis et tenebrae, nisi oculi damnatorum, qui erunt obtenebrati.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

ART. V. UTRUM IGNIS INFERNI, QUO CRUCIABUNTUR CORPORA DAMNATORUM, SIT CORPOREUS

IV *Cont. Gent.*, cap. xc; Qu. *de Anima*, art. 21; *De Verit.*, qu. xxvi, art. 1; *Quodl.* VII, qu. v, art. 3.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ignis inferni, quo cruciabuntur corpora damnatorum, non sit corporeus. Dicit enim Damascenus, in IV libro, in fine *: *Tradetur diabolus, et daemones et homo eius, scilicet Antichristus, et impii et peccatores, in ignem aeternum, non materialem, qualis est qui apud nos est, sed qualem utique novit Deus.* Sed omne corporeum est materiale. Ergo ignis inferni non erit corporeus.

* *De Fide Orth.* lib. IV, cap. xxvii.

2. PRAETEREA, animae damnatorum a corpore separatae ad ignem inferni deferuntur. Sed Augustinus dicit, XII *super Gen. ad litt.* *: *Spiritualem arbitror esse,* locum scilicet ad quem anima defertur post mortem, *non corporalem.* Ergo ignis ille non est corporeus.

* Cap. xxxii.

3. PRAETEREA, ignis corporeus in modo suae actionis non sequitur modum culpae in eo qui igne crematur, sed magis modum humidi vel sicci: in eodem enim igne corporeo videmus affligi iustum et impium. Sed ignis inferni in modo suae actionis sequitur modum culpae in eo qui punitur: unde dicit Gregorius, in IV *Dialog.* *: *Unus quidem est gehennae ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores: uniuscuiusque enim quantum exigit culpa, tantum sentietur poena.* Ergo non est corporeus.

* Cap. xliii.

SED CONTRA EST quod dicitur IV *Dialog.* *: *Ignem gehennae corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari.*

* Cap. xxix.

2. PRAETEREA, *Sap.* v * dicitur: *Pugnabit orbis terrarum contra insensatos.* Sed non totus orbis terrarum contra insensatos pugnaret si solummodo spirituali poena et non corporali punirentur. Ergo punientur igne corporeo.

* Vers. 21.

RESPONDEO DICENDUM quod de igne inferni multiplex fuit positio. Quidam enim philosophi, ut Avicenna *, resurrectionem non credentes, solius animae post mortem poenam esse crediderunt. Et quia eis inconveniens videbatur ut anima, cum sit incorporea, igne corporeo puniretur, negaverunt ignem corporeum esse quo mali punirentur, volentes quod quidquid dicitur de poena animarum post mortem per aliqua corporalia futura, metaphorice dicatur. Sicut enim bonorum animarum delectatio et iucunditas non erit in aliqua re corporali, sed spirituali tantum, quod erit in consecutione sui finis; ita afflictio malorum spiritualis erit tantum, in hoc scilicet quod tristabuntur de hoc quod separabuntur a fine, cuius inest eis desiderium naturale. Unde, sicut omnia quae de delectatione animarum post mortem dicuntur quae videntur ad delectationem corporalem pertinere, ut quod reficiantur, quod rideant, et huiusmodi, ita etiam quidquid de earum afflictione dicitur quod in corporalem punitionem

* Cf. Avic. *Metaph.*, tract. IX, cap. vii; Algazel, *Philosoph.* lib. II, tract. v, cap. 5.

sonare videtur, per similitudinem debet intelligi, sicut quod in igne ardeant, vel fetoribus affligantur, et cetera huiusmodi *. Spiritualis enim delectatio et tristitia, cum sint ignota multitudini, oportet quod per delectationes et tristitias corporales figuraliter manifestentur, ut homines magis moveantur ad desiderium vel timorem.

* Cf. Orig. *Peri Archon*, lib. II, cap. x, xi.

Sed quia in poena damnatorum non solum erit poena damni, quae respondet aversioni quae fuit in culpa, sed etiam poena sensus, quae respondet conversioni; ideo non sufficit praedictum modum punitionis ponere. Et ideo etiam ipse Avicenna alterum modum superaddit, dicens * quod animae malorum post mortem non per corpora, sed per corporum similitudines punientur: sicut in somniis, propter similitudines praedictas in imaginatione existentes, videtur homini quod torqueatur poenis diversis. Et hunc etiam modum punitionis videtur ponere Augustinus, in XII *super Gen. ad litt.* *, sicut ibidem manifeste patet.

* Loc. cit.
* Cap. xxxii, xxxiii.

Sed hoc videtur inconvenienter dictum esse. Imaginatio enim potentia quaedam est utens organo corporali. Unde non potest esse quod visiones huiusmodi imaginativae fiant in anima separata a corpore, sicut in anima somniantis. Unde etiam Avicenna, ut hoc inconveniens evitaret, dixit * quod animae separatae a corpore utebantur quasi pro organo aliqua parte caelestis corporis, cui corpus humanum oportet esse conforme ad hoc quod perficiatur anima rationali, quae est similis motoribus caelestis corporis; in hoc secutus quodammodo opinionem antiquorum philosophorum, qui posuerunt animas redire ad compares stellas *.

* Loc. cit. - Cf. Algazel, ubi supra.
* Plato in *Timaeo*. - Didot, Vol. II, p. 212.

Sed hoc est omnino absurdum, secundum doctrinam Philosophi. Quia anima utitur determinato organo corporali: sicut ars determinatis instrumentis. Unde non potest transire de corpore in corpus: quod Pythagoras ponit, ut dicitur in I *de Anima* *. – Qualiter autem ad dictum Augustini sit respondendum, infra * dicetur.

* Cap. iii, n. 23.- S. Th. lect. viii.
* Resp. ad 2.

Quidquid autem dicatur de igne qui animas separatas cruciat, de igne tamen quo cruciabuntur corpora damnatorum post resurrectionem, oportet dicere quod sit corporeus: quia corpori non potest convenienter adaptari poena nisi sit corporea. Unde Gregorius, in IV *Dialog.* *, ex hoc ipso probat ignem inferni esse corporeum, quod reprobi post resurrectionem in eum detrudentur. Augustinus etiam *, ut habetur in littera **, manifeste confitetur ignem illum quo cruciabuntur corpora, esse corporeum. Et de hoc ad praesens est quaestio. – Sed hoc supra * dictum est, qualiter animae damnatorum ab igne isto corporeo puniantur.

* Cap. xxix.
* *De Civ. Dei*, lib. XXI, cap. x.
** Dist. xliv, cap. *Quaeri etiam*.
* Qu. lxx, art. 3.

Ad primum ergo dicendum quod Damascenus non negat simpliciter illum ignem materialem esse, sed quod *non est materialis talis qualis apud nos est:* eo quod quibusdam proprietatibus ab hoc igne distinguitur.

Vel dicendum est quod, quia ignis ille non materialiter alterat corpora, sed quadam spirituali actione agit in ea ad punitionem *; ideo dicitur non materialis esse, non quantum ad substantiam, sed quantum ad punitionis effectum in corporibus, et multo amplius in animabus.

* Cf. qu. lxxxvi, art. 3.

Ad secundum dicendum quod dictum Augustini potest hoc modo accipi ut pro tanto dicatur locus ille ad quem animae deferentur post mortem, non esse corporeus, quia anima in eo corporaliter non existit, per modum scilicet quo corpora existunt in loco, sed alio modo spirituali, sicut angeli in loco sunt.

Vel dicendum quod Augustinus loquitur opinando, et non determinando: sicut frequenter facit in libro illo.

Ad tertium dicendum quod ignis ille erit instrumentum divinae iustitiae punientis. Instrumentum autem non solum agit in virtute propria et per proprium modum, sed etiam in virtute principalis agentis, et secundum quod est regulatum ab eo. Unde, quamvis secundum propriam virtutem non habeat quod aliquos cruciet magis vel minus secundum modum peccati, habet tamen hoc secundum quod eius actio modificatur ex ordine divinae iustitiae. Sicut etiam ignis fornacis modificatur ex industria fabri in sua actione, secundum quod competit ad effectum artis.

ART. VI. Utrum ignis ille sit eiusdem speciei cum igne isto corporeo quem videmus

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod ignis ille non sit eiusdem speciei cum igne isto corporeo quem videmus. Augustinus enim dicit *, et habetur in littera **: *Ignis aeternus cuiusmodi sit, arbitror neminem scire, nisi cui Spiritus divinus ostendit.* Sed naturam istius ignis omnes, vel fere omnes sciunt. Ergo ignis ille non est eiusdem naturae vel speciei cum isto.

* *De Civ. Dei*, lib. XX, cap. xvi.
** Dist. xliv, cap. *Quaeri etiam*.

2. Praeterea, Gregorius dicit, XV *Moral.* *, exponens illud *Iob* xx *, « *Devorabit eum ignis qui non succenditur* »: *Ignis corporeus, ut esse valeat, corporeis indiget fomentis: nec valet, nisi succensus, esse; et nisi refotus, subsistere. At contra gehennae ignis, cum sit corporeus et in semetipso reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur; sed, creatus semel, durat inextinguibilis; et succensione non indiget, et ardore non caret.* Ergo non est eiusdem naturae cum igne quem videmus.

* Cap. xxix, al. xvii; in vet. xiv.
* Vers. 26.

3. Praeterea, aeternum et corruptibile non sunt unius rationis: cum nec etiam in genere communicent, secundum Philosophum, in X *Metaphys.* * Sed ignis iste est corruptibilis: ille autem aeternus, Matth. xxv *, *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* Ergo non est eiusdem speciei.

* S. Th. lect. xii.- Did. lib. IX, cap. x.
* Vers. 41.

4. Praeterea, de natura huius ignis qui apud nos est, est ut luceat. Sed ignis inferni non lucet: unde *Iob* xviii *: *Nonne lux impii extinguetur?* Ergo non est eiusdem naturae cum isto igne.

* Vers. 5.

Sed contra, secundum Philosophum, in I *Topic.* *, *omnis aqua omni aquae est idem specie.* Ergo eadem ratione omnis ignis omni igni est idem specie.

* Cap. v, n. 4.

2. Praeterea, *Sap.* xi * dicitur: *Per quae peccat quis, per haec et torquetur.* Sed homines peccant per res sensibiles huius mundi. Ergo iustum est ut per easdem puniantur.

* Vers. 17.

Respondeo dicendum quod ignis, propter hoc quod est maximae virtutis in agendo inter reliqua elementa, alia corpora pro materia habet: ut dicitur in IV *Meteor.* * Unde et ignis dupliciter invenitur: scilicet in materia propria, prout est in sua sphaera; vel in materia aliena, sive terrestri, ut patet in carbone; sive aerea, ut patet in flamma. Quocumque autem modo ignis inveniatur, semper est idem in specie, quantum ad naturam ignis pertinet: potest autem esse diversitas in specie quantum ad corpora quae sunt materia ignis. Unde flamma et carbo differunt specie; et similiter lignum igneum et ferrum ignitum. Nec differt quantum ad hoc sive ignita sunt per violentiam, ut in ferro apparet; sive ex principio intrinseco naturali, ut accidit in sulphure.

* Cap. i, n. 9. - Continuat. Comment. s. Th. lect. ii.

Quod ergo ignis inferni, quantum ad hoc quod habet de natura ignis, sit eiusdem speciei cum igne qui apud nos est, manifestum est. Utrum autem ille ignis sit in propria materia existens, aut, si in aliena, in qua materia sit, nobis ignotum est. Et secundum hoc, potest ab igne qui apud nos est specie differre materialiter consideratus.

Quasdam tamen proprietates differentes habet ab igne isto: ut quod succensione non indiget, nec lignis nutritur *. Sed istae differentiae non ostendunt diversitatem in specie quantum ad id quod pertinet ad naturam ignis.

* Cf. arg. 2.

Ad primum ergo dicendum quod Augustinus loquitur quantum ad id quod est materiale in igne illo, non autem quantum ad ignis naturam.

Ad secundum dicendum quod ignis qui apud nos est, lignis nutritur et ab homine succenditur, quia est artificialiter et per violentiam in aliena materia introductus. Sed ignis ille lignis non indiget quibus foveatur: quia vel in propria materia est existens; vel est in materia aliena non per violentiam, sed per naturam a principio intrinseco. Unde non est ab homine succensus, sed a Deo, qui naturam illam instituit. Et hoc est quod dicitur Isaiae xxx *: *Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.*

* Vers. 33.

Ad tertium dicendum quod, sicut corpora damnatorum erunt eiusdem speciei cuius et modo sunt, quamvis nunc sint corruptibilia, tunc autem incorruptibilia, ex ordine di-

vinae iustitiae et propter quietem motus coeli; ita est et de igne inferni, quo corpora illa punientur.

Ad quartum dicendum quod lucere non convenit igni secundum quemlibet modum existendi. Quia in propria materia existens non lucet: unde non lucet in propria sphaera, ut philosophi dicunt. Similiter etiam in aliqua materia aliena ignis existens non lucet: sicut cum est in materia opaca terrestri, ut in sulphure. Et similiter etiam quando ex aliquo grosso fumo eius claritas obfuscatur. Unde quod ignis inferni non lucet, non est sufficiens argumentum ad hoc quod non sit eiusdem speciei.

ART. VII. utrum ignis ille sit sub terra

II *Sent.*, dist. vi, art. 3, ad 2; IV, dist. xlviii, qu. ii, art. 3, ad 4; Expos. litt.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod ignis ille non sit sub terra. Quia *Iob* xviii * de homine damnato dicitur: *Et de orbe transferet eum Deus*. Ergo ignis ille quo damnati punientur, non est sub terra, sed est extra orbem.

* Vers. 18.

2. Praeterea, *nullum violentum et per accidens potest esse sempiternum* *. Sed ignis ille erit in inferno in sempiternum. Ergo non erit ibi per violentiam, sed naturaliter. Sed sub terra non potest esse ignis nisi per violentiam. Ergo ignis inferni non est sub terra.

* Aristot. *de Caelo* lib. I, cap. ii, n. 12, s. Th. lect. iv; lib. II, cap. iii, n. 1, s. Th. lect. iv.

3. Praeterea, in igne inferni omnia corpora damnatorum post diem iudicii cruciabuntur. Sed illa corpora locum replebunt. Ergo, cum futura sit maxima multitudo damnatorum, quia *stultorum infinitus est numerus*, *Eccle.* i *; oportet maximum esse spatium in quo ignis ille continetur. Sed inconveniens videtur dicere infra terram esse tantam concavitatem: cum partes terrae naturaliter ferantur ad medium. Ergo ignis ille non erit sub terra.

* Vers. 15.

4. Praeterea, *Sap.* xi *: *Per quae peccat quis, per haec et torquetur*. Sed mali super terram peccaverunt. Ergo ignis eos puniens non debet esse sub terra.

* Vers. 17.

Sed contra, dicitur Isaiae xiv *: *Infernus subtus conturbatus est in occursum tui*. Ergo ignis inferni sub nobis est.

* Vers. 9.

2. Praeterea, Gregorius, IV *Dialog.* *: *Quid obstat non video quod infernus esse sub terra credatur.*

* Cap. xlii.

3. Praeterea, Ionae ii, super illud *, *Proiecisti me in corde maris*, Glossa interlinearis: *Idest, in inferno: pro quo dicitur in Evangelio*, Matth. xii *, « *in corde terrae* »: *quia, sicut cor est in medio animalis, ita infernus in medio terrae perhibetur esse.*

* Vers. 4.
* Vera. 40.

Respondeo dicendum quod, sicut Augustinus dicit *, et habetur in littera *, *in qua parte mundi infernus sit, scire neminem arbitror, nisi cui divinus Spiritus revelavit.* Unde Gregorius, in IV *Dialog.* *, super hac quaestione interrogatus, respondet: *Hac de re temere definire nihil audeo. Nonnulli namque in quadam terrarum parte infernum esse putaverunt: alii vero hunc sub terra esse aestimant.* Et hanc opinionem probabiliorem esse ostendit dupliciter. Primo, ex ipsa nominis ratione, sic dicens: *Si idcirco infernum dicimus quia inferius iacet, quod terra ad caelum est, hoc esse infernus debet ad terram.* – Secundo, ex hoc quod dicitur *Apoc.* v *: *Nemo poterat, neque in caelo neque in terra neque subtus terram, aperire librum:* ut hoc quod dicitur *in caelo*, referatur ad angelos; hoc quod dicitur *in terra*, referatur ad homines viventes in corpore; hoc quod dicitur *sub terra*, referatur ad animas existentes in inferno.

* *De Civ. Dei*, lib. XX, cap. xvi.
* Dist. xliv, cap. *Quaeri etiam.*
* Cap. xlii.
* Vers. 3.

Augustinus etiam, in XII *super Gen. ad litt.* *, duas rationes tangere videtur quare congruum sit infernum esse sub terra. Una est *ut, quoniam defunctorum animae carnis amore peccaverant, hoc eis exhibeatur quod ipsi carni mortuae solet exhiberi, ut* scilicet *sub terram recondantur.* – Alia est quod, sicut est gravitas in corporibus, ita tristitia in spiritibus, et laetitia sicut levitas. Unde, *sicut secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora, ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora.* Et sic, sicut conveniens locus gaudio electorum est caelum empyreum, ita conveniens locus tristitiae damnatorum est infimum terrae. – Neque movere debet quod Augustinus ibidem * dicit, quod *inferi sub terris esse dicuntur vel creduntur.* Quia, ut in libro *Retractationum* *, hoc retractans, dicit: *Mihi videor docere debuisse magis quod sub terris sunt inferi, quam rationem reddere cur sub terris esse dicuntur sive creduntur.*

* Cap. xxxiv.
* Cap. xxxiii.
* Lib. II, cap. xxiv.

Quidam tamen philosophi posuerunt quod locus inferni erit sub orbe terrestri, tamen supra terrae superficiem, ex parte opposita nobis. Et hoc videtur Isidorus sensisse *, cum dixit quod *sol et luna in ordine quo creati sunt stabunt, ne impii, in tormentis positi, fruantur luce eorum:* quae ratio nulla esset si infernus infra terram esse dicatur. Qualiter tamen haec verba possint exponi, patuit supra *. – Pythagoras vero posuit locum poenarum in sphaera ignis, quam in medio totius orbis esse dixit: ut patet per Philosophum, in II *Caeli et Mundi* *.

* Gloss. Ord. Isid. super Isaiae cap. lx, vers. 19.
* Cf. qu. xci, art. 2.
* Cap. xiii, n. 2. – S. Th. lect. xx.

Sed tamen convenientius his quae in Scriptura dicuntur est ut sub terra esse dicatur *.

* Cf. arg. *Sed contra* 1, 3.

Ad primum ergo dicendum quod verbum illud *Iob, De orbe transferet eum Deus*, intelligendum est de orbe terrarum, idest de hoc mundo. Et hoc modo exponit Gregorius, dicens *: *De orbe quippe transfertur, cum, superno apparente Iudice, de hoc mundo tollitur, in quo perverse gloriatur.* Nec est intelligendum quod *orbis* hic accipiatur pro universo, quasi extra totum universum sit locus poenarum.

* *Moral.* lib. XIV, cap. xxii, al. xi.

Ad secundum dicendum quod in loco illo conservatur ignis in aeternum ex ordine divinae iustitiae: quamvis secundum naturam non possit extra suum locum aliquod elementum in aeternum durare, praecipue statu generationis et corruptionis manente in rebus. Ignis autem erit ibi fortissimae caliditatis: quia calor eius erit undique congregatus, propter frigus terrae undeque ipsum circumstans.

Ad tertium dicendum quod infernus nunquam deficiet in amplitudine quin sufficiat ad damnatorum corpora capienda: infernus enim, *Proverb.* xxx *, inter *tria insatiabilia* ponitur. Nec est inconveniens quod inter viscera terrae tanta concavitas conservetur divina virtute quae damnatorum omnium corpora possit capere.

* Vers. 15, 16.

Ad quartum dicendum quod hoc quod dicitur, *Per quae peccat quis, per haec et torquetur*, non est necessarium nisi in principalibus instrumentis peccandi. Quia enim homo in anima peccat et in corpore, in utroque punitur: non autem oportet quod in quo loco quis peccavit, in eodem puniatur; cum alius sit locus qui viatoribus et damnatis debetur.

Vel dicendum quod hoc intelligitur de poenis quibus homo punitur in via: secundum quod quaelibet culpa suam poenam habet annexam, prout *quisque inordinatus animus sibi est poena*, ut dicit Augustinus *.

* *Confess.* lib. I, cap. 12.

QUAESTIO NONAGESIMAOCTAVA

DE VOLUNTATE ET INTELLECTU DAMNATORUM

Consequenter considerandum est de pertinentibus ad affectum et intellectum damnatorum *.

* Cf. qu. xcvii, Introd.

Circa quod quaeruntur novem.

Primo: utrum damnatorum voluntas sit mala.
Secundo: utrum aliquando poeniteant de malis quae fecerunt.
Tertio: utrum magis vellent non esse quam esse.
Quarto: utrum vellent alios non esse damnatos.
Quinto: utrum impii habeant Deum odio.
Sexto: utrum ipsi demereri possint.
Septimo: utrum possint uti scientia hic acquisita.
Octavo: utrum cogitent aliquando de Deo.
Nono: utrum ipsi videant gloriam beatorum.

ART. I. utrum omnis voluntas damnatorum sit mala

Part. I, qu. lxiv, art. 2; Iª IIªᵉ, qu. lxxxv, art. 2, ad 3; II *Sent.*, dist. vii, qu. i, art. 2; IV *Cont. Gent.*, cap. xciii; Qu. *de Anima*, art. 17, ad 7; *Compend. Theol.*, cap. clxxiv.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non omnis voluntas damnatorum sit mala. Quia, ut dicit Dionysius, iv cap. *de Div. Nom.* *, daemones *bonum et optimum concupiscunt, esse, vivere et intelligere.* Cum ergo damnati homines non sint peioris conditionis quam dae-

* S. Th. lect. xix.

mones, videtur quod et ipsi bonam voluntatem habere possint.

* Loc. cit., a. Th. lect. XXII.

2. Praeterea, malum, ut dicit Dionysius *, est omnino *involuntarium*. Ergo, si damnati aliquid volunt, illud volunt inquantum est bonum vel apparens bonum. Sed voluntas quae per se ordinatur ad bonum, est bona. Ergo damnati possunt habere voluntatem bonam.

3. Praeterea, aliqui erunt damnati qui in hoc mundo existentes aliquos virtutum habitus secum detulerunt: utpote gentiles qui habuerunt virtutes politicas. Sed ex habitibus virtutum elicitur laudabilis voluntas. Ergo in aliquibus damnatis poterit esse laudabilis voluntas.

* Cf. I Part., qu. LXIV, art. 2.

Sed contra, obstinata voluntas nunquam potest flecti nisi ad malum *. Sed damnati homines erunt obstinati, sicut daemones. Ergo voluntas eorum nunquam poterit esse bona.

2. Praeterea, sicut se habet voluntas beatorum ad bonum, ita se habet voluntas damnatorum ad malum. Sed beati nunquam habent voluntatem malam. Ergo nec damnati aliquam habent voluntatem bonam.

Respondeo dicendum quod in damnatis potest duplex voluntas considerari: scilicet voluntas deliberativa; et voluntas naturalis. Naturalis quidem non est eis ex ipsis, sed ex Auctore naturae, qui in natura hanc inclinationem posuit quae naturalis voluntas dicitur. Unde, cum natura in eis remaneat, secundum hoc bona poterit in eis esse voluntas naturalis.

Sed voluntas deliberativa est eis ex seipsis, secundum quod in potestate eorum est inclinari per affectum ad hoc vel illud. Et talis voluntas est in eis solum mala. Et hoc ideo quia sunt perfecte aversi a fine ultimo rectae voluntatis; nec aliqua voluntas potest esse bona nisi per ordinem ad finem praedictum. Unde etiam, etsi aliquod bonum volunt, non tamen bene volunt illud, ut ex hoc voluntas eorum bona dici possit.

Ad primum ergo dicendum quod verbum Dionysii intelligitur de voluntate naturali, quae est inclinatio naturae in aliquod bonum. Sed tamen ista naturalis inclinatio per eorum malitiam corrumpitur: inquantum hoc bonum quod naturaliter desiderant, sub quibusdam malis circumstantiis appetunt.

Ad secundum dicendum quod malum, inquantum est malum, non movet voluntatem, sed inquantum est aestimatum bonum. Sed hoc ex eorum malitia procedit, quod id quod est malum aestiment ut bonum. Et ideo voluntas eorum mala est.

Ad tertium dicendum quod habitus virtutum politicarum non remanent in anima separata: eo quod virtutes illae perficiunt solum in vita civili, quae non erit post hanc vitam. Si tamen remanerent, nunquam in actum exirent, quasi ligatae ex obstinatione mentis.

ART. II. Utrum damnati poeniteant de malis quae fecerunt

IIa IIae, qu. XIII, art. 4; Part. III, qu. LXXXVI, art. 1; IV *Sent.*, dist. XIV, qu. 1, art. 3, qua 4; *Compend. Theol.*, cap. CLXXV; *Ad Heb.*, cap. XII, lect. III.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod damnati nunquam poeniteant de malis quae fecerunt. Quia dicit Bernardus, *in Cantica* *, quod damnatus semper vult iniquitatem suam quam fecit. Ergo nunquam de peccato commisso poenitet.

* Vide *de Consider.*, lib. V, cap. XII; *de Grat. et Lib. Arb.*, cap. IX.

2. Praeterea, velle se non peccasse est bona voluntas. Sed damnati non habebunt bonam voluntatem *. Ergo damnati nunquam volent se non peccasse. Et sic idem quod prius.

* Art. praeced.

3. Praeterea, secundum Damascenum *, *hoc est hominibus mors quod angelis casus*. Sed angeli voluntas post casum est invertibilis hoc modo, ut non possit recedere ab electione qua prius peccavit *. Ergo et damnati non possunt poenitere de peccatis a se commissis.

* *De Fide Orth.* lib. II, cap. IV.

* Cf. I Part., qu. LXIV, art. 2.

4. Praeterea, maior erit perversitas damnatorum in inferno quam peccatorum in hoc mundo. Sed aliqui in hoc mundo non poenitent de peccatis commissis: vel propter excaecationem mentis, sicut haeretici; vel propter obstinationem, sicut *qui laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis*, ut dicitur *Proverb.* II *. Ergo et damnati in inferno de peccatis non poenitebunt.

* Vers. 14.

Sed contra, *Sap.* V * de damnatis dicitur: *Intra se poenitentiam agentes.*

* Vers. 3.

2. Praeterea, Philosophus, in IX *Ethic.* *, dicit quod *poenitudine replentur pravi:* mox enim tristantur de hoc in quo prius delectati sunt. Ergo damnati, cum sint maxime pravi, magis poenitent.

* Cap. IV, n. 10. – S. Th. lect. IV.

Respondeo dicendum quod poenitere de aliquo contingit dupliciter: uno modo, per se; et alio modo, per accidens. Per se quidem de peccato poenitet qui peccatum in eo quod est peccatum, abominatur. Per accidens vero, qui illud odit ratione alicuius adiuncti, utpote poenae vel alicuius huiusmodi. Mali igitur non poenitebunt, per se loquendo, de peccatis: quia voluntas malitiae peccati in eis remanet. Poenitebunt autem per accidens: inquantum affligentur de poena quam pro peccato sustinent.

Ad primum ergo dicendum quod damnati iniquitatem volunt, sed poenam refugiunt. Et sic per accidens de iniquitate commissa poenitent.

Ad secundum dicendum quod velle se non peccasse propter turpitudinem iniquitatis, est bona voluntas. Sed hoc non erit in damnatis.

Ad tertium dicendum quod sine aliqua aversione voluntatis continget quod damnati de peccatis poeniteant: quia non hoc refugient in peccatis quod prius appetiverunt, sed aliquid aliud, scilicet poenam.

Ad quartum dicendum quod homines in hoc mundo, quantumcumque obstinati, per accidens de peccatis suis poenitent si pro eis puniantur: quia, ut dicit Augustinus, in libro *Octogintatrium Quaest.* *, *videmus etiam ferocissimas bestias dolore poenarum a maximis voluptatibus abstinere.*

* Qu. XXXVI.

ART. III. Utrum damnati recta ratione et deliberativa possint velle se non esse

Part. I, qu. V, art. 2, ad 3; *De Verit.*, qu. XXII, art. 1, ad 7; *In Matth.*, cap. XXVI.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod damnati recta ratione et deliberativa non possint velle se non esse. Augustinus enim dicit, in libro *de Lib. Arbit.* *: *Considera quantum bonum est esse, quod et beati et miseri volunt:* maius enim est esse et miserum esse, quam omnino non esse.

* Lib. III, cap. VII.

2. Praeterea, Augustinus ibidem * sic arguit. Praeelectio supponit electionem. Sed non esse non est eligibile: cum non habeat apparentiam boni, cum nihil sit. Ergo non esse non potest esse magis appetibile damnatis quam esse.

* Cap. VIII.

3. Praeterea, maius malum magis est fugiendum. Sed non esse est maximum malum: cum tollat totaliter bonum, eo quod nihil relinquit. Ergo non esse est magis fugiendum quam miserum esse. Et sic idem quod prius.

Sed contra est quod dicitur *Apoc.* IX *: *In diebus illis desiderabunt homines mori, et fugiet mors ab eis.*

* Vers. 6.

2. Praeterea, damnatorum miseria omnem huius mundi miseriam excedit. Sed ad vitandam miseriam huius mundi appetibile est aliquibus mori: unde dicitur *Eccli.* XLI *: *O mors, quam bonum est iudicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus et deficit aetate, et cui de omnibus cura est, et incredibili qui perdit sapientiam!* Ergo multo fortius est damnatis appetibile non esse secundum rationem deliberativam.

* Vers. 3, 4.

Respondeo dicendum quod non esse potest dupliciter considerari. Uno modo, secundum se. Et sic nullo modo potest esse appetibile: cum non habeat aliquam rationem boni, sed sit pura boni privatio. – Alio modo potest considerari inquantum est ablativum poenalis vel miserae vitae. Et sic non esse accipit rationem boni: carere enim malo est quoddam bonum, ut dicit Philosophus, in V *Ethic.* * Et per hunc modum melius est damnatis non esse quam miseros esse. Unde Matth. XXVI *: *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Et Ierem. XX, super illud *, *Maledicta dies in qua natus sum* etc., dicit Glossa * Hieronymi: *Melius est non esse quam male esse.* Et secundum hoc damnati possunt praeeligere non esse secundum deliberativam rationem.

* Cap. I, n. 10. – S. Th. lect. I.
* Vers. 24.
* Vers. 14.
* Ord.

Ad primum ergo dicendum quod verbum Augustini est intelligendum quod non esse per se non est eligibile: sed per accidens, inquantum scilicet est miseriae terminativum. Quod enim dicitur quod esse et vivere ab omnibus appetitur naturaliter, *non oportet hoc accipere quantum ad malam vitam et corruptam, et eam quae est in tristitiis*, ut dicit Philosophus, in IX *Ethicorum* *.

* Cap. ix, n. 8. - S. Th. lect. xi.

Ad secundum dicendum quod non esse non est eligibile per se: sed per accidens tantum, ut dictum est *.

* Resp. ad 1.

Ad tertium dicendum quod, licet non esse maxime sit malum inquantum privat esse, est tamen valde bonum inquantum privat miseriam, quae est maximum malorum. Et sic non esse eligitur.

ART. IV. Utrum damnati in inferno vellent alios esse damnatos qui non sunt damnati

Quodl. VIII, qu. vii, art. 2.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod damnati in inferno non vellent alios esse damnatos qui non sunt damnati. Quia Luc. xvi * dicitur de Divite qui rogabat pro fratribus suis, *ne venirent in locum tormentorum*. Ergo, eadem ratione, et damnati alii non vellent ad minus carnales suos amicos in inferno damnari.

* Vers. 27, 28.

2. Praeterea, affectiones inordinatae a damnatis non auferuntur. Sed aliqui damnati inordinate aliquos non damnatos dilexerunt. Ergo non vellent eorum malum, quod est esse damnatos.

3. Praeterea, damnati non desiderant augmentum suae poenae. Sed si plures damnarentur, maior esset eorum poena: sicut etiam multiplicatio beatorum amplificat eorum gaudium. Ergo damnati non vellent salvatos damnari.

Sed contra est quod Isaiae xiv, super illud *, *Surrexerunt de soliis*, dicit Glossa *: *Solatium est malorum multos socios habere poenarum.*

* Vers. 9.
* Ord. ex Hieron.

2. Praeterea, in damnatis maxime regnat invidia. Ergo dolent de felicitate beatorum, et eorum damnationem appetunt.

Respondeo dicendum quod, sicut in beatis in patria erit perfectissima caritas, ita in damnatis erit perfectissimum odium. Unde, sicut sancti gaudebunt de omnibus bonis, ita et mali de omnibus bonis dolebunt. Unde et felicitas sanctorum considerata maxime eos affligit: unde dicitur Isaiae xxvi *: *Videant et confundantur zelantes populi, et ignis hostes tuos devoret.* Unde vellent omnes beatos esse damnatos.

* Vers. 11.

Ad primum ergo dicendum quod tanta erit invidia in damnatis quod etiam propinquorum gloriae invidebunt, cum ipsi sint in summa miseria: cum etiam in hac vita hoc accidat, crescente invidia. Sed tamen minus invident propinquis quam aliis; et maior esset eorum poena si omnes propinqui damnarentur et alii salvarentur, quam si aliqui de suis propinquis salvarentur. Et exinde fuit quod Dives petiit fratres suos a damnatione eripi: sciebat enim quod aliqui eriperentur. Maluisset tamen fratres suos cum omnibus aliis damnari.

Ad secundum dicendum quod dilectio quae non fundatur super honestum, facile rescinditur: et praecipue in malis hominibus, ut Philosophus dicit, in VIII *Ethic.* * Unde damnati non servabunt amicitiam ad eos quos inordinate dilexerunt. Sed in hoc voluntas eorum remanebit perversa, quod causam inordinatae dilectionis adhuc diligent.

* Cap. viii, n. 5. - S. Th. lect. viii.

Ad tertium dicendum quod, quamvis de damnatorum multitudine poena singulorum augeatur, tamen tantum superexcrescet odium et invidia quod magis eligerent torqueri magis cum multis quam minus soli.

ART. V. Utrum damnati habeant Deum odio

Part. I, qu. lx, art. 5, ad 5; IIª IIªᵉ, qu. xxxiv, art. 1; *De Verit.*, qu. xxii, art. 2, ad 3.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod damnati non habeant Deum odio. Quia, ut dicit Dionysius, iv cap. *de Div. Nom.* *, omnibus diligibile est bonum et pulcrum quod est omnis boni et pulcritudinis causa. Hoc autem est Deus. Ergo Deus a nullo odio haberi potest.

* S. Th. lect. ix.

2. Praeterea, nullus potest ipsam bonitatem odio habere: sicut nec ipsam malitiam velle, malum enim est omnino *involuntarium*, ut Dionysius dicit, iv cap. *de Div. Nom.* * Deus autem est bonitas ipsa. Ergo nullus ipsum odio potest habere.

* S. Th. lect. xxii.

Sed contra est quod dicitur in Psalmo *: *Superbia illorum qui te oderunt ascendit semper.*

* Ps. lxxiii, vers. 23.

Respondeo dicendum quod affectus movetur ex bono vel malo apprehenso. Deus autem apprehenditur dupliciter: in se, sicut a beatis, qui eum per essentiam vident; et per effectus, sicut a nobis et damnatis. Ipse igitur in seipso, cum sit per essentiam bonitas, non potest alicui voluntati displicere. Unde quicumque eum per essentiam videret, eum odio habere non posset. – Sed effectus eius aliqui sunt voluntati repugnantes, inquantum contrariantur alicui volito. Et secundum hoc aliquis, non in seipso, sed ratione effectuum, Deum odire potest.

Damnati ergo, Deum percipientes in effectu iustitiae qui est poena, eum odio habent, sicut et poenas quas sustinent.

Ad primum ergo dicendum quod verbum Dionysii est intelligendum de appetitu naturali. Qui tamen in damnatis pervertitur per id quod additur ex deliberata voluntate, ut dictum est *.

* Art. 1, ad 1.

Ad secundum dicendum quod ratio illa procederet si damnati Deum in seipso conspicerent, inquantum est per essentiam bonus.

ART. VI. Utrum damnati demereantur

IIª IIªᵉ, qu. xiii, art. 4, ad 2; I *Sent.*, dist. xlviii, art. 3, ad 2.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod damnati demereantur. Damnati enim habent *voluntatem malam*, ut dicitur in littera *. Sed per malam voluntatem quam hic habuerunt, demeruerunt. Ergo, si ibi non demerentur, ex sua damnatione commodum reportant.

* Dist. l, cap. *Hic oritur.*

2. Praeterea, damnati sunt eiusdem conditionis cum daemonibus. Sed daemones demerentur post suum casum: unde serpenti qui hominem ad peccandum induxit, est a Deo poena inflicta, ut dicitur *Genes.* iii *. Ergo et damnati demerentur.

* Vers. 14, 15.

3. Praeterea, actus inordinatus ex libertate arbitrii procedens non excusatur quin sit demeritorius etsi aliqua necessitas adsit cuius aliquis sit sibi causa: *ebrius* enim *meretur duplices maledictiones* si ex ebrietate aliquod aliud peccatum committat, ut dicitur in III *Ethic.* * Sed ipsi damnati fuerunt sibi causa propriae obstinationis, per quam quandam necessitatem patiuntur peccandi. Ergo, cum eorum actus inordinatus ex libero arbitrio procedat, non excusantur a demerito.

* Cap. v, n. 8. - S. Th. lect. xi.

Sed contra, poena contra culpam dividitur. Sed perversa voluntas in damnatis ex obstinatione procedit, quae est eorum poena. Ergo perversa voluntas in damnatis non est culpa per quam demereantur.

2. Praeterea, post ultimum terminum non relinquitur aliquis motus sive profectus in bonum vel in malum. Sed damnati, maxime post diem iudicii, ad ultimum terminum suae damnationis pervenient: quia tunc *finem habebunt duae civitates,* ut Augustinus dicit *. Ergo damnati post diem iudicii perversa voluntate non demerebuntur: quia sic cresceret eorum damnatio.

* *Enchirid.* cap. cxi.

Respondeo dicendum quod de damnatis ante diem iudicii et post distinguendum est. Omnes enim communiter confitentur quod post diem iudicii non erit aliquod meritum vel demeritum. Et hoc ideo est quia meritum vel demeritum ordinatur ad aliquod bonum vel malum ulterius consequendum. Post diem autem iudicii erit ultima consummatio bonorum et malorum, ita quod nihil erit ulterius addendum de bono vel malo. Unde et bona voluntas in beatis non erit meritum, sed praemium; et mala voluntas non erit in damnatis demeritum, sed poena tantum; *operationes* enim *virtutis sunt praecipuae in felicitate, et eorum contrariae sunt praecipuae in miseria,* ut dicitur in I *Ethicorum* *.

* Cap. x, n. 9. - S. Th. lect. xvi.

Sed ante diem iudicii quidam dicunt et beatos mereri, et damnatos demereri. – Sed hoc non potest esse respectu praemii essentialis vel poenae principalis: cum quantum

ad hoc utrique ad terminum perveniant. Potest tamen hoc esse respectu praemii accidentalis vel poenae secundariae, quae possunt augeri usque ad diem iudicii. Et hoc praecipue in daemonibus vel angelis bonis: quorum officio aliqui trahuntur ad salutem, ex quo bonorum angelorum gaudium crescit; vel ad damnationem, ex quo crescit poena daemonum.

Ad primum ergo dicendum quod hoc est summum incommodum, ad summam malorum pervenisse, ex quo contingit in damnatis quod demereri non possunt. Unde patet quod ex peccato commodum non reportant.

Ad secundum dicendum quod ad damnatorum hominum officium non pertinet alios ad damnationem pertrahere, sicut pertinet ad officium daemonum, ratione cuius demerentur quantum ad secundariam poenam.

Ad tertium dicendum quod non propter hoc excusantur a demerito quia necessitatem habeant peccandi: sed quia ad summam malorum pervenerunt.

Tamen necessitas peccandi cuius causa sumus, excusat a culpa inquantum est necessitas quaedam: quia omne peccatum oportet esse voluntarium *. Sed quod non excuset, hoc est inquantum a voluntate praecedente processit. Et sic totum demeritum sequentis culpae videtur ad primam culpam pertinere.

* Aug. *de Vera Relig.*, cap. xiv.

ART. VII. Utrum damnati possint uti notitia quam in hoc mundo habuerunt

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod damnati non possint uti notitia quam in hoc mundo habuerunt. In consideratione enim scientiae est maxima delectatio. Sed in eis nullam delectationem est ponere. Ergo non possunt uti scientia prius habita secundum aliquam considerationem.

2. Praeterea, damnati sunt in maioribus poenis quam sint aliquae poenae huius mundi. Sed in hoc mundo, dum aliquis est in maximis tormentis constitutus, non potest considerare aliquas intelligibiles conclusiones, abstractus a poenis quas patitur. Ergo multo minus in inferno.

3. Praeterea, damnati sunt subiecti tempori *. Sed longitudo temporis est causa oblivionis: ut dicitur in IV *Physic.* * Ergo damnati obliviscentur eorum quae hic habuerunt.

* Part. I, qu. x, art. 3, ad 2.
* Cap. xiii, n. 8.- S. Th. lect. xxii.

Sed contra est quod Luc. xvi * dicitur Diviti damnato: *Recordare quia recepisti bona*, etc. Ergo considerabunt ea quae hic sciverunt.

* Vers. 25.

2. Praeterea, species intelligibiles in anima separata remanent, ut supra * dictum est. Si igitur eis non uti possent, frustra remanerent in eis.

* Qu. lxx, art. 2, ad 3. - Cf. III *Sent.*, dist. xxxi, qu. ii, art. 4; Part. I, qu. lxxxix, art. 6.

Respondeo dicendum quod, sicut propter perfectam sanctorum beatitudinem nihil erit in eis quod non sit gaudii materia, ita nihil erit in damnatis quod non sit eis materia et causa tristitiae; nec aliquid quod ad tristitiam possit pertinere, deerit, ut sit eorum miseria consummata. Consideratio ergo aliquorum notorum quantum ad aliquid inducit gaudium: vel ex parte cognoscibilium, inquantum diliguntur; vel ex parte ipsius cognitionis, inquantum est conveniens et perfecta. Potest etiam tristitiae esse ratio: et ex parte cognoscibilium, quae nata sunt contristare; et ex parte ipsius cognitionis, prout eius imperfectio consideratur, utpote cum aliquis considerat se deficere in cognitione alicuius rei, cuius perfectionem appeteret.

Sic ergo in damnatis erit actualis consideratio eorum quae prius sciverunt ut materia tristitiae, non autem ut delectationis causa. Considerabunt enim et mala quae gesserunt, ex quibus damnati sunt; et bona dilecta, quae amiserunt; et ex utroque torquebuntur. Similiter etiam torquebuntur de hoc quod considerabunt notitiam quam de rebus speculabilibus habuerunt imperfectam esse, et amisisse summam eius perfectionem, quam poterant adipisci.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis consideratio sit per se delectabilis, tamen ex aliquo accidente potest esse tristitiae causa. Et sic erit in damnatis.

Ad secundum dicendum quod in hoc mundo anima coniungitur corruptibili corpori. Unde per hoc quod corpus affligitur, consideratio animae impeditur. Sed in futuro anima non ita trahetur a corpore: sed, quantumcumque corpus affligatur, tamen anima semper considerabit lucidissime illa quae ei poterunt esse causa maeroris.

Ad tertium dicendum quod tempus est causa oblivionis per accidens, inquantum motus, cuius est mensura, est causa transmutationis. Sed post diem iudicii non erit motus caeli: unde nec oblivio esse poterit ex quantacumque diuturnitate. Sed ante diem iudicii anima separata non mutatur a sua dispositione per motum caeli.

ART. VIII. Utrum damnati cogitaturi sint de Deo

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod aliquando damnati cogitabunt de Deo. Quia non potest haberi odio actu nisi id de quo cogitatur. Sed damnati Deum odio habebunt, ut in littera * dicitur. Ergo de Deo aliquando cogitabunt.

* Dist. l, cap. *Hic quaeri potest.*

2. Praeterea, damnati habebunt remorsum conscientiae *. Sed conscientia patitur remorsum de actis contra Deum. Ergo de Deo aliquando cogitabunt.

* Qu. xcvii, art. 2.

Sed contra, perfectissima hominis cogitatio est qua cogitat de Deo. Sed damnati erunt in statu imperfectissimo. Ergo de Deo non cogitabunt.

Respondeo dicendum quod Deus potest considerari dupliciter. Uno modo, secundum se, et secundum id quod est proprium, scilicet esse totius bonitatis principium. Et sic nullo modo cogitari potest sine delectatione. Unde sic nullo modo a damnatis cogitabitur. – Alio modo, secundum aliquid quod est ei quasi accidentale in effectibus eius, utpote punire, vel aliquid huiusmodi. Et secundum hoc consideratio de Deo potest tristitiam inducere. Et hoc modo damnati de Deo cogitabunt.

Ad primum ergo dicendum quod damnati non habent Deum odio nisi ratione punitionis, et prohibitionis eius quod malae voluntati eorum consonat. Unde non considerabunt eum nisi ut punitorem et prohibitorem.

Et per hoc patet etiam solutio ad secundum. Quia conscientia non remordet de peccato nisi inquantum est divino praecepto contraria.

ART. IX. Utrum damnati gloriam beatorum videant

Quodl. VIII, qu. vii, art. 1.

Ad nonum sic proceditur. Videtur quod damnati gloriam beatorum non videant. Magis enim distat ab eis gloria beatorum quam ea quae in hoc mundo aguntur. Sed ipsi non vident quae circa nos aguntur: unde dicit Gregorius, XII *Moral.* *, super illud *Iob* **, *Sive fuerint nobiles filii eius* etc.: *Sicut hi qui adhuc vivunt, mortuorum animae quo loco habeantur ignorant; ita mortui, qui corporaliter vixerunt, vita in carne positorum qualiter circa eos disponatur*, ignorant. Ergo multo minus possunt videre gloriam beatorum.

* Cap. xxi, al. xiv; in vet. cap. xiii.
** Cap. xiv, vers. 21.

2. Praeterea, illud quod conceditur sanctis in hac vita pro magno munere, nunquam concedetur damnatis. Sed Paulo pro magno munere fuit concessum videre vitam illam qua sancti aeternaliter cum Deo vivunt: ut dicitur II *Cor.* xii *, in Glossa **. Ergo damnati sanctorum gloriam non videbunt.

* Vers. 2.
** Cf. Interlin. et Lomb.

Sed contra est quod dicitur Luc. xvi *, quod *Dives, in tormentis positus, vidit Abraham, et Lazarum in sinu eius.*

* Vers. 23.

Respondeo dicendum quod damnati ante diem iudicii vident beatos in gloria, non hoc modo quod gloriam eorum qualis sit cognoscant, sed solum cognoscunt eos esse in gloria quadam inaestimabili. Et ex hoc turbabuntur: tum propter invidiam, dolentes de felicitate eorum; tum propter hoc quod ipsi talem gloriam amiserunt; unde dicitur *Sap.* v * de impiis: *Videntes turbabuntur timore horribili.* Sed post diem iudicii omnino beatorum visione privabuntur. Nec tamen ex hoc eorum poena minuetur, sed augebitur. Quia memoriam habebunt gloriae beatorum, quam in iudicio videbunt vel ante iudicium: et hoc erit eis in tormentum. Sed ulterius affligentur in hoc quod videbunt se indignos reputari etiam videre gloriam quam sancti merentur habere.

* Vers. 2.

Ad primum ergo dicendum quod ea quae in hac vita aguntur, non ita affligerent damnatos in inferno si viderentur, sicut sanctorum gloria inspecta. Unde non ita ostenduntur damnatis ea quae hic aguntur sicut sanctorum gloria. Quamvis etiam eorum quae hic aguntur, ostendantur eis ea quae in eis tristitiam augere possunt.

Ad secundum dicendum quod Paulus inspexit vitam illam in qua sancti cum Deo vivunt, eam experiendo, et in futurum perfectius sperando. Quod non est de damnatis. Et ideo non est simile.

QUAESTIO NONAGESIMANONA

DE MISERICORDIA ET IUSTITIA DEI RESPECTU DAMNATORUM

* Cf. qu. xcvii, Introd.

Deinde considerandum est de iustitia et misericordia Dei respectu damnatorum *.

Circa quod quaeruntur quinque.

Primo: utrum ex divina iustitia inferatur peccatoribus poena aeterna.

Secundo: utrum per divinam misericordiam omnis poena tam hominum quam daemonum terminetur.

Tertio: utrum saltem poena hominum terminetur.

Quarto: utrum saltem poena Christianorum.

Quinto: utrum illorum qui opera misericordiae fecerunt.

ART. I. UTRUM EX DIVINA IUSTITIA INFERATUR PECCATORIBUS POENA AETERNA

Ia IIae, qu. lxxxvii, art. 3; Part. III, qu. lxxxvi, art. 4; II *Sent.*, dist. xlii, qu. i, art. 5; IV, dist. xxi, qu i, art. 2, qua 3; III *Cont. Gent.*, cap. cxliv; *De Malo*, qu. vii, art. 10; *Compend. Theol.*, cap. clxxxiii; *In Matth.*, cap. xxv; *Ad Rom.*, cap. ii, lect. ii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod ex divina iustitia non inferatur peccatoribus poena aeterna. Poena enim non debet excedere culpam: *Deut.* xxv *, *Secundum mensuram delicti erit et plagarum modus.* Sed culpa est temporalis. Ergo poena non debet esse aeterna.

* Vers. 2.

2. Praeterea, duorum peccatorum mortalium unum est altero maius. Ergo unum debet maiori quam alterum poena puniri. Sed nulla poena potest esse maior quam aeterna: cum sit infinita. Ergo non cuilibet peccato mortali debetur poena aeterna. Et si uni non debetur, nulli debetur: cum eorum distantia non sit infinita.

3. Praeterea, a iusto iudice non infertur poena nisi ad correctionem: unde II *Ethic.* * dicitur quod *poenae sunt quaedam medicinae.* Sed quod impii in aeternum puniantur, hoc non est ad correctionem eorum: nec aliquorum aliorum, cum tunc non sint aliqui futuri qui per hoc corrigi possint. Ergo secundum divinam iustitiam non infertur pro peccatis poena aeterna.

* Cap. iii, n. 4. - S. Th. lect. iii.

4. Praeterea, omne quod non est propter se volitum, nullus vult nisi propter aliquam utilitatem. Sed poenae a Deo non sunt propter se volitae: non enim delectatur in poenis *. Cum ergo nulla utilitas accidere possit ex perpetuatione poenae, videtur quod perpetuam poenam pro peccato non infert.

* Cf. Tobiae cap. iii, vers. 22; *Sap.* cap. i, vers. 13.

5. Praeterea, nihil quod est per accidens est perpetuum, ut dicitur in I *Caeli et Mundi* *. Sed poena est eorum quae sunt per accidens: cum sit contra naturam. Ergo non potest esse perpetua.

* Cf. cap. ii, n. 12, s. Th. lect. iv; lib. II, cap. iii, n. i, s. Th. lect. iv.

6. Praeterea, iustitia Dei hoc requirere videtur ut peccatores ad nihilum redigantur. Quia propter ingratitudinem debet quis beneficia accepta amittere. Inter cetera autem Dei beneficia est etiam ipsum esse. Unde videtur iustum ut peccator, qui ingratus Deo existitit, ipsum esse amittat. Sed, si in nihilum redigantur, eorum poena non potest esse perpetua. Ergo non videtur esse consonum divinae iustitiae ut peccatores perpetuo puniantur.

Sed contra est quod dicitur Matth. xxv *: *Ibunt hi,* scilicet peccatores, *in supplicium aeternum.*

* Vers. 46.

2. Praeterea, sicut se habet praemium ad meritum, ita poena ad culpam. Sed secundum divinam iustitiam merito temporali debetur praemium aeternum: Ioan. vi *, *Omnis qui videt Filium et credit in eum, habet vitam aeternam.* Ergo et culpae temporali secundum divinam iustitiam debetur poena aeterna.

* Vers. 40.

3. Praeterea, secundum Philosophum, in V *Ethic.* *, poena taxatur secundum dignitatem eius in quem peccatur: unde maiori poena punitur qui percutit alapa principem, quam alium quemcumque. Sed quicumque peccat mortaliter, peccat contra Deum, cuius praecepta transgreditur, et cuius honorem alii impartitur dum in alio finem constituit. Maiestas autem Dei est infinita. Ergo quicumque peccat mortaliter, dignus est infinita poena. Et ita videtur quod iuste pro peccato mortali quis perpetuo puniatur.

* Cap. v, n. 4. - S. Th. lect. viii.

Respondeo dicendum quod, cum poena duplicem habeat quantitatem, scilicet secundum intensionem acerbitatis, et secundum durationem temporis; quantitas poenae respondet quantitati culpae secundum intensionem acerbitatis, ut secundum quod gravius peccavit, secundum hoc gravior poena ei infligatur; unde *Apoc.* xviii *: *Quantum se glorificavit et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum.* Non autem respondet duratio poenae durationi culpae, ut dicit Augustinus, XXI *de Civ. Dei* *: non enim adulterium, quod in momento temporis perpetratur, momentanea poena punitur, etiam secundum leges humanas. Sed duratio poenae respicit dispositionem peccantis. Quandoque enim ille qui peccat in aliqua civitate, ex ipso peccato efficitur dignus ut totaliter a societate civitatis repellatur, vel per exilium perpetuum, vel etiam per mortem. Quandoque vero non redditur dignus ut totaliter a civium societate excludatur: et ideo, ut possit esse conveniens membrum civitatis, poena ei prolongatur vel breviatur secundum quod expedit eius curationi, ut in civitate convenienter et pacifice vivere possit.

* Vers. 7.

* Cap. xi.

Ita etiam secundum divinam iustitiam aliquis ex peccato redditur dignus penitus a civitatis Dei consortio separari: quod fit per omne peccatum quo quis contra caritatem peccat, quae est vinculum civitatem praedictam uniens. Et ideo pro peccato mortali, quod est contrarium caritati, aliquis, in aeternum a societate sanctorum exclusus, aeternae poenae addicitur: quia, ut Augustinus in libro praedicto * dicit, *quod est de civitate ista mortali homines supplicio primae mortis, hoc est de civitate illa immortali homines supplicio secundae mortis auferre.* Quod autem poena quam civitas mundana infligit perpetua non reputatur, hoc est per accidens: vel inquantum homo non perpetuo manet; vel inquantum etiam ipsa civitas deficit. Unde, si homo in perpetuum viveret poena exilii et servitutis, quae per legem humanam inferuntur, in eo perpetuo permanerent. – Qui vero hoc modo peccant ut tamen non reddantur digni totaliter separari a sanctae civitatis consortio, sicut peccantium venialiter, tanto eorum poena erit brevior vel diuturnior, quanto magis vel minus purgabiles erunt, secundum quod eis peccata vel plus vel minus inhaeserunt. Quod in poenis huius mundi et purgatorii secundum divinam iustitiam servatur.

* Loc. cit.

Inveniuntur etiam et aliae rationes a Sanctis assignatae quare iuste pro peccato temporali aliqui poena perpetua puniantur. Una est quia peccaverunt contra bonum aeternum, dum contempserunt aeternam vitam. Et hoc etiam est quod Augustinus in praedicto libro * dicit: *Factus est malo dignus aeterno, quia hoc in se peremit bonum quod esse posset aeternum.*

* Cap. xii.

Alia ratio est quia homo in suo aeterno peccavit. Unde Gregorius dicit, in IV *Dialog.* *: *Ad magnam iustitiam iudicantis pertinet ut nunquam careant supplicio qui nunquam voluerunt carere peccato.* – Et si obiiciatur quod quidam peccantes mortaliter proponunt vitam suam in melius commutare; et ita, secundum hoc, non essent digni aeterno supplicio, ut videtur: – dicendum est, secundum quosdam, quod Gregorius loquitur de voluntate quae manifestatur per opus. Qui enim in peccatum mortale propria voluntate labitur, se ponit in statu a quo erui non potest nisi divinitus. Unde ex hoc ipso quod vult peccare, consequenter vult in peccato manere perpetuo: homo enim est *spiritus vadens*, scilicet in peccatum, *et non rediens* per seipsum *. Sicut, si aliquis se in foveam proiiceret unde exire non posset nisi adiutus, posset dici quod in aeternum ibi manere voluit, quantumcumque aliud

* Cap. xliv.

* Gloss. Interlin. et Lomb. in Ps. lxxvii, vers. 39.

cogitaret. – Vel potest dici, et melius, quod ex hoc ipso quod mortaliter peccat, finem suum in creatura constituit. Et quia ad finem vitae tota vita ordinatur, ideo ex hoc ipso totam vitam suam ordinat ad illud peccatum; et vellet perpetuo in peccato manere si hoc sibi esset impune. Et hoc est quod Gregorius dicit, in XXXIV lib. *Moral.* *, super illud *Iob* xli *, « *Aestimabit abyssum quasi senescentem* » : *Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluissent quippe sine fine vivere ut sine fine potuissent in suis iniquitatibus permanere: nam magis appetunt peccare quam vivere.*

* Cap. xix, al. xvi; in vet. cap. xii.
* Vers. 23.

Potest et alia ratio assignari quare poena peccati mortalis sit aeterna: quia per eam contra Deum, qui est infinitus, peccatur. Unde, cum non posset esse infinita poena per intensionem, quia creatura non est capax alicuius qualitatis infinitae; requiritur quod sit saltem duratione infinita.

Est etiam quarta ratio ad hoc idem: quia culpa manet in aeternum; cum culpa non possit remitti sine gratia, quam homo non potest post mortem acquirere. Nec debet poena cessare quandiu culpa manet.

Ad primum ergo dicendum quod poena non debet aequari culpae secundum quantitatem durationis: ut videtur etiam secundum leges humanas accidere.

Vel dicendum, sicut Gregorius solvit, quod, quamvis culpa sit actu temporalis, voluntate tamen est aeterna *.

* Cf. corpus art. vers. fin.

Ad secundum dicendum quod quantitati peccati respondet quantitas poenae secundum intensionem. Et ideo peccatorum mortalium inaequalium erunt poenae inaequales intensione, aequales autem duratione.

Ad tertium dicendum quod poenae quae infliguntur his qui a civitatis societate non penitus eiiciuntur, sunt ad correctionem eorum ordinatae: sed illae poenae per quas aliqui totaliter a civitatis societate exterminantur, non sunt ad correctionem eorum. Possunt tamen esse ad correctionem et tranquillitatem aliorum qui in civitate remanent. Et ita damnatio aeterna impiorum est ad correctionem eorum qui nunc sunt in Ecclesia: non enim poenae sunt ad correctionem solum quando infliguntur; sed etiam quando determinantur.

Ad quartum dicendum quod impiorum poenae in perpetuum duraturae non erunt omnino ad nihilum utiles. Sunt enim utiles ad duo. Primo, ad hoc quod in eis divina iustitia conservatur: quae est Deo accepta propter seipsam. Unde Gregorius, IV *Dialog.* *: *Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur. Quia autem iustus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur.*

* Cap. xliv.

Secundo, ad hoc sunt utiles ut de his electi gaudeant, dum in his Dei iustitiam contemplantur, et cum hoc se evasisse cognoscunt. Unde Psalmo *: *Laetabitur iustus cum viderit vindictam;* et Isaiae ult. *: *Erunt,* scilicet impii, *usque ad satietatem visionis,* scilicet sanctis, ut Glossa * dicit. Et hoc est quod Gregorius dicit, IV *Dialog.* *: *Iniqui omnes, aeterno supplicio deputati, sua quidem iniquitate puniuntur: et tamen ad aliquid ardebunt, scilicet ut iusti omnes et in Deo videant gaudia quae perceperunt, et in illis percipiant supplicia quae evaserunt; quatenus tanto magis in aeternum divinae gratiae debitores se esse cognoscant, quanto in aeternum mala puniri conspiciunt, quae eius adiutorio vicerunt.*

*Ps. lvii, vers. 11.
* Vers. 24.
* Interlin.
* Cap. xliv.

Ad quintum dicendum quod, quamvis poena per accidens respondeat animae, tamen per se respondet animae culpa infectae. Et quia culpa in perpetuum in ea manebit, ideo et poena perpetua erit.

Ad sextum dicendum quod poena respondet culpae, proprie loquendo, secundum inordinationem quae invenitur in ipsa, et non secundum dignitatem ipsius in quem peccatur: quia sic cuilibet peccato responderet poena infinita intensione. Quamvis ergo ex hoc quod aliquis peccat contra Deum, qui est Auctor essendi, mereatur ipsum esse amittere; considerata tamen ipsius actus inordinatione, non debetur ei amissio esse: quia esse praesupponitur ad meritum et demeritum, nec per inordinationem peccati esse tollitur vel corrumpitur. Et ideo non potest esse debita poena alicuius culpae privatio ipsius esse.

ART. II. Utrum per divinam misericordiam omnis poena terminetur tam hominum quam etiam daemonum

Part. I, qu. lxiv, art. 2; III *Sent.*, dist. xxii, qu. ii, art. 2, qª 2; III *Cont. Gent.*, cap. cxliv; *In Matth.*, cap. xxv.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod per divinam misericordiam omnis poena terminetur tam hominum quam etiam daemonum. *Sap.* xi *: *Misereris omnium, Domine, quoniam omnia potes.* Sed inter *omnia* etiam daemones continentur, qui sunt Dei creaturae. Ergo et ipsorum daemonum poena finietur.

* Vers. 24.

2. Praeterea, *Rom.* xi *: *Conclusit Deus omnia sub peccato ut omnium misereatur.* Sed Deus daemones sub peccato conclusit, idest, sub peccato concludi permisit. Ergo videtur quod etiam daemonum aliquando misereatur.

* Vers. 32.

3. Praeterea, sicut dicit Anselmus, in libro *Cur Deus homo* *: *Non est iustum ut Deus creaturam quam fecit ad beatitudinem, omnino perire sinat.* Ergo videtur, cum quaelibet creatura rationalis creata fuerit ad beatitudinem, non esse iustum ut omnino perire permittatur.

* Lib. II, cap. iv.

Sed contra est quod dicitur Matth. xxv *: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.* Ergo aeternaliter punientur.

* Vers. 41.

2. Praeterea, sicut boni angeli effecti sunt beati per conversionem ad Deum, ita mali angeli effecti sunt miseri per aversionem a Deo. Si ergo miseria malorum angelorum finiatur quandoque, et beatitudo bonorum finem habebit. Quod est inconveniens.

Respondeo dicendum quod error Origenis fuit, ut Augustinus, XXI *de Civ. Dei* *, dicit, quod daemones quandoque per Dei misericordiam liberandi sunt a poenis. Sed iste error est ab Ecclesia reprobatus propter duo. Primo, quia manifeste auctoritati Scripturae repugnat, quae habet, *Apoc.* xx *: *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum,* per quod in Scriptura significari aeternitas consuevit.

*Cap. xvii, xxiii. - Cf. Orig. *Peri Archon*, lib. I, cap. vi.
* Vers. 9, 10.

Secundo, quia ex una parte nimis Dei misericordiam extendebat, et ex alia parte nimis eam coarctabat. Eiusdem enim rationis esse videtur bonos angelos in aeterna beatitudine permanere, et malos angelos in aeternum puniri. Unde, sicut ponebat daemones et animas damnatorum quandoque a poena liberandas, ita ponebat angelos et animas beatorum quandoque a beatitudine in huius vitae miserias devolvendas.

Ad primum ergo dicendum quod Deus, quantum in ipso est, miseretur omnibus: sed quia eius misericordia sapientiae ordine regulatur, inde est quod ad quosdam non se extendit, qui se misericordiae fecerunt indignos, sicut daemones et damnati, qui sunt in malitia obstinati. – Tamen potest dici quod etiam in eis misericordia locum habet, inquantum citra condignum puniuntur: non quod a poena totaliter absolvantur.

Ad secundum dicendum quod ibi intelligenda est distributio *pro generibus singulorum,* et non *pro singulis generum:* ut intelligatur auctoritas de hominibus secundum statum viae; quia scilicet et Iudaeorum et gentilium misertus est, sed non omnium gentilium vel omnium Iudaeorum.

Ad tertium dicendum quod Anselmus intelligit non esse iustum quantum ad decentiam divinae bonitatis: et loquitur de creatura secundum genus suum. Non enim est conveniens divinae bonitati ut totum unum genus creaturae deficiat a fine propter quod est factum. Unde nec omnes homines, nec omnes angelos damnari convenit. Sed nihil prohibet quin aliqui vel ex hominibus vel ex angelis in aeternum pereant: quia divinae voluntatis intentio impletur in aliis, qui salvantur.

ART. III. Utrum divina misericordia patiatur homines in aeternum puniri

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod divina misericordia non patiatur saltem homines in aeternum puniri. *Genes.* vi *: *Non permanebit spiritus meus in homine*

* Vers. 3.

in aeternum, quia caro est: et accipitur ibi *spiritus* pro *indignatione,* ut patet per Glossam * ibidem. Cum ergo indignatio Dei non sit aliud quam eius poena, non punientur aeternaliter.

* Interlin.

2. Praeterea, caritas sanctorum in praesenti hoc facit ut pro inimicis exorent. Sed tunc habebunt perfectiorem caritatem. Ergo tunc orabunt pro inimicis damnatis. Sed orationes eorum esse cassae non poterunt: cum sint maxime Deo acceptae. Ergo precibus sanctorum divina misericordia damnatos quandoque a poena liberabit.

3. Praeterea, hoc quod Deus poenam damnatorum aeternam praedixit, ad prophetiam *comminationis* pertinet. Sed prophetia comminationis non semper impletur*: quod patet per hoc quod dictum est de subversione Ninive, quae non fuit subversa sicut praedictum fuerat per prophetam, qui ex hoc etiam contristatus fuit *. Ergo videtur quod multo amplius per divinam misericordiam comminatio poenae aeternae mutabitur in mitiorem sententiam, quando in nullius tristitiam, sed in omnium gaudium cedere poterit.

* IIª IIae, qu. CLXXI, art. 6, ad 2; qu. CLXXIV, art. 1.
* Ionae cap. III, IV.

4. Praeterea, ad hoc facit quod in Psalmo * dicitur: *Nunquid in aeternum irascetur Deus?* Sed ira Dei est eius punitio. Ergo Deus in aeternum homines non puniet.

* Ps. LXXVI, vers. 8.-Cf. Ps. LXXXIV, vers. 6.

5. Praeterea, Isaiae XIV, super illud *, *Tu autem proiectus es* etc., dicit Glossa *: *Si omnes animae aliquando habebunt requiem, tu nunquam,* loquens de diabolo. Ergo videtur quod omnes animae humanae aliquando requiem habebunt de poenis.

* Vers. 19.
* Interlin.

Sed contra est quod dicitur Matth. XXV *, simul de electis et reprobis: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Sed inconveniens est ponere quod iustorum vita quandoque finiatur. Ergo inconveniens est ponere quod reproborum supplicium terminetur.

* Vers. 46.

2. Praeterea, sicut dicit Damascenus *, *hoc est hominibus mors quod angelis casus.* Sed angeli post casum irreparabiles fuerunt. Ergo et homines post mortem. Et sic reproborum supplicium nunquam terminabitur.

* *De Fide Orth.* lib. II, cap. IV.

Respondeo dicendum quod, sicut Augustinus dicit, XXI *de Civ. Dei* *, quidam in hoc ab errore Origenis declinaverunt quod daemones posuerunt in perpetuum puniri, sed omnes homines quandoque liberari a poena, etiam infideles. – Sed haec positio omnino est irrationabilis. Sicut enim daemones sunt in malitia obstinati, et ita perpetuo puniendi, ita et animae hominum qui sine caritate decedunt: cum *hoc hominibus sit mors quod angelis casus,* ut Damascenus dicit *.

* Capp. XVII, XVIII.
* Cf. arg. *Sed contra 2.*

Ad primum ergo dicendum quod verbum illud est intelligendum de homine secundum genus suum: quia ab humano genere quandoque Dei indignatio est remota per Christi adventum. Sed illi qui in hac reconciliatione quae facta est per Christum, noluerunt esse vel permanere, in seipsis divinam iram perpetuaverunt: cum non sit nobis aliquis modus reconciliationis concessus nisi per Christum*.

* Cf. *Act.* cap. IV, vers. 12; *Ad Coloss.* cap. I, vers. 20.

Ad secundum dicendum quod, sicut Augustinus dicit, XXI *de Civ. Dei* *, et Gregorius, XXXIV *Moral.* ** et IV *Dialog.* *, quod sancti in hac vita ideo pro inimicis exorant, ut convertantur ad Deum: cum adhuc converti possint. Si enim esset nobis notum quod essent praesciti ad mortem, non magis pro eis quam pro daemonibus oraremus. Et quia post hanc vitam decedentibus sine gratia tempus conversionis non erit, nulla pro eis fiet oratio, nec ab Ecclesia militante nec a triumphante. Hic enim pro eis orandum est, ut Apostolus dicit, II *Tim.* II *, *ut det illis Deus poenitentiam, et resipiscant a diaboli laqueis.*

* Cap. XXIV.
** Cap. XIX, al. XVI; in vet. XIII.
* Cap. XLIV.
* Vers. 25, 26.

Ad tertium dicendum quod prophetia comminatoria poenae tunc solum immutatur quando variantur merita eius in quem comminatio facta est. Unde Ierem. XVIII *: *Repente loquar adversus gentem et adversus regnum, ut eradicem et destruam et disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, agam et ego poenitentiam super malo quod cogitaveram ei.* Unde, cum damnatorum merita mutari non possint, comminatio poenae semper in eis implebitur. – Nihilominus tamen prophetia comminationis semper quantum ad aliquem intellectum impletur. Quia, ut dicit Augustinus, in praedicto libro *, *eversa est Ninive quae mala erat, et bona aedificata est, quae non erat: stantibus enim moenibus atque domibus, eversa est civitas in perditis moribus.*

* Vers. 7, 8.
* *De Civ. Dei,* lib. XXI, cap. XXIV, n. 4.

Ad quartum dicendum quod illud verbum Psalmi pertinet ad *vasa misericordiae* *, quae se indignos misericordia non fecerunt: quia in hac vita, quae quaedam ira Dei est propter vitae miserias, vasa misericordiae mutat in melius. Unde sequitur in Psalmo *: *Haec mutatio dexterae Excelsi* *.

* *Ad Rom.* cap. IX, vers. 23.
* Vers. 11.
* Cf. Aug. loc. prox. cit., n. 3.

Vel dicendum quod hoc intelligitur de misericordia aliquid relaxante, non de misericordia totaliter liberante, si extendatur etiam ad damnatos. Unde non dicit, *Continebit ab ira misericordias suas,* sed, *in ira* *: quia non totaliter poena tolletur, sed, ipsa poena durante, misericordia operabitur eam diminuendo.

* Vers. 10.

Ad quintum dicendum quod Glossa illa non loquitur simpliciter, sed sub hypothesi impossibilis, ad exaggerandum peccati magnitudinem ipsius diaboli, vel Nabuchodonosor.

ART. IV. Utrum saltem Christianorum poena per divinam misericordiam terminetur

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod saltem Christianorum poena per divinam misericordiam terminetur. Quia Marc. ult. * dicitur: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Sed hoc est omnium Christianorum. Ergo omnes Christiani finaliter salvabuntur.

* Vers. 16.

2. Praeterea, Ioan. VI * dicitur: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* Sed hoc est communis cibus et potus Christianorum. Ergo omnes Christiani finaliter salvabuntur.

* Vers. 55.

3. Praeterea, I *Cor.* III *: *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem:* et loquitur de illis in quibus fuit fundamentum fidei Christianae *. Ergo omnes tales finaliter salvabuntur.

* Vers. 15.
* Vers. 11, 12.

Sed contra est quod dicitur I *Cor.* VI *: *Iniqui regnum Dei non possidebunt.* Sed quidam Christiani sunt iniqui. Ergo non omnes Christiani ad Regnum pervenient. Et ita perpetuo punientur.

* Vers. 9.

2. Praeterea, II Pet. II * dicitur: *Melius erat eis viam veritatis non cognoscere quam post agnitam retro ire ab eo quod traditum est illis sancto mandato.* Sed illi qui viam veritatis non cognoverunt, aeternaliter punientur. Ergo et Christiani qui ab agnita retrocesserunt.

* Vers. 21.

Respondeo dicendum quod quidam fuerunt, ut dicit Augustinus, in praedicto libro *, qui non omnibus hominibus promiserunt absolutionem a poena aeterna, sed solis Christianis. Et in hoc respectu diversificati sunt. Quidam enim dixerunt quod quicumque sacramenta fidei perceperunt, ab aeterna poena erunt immunes *. – Sed hoc est contrarium veritati: quia quidam sacramenta fidei recipiunt et fidem non habent, *sine qua impossibile est placere Deo, Heb.* XI *.

* *De Civ. Dei,* lib. XXI.
* Cap. XIX.
* Vers. 6.

Et ideo alii dixerunt quod solum illi ab aeterna poena erunt immunes qui sacramenta fidei sunt consecuti et fidem Catholicam tenuerunt *. – Sed contra hoc esse videtur quod aliquando aliqui Catholicam fidem tenent et postea resipiscunt: qui non minori poena sunt digni, sed maiori, quia, II *Pet.* II *, *melius erat eis viam veritatis non cognoscere quam post agnitam retroire.* – Planum est etiam plus peccare haeresiarchas, qui, de fide Catholica recedentes, novas haereses fingunt, quam illos qui a principio aliquam haeresim sunt secuti.

* Cap. XX.
* Cf. arg. *Sed contra 2.*

Et ideo alii dixerunt quod illi soli sunt ab aeterna poena immunes qui in fide Catholica finaliter perseverant, quantumcumque aliis criminibus involvantur *. – Sed hoc manifeste contrariatur Scripturae. Quia Iac. II * dicitur: *Fides sine operibus mortua est;* et Matth. VII *: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum;* et in multis aliis locis Scriptura peccantibus aeternas poenas comminatur.

* Cap. XXI.
* Vers. 20, 26.
* Vers. 21.

Unde non omnes finaliter in fide persistentes a poena aeterna erunt immunes, nisi et ab aliis criminibus inveniantur finaliter absoluti.

Ad primum ergo dicendum quod Dominus ibi loquitur de fide formata, *quae per dilectionem operatur* * [* Ad Galat., cap. v, vers. 6.]: in qua quicumque decesserit, salvus erit. Sed huic non solum opponitur infidelitatis error, sed quodlibet peccatum mortale.

Ad secundum dicendum quod verbum Domini est intelligendum, non de illis qui tantum sacramentaliter edunt, qui, indigne quandoque sumentes, *iudicium sibi manducant et bibunt,* ut dicitur I *Cor.* xi * [* Vers. 29.]: sed loquitur de manducantibus spiritualiter, qui per caritatem ei incorporantur; quam incorporationem facit sacramentalis comestio si quis digne accedat. Unde, quantum est ex virtute sacramenti, ad vitam aeternam perducit: quamvis aliquis se possit tali fructu privare per peccatum, etiam postquam digne sumpserit.

Ad tertium dicendum quod *fundamentum* in verbis Apostoli intelligitur fides formata: supra quam qui peccata venialia aedificaverit, *detrimentum patietur,* quia pro eis punitur a Deo; *ipse tamen salvus erit* finaliter *quasi per ignem,* vel temporalis tribulationis, vel purgatoriae poenae, quae post mortem erit.

ART. V. Utrum illi qui opera misericordiae faciunt, puniantur aeternaliter: vel solum illi qui opera misericordiae negligunt

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod illi omnes qui opera misericordiae faciunt, non punientur aeternaliter: sed solum illi qui opera misericordiae negligunt. Iac. ii * [* Vers. 13.]: *Iudicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam.* Et Matth. v * [* Vers. 7.]: *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

2. Praeterea, Matth. xxv * [* Vers. 31 sqq.] ponitur disceptatio Domini cum electis et reprobis. Sed illa disceptatio non est nisi de operibus misericordiae. Ergo solum pro operibus misericordiae omissis aliqui aeternaliter punientur. Et sic idem quod prius.

3. Praeterea, Matth. vi * [* Vers. 12.] dicitur: *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris:* et sequitur * [* Vers. 14.]: *Si enim dimiseritis hominibus* etc. Ergo videtur quod misericordes, qui aliis peccata dimittunt, ipsi veniam peccatorum consequentur. Et sic non aeternaliter punientur.

4. Praeterea, I *Tim.* iv, super illud * [* Vers. 8.], *Pietas ad omnia valet,* dicit Glossa Ambrosii * [* Apud Lomb.]: *Omnis summa disciplinae Christianae in misericordia et pietate est: quam aliquis sequens, si lubricum carnis patiatur, sine dubio vapulabit, sed non peribit. Si quis autem solum exercitium corporis habuerit, perennes poenas patietur.* Ergo illi qui insistunt operibus misericordiae, qui peccatis carnalibus detinentur, non in aeternum punientur. Et sic idem quod prius.

Sed contra est quod dicitur I *Cor.* vi * [* Vers. 9, 10.]: *Neque fornicarii neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Sed multi qui se exercent in operibus misericordiae, sunt tales. Ergo non omnes misericordes ad regnum aeternum pervenient. Et ita aliqui eorum aeternaliter punientur.

2. Praeterea, Iac. ii * [* Vers. 10.] dicitur: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Ergo quicumque servat legem quoad opera misericordiae et negligit alia opera, reatum de transgressione legis incurret. Et ita aeternaliter punietur.

Respondeo dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in libro praedicto * [* De Civ. Dei, lib. XXI, cap. xxii.], quidam posuerunt non omnes qui Catholicam fidem tenent a poena aeterna esse liberandos, sed solum illos qui operibus misericordiae insistunt, quamvis etiam aliis criminibus sint subiecti. – Sed istud non potest stare. Quia sine caritate non potest aliquid Deo esse acceptum; nec sine ea prodest aliquid ad vitam aeternam. Contingit autem aliquos operibus misericordiae insistere qui caritatem non habent. Unde his nihil prodest ad vitam aeternam promerendam, vel ad immunitatem aeternae poenae: ut patet I *Cor.* xiii * [* Vers. 1-3.]. Et praecipue hoc apparet absurdum in raptoribus, qui multa rapiunt et tamen aliqua misericorditer largiuntur.

Et ideo dicendum quod quicumque cum peccato mortali decedunt, nec fides nec opera misericordiae eos liberabit a poena aeterna, etiam post quantumcumque spatium temporis.

Ad primum ergo dicendum quod illi misericordiam consequentur qui misericordiam ordinate impendunt. Non autem ordinate misericordiam impendunt qui seipsos in miserendo negligunt: sed magis se impugnant male agendo. Et ideo tales misericordiam penitus absolventem non consequentur: etsi consequantur misericordiam de poenis debitis aliquid relaxantem.

Ad secundum dicendum quod non propter hoc ponitur disceptatio de operibus misericordiae solum quia pro eorum neglectu tantummodo aliqui puniantur aeternaliter: sed quia illi aeterna poena liberabuntur post peccata qui per opera misericordiae sibi veniam impetraverunt, *facientes amicos sibi de mammona iniquitatis* * [* Luc. cap. xvi, vers. 9.].

Ad tertium dicendum quod illud a Domino dicitur his qui petunt sibi debitum relaxari: non illis qui in peccato persistunt. Et ideo soli poenitentes per opera misericordiae consequentur misericordiam iam penitus liberantem.

Ad quartum dicendum quod Glossa Ambrosii loquitur de lubrico venialis peccati, a quo aliquis post purgatorias poenas, quas *vapulationem* dicit, per opera misericordiae absolvetur.

Vel, si loquatur de lubrico mortalis peccati, est intelligendum quantum ad hoc quod, adhuc in vita ista existentes, illi qui ex fragilitate in carnalia peccata incidunt, per opera misericordiae ad poenitentiam disponuntur. Unde talis *non peribit:* idest, disponetur per talia opera ad non pereundum.

APPENDIX

AD

SUPPLEMENTUM TERTIAE PARTIS SUMMAE THEOLOGIAE
SANCTI THOMAE AQUINATIS

QUAESTIO DE PURGATORIO

Ex Commentario s. Thomae in lib. IV Sentent., dist. XXI, Quaest. I.

Circa Purgatorium quaeruntur octo.

Primo: utrum sit purgatorium post hanc vitam.

Secundo: utrum sit idem locus quo animae purgantur, et quo damnati puniuntur.

Tertio: utrum poena purgatorii excedat omnem poenam temporalem huius vitae.

Quarto: utrum illa poena sit voluntaria.

Quinto: utrum animae in purgatorio per daemones puniantur.

Sexto: utrum per poenam purgatorii expietur peccatum veniale quoad culpam.

Septimo: utrum ignis purgatorius liberet a reatu poenae.

Octavo: utrum ab illa poena unus liberetur alio citius.

ART. I. UTRUM PURGATORIUM SIT POST HANC VITAM

IV *Cont. Gent.*, cap. XCI; *Cont. Error. Graec.*, cap. XXXII. et cap. ult.; *Compend. Theol.*, cap. CLXXXI, CLXXXII; *Cont. Graec. Armen. et Sar.*, cap. IX.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod purgatorium non sit post hanc vitam. *Apoc.* XIV * dicitur: *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo iam, dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Ergo his qui in Domino moriuntur non manet aliquis purgatorius labor post hanc vitam. Nec illis qui non in Domino moriuntur: quia illi purgari non possunt. Ergo purgatorium post hanc vitam non est.

* Vers. 13.

2. PRAETEREA, sicut se habet caritas ad praemium aeternum, ita peccatum mortale ad supplicium aeternum. Sed decedentes in peccato mortali statim ad supplicium aeternum deportantur. Ergo decedentes in caritate statim ad praemium vadunt. Et ita non manet eis aliquod purgatorium post hanc vitam.

3. PRAETEREA, Deus, qui est summe misericors, pronior est ad praemiandum bona quam ad puniendum mala *. Sed, sicut illi qui sunt in statu caritatis, faciunt aliqua mala quae non sunt digna supplicio aeterno, ita illi qui sunt in peccato mortali, interdum faciunt aliqua bona ex genere, quae non sunt digna praemio aeterno. Ergo, cum illa bona non praemientur in damnandis post hanc vitam, nec illa mala debent post hanc vitam puniri. Et sic idem quod prius.

* Cf. can. *Quia divinitatis, de Poenit.* dist. I.

SED CONTRA, II *Machab.* XII * dicitur: *Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur.* Sed pro defunctis qui sunt in paradiso, non est orandum: quia illi nullo indigent. Nec iterum pro illis qui sunt in inferno: quia illi a peccatis solvi non possunt. Ergo post hanc vitam sunt aliqui a peccatis nondum absoluti qui solvi possunt. Et tales caritatem habent, sine qua non fit peccatorum remissio: quia *universa delicta operit caritas, Prov.* X *. Unde ad mortem aeternam non devenient: quia *qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum, Ioan.* XI *. Nec ad gloriam inducentur nisi purgati: quia nihil immundum ad illam perveniet, ut patet *Apoc.* ult. * Ergo aliqua purgatio restat post hanc vitam.

* Vers. 46.
* Vers. 12.
* Vers. 26.
* Cap. XXI, vers. 27; cap. XXII, vers. 15.

2. PRAETEREA, Gregorius Nyssenus * dicit: *Si aliquis Christo amico consentiens in hac vita purgare peccata minus potuerit, post transitum hinc per purgatorii ignis conflationem expeditur.* Ergo post hanc vitam restat aliqua purgatio.

* Cf. Anonymi lib. *cont. Graecos*, part. IV. - Edit. Uccellii, Rom. 1880.

RESPONDEO DICENDUM quod ex illis quae supra * determinata sunt, satis potest constare purgatorium esse post hanc vitam. Si enim, per contritionem deleta culpa, non tollitur ex toto reatus poenae; nec etiam semper venialia, dimissis mortalibus, tolluntur; et iustitia Dei hoc exigit ut peccatum per poenam debitam ordinetur: oportet quod ille qui post contritionem de peccato decedit et absolutionem, ante satisfactionem debitam, quod post hanc vitam puniatur.

* Dist. XIV, qu. II, art. 1, qu^a 2. - Cf. Part. III, qu. LXXXVI, art. 4.

Et ideo illi qui purgatorium negant, contra divinam iustitiam loquuntur. Et propter hoc erroneum est, et a fide alienum. Unde Gregorius Nyssenus post praedicta * verba subiungit: *Hoc praedicamus dogma veritatis servantes, et ita credimus.*

* Arg. *Sed contra* 2.

Hoc etiam universalis Ecclesia tenet, *pro defunctis exorans ut a peccatis solvantur* *: quod non potest nisi de illis qui sunt in purgatorio intelligi. Ecclesiae autem auctoritati quicumque resistit, haeresim incurrit.

* Cf. arg. *Sed contra* 1.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod auctoritas illa loquitur de labore operationis ad merendum, et non de labore passionis ad purgandum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod *malum* non habet causam perfectam, sed *ex singularibus defectibus contingit: bonum ex una causa perfecta consurgit*, ut Dionysius dicit *. Et ideo quilibet defectus impedit a perfectione boni, sed non quodlibet bonum impedit consummationem aliquam mali: quia nunquam est malum sine aliquo bono. Et ideo peccatum veniale impedit habentem caritatem ne ad perfectum bonum deveniat, scilicet vitam aeternam, quandiu purgatur. Sed peccatum mortale non potest impediri per aliquod bonum adiunctum quominus statim ad ultimum malorum perducat.

* *De Div. Nom.* cap. IV; s. Th. lect. XXII. - Cf. Aristot. *Ethic.*, lib. II, cap. VI, n. 14; s. Th. lect. VII.

AD TERTIUM DICENDUM quod ille qui in peccatum mortale incidit, omnia bona ante acta mortificat, et quae in peccato mortali existens facit, mortua sunt: quia ipse, Deum offendens, omnia bona meretur amittere, quae a Deo habet. Unde ei qui in peccato mortali decedit, non manet aliquod praemium post hanc vitam: sicut manet aliquando poena ei qui in caritate decedit, quae non semper delet omne malum quod invenit, sed solum hoc quod est sibi contrarium.

ART. II. UTRUM SIT IDEM LOCUS QUO ANIMAE PURGANTUR, ET QUO DAMNATI PUNIUNTUR

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non sit idem locus quo animae purgantur, et quo damnati puniuntur. Quia poena damnatorum est aeterna: ut dicitur Matth. XXV *: *Ibunt hi in ignem aeternum.* Sed purgatorius ignis est temporalis: ut supra * Magister dixit. Ergo non simul puniuntur hi et illi eodem igne. Et sic oportet loca esse distincta.

* Vers. 46.
* Dist. XXI, cap. *Solet etiam*, et cap. *In illo.*

2. PRAETEREA, poena inferni nominatur pluribus nominibus: ut in Psalmo *, *ignis, sulphur et spiritus procel-*

* Ps. X, vers. 7.

larum, etc. Sed poena purgatorii non nisi uno nomine nominatur, scilicet *ignis.* Ergo non eodem igne et eodem loco puniuntur.

3. PRAETEREA, Hugo de S. Victore dicit *: *Probabile est quod in his locis puniuntur in quibus commiserunt culpam.* – Gregorius etiam, in *Dialogis* *, narrat quod Germanus, episcopus Capuanus, Paschasium, qui in balneis purgabatur, invenit. Ergo in loco inferni non purgantur, sed in hoc mundo.

* *De Sacrament.* lib. II, cap. XVI, cap. 4.
* Lib. IV, cap. XL.

SED CONTRA EST quod Gregorius dicit *, quod, *sicut sub eodem igne aurum rutilat et palea fumat, ita sub eodem igne peccator crematur et electus purgatur.* Ergo idem est ignis purgatorii et inferni. Et sic in eodem loco sunt.

* Cf. ibid. cap. XLIII; Aug. *de Civ. Dei,* lib. I, cap. VIII.

2. PRAETEREA, sancti Patres ante adventum Christi fuerunt in loco digniori quam sit locus in quo nunc purgantur animae post mortem: quia non erat ibi aliqua poena sensibilis. Sed locus ille erat coniunctus inferno, vel idem quod infernus *: alias Christus, ad limbum descendens, non diceretur * *ad inferos* descendisse. Ergo et purgatorium est in eodem loco, vel iuxta infernum.

* Suppl. qu. LXIX, art. 5.
* In Symb. Apostol.

RESPONDEO DICENDUM quod de loco purgatorii non invenitur aliquid expresse determinatum in Scriptura, nec rationes possunt ad hoc efficaces induci. Tamen probabiliter, et secundum quod consonat magis Sanctorum dictis et revelationi factae multis, locus purgatorii est duplex. Unus secundum legem communem. Et sic locus purgatorii est locus inferior inferno coniunctus, ita quod idem ignis sit qui damnatos cruciat in inferno, et qui iustos in purgatorio purgat: quamvis damnati, secundum quod sunt inferiores merito, et loco inferiores ordinandi sint. – Alius est locus purgatorii secundum dispensationem. Et sic quandoque in diversis locis aliqui puniti leguntur: vel ad vivorum instructionem; vel ad mortuorum subventionem, ut viventibus eorum poena innotescens per suffragia Ecclesiae mitigaretur.

Quidam tamen dicunt quod secundum legem communem locus purgatorii est ubi homo peccat. – Quod non videtur probabile: quia simul potest homo puniri pro peccatis quae in diversis locis commisit.

Quidam vero dicunt quod puniuntur supra nos secundum legem communem: quia sunt medii inter nos et Deum quantum ad statum. – Sed hoc nihil est. Quia non puniuntur pro eo quod supra nos sunt: sed pro eo quod est infimum in eis, scilicet peccatum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ignis purgatorius est aeternus quantum ad substantiam, sed temporalis quantum ad effectum purgationis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod poena inferni est ad affligendum: et ideo nominatur ab omnibus illis quae hic nos affligere consueverunt. Sed poena purgatorii est principaliter ad purgandum reliquias peccati. Et ideo sola poena ignis purgatorio attribuitur: quia ignis habet purgare et consumere.

AD TERTIUM DICENDUM quod ratio illa procedit secundum dispensationem, et non secundum legem communem.

ART. III. UTRUM POENA PURGATORII EXCEDAT OMNEM POENAM TEMPORALEM HUIUS VITAE

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod poena purgatorii non excedat omnem poenam temporalem huius vitae. Quanto enim aliquid est magis passivum, tanto magis affligitur, si *sensum laesionis* * habeat. Sed corpus est magis passivum quam anima separata: tum quia habet contrarietatem ad ignem agentem; tum quia habet materiam quae est susceptiva qualitatis agentis, quod de anima non potest dici. Ergo maior est poena quam corpus patitur in hoc mundo, quam poena qua anima purgatur post hanc vitam.

* Cf. corp. art.

2. PRAETEREA, poena purgatorii directe ordinatur contra venialia. Sed venialibus, cum sint levissima peccata, levissima poena debetur, si *secundum mensuram delicti sit plagarum modus* *. Ergo poena purgatorii est levissima.

* *Deut.* cap. XXV, vers. 2.

3. PRAETEREA, reatus, cum sit effectus culpae, non intenditur nisi culpa intendatur. Sed in illo cui iam culpa dimissa est, non potest culpa intendi. Ergo in eo cui culpa mortalis dimissa est pro qua non plene satisfecit, reatus non crescit in morte. Sed in hac vita non erat ei reatus respectu gravissimae poenae. Ergo poena quam patietur post hanc vitam, non erit ei gravior omni poena istius vitae.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in quodam Sermone *: *Ille ignis purgatorii durior erit quam quidquid in hoc saeculo poenarum aut sentire aut videre aut cogitare quis potest.*

* In Appendic. Serm. CIV, al. *de Sanct.* XLI.

2. PRAETEREA, quanto poena est universalior, tanto maior. Sed anima separata tota punitur: cum sit simplex. Non autem ita est de corpore. Ergo illa poena quae est animae separatae, est maior omni poena quam corpus patitur.

RESPONDEO DICENDUM quod in purgatorio erit duplex poena: una damni, inquantum scilicet retardantur a divina visione; alia sensus, secundum quod ab igne corporali punientur. Et quantum ad utrumque poena purgatorii minima excedit maximam poenam huius vitae.

Quanto enim aliquid magis desideratur, tanto eius absentia est molestior. Et quia affectus quo desideratur summum bonum, post hanc vitam in animabus sanctis est intensissimus, quia non retardatur affectus mole corporis; et etiam quia terminus fruendi summo bono iam advenisset nisi aliquid impediret; ideo de tardatione maxime dolent.

Similiter etiam, cum dolor non sit laesio, sed *laesionis sensus* *, tanto aliquid magis dolet de aliquo laesivo, quanto magis est sensitivum: unde laesiones quae fiunt in locis maxime sensibilibus, sunt maximum dolorem causantes. Et quia totus sensus corporis est ab anima, ideo, si in ipsam animam aliquod laesivum agat, de necessitate oportet quod maxime affligatur. Quod autem anima ab igne corporali patiatur, hoc ad praesens supponimus: quia de hoc infra, dist. XLIV *, dicetur. – Et ideo oportet quod poena purgatorii, quantum ad poenam damni et sensus, excedat omnem poenam istius vitae.

* Aristot. *Topic.* lib. VI, cap. VI, n. 27.
* Qu. III, art. 3, quª 3. - Suppl., qu. LXX, art. 3.

Quidam autem assignant rationem ex hoc quod anima tota punitur, non autem corpus. – Sed hoc nihil est. Quia sic poena damnatorum esset minor post resurrectionem quam ante. Quod falsum est.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quamvis anima sit minus passiva quam corpus, tamen est magis cognoscitiva passionis. Et ubi est maior passionis sensus, ibi est maior dolor, etiam si sit minor passio.

AD SECUNDUM DICENDUM quod acerbitas illius poenae non est tantum ex quantitate peccati, quantum ex dispositione puniti: quia idem peccatum gravius punitur ibi quam hic. Sicut ille qui est melioris complexionis, magis punitur, eisdem plagis impositis, quam alius: et tamen iudex utrique easdem plagas pro eisdem culpis inferens iuste facit.

Et per hoc etiam patet solutio ad tertium.

ART. IV. UTRUM ILLA POENA SIT VOLUNTARIA

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod illa poena sit voluntaria. Quia illi qui sunt in purgatorio, rectum cor habent. Sed haec est rectitudo cordis, ut quis voluntatem suam voluntati divinae conformet, ut Augustinus dicit *. Ergo, cum Deus velit eos puniri, ipsi illam poenam voluntarie sustinent.

* In Ps. XXXII, conc. I.

2. PRAETEREA, omnis sapiens vult illud sine quo non potest pervenire ad finem intentum. Sed illi qui sunt in purgatorio, sciunt se non posse pervenire ad gloriam nisi prius puniantur. Ergo volunt puniri.

SED CONTRA, nullus petit liberari a poena quam voluntarie sustinet. Sed illi qui sunt in purgatorio, petunt liberari: sicut patet per multa quae in *Dialogo* * narrantur. Ergo non sustinent illam poenam voluntarie.

* Greg. *Dialog.* lib. IV, cap. XL, LV.

RESPONDEO DICENDUM quod aliquid dicitur voluntarium dupliciter. Uno modo, voluntate absoluta. Et sic nulla poena est voluntaria: quia ex hoc est ratio poenae quod voluntati contrariatur.

Alio modo dicitur aliquid voluntarium voluntate conditionata: sicut ustio est voluntaria propter sanitatem consequendam. Et sic aliqua poena potest esse voluntaria dupliciter. Uno modo, quia per poenam aliquod bonum acquirimus: et sic ipsa voluntas assumit poenam aliquam, ut patet in satisfactione. Vel etiam quia ille libenter eam accipit, et non vellet eam non esse: sicut accidit in martyrio. – Alio modo quia, quamvis per poenam nullum bonum nobis accrescat, tamen sine poena ad bonum pervenire non possumus: sicut patet de morte naturali. Et tunc voluntas non assumit poenam, et vellet ab ea liberari, sed eam supportat: et quantum ad hoc voluntaria dicitur. Et sic poena purgatorii est voluntaria.

Quidam autem dicunt quod non est aliquo modo voluntaria: quia sunt ita absorpti poenis quod nesciunt se per poenam purgari, sed putant se esse damnatos. – Sed hoc est falsum. Quia, nisi scirent se liberandos, suffragia non peterent: quod frequenter faciunt.

Et per hoc patet solutio ad obiecta.

ART. V. UTRUM ANIMAE IN PURGATORIO PER DAEMONES PUNIANTUR

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod animae in purgatorio per daemones puniantur. Quia, sicut infra, dist. XLVII *, dicit Magister, *illos habent tortores in poenis quos habuerunt incentores in culpa*. Sed daemones incitant ad culpam non solum mortalem, sed etiam venialem, quando aliud non possunt. Ergo etiam in purgatorio ipsi animas pro peccatis venialibus torquebunt.

* Cap. *Et solet quaeri*.

2. Praeterea, purgatio a peccatis competit iustis et in hac vita et post hanc vitam. Sed in hac vita purgantur per poenas a diabolo inflictas: sicut patet de Iob *. Ergo etiam post hanc vitam punientur a daemonibus purgandi.

* *Iob* cap. I, II.

Sed contra, iniustum est ut qui de aliquo triumphavit, ei subiiciatur post triumphum. Sed illi qui sunt in purgatorio, de daemonibus triumphaverunt, sine peccato mortali decedentes. Ergo non subiicientur eis puniendi per eos.

Respondeo dicendum quod, sicut post diem iudicii divina iustitia succendet ignem quo damnati in perpetuum punientur, ita etiam nunc sola iustitia divina electi post hanc vitam purgantur: non ministerio daemonum, quorum victores extiterunt; nec ministerio angelorum, qui cives suos non tam vehementer affligerent. Sed tamen possibile est quod eos ad loca poenarum deducant. Et etiam ipsi daemones, qui de poenis hominum laetantur, eos comitantur et assistunt purgandis: tum ut de eorum poenis satientur; tum ut in eorum exitu a corpore aliquid suum ibi reperiant.

In hoc autem saeculo, quando adhuc locus pugnae est, puniuntur homines et a malis angelis, sicut ab hostibus, ut patet de Iob *; et a bonis, sicut patet de Iacob, cuius nervus femoris, angelo percutiente, emarcuit *. Et hoc etiam expresse Dionysius dicit, in IV cap. *de Div. Nom.* *, quod boni angeli interdum puniunt.

* Loc. cit.
* *Gen.* cap. XXXII, vers. 25.
* S.Th. lect. XVIII.

Et per hoc patet solutio ad obiecta.

ART. VI. UTRUM PER POENAM PURGATORII EXPIETUR PECCATUM VENIALE QUOAD CULPAM

IV *Sent.*, dist. XVI, qu. II, art 2, qu^a^ 2; *Compend. Theol.*, cap. CLXXXII; *In Matth.*, cap. XII.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod per poenam purgatorii non expietur peccatum veniale quoad culpam. Quia super illud I Ioan. V *, *Est peccatum ad mortem* etc., dicit Glossa *: *Quod in hac vita non corrigitur, frustra post mortem eius venia postulatur*. Ergo nullum peccatum post hanc vitam quoad culpam dimittitur.

* Vers. 16.
* Interlin.

2. Praeterea, eiusdem est labi in peccatum, et a peccato liberari. Sed anima post mortem non potest peccare venialiter. Ergo nec a peccato veniali absolvi.

3. Praeterea, Gregorius dicit * quod talis in iudicio quisque futurus est, qualis de corpore exivit: quia *lignum ubi ceciderit, ibi erit, Eccle.* XI *. Si ergo aliquis ex hac vita exit cum veniali, in iudicio cum veniali erit. Et ita per purgatorium non expiatur aliquis a culpa veniali.

* *Dialog.* lib. IV, cap. XXXIX.
* Vers. 3.

4. Praeterea, supra * dictum est quod culpa actualis non deletur nisi per contritionem. Sed post hanc vitam non erit contritio, quae est actus meritorius: quia tunc non erit meritum neque demeritum, cum, secundum Damascenum *: *Hoc est hominibus mors quod angelis casus*. Ergo post hanc vitam non dimittitur in purgatorio veniale quoad culpam.

* Dist. XVII, qu. II, art. 2, qu^a^. 3. – *Supplem.* qu. II, art. 3.
* *De Fide Orth.* lib. II, cap. IV.

5. Praeterea, veniale non est in nobis nisi ratione fomitis: unde in primo statu Adam venialiter non peccasset, ut in II libro, dist. XXI *, dictum est. Sed post hanc vitam in purgatorio non erit sensualitas, fomite corrupto, in anima separata: quia fomes dicitur *lex carnis*, *Rom.* VII *. Ergo non erit ibi venialis culpa. Et ita non potest expiari per purgatorium ignem.

* Qu. II, art. 3. – Cf. I^am^ II^ae^, qu. LXXXIX, art. 3.
* Vers. 18 sqq.

Sed contra est quod Gregorius dicit, in IV *Dialog.* *, et Augustinus, *de Vera Poenitentia* *, quod quaedam culpae leves in futuro remittuntur. Nec potest intelligi quoad poenam: quia sic omnes culpae, quantumcumque graves, quantum ad reatum poenae per ignem purgatorium expiantur *. Ergo venialia quantum ad culpam purgantur per ignem purgatorium.

* Cap. XXXIX.
* Cap. IV. – Inter Opp. Aug.
* Cf. corp. art., *Sed haec*.

2. Praeterea, I *Cor.* III *, per *lignum, fenum* et *stipulam*, ut dictum est *, venialia intelliguntur. Sed lignum, fenum et stipula per purgatorium consumuntur *. Ergo ipsae veniales culpae post hanc vitam remittuntur.

* Vers. 12.
* Dist. XXI, qu. I, art. 2, qu^a^ 1. – Cf. I^am^ II^ae^, qu. LXXXIX, art. 2.
* I *Cor.*, loc. cit., vers. 15.

Respondeo dicendum quod quidam dixerunt quod post hanc vitam non dimittitur aliquod peccatum quoad culpam. Et si cum mortali culpa quis decedat, damnatur, et remissionis capax non est. Non autem potest esse quod cum veniali decedat sine mortali: quia ipsa gratia finalis culpam purgat venialem. Veniale enim peccatum contingit ex hoc quod aliquis, Christum habens in fundamento *, nimis aliquod temporale diligit. Qui quidem excessus ex concupiscentiae corruptione contingit. Unde, si gratia omnino concupiscentiae corruptionem vincat, sicut in Beata Virgine fuit *, non manet aliquis locus veniali. Et ita, cum in morte omnino diminuatur et annihiletur ista concupiscentia, potentiae animae totaliter gratiae subiiciuntur, et veniale expellitur.

* Cf. ibid. vers. 12.
* Cf. III *Sent.*, dist. III, qu. I, art. 2, qu^a^ 3; Part. III, qu. XXVII, art. 3.

Sed haec opinio frivola est et in se, et in causa sua. In se quidem, quia dictis Sanctorum et Evangelii adversatur. Quae non possunt exponi de remissione venialium quantum ad poenam, ut Magister in littera * dicit: quia sic tam levia quam gravia in futuro dimittuntur; Gregorius autem leves culpas tantum post hanc vitam remitti perhibet *. – Nec sufficit quod dicunt, quod hoc dicitur specialiter de levibus, ne putetur nihil grave pro eis nos passuros: quia remissio poenae magis aufert gravitatem poenarum quam ponat.

* Dist. XXI, cap. *Sed forte*.
* Cf. arg. *Sed contra* 1.

Quantum ad causam autem frivola apparet, quia defectus corporalis, qualis est in ultimo vitae, non aufert concupiscentiae corruptionem vel diminuit quantum ad radicem, sed quantum ad actum: sicut patet etiam de illis qui graviter infirmantur. Nec iterum tranquillat potentias animae, ut eas gratiae subiiciat: quia tranquillitas potentiarum, et subiectio earum ad gratiam, est quando inferiores vires obediunt superioribus, quae *legi Dei condelectantur* *; quod in statu illo esse non potest, cum actus utrarumque impediatur; – nisi tranquillitas dicatur privatio pugnae, sicut in dormientibus accidit. Nec tamen propter hoc somnus dicitur concupiscentiam diminuere, aut vires animae tranquillare, aut eas gratiae subdere.

* *Ad Rom.*, cap. VII, vers. 22.

Et praeterea, dato quod concupiscentiam radicaliter diminueret defectus ille et vires animae subderet gratiae, adhuc hoc non sufficeret ad purgationem culpae venialis iam commissae, quamvis sufficeret ad vitationem futurae: quia culpa actualis, etiam venialis, non dimittitur sine actuali contritionis motu, ut supra, dist. XVII *, dictum est, quantumcumque habitualiter intendatur. Contingit autem quandoque quod aliquis dormiens moritur, in gratia existens, qui cum veniali aliquo obdormivit: et talis non potest actum contritionis habere de veniali ante mortem. – Non potest dici, ut dicunt, quod, si non poenituit actu vel proposito, in generali vel speciali, quod sit versum in mortale, propter hoc quod *veniale fit mortale dum placet* *:

* Qu. II, art. 2, qu^a^ 3. – *Supplem.* qu. II, art. 3.
* Gloss. Ord. nom. Aug. in I *Cor.* XV, 27. – Cf. Append. Grat. ad can. *Unum orarium*, dist. XXV.

quia non quaelibet placentia venialis facit peccatum mortale, alias omne veniale esset mortale, quia quodlibet veniale placet, cum sit voluntarium; sed talis placentia quae ad fruitionem spectat, in qua *omnis humana perversitas* consistit, dum *rebus utendis fruimur,* ut Augustinus dicit *. Et sic placentia illa quae facit peccatum mortale, est actualis placentia: quia omne peccatum mortale in actu consistit. Potest autem contingere quod aliquis, postquam veniale peccatum commisit, nihil actualiter cogitet de peccato vel dimittendo vel tenendo, sed cogitet forte quod triangulus habet tres angulos aequales duobus rectis, et in hac cogitatione obdormiat et moriatur. – Unde patet quod haec opinio omnino irrationalis est.

* *De Octoginta tribus Quaest.*, qu. xxx.

Et ideo cum aliis dicendum quod culpa venialis in eo qui cum gratia decedit, post hanc vitam dimittitur per ignem purgatorium: quia poena illa, aliqualiter voluntaria *, virtute gratiae habebit vim expiandi culpam omnem quae simul cum gratia stare potest.

* Cf. art. 4.

Ad primum ergo dicendum quod Glossa loquitur de peccato mortali.

Vel dicendum quod, quamvis in hac vita non corrigatur in se, corrigitur tamen in merito: quia hic homo meruit ut ibi illa poena sit meritoria sibi.

Ad secundum dicendum quod peccatum veniale contingit ex corruptione fomitis, qui in anima separata in purgatorio existente non erit. Et ideo non poterit peccare venialiter. Sed remissio culpae venialis est ex voluntate gratia informata, quae in purgatorio erit in anima separata. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum quod venialia non variant statum hominis: quia neque tollunt neque deminuunt caritatem, secundum quam mensuratur quantitas gratuitae bonitatis animae *. Et ideo per hoc quod venialia dimittuntur vel committuntur, talis manet anima qualis prius.

* I *Sent.*, dist. xvii, qu. ii, art. 5. - Cf. IIam IIae, qu. xxiv, art. 10.

Ad quartum dicendum quod post hanc vitam non potest esse meritum respectu praemii essentialis. Sed respectu alicuius accidentalis potest esse, quandiu manet homo in statu viae aliquo modo. Et ideo in purgatorio potest esse actus meritorius quantum ad remissionem culpae venialis.

Ad quintum dicendum quod, quamvis veniale ex pronitate fomitis contingat, tamen culpa in mente consequitur. Et ideo, etiam destructo fomite, culpa adhuc manere potest.

ART. VII. utrum ignis purgatorius liberet a reatu poenae

Compend. Theol., cap. clxxxi

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod ignis purgatorius non liberet a reatu poenae. Omnis enim purgatio respicit foeditatem. Sed poena non importat aliquam foeditatem. Ergo ignis purgatorius non liberat a poena.

2. Praeterea, contrarium non purgatur nisi per suum contrarium. Sed poena non contrariatur poenae. Ergo per poenam purgatorii non purgatur aliquis a reatu poenae.

3. Praeterea, I *Cor.* iii, super illud *, *Salvus erit sic tamen* etc., dicit Glossa *: *Ignis iste est tentatio tribulationis, de qua scriptum est, « Vasa figuli probat fornax,* etc. », *Eccli.* xxvii *. Ergo homo expiatur ab omni poena per poenas huius mundi, saltem per mortem, quae est maxima poenarum *; et non per purgatorium ignem.

* Vers. 15.
* Lomb.
* Vers. 6.
* Cf. Aristot. *Ethic.* lib. III, cap. vi, n. 6. - S. Th. lect. xiv.

Sed contra, poena purgatorii est gravior quam poena quaelibet huius mundi, ut supra * dictum est. Sed per poenam satisfactoriam quam aliquis in hac vita sustinet, expiatur a debito poenae. Ergo multo fortius per poenam purgatorii.

* Art. 3.

Respondeo dicendum quod quicumque est debitor alicuius, per hoc a debito absolvitur quod debitum solvit. Et quia reatus nihil est aliud quam debitum poenae, per hoc quod aliquis poenam sustinet quam debebat, a reatu absolvitur. Et secundum hoc poena purgatorii a reatu purgat.

Ad primum ergo dicendum quod reatus, quamvis non importet foeditatem quantum in se est, tamen habet ordinem ad foeditatem ex causa sua.

Ad secundum dicendum quod poena, quamvis non contrarietur poenae, tamen contrariatur reatui ad poenam: quia ex hoc manet obligatio ad poenam, quod poenam non sustinuit, quam debebat.

Ad tertium dicendum quod in eisdem verbis sacrae Scripturae latet multiplex intellectus. Unde et ille *ignis* potest intelligi tribulatio praesens, vel poena sequens. Et per utramque venialia purgari possunt. Sed quod mors naturalis ad hoc non sufficiat, supra * dictum est.

* Art. 6.-Dist. xx, qu. 1, art. 1, qua 3, ad 3.

ART. VIII. utrum ab illa poena unus liberetur alio citius

IV *Sent.*, dist. xlvi, qu. 1, art. 3.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod ab illa poena unus non liberetur alio citius. Quanto enim gravior est culpa et maior reatus, tanto acerbior poena imponitur in purgatorio. Sed quae est proportio poenae acerbioris ad culpam graviorem, eadem est proportio poenae levioris ad culpam leviorem. Ergo ita cito liberatur unus a poena illa sicut alius.

2. Praeterea, inaequalibus meritis redduntur aequales retributiones et in coelo et in inferno, quantum ad durationem. Ergo videtur esse similiter in purgatorio.

Sed contra est similitudo Apostoli, qui differentias venialium per *lignum, fenum* et *stipulam* significavit *. Sed constat quod lignum diutius manet in igne quam fenum et stipula. Ergo unum peccatum veniale diutius punitur in purgatorio quam aliud.

* I *Cor.*, cap. iii, vers. 12.

Respondeo dicendum quod quaedam venialia sunt maioris adhaerentiae quam alia, secundum quod affectus magis ad ea inclinatur et fortius in eis figitur. Et quia ea quae sunt maioris adhaerentiae, tardius purgantur, ideo quidam in purgatorio diutius quam alii torquentur, secundum quod affectus eorum ad venialia fuit magis immersus.

Ad primum ergo dicendum quod acerbitas poenae proprie respondet quantitati culpae: sed diuturnitas respondet radicationi culpae in subiecto. Unde potest contingere quod aliquis diutius moretur qui minus affligitur, et e converso.

Ad secundum dicendum quod peccatum mortale, cui debetur supplicium inferni, et caritas, cui debetur praemium paradisi, post hanc vitam radicantur immobiliter in subiecto. Et ideo quantum ad omnes est eadem diuturnitas utrobique. Secus autem est de peccato veniali, quod in purgatorio punitur, ut ex dictis * patet.

* Art. 6.

QUAESTIO DE POENA ORIGINALIS PECCATI

Ex Commentariis s. Thomae in lib. II Sentent., dist. XXXIII, qu. II.

Circa hoc duo quaeruntur.

Primo: utrum peccato originali post mortem debeatur poena sensibilis in illis qui in originali tantum peccato decedunt.

Secundo, utrum aliquem interiorem dolorem sentiant in anima spiritualem qui pro peccato originali tantum puniuntur.

ART. I. UTRUM PECCATO ORIGINALI SECUNDUM SE DEBEATUR POENA SENSIBILIS

IV *Sent.*, dist. XVI, qu. I, art. 2, qu^la 2; *De Malo*, qu. V, art. 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod peccato originali secundum se debeatur poena sensibilis. Dicit enim Augustinus, *de Fide ad Petrum* *: *Firmissime tene, et nullatenus dubites, parvulos qui sine sacramento baptismatis de hoc saeculo transierunt, aeterno supplicio puniendos.* Sed *supplicium* poenam sensibilem nominat. Ergo parvuli, qui pro solo originali punientur, sensibilem poenam sustinebunt.

* Fulgentius, *de Fide ad Petrum*, cap. XXVII. - Inter Opp. Aug.

2. Praeterea, maiori culpae debetur maior poena. Sed originale est maius peccatum quam veniale: quia plus habet de aversione, eo quod gratiam subtrahit, veniale autem gratiam secum compatitur. Et iterum aeterna poena punitur originale: sed veniale temporali. Cum ergo veniali peccato debeatur poena sensibilis, multo amplius originali.

3. Praeterea, gravius puniuntur peccata post hanc vitam quam in vita ista, ubi est misericordiae locus. Sed in hac vita respondet originali poena sensibilis: pueri enim, qui solum originale habent, multas poenas sensibiles sustinent, nec iniuste. Ergo et post hanc vitam poena sensibilis sibi debetur.

4. Praeterea, sicut in peccato actuali est aversio et conversio, ita et in peccato originali aliquid aversioni respondet, scilicet privatio originalis iustitiae; et aliquid conversioni, scilicet concupiscentia. Sed peccato actuali ratione conversionis debetur poena sensibilis. Ergo et originali ratione concupiscentiae.

5. Praeterea, corpora puerorum post resurrectionem aut erunt passibilia, aut impassibilia. Si impassibilia; et nullum corpus humanum potest esse impassibile nisi vel per dotem impassibilitatis, sicut est in beatis, vel ratione originalis iustitiae, sicut in statu innocentiae; ergo corpora puerorum vel habebunt dotem impassibilitatis, et sic gloriosa erunt, et non erit differentia inter pueros baptizatos et non baptizatos, quod est haereticum; vel originalem iustitiam habebunt, et sic originali peccato carebunt, nec pro peccato originali punientur, quod est similiter haereticum. – Si autem sint passibilia; omne autem passibile de necessitate patitur activo praesente; ergo, praesentibus corporibus sensibilibus activis, sensibilem poenam patientur.

Contra, Augustinus dicit * poenam parvulorum, qui originali tantum tenentur, *omnium esse mitissimam.* Sed hoc non esset si sensibili poena torquerentur: quia poena ignis inferni est gravissima. Ergo poenam sensibilem non sustinebunt.

* *Enchirid.*, cap. XCIII.

2. Praeterea, acerbitas poenae sensibilis delectationi culpae respondet: *Apoc.* XVIII *: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit*, etc. Sed in peccato originali non est aliqua delectatio, sicut nec operatio: delectatio enim operationem consequitur, ut ex X *Ethic.* * patet. Ergo peccato originali non debetur poena sensibilis.

* Vers. 7.

* Cap. IV, n. 8. - S. Th. lect. VI.

Respondeo dicendum quod poena debet esse proportionata culpae: ut dicitur Isaiae XXVII *: *In mensura contra mensuram, cum abiecta fuerit, iudicabit eam.* Defectus autem qui per originem traducitur, rationem culpae habens, non est per subtractionem vel corruptionem alicuius boni quod naturam humanam consequitur ex principiis suis, sed per subtractionem vel corruptionem alicuius quod naturae superadditum erat: nec ista culpa ad hunc hominem pertinet nisi secundum quod talem naturam habet quae hoc bono, quod in eo natum erat esse et possibile conservari, destituta est. Et ideo nulla alia poena sibi debetur nisi privatio illius finis ad quem donum subtractum ordinabat, ad quod per se natura humana attingere non potest. Hoc autem est divina visio. Et ideo carentia huius visionis est propria et sola poena originalis peccati post mortem. Si enim alia poena sensibilis pro peccato originali post mortem infligeretur, puniretur iste non secundum hoc quod culpam habuit: quia poena sensibilis pertinet ad id quod personae proprium est, quia per passionem huius particularis talis poena est. Unde, sicut culpa non fuit per operationem eius, ita nec poena per passionem ipsius esse debet: sed solum per defectum illius ad quod natura de se insufficiens erat. In aliis autem perfectionibus et bonitatibus, quae naturam humanam consequuntur ex suis principiis, nullum detrimentum sustinebunt pro peccato originali damnati.

* Vers. 8.

Ad primum ergo dicendum quod *supplicium* non nominat in auctoritate illa poenam sensibilem, sed solum poenam damni, quae est carentia divinae visionis: sicut etiam nomine *ignis* frequenter in Scriptura quaelibet poena figurari consuevit.

Ad secundum dicendum quod inter omnia peccata minimum est originale, eo quod minimum habet de voluntario: non enim est voluntarium voluntate istius personae, sed voluntate principii naturae tantum. Peccatum autem actuale, et etiam veniale, est voluntarium voluntate eius in quo est. Et ideo minor poena debetur originali quam veniali.

Nec obstat quod originale non compatitur secum gratiam. Privatio enim gratiae non habet rationem culpae, sed poenae, nisi inquantum ex voluntate est. Unde ubi minus est de voluntario, minus est de culpa.

Similiter etiam non obstat quod peccato actuali veniali temporalis poena debetur. Quia hoc est per accidens: inquantum decedens in veniali tantum, gratiam habet, virtute cuius poena purgata est. Si autem veniale peccatum sine gratia in aliquo esset, perpetuam poenam haberet.

Ad tertium dicendum quod non est eadem ratio de poena sensibili ante mortem et post mortem. Quia ante mortem poena sensibilis consequitur virtutem naturae agentis: sive sit poena sensibilis interior, ut febris vel aliquid huiusmodi; sive etiam sensibilis poena exterior, ut ustio sive aliquid huiusmodi. Sed post mortem nihil aget virtute naturae, sed secundum iustitiae divinae ordinem tantum: sive in animam separatam, in quam constat quod ignis naturaliter agere non potest; sive etiam in corpus post resurrectionem, quia tunc omnis actio naturalis cessabit, cessante motu primi mobilis, qui est causa omnis motus et alterationis corporalis *.

* *Supplem.* qu. LXXXVI, art. 2, 3.

Ad quartum dicendum quod dolor sensibilis respondet delectationi sensibili quae est in conversione actualis peccati. Concupiscentia autem habitualis quae est in originali peccato, delectationem non habet. Et ideo dolor sensibilis non respondet sibi pro poena.

Ad quintum dicendum quod corpora puerorum non erunt impassibilia ex defectu potentiae ad patiendum in ipsis, sed ex defectu exterius agentis in ipsa: quia post resurrectionem nullum corpus erit agens in alterum, praecipue ad corruptionem inducendam, per actionem naturae, sed erit actio tantum ad puniendum ex ordine divinae iustitiae *. Unde illa corpora poenam non patientur quibus poena sensibilis ex divina iustitia non debetur. Corpora autem sanctorum erunt impassibilia quia deficiet in eis potentia ad patiendum *. Et ideo impassibilitas erit in eis dos, non autem in pueris.

* Cf. resp. ad 3.

* *Supplem.* qu. LXXXII, art. 1.

ART. II. UTRUM PUERI NON BAPTIZATI AFFLICTIONEM SPIRITUALEM IN ANIMA SENTIANT

De Malo, qu. v, art. 3.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod pueri non baptizati afflictionem spiritualem in anima sentiant. Quia, sicut dicit Chrysostomus *, in damnatis gravior erit poena quod Dei visione carebunt, quam quod igne inferni cremabuntur. Sed pueri visione divina carebunt. Ergo afflictionem spiritualem ex hoc sentient.

* Homil. XXIII, aliter XXIV, *in Matth.*, n. 8.

2. Praeterea, carere illo quod quis vult habere, sine afflictione esse non potest. Sed pueri vellent visionem divinam habere: alias voluntas eorum actualiter perversa esset. Ergo, cum ea careant, videtur quod ex hoc afflictionem sentiant.

3. Si dicatur quod non affliguntur quia sciunt se non culpa propria ea esse privatos: contra. Immunitas a culpa dolorem poenae non minuit, sed auget: non enim, si aliquis non propria culpa exheredatur vel mutilatur, propter hoc minus dolet. Ergo etiam, quamvis pueri non propria culpa tanto bono priventur, ex hoc eorum dolor non tollitur.

4. Praeterea, sicut pueri baptizati se habent ad meritum Christi, ita non baptizati ad demeritum Adae. Sed pueri baptizati ex merito Christi consequuntur praemium vitae aeternae. Ergo et non baptizati dolorem sustinent ex hoc quod per demeritum Adae aeterna vita privantur.

5. Praeterea, absentari a re amata non potest esse sine dolore. Sed pueri naturalem cognitionem de Deo habebunt, et eadem ratione naturaliter eum diligent. Ergo, cum ab eo sint in perpetuum separati, videtur quod hoc sine dolore pati non possint.

Contra, si pueri non baptizati post mortem dolorem interiorem habeant, aut dolebunt de culpa, aut de poena. Si de culpa, cum a culpa illa ulterius emundari non possint, dolor ille erit in desperationem inducens. Sed talis dolor in damnatis est vermis conscientiae. Ergo pueri vermem conscientiae habebunt. Et sic non esset eorum poena *mitissima,* ut in littera * dicitur. – Si autem de poena dolerent, ergo, cum poena eorum iuste a Deo sit, voluntas eorum divinae iustitiae obviaret. Et sic actualiter deformis esset. Quod non conceditur. Ergo nullum dolorem interiorem sentient.

* II *Sent.*, dist. xxxiii, cap. *Alioquin*. - Cf. art. praec., arg. *Contra* 1.

2. Praeterea, ratio recta non patitur ut aliquis perturbetur de eo quod in ipso non fuit ut vitaretur: propter quod Seneca probat * quod perturbatio in sapientem non cadit. Sed in pueris est ratio recta nullo actuali peccato obliquata. Ergo non turbabuntur de hoc quod talem poenam sustinent, quam vitare nullo modo potuerunt.

* Epist. LXXXV.

Respondeo dicendum quod circa hoc est triplex opinio. Quidam enim dicunt quod pueri nullum dolorem sustinebunt, quia in eis adeo ratio obtenebrata erit ut non cognoscant se amisisse quod amiserunt. – Quod probabile non videtur: ut anima ab onere corporis absoluta ea non cognoscat quae saltem ratione investigari possint, et etiam multo plura.

Et ideo alii dicunt quod in eis est perfecta cognitio eorum quae naturali cognitioni subiacent, et cognoscunt Deum, et se eius visione privatos esse, et ex hoc aliquem dolorem sentient: tamen mitigabitur eorum dolor, inquantum non propria voluntate culpam incurrerunt pro qua damnati sunt. – Hoc etiam probabile non videtur. Quia talis dolor parvus esse non potest de tanti boni amissione, et praecipue sine spe recuperationis. Unde poena eorum non esset *mitissima* *. – Praeterea, omnino eadem ratione qua dolore sensibili et exterius affligente non punientur, etiam dolorem interiorem non sentient. Quia dolor poenae delectationi culpae respondet. Unde, delectatione remota a culpa originali, omnis dolor ab eius poena excluditur *.

* Cf. arg. *Contra* 1.

* Cf. art. praec., ad 4.

Et ideo alii dicunt quod cognitionem perfectam habebunt eorum quae naturali cognitioni subiacent, et vita aeterna se privatos esse cognoscent, et causam quare ab ea exclusi sunt, nec tamen ex hoc aliquo modo affligentur. Quod qualiter esse posset, videndum est.

Sciendum ergo quod ex hoc quod caret aliquis eo quod suam proportionem excedit, non affligitur, si sit rectae rationis, sed tantum ex hoc quod caret eo ad quod aliquo modo proportionatus fuit: sicut nullus sapiens homo affligitur de hoc quod non potest volare sicut avis, vel quia non est rex vel imperator, cum sibi non sit debitum; affligeretur autem si privaretur eo ad quod habendum aliquo modo aptitudinem habuit. Dico ergo quod omnis homo usum liberi arbitrii habens proportionatus est ad vitam aeternam consequendam: quia potest se ad gratiam praeparare, per quam vitam aeternam merebitur. Et ideo, si ab hoc deficiant, maximus erit dolor eis, quia amittunt illud quod suum esse possibile fuit. Pueri autem nunquam fuerunt proportionati ad hoc quod vitam aeternam haberent: quia nec eis debebatur ex principiis naturae, cum omnem facultatem naturae excedat; nec actus proprios habere potuerunt, quibus tantum bonum consequerentur. Et ideo nihil omnino dolebunt de carentia visionis divinae: immo magis gaudebunt de hoc quod participabunt multum de divina bonitate et perfectionibus naturalibus.

Nec potest dici quod fuerunt proportionati ad vitam aeternam consequendam, quamvis non per actionem suam, tamen per actionem aliorum circa eos, quia potuerunt ab aliis baptizari, sicut et multi pueri eiusdem conditionis baptizati vitam aeternam consecuti sunt. Hoc est enim superexcedentis gratiae ut aliquis sine actu proprio praemietur. Unde defectus talis gratiae non magis tristitiam causat in pueris decedentibus non baptizatis, quam in sapientibus hoc quod eis multae gratiae non fiunt quae aliis similibus factae sunt.

Ad primum ergo dicendum quod in damnatis pro culpa actuali, qui usum liberi arbitrii habuerunt, fuit aptitudo ad vitam aeternam consequendam. Non autem in pueris, ut dictum est *. Et ideo non est similis ratio de utrisque.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod, quamvis voluntas sit possibilium et impossibilium, ut in III *Ethic.* * dicitur, tamen voluntas ordinata et completa non est nisi eorum ad quae quis aliquo modo ordinatus est. Et si in hac voluntate deficiant homines, dolent: non autem si deficiant ab illa voluntate quae impossibilium est. Quae potius *velleitas* quam *voluntas* debet dici: non enim aliquis illud vult simpliciter, sed vellet si possibile foret.

* Cap. II, n. 7. - S. Th. lect. v.

Ad tertium dicendum quod ad habendum proprium patrimonium, vel membra corporis sui, quilibet est ordinatus. Et ideo non est mirum si dolet aliquis de eorum amissione, sive pro culpa sua sive aliena eis privetur. Unde patet quod ratio non procedit ex simili.

Ad quartum dicendum quod donum Christi excedit peccatum Adae, ut *ad Rom.* v * dicitur. Unde non oportet quod pueri non baptizati tantum habeant de malo quantum baptizati habent de bono.

* Vers. 15 sqq.

Ad quintum dicendum quod, quamvis pueri non baptizati sint separati a Deo quantum ad illam coniunctionem quae est per gloriam, non tamen ab eo penitus sunt separati. Immo sibi coniunguntur per participationem naturalium bonorum. Et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione.

INDEX
SUPPLEMENTI TERTIAE PARTIS
SUMMAE THEOLOGIAE
SANCTI THOMAE AQUINATIS

QUAESTIO DUODECIMA
De satisfactione.

QUAESTIO DECIMATERTIA
De possibilitate satisfactionis.

QUAESTIO DECIMAQUARTA
De qualitate satisfactionis.

QUAESTIO DECIMAQUINTA
De his per quae satisfactio fit.

QUAESTIO DECIMASEXTA
De suscipientibus hoc sacramentum.

QUAESTIO DECIMASEPTIMA
De clavibus Ecclesiae.

QUAESTIO DECIMAOCTAVA
De effectu clavium.

QUAESTIO DECIMANONA
De ministris clavium et usu earum.

QUAESTIO VIGESIMA
De his in quos usus clavium exerceri potest.

QUAESTIO VIGESIMAPRIMA
De excommunicatione.

QUAESTIO VIGESIMASECUNDA
De his qui possunt excommunicare et excommunicari.

QUAESTIO VIGESIMATERTIA
De participatione cum excommunicatis.

QUAESTIO VIGESIMAQUARTA
De absolutione ab excommunicatione.

QUAESTIO VIGESIMAQUINTA
De indulgentia.

QUAESTIO VIGESIMASEXTA
De his qui possunt indulgentias facere.

QUAESTIO VIGESIMASEPTIMA
De his quibus valet indulgentia.

QUAESTIO VIGESIMAOCTAVA

De solemnitate poenitentiae.

QUAESTIO VIGESIMANONA

De sacramento extremae unctionis.

QUAESTIO TRIGESIMA

De effectu sacramenti extremae unctionis.

QUAESTIO TRIGESIMAPRIMA

De ministro sacramenti extremae unctionis.

QUAESTIO TRIGESIMASECUNDA

De his quibus sacramentum extremae unctionis conferri debeat, et in qua parte corporis.

QUAESTIO TRIGESIMATERTIA

De iteratione sacramenti extremae unctionis.

QUAESTIO TRIGESIMAQUARTA

De sacramento ordinis.

QUAESTIO TRIGESIMAQUINTA

De effectu sacramenti ordinis.

QUAESTIO TRIGESIMASEXTA

De qualitate suscipientium hoc sacramentum.

QUAESTIO TRIGESIMASEPTIMA

De distinctione ordinum, et eorum actibus, et characteris impressione.

QUAESTIO TRIGESIMAOCTAVA

De conferentibus hoc sacramentum.

QUAESTIO TRIGESIMANONA

De impedimentis huius sacramenti.

QUAESTIO QUADRAGESIMA

De his quae sunt annexa sacramento ordinis.

QUAESTIO QUADRAGESIMAPRIMA

De matrimonio inquantum est in officium naturae.

QUAESTIO QUADRAGESIMASECUNDA
De matrimonio inquantum est sacramentum.

QUAESTIO QUADRAGESIMATERTIA
De sponsalibus.

QUAESTIO QUADRAGESIMAQUARTA
De matrimonii definitione.

QUAESTIO QUADRAGESIMAQUINTA
De consensu matrimonii.

QUAESTIO QUADRAGESIMASEXTA
De consensu cui advenit iuramentum vel copula carnalis.

QUAESTIO QUADRAGESIMASEPTIMA
De consensu coacto et conditionato.

QUAESTIO QUADRAGESIMAOCTAVA
De obiecto consensus.

QUAESTIO QUADRAGESIMANONA
De bonis matrimonii.

QUAESTIO QUINQUAGESIMA
De impedimentis matrimonii in generali.

QUAESTIO QUINQUAGESIMAPRIMA
De impedimento erroris.

QUAESTIO QUINQUAGESIMASECUNDA
De impedimento conditionis servitutis.

QUAESTIO QUINQUAGESIMATERTIA
De impedimento voti et ordinis.

QUAESTIO QUINQUAGESIMAQUARTA
De impedimento consanguinitatis.

QUAESTIO QUINQUAGESIMAQUINTA
De impedimento affinitatis.

QUAESTIO QUINQUAGESIMASEXTA
De impedimento cognationis spiritualis.

QUAESTIO QUINQUAGESIMASEPTIMA
De cognatione legali, quae est per adoptionem.

QUAESTIO QUINQUAGESIMAOCTAVA
De impedimentis frigiditatis, maleficii, furiae vel amentiae, incestus, et defectus aetatis.

QUAESTIO QUINQUAGESIMANONA
De disparitate cultus quae matrimonium impediat.

QUAESTIO SEXAGESIMA
De uxoricidio.

QUAESTIO SEXAGESIMAPRIMA
De impedimento matrimonii quod est votum solemne.

QUAESTIO SEXAGESIMASECUNDA
De impedimento quod supervenit matrimonio consummato, quod est fornicatio.

QUAESTIO SEXAGESIMATERTIA
De secundis nuptiis.

QUAESTIO SEXAGESIMAQUARTA
De annexis matrimonio. Et primo, de debiti redditione.

QUAESTIO SEXAGESIMAQUINTA
De bigamis.

QUAESTIO SEXAGESIMASEXTA
De bigamia et irregularitate ex ea contracta.

QUAESTIO SEXAGESIMASEPTIMA
De libello repudii.

QUAESTIO SEXAGESIMAOCTAVA
De filiis illegitime natis.

QUAESTIO SEXAGESIMANONA

De his quae spectant ad resurrectionem. Et primo, de loco animarum post mortem.

QUAESTIO SEPTUAGESIMA

De qualitate animae existentis a corpore separatae, et poena ei inflicta ab igne corporeo.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAPRIMA

De suffragiis mortuorum.

QUAESTIO SEPTUAGESIMASECUNDA

De oratione sanctorum qui sunt in patria.

QUAESTIO SEPTUAGESIMATERTIA

De signis quae iudicium praecedent.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUARTA

De igne ultimae conflagrationis.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUINTA

De resurrectione.

QUAESTIO SEPTUAGESIMASEXTA

De causa resurrectionis.

QUAESTIO SEPTUAGESIMASEPTIMA

De tempore et modo resurrectionis.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAOCTAVA

De termino resurrectionis.

QUAESTIO SEPTUAGESIMANONA

De conditionibus resurgentium. Et primo, de eorum identitate.

QUAESTIO OCTOGESIMA

De integritate corporum resurgentium.

QUAESTIO OCTOGESIMAPRIMA
De qualitate resurgentium.

QUAESTIO OCTOGESIMASECUNDA
De conditionibus beatorum resurgentium.

QUAESTIO OCTOGESIMATERTIA
De subtilitate corporum beatorum.

QUAESTIO OCTOGESIMAQUARTA
De agilitate beatorum corporum resurgentium.

QUAESTIO OCTOGESIMAQUINTA
De claritate corporum beatorum.

QUAESTIO OCTOGESIMASEXTA
De conditionibus corporum damnatorum resurgentium.

QUAESTIO OCTOGESIMASEPTIMA
De cognitione quam habebunt resuscitati in iudicio respectu meritorum et demeritorum.

QUAESTIO OCTOGESIMAOCTAVA
De iudicio generali, tempore et loco in quo fiet.

QUAESTIO OCTOGESIMANONA
De iudicantibus et iudicatis in iudicio generali.

QUAESTIO NONAGESIMA
De forma Iudicis venientis ad iudicium.

QUAESTIO NONAGESIMAPRIMA
De qualitate mundi et resurgentium post iudicium.

QUAESTIO NONAGESIMASECUNDA
De visione divinae essentiae per comparationem ad beatos.

QUAESTIO NONAGESIMATERTIA
De sanctorum beatitudine et eorum mansionibus.

QUAESTIO NONAGESIMAQUARTA
De modo quo se sancti habebunt erga damnatos.

QUAESTIO NONAGESIMAQUINTA
De dotibus beatorum.

QUAESTIO NONAGESIMASEXTA
De aureolis.

QUAESTIO NONAGESIMASEPTIMA

De poena damnatorum.

QUAESTIO NONAGESIMAOCTAVA

De voluntate et intellectu damnatorum.

QUAESTIO NONAGESIMANONA

De misericordia et iustitia Dei respectu damnatorum.

APPENDIX

Quaestio de Purgatorio.

Quaestio de poena originalis peccati.

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR
Iosephus Ceppetelli Archiep. Myren. Vicesgerens.